


BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XXX
E
18
NAPOLI







Hoc erat aspectu doctus [illegible] DOLUS, *alter*
Urbis Sextiacæ cognitus [illegible]*crates:*
Ars dedit, ut veluti spirans uideatur in ære;
Viuat ut æternum mensque, liberque dabunt.



יהוה

BONORVM OMNIVM LARGITOR DOMINVS.

Omne donum desursum est.

ANTONII MERINDOLI

CONSILIARII MEDICI,

Et in Aquensi Academia Primarij Professoris Regij

ARS MEDICA IN DVAS PARTES SECTA,

In qua non solum ea explicantur, quæ ad Medicinam discendam sunt necessaria: sed multa etiam, quæ Theologos & Philosophos recreare valeant, continentur.

Cum Indice duplici Titulorum altero, altero contentorum amplissimo.

Accessit sub finem Exercitationum Medicinalium Decas unica.

AQVIS-SEXTIIS
Typis IOANNIS ROIZE
Reg. Vniuersitat.
[illegible]ypographi
1638

J. Gonser fecit — *Cum privilegio Regiæ Maiestatis* — *Roize excudit*





LVDOVICO XIII.
GALLORVM NAVARRÆORVMQVE
REGI CHRISTIANISSIMO ATQVE INVICTISSIMO,

Longam triumphalium annorum seriem, & perpetuam fœlicitatem.

JOANNES MERINDOLVS Aquensis J. V. D. cum humillima subiectione Medicum sui Patris fato functi Opus ex paterna destinatione dedicans, apprecatur.

SVDATVM plurimis quà solibus, quà sydetibus operosum istud volumen Medicum, quod per vrgentis fati properantiam piæ recordationis Patri meo non licuit ex opaco LARIS recessu in lucem clarissimam educere, iam tandem iuxta eius destinationem Augustissimo Nomini tuo inscriptum ad Regiæ Sacratium Dignitatis ingenua deuotione confero LVDOVICE REX CHRISTIANISSIME atque INVICTISSIME, Parum autem abfuit, quin directis repentè oculis ad Majestatem tuam tot Heroicarum virtutum fulgore per quaternos mundi limites irradiantem Persarum vestigijs adhæserim; Quibus dumtaxat mos est iste solemnis, vt vbi primùm Solem intuentur orientem impresso statim ori digito sileant, simul & mirentur. Sed Iustitia, ejusque comes indiuidua Pietas, quæ Thronum vsque tuum circumstant, atque adeo pro tui defensione Numinis fideles indesinenter excubias agunt admirationi quidem locum esse voluerunt: Piæ verò, allocutionis officium impiâ tacirurnitate violari noluerunt. Hinc enim Iustitia, quæ iustissimis de causis gloriosissimum IVSTI cognomen tibi tribuit perinde Tabulis Parentum supremis parendum, ac Legum authoritate obtemperandum eâ, quâ pollet Æquitate pronunciauit: Illinc Pietas, quæ tibi prospera largitur omnia eorum itidem, per quos vitalem spiritum delibare nobis datur desiderijs à recto & honesto tramite non deflectentibus, toto conatu velificandum eâ, quâ præstat integritate denunciauit. Quorsum autem ista tendant, eaque tam alto repetita principio SACRATISSIMÆ MAIESTATI TVÆ. Si modò è tam sublimi fastigio ad tenuitatem meam benignis luminibus inspiciendam se dimittere non grauetur fluente per niueum papyri æquor dictione declarabo. Ignosce igitur mihi O QVA SOL HABITABILES

ILLVSTRAT ORAS MAXIME PRINCIPVM quod verecundâ quadam fiduciâ fretus exili cum donario. Te fidem Catholicam atque ingentes Regni tanti moles & pondera ſuſtinentem adire non verear : Atque vt facilius ignoſcas agnoſce quàm iuſtè pariter, ac piè mea procedat intentio, dum officioſæ cuiuſdam neceſſitatis impulſu poſthumum hoc obſeruantiæ paternę monumentum beneficentiæ tuæ debitum, & iuxta filialis obſequij teſſeram meritiſſimo meritorum tuorum templo appendendam ad Indulgentiæ tuæ venerandos pedes cum ſupplici affatu ſtatuo. Si quidem priùs quam felicis memoriæ genitor meus vitę, cunctiſque rebus humanis repudium conſtanter diceret teſtamento mentem explicuit ſuam & ſequentium ſerie verborum, quę bona fide ſubijcio, voluntatem inſinuauit vltimam.

Antonius Merindolus teſtamentum fecit 6. Non. Decemb. An. 1624. obijt 7. kal. Ian. eiuſdem anni die feſto Sti. Stephani.

QVANDOQVIDEM breuis eſt vocis humanæ curſus, & ambitus, ſtilum verò nec orbis, nec multorum ſpatia ſæculorum terminant; idcirco vt ad abſentes atque poſteros meorum ſtudiorum fructus perueniant ea, quæ vel à Doctoribus in meæ penetralia mentis inſtillata, vel priuato labore collecta palam prompſi atque in publico eliquaui meis expreſſa characteribus relinquo. Et quia ſcriptorum meorum, quibus poſt cineres vita perennatur quędam ad vnguem expolita ſunt, quędam pleniorem limę laborem deſiderant Filio meo, ad quem hæreditario iure mearum rerum ſumma deuoluitur mandatum volo. Vel SI QVID EI HVMANITVS ACCIDAT dilectiſſimos mihi Fratres eius tutelæ commiſſos enixè precor vt priorem operum meorum partem, quam accuratè recenſui & emendaui, ſcilicet Theoriam Medicam, Tractatum de Febribus, medendi formulas quã oppidò exquiſitiſſimas & exercitationum iatricarum decadem Typographię tradant, atque huius operis auſpicali clientelę quem voluerint inſignis notæ virum præſcribant. Sin autem ſecundo diuinę opis influxu firma valetudo mihi reſtituatur, & vita paulo longior ſupperat reuocatas ad incudem lucubrationes meas, optatâque donatas coronide ſub inexpugnabili CHRISTIANISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS Præſidio in lucem emittere mihi eſt animus: Veruntamen ſepoſitum velim TRACTATVM DE FEBRIBVS, eo quidem nomine, vt nomen mihi Chariſſimum in fronte pręferat: videlicet D. NICOLAI FABRICII D. DE PEIRESC IN SVPREMO AQVENSI SENATV CONSILIARII REGII, ET ABBATIS GVISTRENSIS omnibus florentiſſimæ fortunę, & abſolutiſſimę doctrinę virtutum comitatu ſtipatæ ſubſidijs, atque ornamentis inſtructiſſimi. Hunc enim virum IN QVO VETERIS VESTIGIA RECTI ET MORES VIDEO DVCTOS MELIORE LAPILLO ſemper inter ingenij mei patronos habui? Proindeque huius libelli, conſecratione tanquam obligatoriâ ſyngraphâ omnibus teſtatum cupio quot, quantiſque nominibus ipſi me deuinctum eſſe confitear. Ad extremum reliquam chartaceam ſupellectilem, quæ quidem non minus copioſa, quam numeroſa exiſtit in vſus filij & hæredis mei, ſi modo Genius eum ſuus ad Medicinam capeſſendam inducat volens, libenſque transfero. Nunquid ergo ad cauſam cum iniuſtitiæ, tum impietatis dicendam iure cogi potuiſſem, niſi ęternum mihi colendi Patris Manibus Pijs obſequendo meque ad animum licet iam fato functi accommodando Dictata eius, quæ non in aliud nomen, aut mancipium, quàm in tuum tranſire poterant ſub tui Patrocinij fœlicibus auſpicijs euenti-laſſem; eò quidem libentiùs, & licentiùs quòd ea communibus votis iamdiu patria exoptarit : imò & Aquenſium Medicorum percelebri eruditionis famâ Collegium coruſcans approbarit, approbata ne ſupprimerentur diutius efflagitarit. Certè publicum paterni cultus, affectuſque ſignum vltra debere non potui. De manu tandem meâ tuę tutelæ phylacterio munitę lucubrationes promendę fuerunt, vt in multorum ma-

Collegium Aquenſium Medicorum præſens opus approbauit. 5. kal. Dec. ann. 1632.

nus Regio fauore publici viam fauoris aperiente peruenitenr, atque liberiús possenr ÆTHERIAS VOLITARE PER AVRAS. Quâ quidem in parte illud maximopere verendum succurit, ne mihi ptobro vertatur quòd seriùs, quàm debiti, officijque ratio postularet Patris obseruantissimâ in Majestatem tuam propensione contractum nomen expunxerim, iustoque tardiùs haud protrahendam fidem liberauerim. Non inficior quidem: sed neque semper ad diem respondent debitores. Quin etiam duri, & acerbi creditores vt plurimùm satis habent DVMMODO SIT SOLO TEMPORE LAPSA FIDES. Quamquam ex huius morę rationes affatim suppetanr, quę Vadimonium quoque deserentem excusare potuissent. Earum potissimas, MAIESTATE tua copiam indulgente, vt calumniandi pruritus reprimatur, obiter euoluo. Primùm quidem sese spectandam ingerit ætatis, atque iudicij nimis infima teneritudo. Siquidem in ipso primæ rationis crepusculo dulcissimi Patris cura primatus tantæ curæ parem animum habere non potui. Morborum quoque insultus frequentes, quibus valetudo mea tentata est huic proposito remoram adhibuerunt. Litigiosæ insuper ambages, quarum longinquitas graue sæpenumerò tædium parit, & impensarum onus oprimit rei controuersæ vtilitatem huius editionem libri vehementet inhibuerunt. Præterea in Musarum, & bonæ mentis palestra exhauriendi labores istud ardui moliminis opus tandiu suspensum tenuerunt. Nec publica quidem defuere obstacula: Etenim & turbulenta tempora, & rerum quondam in natali solo florentissimarum miseranda planè tropica, & pestifera lues, quæ longè lateque sæuiens Iouis hospitalis passim fœdera violauit, & succedanea vel Typographorum penuria, vel prælorum impeditior, quam vt ijs vti commodè licerer administratio, quominus officij mei partes ex voto parentis implerem non mediocriter obstiterunt: Vbi verò tam publicis, quam priuatis rebus in serenitatem datis pulsa meroris nube sudum fuit ab ingenti luctu, quem attox pestilentia totas ferme vrbes aggeratis funeribus exhauriens inuexerat, tum politioris literaturæ laborioso cultu satis instructus ad grauiora studia cogitationes, atque contentiones inflexi: Veruntamen haud quaquam secutus Genium Genitoris mei, qui quoad vixit medica professione inclaruit MVTAS AGITARE INGLORIVS ARTES recusaui: Ad iuris peritiam è qua facilis est in omnes dignitates decursus ingenium iuuenili feruens vigore contuli. Studioso tandem aliquot annorum spatio legum cognitioni daro Doctor in Aquensi Academia titulo solemniter donatus nihil prius aut antiquius habui consilium, & auxilium prębentibus Partuis obsequio quodam sancto mihi colendis, quàm vt huius operis iatrici editionem magno labore, nec minore sumptu maturandam curarem. Iam igitur ad vmbilicos perductum volumen, qui ex parentis mei virtutum tuarum cultoris, atque miratoris voluntate perennaturam sæculis omnibus MAGNIFICENTISSIMI NOMINIS tui gloriam prætexere ausus fui REX AVGVSTISSIME vtroque pollice fauoris duntaxat, & authoritatis excipe. Pro ingenita tibi humanitate locum illi aliquem tribue inter tot illustrium ingeniorum monumenta, quæ vndequaque tibi affluunt, & velut in ipsum fontem iure, meritoque refunduntur. Eo, quo probis arrides vultu illud admitte, quasi votiuam tabulam, quæ sempiternæ templo memoriæ dicata vniuersæ posteritati eam insinuabit grati animi testificationem, quam, vt publicæ vocis magisterio viuens, ita styli ministerio moriens Pater meus & HENRICO MAGNO Genitori tuo famæ incomparabilis Heroï, nunc omnis æternitatis participi, & tuo simul Numini habita receptorum ab vtroque beneficiorum ratione voluit exhibere. Constat enim ex inconcussa historiarum Gallicarum fide, quo sub inde modo HENRICVS ille cognomento suo major, tam pace quam bello mirabilis, antequam supra omnem atrocitatem horribili parricidio violatus

Ioannes Mevendolus iuris lauream adeptus est annos 21. natus pridie kal. septem 1632

in cæleſtem claritudinem è vitalis huius lucis tenuitate ſublimaretur erga literas atque literatos fuerit animatus: Quippe qui perſpectum habens liberales diſciplinas eſſe omnium fundamenta virtutum poſt ciuiles Galliæ ſuæ inſanientis tumultus compoſitos, & hoſtiles impetus vbique terrarum repreſſos, quácumque gradum faceret albis quadrigis inſequente Victoriâ mentem peculiari ſigillo diuinitatis obſignatam conuertit ad reſtituendas quaſi poſtliminiò ſedibus ſuis Muſas vnde rabidi Martis equi eas per retroacta multorum annorum curricula depulerant. Iraque de Academijs tanquam Mineruæ arcibus inſtaurandis cogitatione conceptâ Vniuerſitatem Aquenſem per ALEXANDRVM Quintum Pontificem Maximum fundatam, per LVDOVICVM ſecundum Regem Hieruſalem, & Siciliæ, Comitemque Prouinciæ Narbonenſis confirmatam, ſuæ demum beneficentiæ radijs illuſtrandam ac poſtmodùm Majeſtatis tuæ munificentia reſtituendam phœbeâ face lucidioribus oculis inſpexit: Quicquid ad eius ornamentum, ſimul & incrementum ſpectare videbatur incredibili facilitate præſtitit. Eamobrem & Profeſſorum numerum auxit, & eorum ſtipendia multò minora, quam & Academiæ celebritas & in docendo labor, atque induſtria poſtularent noua liberalitate cumulauit. Profeſſorio muneri admouendos triduanis diſputationibus probari voluit: Atque adeò ad deſignandas pro cuius que captu cathedras eximios ingeniorum Æſtimatores & incorruptos meritorum iudices eligendos pro ſagaci diuinæ mentis intelligentiâ curauit: Denique inter regias diſpoſitiones ſummis gubernandæ Monarchiæ prouiſionibus occupatas ſeueriorum quoque diſciplinatum, quarum habenis maximarum rerum momenta diriguntur delectum habere dignatus eſt: nec vlli antea Principes pari cura belli munia, & pacis ornamenta coluerunt. Porro prolatis ex Aquenſis Academiæ Capitolio mineruali ad ingenuas ingeniorum præſtantiſſimorum concertationes excitendas quà Theologiæ, quà Iuriſprudentiæ, quà Medicinæ vexillis commodùm Pater meus confecto curriculo ſtudiorum præſto fuit. Hìc velut in tranſitu referre quàm fœlici pede per varios polymathiæ gradus ad eruditionis conſummatiſſimæ culmen euaſerit ab huius προσφωνήσεως inſtituto non erit alienum. Domi ergo ab incunabulis liberaliter educatus vbi ætas, & ingenium patiens peregrinationis fuit eum cuſtode Auenionem profectus erudiendum ſe ſcholis præceptoribuſque Societatis IESV commiſit; Atque adeò propitiam Palladem habuit, vt intra breuem temporis lapſum & latinitati ſatis initiatus, & bonis artibus affatim exculrus, & gemmeo eloquij latice abunde imbutus ad ſuos redierit; Nec mora: magni ſtatim nominis incredibili cupiditate flagrans in Pariſienſis Athenæi clientelam ſe contulit: Doctorem nactus R.P. Soarē vita clariſſimū, ingenioque maximū tam fœliciter per trienniū Philoſophiæ operatus eſt vt deſéſione poſitionū quas ALEXANDRO CANIGIANY, dū in humanis ageret Archiepiſcopo Aquenſi, dedicauit, ſecūdo vento famam fuerit expertus. Harū diſputationū celebritati præſentiam ſuam commodauit iam modò dictus conſecratæ memoriæ Vir Aquenſis Antiſtes, qui tum fortè ſacri ordinis, & Gallo-Prouinciæ rebus gerendis præfectus Lutetiæ morabatur. Is probos, honeſtoſque Parentis mei conatus Rienſi Epiſcopo aſſidente inſigni proſecutus eſt elogio, atque nitētem ad verum decus indolem beneuolentiæ ſuæ aurâ non abſque plauſu coronæ circumſtātis animauit. Victor demum Merindolus in agone Philoſophico, & ad pietatem erga Deum, ad fidem erga Regem, ad publici boni deſiderium ſedulò informatus larem ſuum propitiis Vialibus reuiſit; Nec diu in optato patriæ complexu hærens relictâ de integro natalis ſoli dulcedine ſtrenuam Medicinæ daturus operam Patauinum conceſſit: Vbi tres annuas Phœbi conuerſiones in ſumptus menſarios re familiari collata doctrinæ Coi Senis percipiendæ impēdit, atq; irrequieto labore, infatigabiliq; conatu Æſculapij arcana didicit. Ad extremū

Vniuerſitas Aquenſis fundata eſt per Alexandrum Quintū Pontificem Maximum, ann. ſalutis 1409.

Confirmata per Ludouicum II. Regem Hieruſalem & Siciliæ Comitem Prouinciæ Narbonenſis, Ann 1413.

Illuſtrata ab Henrico IV Magno Galliæ & Nauarræ Rege Auguſtiſſimo anno 1603.

Reſtituta à Ludouico XIII. Rege Chriſtianiſſimo & Potentiſſimo (nunc regnante) An. 1622.

Anno 1588. 16. Kal. Iunii theſes agitandas Ant. Merindolus Pariſiis ſeſult.

Apolinari

Apolinari laurea dignus Aſtris melioribus ſpem ſuam committens de domo repetenda cogitauit. Penatibus tandem ſuis redditus haud conſtanter trium dierum ſpatio de facultate Medica diſputationibus inſtitutis induſtriam ſuam beatiſſima mentis vbertate teſtatus nemine reclamante ſolemnia Iatrici Doctoratus inſignia ſuſcepit: Atque (vt in orbem propoſiti mea redeat oratio) ipſe animaduertens prona & prolixa HENRICI MAGNI liberalitate Vniuerſitatibus priſtinum vigorem, ingenijs honorem, ſtudijs præmium, nominibus exiſtimationem reſtitui famæ inſiſtendum eſſe ſtatuit; quia vt prima cedunt, cenſentur vniuerſa. Proinde in arenam denuo progreſſus ampliſſimo ac frequentiſſimo ſpectante cōſeſſu iatricas aſſertiones quas ipſe poſuit adeò ſubtili facundia per triduum propugnauit; poſitas ab alijs eiuſdem diſciplinæ ſectatoribus tam audenter, & ardenter impugnauit, vt reliquis Doctoribus Medicis, *ὡς ἐπὶ στεφάνῳ ἀγωνιζομένοις*, palmam leui brachio præripuerit. Eius itaque probata & perſpecta peritia GVILLELMVS DV VAIR ſummus tunc temporis in Aquenſi Senatu Præſes omni naturæ munere præcellens, omni virtutis, Doctrinæque luce fulgens, & IOANNES A CEPPEDA in Aquenſi Rationum, Vectigalium, & Subſidiorum Regalium Curia primariam gerens dignitatem ſempiterna Muſarum prædicatione memorandam, & reliqui authoritate Regia conſtituti Iudices, non minùs in dignoſcendis hominum ingeniis, quàm in ſpediendis negotiis exercitati, ſecundi Profeſſoris in Schola Medica munus, & honorarium Genitori meo ſuffragiis conſentientibus adiudicauerunt. Quo quidem munere quandiu per parcarum penſa licuit cum honore Principis, cum ſplendore Patriæ, cum ſtudioſæ iuuentutis commodo plauſibiliter perfunctus, & multoties totam medendi doctrinam æquè frequentibus, ac fauentibus Auditoribus expoſuit. & dictata MAIESTATI TVÆ conſecranda tranſmiſit ad poſteros, quæ inclyti patrocinij tui æternitate fulta plenis gloriæ velis per omne tempus æui ferentur. Quòd igitur operæ, votique compos extiterit, quòd aliquod in Palæſtra Medica NOMENQVE, DECVSQVE GESSERIT, quòd genium ſuum propitiauerit, quòd rem familiarem luculentè ſtruxerit, quod ſcripta quibus Libitina vitatur diuulganda reliquerit, hoc totum HENRICI MAGNI cuius recordatio iugi ſæculorum veneratione vigebit beneficentiæ acceptum eſt referendum, SOLVS EA TRISTES QVI TEMPESTATE CAMOENAS RESPEXIT: Qui Academiæ Aquenſi, & cæteris, quibus Gallia gloriatur Vniuerſitatibus iam propemodum æui, & hominum iniquitate conuulſis formam, robur animumque reſtituit. Quominùs mirum videri debet, quòd organa Rhetorum, plectra Poëtarum, tubæ hiſtoricorum, diſciplinarumque omnium conſonantes tibiæ quater MAXIMI HENRICI, velut alterius HERCVLIS MVSAGETÆ nulla prorſus obliuione obruenda in rem litterariam merita concelebrent: Nec mirum quoque quòd amabilis Pieridum chorus ipſius mentem cœlo receptam, velut aliquod ſydus vicinum Deo magnis virtutum radiis corruſcans aſſiduo hymnorum, & epiniciorum modulamine veneretur. Iam verò, cum ſatis conſtet quomodo ad ſecundam Medicæ profeſſionis Cathedram Parens meus fuerit promotus, GALLORVM MONARCHA POTENTISSIME, ad Maieſtatem tuam meæ curſus orationis reflectitur, eóque ſimul inflectitur, vt palam fiat quo potiſſimùm nomine tuum Numen oblata huius conſecratione Voluminis adorare non verear. Ex quo enim tempore poſt exceſſum tui Patris Auguſtiſſimi, quem ob eximia benefacta in omnes collata nationes, vel nunquam denaſci, vel certe omnibus naſci ſæculis oportuit Regni gubernaculis publica te fœlicitas admouit, TV PER PATRIS HENRICI GRADIENS VESTIGIA, vt iacentem armorum gloriam, reſeratis quotidie Iani tui ad nouas laureas foribus, magis magiſque ſubleuaſti, ſic torpentem Muſarum dignitatem inſigniter excitaſti, nec paſſus es

Annum agēs ætatis ſuæ 21. ſolemnia Doctoratus ſuſcepit Aquis ann. 1591. 15. Kal. Sept.

Ad ſecundi Profeſſoris Medici munus fuit promotus an. 1606 6 kal. Septemb.

earum fontes, aut ſubtracto tui fauoris influxu, ſubducto tuæ rore liberalitatis areſcere. Nec minus quidem hactenus ingeniorum cultum, optimarumque artium celebrationem à Patre tuo rerum domi, foriſque geſtarum laude clariſſimo commendatam promouiſti, quàm Dominationis tuæ terminos circumlatis per exteras regiones Liliorum tuorum ſignis victricibus extendiſti : Adeo vt in cæca circumtonantium bellorum nube ſcientiæ multiplicis fulgor emicuerit, in denſa telorum grandine ſapientiæ fulmen eruperit, in terrifico armorum fragore voces eruditorum tonuerint. Tuæ nimirum dexteræ tam pace, quam bello ſpectabilis illuſtri munificentia STANT DOCTARVM TEMPLA SORORVM Regijs honeſtata titulis, atque largitionibus, quæ tot excellentiſſimorum ingeniorum fœtus in Eccleſiæ Sacro-ſanctæ lucem, & rerum publicarum vtilitatem mira fœcunditate profundunt, & quantum æternitas ſæculorum dabit rediuiua quadam fertilitate profuſura ſunt. Veruntamen inter alias Palladis exarmatæ arces, in quibus pia Theologiæ doctrina debellatur impietas, æqua cognitione Iuris expugnatur iniuria, ſalutari Medicæ facultatis peritia morborum agmen profligatur alma Vniuerſitas Aquenſis apicibus radians Liliatis peculiari quodam bonitatis tuæ radio refocillata viget, atque ſibi verticem cœlo videtur inſerere quod tuæ Majeſtatis ope munifica, cum iam ſitum, ſqualloremque contraheret glorioſè reſtaurata fuerit. Vnde quod olim IVSTINIANO conceſſum fuit iure multo potiori mereris πιερίδων προπάροιθε δόμων πανχρύσεος εἶναι. Quid autem ſperare maius aut optare laudabilius poſſunt ſiue qui diuinas literas tractant, vt animos ad probam, & ſecundùm pios ritus, atque inſtituta diuina inſtituendam vitam componant, ſiue qui leges, & iura euoluunt, vt ad concordiam, & politicam honeſtatem iter aperiant, ſiue qui artem ſectantur idoneam ad corpora hominum curanda vel reſtituenda, quàm promoueri ad publicam docendi prouinciam, in ea præſertim Academia, quæ tot Principum virtutibus & victorijs æternorum liberali bonitate fundata, confirmata, illuſtrata, reſtituta ſuæ fama pietatis, & eruditionis IMPLET SOLIS VTRAMQVE DOMVM. Atqui quod libens, & cum voluptate, præfiſcinè tamen dico carus Genitor non ſolum ſecundi Profeſſoris munus effuſis induſtriæ ſuæ contentionibus obtinuit, ſed etiam primarij Doctoris officium, & Archiatri titulum glorioſè ſuſtinuit. Cum enim TVA MAIESTAS pro diuina mentis æternæ intelligentia ſentiens ibi præmia honorum eſſe conſtituenda, vbi ſunt merita virtutis ex Aquenſis Themiſtij ſummo tribunali ad Regiæ ſignaturæ præfecturam ſupra laudatum, nec ſatis vnquam laudandum G. DV VAIR æquitatis Genium, Suadæque medullam euocaſſet, Pater meus quem tantus ille vir Medicum, ac familiarem ſibi adſciuerat nulla potuit ab eius comitatu ratione diuelli. Perductus igitur cum Archidicaſte ſapientiſſimo in tuam vrbem Pariſienſem victricem gentium, & dominatricem terrarum non minus proſperis, quàm crebris Medicæ peritiæ ſucceſſibus, & beneuola commendatione amici potentis, & bonis moribus, qui famam bonam facilè conciliant vſque adeo innotuit, vt in tuum Auguſtale inductus blandum tui fauonium fauoris exceperit. Quippe ſublato è rebus humanis percelebri admiſſionis interioris Medico eius in demortui locum tua ſuffectus eſt indulgentia; IOANNE HEROVARDO inter tuæ ſanitatis tutelares Æſculapios eminentiſſimo ſacramenti fidelis arcana ſuſcipiente. Poſtquam autem progreſſu temporis nunciatum fuit IACOBI FONTANI, cuius encomium nulla ingenij humani queat implere fœlicitas, lugubri admodum fato cathedram primam Iatricæ profeſſionis vacare, ſimul & virum vocare ijs exuberantem excellentis ingenij dotibus, quibus honor, & publicus amor applaudit cum Anteceſſoris ornatiſſimi Succeſſorem per voluntatis tuæ diſpenſatores obſequentiſſimos conſtituendum nominaſti. In ſumma votorum cupidinem repentina bonorũ,

Diſceſſit Aquis Pariſios cogitans 13. kal. Maij. Anno 1616.

Sacramento ſe aſtrinxit 8 idus Decemb. An. 1616.

Antonius Merindolus primi Profeſſoris Medici locum occupauit anno 1626. kal. Nouemb.

honorumque

honorumque poſſeſſio ſuperauit: attamen dum ipſe inexhauſto beneficentiæ tuæ fonte irrigatus omnium expectationi reſpondendo decenter ac diligenter partes ſuas explet, vehementiùs in dies aduerſa valetudine conflictatus eſt, quam dumtaxat infirmam, & infeſtam contraxit à cibis venenatis non quidem ſibi, ſed Chirurgo cuidam in epulari accubitu apud Aquenſes paratis, per imprudentiam tamen miniſtratis. Quibus factum eſt, vt diu languentem traxerit animam, quam nihilominus & ſuæ facultatis admirabili ſolertia, & moderata victus obſeruatione trium, & triginta conuerſionibus annorum in caduci corporis ergaſtulo continuit. Agitatus inſuper fuit grauiſſimis ab articulari morbo doloribus, quibus leniendis cœli, locique mutationem aptiſſimam eſſe ratus haud cunctanter à TVA MAIESTATE impetrata miſſione cauſaria ſe ad genitale ſolum retulit, cuius in amabili ſinu multis diſtinctus curis laborioſam vitæ ſuæ telam vt exorſus fuerat, ita perfecit: ſiquidem præter docendi publicum onus, cui haud aliter quam Prometheus Caucaſo affixus hæſit totum ſe impendit inuiſendis ægris, quibus quotidie velut propitium Numen adfuit: Quid, quod nunquam tam occupatum diem duxit, quin iuxta memorabile Apellis documentum lineam ducturus ad ſtudia velut infirmitatis firmamenta, & doloris leuamenta mentem generoſo fœtam ſemine tranſtulerit? Nihil profecto Epicteti, nihil Cleanthis lucerna, nihil Demoſthenis lucubrationes æſtimentur, ſi ad eius vigilias æquaris lancibus expendantur. Procul dubio ſequentis effati veritatem ſuo ratam fecit experimento LABOR OMNIA VINCIT IMPROBVS. Nam licet afflicta valetudine, laborioſo tamen conatu quicquid laudabile animo agitauit aſſecutus eſt. Siquidem & frequenter Hippocratis doctrinam vniuerſam auribus, & calamis excipiendam cumulatè adeo tam noſtratibus, quam exteris Phœbi clientibus tradidit, vt nihil intactum reliquerit, nihil inuolutum non euoluerit, nihil intricatum non explicuerit; Eaque inſuper ingenij fœliciſſimè nati monumenta edidit, quibus non tantum mortalitas extenditur, ſed in immortalitatem quoque vertitur. Ad extremum memor morte debitoris obligationem non eximi ſupremis, quas integra mente condidit tabulis hoc vnum maximè inter faſtigia votorum ſibi eſſe declarauit, vt non abſque copioſo ſudoris ſtillicidio elaboratum volumen anathematis inſtar ſibi offerretur, & iuxta huiuſmodi oblatione palam poſteris fieret ſe muneri, quod totum muneris tui fuit haud quaquam defuiſſe. Sanè qui armis inclyti ſunt victorias tibi ſuas conſecrant: Qui diuitijs potentes, fortunas: Ille ſua arma, ſuaſque diuitias ſtudia, & libros eſſe ſapienter iudicans quid præter haſce lucubrationes Majeſtati tuæ dicare potuit? Ne igitur erga pios Patris manes vota eius eludendo videar impius, hoc quicquid eſt operis Nomini tuo virtutum omnium corona ſpectabili nuncupaturus ad veneranda tuæ Majeſtatis Auguſtiſſimæ genua procumbo. Atque vt verè dicam, ſi debitum ſpectetur, ſuſpicio ceſſabit audaciæ? Si animus tantilli etiam donarij non ſpernetur exilitas: Si argumentum operis admirabilis opificij, nempe hominis, elegantem ſtructuram reparandam, aut ſartam, tectamque tuendam comparatum ne Regia quidem dignitate iudicabitur indignum: Nec enim à Regio conſpectu ſub mouenda eſt ſalutaris, atque πασέων τεχνέων ἐπιφανεστάτη Profeſſio, cuius originem cœlo dicatam, cuius inuentores, Numinibus adſcriptos cuius efficaciſſima remedia cœlitus laborioſæ mortalitati data Θεῶν χεῖρας εἶναι omnium æquo ioue iudicantium calculis affirmatum eſt: Quin etiam ſi rectè rationes inſtituantur procul dubio conſtabit tam excellentem eſſe huius facultatis vtilitatem, vtilemque ſimul excellentiam, vt eius quandoque familiariter exercendæ ne ipſum quidem Archangelum RAPHAELEM puduerit: Vt maximi etiam Principes in arte iſta excellere palmarium, & glorioſum eſſe cenſuerint; nec eam modo ſuis inuentis excoluerint,

Reuerſus eſt Pariſijs prid. nonas Octob. anno 1615

ſed diligenti ſtudio agitare non erubuerint: inter quos toris extant verricibus Sabor Medorum Rex, Sabiel Arabum, Mithridates Ponticorum, Hermes Ægyptiorum, Alexander Macedonum, cui author inconcuſſæ fidei Plutarchus in eius vita dat φιλιατρεῖν. Quin etiam Meſuem Damaſceni Regis nepotem, Auicennam Cordubæ Principem fuiſſe plerique reconditæ literaturæ viri perhibuerunt. Quid autem vetera exempla repeto? Cum præſto ſit exemplum ſine exemplo maximum TVÆ duntaxat MAIESTATIS, quæ Medici perſonam quodam modo videtur agere dum ſalutiferam manum explicando, & cœleſtem medelam ſtillantia verba proferendo, virulenta ſtrumarum fœditate laborantes omnium nationum Homines, velut AGMINE FACTO, vndequaque confluentes cœlo, terraque plaudente liberat: imo vbi quandoque infeſtam experitur hygeiam phœbea face lucidiores oculos ad Medica præſidia inflectens, & Medicinam in honore, ac pretio habens vt in bello de Marte fortiter, ſic in morbo de morte fœliciter triũphat: Quid plura? prudenter reputat ſanitatis authorem eſſe Deum, inſtrumentum Dei eſſe naturam, & miniſtrum vtriuſque Medicum; Quem ob id honorandum ſapientiſſimus aſſeruit Salomon, quòd Altiſſimus eum creauerit, vel ad ſuſtentandam humanæ fragilitatis indigentiam, vel ad ſubleuandam ſæpenumerò neceſſitatem. Quandoquidem demum vt Homero viſum eſt Reges dicuntur ποιμένες τῶν λαῶν; profectò ex mente Ariſtoteles habere ſe debent ad ſubditos non aliter, quàm paſtores ad oues, ac proinde Medica non aſpernari opera, quæ deuotorum ſuis ſceptris capitum valetudini bene conſulunt: Hinc eſt, quòd libentia, lætitiaque onuſtum pectus gero, cum in certam ſpem adducor fore, vt iatricum opus iſtud deuotis tibi populis non mediocriter profuturum ſupra ſydereos orbes radiantibus obiectum luminibus, placida & criſpanti oceano ſimillima fronte ſuſcipiatur: Suſceptum reponatur in numero innumero tam fœlicium generis omnis monumentorum, quibus bibliotheca tua Regalis tanta copia, & vbertate affluit vt certamine cum Philadelphis, atque Pergamenis Regibus inſtituto, eos non dicam æquare, ſed ſuperare, videatur: Et hoc quoque iugi Muſarum voce prædicandum occurrit, quòd quantùm vacui temporis à bellis, rerumque publicarum neceſſitate ſuperat, tantum euoluendis maximi momenti libris impendere non grauaris: Achillem in eo refers, qui arma inter media cytharam interponere conſueuerat: Apollinem Megarenſem exprimis, vna lyram attrectantem manu, altera verò haſtam quatientem: Ægyptium repræſentas Mercurium ſapientiæ præſtitem Deum, ſimul & fortitudinis duplex gerentem caput: vno quidem agis belli negotia: Altero quæ paci ſunt congrua: Denique Platonem libenter audis paleſtræ certamina muſico concentu temperantem: ſimiliter enim clangori tubarum, minaci tympanorum ſono, armorumque terrifico fragori pierios cantus amicâ quadam copulâ conſocias: Et fortaſſe dextro Mercurio continget vt tibi rerum in omnium halcyonia tranquillitate bibliothecam luſtranti obuerſetur iſtud opus Theoricam medicam, Tractatum de febribus, medendi formulas & exercitationum iatricarum Decadem continens. Nam ſubductus ex iſto ſublunaris mundi Theatro expectato citiùs Pater meus Praxim Medicam muſæi anguſtiis adhuc coarctatam non potuit ad ſummum perfectionis decus extollere. Verumtamen, ſi & TVÆ MAIESTATI, vel tantillùm opus iſtud arrideat, & ei Genius publicus applaudat, per me non ſtabit, quin reliquis lucubrationibus tota fruatur poſteritas: Et nos quoque aliquando excudemus (ſi Deus cœptis noſtris aſpirare dignatus fuerit) aliquid, quo ſparta noſtra legalis exornetur, & quod ab inclyto nomine tuo præſidiũ captet, atque lucem. Suſcipe interim REX INTER OPTIMOS POTENTISSIME, INTER POTENTISSIMOS OPTIME, INTER VTROSQVE MAXIME, iſtas laborum paternorum primitias, quæ nec inuidorum obliquo aſpectu proſpera omnia

Eccleſ. cap. 38

Hoc opus continet Theoricã Medicam & exercitationum iatricarum decadem, atque tractatum de febribus medendique formulas.

faſci

faſcinantium malignis afflatibus, nec maledicotum venenatis morſibus obnoxie à tuo patrocinio vt claritatem, ita ſecutitatem capient. Enimvero quis Aiacis ſeptemplex clypeus, quænam Vulcani panoplia, quæ tandem ægis Mineruæ potior eſſe queat LILIGERI tutelâ CÆSARIS quem quicumque terræ munere veſcuntur mortales harariano proſequentes elegio NIL ORITVRVM ALIAS NIL ORTVM TALE FATENTVR? Siquidem (omni deterſo adulationis fuco) tantùm vltra ſæculorum omnium Principes emines, quantùm à priuatis cæteri Principes receſſerunt: ſiue ſors naſcendi ad ſolidum iudicij examen reuocetur, ſiue corpotis Hetoicæ dotes expendantur, ſiue animi virtutes tam in Vlyſſe, quàm in Achille Homerico expreſſæ penicillo ponderentur. Patentis enim maximi Proles exiſtis maxima Parentis inquam, quo nihil auguſtius mundi oculus aut aſpexit hactenus, aut aſpectutus eſt vnquam. HENRICVM MAGNVM deſigno qui nominis magnitudine orbem vniuerſum, diuturnitate famæ vaſtam temporum profunditatem adæquauit. A DIVO quoque LVDOVICO ſanguinem ducis, quem Chriſtiani TEMPLIS VENERANTVR, ET ARIS: imò pagani, fideque diuerſi verentur, ac reuerentur. Nec ſileo te LVDOVICI ſanctiſſimo nomine in omnium viitutum commendationem, & exemplum veniente decoratum, quod qui olim duodecim Franciæ REGES inter CAROLOS, & PHILIPPOS tulere ſingulari quadam præſtantiâ ſanctitatis, & fortitudinis inenarrabili gloriâ floruerũt. Addo etiam te trium, & ſexaginta REGVM Chtiſtianiſſimorum ſemen eſſe, qui glorioſè adeo vixerunt, vt eorum mottalitas magis, quam vita finita eſſe videatur. Tu itaque à cœlo ad Regiam dignitatem inauguratus, in ſolo infuſâ diuinitate apptobatus in altiſſima totius mundi ſcenâ ſuperemines, & ſolio Gentis illius ad immortalitatem fatæ, quæ vt Pietatis, & Religionis amore ptæcipua, ſic pacis, bellique artibus inſigniter nobilitata Liliotum, quibus nihil terta parit floridius, nihil aſtriferi orbes vident iucundius diuino fulgore victrix, atque triumphatrix ſe inferiora deſpectans omnia vbique terrarum magnificè dominatur, atque modo procellas Martis intorquẽs modò pacis almæ ſerenitatem teducens populorum omnium fata poteſtatis ſuæ faſcibus adæquat. Tu igitur orbis, & ſæculi bono natus magno animo, & fœlici ſceptro Regnum gubernas, quod potentiæ tuæ incremento potentiſſimum, gloriæ ſplendore glorioſiſſimum, bonitatis diffuſione optimum, fortitudinis intentione fortiſſimum, pietatis æternitate perpetuum, iuſtitiæ libramento iuſtiſſimum tantò reliquis dominationibus antecellit QVANTO SPLENDIDIOR QVAM CÆTERA SYDERA FVLGET LVCIFER, AVT QVANTO QVAM LVCIFER AVREA PHOEBE. Te vero Regem eſſe talem iuxta ſcholæ Pythagoricæ dictum θειότατόν ἐστι. Atque vt Regno tuo Sol nihil illuſtrat, & perluſtrat excellentius, tuâ pariter MAIESTATE tetra nihil ſuſtinet vndequaque perfectius. Imprimis enim ornamentorum copiâ cœlum diffluens tibi ſe penitus affudit, totque naturæ bona infudit, quot ſerenâ nocte fulgent in cœlo ſtellæ inſtar candentium gemmarum ſuis otbibus affixæ. Fotmam primùm mirabundus intueor, vtpote quæ animum indicat, cum tanta ſit ætheteæ illius autæ vis, & facultas, vt qui in animo nitor, in corpore luceat. Appares autem CLARA IN LVCE REFVLGENS OS HVMEROSQVE DEO SIMILIS Βασιλεὺς γάρ ἐστιν εἰκὼν ἔμψυχος θεοῦ. Vultus eſt tibi lacteo liliorum, roſarumque purpureo colore ſuffuſus, igneus eſt tuorum nitor oculorum, qui ſydera ſunt probis, fulgura improbis, oris, totiuſque corpotis heroïca eſt confotmatio, cum dignitate venuſta, cum maieſtate blanda. Status eſt ſublimis, & rectus haud ſupra communem magnitudinis modum ad imperij, authoritatem compoſitus, apta deſcriptione membrorum, fitmitate laterum, ſtrenueque conſentientibus lacertorum thoris quam ſcitiſſimè compactus, grauis atque liberalis inceſſus. Oratio paucis adſtripta verbis ſed pondere

sententiarum præualens,& militarite t animosa; qualem in Principe laudauit Socrates, in Cyro descripsit Xenophon. Iactet gloriosa suorum æstimatrix antiquitas Scipionis pulchritudinem, Achillis ποδάργη velocitatem, Herculis inuictum robur, Alexandri pectus infractũ: Hæc omnia longè cumulatiùs ex eo consecutus fuisti quòd ab ipsisprope sterperastris indefatigati laboris incrementa solidam corpori tuo firmitatem tribuerunt: Venandi enim exercitatio, quæ legitima est militiæ prælusio, equitandi peritia, qua vel omnes centauros prouocare posses, præliorum simulacra te totum à pueto habuerunt. Atque ita etiam in ætate tenera eas adeptus fuisti virtutes, ad quas cana vix possit modestia,& constantia peruenire. Veruntamen supra fortunæ omni humano fastigio maioris bona florentissima, & ornamenta corporis eximia eriguntur animi tui virtutes, quæ nec numerari præ multitudine, nec æstimari præ magnitudine queunt. At quoniam MISTA NOTIS BELLI, PLACIDAMQVE GERENTIA PACEM ORA GERIS, nescio an à belli, an à pacis artibus Majestatem tuam iustiùs commendare debeam, cum parem vtrinque laudem trahat. Certè à Martio puluere, quo impensiùs delectaris & gloriæ militaris claritudine auspicari operæ pretium fuerit. Sed eam vulgari stylo explicare mihi verecundia, & pœne religio est: Huic enim materiæ vel inuideret, vel certè succumberet longè, latèque ingenij sui aciem iaculans Apollo Mæonius. Faciam tamen quod olim ab ijs qui Æsculapio sacra faciebant, aut vota nuncupata soluebant factitatum fuisse inconcussis literarum monumentis, quibus vel solis gloriæ, rerumque gestarum fulcitur æternitas factitatum fuisse proditum est. Qui opibus affluebant recentes hymnos, quibus illud salutare Numen venerarentur pangendos curabant: Qui autem rei familiaris angustia præmebantur iam multò ante concinnatos vel à Sophocle, vel ab Æschylo pæanas ore canoro repetebant. Similiter enim ego mihi meæ conscius infirmitatis ea cursim replicabo, quæ ad tuarum actionum imitationem futuris principibus ingenerandam illustres Musarum Alumni, qui vitæ breuitatem claritate mentis extenderunt siue stricta, siue soluta oratione retulerunt. Patiatur obsecro ingenita tibi humanitas,vt ea, quæ sine laudis affectatione in Bellone theatro strenuè gesta sunt, & quotidie geruntur citra omnem ambitionis, aut assentationis illecebram humillimi cultus & obsequentissimi affectus animandi gratia mihi summa tantum rerum fastigia sequenti delibare liceat, eò quidem citiùs ac breuiùs, quod in tam spectabili luce posita sunt nullum vt recessum,nullam vt vmbram obliuionis admittant.

QVEMADMODVM igitur à matutina cœli facie reliquum diem conijcere est, sic à puerili tua indole FRVSTIS NVTRITA SVB PENETRALIBVS qualis, & quantus esses futurus coniectare fuit in procliui, atque illud aptare MAIESTATI TVÆ, quod præceptor Themistoclis identidem Discipulo dicebat suo: TV MI FILI NIHIL VNQVAM ERIS MEDIOCRE vel potius cum leui verborum mutatione illo te prosequi elogio quo Alexandrum filium Bucephali domitore Philippus pater posteritati commendauit ALIVD Ô EXELSÆ INDOLIS LVDOVICÆ TIBI PAR IMPERIVM QVÆRE, QVANDO TE IAM GALLIA NON CAPIT. Quippe TV ANTE ANNOS ANIMVMQVE GERENS CVRAMQVE VIRILEM Regij seminis dignitatem non modò pari,qua acceperas gloria conseruandam, sed maiore de integro cumulandam tatus propriæ virtuti oblatas amplissimæ laudis occasiones insatiabiliter arripuisti. Audis & admittere cogeris vetus encomium. NON TVA MAIORVM CONTENTA EST GLORIA FAMA, NEC QVÆRIS QVID QVAQVE INDEX SVB IMAGINE MONSTRET, SED GENERIS PRISCOS CONTENDIS VINCERE HONORES, siquidem vix octuennis æquè ditionis, ac existimationis paternæ successioni admotus prudentia,& magnitudine animi supra ætatem cum miraculo fretus procellosos populorum plerumque ad vicariam potestatem contumacium turbines dicto citiùs compes-

cuisti

cuiſti; ſeditionum decumanos fluctus peculiari quadam præpotentis Dei cura tuis velificante conatibus momento compoſuiſti, hoſtes non minùs luce virtutum, quàm armorum fulgore terruiſti: Quin etiam fere anniuerſariis tumultibus exortis animosè ſigna tua circumtuliſti, bellandi audaciam, debellandique fiduciam prætuliſti, inhorteſcente variatum factionum tempeſtate oppreſſâ, gladiorumque licentiâ temerè nimis graſſante illicò repreſſâ victoriam retuliſti, QVAM NON VENTVRA SILEBVNT LVSTRA NEC IGNOTA RAPIET SVB NVBE VETVSTAS. Multis arma ſponte ceciderunt, multis excuſſa ſunt, omnibus tamen Virgilianum illud ex æquo acclamantibus. Monarcham auſpicatò nacti ſumus, qui rectè nouit. PARCERE SVBIECTIS, ET DEBELLARE SVPERBOS. Poſtmodum vbi primùm ad firmiorem ætatem è pueritiâ enarando properare cœpiſti, vt te non acriorem ſceptri, quàm ſalutis ſingulorum vindicem exhiberes in morem execrandum, quo Galli leuibus rixis inter ſe commiſſis aut paſſim iugulum ſuum dabant, aut petebant alienum authoritatis tuæ arma ſtrinxiſti. Nec mora; Factum eſt, vt atrox, & peſtilens, illa lues feritate gladiatoriâ deteſtabilior, quæ tantùm Gallici cruoris exhauriebat actutum confecta fuerit. Deinceps mentem generoſiſſimis exaggeratam cogitationibus ad momenti ſuſcepta grauioris transferendo in vltimas illas Galliarum ad Iberiam oras laureata vexilla intuliſti, PER OBSTANTES CATERVAS ARMA VICTOR EXPLICVISTI, Prouincias iugum iactantes intrepidè ſubegiſti: ſua cœlitibus templa, Templis ſacra, ſacris Pontifices, Pontificibus optatam ſecuritatem, ſuperûm cœtu geſtiente reſtituiſti. Necdum poſt tot egregia facinora poſt tantam adorearum exinde pullulantium ſeriem à martis paleſtrâ recedendi facultas, aut cupido tibi fuit. Vltra pro tuæ viribus ætatis progrediens aliis ſuper alias expeditiones nullâ obrepente fatigatione ſuſceptis ad antiqua Maiorum tuorum iura recuperanda bellum Allobrogicum ex prioris incendij fauillis conflatum denuo ſuſcitaſti. Tu ipſe DVX conſilio, miles exemplo, ſomni parciſſimus, cibi abſtinentiſſimus, manu ſtrenuus, animo inuictus, ſine æmulo clarus adfuiſti. Quin etiam hyeme ſæuiſſima, algore, & glacie premente niues, nocte, & lunâ ſubluſtri cum dubia caligine loci terror velaretur Alpes ipſi olim formidatas Annibali velut quadrigis vectus igneis velociſſimè ſuperaſti, POTENTIVS ICTV FVLMINEO cuncta obſtantia perrupiſti. Nihil tam altè à natura poſitum, quo virtus eniti non poſſit virtute tua comprobaſti. Tota tui ad Numinis intuitum contremente Italia Vrbes, quæ alioqui ſitu, & opere munitiſſimæ videbantur inexpugnabiles aperto marte inuaſiſti, occupaſti, in ditionem tuam redegiſti. Dubitatione quidem inter illos orta populos an tui de niuibus milites educerentur, an ijs gradibus è cœlo in terras deducerentur. Victor tandem & triumphator Galliæ tuæ tuis in triumphis exultanti, ſimul & glorioſum caput exaltanti reddirus ad Volcicas & Tectoſagas expeditiones animum intendiſti. Hîc ego ſi arces atque vrbes enumerare pergam, quas audaci contumacia tuis parere renuentes edictis MAIESTAS TVA expugnauit, aut corona cœpit, aut ingenioſo ſtratagemate decepit, vel deditione accepit vt ſeruarentur, vel quas non capiendo ſeruauit ANTE DIEM CLAVSO COMPONAT VESPER OLYMPO. Verùm tua me aliò numeroſa vocat gloria: nempe ad fortunatum Hautonici æquoris prælium famulantibus tibi ventis fœliciſſimè confectum, ad claſſes hoſtium ſubmerſas, ad nauales Britannorum copias auxiliares manus Rupellanis porrigere parantes iterum, atque iterum vel in fugam verſas, vel liquentis elementi profundo ſubuerſas, ad frænis & compedibus deuincta maria, ad infeſtos ac infauſtos exercitus finitimis inſulis exactos ad cracinam denique tuo ductu auſpiciiſque ſeruatam, vnde factum vt illæ voces publico conſenſu firmatæ in omnium ore verſentur: Quòd frangas infractos, domes indomitos, vincas inuictos: Quòd SOLVM ET COELVM TIBI MILITET OMNE QVOD CONIVRATI VENIANT AD

CAR-

CARBASA VENTI. Hoc autem ſtrictiùs æternitati iungetur, & dum iſtud naturæ corpus manebit incolume celebrabitur, quod Rupellam multis ante bellorum apparatibus, & Regum inuaſionibus, fruſtra tentatam miſſo ſub tua iuga Neptuno deiectis propugnaculis, operibuſque Gigantum quæ cœlo minari videbantur proſtratis propè impreſſo aratro ad leges tuas, & ſubiugantem cuncta poteſtatem redegeris. Vileſcit omnino tuæ Majeſtati comparatus ille Demetrius à quatiendarum Vrbium forti peritia Poliorcetæ cognomen ſortitus. Ad Tyrum Alexander, ad Syracuſas Marcellus, ad Carthaginem Ibericam Africanus Maior, ad Punicam Africanus Minor, & plerique alij rebus geſtis illuſtres, ac vel maximè operoſi bellatores tibi tam vallis quam Caſtellis circumcludenti perduelles, & tumentem æquoris molem arbitrio tuo ſubmittenti, & manibus fabricata cyclopum mœnia deijcienti ſi componantur idem propemodum erit, ac ſi flammæ Soli opponantur, quarum lumen ad tanti claritatem iubaris infuſcatur. Eas certe victorias hactenus retuliſti, quibus vt fidem adhibeant poſteri laborabit Annalium fides. Eos egiſti triumphos, quos antiquorum Cæſarum nemo potuit adæquare. Stant innumeræ trophæorum tuorum moles amplis gloriæ ſyderibus illuminatæ, quibus vt nunquam lucere deſinant ipſa faces accendit æternitas. Itaque ſi iuxta Priſcorum more m qui ad pedes Deorum monſtra ab illis domita effingebant FATALI PORTENTA LABORE SVBACTA imaginibus, & ſimulachris eximiam oris, corporiſque tui dignitatem referentibus liceat appingere vſque adeo frequentia ſunt, vt nec omnes, quibus natura luxuriat colores, nec æra, nec marmora, quæ tellus ambitu ſuo conſtringit ijs exprimendis poſſe ſufficere videantur. Dum porrò ad ea recenſenda ingenio meo habenas effundere aggredior ſeſe oculis ingerunt meis lymphati furores, neces, inceſtuoſæ libidines, rapinæ, ſacrilegia & VARIARVM MONSTRA FERARVM quæ frendent circa hæreſin, quam pernicioſas ventilantem flammas in ipſo fomite præfocaſti: Quæ fremunt circa Rebellionis hydram de quâ tuis proſtratâ viribus loquor, ira cum Iſocrate in Archidamo eloquor. Pacē repræſentare cōmolitus es; Negarunt Perduelles: Induiſti arma, quibus arma coërceres hoſtium. Steteſti ipſe in acie ὥσπερ ἐν ἀλλοτρίᾳ ψυχῇ κινδυνεύων: velut in alienâ animâ periculum obiens. Atque ita materiam bellorum licentia perditorum, fortunatos eorum euentus Majeſtati tuæ numen propitium dedit. & cauſæ ipſius æquitas. Ecce igitur ob tantam tot monſtrorum ſtragem, quantam ne fabuloſus quidem Hercules edere potuit INDOMITA VIRTVS COLITVR ET TOTO DEVS NARRARIS ORBE: NVLLA TE TELLVS SILET. Vberrimam quidem hiſtoriarum materiam hactenus MAIESTAS TVA huic rerum Vniuerſitati ſuppeditauit, longè ampliorem vtique datura in annorum, quos tibi Neſtoreos voueo, fœlici progreſſu: ſtas enim adhuc in ipſo virilis ætatis vigore: Nondum videlicet plenum iubar tuarum virtutum refulſit: vt Sol quoties ab axe altero ad nos accedit non repente totam ſui vim caloris infundit; ſic TVA MAIESTAS necdum totam illam cœleſtem diuinæ altitudinem mentis exeruit. ET MAIOR RERVM IAM NASCITVR ORDO. Nam Aquilas in gremium tuum deuoluturas, CRESCENTIS CORNVA LVNÆ radiatis Liliorum ſubmittenda floribus, Auguſtiſſimum Redemptoris noſtri ſepulchrum orbi Chriſtiano rurſus reſtituendum, tot denique nationes, quot Solis appulſu colluſtrantur non tam paſſibus tuis, quàm victoriis peragrandas iamdudum plerique diuino afflati ſpiritu prædixerunt. Nec vanum illud eſt, quod ad tua natalitia terram tremuiſſe omnibus numeris abſolutus hiſtoriarum gallicarum conditor meminerit; Quippe quæ tanto Rege omnibus omnium gentium Viris magnitudine ſua caliginem inducturo (quod quondam de Octauio dictum fuit) eiuſque triumphis ſe minorem euidenti declarauit indicio: Sed quò me tandem bellica facinora, quibus toti Mundo illuces enarrare conantem æſtus abripit? Polycriti lacum in-

gredi videor, in quem quò altiùs quis progreditur, eò magis per ſingula momenta ſuccreſcentibus aquis implicatur: ſimiliter enim quò prouehor vlteriùs, eò plura æternæ famæ miracula in latè patentibus Bellonæ campis exhibita ſeſe proferunt, quorum ſpectaculo perfuſus gloriæ militaris exuberantem materiam in ſilentij argumentum vertendam mihi video, vt in ſudo pacis diſpulſa bellorum caligine refulgentes virtutes venerabundus, atque mirabundus intuear. Animaduerto nimirum quantus hic mihi ad dicendum campus aperiatur: ſed non excurram quantùm potero, tum quòd ea pacis ornamenta, quæ nullo elocutionis ornamento ſatis commendari poſſunt aliorum, quibus ingenij mei cedit tenuitas veſtigiis preſſa fuerint, tum quòd omnium infixa pectoribus, & vulgata ſermonibus citra mei calami conatum etiam ignotis phœbeæ lampadi gentibus innotuerint: Non repeto igitur (ne per eamdem lineam ſerram reciprocare videar) Maieſtatem tuam ſanguine, nomine, virtute Chriſtianis adſcriptum faſtis LVDOVICVM contingere. Non replico in Heroicâ indole tua ſpirare adhuc HENRICVM MAGNVM quadriiugo Prudentiæ, Iuſtitiæ, Temperantiæ, Fortitudinis curru ad ſumma fœlicitatis æternæ capitolia euectum, cuius virtutes altè animo impreſſas iconicè adeò exprimis vt de ijs meritò dici queat IVSTA QVIDEM SERIES PATRIBVS SVCCEDERE NATOS. Non memoro vt à teneris annis ad grauiorem quamdam ſcientiam, quæ regimen eſt actionum, atque ad exemplorum notitiam, quæ iudicij norma eſt certiſſima ſine longo magiſterio inauditâ quadam promptitudine, ac ſagacitate perueneris. Non refero, vt belli, pacis, & regni rectè adminiſtrandi artibus innutritus quà vi, quà prudentiâ tenellam præueneris ætatem πρὸς τὸ μαθεῖν, καὶ τὸ παθεῖν ſupra quàm dici poteſt inclinatam: Adeo vt nullus aut ſpei maioris, aut maturioris indolis Princeps poſt homines natos extiterit. Miſſum facio quod ſpretâ ignauiæ dulcedine, ac voluptatis illecebra Herculis Prodicij ſemitam ingreſſus ad ſumma omnia te bono publico natum haud cunctanter καὶ μηδὲν ἀναβαλλόμενος exhibueris. Tua me rapit Pietas non humano, ſed Angelico celebranda præconio, quam tibi fuiſſe congenitam, vel ex eo conſtat, quòd vix dum FIRMIS SIGNANS VESTIGIA PLANTIS contra ſibilantem Hæreſis excetram gladium è vagina eduxeris; Quòd in impios religiosè ſeuerus fueris; Quòd plura bella pro diuini cultus inſtauratione, quàm pro tuendis, ac propagandis imperij finibus peregeris: quòd plures ab aris, quàm ab armis victorias reportaueris. Hinc omnium præliorum ſecundi contingunt euentus: Habes enim illum Genium qui à Numine eſt tibi MAIESTATIS SVÆ VICARIO incubantem, qui dumtaxat quicquid cogitas voluiſque animo quantùmlibet magnum, id euenturum eſſe pollicetur, & certiùs quidem quàm Veſpaſiano apud Iudæam Carmeli Dei oraculum conſulenti promiſſum fuerit. Verè profectò ab ore lacteo eloquentiæ fonte manante pronunciatum fuit. Proſpera omnia colentibus Deos euenire; Aduerſa ſpernentibus. Vt breuiter dicam: tua te Pietas ſemper victorem, nunquam victum in Diuinam prope ſortem tranſcribit: Quandoquidem iure ille proximus Dijs habetur, per quem Deorum Maieſtas vindicatur. Tantæ vero pietati fax amoris diuini prælucet, quæ noctes, dieſque nouis ignium exardeſcens alimentis intima te cœleſtium familiaritate beat. Nec pietate tantùm erga Deum, ſed probitate erga homines ita es affectus, vt in te meritò torqueri poſſit, quod ſummus Dux ille Xenophon de Græcorum ſapientiſſimo Socrate proditum memoriæ reliquit; Quem videlicet adeò religioſum facit, vt ſine conſilio Dei nihil ageret; Adeò probum, vt nemini exigua in re noceret: prodeſſet autem omnibus. Quod enim punctum temporis, aut vacuum laude, aut beneficio ſterile tranſcurrit? Diem cum Tito Flauio Veſpaſiano Imperatore Romanorum te perdidiſſe arbitraris, quo nihil cuiquam præſtas: proinde dum tuæ largitionis imbres emittis, dum effuſa liberalitate bene merentium

voluntates tibi deuincis, dum neminem à te triſtem dimitris, dum humanarum miſetiarum ſolatia ſuggeris, dum ſaluti omnium proſpicis expeditiſſimam ad ſimilitudinem præpotentis Dei viam corripis Ἀγαθοποιεῖν γάρ ἐςὶ φύσις τῦ θεῦ. Iam vero tumpit ſilentium meum & modeſtiam tuam vincit illa mentis puritas, immaculabilis conſcientia, cogitatio ſyncera, quæ admotum etiam diuinis altaribus Pontificem ſacrotum deceat: vrget ſtylum innata tibi, quæ aliis eſt affectata caſtitas, atque maritalis thori nunquam temerata fides: impellit calamum illud opertum tui conclauis, quo non ſanctior ara Veſtalis, non Pontificis cubile caſtius, non Flaminis puluinar pudicius: Quo fit vt lucidæ cœli faces tibi puriùs affulgeant: Etenim PVRA PLACENT SVPERIS. An verò inornatam ſilebo Prudentiam, qua CONSILIVM ET SVOS PRÆBENTE DIVOS ad palmas, & terum petenni ſcriptione propagandarum decora compendiarium carpis iter, nec enim quiſquam ſuperiorum in illa ſede Sacratij tui vnquam dicenda, vel agenda penſiculatiùs cogitauit, aut conſultiùs cogitata diſpoſuit, aut diſpoſita maturiùs expediuit. Huius autem Prudentiæ velut Ariadnæi fili ductu è flexuoſis atduarum terum ambagibus euadis: imò eius beneficio RECTE IMPERARE, quod ὑπερμέγεθες ἔργον maximum, & difficillimum opus appellat Xenophon tibi iam ex conſuetudine in naturam vertit. Huius demum Prudentiæ auſpiciis ἔργα Βασιλέως τρία, θεραπεύειν θεὺς καὶ δικαπολεῖν καὶ ςρατηγεῖν opera Regis tria tibi familiaria facis, quæ ſunt COLERE DEVM, IVDICARE, EXERCITVS DVCERE. Quamvis autem ſatis, ſuperque à te vno ſic ſapias, vt è tuo cerebro Minerua prodire poſſit, nihilo ſecius tamen morum probitate ſpectatos, fide, terumque peritia probatos Adiutores, & Miniſtros ad tui Auguſtalis arcana promoues, qui ſanctis finibus veritatis haud excedentes tam belli, quàm pacis tempore ſalutatis conſilij copiam faciunt. Præſto ſunt Maieſtati tuæ agnati Sereniſſimi Principes, qui tanquam ſtellæ primæ magnitudinis lucent in cœlo Gallicano Liliorum aureis apicibus, velut ſyderibus diſtincto. Nec deſunt ſupremæ Curiæ ſiue Ordines grauiſſimi ob auctoritatem, ſplendidiſſimi ob dignitatem, prudentiſſimi ob doctrinam, rerumque vſum: qui Themidis oracula proferunt. At inter Conſiliarios & Adiutores MAIESTATIS TVÆ MICAT VELVT INTER IGNES LVNA MINORES ILLVSTRISSIMVS ATQVE AMPLISSIMVS CARDINALIS RICHELÆVS Gallici, atque adeo Chriſtiani orbis lucidum decus cœlo nobilitatis ſine vllius degeneris habitus nube, igne pietatis ſine vllius vitij fumo, luce doctrinæ ſine vllius imperitiæ vmbra circumfuſum. Cui INCORRVPTA FIDES NVDAQVE VERITAS QVANDO VLLVM INVENIENT PAREM? Vit eſt vt quidam de Catone locutus eſt Hiſtoriographus Virtuti ſimillimus, & per omnia ingenio Dijs, quàm hominibus proprio, qui nunquam rectè facit, vt facere videatur: ſed quia aliter facere non poteſt; cuique id ſolùm videtur rationem habere, quod habet iuſtitiæ. Vitiis omnibus humanis immunis fo..unam ſua ſemper in poteſtate habiturus. Eius os eſt cœleſte Dei, ruæque Majeſtatis iuge oraculum, Pectus ara Sapientiæ, Mens Conſilij promptuarium, Vita vitiorum cenſura, & ſpeculum integritatis, à qua difficiliùs quam Sol à ſuo curſu dimoueatur; Quod olim Fabricio Pyrrhus accommodauit. Ipſius erga veram religionem ardorem, immenſa erga Regnum Galliæ merita, VIGILESQVE SVO PRO CÆSARE CVRAS PER TITVLOS MEMORESQVE FASTOS tota poſteritas æternabit, egregiaſque illius laudes cæteris ad exemplum in illuſtri monumento ponet. Præſertim vero Muſas ſibi vectigales habebit, quod ei bonarum artium celebrario ſit gratiſſima. Vt Sorbona geſtiens teſtatur, quæ ipſius benefica propenſione puriùs nitet, amœniùs viret, amabiliùs floret, magnificentiùs aſſurgit. Auguſti certè Romanæ ſplendorem vrbis quondam ſibi vēdicantis verba quidni meritò vſurpet? Se Sorbonam inueniſſe lateritiam, marmoream relinquere. Sic igitur Trophæum erigit non è trun-

cis arborum, aut lapidibus, non ex ære, aut victorum spoliis, sed ex ipsa literarum perennitate, & magnorum ingeniis hominum, qui præclaris monumentis suis & laboribus gloriam sibi, & decus comparabunt, Mœcenati autem suo æternitatem parient. Non igitur mirum videri debet quod tantus Heros vt Dei negotium agat religioni prælucens, vt totam Galliam tueatur, bona consilia suggerens, vt de tua Majestate bene mereatur in eius gloriam rerum fœlicissimè gestarum euentus refundens tibi sit acceptissimus: maximum hoc est meritum gratiam inuenisse regnantium. Desistant ergo zoili liuentibus oculis animum eius malignitatis, & calumniæ strepitu maiorem perstringere: Tacitum tacentes audiant, & ad eas redigantur voces. Non est nostrum æstimare REX INVICTISSIME quem supra cæteros, & quibus de causis extollas. Tibi quidem summum rerum iudicium Dei dederunt: nobis obsequij gloria relicta est. Inuictus fortasse ista leges si tuas in manus incidant PVRPVRATORVM PATRVM SYDVS EXIMIVM Sed te vel ideo, quia vitare soles sequentur præconia, neque æternitas magis deerit virtuti tuæ, quàm nunc dignitas. Quid superest nisi vt laudato viro, cuius laudibus omnis est inferior oratio, & quem tua Majestas enixe diligit, & coli iubet ad viam à qua me affectus & cultus ipsi debitus abduxit tandem aliquando redeam, atque à prudentia tua, cuius fulgor non latet quaqua orbis patet ad eximiam animi tui moderationem transgrediar; cuius clauo vtens furentis, aut blandientis fortunæ rides imperium, in vndoso tam excelsæ Dignitatis mari rectum cursum tenes, nec abriperis licentiæ ventis. Cui subinde moderationi æterno & indissolubili copulatur humanitas, vel (vt ita dicam) in tuos exterosque comitas, nisi fortè nouæ ac inauditæ Virtuti nouum nomen quærēdum sit: Admittuntur enim ad sacros sermones tuos cuiuslibet sexus ætatis, & sortis homines: Querelas, & desideria sua promunt non solùm te patienter audiente, sed manu, & vultu, si quos insolens ille splendor percusserit, inuitante: Et iam audent, finemque sermoni suus cuique pudor, non fastidium tuum facit. Vt paucis dicam; natura beneuolentissimus, naturâ beneficentissimus ad omnium tenuitatem teipsum demittis. Eo quod (sicut à sapiente dictum audio) Magnitudinis tuæ seruitutem existimas non posse fieri minorem. Verum licet enarratæ virtutes plurimùm in tuâ Majestate commendationis obtineant; vna tamen præ cæteris elucet mansuetudo. Habes enim à Parente inclyto, vt Regnum cui imperes ita clementiam, quâ ignoscas: Nunquam enim ille victoriæ fructum in vindictæ licentiâ posuit: Animum Victor suum semper exarmauit; Quod nec ipse quidem potuit Alexander. Eodem quoque modo es affectus: nam rapitur ad similitudinem suorum excellens quæque natura, & similitudinem cœlestium refert animorum. Non si mihi centum linguarum fluminibus per meatum irriguis verba fundantur exempla clementiæ commemorare valeam, quæ tua MAIESTAS vel in ipsâ victoriâ, vel iam victrix edidit: Nec enim defuerunt irritamenta seueritatis tuæ aut semina ciuilium motuum, aut inauspicatæ coïtiones eorum. Quos ab officio siue feruida temeritas, siue praua consilia longius abduxerant, aut Rebellium, qui audaci conatu, & sacrilego contemptu diuini, atque humani iuris repagula perfringere non verebantur vehementes emissiones. Sed prudenti moderatione sic omnia composuisti, sic vicisti, vt victis tua profuerit fœlicitas, quibus duntaxat nihil præter iniuriæ licentiam eripuisti. Si qui de statione vitæ deiecti fuerunt, vel grassante vesani rabie Martis abrepti vel tum demum è viuorum numero expuncti sunt, eùm sensisti iuxta mentem Agesilai quàm difficilè foret sapere simul & misereri. Vt rem totam in pauca contraham dicere mihi sufficiat, quod te in offensis exorabilem, in accipienda satisfactione facilem, in reducendis ad obsequium supplicantibus indulgentem, in reconciliatâ gratiâ fidelem semper exibes, & hoc potissimum argumento admirandam esse sapientiam tuam probas, quod plerosque populos

eodem die hoſtes dein eiues & æternâ deuotionis lege tibi manciparos habes: Vt quondam Claudius Imperaror in Senatu Romano Romuli Conditoris Imperij ſingularem prudentiam extollens dixiſſe perhiberur. Res, tempuſque poſtulat, vt à clementiâ quæ dicitur Imperiorum Luna gradum faciam ad eorumdem Solem nempe Iuſtitiam, quæ in omni Regno ſibi regnum vendicat: Hanc porro vtpote perpetuæ commendarionis fundamentum tibi vſque adeo peculiarem arrogas vt IVSTI cognomen tibi tam proprium ſit, quàm paternum nomen, nec magis quiſquam definitè diſtinctéque deſignet qui LVDOVICVM, quàm qui IVSTVM appellat: Qui vero IVSTVM nominat omnium virtutum comitatu ſeptum Principem repræſentat ἐν γὰρ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ᾽ ἀρετ᾽ ἐστί Iuſtitia in ſe virtutem complectitur omnem. Quòd igitur ſis pietate mirabilis, bonitate amabilis, fortitudine formidabilis, continentiâ memorabilis, vigilantiâ ſpectabilis, prudentia venerabilis, clementia prædieabilis: Quod ſis in dictis verax, in factis conſtans: Quod viuas vt Numen, loquaris vt oraculum: Quod dicas optima, faciaſque pulcherrima: Quod quicquid fortiſſimi ab omni æuo Reges togæ, ac ſagi temporibus dignum gloria geſſerunt in te ipſo velut in vna concluſeris imagine, id totum Iuſtitiæ tuæ acceptum eſt referendum. Vtinam rerum natura pateretur (Attice Xenophon) vt in æuum noſtrum venires, qui ad Cyri virtutes exequendas votum potiùs, quam hiſtoriam commodaſti, cum diceres non qualis eſſet ſed qualis eſſe deberet? ſi nunc in iſta tempora procederes, in noſtro LVDOVICO cerneres, quod in CYRO tuo non videre, ſed optare tantùm tibi contigit. Regem ſpectares, cuius ab inimitabili exemplo quicumque Deo proximi cœleſte in terris munus ſuſtinent incitamenta laudis, & virtutis inuitamenta depromere debeant. Proinde mirum videri non debet REX CHRISTIANISSIME, quod Prouinciarum gubernatores, vrbium rectores, legum præſides, populi omnes, quorum vita ſpiritu tuo nititur, ipſi etiam Polemarchi, & milites tuis moribus temperati, tuo exemplo formati, tua prohibitione cohibiti cultu diuino nihil prius, aut antiquius habeant, MONITVSQDE SACROS SVB PECTORE FIGANT IVSTITIÆ: ſiquidem nihil imitantur ſubditi libentiùs, quàm quod à Principe factitari vident. Prope eſt, vt exclames, πάντες πάντα καλῶς ποιοῦσιν ἐπειδὴ σὺ καλῶς καὶ δικαίως ἄρχεις: Quod latinus ſermo ita reſonare poteſt: omnes omnia rectè faciunt, quia tu rectè ac iuſtè imperas: Nec mirum quoque, quòd CONSTET PROBITAS, QVOD EXVLET VETITVM NEFAS, QVOD CVLPARI METVAT FIDES: Quod honor Sacris, reuerentia Eccleſiaſticis, Legibus vis, Iudiciis auhoritas, Ampliſſimis Curiarum Ordinibus dignitas tribuatur: Quod domi ſuas artes exercentibus tranquillitas, peregre proficiſcentibus itinerum ſecuritas, agitantibus commercia fluminum, mariſque commoditas, vnicuique demum certa rerum ſuarum poſſeſſio concedatur: Quod ASPERA COMPOSITIS MITESCANT SÆCVLA BELLIS: Quod Pacis optata ſerenitas affulgeat, quam bonorum omnium copia beato, & pleno cornu affluens excipit: Quod aurea illa ſæcula, quæ non diu Saturno regnante viguerunt tuis renaſcantur auſpiciis: Quod prouidentia tua & fœlicitate prohibeantur potius maleficia, quam patrata puniantur: Quod denique Gallia tua nihil fœlicitati ſuæ adſtrui poſſe fateatur haud mirum videri debet Vereri certè verivetbio acquieſcendum eſt. Debere annorum bonitatem de magnis non tam fructibus, quàm poteſtatibus æſtimari. At enim vero quæcumque hactenus expoſita ſunt Iuſtitiæ tuæ aris, puluinaribus, & flaminibus colendæ fructus exiſtunt euidentiſſimi: Quippe cum ſis εὐδαιμονίας πρύτανις δικαιοσύνης κανών, ἀρίστων παράδειγμα fœlicitatis moderator, Iuſtitiæ norma, optimorum exemplar, fieri non poteſt, quin ea eueniant, quæ aureæ hominibus ætatis accidiſſe cana reſtatur antiquitas. Meritò igitur variarum terræ portionum Dominatores, & populi omnes te INEXPVGNABILE MVNDI PRÆSIDIVM, CATHOLICÆ RELIGIONIS LVMEN, IMPERII GAL-

LICANI COLVMEN COMPOSITIS VENERANTVR ARMIS. Imo profuſa in te liberalitate Dei eo proſperitatis res tuæ ſunt euectæ, vt Regna potẽtiſſima, Reſque publicæ maximæ à te, tuiſque fortunis opẽ petere, nec fruſtra, dubitent. Meritò in tuâ MAIESTATEM tota FRANCIA imò & Europa duplici fertur affectu, venerationis, pariter & amoris: At illa quidem ambigit Dominum ſalutet, an Patrem; Quandoquidem iuxta affatum Agaſiclis Lacedemonorũ Regis haud aliter tuis imperas, quàm Parẽs Liberis. Eoque fit, vt nullo ſatellitio ſtipatus imperare poſſis. NON SIC EXCVBIÆ NON CIRCVMSTANTIA TELA VT TVTATVR AMOR. Meritò quacumque procedis Victoriæ luce rutilans epinicijs, acclamationibus, & gratulationibus turbæ vndique confluentis exciperis. Sydera profectò ſi deſcenderent in terras non eſſent plus venerationis habitura: Veruntamen (quod in Iulio Cæſare ſupra modum Saluſtius extollit) priùs defeſſi ſunt homines cum admirando, tum prædicando magnitudinem animi, clementiam, & æquitatem, quàm tu faciendo, quæ gloriæ ſempiternæ præmio digna iudicantur. Meritò tandem te quicumque inter homines pluribus præſunt, qui leges & iuſſa ponunt maria, terras, pacem, bella moderantur πάντων ἔξοχον ϰ ἀντάξιον ἄλλων ὡς κέντρῳ κύκλος περιγραφόμενος inſpiciunt, atque ſuſpiciunt. Ipſe eum primis Pontifex Maximus tua gloriatur amicitia. Tibi Sereniſſima Venetorum Reſpublica tranquillitatem refert acceptam. Te fœderatarum Prouinciarum illuſtriſſimi ordines ſuæ defenſorem libertatis ore pleno profitentur: Tibi aſſurgit vni quicquid mortalium vbique colitur. Itaque SACRATISSIME REX LVDOVICE tuis virtutibus, quas quidem ſuperiora ſæcula non viderunt, poſteriora magis admirari, quàm imitari poterunt, hoc nouum conſecutus es, vt cum alios Reges à morte veluti Deos cœlum receperit, te iam nũc omnes habeant tanquam præſens, & ſalutare Numen, & inaudita quãdam fœlicitate Virtutem tuam non comitetur immortalitas gloriæ, ſed præcurrat. Quam bellè Horatiani verſus ad Auguſti commendationem comparari tuæ perſonæ conueniunt. PRÆSENTI TIBI MATVROS LARGIMVR HONORES IVRANDASQVE TVVM PER NOMEN PONIMVS ARAS. At quò me tandem calami calentis impetus trahit? Protogenis me vexat morbus: manum de tabulâ tollere neſcio: modum videor excedere; non tamen abſque causâ. Nam μεγάλαι ἀρεταὶ πολύμυθοι: Atque vt pro magnitudine nauium vela, ſic verba debent eſſe pro dignitate perſonarum. Sed iniuria quoque virtutum ſit famam tuam CAPVT INTRA SYDERA CONDENTEM coarctare, & dignam immenſis Annalibus memoriam breuibus paginarum aliquot anguſtiis ſtrangulare. Patiatur autem tua generoſa modeſtia ſe iſto præconio non tam ornari, quàm onerari cedatque non cultui, & affectui meo. Sed Virtuti tuæ, quam plus offendiſſe videor in eo, quod minùs dixerim vbi magis merebatur. Dicendum tamen fuit, tum vt nomine paterno voluntatem tuis addictam meritis, & obſeruantiam promptiſſimam tuæ debitam Dignitati teſtarer, tum vt huius conſecrationem Voluminis aliquo encomio animarem, tum vt palam fieret quàm potentis & ſublimis patrocinij tutelâ fultum iſtud operoſum opus in publicum prodeat, proindeque vel liuoris veneno ſuffuſi zoili vel maledicentiæ aura perfuſi rabioſæ loquacitatis Theones faceſſant, atque ALIO LIVENTIA LVMINA FLECTANT. Ecce igitur (vt ad finem προσφωνήσεως huiuſce ſcriptioni propoſitum ſtyli acumen referam) ſub Auguſtiſſimi nominis tui ſexies, atque ſepties fœlicibus auſpiciis ancipitem iudiciorum aleam ſubitura erumpit ingenij paterni proles poſtuma, quam vt benignitatis tuæ virali zephyro foueas quantâ poſſum animi ſubmiſſione ſupplico. Si annuas; pretium, & commendationem trahet ab authoritate tuâ cui par nulla in terris eſſe poteſt, tum à pulcherrimâ linguarum Latinâ per quam veluti per alueum defluunt è fontibus ingenioſiſſimorum, doctiſſimorumque Virorum Sapientiæ riuuli, atque omnium flumina Doctrinarum, tum denique ab ipſius authoris induſtriâ & bonitate; fuit enim Pater meus quoad vixit factus ad om-

nem

nem humanitatis rationem,& ad omnia obsequij momenra compositus, cibi potusque parcissimus, somni modicus, laboris tenacissimus, deuinciendis animis naturæ quodam artificio aptissimus, ingenij liberalitate, comirate sermonis vltro accedentium studiis opportunus, fidei maritalis, dum coniugij vinculo constrictus fuit, obseruantissimus, eiusdē in aduersis rebus non secus atque in secundis vultus retinentissimus, veritatis, & publici boni amantissimus, pietate erga Deum fide erga homines spectatissimus, imò si diutius vixisset, nam cœlibem vitam quatuordecim annorum spatio duxit, ad cultus diuini mysteria capienda propensissimus: Alieno profestu laboris sui pretium metiens etiam afflicta valetudine docere inter priuatos parietes,& ægrotantibus adesse siue equo siue lecticâ vectus haud destitit, pecuniam, quam nemo sapiens vnquam concupiuit ambiguum an aspernatus fuerit fastidiosius, an in egenos,& pauperes liberaliùs erogarit. Neminem læsit vnquam, læsus omnem statim offensæ memoriam obliuione contriuit. Non caruit inuidis: nulla enim est tam modesta fœlicitas quæ, teste Valerio Maximo, malignitatis dentes vitare possit: sed eius virtus ad posteros durat non peruenit inuidia: & suum cuiq; decus posteritas rependit: Sic homines æquiùs aut benigniùs censentur, cùm homines reliquerunt. Priuilegiis,& honoribus Regio diplomate concessis potitus est, quibus nemini postea successorum frui licuit. Ad extremum bene de patriâ & re literaria meritus vltimam vitæ scenam, Christiano instructus viatico, laudabili coronauit exitu: Et eius quidem interitu quasi telo vulnerata Vrbs Aquensis,& schola Medica mœstissimo vultu diu torpuit. In summa excedens me vnum ex quinque vtriusque sexus liberis superstitem reliquit hæredem: librorum vero typis mandandorum vel duobus Patruis, vel mihi curam voluit incumbere. Cæterum ego ex eius destinatione per huius donationem voluminis redidiuam Patris in filio erga Majestatem ruam venerationem, & obsequium humiliter offero: meque omnia beneficentiæ tuæ qua Genitor meus rem familiarem struxit, nominisque claritatem sibi, familiæque suæ comparauit debere profero. Quicquid in me fuit hæreditario iure transfusum riuuli cuiuspiam instar ab inexhausto munificentiæ tuæ fonte manasse profiteor. Quia vero tua Majestas remunerationis vicem non admittit,& mea tenuitas renumerandi copiam nullam facit, cogor vota rependere, quæ quidem ad ea consequenda tendunt, quæ consentientibus bonorum omnium precibus à Deo postulátur & Iustitiæ tuæ beneficio impetranda creduntur. Venerot igitur DEVM OPT. MAX. vt qua benignitate hactenus cum Majestate tua egit, eadem porrò constárer agat: Vt nunquam de fœlicitatis culmine constantiæque gradu deijciaris: Vt in eodem semper sereno positus recreeris: Vt interritus posita virtuti tuæ agmina,& propugnacula sicut antea factum, prosternas, atque subuertas. Vt omnes malorum insidiarumque procellas vel solo nutu dissipes: Vt per multa lustra orbē Christianū tuis virtutibus illustres: Vt pulchritudinis, & pudicitiæ incomparabilis AVGVSTA PVLCHRA FACIAT TE PROLE PARENTEM, IMPERIVM OCEANO FAMAMQVE TERMINET ASTRIS. Vt tandē aliquádo Delphin oriatur cœloq; soloq; saloq; optatissimus, sub quo dominationis æternæ imperium fulciatur, atq; perenet ad posteros; Vt cœlitus obtineas, quodcumq; PETIS, QVODCVNQVE MERERIS. Vt nunquā disturbato domi, forisq; adorearum tuarū cursu quicumque te hostili aggredictur animo dispereant. Vt deniq; post emēsos Iliacorū Senum annos VNDARVM TERRÆQVE POTENS beatissimis cumulatus laureis in illas æternis syderibus illuminatas domos illatus DIVO LVDOVICO cuius præfers VENERABILE NOMEN. & pietatem refers proximus, assideas, atq; adeo totus orbis eos tibi reddat honores, eaque sacra persoluat, quæ stata quotānis die & tuæ præclaræ virtutes,& Christianæ decreta Reipublicæ reposcent. Quæ omnia consequendi tam certa spes existit, quam libera est perendi deuotio: cum iustitiæ tuæ quidquid optari potest, id omne diuina polliceantur oracula.

Finis Epistolæ Dedicatoriæ.

Ad Authorem

Approbatio totius cœtus D.D. Doct. Medicorum Aquenſ.



NOs facultatis Medicinæ in Aquenſi Vniuerſitate Doctores à Clatiſſimo & Venerabili eiuſdem facultatis Decano conuocati, Librum (cui titulus eſt *Antonij Merindeli Conſiliarij Medici, & in Aquenſi Academia Primarij Profeſſoris Regij Ars Medica, in duas partes ſecta, &c.* perlegimus & accuratè examinauimus: quem ob multiplicem qua inſpergitur paſſim Theologicæ poriſſimum verò Medicæ & Philoſophicæ doctrinæ varietatem, non tantum commendabilem vnanimi conſenſu iudicauimus: Verum etiam dignum, & omnino neceſſarium qui typis mandetur: Cuius fidem facimus ex noſtri nominis inſcriptione, dictæque Vniuerſitatis (ex præſtantiſſimi & Egregij Domini D. Primicerij conſenſu) ſigilli appoſitione. Datum in aula Almæ eiuſdem Vniuerſitatis, Die vigeſima ſeptima menſis Nouembris, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo primo.

GRASSIVS. L. MAISSONERIVS. RIPPERT. H. BICCAISSIVS. FRANCVS.
MARTINY. GEOFFROY. I. CAMPORSIN. SIMON.
I. I. BROGLIA. G. ARLAVD. F. MERINDOL.

Sic ſubſcripti omnes Doctores cum ſigillo dictæ Vniuerſit. *& paulo inferius.*
De mandato præfati Egregij Domini Primicerij, & ſupradictorum Dominorum Doctorum.
I. ALLEGRE, Not. & Secret. dictæ Uniuerſitatis.

NOus Ioſeph Bonfils Sieur de Bous, Conſeiller du Roy, Lieutenant Criminel, Iuge Royal au Siege general de cette ville d'Aix Atteſtons à tous qu'il appartiendra, que Maiſtre Allegre qui a ſigné la ſuſdite atteſtation, eſt Notaire Royal, & Secretaire de l'Uniuerſité de ceſte dite ville d'Aix, aux actes & ſignatures duquel foy eſt adjouſtée, tant en Iugement, que dehors: & pour eſtre la verité telle, auons faict & ſigné la preſente auec noſtre Greffier audit Siege, & faict appoſer le Seau Royal d'iceluy. Faict à Aix le vingt-neufiéme Nouembre mil ſix cens trente-vn. BONFILS. GVIDT. ainſi ſignez à l'original, auec le Seau du Roy en cire rouge.

REGIORVM PROFESSORVM AQVENSIVM, DE ILLVSTRISSIMO Archiatro, D. Merindolo Elogium.

NObiliſſimum Domin. Merindolum, qualem vidimus, qualem audiuimus, & qualem cognouimus fideliter atteſtamur, inter Doctores Medicos Chriſtianos, Archiatrum maximè pium; inter Illuſtres Regios Profeſſores, meritò Principem; inter Theoricos, propè Diuinum, inter Practicos, ſummè excelſum & conſultiſſimum, inter Philoſophos, ſapientiſſimum & ſubtiliſſimum, inter Philologos & Oratores, Tulliana dicendi facundia, & Polidædalæa rerum varietate ornatiſſimum, cuius proinde hæc excellentiſſima opera, Regi chara, nobis deſiderata, poſteris admiranda, omnibus in poſterum, Doctoribus, Profeſſoribus ſtudioſis, Theologis, Iuriſconſultis, Medicis potiſſimum, Philoſophis, Philologis & Oratoribus, ac demùm Doctis vniuerſis in æternum profutura ſtatuimus, ordinamus, prædicimus, & prænuntiamus. Ex Tripode Regio Vniuerſitatis Apollineæ Aquenſis, Kalendis Febr. ann. 1633.

Ita ſubſignati, *Ioannes Franciſcus Broglia, Conſiliarius Medicus, & Profeſſor Regius Primarius.*
Marc. Anton. Deforeſta, Conſiliarius Medicus, & Profeſſor Regius.

In commendationem operum Clariſſ. D. Merindolij.
Anagrammatiſmus.

Antonius Merindolius.
Innuis artem ſine dolo.

Epigramma.

Innuis obſcuram, ſine fraude Machaonis Artem;
Clarus vt eloquio, clarus & ingenio.

In Effigiem Authoris.

Dimidium ſculpſit, quæ dextera Merindolum
Norat quod totum ſculpere nemo poteſt.

Antonij Archiatri Patris in Ioanne Iuriſconſulto filio commendatio Anagrammatica.

Antonius Merindolus.
In nato rurſùm indoles.

Phœnix, flos, ſol.

In nato rurſùm Indoles,
Sic ex vitali funere.
Nouus phœnix exoritur.
In nato rurſùm indoles,
Sic ex odoris floribus,
Fos repullulat redolens.

In nato rurſùm indoles,
Sic lumen ſolis occidit,
Lucemque claram diuidit.
In nato rurſùm indoles,
Sic generoſa in ortus
Semina exurgunt ſuos.

Epitaphium.

Antonius Merindolus.
Sol mundi, annos vertis.
Sol mundi, heu vertis labentes temporis annos,
Perpetua cœlo, ſtabilitate manens.

Marc. Anton. Deforeſta, Profeſſor Regius.

AD CLARISSIMVM DOMINVM DOMINVM Antonium Merindolum, Conſiliarium Medicum, & Primariū Profeſſorem Regium, in Regia Aquenſ. Vniuer. celeberrima qui obijt anno Domini 1624. die 26. Decemb. non ſine publico penè luctu ob inſignem illius, & fœcundam doctrinam comitatem amabilem, ſuauitatem dicendi miram, diſputandi non ſolum ſatrice, ſed ſcientiarum omnium dificillima quæque ſubtiliter, acriter & alacriter enodandi, agroſque curandi ſuauitatem & dexteritatem, & hac è multis aliqua integer ſit annus ſi luſtrem reliqua, integrumque luſtrum ſemper etenim inter magnos maximus habitus fuit quia ingenio penè diuino præditus, rara omnia, admiranda omnia, magis etiam quòd de tam raro & admirando homine, ſcripta talia appareant, relucet ſiquidem doctrina, quicquid induſtria magnitudini adiecit, facit autem magna virtus vilius encomium, & quæ in tenebris diem faciunt faces, Sole lucente languent.

Epigramma.

Delos Apollineam iactet Latonia prolem,
Et magnum falſo prædicet ore Deum,
Noſtra Merindolum merito Prouincia natum,
Et ciuem toto dicet in orbe ſuum,
Archiater ſummos vt Numen quærat honores,
Huic decus egregium Numinis inſtar erit,
Ingenium, ſolerſque animi prudentia rerum,
Aſſiduuſque labor nomen ad aſtra ferent.

H. Bicaiſſius, Doctor Medicus, & Profeſſor Publicus.



IN PERPETVVM FRATERNÆ AMICITIÆ MONVMENTVM hoc Epigramma exarauit IACOBVS MERINDOLVS Presbyter frater addictissimus.

FOelix ô nimiùm fœlix, ludibria vitæ
Tollis, & immites decipis arte Deas,
A te nunc orbis quam pubescentibus annis
Sensit temperiem, colligit ipse senex,
Colligit ipse senex in te sua dona, eadensque
Non secus ac nascens nobilitate viget.

Idem ad eumdem Anagrammata.

Antonius Merindolus Medicus Regius.
Verus es Dei cultor donis nimis magnus.

Antonios Merindolus *M*edicus.
En vir diues omnimodè sanctus.

Anthonius *M*erindolus.
Alis do ventum honoris.

Corporeo liber petituri carcere mundi
Candida vult animus scandere tecta poli,
Nescio quid faustum? ducit sua quemque voluptas;
Suspicor, augurij signa potentis habet.
Non vir, at Angelico volitans Merindolus æstu,
ALIS DO VENTVM (fatur) HONORIS anis.
Idem Iacobus Merindolus Presbyter, & authoris frater.

A MON FEV ET TRES-CHER FRERE MONSIEVR ANTOINE MERINDOL, jadis Conseiller Medecin du Roy, & son premier Professeur en l'Vniuersité d'Aix.

ANAGRAMME.

Antoine Merindol.
La mer en toy inonde.

SONNET.

TOut ce qui est de beau dans la machine Ronde,
Les plus riches Thresors, les prix plus estimez,
Dans le sein de la mer sont enclos & fermez,
Et le tout largement la Mer en toy inonde.

L'integrité des mœurs, la doctrine feconde,
Les merites tres-hauts, le nompareil sçauoir,
Qu'vn chascun voit en toy, nous font apperceuoir,
Que la Mer *des vertus prodigue* en toy inonde.

L'arondelle m'apprend ou ie dois m'arrester,
Qui voulant ses petits aueuglez esclairer,
Recherchoit le secret aux riuages de l'onde.

Mais ores ie la vois de toy ne s'escarter,
Trouuant sans peine en toy, ce que cherchois en mer,
Puisque tous ces Thresors la Mer en toy inonde.
Marcellin Merindol son tres-cher frere.

In immortale Antonij Merindoli *sui Patrui decus, hanc Oden* Mitrius Merindolus *nepos charissimus conscripsit, & consecrauit.*

DOcta coherti chare Merindole,
Æterna nostri gloria sæculi,
Artisque Phœbææ perenne
Præsidium, decus, atque lumen:
Prodire fausto carminis alite,
Audet Nepotis fida Camœnula,
Vt nomen extollat, tibique
Concelebret meritos honores.
Cur hanc sacratis dones honoribus,
Quem pertruentem lumine siderum
Ob tot sibi illatos fauores
Francigenûm caluere gentes:
Et quem solutum carcere corporis,
Chari penates, atque Gallica
Mœrens, & abscissis capillis
Aonidum gemuere turmæ.
Cur non sacratus Pieridum chorus:
Cur non Alumnum Gallia luxerit,
Qui nominis famâ perenni,
Innumeras decorauit œtas.
Olim beatas finitimæ plagæ
Videre dotes ingenij vberis,
Vidique Gallorum propago
Innocuos, dulcesque mores.
Videre quondam Palladis lares,
Vidisque Aquensis purpura, sæpius
Hunc disputantem quæstionum
Haud faciles reserasse nodos.
Hunc vidit ægris Pæonis artibus
Dantem leuamen Natio Gallica,
Morbosque pellentem malignos,
Dum ætheres fruéretur aura.
Olim per almæ climata Galliæ
Nomen volauit [docte Merindole:]
Nunc per remotas nationes,
Docta ferent tua scripta nomen.
Illis leuabunt immedicabiles
Morbos, Britanni, Rætici & Hesperij
At quotquot orbis lustrat vrbes
Luce suâ radiante Phœbus.
Sic fama cuius solius ambitum
Regni subibat, nunc celeberrima
Scriptis [licet liuor repugnet]
Per patulum volitabit orbem.

ΕΙΣ ΤΟΝ ΤΟΥ ΑΡΧΗΓΟΥ ΕΠΑΙΝΟΝ Ἐπίγραμμα.

Ὅστις Παιονίας θηρᾷς τὰ νοήματα τέχνης,
Καὶ κρατέειν αὐτῆς δυσκολιῶν ποθέεις,
Οὐδὲν ἀπεργάζῃ ἀναλίσκεις ἦτε μάταιον
Τὸν κάματον, μὴ ἐὰν δεινᾶ πολυγονὲ ἔχῃς,
Παντοδαπῶν τέχνη λαβυρίνθων ἐστὶν ἐκείνη
Τῶν ἀλύτων πλήρης, καὶ χαλεπῶν ἑλίκων,
Αὐτὸς ἀπαλλάξει πάντων σε Μερίνδολος αὐτῶν,
Εἰ ἀναγιγνώσκων βίβλια ταῦτα πέλῃς.

Μίτριος Μερίνδολος ὁ ἔγγονος τιμιώτατος.

AD LECTOREM. Epigramma.

LEctor, Apollinea vis esse peritus in arte,
Hunc euolue librum :Nam breue pandet iter.
Forsitan Hippocratis legisse volumina dices
Sufficere, his siquidem sat Medicina patet.
Falleris, Hippocratis capies nec scripta vetusti:
Si nouus Hippocrates non tibi præstet opem.
Idem Mitrius Merindolus Aquensis.

AD EVMDEM EIVSDEM OPERIS AVTHOREM.

EPIGRAMMA.

Hyppoliti effrænes populantur membra quadrigæ
  Arte cadit senæ, virginis arte manet
*P*æonio inferna medicamine fugit ab vmbris
  Cæsaque parcarum stamina ludit opus
Tune meos, superum rector; tentare labores
  Ausus, ait: summo num Ioue digna paras.
Haud mora: phœbigenam *M*edicinæ iniurius arti
  Æthneo stigiis fulmine clausit aquis,
Ferrilis in morbis tellus, tamen inscia fati
  Vrgentis viuit, viuet & arte tua.
Corpora vitales spirant morientia flatus
  Fossaque non fœtu præcoce terra tumet.
Fulmen agat superum rector nou flamma minaci
  Sulfureo immotum lumine pectus aget.
Hoc opus æternam retulit (MERINDOLE) laurum
  Et Phœbea procul fulmina laurus agit.

Steph anus Merindolus nepos fidissimus.

CLARISSIMA CLARISSIMARVM VIRTVTVM luce Clarissimo D.D. Anthonio Merindolo, Consiliario & Regio Medico ordinario, necnon in Regia Aquensi Academia Regio Professori primario, patruoque suo colendissimo: Franciscus Merindolus Aquensis Doctor Medicus, & nepos obsequentissimus, sequentia carmina in sempiternum obseruantiæ argumentum consecrauit.

EPIGRAMMA.

Si tulit omne decus qui miscuit vtile dulci,
  Quam magis eximio debet honore frui:
Dulce MERINDOLVS reddens medicamen amarum,
  Proficua donans vtilitate simul.
Dissimili quæ stare loco contraria debent,
  Qui tamen in simili coosociare potest.

ANAGRAMMATA.

Anthonius Merindolus.
Terimus annos in ludo.
In te salus dominorun.

Ferre MERINDOLVM per sydera cesset Aquensis
  Plebs, ostro clari quem coluere Patres.
Desinat ingenio partos celebrare triumphos,
  Qui laurum meritis imposuere comis.
Præmia dum poneret *M*edicis Academia Doctia
  Hunc meritò reliquis præposuisse refert.
Magna loquor, sed vera loquor, producere vitæ
  Arte Machaonia stamina certa potest.
Nec dum vana loquor meeum Prouincia gaudet,
  Indomitam toties hunc superasse necem.
Dum genus omne mali tanquam Panacea fugauit,
  Ægrotisque viris tuta medela fuit.
GVILLELMVS VEREVS nulli probitate secundus,
  Et pietate simul, testificatur idem.
Nec vacuam tum sensit opem BORBONIA proles,
  Cum tulit hunc Medicas applicuisse manus.
Imò semper ouans suitis LODOICVS in armis,
  Hunc voluit summis vioere muneribus.
Iam non plura loquar, nam pergere non datur vltra.
  Hic situs est etenim summus honoris apex.
Plura recenseuit es, IN LVDO PERDIMVS ANNOS,
  Vno cùm verbo dicere sufficiat.
Cunctorum stabilita SALVS IN TE DOMINORVM,
  Hoc nam iure tuum nomen & omen habet

Idem addictissimus & deuotissimus Nepos,
Franciscus Merindolus D. M.

In virulentam huius sæculi luem epidemicè grassantem, effrænatam ac efferatam arguendi licentiam.

Arguit omnis homo, dicteria fundit in omnes,
  Sed meliora tuis scribere nemo valet.
Sunt tot Aristarchi, quos nauis non veheret Argo,
  Nec queat ipse Argus cernere centoculus.
Arguis vt fortasse nimis videaris acutus?
  Arguis argutum te simulare volens.
Arguis haud secus Argi, sint tibi lumina centum,
  Abditiora quibus cuncta videre queas?
Falleris, haud argutus es, haud oculatus vt Argus,
  Sed magis oblonga percipis aure sonos.
Vnum os, sed natura duas tibi præbuit aures,
  Audire vt posses plurima, pauca loqui.

Posuit idem Franciscus Merindolus Aquensis D. M. Authoris Nepos innumeris ipsi deuinctus nominibus.

Sur les Blason & Genie de feu mon tres honoré Oncle.

ANAGRAMME.

Antoine *M*erindol, Docteur, Professeur, & Medecin du Roy.
Son renom suprimé se fera voir du Roy, & de tout le monde.

QVATRAIN.

L'Arondelle qui va d'vn leger & prompt vol,
L'air la porte en tout lieu sur la terre & sur l'onde,
Ainsi le grand sçauoir du Docte Merindol,
Sera bien veu du Roy, encor de tout le monde.

Son tres-affectueusement memoratif nepueu.
MICHEL MERINDOL.

In Effigiem D. ANTON. MERINDOLI.

Qvi toties Medica iam mortem vicerat arte,
Debuit hic ne mori? Virtusque subire sepulchrum?
Eo spectandus adhuc, mentem tibi pagina reddit,
Vocem si quæras, totum implet nomine mundum.

Fr. de Gal. I. V. D.

Clarissimo atque Ornatissimo viro. Antonio Merindolo Doctori Medico Regio, & in celeberrima Vniuersitate Aquensi Professori eruditissimo.

ANAGRAMMATISMVS.

Antonius Merindolus Doctor Medicus Regius.
Coi studiosus, internum dolorem dignè curas.

Clare animo! COI STVDIOSVS, cordibus ægris
INTERNVM DIGNE CVRAS docta arte DOLOREM.

T. Bellonus I. V. D.

AV ROY,
Sur l'œuure de feu Monsieur Merindol.
SONNET.

SErois-ie pas ingrat à la douce memoire,
De ce tien seruiteur, ô le plus grand des Roys,
Si mon vers à ce coup d'vne plus viue voix ,
N'estaloit à tes vœux l'image de sa gloire.
Luy du regne duquel l'enuie la plus noire,
Abbatuë à ses pieds a paru tant de fois:
Et cogneu sous son ioug les immortelles loix,
D'où l'on peut arriuer a l'heureuse Victoire.
Du VAIR, qui cognoissoit son prix & sa valeur,
La despeint mille fois d'vne telle couleur,
Que les marques en sont à chascun eternelles.
Ta Prouence grand Roy mist au iour cet esprit
Qui plus parfaictement qu'aucun autre m'apprit,
Que c'est a la vertu qu'il faut tendre nos ailes.

Non discedat à te Medicus iste, quia opera eius sunt necessaria. *Ecclesiast.* 35.

MICHEL.

AVTRE SONNET.

C'Est en vain que l'effort d'vne humaine soupplesse,
Tasche à guinder en haut l'œuure de Merindol,
Elle seule peut bien entreprendre ce vol:
Mais autre ne luy peut disputer ceste addresse.
Se venter de vouloir luy faire vne caresse,
Et comme au reliquaire appendre vœux au col
Estimant le flatter,c'est à commettre vn dol ,
Qui ne peut proceder que de pure simplesse.
Ce que i'en fay icy n'est que pour faire voir,
Que vain est qui se croit luy rendre ce deuoir,
Presumant à part soy le rendre plus celebre ?
Tout seul il s'est acquis l'œil de l'Eternité,
Son esprit est l'obiect d'vne viue clarté,
Et le nostre celuy d'vne morne tenebre.

In omnem terram gloria eius. *Psal.* 56.
MICHEL.

ANTHONII MERINDOLI
ÆTERNATVRÆ MEMORIÆ.

MIrabar vicibus gratis dum soluerer ora,
Doctrinæ & fluerent flumina læta simul.
Arte Machaonias quantas tractauerit artes,
Est mirata suo patria sæpe bono,
Et quàm mira foret,facundis gratia dictis,
Sensit,mirandas & pietatis opes.
Hoc fateor,nobis populo nec maius Aquensi,
Et decus,& munus sanus Apollo dedit.
Exeat angustis Saliorum nomen ab oris,
Lustret & eoas,occiduasque plagas,
Et pateant monumenta,quibus notat ordine causas
Morborum,mitis sanat & ipse modis:
His quod Apollineum,tellus capit,aër, & vnda
Explicat,& mira dexteritate docet,
Indolis vt miræ Merindolus omnia mire,
Soli quam mirum est ? omnia mira viro.

Gregorius Francus Med. Doctor

Ad Perillustrem, & Excellentissimum Philosophum, & Principem Medicum, ANTONIVM MERINDOLVM Aquensis Academiæ Primarium Professorem Meritissimum.

EXtincti,qui scripta viri, iam cernere credis,
Hunc viuum aspicias, nec moriturus erat ?
Omnis cum virtus sit semper nescia mortis,
Verus virtutis , cur periisset honos,

AD EVMDEM.

Frumenti cum grana,suum nisi mortua fructum,
Donent: maiores mortuus iste dabit.
Nam si Galeni quæras pulcherrima quæque,
Quod scripsit vides, hæc habet , illud opus,
Optas Hipocratis diuini dogmata : voluas
Hæc modo,& in istis,omnia conspicies
Tam docta conscripta manu,vt iam dicere possim
Absque Merindolo sit Medicina dolus.

AD EVMDEM.

Est hic Hippocrates,est hic Galenus,& iste ,
Doctrinam amborum cerebro coniunxit in vno.
Alexander Martiny D. Medicus.

Ad honorem Authoris.
ANAGRAMMA.
Anthonius Merindolus.
Vt in sole hirun do manes.

ÆTheteos habitu quoties spectamus alumnos
Versicolore oculis gaudia læta dare,
Florida quàm varij sensim per prata vagantes
Dulcisonis hominum cantibus ora trahunt;
Vana loquor,fugiant volucres tot,sufficit vna
Præstans quæ reliquis Solis amica venit:
Iucundi lassas pennas post,nuncia Veris
Sistit,& ad tempus cantica grata refert;
Hæc simul anginâ moribundis,corpore sanam
Suppeditans vitam mortua viuit auis.
Garrula prolific: multos quot Apollinis actus,
Morborum curæ,scripta tulere virum ;
Æui solus amor,dignabere lumine libri.
In sole vt solis nuncia *Hirundo manet.*

ALIVD.
Antonius Merindolus.
Honos,vt mel arundinis.

IAm satis externæ gentis mirata triumphos,
Huius et egregios Gallia cerne viros.
Eminet Arelatis Laurentius,hic pater alter
Quem sua commendant scripta Valeriola.
Sammaximinum Fontano gaudet alumno,
Sic Constantinum turba Senensis amat :
En celebris Salium quem Curis vidit ouantem ,
Pulcher & Archiatrum vidit Apello suum.
Solus Aquis stat *honos* nunc, *vt mel arundinis* herbis,
Funera post cuius nomen in ære micat.

ALIVD
Antonius Merindolus.
Drys,anthos,vnio,lumen.

SVnt bona nobilitas & opes , doctrina, venustas,
Quæ gens,fors,animus corpus habere queunt :
Nobile tot paucos ditauit honoribus æuum,
Innumeros postquam sæcla tulere viros
Vni mira patent *drys* , & *vnio*, *lumen*, & *Anthos*
Fulgebunt cuius semper in ære bona.
Spiritus Figurat, Medicinæ Doctor Carpentoractensis.

Ad authorem Epigrammata.

In Authoris opus
Hendecasyllabum Encomiasticum.

FOelix progenies prioris æui,
Fœlix sors hominũ: dolo priusquam
Proles Iapeti tulisset igues
Terris sydereos insuspicatis.
Tunc robusta parens dolore partus
Haud effœta graui, valentiores
Edebat pueros, magis torosi
Florebant iuuenes, senésque crudo
Perfuncti senio, suas quieti
Tradebant animas beatiori.
Sed post ætherens faces quadrigis
Subductas, macies, febris, synanche,
Hydrops, psora, fames canina, pestis,
Morborumque phalanx atrociorum
Vitæ corripuit gradum fugacis.
Nec tantùm proauos, sed & parentes
Hæc infensa nimis cohors malorum
Orci præcipites adegit antris:
Grassaretur adhuc lues cruenta,
Sed nos incolumes tuísque firmos
Seruas præsidiis (MERINDOLE) artis
Coltor Pæoniæ sagax, fidelis
Naturæ genius, recens Prometheus,
Qui mentis radios sagacioris,
Cœlestique animam trahens ab axe,
Solerti haud luteam manu figuram
Formasti, sed opus labore dignum
Plusquam Palladio tuum peregit
Sublime ingenium, quod & salutis
Commune hospitium patebit ægris,
Et sanos placida fouebit aura.
Nam quicquid *Medicis* latet venustum
Priscis codicibus, nouísque, paruis
Totum id limitibus suis coarctat.
Hic naturam hominis magis decoro
Circunfusam habitu lubet tueri:
Hic lætas acies status salubris
*D*igestas meliùs, nouísque morbos
Spectas cassidibus superbientes.
Hic lucent critici dies, futuri
Vates interitus, sed & salutis
Præcones reducis magis suaues.
Mentis lintre leui periculosum
Perlustrare salum placet medendi,
Occurret Methodus graues repellens
Errorum scopulos, priusque nulli
Compertas, faciles vias docebit.
Hinc ceu Oceano fluunt onustæ
Naues præsidiis, quibus rebelles
Morborum domitæ cadunt cateruæ
vis doctis animum polire dictis,
Hoc sit *Doctor* Opus, nitentiore
Tergens eloquio rudem prioris
Secli barbariem: cupis mederi,
Non quæras aliud malis asylum;
*C*oi namque senis, *D*eique sacras
Æquat Pergamei domos medelis.
Sed quid plura tuis camœna tentas
Angustare modis, sat est camœna,
Venali haud opus est mero corymbis.
Sic splendens proprio liber nitore,
Ornatuque suo satis coruscans
Vltra carminibus coli recusat.
Si laudare tamen negatur vltra
Exclamare licet, nimis beata
Quæ te nostra tulit (recés *Prometheus*)
Quæ te nostra habuit (Merindole) ætas.
*A*ntiquum Iapeti genus figuram
Inspirans luteam, suos cruentæ
Imprudens dederat neci nepotes.
Tu præclaro Operi tuo recondens
*D*iuini ingenij potens acumen,
Hoc non tantùm animas, sed & futuræ
Vitam prosapiæ paras perennem.

N. THIBAVLD Lingonensis D.M.

LVDVS ACROSTICVS ALLEGORICVS
in Authorem, ex Anagrammate.

*A*ntonius Merindolus. *Nitens Domini Laurus.*

Alcidæ hoie chara est arbos, frons Cypridis illi,
Nec tamen aut myrthus fuit hic, aut populus ille.
Tu Lauros non tantùm adamas (*MERINDOLE*) laurus
Omine sed fausto sata frondes, mystica Daphne.
Nullas excoluit similes Sicyonia, nullas
Ida pares, nullas Permessidos alluit vnda:
Vnica nam *Phœbi* te seuit dextra, suasque
Strauit natales tellus tibi *Delia* sulcos.

Mille tuo saliunt querulo de stipite rami,
Et dulci (mirum) crepitantes murmure, voces
Reddunt Phœbeis similes: miratur Apollo,
Inspiratque animum, & sortes dat nosse futuras.
Nitens sic *Domini Laurus*, tu robora vincis
Dodonæa, tuis cedunt oracula dictis.
Omnibus vna malis nunquam *Panacæa* mederis,
Lauros *Apolinææ* decus artis: fructibus ætas
Viuit nostra tuis, quidni? tu *Phœbicus* Laurus,
Si sator est Phœbus, Phœbum virtutibus æquas.

In eundem. Distichon.

VIuit, non vixit, viuit post funera, cuius
Frondentem Laurum nulla laeesset hyems.

Hæc suo & præceptori, & ad Doctoratus lauream Compromotori Meritissimo, meritorum memor posuit.

Idem N. THIBAVLT. Lingonensis. D. M.

IN LAVDEM D.D. ANT. MERINDOLI.
Alchaicum Carmen.

COeleste Numen, sydus & aureum,
Æterna suprà culmina collocet,
Totum leuamen languidorum,
Phœbigenam celebret vetustas.
Chirona summis Græcia laudibus
Tollat, herbsuo gaudeat Istria:
Sacco Thadæo, glorietur
Hesperiæ populus superbæ.
Intrà patentem nobilis ambitum
Artis peritos, Gallia plurimos
Fœcunda nutrit nutrietque
Dum radians aget axis orbem.
Quos inter omnes, arte MERINDOLVS
Clarus medendi, Sol velut aureus
Virtute, doctrina, labore,
Enituit, nitet, & nitebit.

H. Corren D. M. Turr-Aquensis.

PARAPHRASIS.

In Anagrammata præstantissimi D. D. Merindoli D. M.
Antonius Merindolus.
En viris dono salutem.
Mundi sanos intuetur. *Limine nudos saturo.*

ALLVDIT.

OMen prædixit dudum tibi sacra futura
Biuts dei: ô tandem præsaga lingua virum?
*P*ræsaga venturi natalia nomina fructus?
Nam tu quam ipse colis te *M*edicina colit.
Offert illa tibi Medici prudentia pollos,
Ac Angues, cunctis eum medeare viris.
Hoc rutum est *Anagramma Viris en dono salutem*?
Scimus, te pariter sanus & æger amant.
Nam curas ægrum, sanique tuere salutem,
Huncque vides, morbo ne redeunte, cadat.
Ergo dicit adhuc conuersum anagrammate nomen,
Hic *Mundi sanos intuetur* quot erunt.
Nec magis ægrotis prodes medicaminis arte,
Quàm tua pauperibus subuenit ipsa manus,
*E*st pietas, etenim *saturo* inquis *limine nudos*.
Heu sic arte colis quos pietate iuuas.

Tuus ex asse F. TRASTOVR.

INDEX
TRACTATVVM, LIBRORVM
& Capitum prioris Partis Artis Medicæ.

Præfatio.
Prolegomenon. Liber singularis. fol. 1.
De ortu & progressu Medicinæ. cap. i. fol. 2.
De definitione Medicinæ. cap.ii. fol. 3.
Sit ne Medicina ars, aut scientia, & qualis. cap. iii. fol. 4.
De obiecto, & fine Medicinæ. cap. iv. fol 6.
De partibus Medicinæ. cap. v. fol. 7.
De antiquis & recentioribus Medicorum sectis. cap. vi. ib.
Qualem Medicinæ Tyronem, Medicumque esse oporteat. cap.vii. fol. 9.
Artis Medicæ Pars prior: Theorica. fol. 13.
De his quæ ad corporis humani naturam pertinent. Tractatus primus. fol. 14.
De Elementis. Liber primus. fol. 16.
Quænam ea sint, & quot, quæ corporis humani elementa dicuntur. cap. i. fol. 17.
Quæ, & quot qualitates, ac quomodo insint in elementis. cap.ii. fol. 20.
Quæ qualitates in specie insint in singulis elemẽtis. c.iii. f.21
An elementariæ qualitates eiusdem denominationis, in quocumque subiecto insint, sint eiusdem speciei. cap.iv. f. 25.
An qualitates elementorum sint eorumdem formæ substantiales. cap.v. fol. 26.
Quomodo elementa ad mixtorum generationem concurrant, vtque in illis maneant. cap.vi. fol. 27.
Quid sit reactio; & num possibilis ea sit. cap.vii. fol. 29.
Quid dicatur antiperistasis, & quæ sit illius ratio. c.viii. f.32.
De Temperamentis. Liber secundus. fol. 35.
Quid sit temperamentum. cap.i. ibid.
De temperamentorum differentiis. cap.ii. fol. 37.
An detur aliquid temperamentum ad pondus. cap.iii. f. 39.
Qualis sit, & quibus indiciis dignoscendus temperatissimus homo: & qui intra limites sanitatis, ab eodem, huic inde recedunt. cap.iv. fol. 41.
Quæ sit vtriusque sexus temperatura. cap.v. fol. 43.
De ætatum temperatura cap.vi. fol. 44.
De varia climatum temperatura. cap vii. fol. 46.
De quatuor temporum anni temperatura. cap. viii. fol. 49.
De partium nostri corporis temperamento. cap.ix. fol. 52.
De singulorum principalium membrorum dignoscendis temperamentis. cap.x. fol. 55.
Quot modis quidpiam dicatur calidum, frigidum, humidum, & siccum: & qui sint primarum qualitatum principes effectus. cap.xi. fol. 71.
De qualitatibus temperiem sequentibus. cap.xii. fol. 76.
Quibus viis in notitiam veniamus primarum qualitatum prædominantium in mixtis. cap.xiii. fol. 78.
Quot sint saporum genera: & quas qualitates ex primis, quosque substantiæ modos singuli sequantur. c.xiv. f.82.
De humoribus. Liber tertius. fol. 85.
Quid sit humor: & num in corpore humano certi quidam insint congeniti humores. cap.i. ibid.
De humorum numero, & differentiis. cap.ii. fol. 87.
De secundis humoribus. cap.iii. fol. 90.
De sanguine. cap.iv. fol. 92.
De pituita. cap.v. fol. 95.
De Bile. cap.vi. fol. 98.
De melancholia & atrabile. cap.vii. fol. 100.
De sero, & ichoribus. cap.viii. fol. 103.
De vaporibus, & flatibus cap.ix. fol. 104.
De multiplici humorum mixtione. cap. x. fol. 106.
De materialibus humanæ generationis principiis; semine, & sanguine menstruo. Liber quartus. fol. 108.
Quænam sit seminis materia, & qua in parte id perficiatur. cap.i. ibid.
Vtrũ semen ex fœmina æque atq; ex viro decidat. c.ii. f. 112.
Quænam sit prolifici seminis forma: & quis formationis fœtus Author. cap.iii. fol. 114.
Vnde fœtuum ad parentes similitudo, aut dissimilitudo in conformatione & temperamento nascatur: atque ex quibus causis monstra generentur. cap.iv. fol. 120.
De sanguine menstruo. cap.v. fol. 123.
De conceptione. cap. vi. fol. 128.
De ordine formationis fœtus. cap.vii. fol. 130.
Intra quod tempus humanus fœtus animetur. c.viii. f. 134.
De facultatibus, & actionibus. Liber quintus. fol 139.
Quænam sit corporis humani substantialis forma, & quæ illius primariæ facultates. cap.i. ibid.
Quomodo animæ potentiæ, ab anima, & inter se distinguantur. cap.ii. fol. 141.
Cur certis quibusdam membris, & quibus, facultatum principatus tribuatur. cap.iii. fol. 143.
De facultatibus naturalibus. cap.iv. fol. 145.
De vitali facultate. cap v. fol. 154.
De pulsus natura, & differentiis. cap.vi. fol. 155.
De pulsus differentiarum causis. cap.vii. fol. 164.
De respiratione, eius differentiis, & causis. cap.viii. fol. 171.
De facultatibus animalibus. cap.ix. fol. 175.
De voce & locutione. Caput x. fol. 183.
De calido innato, & humido primigenio. Liber vi. fol. 190.
Quid vita: & quanta sit ad illam tuendam caloris necessitas. cap.i. ibid.
Qua ratione calor, & calidum, ab inuicem distinguantur. cap.ii. fol. 192.
Per viuentium corpora & calorem diffusum esse, & quidpiam quod calidi nomen mereatur. cap.iii. fol. 193.
Quid innatus calor, calidumque innatum antiquis esse dicatur; quantumque illi tribuatur. cap.iv. ibid.

Quotuplex

Index Tract. & cap.

Quotuplex in nobis calor esse dicatur: & quomodo ab inuicem differant. cap.v. fol. 195.
Quotuplex sit in nobis calidum, & qua ratione inter se distinguantur. cap.vi. fol. 198.
Quæ sint caloris, calidique innati legitimæ dotes. c.vii. f. 201
Quanta sit humidi ad vitam necessitas. cap.viii. fol. 204.
Quotuplex sit in nobis humidum. cap. ix. fol. 205.
Quale sit in nobis humidum quod primigenium, & radicale appellatur. cap.x. ibid.
An calidum innatum, humidum radicale & primigenium depopuletur. cap. xi. fol. 206.
An ex alimentis humidum aliquod primigenio æquale restauretur. cap. xii. fol. 208.
Quid mors: & quomodo hominem ab interno principio mori contingat. cap. xiii. fol. 213.
De spiritibus. Liber septimus. fol. 216.
Quid id sit, quod spiritus in nobis appellatur. cap. i. ibid.
Quotuplices sint in nobis spiritus. cap. ii. fol. 217.
Num spiritus influentes sint animati & luminosi. c.iii f. 219.
Ex quibus, & quomodo, spiritus generentur. cap iv. fol. 221.
In quos vsus spiritus in nobis destinentur. cap. v. fol. 226.
De sanitate, & optimo corporis habitu. Tractatus secundus. Liber vnicus. fol. 229
Quid sit sanitas, & in quo consistat. cap.i. fol. 230.
Quæ sit omnium optima constitutio. cap.ii. fol. 231.
Quæ ad longiorem vitam optima sit constitutio. c.iii f. 233.
Quæ ad corporis robur maximum aptissima sit constitutio. cap.iv. fol. 235.
Quænam corporis constitutio ad ingenij præstantiam maximè valeat. cap.v. fol. 236.
Qui faciliùs, qui que difficiliùs ægrotent, cap.vi. fol. 243.
An detur aliqua constitutio neutra. cap vii. fol. 245.
De morbo, morborum causis, & symptomatibus: deque morborum iudiciis in vniuersum. Tractatus 3. fol. 245.
De natura & differentiis affectuum præter naturam. Liber primus. fol. 252.
Quid sit morbus. cap.i. ibid.
De primariis, & essentialibus morborũ differentiis. c.ii. f. 257
De secundariis, & accidentalibus morborum differentiis. cap. iii. fol. 262.
De causis morborum in genere. cap.iv. fol. 270.
De primarum differentiarum morborum causis. cap.v. f. 273.
De causis secundarum differentiarũ morborũ. cap. vi. f. 275.
Quid sit symptoma, & quotuplex. cap.vii. fol. 284.
De generalibus symptomatum causis. cap.viii. fol. 287
De indiciis morborum. Liber secundus. fol. 291.
De signis in vniuersum; & signorum fontibus. cap.i. f. 291.
De pulsuum significationibus. cap.ii. fol. 294.
De signis ex respiratione sumptis. cap.iii. fol. 297.
De sudore. cap.iv. fol. 299.
De sputo. cap iv. fol. 304.
De vrinis. cap.vi. fol. 306.
De egestionibus. cap.vii. fol. 38.
De signis coctionis & cruditatis. cap.viii. fol. 313.
De signis futuræ salutis. cap. ix. fol. 315.
De multiplici morborum exitu. cap.x. fol. 317.
De crisibus. cap.xi. ibid.
De diebus decretoriis. cap.xii. fol 330.
De signis criseων, & speciẽ criseos indicantibus. c.xiii. f. 336.
De simplici morborum solutione. cap.xiv. fol. 338.
De terminatione morborũ, quæ fit per decubitũ. c.xv f 339.
De morborum permutatione, seu metastasi. cap.xvi. fol. 343.
De signis lethalibus, aut periculũ portẽdentibus. c.xvii f. 344
De vniuersalibus præceptis ad prognosim rectè instituendam necessariis. c. xviii. fol. 349.
De vitalibus & non vitalibus hominum partubus. Exercitatio prima fol. 355.
An fœtus in vtero respiret: & de vagitu vterino. exer. ii. f. 372
Quid monstra, quæ ex plurium coagmentatione coiuisse apparent: vnum aut plura esse discernantur. exer. iii. fol. 375.
De possibili sexuum metamorphosi. exerc. iv. fol. 382.
Quomodo ferino sanguine epoto, homines ferinos mores induant. exerc. v. fol. 386.
Cardiacam gemmarum facultatem, non aliundè quàm ab elementorum crasi pendere. exerc.vi. fol. 390.
Purgationẽ non attrahẽdo, sed irritando fieri. exerc. vii. f. 395
An febrientibus pisces in victu concedere permittatur. exercitatio viii. fol. 401.
An sint aliquæ medicamentorum facultates occultæ. exercitatio ix. fol. 405.
Num liceat periaptis, seu amuletis ad morborum curationem vti. exercitatio x. fol. 411.

FINIS.

Author ad Librum.

Ex Darete Phrygio, Cornelio Nepote Interprete.

Viue Liber, liberque vige: Sed si qua nocebunt,
Disce libens liuore nihil sublimius esse,
Cùm tibi mordaces obliquent læua cachinnos
Murmura, cùm cupiant linguis lacerare prophanis.
Sis vtinam inuidiâ dignus quæ summa lacessit,
Quam pascit præsens, extremàque terminat ætas.

Ad Lectorem.

Si quid (Amice Lector) errore, aut negligentia, in hæc aut quæcumque à me fuerint scripta, irrepserit; quod Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ decretis aduersetur: Id totum vt indictum, in saniorem sensum conuerti, & emendari, supplex expostulo. Ea verò in quibus liberum est Philosophando exercere ingenia: non ante damnari rogo, quàm sint maturè excussa. Hoc te monitum volebam. Vale.

PRÆFATIO.



VAMVIS ingens illa sciendi cupiditas quæ humanæ menti indita à natura est, pro varietate ingeniorum, diuersarum inferat desideria scientiarum: Nulla tamen disciplina est, quæ & gratiâ, & fructus vbertate, ingenuas mentes ad sui contemplationem Medicina potentius alliciat. Gratiâ quidem, quod ea sanquasi ambitu rerum omnium naturalium quæ vel hominis compositionem ingrediuntur, vel illi ad tuendam sanitatem, morbosque pellendos inseruiunt, cognitionem amplexa: de his tractet, quæ humani intellectus in corpore adhuc commorantis sphæram non prætergressa, & nobis maxime familiaria, quosque mirum in modum delectare consueuerunt. Fructus vero Medicina ex eo multè fœcundior est, quam cæterarum: quòd ea non solàm mentem vberrimâ rerum cognitione illustret, sed vitam præterea sanitatemque tueatur: quibus nec suauius, nec charius quidquam quo fruamur, inuenitur. Quæ cum cum benè natis ingenijs mirum Medicinæ amorem imprimant: quadam tamen abortiua reperiuntur, quorum tanta est malacia, vt hoc suauissimum humanæ mentis pabulum, & gratissimam intellectûs tam speculatiui quàm practici obiectum, velut ingratam animosam escam dedignentur. Nec mirum, par est scientiarum ac condimentorum sors. Quod vni sapit, displicet alteri. Imò cùm sanis omnibus ea quàm maxime grata sint quæ cum suaui dulcore lenem acritudinem molliter conuellentem sortiantur: in quibus irritati palato gratia vtili nutritioni consociatur. Eadem tamen nonnullis quorum gustus in vitio est, fastidium pariant: qui acerbis, aut amarulentis magis delectantur. Sic Medicina scientiarum omnium præstantissima, quam omnes rerum pulchrarum cognitione delectati colant, & venerantur, à segnioris ingenij plurimis despicitur. Qui ad rerum naturalium cognitione improbo quocumque labore peruenire non posse existimantes: perperam rerum tam occultarum studio homines insudare, & Sisyphi saxum voluere existimarunt. Alij sanitatis perseuerantiam, & morborum curationes, naturæ cuiusque viribus contingere, vel summi rerum omnium gubernatoris fauore potiùs, quàm artis operâ aduenire rati: Medicos vanâ iactatione ea suæ arti tribuere arbitrantur. Præsertim cum Medicorum plures garrulos, & pollicitatores, quàm doctos, & promissorum executores experiantur. Sed hos etiam ad saniorem mentem redituros spero, si cogitent aliquando hominem corpore & animâ constantem, teneri ad animi culturam operam aliquam conferre, vt ad corporis cultum plurimum laboris impendit. Atque vt corpus fouemus alimentis, roburque eidem varijs exercitationum generibus acquirimus: sic animis sua alimentâ, & exercitia deberi. Animorum autem alimenta non alia sunt, quàm diuinarum humanarumque rerum cognitiones, quarum vbertate & libera pastione quasi saginantur mentes: vt exercitia, sunt meditationes cognitorum, & intellectûs reflexiones, quibus νοητήριον ingeniumque acuitur, atque firmatur. Quoniam verò quæ ad Deum pertineant captum nostrum excedant, nec illa vlterius inquirere tutum est: quæ prout nobis Deo reuelante & Ecclesia dictante per fidem suggeruntur. Si alicubi liberis pasci iuuat, vberrimi patent Medicinæ campi. Hic quæ hominis tùm, seu corpus, seu animam ipsam spectent, accuratissimè examinantur. Cœlorum etiam humana corpora multiplici influxuum varietate immutantium cognitio, mutui nomine expostulatur. Elementorum natura, facultates, concursus ad mixtionem, & temperamenta inquiruntur. Fossilium, metallorum, plantarum, & animalium natura, ac qualitates expenduntur, vt his, vel medeamur morbis, vel alamur. Quòd si in his inquirendis afflictio quædam est, vt inquit Ecclesiastes[a] eam ipsam dedit Deus filijs hominum, vt distendantur in ea. At hic impensus labor, suauissimus est: cuius opera, in eo quisque cæteris excellentior reddi potest, quod in homine summum est, discursus scilicet & ratio. Neque quidquam in nobis reperitur, quo propius ad Dei naturam accedamus: quàm intellectione, & rerum quæ in mundo sunt cognitione. Quanta verò ex operibus medicis emergat vtilitas, mille experimentis quotidie comprobamus. Licet enim Hippocrate[b] teste, naturæ plurimorum morborum sint curatrices: multa tamen molitur ars, quibus præstandis impar natura foret. Ossa dearticulata nunquam natura reponit: quæ ars sua sedi restituit. Intemperies æquales, & febres hecticas semel impressas emendare natura non valet: ars opportune potest. Venenorum perniciem, & virulentes ferarum morsus, vix vnquam natura aut reprimit aut sanat: quibus tamen ars tempestiue quæsita, alexiterijs subuenit. Mitiores autem affectus quos per se sanore: therapeia breuiore tempore curat. Dolores quos pene solos vulgus morbos appellat, Medicus celerrime phlebotomia, linimento, aut cataplasmate demulcet: quos ægri tolerantia per plures dies experiretur. Deus verò omnium bonorum author, & à quo omnis medela est: Medici etiam operam ad ia-

[a] Cap. 3. ver. 10.

[b] Lib. 6. Epid. sect. 5. tex. 1.

nandum

nandum interuenire voluit, nisi quempiam ex priuilegio miraculose sanet. Qui Medicum cum propter necessitatem creauerit, [e] *& dederit hominibus scientiam vt honoretur in mirabilibus suis: illi etiam, vt infinitæ suæ bonitatis ministro, honorem præstari iubet. Vtque à ligno indulcata est aqua amara: ita & morborum sæuitia medicamentorũ ope, Deo cooperãte mitigatur. Quæ cùm de terra creauerit Altissimus, vir prudens non abhorrebit illa. Quod si nonnulli Medicorum nomen vsurpantes, imperiti tamen, & circumforandi periculis plurimorum discant, & experimenta per mortes agant, vt aiebat Plinius* [d] *aut sceleratâ etiam malignitate infames, aucupandæ magis pecuniæ, quàm sanandis ægris intendant: vitia hæc sunt aliquorum artificum, quæ artis dignitati nihil detrahunt. Plerique enim reperiuntur Archiatri doctrina & probitate excellentes, seu intra Palatium militantes, quos curiales & aulicos vocant, seu primarij inter illos qui in ciuitatibus Medicinam faciunt, quos ἐπιδίφριους & curules seu curru vectos aut sella gestatos vocat D. Cyrillus Alexandrinus:* [e] *qui decori sunt arti, & plurimis earum operâ vtentibus magna sunt emolumento. Nulli tamen vitio dandum est, modo quæ artis sunt exequatur, si morborum vehementiam superare aliquando nequeuntes, aliquos ab interitu seruare non possint. Non enim Medico imputari euentus mortalitatis debet, vt dicebat Vlpianus* [f]

> Non est in medico semper releuetur vt æger:
> Interdum doctâ plus valet arte malum. [g]

Vulgus autem bifariam hic peccat. Nam cuicumque Medicum se professo & curationem pollicenti, quamuis agyrtæ credit: adeo blanda est sperandi pro se cuique dulcedo [h] *de consilijs autem, non aliter quàm ex euentu iudicat. Vsu enim receptum est* [i] *vt qui rem aliquam non rectè aggressi, tamen feliciter perficiunt, optimo consilio vsi existimentur: alij contra stultitiæ culpentur, cùm re optime deliberatâ, voti compotes facti non sunt. Satius enim foret, & peritos præ agyrtis eligere, & probis potiùs quàm suspectæ fidei viris se cõmittere: ac tali Medico tamquam amico confidenda, rem totam illius credere eruditioni, prudentiæ, probitati, & sedulitati. Nam & hæc omnia requiruntur in Medico. Ne verò imperitia vel malitia quarumdam in ciuium & reipublicæ detrimentũ cedat: ad Magistratus pertinet æque in malos atque in imperitos aduertere. Cum enim sint latæ leges quæ inscitiã puniant capitalem & earumdem authoritate imperitia culpæ annumeretur* [k] *Non desunt quæ malitiam castigent.* [l] *Sed si quid ab ægris peccatum est, aut ab assidentibus casu, imprudentiâ, aut temerario ausu admissum: mala quæ inde superueniunt, non sunt medicis imputanda. Non solum enim seipsum præstare oportet opportuna facientem, inquit Hippocrates:* [m] *Sed & ægrum, & assidentes, & exteriora. Quæcumque verò artificibus iure aut iniuriâ imponantur: ars semper errorum est nescia. Quæ si erraret aliquando, iam ars non foret. Ea quidem coniectandi occasionem artificibus plerumque præstat: quòd quæ illa in vniuersum decernit, hi proprio iudicio indiuiduis accommodare teneantur. Præcepta enim artis circa vniuersalia versantur: quorum certa est & constans veritas. Quare hæc vere artium omnium est princeps ἀνθρωπόφυλαξ, hominum sospita, sanitatis custos, morborum auerrunca, & vitæ magistra. Cuius illecebris captus, & ab accidente illi cupidine saucius: vbi per annos plus quàm triginta varios Medicinæ scriptores euoluendo, alios docendo, & meam operam in curandis ægris præstando, eandem colui; ne otiarer in otio ad quod me frequens valetudo plerumque traxit, vtque officio cui sum addictus satisfacerem, & memoriæ per ætatem primùm inclinanti consulerem, meas lucubrationes chartis commisi. Quas eorum quibus docendo præfuimus frequenti expostulatione prouocati, publici tandem iuris facere inducimur. Publici inquam iuris facere, etiam post tot celebres scriptores, & Gallos, & exteros: quoniam tam vaga ars semper aliquid habet quod magis ac magis posset illustrari; & in sententijs per ætates vulgò receptis, quidpiam quod huic aut illi emendandum videatur semper occurrit. Hippocratis enim præcepti memor,* [n] *plurimis in locis huius operis id præstitisse me confido, quod ille in Medico scriptore desiderat. Quædam enim admodum obscura, clariùs quàm ante viderentur explicata proferimus: & non pauca quæ vix attigerunt alij, accuratiùs examinata, à doctoribus tamen excolenda & repumicanda proponimus. Quæ nobis integri huius operis scribendi maximam occasionem dederunt. In quo texendo, partim hinc inde ex illustrioribus scriptoribus ea decerpsi, quæ naturalis scientiæ principijs, rerumque ipsarum naturæ magis consona, ad veritatem propiùs accedere visa sunt. Partim quæ longiùs à veritate dissita apparuerunt, licet vulgo probata, examini submittens ab errore vindicare studuj. Quid autem profecerim & quantum in publicam vtilitatem contulerim: Doctis & ingenuis, neque aliorum labores calumniari aut maledicentiâ lacerare consuetis iudicandum relinquo. Verum ne quisquam me nimis fastuosum censeat: nouerit nunquam mihi venisse in mentem, me plus alijs sapere. Sed cùm existimem nihil ab hominibus perfectè cognosci: tantamque nostrum omnium esse ignorantiam, vt pene mihi probetur quod Philosophorum ille sapientissimus affirmabat, se id vnum scire quòd nihil sciret. Nam in his etiam quæ quodammodo scimus, quod ignotum restat, longissimè superat id quod scitur. Vnde rectissimè dicebat à Kempis,* [o] *omnem speculationem nostram quadam caligine non carere. Hoc etiam censeo, etsi caliginem illam integre discutere nemini in hac vita concedatur: labore tamen & meditatione cuique licere, sibi lucem aliquam (Deo ministrante) comparare; cuius ope, eorum quæ natura densis vallauit tenebris, internoscat aliquid quod alios latuerit. Plerique enim labori parcentes, non qualia sint quæ nobis obijciuntur inquirunt: sed alijs qualia videantur referentibus credunt. Alij talia quæque esse censent, qualia primùm menti apparent: ea ante etiam approbantes, quàm saltem examinarint num alijs de quorum veritate iam constat respondeant. Ita verò quàm facile sit à veritate deer-*

[e] Ecclesiastici. c. 38.
[d] Lib. 29. cap. 1.
[e] Libro 7. contra Iulianum.
[f] D. de officio Præsidis l. 6. §. 7.
[g] Ouidius lib. 1. de Ponto, elegia 4.
[h] Plinius suprà.
[i] Dion Cassius l. 45.
[k] Institut. lib. 4. de l. Aquilia §. 7. l. 6 §. 7. D. de offic. Præsidis. l. 8. & 9 D. ad legẽ Aquiliam l. 9. §. 5. D locati.
[l] Lege 9. §. Si quis per vim D. ad l. Aquiliam. l. 15. D. ad leg. Corneliam de sicarijs & maleficijs.
[m] Lib. 1. Aphor. 1.
[n] Lib. de arte.
[o] Lib. 1. de Imitatione Christi. cap. 3.

rare

rare, & falli: quis vel linscioſus non videt? Quapropter ſolitus rerum in quibus verſor examine delectari: non diffido me in plurimis qua etiam præter vulgarem ſententiam protuli ad veritatem acceſſiſſe. Sed in nonnullis alijs me etiam erraſſe vereor: quòd ſciam eam eſſe humani ingenij infirmitatem, vt cùm ſingulorum poſſit diſparatim veritatem aſſequi, vix aut ne vix quidem in plurimum propoſitionum cumulo ſe ab errore vindicare valeat. Neque propterea me ab inſtituto quod plurimis vtile fore confido, Zoilorum deterruit liuor. Neque enim vel lupus ruſticum, ſic me raucum faciet inuidia. Noui tamen quàm periculoſum ſit prodire in publicum, & ſe cuiuſuis cenſuræ committere. Præterquam enim nihil tam cultum nihilque tam cumulatum eſt, cui non inſit aliquid quod culpetur; cum præſertim — Opere in longo fas ſit obrepere ſomnum.[p]

Præterea in tanta guſtûs ingeniorum varietate, deſperandum eſt poſſe quenquam ſe in ſcribendo ita componere, vt qua edet quibuſque ſapiant, nemini diſpliceant.

Inueniat quod quiſque velit: non omnibus vnum eſt. Quod placet. Hic ſpinas colligit, ille roſas.[q]

Quinimo præter paucos qui cæteris virtute longè præcellentes nemini detrahunt: reliqui omnes aliena aut cachinno inſequuntur, aut maleuolo ſuſurro conuellunt.

Maiores nuſquam ronchi: iuueneſque, ſeneſque, Et pueri naſum Rhinocerotis habent.[r]

Nam & quò quiſque indoctior eſt, eò ad maledicendum fit audacior: & torpidiores ſæpe acriores ſunt reprehenſores. Inuidia enim virus, ingenia quæ ſolida non ſunt, acuta ad arguendum, & quæ nondum matura, ad reprehendendum acria reddit. Ad quam licentiam feruntur etiam Doctorum nonnulli: non vt ſibi aliqua melioris fortis fiat acceſſio; ſed eò ſolùm vt vicinæ lucis fulgorem vel extinguant, vel offendant ſaltem. Nos inquam nihil moratur inuidorum ſtridor, quin amicorum perſuaſione excitati, quæ multo labore conquiſiuimus, accurata methodo digeſſimus, & frequenti meditatione quantum licuit expoliuimus, in Medicinæ Tyronum vtilitatem proferamus. Quæ eâ methodo perſequimur, vt tota ſibi cohærente tractatione, continuis quaſi annulis ſingula connexa videantur: & minimo labore liceat, totum opus in tabellas ſecuriſsima memoriæ adiumenta digerere. Neque tractationis ſeriem interrumpunt effuſa paſſim controuerſia; quas nullum ſugillantes ſic excuſſimus, vt raro ſententiarum varietatem referentes, ea producamus quibus non præoccupata mens probabiliùs aſſentiatur. Idipſum ſic explicando, aut confirmando, vt vix quidquam obijci queat quod non illidatur. Quòd ſi in aliqua incidimus aliquando quæ ſciri nequeunt: ea nos neſcire ingenuè confitemur. Nec pudet in his quæ comprehendi liquidiſſimum eſt non poſſe, ante nos ignaros profiteri, quàm doci. Stylus vulgaris eſt, & minime comptus: quo nudam veritatis formam, ceruſam, minium, omnemque fucum negligentem, exprimere conati ſumus. Ac quoniam benignum eſt & plenum ingenij pudoris, fateri per quos profeceris: at contra maligna & ſordida mentis indicium eſt, deprehendi in furto malle quàm mutuum reddere.[s] Authores à quibus quidpiam excepi non refero ſolùm, ſed locos etiam noto: vt quod in hoſce hortos deriuatum eſt, in ipſo fonte cùm libuerit quæratur. Ne verò librorum capitúmque nomenclaturis rudior appareret oratio: margini locos adſcripſi, cum notis quæ quò ſingula referenda ſint indicent. Sed ne vel qui docendo controuerſias effugiunt, vel diſcendo, præ ignorantia interprete continuo indigent, nobis obſcuritatem imponant. Illi quidem meminerint, Aeſculapio baculum nodoſum appingi: quo artis difficultas, & ardua quæſtiones ſignificantur, quas doctorem inquirere & accurato examine expolire conueniat. Alij verò diſcant, eos ab hac lectione arceri, qui nec literis humanioribus nec Philoſophia ſunt imbuti. His autem inſtructos, dociles eſſe oportere: noſtra non perfunctoriè legenda, ſed à principio ad finem, attenta & meditabunda mente verſanda. Principio enim tam illuſtris diſciplinæ cupidos noſſe oportet, non eſſe negligenter in Medicinæ currendum ſtadio, nec oſcitanter ſtudendum. Siquidem vt monuit nos venerandus ille Cous Senex: vix poteſt homo breuibus & citò labentibus ſuæ vitæ annis, amplitudinem & difficultatem rerum in hac arte diſcendarum, ex quibus ea longa redditur, aut conſequi aut ſuperare. Sed eò maxime ad Medicinam aſpirantibus diligentiùs ſtudendum eſt: quòd cùm primùm ad praxim conuertimur ægrorum curam ſuſcipientes, omnia artis theoremata, medendi præcepta, & remedia experimentis probata noſſe, atque in promptu habere oporteat. Eſt enim rite medendi occaſio mirum in modum præceps & moræ impatiens: quam negligendo, vbi ſemel fuerit erratum, difficillimum eſt emendare peccatum. Experiri autem noua & nondum probata, quorum facultates etſi rationem ſequamur ducem, certò tamen inueſtigare nequimus, & quæ num profutura ſint neſcimus, anne nocitura ignoramus, admodum periculoſum eſt. Tyronibus autem non ſolùm diligenter ſtudere opus eſt: Sed præterea Medicos eruditos & in praxi exercitatos frequentare: vt horum familiari inſtitutione & exemplo in ſingularium cognitione & curatione prudenter aggredienda inſtruantur. Medicos enim non hominem ſed Callium & Sortem curantes, decet ægrorum, morborum, & remediorum indiuidualem habere notitiam, aut ad illam quàm proxime licet accedere, vt ſingulis ſingula accommodate præſcribantur. Quæ cùm viris etiam in arte conſummatis non leue negotium inferant: quibus difficile plerunque eſt de eſſentia naturáque plurimarum ægritudinum iudicare, de futuro morborum euentu decernere, & remedia quæ cuique indiuiduæ naturæ exactè conueniant præſcribere. Non exiſtimandum eſt Tyrones ea omnia aliter conſequi poſſe, quàm multo ſtudio & longâ exercitatione. Quomobrem ſi cupiam volupe eſt, Medicinæ ſuauitatem non extremis labellis, ſed pleno ore guſtare: is ſibi ſedulò laborandum, & grauiter ſtudendum proponat. Nec quemquam deterreat labor, ſine quo nihil pulchrum nec quidquam grande conſequimur: labore verò & induſtriâ, ad magnarum omnium rerum cupitam fruitionem peruenimus.

FINIS.

[p] Horat. in arte poëtica.
[q] Inter fragmenta Petronij.
[r] Martialis lib. 1. Epigram. 4.
[s] Plinius in præfat.



PROLEGOMENΩN
LIBER SINGVLARIS.



DOCENDI ratio omnium optima, ea est: quæ methodum rei tractandæ maximè conuenientem sequuta, non summaria solùm rerum docendarum percurrit, sed quæ ad perfectam institutæ disciplinæ cognitionem faciunt, citrà obscuram breuitatem, citràque importunam prolixitatem persequitur. Quam docendi formam nobis sequendam proponentes, antequam rem aggrediamur quænam totius huius operis futura sit methodus explicandum est.

Galenus in Artis Medicinalis præfatione, tres omninò doctrinas ordini inhærentes, seu docendi methodos esse profitetur. Quarum prima resolutoria appellatur: quæ à prænotione, seu finis, seu obiecti, initium ducens, per resolutionem aut modorum quibus ad finem perueniri potest; aut partium, proprietatum, & principiorum obiecti progreditur. Quæ solet vel quæ à fine remotiora sunt, eis quæ eidem propinquiora existunt præponere: vel ab his quæ in obiecto magis cõposita aut complexa sunt, ad simpliciora & incomplexa magis, peruenire. Secunda compositiua nuncupatur, quæ ex compositione constat eorum quæ per resolutionem fuerint inuenta. Tertiam definitiuam vocant, quæ ex definitionis dissolutione seu explicatione fit.

Harum autem definitiua, quòd pauciora capita complectatur, compendijs maximè propria est: qua ideò Galenus in arte medicinali est vsus. Compositiua verò his maximè scientijs cõuenit quæ rerum naturas & essentias contemplatur. Sic Aristoteles de rebus natura constantibus, seu de ente aut corpore naturali acturus in physicis: de rerum naturalium principijs primùm, tùm de earumdem proprietatibus, postmodùm de singulis ipsarum rerum natura constantium generibus tractat, ab imperfectioribus ad perfectiora progressus. Ita in logica de syllogismo acturus, à terminis ad propositiones, hincque ad syllogismos procedit.

Verùm qui methodum compositiuam docendo insequuntur, antequam illam aggrediantur, oportet vt per resolutionem primùm ea inueniant quæ deinceps per compositionem sunt explicaturi. Quoniam ea, quæ nos ad sui cognitionẽ proximè excitant, sunt sensibilia, quæ cum cognitione confusa notiora sint nobis: non meliùs ad eorũ perfectam cognitionem peruenire possumus: quàm per ea quæ natura notiora sunt, magis vniuersalia scilicet & simpliciora. Ideóque qui alios voce aut scripto docere profitentur, debent primò rem docendam sibi proponere, mox eam ad sua principia, & quę in ea sunt simplicissima, meditãdo resoluere. Vbi verò quæ iam cõceperint alijs explicare student ab his quæ obiecto simplicissima insunt quæ & naturâ prima sunt aggrediãtur oportet. Etenim cũ huiusmodi simpliciore conceptu apprehendantur, eadem primùm discentibus sunt explicanda. Postmodum verò à simplicioribus ad magis cõplexa pergendo: & singulorum principia proprietatésque explicãdo quasi per gradus ad rei propositæ integram perfectamque cognitionem progrediendum est. Quæ breuiter citato iam antea loco docens Galenus; Secunda inquit, ex compositione constat eorum quæ ex resolutione fuerint inuenta. Resolutiuam methodũ illi insequantur oportet, qui artes factiuas, aut scientias practicas docent. Hi enim supposita notione materiæ operationi, aut praxi subiectæ; & sibi proposito fine ad quem aspirant: modos, mediàque attingendi ad finem doceant necessum est, à generalibus ad particularia quibus propiùs ad finem peruenitur sensim delabentes. Quæ ex ipsius Galeni verbis eodẽ loco insinuata legimus; dùm prima quidẽ, inquit, ex notione finis quæ per resolutionem fit. Ita Galenus in libris methodi, curandorum morborum rationẽ docens: ab vniuersalioribus medẽdi Indicationibus, ad magis particulares per singula morborũ genera progreditur. Quia verò qui rerum naturas inuestigarũt theoreticas scientias tractãtes,

plurima minùs exactè explicuerunt: coguntur plerúque qui artes effectiuas aut scientias practicas theoreticis subalternatas docent, materialis obiecti naturam in quantùm ad artis perfectam cognitionem requiritur explicare: cùm eius exquisita tractatio in subalternante scientia desideretur.

Quare cùm Medicina sit de genere practicarum, ad illius exquisitam tractationem complendam requiritur: primùm quæ ad proprij obiecti naturam pertinent in Physicis minùs diligenter explicata, accuratè tractentur: tùm finis assequendi via, mediáque doceantur. Quæ vt absolutè persequamur, in duas partes totum Medicæ artis opus diuidemus: quarum primam obiecti contemplationi addictam, theoreticam; alteram verò operandi medendíque rationem explicantem, practicam appellabimus. In priore compositiuam methodum propiùs insequemur, cuius tres erunt tractatus. Quorum primus corporis humani principia, facultates, actiones, & primaria instrumēta explicabit. Secundus, de sanitate, & optimo corporis habitu tractabit. Tertius tandem de morbis, eorum causis, symptomatibus, & iudiciis in genere disseret. Posterior totius tractationis pars, methodo resolutiua docebitur, eáque etiam tribus tractatibus absoluetur. Quorum primus, præcepta conseruandæ sanitatis complectetur. Secundus de curandis humani corporis internis præter naturam affectibus, tàm in genere quàm in specie tractabit. Tertius & vltimus materiam medicam & formulas remediorum tàm internorum quàm externorum explicabit. Quæ omnia vt aggredi sic persequi, & pro rei dignitate absoluere sua miseratione nobis concedat gratiarum omnium largitor D. O. M. tùm ad laudem & gloriam æternæ suæ maiestatis, tùm in medicinæ Tyronum & Reipublicæ vtilitatem. Sed antequàm nos operi accingamus, quædam præludiorum vice præfari oportet, quæ huius artis, imò & scientiæ sacris initiandos antè scire expedit, quàm ad penetralia ducantur, in quibus singulatis hic libet occupabitur.



De ortu & progressu Medicinæ.

CAPVT PRIMVM.



a Lib. 4. ethymolog. cap. 1. MEdicinam à medendo dictam, seu vt Isidoro placet[a] à modo seu temperamēto ad quod omnem suam industriam dirigit appellatā: principiò quidem Deus cum cæteris feré iis Adamo infudit, vt propriæ naturæ & eorum quibus aut iuuaretur aut offenderetur notitiam haberet. Mox autem, ignorantiā post peccatum in Adami prolem gliscente: dum integer erat hominū vigor, nec malè feriata morborū phalanx illos infestare cœperat; periit Medicinæ cognitio. Postmodum verò, vbi per deterioris ætatis illecebras, morborū variæ pestes homines inuaserunt: cœptum est adnotari, quod casu, oraculorū monitu, aut belluarum sibi medentium imitatione quibusdam profuisset, vnde empiricæ exordiū habuit. Hinc vt ab Strabone b Lib. 3. Geograph. scriptum est [b] antiquo ritu solebant Ægyptij, ægros in plateis deponere: vt occurrentes, quibus remediis similes affectus curatos scirent, enunciarent. Mox ratione etiam morborum causæ & remedia quæri cœperunt, ab his qui sapientiæ operam dabant: vt à Democrito & Heraclito factū apud Laërtium legimus. Indéque variæ emerserunt medentium sectæ: aliis sola experientiā, quibusdam ratione ad communitates contractā, pluribus experientiā rationéque coniunctim vtentibus. Ac primùm quidem apud Ægyptios, excoli cœpit hæc ars: cùm antè Æsculapij tempora, ex Iosephi præscripto, vt habetur in Genesi [c] Medici corpus Iacob aromatibus intrà quadraginta dies ægyptio c Cap. 50. more condierint. Verùm quia per Græcorum doctrinam ad nos propagata est Medicina: inter hos Apollo primus, venationis studiosus & syluarum quasi perennis incola, quòd herbarum aliquas facultates adnotarit: Medicinæ inuentor est appellatus, & inter maiores Deos annumeratus. Exin Æsculapius ex herbarum succis Medicinam vulneratis faciens, in Deorum numerum pariter est relatus. Seu quòd viros ob tam beneficum inuentum de genere humano benè merentes, diuinis honoribus dignos existimarent. Seu quòd mysticè per Apollinē & Æsculapium Solem, vt notatū est à d Lib. 1. Saturnal. cap. 17. & 20. Macrobio,[d] significarent. Vel per Apollinem quidē Solem, per Æsculapium autē Aërem intelligerent: vt voluit Pausanias in Achaïcis. A Solis enim suaui influxu conciliata aëri temperatutā sanitas in nobis conseruatur. Æsculapium sequutus est Chiron centaurus, externis affectibus manu mederi solitus: qui cum quasi typus fuerit antiquæ Medicinæ, quæ solā Chirurgiā vt docet Mercurialis e Lib. 1. variarum lect. c. 13. [e] vtebatur, ex Saturno & Phillyra natus dicitur: quòd rudiorem illam medendi artem, tempus & experientia genuerint. Huic coæui Podalirius & Machaon, ab Æsculapio geniti, Troiani belli temporibus vulnerariam exercebant. Ab his verò ad Hippocratis Coi ætatem, quasi in densissima nocte, f Lib. 29. cap. 1. vt ait Plinus,[f] Medicina latuit. Qui artem, quam, referente Sorano in eius vita, ab Heraclide

patente

patente & Herodico didicerat:primus,varijs editis commentarijs publicauit. Non liberis modò,vt prioribus ex Galeno [g] consuetum erat:sed alienis etiam artem communicare honestum esse censens. Hic citra fabularum prisca illa commenta, philosophorum & medicorum primus: omnium medicæ artis bonorum fuit author. [h] Post Hippocratem verò per quingentos penè annos, à suis cultoribus defœdata magis,quàm illustrata fuit Medicina. Inter quos doctrinâ aut nouitate præceptorum celebriores feruntur,Diocles Carystius,Praxagoras,Prodicus, Chrysippus, Erasistratus, Herophilus,Serapion, Themison,& Thessalus.

Verùm dùm toties Medicina mutatur, tàm multis famam nouitate aucupantibus: M. Aurelio Antonino imperante; ex Asia quasi nouum sydus illuxit Claudius Galenus Pergamenus: qui iam satis illustrem artem,ab innumeris erroribus vindicauit,& ad culmen suæ dignitatis euexit. Cuius ea est laus,Hippocratis opera plurimum splendoris ab huius commentarijs accepisse: & veram medendi methodum purámque artem ab hoc tanquàm ex fonte in posteros deriuatam: à quo meliora cæteri,vel scribendo,vel imitando acceperint. Huius autem temporibus, vel idem ægris consilio præerat,parabat Pharmaca,& Chirurgiam exercebat: [i] vel famulos habebat Medicus Chirurgos & Pharmacopœos,quibus cùm oporteret vtebatur. Nunquàm verò tàm vilis fuit Medicorum conditio (quod exprobrarunt tamen aliqui) vt tabernas haberent,vti Pharmacopolæ, tonsores, & vnguentarij. Quæ enim à Plauto [k] Medicina ab aliis medicatrina dicitur, à tonstrina, & myropolio distincta:pharmacopolarum officina erat,vt interpretatus est Lambinus;myropolium autem,in quo vnguenta & pigmenta vendebantur. Post Galenum tandem, medendi ars nonnunquàm penè neglecta iacuit: aliâs communem rerum vicissitudinem sentiens, quasi renouata refulsit. Neque augustior vnquam exinde fuit quam Rasis, Auicennæ, Serapionis, Mesuæi, ac cæterorum celebrium Arabum ætate,post annum à Christo nato circiter millesimum: postmodúmque priore huic sæculo quo non Medicina solùm, sed reliquæ omnes & scientiæ & artes per Europam summo cum decore viguerunt: Medicinam illustrantibus Fernelio,Siluio, Holerio, Rondeletio, Dureto, Mercuriali,Valesio,à Veiga,Massaria,Mercaro,Foresto, Vesalio, Fabritio, Laurentio & aliis ferè innumeris,à quorum scriptis quæ sequetur ætas magnum capiet emolumentum.

g Lib. 2. administrat. anatomic. c. 1.

h Galen lib. 1. de natur. facult. c. 13. & lib. de vena sect. adversus Erasist. cap. 1.

i Gal. com. 5. in 6. epid. comm. tex. 8.

k In epidico, actu 1. scen. 4.

De Definitione Medicinæ.

Capvt. II.

Etsi vnius rei,vna sit vera & absoluta definitio:quia tamen res eadem diuersis terminis explicari potest,aut diuersi rem eamdem variè concipiunt:accidit ab antiquis Medicinam variè esse definitam. Hippocrates [a] enim aliquando adiectionem & derractionem appellauit: aliâs [b] eam esse artem dixit,quæ in totum ægrum à morbis vindicet, morborúmque vehementiam obtundat,neque his qui à morbo victi sunt manum admoueat. Galenus [c] Herophilum sequutus salubrium, insalubrium & neutrorum scientiam, definiuit. [d] Libro vero ad Thrasybulum [e] artem curatricem ægrorum & sanorum conseruatricem. Auicenna, [f] Medicinam esse ait scientiam qua humani corporis dispositiones noscuntur,ex parte qua sanatur vel ab eo remouetur: vt habita sanitas conseruetur,& amissa recuperetur, Auerrhoës, [g] Medicina est inquit, ars effectrix, ratione & experimento inuenta,quæ & sanitatem conseruat & morbos pellit. Quarum omnium definitionum,vt quæ sit optima discamus,an aliam assignare oporteat:quædam adnotare conueniet. Primò accidentia ex Aristotele [h] non propriè sed quodammodo tantùm definiri:quæ autem non definiuntur,inquit Boërius [i] describi consueuerunt.Quare habitus intellectuales cùm sint accidentia: non propriè definientur sed describentur. Inter descriptiones autem ea videtur proximè ad definitionem essentialem accedere,quæ causalis appellatur:quam,Fonseca [k] ait,esse orationem explicantem quidditatem rei,ex genere & causa aliqua,causisue externis. Secundò sciendum est definitionem omnem seu essentialem,seu descriptionem, [l] debere esse ex notioribus,propriam definito, cui nihil desit aut supersit,sitque breuis sine obscuritate tamen. Tertiò aduertendum est, habitus [m] maximè per obiecta eáque formalia distingui: & habitus definiri per actum, actum verò per obiectum. [n] Ex quibus infertur, eam esse maximè propriam definitionem cuiuscúmque habitûs intellectualis: quæ ex proximo genere constat; & differentiæ vice, obiectum vel finem assumit.

Medicinam ergo inter habitus intellectuales iure numerandam,rectè definiemus:scientiam tuendæ,ac reparandæ humanæ sanitatis. Quæ definitio,parùm discrepat in re, ab ea Galeni quæ libro ad Thrasybulum legitur:& quam sequutus est Fernelius.[o] Nec plurimùm abest ab altera Auerrhois:

a Lib. de flatibus.
b lib. de arte.
c Lib. de subfig. emp. c. 4.
d Lib. artis medica.
e Cap. 5.
f Principio canonis.
g lib. 2. colliget. cap. 1.
h 7 metaph. à tex. 17. ad 19.
i In prædica.
k Lib. 5. instit. dialect. cap. 4.
l Arist. lib. 6. topic. c. 1. 2. & 3.
m D. Tho. in proœm. in lib. 1 de gener. & corrup.
n Idem in c. 7. lib. 2. Eth.
o In præfat. sui operis.

præterquam hîc, suæ causam efficientem Medicinæ adiungit. Qui in eo prætereà peccat, quòd operantem dicat Medicinam:cùm habitus mentis non operentur, sed ad operandum faciliтent. Cæteræ verò definitiones minùs placent. Prior quidem illa Hippocratis generalia media ad finem potiùs:quàm finem ipsum,loco differentiæ assumit. Posterior verò,ex libro de arte: non tam quæsiti habitûs intellectûs definitio dici potest,quàm officij Medici enarratio. Illa prætereà celebris quam Galenus ex Herophilo desumpsit, obscurior est, nec determinatum obiectum finémue exprimit. Ac tandem,quæ ab Auicenna tradita est,forsan ab interprete minùs appositè ex Arabico in Latinum reddita;cùm longior sit, ad terminos quibus nostra exprimitur contrahenda videtur. Verùm vt rectè à nobis definitam esse Medicinam constet: quodnam sit proximum genus, finis vltimus, & adæquatum Medicinæ obiectum inquirendum est.

Sitne Medicina ars, aut scientia, & qualis.

Caput III.

Medicinam inter habitus intellectûs annumerandam esse,nullus tam stupidæ fuit vnquam mentis qui dubitarit:ad quod autem habituum genus,referri illa debeat, inter celeberrimos etiam Medicos fuit controuersum. Eam artem appellarunt Hipocrates, [a] Galenus, [b] Auerrhoës,[c] & recentiorum nonnulli: quorum sententiæ subscribere visus est Aristoteles.[d] Contrà idem Hippocrates,[e] Galenus,[f] Auicenna,[g] & recentiorum pars maxima, eamdem scientiam appellarunt. His assentitur Aristoteles, [h] qui scientiam esse Medicinæ genus affirmauit. Sed antequàm quid sentiendum sit expliceemus operæ precium est quædam adnotasse.

Ac quidem principio aduertendum est,scientiam tribus modis dici. Primùm enim latissimo significatu quamcúnque cognitionem significat. Sic ab Aristotele [i] Grammatica scientia videtur appellari,& vulgò nos ea scire affirmamus quæ quomodocúmque nouimus. Secundò restricta magis significatione, solam cognitionem euidentem,seu per causam,seu per effectum,aut æquiualenti quopiam modò acquisitam notat. Sic Aristoteles, [k] per experientiam, artem & scientiam hominibus effici scribit. Tertiò,præciso significatu & vt à cæteris mentis habitibus formaliter distinguitur ex Aristotele [l] solam significat cognitionem certam & euidentem per propriam causam, rei quæ non potest aliter se habere.

Secundò notandum est,artem duobus modis dici;ac primò omnem intellectus habitum ratiocinatione comparatum significare, sub quo sensu Auerrhoës [m] primam Philosophiam inter vniuersales artes numerate refertur,& ab Aristotele [n] ars singularium esse negatur,aliàs [o] ars vniuersalium cognitio esse scribitur. Alio modo,propriè & prout ab alijs distinguitur intellectûs habitibus, definitur ab Aristotele [p] Habitus cum ratione effectiuus:ad quem pertineat, vt eorum aliquid fiat quæ & esse & non esse possunt; quorúmque principium est in eo qui facit,non in eo quod efficitur.

Tertiò supponendum est,scientiam vel dici simplicem habitum ex assensu vnius conclusionis demonstratæ natum:vel significare aggregationem multorum habituum qui ad vnum formale obiectum adæquatum referuntur,& qui vnum habitum totalem constituere dicuntur:eo planè modo quo exercitum vnum esse dicimus,ab vnitate Impetatoris aut Principis.Qui totales habitus,scientiæ præcisè sumptæ nomine donantur: si vt plurimum, in probandis eius scientiæ conclusionibus, demonstratiuè procedatur; licèt alia non pauca, probabiliter tantùm doceantur.

Quartò notandum est ex Aristotele [q] scientiarum alias esse speculariuas,alias practicas. Quæ licèt tales absolutè dicantur pro ratione finis ad quem suapte natura diriguntur, vt docet Fonseca: [r] tripliciter tamen hanc denominationem ex Diuo Thoma [s] consequuntur. Primò ex parte rerum scitarum quæ vel sunt operabiles à sciente, vel non: secundò ex parte modi sciendi, vel enim rem operabilem scimus per resolutionem in principia vniuersalia formalia, vel modo operabili per applicationem ad materiam & opus. Tertiò ex parte finis discentis, quatenùs scilicet is rem discit cognitione contentus,vel vt dirigatur ad opus. Quæ de re non operabili sunt absolutè speculatiuæ dicuntur: at quæ modo speculatiuo procedunt,vel ad cognitionem solùm à discente referuntur, cùm sint de re operabili,speculatiuæ secundùm quid appellantur: quæverò ad operationem& diriguntur, & terminantur, practicæ absolutè vocantur.

Quintò sciendum est,scientiarum alias esse subalternantes,alias subalternatas,Hæ dicuntur quarum principia in superiore scientia probantur; & quarum subiectum vel addit accidentariam aliquam rationem alterius subiecto,illud contrahens, vel est pars adæquati subjecti alterius sub accidentaria aliqua superaddita ratione cōsiderata. Illæ verò dicūtur quarū conclusiones sunt princi-

a 1. aph 1.lib de arte, & l.de prisca Medic.
b Lib.de const. artis.
c Lib. 6. colliget. c. 1.
d Lib. 1.rhet. c. 2. & lib.1. metaphysic. c. 1.
e Lib qui lex inscribitur.
f Lib. artis Medicæ. c. 2.
g In principio can.
h Lib. 5. metaph tex 20.
i Cap. 2. post prædic.
k Lib 1 Metaph.cap. 1.
l Lib. 1. poster. tex.5.& 6.ethic. c. 3.
m Epitome in in logicam,& Epitome in metaph. tra.1
n Lib. 1.rhetor. cap. 2.
o Lib.1. metaph. cap. 1.
p Lib. 6. ethicor. c. 4.
q Lib. 2.metaph.tex. 3.
r in lib. 2. metaph. cap. 3 q. 2.sect.1
s 1. p. q. 14. art. 16. in corpor.

pia in altera scientia, & habent vniuersalius subiectum, aut sub vniuersaliori ratione conceptum.

Tandem Medicina duobus modis considetatur:scilicet vel vt docetur in scholis, & parit habitum in intellectu qui licet principaliter & suo vltimo fine ad opus terminetur, tamen in vniuersalibus præceptis & conclusionibus hæret, neque ad particularia & indiuidua prolabitur. Vel eadem consideratur, vt exerceetur à Medicis, quando in curandis singularibus ægris occupantur.

Quibus præmissis, dicimus Medicinam primo modo consideratam, vnam esse scientiam totalem in secundo scientiæ significatu: quia vt inquit Alexander de Ales [t] circa vniuersalia versatur, vt sunt directiua operum ad quæ se extendit Medici operantis industria. Vnde Auerrhoës [u] cogitur admittere cum Aristotele scientiam esse genus Medicinæ, si in relatione ad medicum spectetur. Cùmque hoc scientiæ significatum coincidat cum priori artis acceptione: quæ eo modo scientia appellatur, eodem ars dici poterit.

Qualis autem scientia sit Medicina, facillimum est ex dictis colligere.* Si enim finem ad quem ipsa per se dirigitur spectemus: cùm ea per se vltimatè ad opus ordinetur, scilicet ad tuendam sanitatem & morbos expellendos: practicam eamdem esse infertur, atque ex numero factiuarum. Néque videatur mirum nos factiuas scientias dicere: cùm Aristoteles [x] eas admittat, & probatum sit à Pererio [y] aliquas esse scientias factiuas. Si verò scientis rationem habeamus, cùm apud Aristotelem [z] æquè scire dicatur is qui scientiam habet, eáque non vtitur; atque qui eàdem vtitur: nec vt ait Quintilianus, [a] desinat esse Medicus, qui curandi fecerit finem: Is qui cognitione præceptorum artis medicæ contentus erit, ab exercitio alienus, speculatiuum Medicinæ habitum habere dici ali jua ratione poterit, iuxta allatam ex Diuo Thoma distinctionem.

Quod si sub secundo significatu, Medicinæ nomen vsurpetur; ea non ad aliud genus habituum intellectûs referri potest, quàm ad artem, sub secunda & propria acceptione. Tum enim Medicus vniuersalia præcepta & conclusiones quas anteà nouit, per propriam industriam ad particularia applicans: omnem egreditur scientiæ rationem, à necessarijs & vniuersalibus, ad ea quæ aliter atque aliter se habere possunt, & particularia, versùs. Ea enim est differentia Medici vniuersalia contemplantis, & circa particularia occupati: quòd vniuersalia præcepta vt certa mediretur, & rata habeat generalia artis theoremata. [b] Dum verò circa particularia versatur, totus in coniecturis hæreat. Ideòque Galenus, vel Author libri qui introductio seu Medicus inscribitur [c] Medicinam artem esse coniecturalem dixit.

Maximè verò ea coniecturalis est in discernendis affectibus, [d] in præscribenda remedij quantitate, [e] in dignoscenda præcipiti occasione agendi, & in comparandis inter se morbo, remedio, & viribus. [f] Neque tamen Medicina operi addicta, & in curandis ægris ex præsidiorum præscriptione occupata, quidquam mechanicum retinet: sed libero homine digna est, quam summæ dignitatis viri imò & Angeli exercere dignati sunt, vt fusè apud Tyraquellium [g] legere licet.

Quò verò duplex hoc Medicorum genus distingueremus, possemus singulis suum nomen dare: contemplationi addictos Italorum more Physicos appellantes, quasi rerum ad Medicinam pertinẽtium naturam contemplantes; praxim autem exercentes clinicos nominantes, quòd in tractandis decumbentibus ægris occupentur. Quæ Artificum distinctio minimè noua est: siquidem vt à Medico Physico differt Clinicus, sic alius est à Musico cantor, à Geometra mensor, ab Arithmetico calculator, quem Cicero [h] ratiocinatorem dixit: atque ita causidicus à Iurisconsulto distinguitur.

Neque mirum alicui videatur, inde sequi, posse in eodem duos Medicinæ habitus genere distinctos reperiri: cùm vt docet Diuus Thomas, [i] vna & eadem res cadat sub actum diuersorum habituum, atque etiam diuersarum potentiarum, secundùm rationes diuersas. Hinc scientialis habitus Medicinæ, nos ad alia facilitat quàm habitus artis: ille ad faciliùs assentiendum conclusionibus, hic ad faciliùs operandum. Quinimò & diuersis modis acquiruntur & perficiuntur: ille quidem disciplinâ, hic verò experientiâ, vt docet Aristoteles. [k] Quia tamen hi duo habitus ita sunt ad inuicem subordinati, vt experientia artem pepererit, ab arte verò per abstractionem vniuersalium & infallibilium orta sit scientia & vicissim eam arti operam præstet scientia, vt in praxi, scientia & cognitio vniuersalium artificem dirigat ad rationabiliùs circa particularia operandum: ambos pro vno, eodémque communiter solemus vsurpare, & dignioris nomine vtrumque comprehendere.

Demùm: Medicina Physicæ subalternata est: tum, quia, quod sequenti capite docturi sumus esse Medicinæ obiectum, sub obiecto naturalis scientiæ continetur: tùm quia multa Medicinæ principia, vt calidum innatum primarium esse facultarum instrumentum, & contraria contrariis curari, atque alia per media Physica probantur. Hinc rectè singulis sua tractantibus, iurè ab Aristotele [l] dictum est ibi incipere Medicum, vbi desinit Physicus.

t in tex. 20. lib. 5. metaphys.

u comm. in eandem tex.

* Cum Aristoteles principio lib. de anima scribat, omnem scientiam rem esse bonam ac honorabilem; aliam tamen alia magis talem esse, quia vel exactior sit, vel de his tractet quæ præstantiora sunt & magis admirabilia: videtur Medicinam hac quadam ratione Iurisprudentiam præcellere, quæ solum circa humana officia prout præmio aut pœna digna sunt versatur, theologiam verò (cui ob infinitā dignitatē obiecti cedit) in eo superare, quòd eorum quæ ad Medicinam pertinent quæcumque exacta & curiosa perquisitio non minus secura sit quā vtilis: contra in Theologia quæ propriè sunt subiecti curiosiùs inquirere, periculosum sit.

x lib. 6. metaphys. tex 1. & lib. 11. eiusdem, summa 3. c. 3.

y lib. 1. physi. c. vlt.

z lib. 7. ethic. c. 3. & lib. 2. magn moral. cap. 7. circa medium.

a lib. 2. cap. 18.

b Galenus lib. de optima secta. cap. 4.

c cap. 5.

d Gal lib. 10. Meth cap. 10 ad medium 2. de compositione remed. secūd. locos cap. 1. aliquanto antè finem, & Hipp. l. de flatib. dum inquit at obscurissimos & maximè difficiles morbos opinio magis quam ars iudicat: etsi in his plurimum imperitia peritia præst. et. e Gal. 2. in lib de ratione victus acutor. com. tex. 37 f Gal 1. ad Glauc. c. 1. & tex. 2 in l. de ratio vict acut. com. tex. 37. g Lib. de nobilit cap. 31. h lib. 1. Epist. ad Atticum Epist. 9 i Prima Secunda q 56. art. 2. ad 1. k lib. 1. metaph cap. 1. l Lib. de sens. & sensilibus cap. 1.

De Obiecto, & fine Medicinæ.

Caput IV.



Biectum hic inquirimus Medicinæ, vt docentem & vtentem communi notione complectitur. Vocatur autem obiectum, id circa quod scientiæ omnis tractatio versatur: quod & subiectum, & materia circa quàm vario respectu appellatur. Atque hoc duplex est, aliud materiale, aliud formale: ex quorum coitione vnum fit vnius scientiæ adæquatum subiectum. Materiale iterum duplex est: commune, & proprium. Illud appello res omnes, quæ quomodocúnque tractantur in scientia: hoc verò id quod primò in scientia consideratur, & propter idipsum cætera. Vel in ea disciplina quæ & artis & scientiæ est quodammodò particeps, vt Medicina; proprium materiale subjectum est id in quo ars designatam formã introducere conatur, cuiúsque naturam contemplatur, & de quo passiones probat. Commune autem est id omne quod scientificus artifex examinat: seu id sit materia operis susceptiua, seu sint ipsa operationis instrumenta. Quod explicans Galenus, [a] Medicinæ artis, inquit; vna cùm sit, infinitæ materiæ sunt: & corpus ipsum sanitatem accipiens, & cibi ac potus, & medicamenta omnia & vocata diætemata: hæc igitur Medicorum materiæ, corpus autem tanquam id ex quo finis aut in quo. Formale verò objectum appellatur ea ratio in qua conueniunt, vel sub qua considerantur ea de quibus in scientia agitur. Quod in contemplatiuis scientijs id est, per quod materia subjecta vel reduplicatiuè exprimitur, vel ad determinatam notionem cõtrahitur. Vt in Metaphysica cùm agatur de ente vt ens est: ens materiale est obiectum, vt ens verò formale. Sic in Physica cuius corpus naturale aut mobile obiectum est: corpus materiale est, naturale verò aut mobile formale subiectum. In scientijs autem factiuis formale obiectum re idem est cum fine: quoniam huiusmodi scientiæ de hac eauè re tractant, prout in ea tale quidpiam facere & operari licet, quod operantis est finis.

Materiale ergo Medicinæ quam profitemur obiectum, non quidem id omne est quod sanari, ægrotaréque potest, vt affirmatum est ab Aristotele: [b] sic enim veterinariam & agriculturæ partem sub se contineret. Sed corpus humanum, quod sanum tueri & à morbis vindicare student Medici. Formale autem vt addiscamus, eiusdem finem inquirere necessum est. Finis vt docuit Aristoteles [c] duplex est, scilicet finis cuius (id est) cuius obtinẽdi causa aliquid fit: & finis cuj (id est) cui destinat & præparat id quod aut quæritur aut efficitur. Illum internũ plurimi appellant, quòd in mente artificis habeat esse finis, & à quo is proximè ad operandum moueatur: sitque præterea forma, artis ope producta; cùm artificis perfecta est operatio. Hunc externum vocant, quod producti operis sit receptiuus, & extrà id quod ab arte fit. Internus autem verus est finis, qui in Medicina est sanitas; cuius obtinendæ gratia omnia molitur medicus. Quod passim docuit Galenus: & cùm inquit [d] quod intendimus sanitas est, & quando iterum air, [e] artis vnum est propositum sanitas. In quibus locis cùm præterea sanitatem parare, aut sanitatis consequutionem artis finem esse dixerit: non satis apertè quid sentiendum sit explicuisse videtur. Tunc autem clarissimè cùm ait [f] sanitas ipsa finis est, neque sanitatem custodire aut vitiatam emendare, vel prorsum amissam recuperare finis est: sed ista omnia actiones sunt, finis autem est sanitas. * Quam licet aliquando Medicus non assequatur, nihilominùs tamen, ea, eius est finis: quoniam vt habet Aristoteles, [g] finis est in quem motus (si nulla res prohibeat) terminetur. Hinc idem [h] Medicinæ ait non est sanitatem inducere: sed quoadusque possibile sit, ad hoc vsque perducere. Vt autem Medicinæ hic finis formalis obiecti rationem induat debet tanquam conditio materiali obiecto adueniens, eiúsque notionem contrahens exprimi. Ideò non per absolutum terminum, sed per connotatiuum eamdem oportet enuntiari: quòd ea conditio sit quoddam attributum & adiacens, & per modum adiacentis explicanda. Erit ergo formale Medicinæ subiectum sanum: & cùm contrariorum eadem sit disciplina, ægrum etiam ad eiusdem artis obiecti rationem pertinebit.

Quare totale & adæquatum Medicinæ obiectum erit corpus humanum vt sanum est vel ægrum. Quæ fuit sententia Aristotelis, [i] Galeni, [k] Auicennæ, [l] & cæterorum penè omnium Medicorum. Ac meritò, quoniam vna est huius ratio à qua suam vnitatem capere potest Medicina: ad quod, quæcumque in illa tractantur, referuntur; cuius principia in eadem explicantur, passionésque probantur: ac demùm quod idipsũ Medicinã à cæteris omnibus scientijs distinguat. Quas esse conditiones proprij & adæquati subiecti, cuiúsque scientiæ cum Fonseca [m] docent philosophorum reliqui.

a lib. ad Thrasyb. cap. 28.

b Lib. 1. de arte rhet. cap. 2.

c lib. 2. de anima tex. 37.

d lib. de sectis cap. 1.

e lib. de optima secta ca. 5

f lib. ad Thrasybulum c. 27

* An medicus cum suo fine frustratur sit culpandus, & vnde accidat ut in frustrum fine perfequitur Michael d'Orengius lib. 2 de Medicina & Medicis, parte 2. sect. 3.

g lib. 1. de partib. anim. c. 1 aliquanto ante finem.

h lib. 1. de arte rhet. cap. 1.

i lib. 1. rhet. ad Theod. c 2

k lib. ad Thrasybul. cap 30.

l lib. 1. can. fen. 1. doct 1. cap. 1.

m sect. 1. q. 1. in ca 3 lib. 2. metaph.

De partibus Medicinæ.

Capvt V.



Vemadmodùm vna obiecti ratio,scientijs vnitatem tribuit: ità partialium obiectorum quę sub vna communi ratione conueniunt determinata diuersitas,totalem scientiam in varias partes secandi occasionem præstat. Ac quoniam varij variè possunt eiusdem scientiæ adæquarum obiectum,sub diuersis rationibus in dissimiles partes distinguere : ità & scientiam totam diuersimodè partiri. Hine Medicinam nonnulli ex Galeno,[a] in diagnosticam,prognosticam,& curatiuam distingunt. Theutas empiricus apud eundem[b] in indicatoriam, curatoriam, & salubrem medicinam partitur. Galenus ipse,[c] decem persequutus tractationes diuersas,quasi arti constituendæ necessarias:totidem Medicinæ partes facere videtur. Omnium autem maximè recepta Medicinæ diuisio,ea est qua idem Pergamenus, [d] Medicinam in Physiologiam, Æthiologiam, Simioticem, Ygi-nim, & Therapeuticē diuidit. Recentiorum aliqui,quodammodò secundum causas sic Medicinæ partes distingunt;vt quæ ad humani corporis naturam spectantia persequitur, & materiale artis obiectum explicat,Physiologia vocetur; quæ de sanitare & morbo, formali scilicet obiecto tractat, Pathologia nuncupetur:quæ in examinandis salubritatis & insalubritatis instrumentis, & quasi efficientibus causis versatur,Æthiologia nominetur.quæ finem artis in cognitione adhuc cōsistentē attingit,& de signis differit,Simiotice appelletur;quæ verò ad finē propiùs peruenite docet,sanitatis tuendæ præcepta explicans, Ygieni dicatur; ac demùm altera quæ morborum curationem exponit,Therapeutice nuncupetur. Quæ vltima cùm triplici instrumento vtatur, victus ratione scilicet,medicamentis,& manuum operâ;hæc ipsa in alias subdiuiditur partes. Illi enim quæ de victus ratione ægrorum agit,Diætetices impositum est nomen:altera quæ de medicamentis eligendis, præparandis, & componendis disputat,Pharmaceuticę appellatur : & posttema in qua morbis mederi incidendo,vrendo, artus luxatos & ossa suis sedibus mota in naturalem locum reducendo,atque alio id genus manuum artificio vtēdo docetur,Chirurgiæ nomen accepit. Ita quoniam quæ in seruandæ sanitatis præceptis occupatur,varios habet partiales tractatus,diuersa etiam pro singulis nomina sortitur. Et Euectice dicitur quæ boni habitus conseruationem explicat: Analeptice,quæ conualescentium reficiendorum modum exponit :Prophylactice, quæ nurantes seu neutros ab imminente morbo præseruare docet;& Gerocomica,quæ quam senumcutam habere oporteat exprimit. Nos tamen etsi has omnes diuersorum Medicinæ tractatuum denominationes agnoscimus,nostris minimè eas tribuemus,quòd aliam faciliorem & breuiorem methodum elegerimus,cuius Idæam iam antè expressimus.

a 1. in lib. de officina Medici com tex. 3 ad finem.
b lib. de subfig emperiaca c. 4.
c. lib. de const. artis
d lib. qui Medicus inscribitur.

De Antiquis & recentioribus Medicorum sectis.

Capvt VI.



Ectam appellare consueuimus, certam quandam dogmatum rationem medendíque formulam,quam plures sequantur. Quamuis enim vnus idémque sit omnium Medicorum finis: ad eum tamen conficiendum non omnes eâdem incedunt viâ, nec incesserunt antiqui. Nonnulli enim,solam experimentorum notitiam,arti satis esse dixerunt: Alij verò rationalem disquisitionem, plurimùm ad artem conferre existimarunt. Vnde primæ Medicorum sectæ ortum duxerunt:vna quæ per experimenta ad inuenienda medicamenta procedit, empirica & obseruatrix dicta:altera quæ per indicationes progreditur,rationalis & dogmatica appellata.

Empirici,Medicorum antiquissimi,artem totam vni experientiæ inniti existimarunt:euidētium tantùm habendam esse rationem,occultarum verò causarum indagationem,omnino inutilem asserentes. Experiētiam Galenus[a] memoriam esse ait,aut obseruationē eorum quæ sæpè eodem modo perspecta sunt:quam Empirici ex tribus generari asseruerunt ex αὐτοψία scilicet, historia, & transitu de re simili in similem. Αὐτοψία est propria & peculiaris cuiúsque animaduersio. Historia vt ex Galeno[b] colligimus, dicitur accepta ab alijs per narrationem aut commentariorum lectionem, particularis obseruatio. Transitus de simili ad simile seu analogismus, iter ad experimentum esse dicebatur à Theura,[c] Per αὐτοψίαν autem & historiam, duo adnotantur: concursus scilicet manifestè apparentium in ægrotante,quem syndromen appellant,per quam morborum species innotescunt:& secundò ea quæ egrotanti profuerunt, vnde omnis illis occurrit remediorum inuentio. Remedia enim non ratiocinatione, sed vel casu vel consultò inueniri volunt. Casu inuenta duo-

a lib. de subfigur. empir. c. 3.
b lib. de sectis cap. 2.
c citato lib. de subfigur. empir. c. 3.

rum faciunt generum, alia naturalia, alia merè fortuita. Naturalia ea vocant, quæ natura per se profert: sudorem videlicet, alui fluxum, hæmorrhagiam, aut quid simile molita. Fortuita nuncupant, quæ quisque sibi prodesse aut nocere nihil cogitans; profuisse tamen, nocuisséue probarit. Vt si quispiam febre laborans, quò sitis cupiditati satisfaciat copiosam aquam biberit; aut vt corporis ardorem temperet subtepido balneo vsus, solamen senserit; vel epoto vino grauiorem noxam sit passus: illa febrium remedijs, hoc inter ea quæ febrientibus nociua sunt annumerant. Consultò inuenta dicuntur, quæ vel per somnium dormientibus suggesta sunt, vel quisque probauerit, dùm ad propriæ ægritudinis medelam remedium quæritat. Transitu de simili ad simile ex Galeno [d] vruntur, cùm ad medendum præsenti affectui experimentum non suppetit. Similitudo autem obseruatur, vel in membris vt de lacerto ad femur, de vlna ad tibiam, de manu ad pedem: vel in morbis, vt de fluore alui, ad intestinorum difficultatem: vel in remedijs, vt de cydonio ad mespilum. Aliquando ab Empiricis transitus fit ex opposito in oppositum: cum scilicet similia omnia in vanum fuerint tentata.

Empirici fuêre penè omnes hi qui primi inter Græcos Medicinam adhuc rudem factitarunt: qualis fuit Æsculapius ille apud Cyrenæos Medicus, quemadmodùm apud Mercurialem [e] legitur: rùm Melampus, qui primus docuit Græcos vinum aqua temperare, vt à Genebrardo notatum est. [f] Huic successere Chiron, Machaon, & Podalyrius, ac similes: qui in externis curandis affectibus quibus manu medemur, vt apud Homerum legitur, occupabantur. In quandam autem rationem artis, & Theorematum collectionem, Empiricam primus redegisse fertur, [g] Acron Agrigentinus. Quem sequuti sunt Cryto, Philistion, quem in Galeni seu mauis Herodoti introductione vel Medico Philinum Coum dici crediderim, qui Empiricam primus à rationali iam vulgata separasse fertur. Ab hoc Serapion Alexandrinus ea secta floruit, quem Celsus in sui operis præfatione empiricæ institutorem dixit. A quo Apollonij duo Antiocheni, Menodorus & Sextus eam plurimùm corroborarunt.

Rationalis altera secta, tum cœpit, cùm illustrari Medicina & primam ruditatem deponere visa est. Ea principem habuit apud Græcos Hippocratem Coum. A quo celebriores Dogmatici referuntur [h] Diocles Carystius, Praxagoras Cous, Herophilus Calcedonius, Erasistratus Chius, Mnesetheus Atheniensis, Asclepiades Bythinus, & Alij: quos demùm sequutus est Galenus qui cæteros vno excepto summo Hippocrate longè anteiuit. Dogmaticorum autem doctrinæ hæc sunt capita: primùm naturam corporis quod curandum proponitur cognoscendam esse: tùm earum rerum vires esse perquirendas, in quas quotidie corpus incurrens, ipsúmse salubrius aut insalubrius redditur: postmodùm morborum naturam, differentias, signa, & causas sciri oportere. Quibus agnitis medicationem tutò, citò, iucundéque aggrediendam esse, eámque per contraria instituendam. Ad quam ritè & artificiosè incundam, per indicationes procedendum esse determinat: in remediorum tamen vsu, experientiæ plurimùm tribuendum statuit: & in nouis ac nondùm satis cognitis calibus, analogismo vtendum persuadet. Indicatio ex Galeno [i] est iuuantis comprehensio, simul cùm nocentis comprehensione aduenicns: vel apud authorem libri definitionum medicarum, indicatio est rei agendæ insinuatio. Petuntur autem indicationes, vel ab affectûs præter naturam specie, eiusdem more, motu, & temporibus: vel à natura ægrotantis, viribus, parte affecta, ætate, sexu, consuetudine: nec non ab aëre ambiente, anni tempestate & similibus, de quibus fusius suo loco. Per quas Medici docentur, quid, quantúmque pro curatione assumendum; quando agendum, vbi, & quomodo administrandum sit remedium quod inuentum est. Experientia verò plurimas præsidiorum vires docuit, ducétque, quas ratione inuenire nunquam liceret. Quæ tamen rationales per experientiam norunt, ea cùm ratiocinatione in vsum reuocant, solam experientiam infidam esse & fallacem asserentes. Analogismus his etiam est vsui: qui dicitur [k] comparatio & perceptio causarum iuuantiû per similitudines. Differt autem rationalis analogismus [l] ab empirico: quòd rationalis ab indicantis rei natura innotescat empiricus verò ea potius imitetur quæ sensu præcognita fuerint. Rationales enim similia imitantur, quòd probabile sit quæ consimilia sunt, consimiliter & agere & pati: empirici verò, quòd experimento cognouerint, ea quæ similia sunt, se mutuò agendo aut patiendo imitari.

Tertia præter has celebris fuit apud antiquos Methodicorum secta: cuius Themison Laodiceus Syrius, Asclepiadis auditor fuit inuentor: & quam deinceps Thessalus [m] Trallianus absoluit, qui Neronis principatu apparuit, cuncta maiorum placita delere conatus, & rabie quadam in omnis æui Medicos perorans. Qui quali prudentia ingenióque fuerit æstimati vel vno argumento abundè posse docet Plinius, [n] cùm monumento suo quod erat Appiâ via, Iatronicem se inscripserit. Horum hæc erant placita: neque locum affectum vtile quidpiam ad curationem indicandam habere, neque causam ipsam, neque ætatem, nec tempus anni, neque regionem, denique nec virtutem ægroti, aut eiusdê naturâ habitúmue, vitæ studia, assuetudinésque consideranda esse: sed indicatio-

nes eas,

d eod. lib. de subfig. empir. c. 11.

e in principio artis gimnast.

f In Chronologia.

g Gal lib. eod. de subfigur. empi. cap. 1.

h Plures recensct Gal. lib. de vena sect. aduersus Erasistrat. c. 5. vbi de Asclepiade refert contentiones ita fuisse studiosum, vt omnia ferme priora dogmata lacessiuerit, neque alicui prioris seculi hominu imo ne Hippocrati quidê pepercerit, hincque adeo veterum medendi rationem, mortis meditationem nominare non sit veritus.

i lib. de optima secta cap. 11.

k à Gal. loco recens citato.

l Gal. lib. de subfigur. empir. c. 12.

m alius antiquior fuit Thessal. Hippocratis filius Archilai Macedoniæ Regis Medicus cuius meminit Gal. in præfat. in lib. de nat. humana et l. 29 c. 1.

nes eas ad rectè medendum sufficere quæ ab effectu trahuntur. Atque inter has, eas solas quærendas esse,quæ à genericis communitatibus petuntur:inutiles autem esse specificas communitates, huiusmodi tres esse dixerunt,laxitatem,astrictionem,& tertiam ex vtraque mixtam : ex quibus has eruebant indicationes,laxa astringendi,astricta laxandi,& quæ ex vtroque participant, vtriusque miscela curandi. Hinc medendi artem breuem esse dicebant,quam intra sex menses doctum se esse pollicebatur impudens ille Thessalus,Hippocratem inter cætera in eo reprehendens quòd artem longam esse dixerit.

Quartam,Agathinus quidam Lacedæmonius inuenisse fertur,in definitionibus medicis Galeno ascriptis: quam ἐπισυνθετικὴν quasi super compositiuam dixeris nominabat; Alij verò eamdem hecticen seu habitricem appellabant. Cuius quæ essent dogmata ignotum est, cùm non alia eius soleat fieri mentio. Tres ergo illæ habentur principes Medicorum antiquæ sectæ. Inter quas, cùm rationalem potiorem iudicarim,qui tam ex antiquioribus, quàm ex recentioribus Medicis præ cæteris claruerunt:factum est,vt hæc sola per varias ætates floruerit, vigueritque maximè.

Tandem tamen alia recens apparuit magi cuiusdam & scelesti Sycophantæ hæresis:qui empyricam cum methodica,noua proluuie fœdatas,copulans; non Medicinam solùm, sed scientias omnes euertere phanatico quodam errore conatus est. Fuit is Aureolus Theophrastus,dictus Paracelsus, à quo Nebulones varij emerserunt Paracelsistæ à præceptore vocari. Somniatunt hi rerum principia tria,ex quibus ipsa etiam mundi elementa constarent,sal, sulphur, & mercurium : quibus in nobis exaltatis morbos excitari aiunt, Necnon & alios excogitarunt morbos tartareos, arsenicales ex realgari & similibus genitos;omnia in Microcosmo ad Macrocosmum referentes. Morbos præterea non contrariis,sed similibus curari aiunt: minimè explicantes num ea similitudo sit secundum substantiam, an verò secundum accidentia. Tam alieni ab antiquorum Medicorum placitis:vt paucissima consonanter cum illis nisi per imprudentiam efferant,eadémque grauissimis immixta erroribus. Nouitate tandem & insolentia verborum sua sic obscurant; vt cùm aliqua ex parte ad Medicorum placita accedant,alienissima dixisse iudicentur. Interim hanc pestem sequuntur hac ætate plurimi, docti pauci, ignari verò laniones & circumforanei agyrtæ multi:qui se chymiatros, spagyricos, & veræ philosophiæ professores (per antiphrasim credite) dicere audent.

Est quidem Chymia nec recens, nec inutilis; per quam magna in parandis imò & inueniendis remediis Medicæ arti facta est accessio. Sed hæc Pharmaciæ subseruiens nullam sectæ nouitatem effingit:ministra est veræ Medicinæ,cuius præceptis dum famulatur, vtilia multa, efficacia, & grata profert. Aduertendum tamen est.cùm ex chymia multa validissima remedia trahantur : in eisdem sæpissime faciliorem esse abusum quàm vsum,& frequentiùs illa perniciem inferre,quàm procurare salutem. Quæ nec tractare deberent ignari,nec docti nisi cautè administrare. Paracelsia autem, vt multiplici errore suorum mentes impleti ita & nequitia inquinat. Nec viros huiusmodi iurùs quisquam nouerit;quin eósdem pharmacorum adulteratores,chrysopœiam meditantes, & in omnibus in quibus veram Medicinam profitentes eruditos esse oportet,ignaros non experiatur.

Qualem Medicinæ Tyronem, Medicúmque esse oporteat.

Capvt VII.



ANimorum tam dispar est & inæqualis propensio, ac vigor:vt cùm nonnulli miro scientiarũ amore teneantur,ad easque discendas aptissimi à prima ætate comprobentur;alij ab eisdem maximè sunt auersi & quidam inter vtrosque medij. Quinimo inter eos ipsos quos natura ad disciplinarum culturam inclinat,ea diuersitas aduoratur:vt hic ad vnam, alter ad aliam procliuior sit & pronior. Quod plurimi illustres viri publicæ vtilitatis studiosi aduertentes; sæpè,(licèt perperam) desiderarunt,vt in Academiis Ingeniorum examen instituerentur : ne cuique pro arbitrio liceret sibi artem eligere, sed pro natiua aptitudine id tractandum singulis indiceretur, ad quod cuiusque ingenium aptius esse probaretur. Sic maximè,vt in cæteris artibus, ita in Medicina caueretur,ne tanta malorum Medicorum turba & artis eximiam dignitatem infamaret,& publico detrimento animarum mercaturam faceret. Vt autem probare se quisque valeat, & quam de se capere spem possit intelligat:hæc sunt futuro Medico & in bonam frugem cessuro necessaria. Sensus habeat integros oportet,& exquisitos;imaginationem promptam; memoriam non infelicem; ingenium expeditum;iudicium perspicax. Sit bonæ indolis,probisque moribus,cùm nihil sit maligno Medico nocentius. Rerum naturalium perquisitione delectetur,ad suam operam ægris præstandam sit à natura pronus. Corpore sit benè composito,non nimium venusto;ad dicendum promptus, citra loquacitatem;audax,sine temeritate;alienis malis absque animi deiectione compatiens;non scurra, nec morosus,

ſus,ſed comis. Non ſit morboſus, ſed robuſtus, & ad laborem ferendum aptus: ne ἄλλων dicatur ἰατρός, αὐτὸς ἕλκεσι βρύων; Aliorum quidem Medicus, ipſe autem vlceribus ſcatens. His à natura donatus,antequam ſe medicinæ diſcendæ applicet,linguam tùm Latinam, tùm Græcam calleat, in Mathematicis præſertimque Geometria & Aſtronomia ſit verſatus, ac demum Philoſophiæ ſine qua nemo enadere eruditus poteſt grauiter incubuerit. Sic inſtructus Doctoribus Medicis opus habet qui doctrinâ & bonis moribus illuſtres,eo in loco doceant qui ſua temperie ingeniis faueat, & in quo frequentia ſtudioſorum Iuuenum mutuâ æmulatione ad acrius diſcendum excitet. Vbi, non ſolùm cauere debet Tyro,ne vnquam à publicis lectionibus abſit:ſed hoc vnum præterea curare, vt familiaritatem & gratiam cum Doctoribus ineat. Illis ægros inuiſentibus frequenter adſit,ea per colloquia ſibi explicari quærat,quæ in lectionibus ordinariis non ſatis intelligit: atque ea aliquando modeſtè proponat,quæ ex principum Medicorum authoritate quæſita, aut proprio marte excogitata in Doctoris ſententias obijci poſſunt. Velim enim Tyrones non ſolùm ea magno cum ſtudio meditari, quæ à doctoribus acceperint: ſed præterea eos etiam Hippocratis & Galeni præſertim, tùm Auicennæ libros euoluere,in quibus de eadem materia tractatum fuerit de qua in ſcholis dietim agitur. Ex peterem item, vt claſſicorum authorum locos à doctoribus citatos apud authores ipſos legerent: tùm vt principum virorum ſcripta ſibi familiaria redderent, tùm difficilium locorum interpretationes, aut ſibi aduerſantium conciliationes,& meliùs conciperent,& memoriæ tenaciùs imprimerent. Sed Tyrones hoc loco monendos eſſe cenſerem,ita ſuſcipienda eſſe Medicinæ ſtudia; vt non antè ad lectiones praxeos diuertant,quàm in Phyſiologia & Pathologia ſint inſtructi. Etenim cùm in vtraque Medicinæ parte,Theorica ſcilicet & practica ſimul occupantur: multa illis ad praxim pertinentia prioribus annis occurrunt,quæ non ſatis intellecta negligentes, vix deinceps etiam repetito labore conſequuntur. Præterea ab ipſo ſtudiorum initio meminerint, & anatomiæ, plantarum ſimpliciúmque & cæterorũ medicamentorum cognitioni,ſibi diligenter incumbendum eſſe:quòd ambo hæc & Medico ſint apprimè neceſſaria,& frequentatâ indigeant αὐτοψία, & nunquam ſolâ lectione diſcantur. In his autem exequendis,magno labore eſt opus. A quo deterreri nullus cordatus debet, qui illius verbi meminerit: Dij laboribus omnia vendunt. Cùmque omnia quæ pulchra ſunt, eadem ſint difficilia:ardua quæque non aliter licet quàm labore ſuperare. Αλωτὰ γίγνεται ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ ἅπαντα, expugnabilia fiunt ſtudio & labore omnia: vt eſt in græcorum comicorum gnomis. In his autem ſtudiis,atque hoc laboris impendio,non aliquot menſibus inſudandum: quinimo per plures annos perſeuerandum eſt. Artes enim quæ multarum rerum cognitionem complectuntur,non menſium aliquot interuallo diſcuntur,vt Antiquus ille Themiſon ſe Medicum dimidio anno doctum iactabat:ſed plurium annorum ſpatio acquiruntur.

Expleto Tyrocinio, vbi quiſpiam Aſclepiadum familiæ fuerit aſcriptus,ita ſe ex Hippocratis præſcripto componat. Primùm ſe erga Deum reuerenter gerat: cuius numen cuncta gubernans, Diuus ſenex,in Medicina minimè otioſum eſſe profitetur,& in morbis quos Medicus curare nititur, & in his quos vltrò abſque ſua opera ſuperari experitur. Quotquot enim,inquit, morbos Medicina vincit,Dei ope vincit. Quod cùm ab ethnico dicatur,quis ille inter Chriſtianos profiteri deinceps non verebitur,Deum res noſtras negligere,& quæ nos ad ſanitatem aut morbum,vitam aut interitum ducunt,à ſola nobis inſiti temperamenti conditione,& rerum,caſu,aut à noſtra electione,nobis ab extra occurſantium vi pendere? Quare id ante omnia cordi habeat Medicus, vt benè de religione ſentiat. Deum vt principium bonorum omnium ſuper omnia reuereatur & amet: vt impiorum iudicem timeat:vt proborum remuneratorem colat. Ne vllo caſu,vel prece,vel minis, vel pretio ad quidquam agendum feratur,quod diuino præcepto aduerſetur. Secundò has ex Hippocrate, vel habeat, vel ſibi acquirat dotes. Minimè ſit iactabundus,ſit veritatis ſtudioſus,non curioſus in his quæ ad ægrorum rem familiarem ſpectant inquirendis,non difficilis ad reprehenſiones, placidus ad reſponſiones, grauis erga reſiſtentes,in familiaritate cum ſimilibus contrahenda proſpiciens, erga omnes moderatus, ad contentiones taciturnus,ad reſpondendum acutus, in occaſione noſcenda & captanda prudens, frugalis in victu,in ſermone expeditus,oratione efficax,ad gratiam comparatus, qui veritatem certa ratione ſtabilitam libenter admittat,ac demum ſapientiam ad Medicinam,& viciſſim Medicinam ad ſapientiam transferat. Ab his eam Medici doctrinam eſſe oportet,ante quàm ſe curandis ægris committat:vt non ſolùm quæ in Tyrone requiruntur magis exculta poſſideat; ſed præterea in anatome ſit egregiè verſatus; animalium iam edulium, quàm non edulium, alimentarem & medicamentoſam vim teneat:plantarum,ac mineralium naturam,differentias, & facultates cognoſcat: compoſitorum medicamentorum formulas, & vires calleat:morborum ac ſymptomatum tam internorum quàm externorum differentias,cauſas,prognoſim & curandi rationem animo complectatur.

Hoc ergo apparatu inſtructus,ſe ægrorum curæ immiſcens, ægros cum graui quadam comitate adeat:curioſè,neque ad faſtidium tamen,à decumbente aut aſtantibus, ea quærat quæ ad natiuum

ægri

ægri temperamentum, præsentisque morbi speciem, magnitudinem, morem, motum, & tempus agnoscendum sunt necessaria. Hic autem quò sibi ægri tum astantium gratiam conciliet: eâ opus est arte, vt quæ ex Physionomia & corporis habitu ægrotantis illi naturalia esse deprehendet; tum quæ ex apparentium actionum læsione, pulsu, vrinis, & excrementis alterius generis, præter naturam eidem obuenisse euidenter deteget: sic ab ægro quærat, vt quæ vera sunt, iam sibi cognita esse intelligantur, ea verò in quibus illum falli continget, quæsita potiùs quàm affirmata iudicentur. Mox ægrum bono animo esse iubens, & illi benè de morbi euentu (si fuerit obsequiosus) ominando: ad astantes conuersus, illis quæ ad victûs rationem ægri conueniunt sigillatim præscribat; & quæ donec redeat, quo ordine, & quibus horis præstanda sint enuntiet. De successu ægritudinis coram ægro interrogantibus: aut nihil respondeat, aut certò sanandum dicat. Vbi verò ab ægro aberit, principio cùm res decumbentis nondum illi satis innotuerunt, cautè respondeat: nec temerè salutem spondeat, neque salutis diffidentiam inconsultè denuntiet. In progressu verò ægritudinis, vel periculum in dubijs casibus, vel certam spem euentûs prosperi, vel imminentem perniciem astantibus tempestiuè significet; & tum primùm cùm ex euidentium signorum perseuerantia talia imminere cognouerit. Neque enim vel prauis symptomatibus apparentibus, statim terreri: vel morbo ad tempus mitescente, & fugaci coctionis notâ sese prodente exultare decet. Atque hìc magna Medici prudentia requiritur: ne vnde illi maior gloria solet accedere, probrum increscat. In inuisendo autem ægro, Medicum assiduum quidem esse oportet: non tamen continua præsentia importunum. At in graui & admodum dubio casu præsertímque amici & illustris viri; quò minùs Medicus ab ægro aberit, eò plus eidem proderit. Quò respiciens Celsus: cùm par scientia sit, vtiliorem Medicum esse scias inquit, amicum quàm extraneum. Amici enim Medici maiorem futuram diligentiam, quàm extranei, iure sibi pollicetur. Quòd si acciderit Medicum vel in discernenda specie ægritudinis, vel in remedio præscribendo hæsitare: vel ægrum, vel astantes minùs quàm par est medico fidere. Ita se gerat oportet, vt si eo in loco sit in quo alios consulere sibi non detur: primùm libros quos penes se habebit consulat, mox accurata ratiocinatione conetur ad speciei morbi cognitionẽ quàm proxime peruenire. In dubio, remedia tutissima eligat: quæ si sanare nequeant, saltem morbum euidentiùs detegant, & nullatenus offendant. Si quæ se offerunt indicationes, magno aliquo remedio opus esse insinuent: nec temerè quidquam audeat, nec vecordiâ præcipiti occasioni desit. Ante tamen quàm tale quidpiam aggrediatur, astantes moneat vrgentis occasionis, quod agendum videtur proponat, rationibus institutum comprobet: & si postmodum res tota suæ prudentiæ committatur, audenter quod cum ratione statutum est exequatur. Minùs sibi fidentes, modesto quodam propriæ eruditionis & experientiæ elogio, in meliorem spem eleuet. Sed ea arte, vt neque de eorum confidentia dubitare videatur, neque in commẽdationem sui quidpiam nisi occasione cogente dixisse. Si verò predictis casibus Medicos habere possit quos consulat: potiores conuocet, vt sibi, ægro, & astantibus satisfaciat. Nec credat hoc propriæ famæ quidquam detrahere: sed meminerit vnumquemque sentire, quidlibet accuratiùs discuti, si à pluribus examinetur: atque ideo rem tanti momenti quanti est vita, non esse vni committendam. Si ergo familiari Medico, cum aliis continuanda sit ęgrotantis cura in maximum ęgri commodum, & Medicorum decus cederet, si semel in die aut quoties expediret amicè conuenientes neque in aliud quidquam quàm in ęgri promptam & expeditam salubritatem conspirantes, de agendis inter se dissererẽt, quę verò pręscripta forent, familiari Medico erudito exequenda committerent: eiusdémque prudentię cętera omnia occurrentia concrederent. Vel si securiùs indictâ causâ agi censerent, sufficeret illi socium addere, cuius consilio omnia complerentur. Nam ad minima quęque statuenda conuenientes: hoc vnum pręstant Medici, vt in colloquendo occupati nihil moliantur, & frequenti discordiâ in leuissimis etiam decernendis, sibi & arti malum nomen comparent. Cùm autem inter plures concilium initur: Medici ordinarij est, aut si simul omnes vocati fuerint Iunioris (nisi aut dignitas aut priuilegium seniorem Iuniori cedere cogat) morbi historiam, vel propositum casum natiua ęgri constitutione insinuata, breuiter, sed expeditè recensere. Mox speciem, magnitudinem, morem, & motum affectûs ex apparentibus inuestigare: inter hęc locum affectum inquirere, ac morbi & consequentium symptomatum causas explicare. Post hęc indicationes agendorum, ex his quę secundùm naturam sunt, & quę pręter naturam aduenerunt eruere, prognosim instituere, & curandi rationem pręscribere. Ad quam auxilia tam ex dięta, quàm ex Pharmacia, & Chirurgia petenda proponantur. Quòd si concilium in eum tantùm finem habeatur, vt de alicuius remedij propositi vsu disputetur an conueniat nécne. Expressa prius specie, magnitudine, more, motu, & tempore ęgritudinis: ita examinare controuersiam oportebit, vt primùm quęratur num propositum remedium à morbi specie indicetur, & eiusdem magnitudini respondeat. Mox an ęgri vires tam pręsentes quàm futurę, idipsum ferre valeant. Ac demum num eo morbi tempore tam vni-

uerum

uerſali quàm particulari idipſum ſit adminiſtrandum. De quorum ſingulis liberè dicenda ſententia eſt:ſed ſingula validiſſimis rationibus confirmanda,& ſi quæ opponi poſſe videantur,eadem diluenda. A quibus, curſim ea recenſere licebit quæ deinceps agenda probarentur. Quæ ſi ab aliquo controuerti poſſe exiſtimet,rationibus conciſis quidem, ſed efficacibus confirmet. Poſtquam primus ſententiam dixerit,cæterorum erit ſuo ordine,ſi quid ad morbi hiſtoriam, aut ſpeciem caſûs pertinens, fuerit omiſſum, referre; & reliqua quæ ad tædium repeterentur omittere. Ea quæ cum ratione ab ordinario propoſita ſunt,etiam cum elogio comprobare. Quæ improbanda videntur,ea modeſtiâ impugnare,vt non tam collegæ dictis aduerſari videantur, quàm aliquid à priore minimè expreſſum proponere. Iuuabit autem methodum eius qui antè loquutus eſt ingeniosè immutare: vel in eo præſertim examinando hærere,quod ad rem ægri plus facere iudicabitur, alijs prætermiſſis quæ primo quidem loco dicentem referre expediebat, reliquos autem in illis immorari foret inutile. Maximè verò cauendum eſt,nè quiſquam inimico animo turgens, ad collegas potiùs arguendos incitetur, quàm ad ægri ſalutem procurandam conſpiret. Sed eo ſingulos collimare neceſſum eſt, vt omni induſtriâ ea quærere & inuenire conentur,quæ ad ægrotantis morbum expellendum tutiſſima & maximè expedita futura videbuntur. Qui ſecùs facit, ſuæ malignitatis Deum vindicem & vltorem fore non diffidat: qui aliquando punire differens, pœnæ tarditatem grauitate compenſat. Demum ex Hippocrate[1] meminerint Medici,non auaritiæ & ſolius pecuniæ captandæ gratiâ hominibus medendum eſſe: ſed humanitate maximè moueri quemque debere. Quin etiam ingratis qui Medicos ſua mercede fruſtrantur,amica officia potiùs continuare, quàm neceſſarijs deſtitutos auxilijs relinquere. Quos cùm aliâs neglectui habere liceat; nunquam pœnâ mulctare conceditur. Tandem,quod virum Chriſtianum maximè redolet; ſi occaſio exercendæ liberalitatis ſe obtulerit, vel peregrino vel egeno;hiſce talibus maximè ſuccurrendum.

[1] Lib. de præceptionibus.





ARTIS MEDICÆ,

PARS PRIOR

THEORICA.



VAMVIS Medicina pro ratione sui vltimi finis, sit absolutè practica: pro discentis autem intentione, eadem speculatiua secundùm quid, aliquando dicatur. Tamen eam ipsam in speculatiuam, & practicam secamus: non tanquam in totales habitus specie differentes; sed veluti in diuersas partes eiusdem totalis scientiæ. Quam non vnam simplicem esse qualitatem existimamus: sed vnam per aggregationem ex plurimis habitibus per singularum conclusionum assensum acquisitis, & qui vnâ formali ratione vniuersalis obiecti conueniant. Sic autem *Medicinam partimur cum Oribasio*, [a] *&* Auicenna, [b] *quòd cùm in priore parte naturam tantùm obiecti Medicinæ, eiúsque principia examinemus; in posteriore verò, modum et media quæramus quibus ad finis consequutionem peruenire liceat: illa sit rerum quarum solam cognitionem & veritatem inquirimus, hæc autem, earum rerum quæ executioni demandari expostulant. Neque existimandum est, non posse practicum & speculatiuum, vni per aggregationem habitui, diuersis respectibus, aut pro ratione diuersarum partium conuenire: cum Diuus* Thomas *qui existimauit* [c] *scientiam totalem, esse vnam simplicem qualitatem, Medicinam tamen admittat ex parte theoricam esse, & ex parte practicam.* [d]

a Comm. in 1. aphor. Hipp.
b In præfat. canonis.
c 1. 2. q. 54. art. 4.
d Super Boet. de Trin. in q. de diuis. scient. art. 1.



De his quæ ad Corporis Humani naturam pertinent.

TRACTATVS PRIMVS.



VM Medicus non antè possit hominum morbis mederi, & præsentem eorumdem sanitatem cum ratione tueri:quàm humani corporis naturam exactè nouerit,& quæ illius naturalem integritatem constituunt perspecta habuerit:iure ab his quæ ad corporis humani naturam pertinent totius Medicæ tractationis initium capimus.

Verùm quia nescio quo errore,vulgus,nobis in morborum euentibus variis, naturam naturæque vires inclamantibus,multa probrosè imponit:quid per naturam intelligatur disquiramus.

Naturæ nomen tam variè à multis vsurpatur, vt facillimum sit iudicare non vnum sed varium esse illius significatum. Quod quàm variè apud diuersos efferatur,vix exprimi potest. Tres tamen sunt principes huius vocis acceptiones: vel enim Metaphysicè, vel Physicè, vel ad vulgarem loquendi morem assumitur. Metaphysicè,idem est cum essentia & quidditate. Physicè ab Aristotele,[a] definitur principium motûs & quietis in eo in quo est,primùm,per se, & non secundùm accidens. Quæ definitio cùm non solùm principium actiuum,sed passiuum etiam includat: non tantùm formæ substantiali conuenit,à qua res singulæ suum esse desumunt & in quibusque est agendi radicale principium: sed materiæ etiam, quæ omnium mutationum rebus naturalibus aduenientium, est susceptiuum principium. Quod Galenus [b] ex antiquorum sententia confirmat, dum ait, illos naturam dixisse primam substantiam quam non genitam sed perpetuam credebant,corporibus quæ ad ortum vel interitum nata sunt subiectam omnibus.

Vulgò tandem,tam apud Medicos quàm apud plerosque alios, per naturam solet intelligi effectiuum quodpiam,quod rebus creatis,essendi vel operandi quomodocumque est principium.Quod vel vniuersale concipimus,& rebus omnibus commune:vel particulare,& rebus quibusque seu insitum,seu cognatum. Vniuersale illud principium, est Deus: quem Philosophi referente Eugubino,[c] naturam,mentem, vniuersi & mundi animam esse dixerunt. Sic nonnulli apud Cælium,[d] non aliud esse naturam quàm Deum ipsum, interpretantur: hoc est toti mundo & partibus eius insertam diuinitatis rationem.

Eodem sensu Galenus, [e] naturam mentē esse ait quæ omnia penetrat: & [f] nostræ creationis authorem ex Hippocrate,naturam appellat:atque aliâs [g] naturam,gubernatricem dixit. Ad quod rerum vniuersale principium respiciens Aristoteles, opus naturæ esse intelligentiæ affirmauit. Nam Diuus Thomas, [h] quæ ratione carent ait,in finem ab alio ordinantur: tota enim irrationalis natura comparatur ad Deum,sicut instrumentum ad agens principale. Neque verò Deum quoquo modo operantem,naturæ nomine intelligere oportet: sed secundùm potentiam ordinariam,seu vt alij loquuntur ordinatam & secundùm statutas mundo leges ordinatè agentem. Vel ipse etiam dicitur diuinus rerum omnium ordo,quo sensibilia quæque mouentur, oriuntur & occidunt. Hinc naturam,fatum,fortunam, Deúmque; vnum idémque esse aiebat Seneca. [i] Atque ea mente, Hippocrates libro de arte:naturæ lege nomina rebus esse indita scripsit. Eadéque natura est quæ apud eumdem, [k] omnia omnibus sufficit: quæ nostri opifex, & δημιουργικὸν αἴτιον dicitur: quam Galenus tot elogijs,libris de vsu partium,de vocalium instrumentorum dissectione,de semine, & fœtûs formatione commendauit. Non enim audiendi illi sunt,qui cum Ficino, [l] aliam Deo inferiorem formam agnoscunt, per sublunaria diffusam: quæ mundi materiæ infusa, seu vitalis spiritus & seminum plenus,per semina artificiosè singula disponat. Quoniam hi in eo falluntur,quòd Diuina maiestate indignum putent cum his rebus inferioribus implicari. Et fœlicissimam mentem non ita negotiosam esse debere: à cuius fœlicitate,perenne illud rerum sublunarium producendarum & regendarum negotium plurimum detrahere imaginentur. Sed quem huic subrogatum operi dicant, explicare non possunt. Beatámne Intelligentiam, quam à suauissima Dei contemplatione ad ho-

rum

[a] Lib. 1. Physic. tex. 3.
[b] In præfat. comm. 1. in lib. de natura humana.
[c] Lib. 6. de perenni Philosophia. c. 5.
[d] Lib. 22. lect. antiq. cap. 1.
[e] Lib. 17. de vsu part. c. 6.
[f] Lib. 9. de plac. Hipp. & Plat. cap. 8.
[g] Lib. de bonis. & vitio succor.
[h] 1. 2. q. 1. art. 2. in corpore.
[i] Lib. 4. de benef. cap. 8.
[k] Lib. de alimento.
[l] In præfat. ad Platonis Dialog. de legib.

rum inferiorum politiam diuertentes,fœlicitate priuabant. Is erat fateor Procli & Iamblici error, quorũ ille [m] sublunarium opificem intelligentiam astruebat:quem sequutus Auicenas, illam Cholcodæam appellasse refertur. Verùm cùm maximè infinitam Dei bonitatem deceat,eorum omnium Rectorem & conseruatorem esse,quorum fuit Creator:cùmque immensæ illius & nullo opere fatigabili potentiæ idipsum conueniat: ac demum ijs omnibus rebus per essentiam & potentiam sit præsens,imo omnia intra oceanum suæ infinitatis quasi immersa contineat. Dicamus non alium à Deo regendis rebus omnibus creatis præesse : qui sine fatigatione, & absque vlla fœlicitatis imminutione , & vt prima causa cum rebus omnibus ad agendum concurrit , & vt suauissimus omnium parens dispo nens omnia suauiter,&se quorumcumque naturæ accommodans,singulorum defectus ita supplet:vt irrationalia ad finem rationabiliter dirigat , & quæ multiplici alteratione ad varias generationes præparantur,ad complementum generationis perducat. Hic est qui quotidie tot stupendos effectus profert,quos vt familiares & consuetos non contemplamur:si tamen ad illos mentis aciem conuertamus,summam aliquam potentiam & infinitam sapientiam eorum authorem esse agnoscere cogemur. Hic est qui singula creando certam illis in operando legem indixit , quam si illa per naturæ suæ infirmitatem explere nequeant : ipse eisdem vt instrumentis vsus , quod peragendum est, se organorum aptitudini aut ineptitudini admirabili modo accommodans, absoluit & complet. Hic tandem est, per quem cùm cætera omnia sint,& per se solus existat, nullo explicabilis nomine:ad eius tamen immensam majestatem designandam Deum appellamus: ad familiarem autem eiusdem cum rebus creatis concursum significandum,naturam dicimus.

Particulare agendi principium rebus quibusque insitum,quod natura vocatur,multiplex est:Vel enim est ipsum suppositum cui omnis motus actióque tribuitur:vel id per quod suppositum quoduis principaliter operatur : vel tandem operantis instrumentum. Principale quidem illud per quod supposita quæque operantur ab Aristotele, [n] forma esse dicitur : & in definitionibus Galeno ascriptis facultas quæ animal moderatur,natura nuncupatur. Libris præterea de symptomatum causis , [o] naturæ nomen,pro omni facultate quæ animal siue voluntatis nutu,siue citra hunc regat, intelligendum esse decernit.

Quo sensu naturæ nomen vsurpauit Hippocrates,[p] cùm naturas morborum esse medicatrices ait: & naturã ipsam sibi per se non ex consilio motiones ad actiones obeundas inuenire , à nullóque edoctam,& citra disciplinam ea quæ conueniunt efficere. Scilicet quòd ex instinctu & creatoris prærordinatione (seipsum etiam cùm oporteat in particularis naturæ auxilium applicantis) non autem humana ratione instructa operetur & agat.

Medicis tamen vix vnquam,anima rationalis vel sensitiua per se naturæ nomine insignitur: sed ea communissimè natura dicitur,quam Galenus [q] à Platone concupiscibilem , ab Aristotele vegetantem,ab Stoicis naturam dici asseruit. Cuius ille ipse, [r] generationem, auctionem & nutritionem opera esse dixit :& animal quidem ab anima simul & natura gubernari, stirpes verò à sola natura regi professus est.

Aliâs verò,non solùm facultatum radix anima,vel ea vna facultas quæ citra rationis aut appetitûs imperium & per se ipsam mouetur & agitur,natura appellatur:sed quæ insitæ sunt nobis propensiones,& ab ipso ortu,animæ annexæ inclinationes,natura dicuntur. Vnde Plato , [s] fortis naturæ hæc est conditio, ait, vt si per multas successiones expers temperantiæ permaneat : principiò fiat robustior,tandem verò in furorem versa deficiat.

Instrumentum tandem illud rebus quibusque ac viuentibus maximè insitum principium, quod natura vocatur à Medicis ; temperamentum est. Quod non solùm Galenus naturam vocat :[t] sed præterea affirmat [u] huiusmodi significatum,maximè esse secundùm substantiam seu rationem naturæ. Quinimo illud corporis formam esse,sæpissimè libro quod animi mores &c. atque alibi passim asseruit. Vixque aliam substantialem formam in nobis agnouit : qui licèt plerunque hac in re anxius,tandem tamen , [x] se longâ experientiâ comprobasse scribit, essentiam ipsam facultatum in temperamento consistere. In quo cùm grauissimè erraueritit : iure à Nemesio [y] pluribus arguitur. Præsertim cùm vt aiebat Diuus Gregorius Thaumaturgus,[z] concipi nequeat accidens quod à materia cui inest suum esse mutuatur,eidem esse tribuere,& corpus viuens substantiam esse,id autem quod illud ad viuentis gradum suo nobiliorem eleuat,esse tantùm de genere accidentis. Sub codẽ significatu Hippocrates [a] naturæ nomine vtitur. Naturæ enim inquit , quod ad anni tempora attinet,aliæ ad æstatem,aliæ ad Hyemem benè aut malè affectæ sunt:quædam verò ad regiones,& ætates,victûs rationem,& alias aëris conditiones. Item cùm hæc quidem ait, [b] maximè causæ sunt, cur naturæ permutentur:deinde etiam regio in qua quis nutritur,& aquæ;magna enim ex parte,hominum formas & mores,regionis naturam imitati reperies.

Aliquando calidum innatum,natura appellatur à Galeno : [c] quod primum naturæ instrumẽtum

m In præfat. ad Platonis sophistam.
n Citato lib. 2. Physic. tex. 3.
o Lib. 2.c.1.
p Lib. 6.epid. sect. 5. tex.1.
q Lib de fœt. form. cap. 6. ad finem.
r Lib. 1. de facult.natur. cap. 1.
s In dialogo de regno ad finem.
t Comm. in aphor. 34. & 35. lib. 2. necnon 2. in lib. acut.com. tex. 31. & 47. lib. 5. simpl. cap. 6. & sæpe lib. quod animi mores, &c.
u Comm. in aphorism. 2. lib. 3.
x Lib. 2. de præsagiis ex puls. cap. 8.
y Lib. de anima. cap. 2.
z Lib. de anima. cap. 3.
a 3. aphor. 2. & lib. de humoribus.
b lib. de aere, aquis & locis ad finem.
c Comm. in aph. 14. lib. 1

esse aliàs dixerat: [d] & aliquando, [e] vel animam esse, vel primum naturæ instrumentum. Nonnulli quòd genitale mulierum sit id vnde nascamur, illud etiam naturam appellarunt vt videre est apud Ciceronem [f] & Plinium. [g] Galenus tam vagus est in nominis naturæ significatu, vt aliquando solam corporis conformationem & figuram naturæ voce significari dixerit. [h] Aliàs solam ipsam corporis texturam naturam vocat: [i] vt quando naturarum meminit, quibus corporis habitus ægrè digeritur. Sed frequenter etiam naturam, totámque rei substantiam appellat, indiuidualem graduationem temperamenti, peculiari substantiæ modo coniunctam. Vt alibi, [k] varijs authoribus confirmauimus. Quare pro diuersis casibus, Medici ad varios significatus naturæ nomen vti æquiuocum distrahunt: cui exinde multiformes vires, pro significatuum varietate tribuunt.

Nos autem hic particulatim, per humani corporis naturam, intelligimus eius essentiam rationémque integram quà & corpus est & quà humanum. Quam quæ complent, aut necessariò consequuntur, res naturales à Medicis appellari consueuerunt.

d Lib 14. de vsu part. c. 6. e Lib. de rigore & palp. cap. 6. f Lib. 1. de diuinatione. g Lib 22. cap. 13. h Ad finem comm 34. aph. lib. 2. i Com. 2. in lib. 2. epidem com. tex 78 k Exercitat. 6. nostrar. sect. 1 cl. exercit. & infra lib. de temper.

De Elementis.

LIBER PRIMUS.

CORPORIS humani naturam explicaturi, eius materiam formámque inuestigemus oportet: ac materiam primò, quoniam ea est quæ formæ substat, atque eadem naturâ est prior. Neque tamen, materiam primam commune rerum naturalium subiectum inquirimus: sed prima ea & simplicissima corpora, ex quibus primò hæc nostri corporis massa componitur. Talia autem vt notatum est à Galeno, [a] ea sunt, quæ vulgò elementa vocantur.

Aristoteles enim etsi passim varium huic elementi voci significatum assignet, vti Conimbricenses aduerterunt: [b] tamen in Metaphysicis, [c] elementum definit, esse id ex quo componitur primò, inexistenti, indiuisibili specie in aliam speciem. Et libris de cœlo, [d] est itaque elementum ait, illud corporum in quod alia corpora diuiduntur, quod inest potentia aut actu; ipsum autem est indiuisibile in diuersa specie. Quæ posterior definitio priorem explicans in eo solo differt, quòd hâc elementa definiantur sub ratione vltimæ dissolutionis mixtorum: illà verò, vt primò compositionem mixtorũ ingrediuntur. Quæ minima est dissonantia, cùm enim in ea vltimò quodlibet dissoluatur, ex quibus idipsum primò cõponitur: sub vtraq; ratione, æqualiter natura componentis explicatur.

a Infra f. in lib. Hipp. de nat hom. b Q. 1. in lib. 2. de gen. art. 1. c Lib. 5. tex 4. d Lib. 3. tex. 19.

Vt autem hæ elementi definitiones perfectiùs intelligantur: Sciendum est licet apud Aristotelem [e] elementum cum principio aliquando confundatur: ita tamen inter se distingui, [f] vt vnum plurimum absit ab altero. Principia enim Aristoteli, [g] ea dicuntur, ex quibus sunt ea quæ sunt, & quæ neque ex alterutris sunt, neque ex alijs, at ex his omnia. Huiusmodi autem sunt; materia, & forma; priuatio enim, non geniti sed generationis est principium. Ea verò ita sunt simplicia, vt etiam sint incompletæ substantiæ quæ per se subsistere non possunt: licèt ex eis constent entia omnia Physica quæ subsistunt. At elementa dicuntur esse prima quædam simplicissima corpora, per se subsistentia & completa: ex quibus tanquam ex secunda materia, alia omnia corpora naturalia componuntur.

e 1. Physic. tex. 37. 4. Metaphysic. tex. 23. f Aristot. 7. Metaph. tex. vltimo. g Lib 1. Physic. tex. 7. & 42.

Verùm quia hanc distinctionem Auerrhoës, [h] ex terminis prioris illius & magis celebris definitionis erui negat; cui assentiri videtur Suarez: [l] conditiones quas ea definitio in elementis requirit, & ex quibus tota eorum ratio innotescet explicandæ sunt.

Quatuor enim ad naturam elementi constituendam ea definitio ex Diuo Thoma [k] requirit: quorum primum iuxta Aristotelem [l] est, vt elementum sit causa velut ex quo, seu de genere causæ materialis: per quod forma ab elementi ratione excludetur. Secundum vt idem compositionem ingrediatur primò: quod partibus similaribus, & materiæ arte factorum, elementi rationem denegat. Tertium, vt idem sit inexistens & intrinsecum rei: quod priuationem minimè esse elementum monet. Quartum tandem, vt idipsum sub aliqua specie contineatur, & sit indiuisibile in ea quæ inter se specie differunt. Cuius conditionis pars prior prima rerum naturalium interna principia materiam & formam, ab elementis distinguit: posterior verò similares partes ab elementorum ratione detrahit. Huiusmodi autem conditionem in prædicta definitione contineri, ipsa eius verba demonstrant. Nugatoriè enim indiuisibili specie in aliam speciem diceretur, si ne ipsum quidem sub specie aliqua constitueretur. Quod quia paulò obscuriùs dictum erat; idipsum aperriùs Aristo-

h 5 Metaph. comm tex 4. l Disp. 15. Metaph. sect. 10. num. 53. k Lect. 4. in lib. 5. Metap. l Citato text. vltimo lib. 7. Metaph.

teles in altera definitione explicauit:in qua cùm elementum dixit, esse illud corporum in quod alia corpora diuiduntur:voluit elementum completam esse substantiam, & de genere eorum quæ in recta linea categoriæ collocantur.

Quod autem indiuisibile dicitur,non de diuisione quantitatis intelligendum est:sed de diuisione quæ alterationem destructiuam sequitur,& vltima est corporum resolutio,per quam mixta omnia in simpliciora quædam corpora, & hæc in nulla alia resoluuntur.

Quæ cùm ita sint,rectè etiam à Galeno (licèt breuiùs) definitum esse elementum constabit: cùm in libris de elementis, [m] elementum est inquit, minima pars eius cuius est elementum. Cùm enim minima pars esse dicitur,ex eo componi intelligitur, idémque inesse quia pars: tum primò quia minima; & eâdem ratione indiuisibili specie in aliam speciem, quòd nulla sit in composito completa substantia elemento simplicior,nec homogenea magis. Ea verò ratione dictam esse minimam,elegantissimè sic Galenus [n] explicuit. Minimæ particulæ quatuor habentur, terra,aër,aqua & ignis: vt minimum id intelligatur quod non ampliùs suscipere sectionem potest. Nam magnitudinis diuisio,nullum habet huiusmodi minimum:sed quæ aliquando subsistat terminúmque inueniat,sola speciei sectio est. Hinc Auerrhoës, [o] non repugnat inquit, elemento esse. Diuisibile in partes quantitatiuas:sed ei repugnat esse diuisibile in partes habentes diuersas formas.

Omnium autem clarissimè Auicennas, [p] sic elementa definit. Elementa inquit,sunt corpora, & sunt partes primæ corporis humani & aliorum:quæ in corpora diuersarum formarum diuidi minimè possunt,ex quorum commixtione species diuersæ generatorum sunt. Ex quibus cùm abundè pateat elementorum natura:iam quænam ea sint quibus elementi ratio conueniat, & quæ corporis humani sint materialia principia inquiramus.

m Lib. 1. c. 1.

n Lib. 8. de decretis Hippoc. & Plat. cap. 2.

o 3. De cælo comm. tex. 31

p Lib. 1. fen. 1. d. 2. cap. vnico.

Quænam ea sint, & quot, quæ corporis humani elementa dicuntur.

CAPVT PRIMVM.

EX vna simplicique substantia corpus humanum minimè consistere, ex eo probauit Hippocrates, [a] quòd si ex singulari materiali principio componeretur, nunquam ab interna causa doleret aut corrumperetur: nihil enim est quod in se ipsum agat,aut à seipso patiatur. Cùm ergo omnibus inditum sit, sensim ad senectam & interitum illabi: necessum est,alterationis & corruptionis causam nobis insitam esse,atque ideo ex pluribus inter se contrarijs & vicissim se alterantibus,corpus hoc nostrum componi. Quæ cùm plura esse, vulgaris consensus ferat: quænam ea sint, controuerterunt plurimi.

Paracelsus etsi nugatur vilis,quia tamen multos habet sectatores, primus occurrit: qui omnia ex tribus tanquam primis rerum principiis,componi asserit;Mercurio,sulphure,& sale. [b] Neque mixta solùm:sed ipsa etiam elementa,& cœlos. [c] Qualia autem sint prima hæc tria simplicia corpora,quę passim diuersis nominibus exprimit;sic aliquando explicuit. [d] De tribus his scitote quæ cuiusque forma sit. Vnum liquor est,& is Mercurij:vnum est oleitas, ea est sulphuris: vnum est alxali, hoc à sale est. Cuius sententiæ ea est princeps ratio:quòd per pyrotechniam seu ignium viribus; soleant tria illa ex singulis rebus extrahi.

Verùm huius figmenti tanta est imperitia,vt nec sibi ipsi constet Paracelsus, nec rationi conueniat eius opinio. Sibi quidem minimè constat:cùm quatuor dari admittat elementa. [e] quæ rebus omnibus creandis suffecerint,& ex quibus cuilibet oriatur prædestinata sua res. Necnon [f] modum quatuor elementa ex rebus singulis extrahendi docens: aquam, aërem, & ignem distillatione ascendere inquit,terram verò in fundo manere fatetur:& præter hæc nullam aliam permixtam corporibus substantiam agnoscit. Sed neque rationi consentit hæc sententia;Cùm enim prima quæramus materialia mixtorum principia,quæ oportet simplicissima esse,& planè homogenea: quis est tam vecors & sensus expers,qui non agnoscat, illa ipsa Paracelsi principia ex simplicioribus constare. Ea námque purgari,& vt loquuntur rectificari chymicorum experimento confirmatur:secretionem autem purioris portionis citra suppositam permixtionem fieri posse nullâ ratione concipitur. Præterea cùm ea sint mixtorum materialia principia in quæ mixta vltimò resoluuntur, oporteret in Mercurium,sulphur,& salem omnia dissolui:vt eadem communia esse principia concederemus. Plurima autem esse quæ neque per putredinem,quæ communis est mixtorum interitus, neque vllius artis industriâ in illa tria dissoluuntur:tam euidens est,vt probatione non indigeat. Quis enim aut silices,in aquam solui,aut ex eisdem oleum citra mixtionem eliquatum vnquam aduertit? Quis ex solo vitro crystallino liquorem extraxit? Quis ex Adamante potuit salem parere? cùm

a Lib. de natur. humana sect. 1. tex. 3

b Lib. de tribus primis essent. cap. 1. libro meteor. cap. 2.

c in labyrintho medicor. cap. 3.

d Citato lib. de trib. prim. essent.

e Lib. 1. Philos. ad Athenienses tex. 3. & 13.

f Lib. 3. Archidoxorum.

illius ſubſtantia, Plinio, ignium victrix eſſe dicatur. Quis ex vermilio vulgari pyropi ſpecie, qui nullis aut obſcuratur aut molleſcit ignibus, ſulphur deſtillando eliciet?

Quare Paracelſum mittamus, pergamúſque ad alios: qui concedentes hominis & cæterorum mixtorum eadem eſſe materialia principia, inuicem alterabilia, ſimplicia corpora, & partes vniuerſi; ex quorum concurſu vario varia mixta generentur, & in quæ vltimò diſſoluantur omnia: in horum tamen numero aſſignando diſſentiunt. Ioannes enim Franciſcus Picus Mirandulæ comes [g] Scepticos imitatus, qui de omnibus dubitabant, & nihil certò affirmari poſſe aiebant: elementorum numerum incertum eſſe profitetur. Namque fieri poteſt inquit, vt præter ea quatuor quæ Philoſophorum pars maxima admittit, alia quædam ſint occulta quæ naturæ vi ad res ſublunares conſtituendas concurrant. Irotes Pythagoreus duas eſſe terras eſt arbitratus: poſſent & pari ratione eſſe duæ aquarum ſpecies, multiplex aër, ætheris ignîſque differentiæ plures. In ea prærerea ingentis ſpatij vaſtitate, quæ inter nos & firmamentum ex Tichonis Brahe obſeruationibus intercedere ſupponitur: forſan ignota nobis varia ſimplicium corporum ad mixtorum fabricam concurrentium turma vagatur. Verùm nulla eſt tantæ & tam incertæ varietatis ſuſpicandæ occaſio. Potuit quidem Deus ſimplicia corpora, & mixtorum elementa multo plura formare: ſed eum certo quodam numero fuiſſe contentum, rerum ſtatus præſens confirmat. Et licèt animaduerſa à Tichone Brahe Phœnomena, [h] ſub ſtellarum orbe per vaſtum æthera planetas vagari comprobent: non tamen inuehunt ſimplicia corpora ad mixtionem apta, alia dari, præter ea quæ communis ſchola Philoſophorum admiſit. Nonnulli contrà, numerum elementorum quaternario minorem affirmant, nullum eſſe ignem elementarem aſſerentes. Inter quos Cardanus [i] eminet: qui cùm elemento conuenire dicat, nec pabulo indigere, nec ſponte corrumpi, nec vagari; ſed certam tenere ſedem, maximam habere molem, ac ad generationem paratum eſſe: hæc ipſa igni conuenire negans, eidem denominationem elementi tribuere recuſat. Præter eum verò quem apud nos conſpicimus, nullum alium ignem eſſe, qui ſub concauo orbis Lunæ conſiſtat, huius ſententiæ fautores ideò probant: quòd ille nec luceat, nec vrat vt noſter ignis ſolet, & quòd tanta ignis moles cætera in ſe conuerteret. Atque idipſum ſenſiſſe cum Ariſtotele Hippocratem profitentur: Quorum ille [k] ſcribat, ſupra aquam eſſe aërem, & id quod quamuis ignem conſueuimus appellare, tamen ignis non eſt: Hic verò [l] ſpatium inter terram cœlúmque diffuſum aëre plenum eſſe dicat. Sed hæc non poſſunt, nos à communi Philoſophorum & Medicorum ſententia diſtrahere: qui cum Hippocrate, Ariſtotele, & Galeno aſſeruerunt, communia mixtorum eleméta eſſe ignem, aërem, aquam & terram. Quod cùm multis rationibus probatum ſit ab Ariſtotele: [m] hoc ſolo argumento rem confirmaſſe ſufficiet. Quatuor omnino eſſe in his rebus quæ cœlorum ambitu concluduntur patibiles qualitates primas, à quibus omnis oriatur alteratio quæ rerum generationes præit; calorem ſcilicet, frigus, humiditatem, & ſiccitatem; ſenſuum experimento comprobatur. Earum autem ſingulas decet, in aliquo vt primo & principe ſubiecto ineſſe, in quo totam eam obtineant intenſionis amplitudinem quam aſſequi ſecundùm naturam poſſunt; & quod in vno quoque genere ſit velut caput reliquorum. Quæ prima ſingularum ſubiecta ſimplicia eſſe & impermixta, ideò ſequetur neceſſariò: quod, vt infra docturi ſumus, quæ miſcentur cùm contraria ſint, nequeant qualitates in ſummo permanentes poſt mixtionem conſeruare. Talia autem eſſe agnoſcimus; ignem, aërem, aquam, & terram: in quorum ſingulis, ſingulæ prædictarum qualitatum in ſummo ſecundùm naturam inſunt. Quæ, præterea exinde ſimplicia eſſe profitemur: quòd mutua actione in ſe quidem inuicem conuertantur; eorum autem nulla, in diuerſa diſſoluantur. Ex quibus demum, mixta conſiſtere; vltima rerum diſſolutio indicat: quæ non in plura fieri conſueuit, quàm in calidum ſpiritum igni reſpondentem, tenuem vaporem aëris æmulum, fluidum liquorem aquæ ſobolem, & terreum craſſamentum; in quæ viuentia atque animantia maximè diſſolui experimur. Quinimò & ex horum concurſu vario, lapides, metalláque generari, & plantarum alimenta præparari, quibus deinde animalia veſcuntur, ſenſu penè diſcernimus. His autem ignem annumeramus non ſolùm quòd inter ea quæ calida ſunt ſit calidiſſimus: & quòd ſummo alicubi calore introducto, non alterius illic forma introducatur quàm ignis velut calidorum principis. Sed inde præterea, quòd qui in his inferioribus excitatur, proprium motum ſequutus maxima velocitate ſurſum ferri aſpiret, & nouus ſemper renaſcens, alter alterum conſequatur. Quem mixtis etiam corporibus immiſceri poſſe ex calce patet, & his mineralibus quæ ſubterraneorum ignium viribus excoguntur. Adde quòd citra mixtionem alterius, ex aëre elementorum vno per colliſionem ſupercalefacto & vehementer attenuato generatur: cùm tamen ex vnico elemento mixtum produci poſſe, concipi nequeat. Demum ideò ignem de numero elementorum eſſe pronunciamus; quia eius operâ, mixta extremam ſubire diſſolutionem ſolent: cùm enim quodlibet ſibi ſimile generare conetur, ſi nón ſpecie ſaltem genere; niſi is ſimplex foret, cætera in ſimplicia non diſſolueret. Et quamuis quæ ad hominis, animalium & cæterorum viuentium vſum apud nos extant elementa, minimè ſincera ſed impura ſint: [n] vſpiam ea eſſe neceſſe eſt, [o] quæ prima ſint

&

g Lib. de elem. cap. 3.
h Lib. 1. progym. aſtron. Inſtaurata, parte 2. & 3.
i Lib. 2. de ſubtilitate.
k lib. 1. meteor. ſumma 1. cap. 4
l Lib. de flatib.
m lib. 3. de cælo. & lib. 2 de gener. & corrupt.
n Gal. lib. de Ptiſana. c. 2.
o Fernelius lib. 2. Phyſiolog. cap. 6

& veluti fontes à quibus ista fluxerunt. Quæ autem Cardanum mouerunt vt ignem de elementorum censu detraheret, nullius sunt efficaciæ. Qui enim apud nos ignis est non indiget in morem animalium pabulo, vt idem numero conseruetur: sed semel ad consecutionem vehementis rarefactionis & ad modum intensi caloris genitus ex nouæ materiæ accessione, atque ex alterius combustibilis vicinia continuatâ generatione renouatur & pro materiæ situ mutato vbi, quasi vagatur. Hic enim consistere sua natura non potest: sed vel attingens materiam qualitatum paritate sibi symbolam nouum ignem generat, vel leuissimus cùm sit sursum tendit. Hanc verò relinquens sedem non sponte corrumpitur, sed in natiuam regionem euolat, per medium iter ab aëre sibi qualitatibus aduaisante plerumque corruptus. Cùm autem illi in naturalem locum ascendere conceditur: ibi conquiescit, nec nisi ab externo mouente agitatus, vagatur. At illic vbi ingenti mole consistit, non lucet, nec vrit vt vulgaris noster; præ raritate. Sic qui ab accenso vini spiritu excitatur ignis, nec vrit, nec penè lucet. Qui verò nobis est magis familiaris, seu carbo sit, seu flamma: ignitum potius quidpiam est quam ignis, vt annotauit Bodinus.[p] Vrit autem ille etiam aliquando in propria sphæra eò accedentes pingues exhalationes, vel sibi proximas in suprema aëris regione accendens. Hinc enim multa ignita meteora in ea regione generantur: Licèt non omnia, si Ticbonis Brahe phænomenis credamus. Et vrit, id est in se conuertit aërem plerumque vicinum. Non tamen cætera omnia sibi assimilat: præ resistentiâ contrariarum qualitatum. Imò à vicino aëre aliquando, illius portio corrumpitur: tùm maximè, cùm huic auxiliantur siderum influentiæ ignis qualitatibus aduersantes. Ad generationem autem concurrit mixtorum, vel per media alia mixta quorum iam compositionem ingreditur: vel per se aliquando qui in his inferioribus generatur; vel ad vniuersalis naturæ imperium cùm expedit ex propria regione euocatus. Vnde Poëtæ qui & Theologiam & Philosophiam sub fabularum velo docuerunt, Promethenm ad hominis complendum figmentum ignem ex cœlo furatum dixerunt: quòd Dei prouidentia per Prometheum, significata, & humanum corpus & mixta cætera ex creatis iam elementis ad nutum formans, ignem cæteris admixtionis complementum coïre iusserit. At generari nouum aliquando, longè à propria sphæra, & in subterraneis etiam locis; naturæ legibus minimè dissonum est. Nam quoties per se aut per accidens, ingens raritas, & maximè intensus calor, ac cæteræ dispositiones ad naturam ignis proximè accedentes fuerint in quacumque materia introductæ: in eadem ex vniuersalis naturæ politia, illas, forma ignis consequitur. Sed excutiamus sodes, illum Cardani æthera quem (persuasus difficili illo textu) qui apud Aristotelem legitur [q] sub Lunæ concauo posuit. Et quem purissimum aërem esse ait, maximè sincerum ac limpidum, tenuissimum, qualitatibus expertem, atque ad generationem aptissimum. Aristoteles autem, quod enim ait, sub ea quæ sursum est circumlatione (id est primo mobili) corpus, velut materia quædam existens, & potentiâ calida, & frigida, & sicca, & humida, & quæcunque aliæ has sequuntur passiones, fit talis, & est & à motu & ab immobilitate; cuius causam & principium diximus prius. Esto concedamus priora Cardano: sed nónne bilem mouerent posteriora. Qualis erit ea substantia, qualitatibus expers? Ad simplicem generationem aptissima fateor, omnium formarum facilè susceptibilis, cùm nullas haberet ex defectu qualitatum dispositiones introducendis resistentes. Sed ad generationem mixtorum ea substantia esset inhabilis: quia cætera miscibilia alterandi esset incapax. Quod ad obiectos demum textus ex Hippocrate & Aristotele spectat. Hippocrates quidem, quod inter cœlum terrámque interiacet non ἀέρος συμπλέον dixit, sed πνεύματος hoc est spiritalis tenuisque substantiæ: quæ denominatio, tum aëri, tum igni elementario conuenit. Aristoteles verò, non negat dari quartum illud simplex elementum summi caloris proprium subiectum sub concauo Lunæ situm: sed id propriè πῦρ appellari non admittit, quòd huiusmodi nomen, ei per analogiam & per similitudinem cum accensis rebus conueniat. Excessum enim calidi & veluti feruorē esse ignem inquit. Hinc Albertus magnus;[r] citatus à Ioanne Baptista Bernardo in seminario Philosophiæ: ignis ait est candens in materia terrea. Quæ omnia clariùs ab ipsomet Aristotele explicantur,[f] cùm inquit: sub circulari latione est calidum & siccum quod dicimus ignem; innominatum enim est, & commune in omni fumosa disgregatione, attamen quia maximè natum est tale corpus exuri, sic necessarium maximè est, vti nominibus. Ex quibus apparet illum sub cœlo Lunæ calidum & siccum elementare corpus aëre superius collocare: illud tamen nomine carere & per similitudinem cum fumosa disgregatione hoc est igne in materia crassiore accenso πῦρ, seu ignem appellari. Ex prima enim impositione hoc nomen πῦρ huic igni qui apud nos est vrenti & cuncta depascenti impositū: per analogiam ab hoc nostro crassiore & impuro, ad illum tenuissimum significandum translatum est; quod phrygium esse & barbarum, non Græcum dixit Plato in Cratylo.

p In Theat. natura. pag. 140.

q Cap 4. summa prima 1. meteor.

r Comm. in lib. 1. topic.

f lib 1 meteo. summa 2. c. 2.

Quæ, & quot qualitates, ac quo modo inſint in elementis.

Caput II.

GALENVS,[a] primas elementarias ſpecificas qualitates, quatuor eſſe dixit: calorem, frigus, humiditatem & ſiccitatem. Quæ primæ appellantur, non quòd inter omnes qualitates, etiam actiuas, perfectiſſimæ exiſtant; cùm aliæ ſint his perfectiores; vt lumen & influentiæ. Sed primæ dicuntur inter actiuas rebus ſenſibilibus inexiſtentes, ordine naturæ & cauſalitatis: quia ſunt plurimarum aliarum veluti fundamentum, cùm ipſæ non fundentur in alijs, neque vna ex ipſis in alia earumdem: vt fusè ab Ariſtotele probatum legitur.[b] Quibus vel ſingulatim vel mixtim agentibus, earum rerum quæ alterantur ſubſtantiæ modo concurrente ſecundæ omnes quæ ſenſibus obijciuntur, iuxta Auerrhoem[c] oriuntur. Tum primæ dicuntur, quia hæ ſolæ (in hoc inferiore & ſubcœleſti globo) verè actiuæ ſunt, & paſſiuæ adinuicem, ac ſibi ſimilium productiuæ. Tum quia omne naturale agens primò his vtitur, vt paſſum alteret & ad ſui ſimilis generationem diſponat. Ad quarum mutationem conſequenter aliæ ſic immutantur, vt demum ipſa ſubſtantialis forma præexiſtens, quæ talem introductam diſpoſitionem pati non poteſt, corrumpatur: & alteri formę adueniēti, ſubiectum cedat. Licèt autem omnes hæ quatuor qualitates agentes ſint, & vt aiebat Galenus[d] effectrices, tamen Ariſtoteles[e] calorem & frigus actiuas dixit, humiditatem autem & ſiccitatem paſſiuas: imò calorem & frigus exſiccare & humectare poſſe aſſeruit. Quorum illud ita intelligendum eſt, vt comparatiuè dicatur: quòd ſcilicet calor & frigus magis ſint actiuæ minúſque reſiſtant; cæteræ reſiſtant quidem magis, at minùs agant. Illud verò poſterius Ariſtotelis dictum ita explicandum eſt; vt velit calorem & frigus non per ſe primò exſiccare, vel humectare: ſed ſecundariò tantùm id agere. Sic calor rarefaciendo & partes humidiores euaporando, reliquum vt à Galeno docemur,[f] exſiccat, vel humorem intùs conclusum ad extima euocando humectat, vt in piscationibus, & excitatis ſudoribus fieri aduertimus: aut concretum humorem liquando, veluti ceræ & rebus pinguibus aduenit. Frigus verò res aqueas & fluidas cogens ac congelans exſiccare dicitur. Concreta enim & congelata, ſicca dixit Ariſtoteles:[g] non quòd verè ſicca ſint, ſed ad apparentiam talia. Humorem enim in ſe continent qui facilè à leui tempore diffluit: vt ab eodem Ariſtotele explicatum legitur;[h] Idem aërem in caueis & ſubterraneis eryptis æſtate in aquam denſans, humectare effertur. Rectè ergo Galenus licèt abſolutè calorem & frigus actiuas vocet:[i] & calorem maximè actiuum, nullámque actiuarum qualitatum adeo breui quod appropinquat alterare dicat,[k] ac calor: alibi tamen,[l] omnes quatuor actiuas eſſe docuit; & eaſdem in ſe agere inuicem, patique poſſe aſſeruit.[m] Cui Hippocratem doctrinæ repugnare nullus ſibi ex eo perſuadeat, quòd is inter omnes facultates caliditatem & frigiditatem languidiſſimas eſſe ſcribat.[n] Id enim quomodo ſit intelligendum ab ipſo Hippocrate explicatur. Quòd ſcilicet in mixtis heterogeneæ partes quæ calidæ ſunt & frigidæ minimum operentur, donec ab inuicem ſeceſſerint, vt ſui iuris proprias vires explicent. Cùm enim in mixto ſe mutuâ coïtione temperent, ſingulæ minimùm ſunt actiuæ. Quare mixtorum facultates maximè operatrices in eo reſidere inſinuat, quod acerbum, inſipidum, aut acre eſt. Quoniam cùm agendi quorumcumque vigor non ſolùm ex inſita ſibi qualitate, ſed ex modo etiam ſubſtantiæ illi conſociato naſcatur: vtraque conditio, & tota particularis temperamenti ratio, non aliàs meliùs exprimitur quàm per ſapores, qui peculiarem illam complexam craſim conſequuntur. Cæterum illæ ipſæ quatuor qualitates vt primæ dicuntur, ita primò in elementis inſunt: quòd in his naturâ ſuâ reperiantur in integra ſua perfectione, per hæc autem, in aliis, remiſſæ. Verùm in ſingulis elementis, non omnes hæ qualitates inſunt: ea enim quæ in vnoquoque ſummè intenſa eſt, contrariæ nullam patitur admixtionem. Talis in igne calor eſt, in aëre humiditas, in aqua frigus, & in terra ſiccitas. Neque tamen ſolitariæ hæ ſunt in ſingulis. Cùm enim præterea ignem exſiccare, aquam humectare & terram refrigerare experiamur; oportet in ſingulis, priori qualitati, aliam alterius contrarietatis conſociari admittamus. Duo enim ſunt contrarietatum ordines in primarum qualitatum cenſu: vnus caloris & frigoris, alter humiditatis & ſiccitatis. Vtriuſque autem contrarietatis altera qualitas, in elemētis ineſt: non vt voluit Iacobus de Partibus,[o] quòd qualitates actiuæ, in ſummo & puro eſſe, determinent ſibi paſſiuas. Namque ſi ea valeret ratio, aër & terra cùm non habeant actiuas in ſumma earum intenſione, ſed paſſiuas, nullam haberent actiuarum ſibi connatam. Præterea cùm omnes ſint actiuæ, & ſingulæ primæ, à nullis ortæ prioribus: non poterunt earum aliquæ, alias ſibi determinare. Ideo ergo ſibi ex vtroque ordine, alteram vendicat: quò ſe inuicem potentiùs elementa

repti-

[a] Lib. 3 ſimpl. cap. 4.
[b] Lib. 2. de gener. à tex. 7. ad 15.
[c] In 7 Phyſ. com. tex. 12.
[d] Lib. 1. de facult. ſimpl. in princ. & lib. de curan. ratione per ſang. miſſ. cap. 3.
[e] Lib 4. meteor. cap. 1.
[f] Lib. 1. de temp. cap. 2.
[g] Lib. 2. de gen. & corrup. tex. 13.
[h] Lib. 1. de part. anim. cap 3.
[i] Lib. 2. de ſim. cap. 5.
[k] Lib. 3. de ſympt. cauſis cap 3.
[l] Lib. 1. de nat. facult. cap 3.
[m] Citato lib. 1. de temp. cap. 2.
[n] Lib. de priſca medic. circa medium
[o] Comm. in doctr. 2. fen. 1. lib. 1. Auicen.

reprimant: & ad vnam complexionem formæ mixti conuenientem, vicissim refracta commodiùs reducant. Cùm enim eorum vnum, qua parte imbecillius est vincitur: Idipsum ex altera qua potentius est, vicissim vincit; & ambo reparien do vtrinque refranguntur. Inter has autem qualitates cuique elemento inhærentes; vna quidem in summo gradu & perfectissimo statu inest: at altera, vt docuit Aristoteles, [p] remissior est. Nec oportuit, vtramque in summo inesse: tum ad faciliorem reciprocam refractionem, in mixtionis gratiam: tum quia oportebat ex Aristotele, [q] in omni genere dari vnum quod esset quasi caput in eo genere. Et Galenus, [r] quod summum est ait, id in vnoquoque genere, vnicum est. Cæterum ea qualitas, quæ remissior in singulis elementis inesse dicitur: ad complendam summæ intensionis latitudinem, contrariam sibi annectit qualitatem. Omnis enim remissio, Philosopho authore, fit per admixtionem contrarij. Is enim illud albius vocat, [f] quod est nigro impermixtius. Et magis autem & minùs est ex eo, ait, [t] quia plus aut minus contrarij inest & non. Demum, [u] quod est minus inquit, commixtio semper contrarij est. Quare in vnoquoque elemēto tres inerunt qualitates: vna in summo gradu vt octo, secunda in remisso verbi gratia vt sex, tertia vt duo complens latitudinem summæ intensionis possibilis, deficientis in remissa. Quod Forliuiensis probabiliter tenendum dixit. [x] Ea verò tertiæ qualitatis miscela, elementa mixta esse non concludit. Quia vt mixta dicerentur, saltem qualitatum non alterius solùm contrarietatis, sed vtriusque mixtionem adesse oporteret. Ita, quæ imperfectè mixta dicuntur, vtramque qualitatem prædominantem remissam habent: atque ideo vtrique coniunctam contrariam, in eo gradu qui ad explendam summam intensionis latitudinem est satis. Estque tertia illa elementaris qualitas, in elemento secundum naturam, ex necessitate consequentiæ: quòd actiua qualitas nequeat in quouis subiecto remissa inueniri, absque admixtione contrariæ. Aliàs gradus qui deessent in remissa ad possibilem summam intensionem, ab intensiori agente in instanti introducerentur: quia absque resistentia patientis id fieret, quod contrario resistente esset destitutum. Experimur tamen nec terram in instanti summè frigidam reddi, nec aquam summè humidam: sed gradus illos à summa intensione deficientes, sensim introduci. Illud autem quod nonnulli cauillantur, ergo ignis dicetur humidus, terráne calida; nullius est momenti: quoniam denominatio sumitur à prædominante qualitate; quæ verò tam remissæ insunt in subiecto: nec prædominantes dici, neque à se elementa denominate possunt. Præter relatas autem primas qualitates, elementa nullas secundas sibi vendicant. Cùm enim hæ, ex quatuor primarum commixtione varia, primò emanent: illis carere elementa necessum est, à quibus eùm pura sunt talis abest permixtio. Hinc nullus in elemētis color, sapor nullus, aut odor, similisue aliqua qualitas. Quòd si terram etiam puram videri dicatur, & visum terminare; alia videri sub ratione medij: aquam etiam secundùm quid visum terminare. Videri respondebimus non ratione coloris, sed affusi luminis, quod visûs etiam est obiectum: at visum terminare, ratione opacitatis. Leuitas tandem & grauitas, in elementis reperiuntur: in igne summa leuitas, in aëre remissa; in terra summa grauitas, & in aqua remissa. Atque id quidem, quòd oporteat illis inditam esse vim, qua per se & nullius alterius ope ad naturalia loca ferantur. In quibus si pura sint & libera, nec grauitant nec leuitant; sed ibi conquiescunt: nisi ex præscripto naturæ vniuersalis ad vitandum vacuum, vel grauia sursum, vel leuia etiam deorsum, contra particularis naturæ vim ferantur. Cùm autem Aristoteles [y] dixit omnia in sua regione leuitatem habere præter terram, & grauitatem præter ignem, etiam aërem ipsum: quod vtris inflati exemplo comprobat, qui vacuo est grauior, vt in problematibus [z] etiam adnotatur. Licet Themistius, & Simplicius, [*] Aristotelis dictum absolutè negent: nullam tamen cum Caietano Thienensi respondere ex impuritate elementorum aut etiam ex impressa vi ab externo agente, fieri vt illa secundùm partes in propria regione vel grauitent vel leuitent. Quòd ad vtrem pertinet, cuius experimentum negant illi: id accidere existimarem, quod aër plus solito in vtre compressus, grauior seipso reddatur. Grauitas enim & leuitas quæ in elementis sunt instrumenta lationum ad propria loca, non à vario primarum qualitatum habitu manant; aut vt voluisse videtur Aristoteles, [§] ex sola inclinatione lationis ad locum cuique à natura destinatum: sed à vario quantitatis modo, variâ scilicet raritate aut densitate nascuntur.

p Lib. 2. de gen. & corrupt tex. 23. atque idem insinuauit Auerrh. 4. de cælo comm. tex. 19 inquiens humiditatem in aere maiorem esse quàm calorem.
q Lib. 2. metaph. tex. 4.
r Lib. 1. de elem. cap. 6.
f Lib. 3. topic. cap 4.
t Lib. 5. Physic. tex. 19.
u Lib. eodem tex 45.
x In cap vnicum doctr. 2. fen. 1. lib. 1. super verbo, ipsius verò.
y Lib. 4. de cælo tex. 29. & 30.
z Sect. 25. probl. 13.
* Com. in cit. tex. lib. 4. de cælo.
§ Lib. 4. de cælo tex. 26. & sequentib.

Quæ qualitates in specie insint in singulis elementis.

Capvt III.

QVamvis ignis varia esse genera dicat Plato apud Galenum: [a] Ignem tamen elementarium, simplex illud corpus appellamus: quod sub concauo orbis Lunæ proximè situm, & summè calidum est, ex Galeno, [b] & remissè siccum, iuxta ea quæ capite præcedenti demonstrata sunt. Neque obstat Pergamenus qui ignē maximè exsiccare ait: [c] quòd id dictum sit, non quia intensissimè sit siccus; sed quia & promptissimè operando, & tam per se quàm per accidens exsiccando, intensio-

rem

a Lib. 7. de decretis Hippoc. & Plat. cap 6.
b Lib. 1. de temp. cap. 1.
c Lib. 1. de sanit. tuenda cap 2.

rem producat effectum. Non enim ab his quæ in effectibus imprimuntur intensionem qualitatis in agente Physico metiri oportet. Quoniam quæ ob propriæ substantiæ tenuitatem operantur, cum minùs possint à passo reagente retundi: plures gradus sibi infitæ qualitatis impriment in passo; quàm alia quæ ob crassitudinem substantiæ tardiùs operantur; quorum vis plurimùm antè retunditur, quàm actionem compleuerint.

De aëre maior est controuersia: quem Aristoteles [d] calidum & humidum dixit; ac summè quidem humidum, remissè autem calidum, vt Aristotelici omnes interpretantur. Verùm id totum à plerisque controuertitur. Bodinus [e] siccum dixit: Cardanus, [f] & Valesius; [g] temperatum dixerunt. Siccum videtur, quòd experientiâ probemus plurima aëri exposita exsiccari, & carnesquæ nocturno aëri extra lunæ radios exponuntur, tardiùs putredinem concipere, quàm si in conclusо & impuriore aëre contineantur. Item in libero aëre degentes minùs excrementorum accumulant, sicciores sunt, & salubriores: vt montanorum Ligurum exemplo probat Scaliger. [h] Hinc Auicennas, [i] aërem exsiccare ait. Quinimo Aristoteles ipse, cur aër, inquit, [k] cùm aquam tangit non humescit: &, [l] cur aër per aquæ contactum frigidus reddi potest, humidus non possit. Quæ proponens vel aëris humiditatem remissiorem esse quàm aquæ existimauit, vel nugatoriè illa quærit. Temperatum contrà esse confirmant: quòd facilè ad vtrumque extremorum ducatur; quod medicamenta in passiuis præsertim temperata, aërea dicantur: Et quòd Hippocrates, [m] & Galenus, [n] aërem aliquando humectare dicant, aliâs etiam exsiccare. Quibus non obstantibus, aërem elementorum omnium humidissimum esse asserimus. Quoniam is cùm minimùm terminari aut contineri possit termino proprio, facillimè autem alieno; & in eo humidi ratio consistat, ex Aristotele, [o] humidissimus verè dicitur. Ad obiecta ergo respondentes: fatmur aërem hunc infimæ regionis impurum frequenter exsiccare: non à propria & naturali vi, sed accepta ab influxu siderum, & siccorum ventorum, atque etiam quiescentium exhalationum permixtione. Eius enim naturæ est aër, vt præ tenuitate substantiæ, & actiuæ qualitatis quam à natura obtinuit imbecillitate; omnium facillimè externas recipiat impressiones. Hinc quasi in medio cæterorum elementorum situs [cùm aqua & terra vnum globum faciant] ad eam vsque commoderationem ducitur; vt ab Aristotele, [p] & Simplicio, [q] respectu cæterorum sensiles minimè differentias habere dicatur. Quod Cardanum & Valesium eo inclinauit, vt aërem esse in actiuis temperatum dicerent. Cæterùm vt ad aëris vim exsiccantem redeamus, fatemur eum quosdam aliquando siccitatis effectus prodere: sed per accidens magis quàm per se: frigore enim sibi insito; vel congelat humidum, vel externas rerum superficies densans & internum calorem roborans subsequenti exsiccationi occasionem præbet. Putredinem etiam nonnunquam inhibet: cùm quæ putrescere sunt apta frigore densans, proprij eorum humidi separationem à sicco retardet aut impediat. Degentes præterea in eo qui purior est minùs excrementis abundant: quòd cùm aëris continuâ inspiratione ad cordis perfrigerium & spirituum generationem indigeamus, puro maximè recreemur, ab impuro autem & crasso mille modis offendamur.

Quòd ad Aristotelem autem obiectum pertinet, respondemus, illum eo loco non quærere cur aquæ contactu non humescat aër, mutuatâ scilicet ab aqua ea qualitate quæ inter primas humiditas appellatur: sed quærere cur non madeat, seu cur aqueæ substantiæ portionem sibi adhærentem ex contactu non referat; vt solent lapides & alia, quæ aquam attingunt. Hoc autem voluisse Aristotelem ipsius verba exprimunt; quibus magnam lucem adferunt ea quæ in sequentibus problematibus, [r] leguntur. Plurimùm verò inter se differre humidum esse, & madidum esse: ex eodem Aristotele patet. Qui, [s] madidum appellat, quod superficie tenus alienam habet humiditatem: humidum autem, quod propriam humiditatem habet in profundo. Qui tandem temperatum dicunt; prioribus, non argumentantur acutiùs. Facilè enim aër ad vtrumque extremorum ducitur: quia admodum tenuis est, & imbecillis resistentiæ. Cúmque ipse ad sensum plerumque sit temperatus, vel saltem per reciprocam participationem extremorum dum variè ab externis causis alteratur: per analogiam ad aëream tenuitatem, mediúmque eius temperamentum, medicamenta quædam aërea appellantur. Pro eiusdem autem constitutionum diuersitate ab Hippocrate & Galeno; is nonnunquam humectare aliâs exsiccare effertur. Quare scitè eum Aristotele, Galenus, [t] aërem humidum absolutò appellauit: imò & summum humorem eidem tribuit. [u]

Verùm longè grauior est difficultas; an aëri calorem aut frigus natura tribuerit. Siquidem ex Galeno, [x] Aristoteles & qui eum sequuntur, aërem calidum esse existimant: Stoïci verò frigidum. Idémque censuit Empedocles vt colligitur ex Aristotele, [y] cui adhæret Seneca; [z] Neque aliter senserat Pythagoras, qui apud Laërtium, [a] aërem, frigidum æthera vocitabat. Quorum opinionem probatam legimus à Bodino [b] & Iosepho à Costa.

d Lib. 2. de gen. tex. 16.
e Lib. 2. theatri natur.
f Lib. 2. de subtilit.
g Lib. 1 contron. cap. 1.
h Exerc 28;
i Lib. 1. fen. 2. doct. 3. c. vlt. circa medium, & fen. 2. doct. 2 c. 3.
k Sect. 25. probl. 3.
l Problem. 10.
m Lib. 3. aphor. passim
n Lib. 2. de crisib cap. 1. & lib. 1. de sanit. tuenda cap. 3.
o Lib. 2. de gener. tex. 8.
p Lib. 1. Physic. tex. 54.
q In comment. tex.
r Problem. 11. & 12. eiusdem sect.
s Lib. 2. de gen. tex. 14. & 15.
t Lib. 1. de temper. c. 6.
u 1. in 1. de natur. hum. comm. tex. 3.
x Lib. 2. de simpl. facult. cap. 10.
y Lib. 2. de gener. & corrup. tex. 19.
z lib 2 quæstion. natur. cap. 10.
a lib. 8. de vitis Philos.
b In theat. naturæ.

Neque

[c] Neque plurimùm ab horum fenrentia abfunt Cardanus, & Valefius, qui illum remperatum dixerunt. Gaienus inter vtrofque vagus, quid hac in re fenriat vix clatè vnquam explienit. Verumtamen iiberè aliquando Ariftotelis affertionẽ qna aërem calidum effe dixit, falfam appellauit. [d] Cuius dicto andientes, & rationibus tandem victi; Stoïcorum fententiæ affentiri eogimur. Inter ea verò quænos mouerunt vt ab Ariftotele deficeremns, potiora hæc funt. Cùm rebus fingulis inditum fit à natura; vt fe quàm maximè poffunt rueantur, fibi contrariis alterationibns plurimùm tefiftant, & facilè in naturalem ftatum per fe etiam redeant: qnòd plurimùm caiefacienti refilter, at facilè à frigido vel debiliore vincetnr, & ad foiius caiefacientis abfentiam quafi naruralem reaffumens habitum tefrigerabitur; huic frigns effe connaturale, eaiorem antem aduerfum eum ratione dicetur. Talem autem effe aërem, ipfa experientia conuincit. Sol enim fiderum omniom lucidiffimum & eminenter calidiffimum, vix multâ fuper orizontem morâ caiefacere aërem poteft: qui illo declinante mox refrigeratur. Prærerea dum iile ab æquarore ad tropicum cancri girarur, mitiorem æftum excitar, quàm per vnum aut alterum menfem à eancro rediens: cùm tamen antea magis ad noftrum Zenith accedens radios perpendicularibus proximiores emitteret. Quod quoniam exinde prodire conceditnr, quia fuperanda erat refiftentia; quæ non aliundè quàm à contrarij præfentiâ nafeitur: aëri infitam effe difpofitionem caiori contrariam & repugnantem admirrarur oportet. Atque id maximè eùm foie ad æquatorem redeunte; aër, fponte tepefcere incipiat, & fenfim ad frigiditarem redite. Hinc æftas breuior eft hyeme. Non diffimili ex caufa fub æquatore, vt Nautæ & hiftoriæ Indiarum fcriptores referunt; aëris temperies non fperata fentitur. Cùm enim in eo terræ mariúmque tractu noctes fint diebns æquales: per iiias quidem aëri licet ad natiuam frigiditatem redire; per breuiorem autem diurnam foiis moram fupra orizontem, quàm fub tropieis, non poteft in eodem vehemens ealor imprimi. At contrà fub ardente Syrio, vei à leui plnuia, vel ab oecurfu alicuius refrigerantis conftellationis: aër eitiffimè teporem aot frigiditatem contrahit. Quòd fi calor aëri fecnndùm naturam ineffet, quem æftuantis folis præfentia & foueret & intenderet: is à nullo, nedum medioeris actiuitatis fed ne à potentiffimo quidem agente poffet euinci. Adde eam effe natiuam aëris fub æquinoctiali frigiditatem, vt fi vas aqua plenum aëri per noctem exponatur, ad glacialem frigiditatem perueniat. [e] Seenndò aërem talem effe fecundùm naturam eft coniectandum; qualem ibi effe apparet, vbi fui ioris eft atque à cæterorum eommercio liber. Sed talem non alibi quàm in media regione inueniri, teftatur Aiberrns Magnus: [f] aër enim verus nõ eft inquit, qui attingit ignem, nec qui attingit aqnam, fed qui in medio eft: iilie enim vt à cæterorum commereio liberiorem agnofeimus, ibidem puriorem effe admittere cogimur. In media autem regione femper eft frigidus, vt meteora quæ in ca regione per varias anni tempeftares generantur, comprobant. Cuius rationem reddens idem Albertus, [g] media aëris pars eft frigida inquit: tum quia deftituta eft ab ignis calore & ftellarum radiis; tum quia repercuffi radij ad illam non perueniunt. Quare cùm aër calorem non ex fe habere probetur, fed illum ab externo calefacienre mutuari: eumdẽ ex fe & natura fua frigidũ effe conuincitur. Neque vim huius rationis effugiunr, qui dicunt mediam regionem per antiperiftafim, frigidã reddi. Nam eũ per antiperiftafim, vt cõmuniter iila cõeipitur, quælibet in aliqno inhærẽs actiua qnalitas ad præfentiã contrariæ magis intendatur: ex eo ipfo ftigidum effe aërem fequetur. Is enim cũ à reflexis aut refractis folaribus radiis circa terrã incalefcat, & furfũ ignis vicinia ad calidũ etiã importunè alteretur: ne integrè natiuã rẽperiem perdat, in media regione vires colligens, fibi infitum à natura frigus intendere & augere intelligetur. Tertiò aër is qui nos ambit, tum etiam quando ab externo agente incaluit; ventilatns nos refrigerat. Idem à vehementiore motu calefactos, fuo frigore offendit, eutem conftipat, & febres à prohibita tranfpiratione plernmque in eifdem excirat. Prætetea, cerebrum (qnod inter frigida membra connumeratur) vulneratum æftino etiam aëri exponi prohibetur: qnòd ex Galeno, [h] omni æftiuo aëre calidins, hnius etiam oecurfu iædatur. Ac demum ad cordis refrigerium vel fumma æftate aerem infpiramus. Sed nec extrema euris, etiam vbi ab exereitiis incalnit; nec cerebrùm: ac vix cor ipfum; ad fextum ealoris gradum accedunt, quem fecundùm naturam non fuperant. Ergo cùm ab aëre etiam æftino illa refrigerentur: erit is tum etiam cùm ab externo plurimùm incalnerit, minùs calidus qnàm à Peripateticis fecnndùm natnram effe dicatnt. Quibns non obftat poffibiles primarum qnalitatnm combinationes quatuor effe, quatnor elementis conuenientes: qnarum ea quæ caloris & humiditatis eft, aëri conneniat. Nam præterquam, hoc eft ab Ariftotele excogitatum: magis decebat tria effe elementa frigida, quæ æftuofiffimo (vt loquitur Cardanns) elemento refifterent; quàm aërem iiii proximum calidnm effe, qui & exinde & ob coniunctam tenuitatem illius actiuitati promptiffimè cederet. Prætcrea fummo humori meliùs remiffum frigus copulatur, quàm calor: qui illius naturæ aliqua ratione infidiatur; qui à ficcitate in omni fubiecto acuitur, & hebetatur ab humore. Nec maius negotium faciunr, vulgares loquendi modi: cùm fcilicet fpiritus in viuente calidiffimos, & plurima medicamenta calida aëreæ fubftantiæ dici confueuerunt. Nam vei fic ea denomi-

c Lib. 2. hift. Ind. cap. 12.
d Lib. 8. de vfu part. c. 3.
e P. Iu. Capuc. in 2. parte hift. infula Maragnam, cap. 38.
f Lib. de natura locor. dift. 1. cap. 3.
g Lib. de paffionibus aëris
h Lib. 5. de vfu part. c. 2.

nant quòd ſubſtantiæ aëris tennitatem imitentur, potiùs quàm quòd aëris natiuam temperiem referant: vel ex Peripateticorum ſchola illas loquendi formulas emanaſſe credendum eſt, quos decuit ad ſua principia conſonanter loqui. Neque pigeat peripateticæ doctrinæ aſſeclas, mutare ſententiam: cùm ex noſtra varijs problematibus ſatisfacere commodiùs poſſint, quàm ſuam ſequuti Problemati enim decimo octauo ſectionis vigeſimæ quintæ quam ob cauſam, aëte ſudo apertóque, frigus ſit acrius quàm nubilo; cùm ſtellæ ſint calidæ & cœlum: reſpondemus id euenire, quòd aër per ſe frigidus liber à vaporibus à quorum permixtione tepeſcit, acriùs refrigeret. Decimo nono, cur minùs quàm plus aëris calidius ſit; ſic facillimè ſatisfacimus: quia in pauciore aere minor eſt reſiſtentia, ideóque faciliùs incaleſcit ab externo. Ariſtoteles verò, ad maiorem motum referens copioſioris aëris minorem calorem: facillimè refelletur, ex his, quibus cùm de pulſibus agemus motum calefacere probaturi ſumus. Refrigerat motus per accidens aliquando, vel in vicem eius qui nos ambit iam calefacti, frigidum ſuggerens; vel immixtos calidos vapores exhalans: per ſe autem refrigerare nullâ poteſt aut ratione, aut experientia confirmari. Sic & decimo quinto eiuſdem ſectionis problemati facilè à nobis ſatisfit, licèt infra capite de antiperiſtaſi faciliùs: auroram frigidiorem veſperâ, quia per integram noctem aër potuit commodiùs ſe natiuo ſtatui reſtituere, quàm proximè poſt ſolis occaſum, cùm tunc ſolùm ceſſet à ſolaribus radijs calefieri. Ariſtoteles autem vt reſpondeat, tacitè in noſtram ſententiam ire cogitur: cùm ait auroram noctis medio propiorem eſſe, noctis autem medium frigidiſſimum eſſe, quia à ſole remotiſſimum. Vnde ſequitur aërem à ſole quidem interdiu incaluiſſe, at per ſe frigori reſtitutum noctu.

Aquam omnes frigidam & humidam eſſe dixerunt: frigidam quidem in ſummo, humidam autem propè ſummum. Cui decreto aduerſari videtur Galenus: qui [i] eam humidam in ſummo, atque humidiſſimam dixit. Verùm is ita intelligendus eſt, vt illam non elementorum, ſed medicamentorum maximè humidam dixerit. Ea enim ſua craſſitie, partibus quibus ſe inſinuat adhærens: & promptiùs agit, & humectationis maius veſtigium imprimit, cùm tamen in ſe ſit remiſſius humida, quia (vt ita loquar) proprio termino interminabilis minùs. Sibi verò Galenum contrarium ex eo nullus exiſtimet, eùm aſſeruit, [k] aquam neque intrinſecùs aſſumptam, neque extrinſecùs occurſantem humectare. Hoc enim intelligatur oportet, de humore altili ſeu alimentario: quo natiuus qui ſenſim deperit reparatur, & eo ſolo animalium ſolidæ partes humectantur. Quem effectum, nec aqua nec quoduis aliud purum elementum præſtare poteſt. Frigiditatem in aqua ſummam eſſe. etſi minimè liberum ſit à controuerſia, affirmatum tamen eſt à pluribus: quòd cùm quælibet primarum qualitatum in vno ſit elemento tanquam in principe ſubiecto; atque igni calor, humor aëri, & terræ ſiccitas tribuatur: aquæ ſummam frigiditatem conuenire neceſſum ſit. Quod, ſenſu ipſo verum deprehendimus: quamuis non habeamus aquam quæ natiuam puritatem retineat. Hoc ipſum tamen, adhuc impugnatur: quòd mixta plurima medicamenta reperiantur, quæ potiores frigiditatis effectus in nobis quàm aqua producant. Sed id, non ab horum intenſiore frigore prodit: imò ex eo potiùs quòd craſſiora quædam & minus fluida, cùm diutiùs morentur in corpore potentiùs alterent. Alia, quòd ingenti craſſorum vaporum copia occluſis ſpirituum vijs, ſtuporem membris inducant, aut innatum calorem ſuffocent: vnde per accidens magis quàm per ſe, ingens refrigeratio ſequitur, & νέκρωσις aliquando, ſeu mortificatio. Nonnulla demum etſi minus frigida, potentiùs refrigerant: quòd cùm admodum tenuium ſint partium promptiùs ad intima penetrent, & per minima calorem membrorum oppugnantia, faciliùs opprimant. Ita aqua, aceti permixtione, magis refrigerat: non acquiſito frigore, ſed addito ad penetrationem vehiculo. Nouum obicem addunt aliqui, nouo ſuperueniente frigore aquam concreſcere in gelu: quod eam frigidiſſimam non eſſe, indicare videtur: alias frigidiſſimo dari poſſet frigidius. Sed parui eſt momenti hic obex: aqua enim quæ pura eſt, ſinceta & ſummè frigida: nec maiorem poteſt frigiditatem acquirere, nec concreſcere: poteſt autem impura hæc noſtra (minùs frigida quàm eius natura requirat) & aliundè refrigerari, & ob admixtionem terreæ ſubſtantiæ concretionem pati.

Terra randem quæ inter cætera elementa maximè creditur impura, & cuius vix vlla portio impermixta reperitur: cum omnium elementorum difficillimè alieno termino, ar facillimè proprio terminetur: vt ſummè ſicca ideo concipitur: ſic propè ſummum frigida ſecundùm naturam eſſe colligitur. Quod tamen improbatum eſt à nonnullis. Plutarchus enim, [l] multis probat terram eſſe primum frigidum: quòd ſcilicet ea ſit ſummè grauis, ſolida, ſtabilis, dura, & ignem promptiùs extinguat quàm aqua. Diuus Thomas huius ſequutus ſententiam, vt refertur à Zabarella [m] terram eſſe frigidiſſimam etiam aſſeruit: quòd maximè à cœlo diſtet, fonte & principio caloris: & quòd ea ſit elementorum denſiſſima, denſitas autem à frigore naſcatur. Sed liceat, quæ pluribus cum ratione probata ſunt, ſequi. Quare ad Plutarchum reſpondeamus, grauitatem non à frigore, ſed à denſitate naſci: ſtabilitatem verò, ſoliditatem, & immurabilitatem, pendere ex eo quòd illa

i Lib. 1. de temp. cap. 1. & lib. 1. de ſimpl. medic. facult. cap. 8. & 30.

k In 4. apho. comm. aphor. 23

l Lib de primo frigido circa finem.

m Lib. 2. de qualit. elem. cap. 1.

sit summè grauis, atque ad centrum sita. Duritiem aut mollitiem nullam in puris elementis inesse: cùm hæ sunt ex serie secundarum qualitatum. Ignem tandem à terra non extingui, sed impedita ventilatione suffocari: qui ab aqua & verè contraria & crassa extinguatur & suffocetur: ab aere autem contrariis quidem qualitatibus munito, sed tenuis substantiæ, nunquam suffocetur sed extinguatur. Ad Dinum Thomam dicimus, cœlum quidem calorem elementarem fouere in mixtis, motu, lumine, & influxu: tamen elementa singula habere sibi insitas à natura qualitates à cœlo independentes, quas etiam cessante cœli motu post vniuersi conflagrationem integras conseruabũt. Quòd ad raritatem verò & densitatem pertinet, nec caloris nec frigoris sunt necessarij effectus: sed quidam sunt modi quantitatis varium materiæ quantæ habitum, ex creatricis naturæ instituto, sequentes. Hinc cœlorum partes, aliæ densæ sunt aliæ raræ: licèt formalem calorem aut frigus nullũ habeant. Imò quæ densissimæ sunt, eædem quia maximè lucidæ, eminenter sunt calidissimæ. Mixtorum præterea medicamentorum plurima rara & densa, indiscriminatim & calida & frigida inueniuntur. Licèt autem calor in materia rara non necessariò insit, nec frigus in densa: tamen calor id omne rarefacit in quod agit, & frigus cogit ac densat. Ac calor quidem ideo rarefacit, quia cum in rarissimo elemento vt primo & principe subiecto insit: id habet innatum, vt singula quæ alterat, conetur similia reddere suo illi primo subiecto. Contrà frigus densat, quòd cùm calori sit contrarium: & eiusdem effectus, contrarios esse sequatur. Verùm cùm terra tantæ sit frigiditatis cur eam in mineris profundioribus semper calidam esse contingit? [n] An quòd Deus ad metallorum generationem & diuersorum subterraneorum succorum excoctionem, ignes in imis terræ visceribus condiderit, per varia terræ spiracula euidenter effumantes, à quibus inferiores illæ regiones perenniter caleant, æstate verò frigeant, vt infra docebimus. [o]

n Merinus lib. de nouo mundi sublunaris anatomia, cap. 7.
o Cap. vltimo huius libri

An Elementariæ qualitates eiusdem denominationis, in quocumque subiecto insint, sint eiusdem speciei.

Capvt. IIII.

Qvod hoc capite quærimus, est; an terræ verbi gratia & aquæ frigiditas, inter se & à mixtorum frigiditate specie differant, nécne? Sub huius autem specie idem de cæteris qualitatibus quæsitum putetur. In qua quæstione Gentilis vt refertur à Mercato. [a] censuit prædictas qualitates inter se specie differre. Hisque suam fulcire sententiam dicitur. Quòd pro subiectorum diuersitate, differentes formas sequantur. Quòd dum vnum ex altero generatur, accidentia quæ videntur vtrique esse communia inter se diuersa esse oporteat: quia non potest idem accidens numero moueri de subiecto in subiectum. Præterea quòd singulæ, variato subiecto, differentes actus producant. Ac demum quòd singulæ, in diuersis subiectis, diuersas sibi consocient qualitates. Mercatus [b] verò qualitates elementarias bifariam inquit considerari: vel vt sequuntur elementorum formas, tanquam propriæ passiones: vel vt ad mixtionem conueniunt. Primo modo specie differre ait, vt formæ inter se specie distinguuntur: secundo verò eiusdem esse speciei, quia in eadem materia insunt. Verùm vtraque sententia, vt à communi philosophorum conceptu, ita à recta Philosophia plurimum abest. Cùm enim certo experimento cognoscatur elementa symbola faciliùs inuicem conuerti: id illis accidere necessum est, quòd minor sit mutua illorum resistentia; ob specificam identitatem qualitatum eiusdem denominationis in vtroque existentium. Nam aliàs, si huiusmodi qualitates inter se specie differrent: æquè difficilis esset symbolorum atque dissymbolorum reciproca conuersio; cùm forma cuiusque, cum alterius qualitatibus parem haberet repugnantiam. Sed vrget hoc magis, ea eiusdem esse speciei quorum intrinseca & formalis ratio est eadem: caloris autem in quocumque subiecto insit, eadem est ratio, & frigoris par semper conditio: quare & species eadem. Calor enim semper rarefacit, attenuat, & heterogenea disgregat: frigus verò densat, incrassat, & heterogenea congregat. Neque accidentia aut entia vlla, specificam distinctionem à materiæ diuersitate, sed à propriæ naturæ & internæ rationis differentiâ, desumunt. Sic niuis & gypsi albedo, specie eadem est: nec corui & Æthiopis dispar specie nigredo. Quòd si in subiectorum altero aliqua intensior sit: non propterea, vt intensione, ita specie differũt. Magis enim & minus ex vulgari axiomate non mutant speciem. Præterea si vera esset alterutrius sententia, possent ab eodem agente, vniuoca actione, duo effectus specie differentes produci: & duo accidentia diuersarum specierum in eodem subiecto producta, possent in vnum idémque numero accidens conuenire. Quæ licet absurdissima sint, & secum pugnantia: ex illorum tamen sententia sequuntur. Nam cùm aqueæ frigiditatis aërem & terram refri-

a Tom. 1. q. 20.
b Loco citato

gerantis, vniuoca ſit actio: attamen frigiditates ex ea actione in aëre & terra productæ, ſpecie diſtinguerentur. Poteſt item aquæ tepidæ frigus, à circumſtantis aëris borealis frigiditate intendi: at tunc, ex frigiditate iam aquæ inſita: & altera ab aëre introducta, vna numero fiet in aqua frigiditas. Vna quidem numero, cùm ex vtraque fiat vna intenſior quàm erat antea: Intenſio autem vt docet Suarez, [c] ſit mutatio illa per quam eadem qualitas magis ac magis in eodem ſubiecto & ſecundùm eamdem partem ſubiecti perficitur. Diſtinctio verò Mercati nullam habet rationis probabilitatem. Cùm enim entia quælibet ex ſe & ab intrinſeco habeant ſuæ eſſentiæ formalitatem: non poterunt à varietate formæ, aut identitate ſubiecti; ſpeciei varietatem, aut identitatem accipere. Præterea ſequeretur, mixtorum calores inter ſe differre ſpecie: neque eumdem eſſe ſpecie, calorem ſeminis & fœtûs; nec influentis ſpiritûs & partium ſolidarum. Quæ tamen abſurdiſſima ſunt. Tandem tritum eſt axioma, quæ ſunt eadem vni tertio, eſſe eadem inter ſe: ſed frigus aquæ & terræ ex Mercato ſunt idem cum frigore mixti: ergo & eadem inter ſe. Neque magni eſt ponderis in contrarium, Mercati argumentum à ſimili. Quòd vt potentia viſiua bruti & potentia viſiua hominis ſpecie diſtinguuntur, quia in ſubiectis ſpecie differentibus inſunt: ita & oporteat diuerſorum elementorum qualitates eiuſdem denominationis, ſpecie diſtingui. Ex eo enim primò infirmum eſt argumentum: quòd falſum pro vero aſſumit. Nos enim cum Scoto, [d] aſſerimus eiuſdem nominis facultatis in homine & cæteris animantibus ſpecie conuenire. Par enim eſt ſingularum obiectum, & operandi modus par. At licèt, hoc ipſum pro vero admitteremus: non inde Mercati ſequeretur intentum. Nam facultates illæ inter ſe differre poſſent ſpecie, quòd ab animabus quibus inſeruiunt pendeant in fieri & in conſeruari, ideóque ſingulæ ſui principij naturam ſequantur: elementares autem qualitates non à formis elementorum emanant, ſed illas etiam tanquam neceſſariæ diſpoſitiones in materia præcedunt. Ad rationes aduerſariorum ſic reſpondemus. Communia quædam eſſe accidentia quæ proximè in materia radicantur licèt de toto ſuppoſito denominatiuè dicantur: quæ eadem manent in genito atque in corrupto, nec pro diuerſitate formatum materiæ aduenientium mutantur. Et ſingula ſuam habent ab intrinſeco rationem formalem quam à formis ſubiectorum quibus inſunt minimè accipiunt. Effectus autem varij ab illis emanantes nullam ſpecificam diſtinctionem innuunt: ſed vel intenſionis diuerſitatem, vel totius temperamenti in operante varietatem. Non enim in eodem ſuppoſito conſociatæ qualitates, disiunctim ſed coniunctim operantur. Tandem qualitati eiuſdem denominationis in diuerſis elementis differentes aliæ qualitates conſociantur: non quòd illa ſpeciem ex diuerſitate ſubiecti mutauerit, ſed quòd cuiuſque elementi forma talem qualitatum concurſum ſibi conuenientem in materia prærequirat. Ex quibus omnibus probatum ſatis videtur, qualitates eiuſdem denominationis quæ in elementis inſunt; aut ab eiſdem, mixtis communicantur: inter ſe ſpecie minimè differre.

c Diſput. 46. Metaphyſ. in præfat.

d In lib. 4. ſent. diſt. 1. q. vlt.

An qualitates Elementorum ſint eorumdem formæ ſubſtantiales.

Capvt V.

FVERE nonnulli à Conimbricenſibus relati, [a] qui dixerunt qualitates primas formas eſſe elementorum. Zabarella verò, [b] qualitates primas non eſſe formas elementorum vt ſunt corpora naturalia concedens: tamen eaſdem, eorumdem eſſe conſtitutrices formas aſſeruit, prout hæc mixtorum ſunt elementa. Quibus omnibus, cõmunis & vera philoſophorum ſententia aduerſatur. Qui præter qualitates primas, grauitatem item & leuitatem: ſingulis elementis, ſubſtantialem quampiam entitatem ineſſe affirmarunt, quæ eorum ſit forma, & per quam in tali genere entis conſtituantur. Cùm enim materia prima, indifferens ſit ad quamcumque ſpecificationem; & in ratione huius completæ ſubſtantiæ actuetur à forma: hanc ipſam de genere ſubſtantiæ eſſe oportet, vt illi ſubſtantiæ & ſubſiſtendi complementum tribuat. Atque ideo in vnaquaque completa ſubſtantia: formam aliquam ſubſtantialem ineſſe neceſſum eſt, per quam in determinata ſpecie ſubſtantiæ conſtituatur: vt fusè probatum eſt à Fonſeca. [c] Hanc autem ſubſtantialis formæ rationem, primas qualitates, aut alias elementis inexiſtentes, induere non poſſe, ſufficienter à Conimbricenſibus probatum eſt. [d] Quod præterea confirmatur. Quia vt docet Albertus magnus, [e] forma ſubſtantialis nec actiua eſt nec paſſiua, præſertim actione & paſſione quæ datur inter contraria: ſubſtantiæ enim ex Ariſtotele, [f] nihil eſt contrarium. Tum quia nihil eſſe poteſt forma ſubſtantialis vnius, & accidentalis alterius. Ac tandem quia ſubſtantiæ proprium eſt, non ſuſcipere magis & minus. His autem qualitatibus inditum eſt, & inuicem agere & pati, & in mixtis eſſe accidentia, & ſuſcipere magis & minùs. Quare fieri non poteſt, vt illæ ſint cuiuſquam formæ ſubſtantiales.

a Lib. 2. de gener. cap 3. q. 1. art. 2.
b Lib. 1. de qualit. element. cap. 2.

c 5. Metaphyſ. c. 7. q. 1.
d Cita o lib. 2. de gener. cap. 1. q. 1. art. 2. & 3.
e In lib. 2. de gener. tract 2. cap 7. necnon in 8. metaph. tract 1. cap 3.
f In prædica. cap. de ſubſt.

Maximè cùm plures harum in vnoquoque insint elemento: vna autem sit vnius rei forma; vt esse, vnum, quod à forma accipitur. Zabarella verò non potest diuersa formalia principia essendi, eaque substantialia in vno eodémque, cum ratione fingere: aliâs idem, vnum esset & plura; quod tacitam dicit implicationem. Sed antequam aliò vertamur; quia plurimi de Hippocrate & Galeno obloquuntur, quasi in re tam euidenti errauerint: hoc vnum addam, illos non temerè esse incusandos quòd voluerint nullas esse elementorum formas substantiales præter qualitates primas. Nam licèt vt sensuales Philosophi, agendi principia proxima & in quibusque rebus manifestiora, substantiam frequenter appellent, & temperamentum ipsum substantiam naturámque dicant: aliud tamen rebus inesse non negant, quod radix sit & primum principium agendi de genere substantiæ. Quod apertè ex Galeno colligi potest, constat (inquit) [g] horum vtrumque ex eisdem genere elementis; humido, sicco, calido & frigido: aut si mauis ab essentia sumptis nominibus quàm à qualitate nominasse, aqua, terra, igne & aëre. Quo loco apparet illum in elementis admittere rationem quandam essentiæ constituentiuam, à qualitatibus differentem: quam nos cum cæteris Philosophis & Medicis, formam substantialem vocare consueuimus.

g Lib. 3. de sanit. tuenda cap. 2.

Quomodo elementa ad mixtorum generationem concurrant, vtque in illis maneant.

Capvt. VI.

Elementa esse prima corporis humani ac cæterorum mixtorum materialia principia: satis abundè probatum existimamus. Prima quidem, quòd non immediatè corpus hoc nostrum ex illis componatur: sed vt inquit Galenus [a] quòd interuenientibus multis mutationibus animalia ex elementis generentur. Ea enim ex quibus & generamur & alimur, per quosdam gradus ab elementorum mixtione manarunt. Ad quam quemadmodum illa concurrant, & quomodo eadem in mixtis maneant: vt nostræ originis principia exactè addiscamus, perquirendum est. Sed primùm ne hæreamus in æquiuoco, mixtionis diuersos significatus verámque rationem explicemus.

a Lib. 3. de decretis Hippocr & Plat. cap. 4.

Chrysippus apud Alexandrum Aphrodiseum, [b] tres facit huius species. Quarum prima fit ex substantiis in eumdem aceruum compositis; quæ propriam circumscriptionem, substantiam & qualitatem seruent. Quo modo, lentes, milio & orobis miscentur: suis quæque terminata finibus. Secundam fieri dicebat per totas quasdam substantias, atque harum qualitates, Inter se contra extensas: quæ quales initio erant, tales in mixtione conseruentur; confusione tamen substantiarum ad sensum interueniente. Talem in diuersis permixtis pulueribus mixtionem adnotari docuit Galenus: [c] patémque ex aqua & vino in cramate aduertimus. In quo & vinum & aqua substantialem suam formam saltem ad multum tempus retinent: & quælibet aquæ pars, aqua est; & vini vinum. Non quòd actu, Mathematicè distinguantur & diuersâ circumscriptione terminentur: sed actu naturali, hoc est substantiali formâ in vtriusque confusis partibus perseuerante. Tertiam ille fieri aiebat, ex confusione plurium per omnes partes: substantiis & qualitatibus ipsorum, mutuâ abolitione deperditis. Quarum trium specierum; hæc, ad veram & propriè dictam mixtionem proximè accedit. Cuius ea traditur definitio ab Aristotele, [d] vt dicatur miscibilium alteratorum vnio. Quam reprehendens vt obscuram Scaliger [e] clariorem non protulit: inquiens mixtionem esse motum corporum minimorum ad mutuum contactum vt fiat vnio. Etenim mixtionem in fieri definiens, quam Philosophus definit in facto esse: non meminit celebris illius dicti Aristotelis, [f] non est in minima diuisum esse. Namque continuum omne diuisibile est in infinitum.

b Lib. de mixtione.

c Lib. 2. de elem. cap. 2

d Lib. 1. de gener. tex. 90 & vlt.

e Lib. de subt. in Cardanum exercit. 101.

f Lib. recens citato tex. 26

Quare ad Stagiritam conuertamur, qui perfectissimè mixtionis naturam expressit. Ex cuius definitione tria ad mixtionem requiri docemur. Primum non ex vno vt placuit Conimbricensibus, [g] sed ex pluribus mixtionem fieri, quæ diuersorum est coitio. Aliâs meteora omnia, malè, imperfectè mixta vocarentur. Quæ licèt ex vnius elementi materiâ constent, omnium tamen primarum qualitatum miscelam admittunt. Neque verò, omnia simul elementa ad mixtionem substantialiter conuenire semper necessum est, vt placuit Riolano, [h] sed aliqua eorum mutuo coitu sufficit. Ignis namque substantia, non semper ad simplicium mixtorum generationem concurrit: atque eorū maximè, quæ intra aquā aut propè terræ superficiē generātur. Qualitates autē primas, omnes concurrere decet: ad implendū vtriusque contrarietatis cōplexum, qui omniū mixtorū interitus est radix. At calorē quidem igne deficiente, supplet Solis ac cæterorū siderū influxus. Secundò vt miscibilia faciliùs ad vnionem conueniant: ea & facilè diuisibilia, & mutuò passibilia esse ex prædicta definitione requiritur. Tū vt illa se per minutulas partes coëundo cōfundant: tū vt singulorum

g Lib. 1. de gener. c. 10. q. 2. art. 2.

h In scholio ad c. 5. cōm. de elem.

dispositionibus ad inuicem repugnantibus reciprocâ actione retusis, eadem possint se in ea coitione compati. Tertiò ad mixtionis complementum ea definitio desiderari insinuat: vt quæ ante mixtionem plura erant, vbi ex mutua excellentium contrariarum qualitatum retusione familiaritatem quamdam cōceperint, mixtione vnum fiant. Ex quibus etiam colligimus quæcumque misceri apta esse dicuntur; debere eamdem habere materiam primam; & se per partes posse mutuò peruadere ac cohærere: vt & agere ac pati inuicem, & vnum fieri queant. Vnde intelligimus cur in medicamentorum compositionibus quædam facilè misceantur: alia verò vt aquea & pinguia, misceri nunquam valeant. Illa namque possunt hæc nequeunt inuicem cohærere.

Verùm quo modo illa fiat alteratorum vnio, maximè controuersum est. Stoïci, vt ex Chrysippi sententia colligimus, & formas & qualitates elementorū, mutuâ abolitione deperdi dixerunt. Contra Arabum plurimi & formas & qualitates eorumdem manere in mixtis affirmarunt. Sed inter hos adhuc magna est dissensio. Auicennas [i] (vt à Petro de Abano refertur) [k] integras formas elementorum in mixtis perseuerare professus est. Auerrhoës [l] verò formas elementorū (inter substantiam & accidens medias, necnon intensionis & remissionis susceptiuas) manere quidē in mixtis dixit, sed refractas. Ad Auicennæ sententiam proximè accedit Fernelius [m] formas inquiens elementorū integras quidem in mixto subsistere: non tamen liberas, aut sui iuris, sed impliciras, vinctas & quasi interceptas mutuâ qualitatum pugnantiâ. A quibus omnibus communis sententia dissidet, quam sequuti, dicimus qualitates quidem miscibilium mutuâ actione refractas manere in mixto; eorum autem formas substantiales corrumpi, quibus succedat substantialis forma mixti, per quam quæ ante dissimilia erant, substantialiter vnum fiunt.

i Lib. 2. fen 1 (?) ... cap. 10 post med.
k Differentia 16. Conciliatoris.
l Comm in tex 67. lib. 3 de cælo m Lib. 2. Physiologiæ. c. 8.

Quo verò res melius intelligatur mixtionis modum rationémque paulò fusiore oratione exprimamus oportet. Elementa & quæcumque miscibilia sunt cùm aliquando casu, aut ex vniuersalis naturæ instituto artificisue industria, paribus aut penè paribus viribus concurrunt: se per minurulas partes mutuò intersecant & varia proportione peruadūt. Atque ita per exiguas portiones confusa, se contrariis qualitatibus sic inuicē alterant, vt nullo integrè superante, singulorū vires ex reciproco conflictu refrangantur. Quibus ita retusis vt elementorū formæ nequeant cū illis subsistere, eorum formis pereuntibus, illa succedit substantialis mixti forma, quæ introductis dispositionibus maximè conuenit. Et quæ ante diuersa erant contrariis viribus inuicem pugnātia: vnius formæ substantialis accessu vnum fiunt. Vnum quidem, vnitate essentiæ: sed variū varietate materiæ. Etenim in minutulis illis elementorum miscibiliúmque confusis segmentis, tales quātitati, seu vt loquuntur vulgò substantiæ modi seruantur, talísque qualitatum crasis perseuerat, vt priorem naturam quadantenus adhuc in mixtis redoleant. Atque hinc heterogeneitas illa mixtorum nascitur, quæ pro diuersa miscibilium proportione in singulis euariat. Quæ heterogenea esse omnia, dissimilibúsque substantiæ portionibus constare præter quàm sæpè insinuatum est à Galeno; [n] euidenter asseruit Halyabbas. [o] quamuis aliqua, vt lapides, metalla & his paria homogenea esse, & partibus omnino ad sensum similibus constare videantur. Ac talem quidem in singulis inesse partium disparitatem: vel lotura, infusione & coctione: vel chymica digestione, putrefactione, distillatione, & sublimatione manifestè deprehenditur. Neque aliunde oritur mixtorum ab interno principio interitus & ruina: quàm è mutua huiusmodi partiū heterogenearū pugna. Ea verò heterogeneitas in triplicis substantiæ concursu præsertim consistit. In singulis enim mixtis spirituosam tenuémque substātiam inesse aduertimus ex leuiorum tenuiorúque elementorum permixtione genitam quæ per insensilem ἀποῤῥοίας ab amuletis, remedijs naturalibus, & odoratis corporibus solet effūdi. Ab hac crassam illā & corpulentam molem quam à terra mutuantur adnotamus. Ac tandē humidam illam portionem, cuius interuentu & moles corpulenta cohæret, & spiritus reliquo crassamento permiscetur. Neque huiusmodi heterogeneitas illi homogeneitati aduersatur quam Aristoteles [p] requirit in mixtis inquiens oportere quod mixtum est, similarium partium esse: & quemadmodum aquæ pars aqua est, ita & temperati temperatum. Non enim ad sensum solùm sed etiam substantialiter, partes omnes mixti similares sunt: imo & quodlibet minimum sensibile mixti, talem habet cum aliis partibus mixti similitudinem vt & ipsum mixtum sit. Cùm verò eodem textu, manifestum esse ait, quòd neque secundū parua saluata, oportet ea quæ miscētur, dicere mixta esse, nō nobis, sed Auicennæ & Fernelio repugnat. Quinimo quæ diximus Aristotelis doctrinæ consentire, clarissimum est ex his quæ libro primo de generatione, [q] scripta leguntur. Quæ mixta sunt, inquit, esse quodammodo & nō esse contingit: actu quidem aliud existente eo, quod ex eis factum est potentiâ verò quidpiam vtriusque eorum quæ erant antequam miscerentur, & non esse deperdita. Nam quæ miscentur & priùs ex separatis coiuisse, & posse rursū separari videmus. Igitur nec permanēt actu, vt corpus & albedo, neque corrūpuntur aut ambo aut alterum: nam eorum virtus atque potētia salua manet. Hæc Aristoteles.

Sed ad integrā principis difficultatis hoc capite propositæ explicationē, duo nobis probāda restāt:

n Lib. 3. simplicium, cap. 14. & sap. lib. 4. item com. 5. in lib. 6. epid. com. tex. 11.
o Lib. 1. Theoricæ c. 5
p Lib. 1. de gener. tex. 86
q Texto 84.

refractas

refractas elementorum qualitates superstites esse in mixto contra Stoicos: eorumdem autem formas non manere; contrà quàm Auicennæ, Auerrhoi, Fernelio & aliis visum est. Primum quidem rationibus confirmari non postulat, cùm sensibus manifestè pateat. Quibusque enim euidens est mixtis calorem, frigus, humiditatem, & siccitatem, necnon leuitatem & grauitatem, quæ elementariæ sunt qualitates; pro varia cuiusque temperie & elementi prædominantis excessu, variè inesse. Quarum actualem præsentiam, mixtorum actiuitas consimilium qualitatum productiua, & eorumdem naturalis motus conuincit: nam ex Aristotele [r] omnis actio prouenit, ab eo quod est actu.

Alterum verò huius propositi caput, sequentibus argumentis probamus. Ac primum quidem, quia cùm mixtum vnum sit simplex suppositum, & sub vna specie substantiæ constitutum, ab elementis essentialiter distinctum: non nisi ab vnitate formæ à formis elementorum distinctæ eam vnitaté assequitur. Forma enim est quæ dat esse rei; & quæ materiam actuans illius specificum esse, & existentiam sola complet. Cùmque idem vnum & plura simul esse non possit: nec poterit idem plores substantiales formas simul habere. Secundò iuxta Aristotelem [f] ex mixtis aliud generatur quod actu existat, atque ex vtriusque medium & commune generatur. Sed generatio [t] est mutatio ex hoc in hoc secundùm substantiam. Ergo in his quæ miscentur mutationem fieri secundùm substantiam oportet, & formas præexistentes de nouo aduenienti cedere: cùm eadem semper maneat ingenerabilis materialis substantia. Tertiò; materia, quauis substantiali forma informata, facit vnum per se. Sed quod aduenit enti per se, est ens per accidens: vt fusè probatum est à Suarez. [u] Ergo vel oportet formam mixti non superuenire materiæ elementorum substantiali formâ informatæ, vel eam esse ens per accidens, quod absurdissimum est.

Dicere autem cum Auerrhoë elementorum formas retusas manere in mixto, easdémque medias esse inter substantiam & accidens: planè alienum est à ratione, & à communi Philosophorum conceptu. Receptissimum enim est ens proximè diuidi in substantiam & accidens neque tertium aliquod assignari prædictæ diuisionis membrum. Præterea vulgatissimum est, substantiam non suscipere magis & minùs. Quare cùm prædictæ formæ sint substantiæ, neque refrangi, neque suscipere magis aut minùs poterunt. Ligari autem & vinciri vt loquitur Fernelius, metaphoricè intelligatur necessum est. Quare velit oportet formas quidem elementorum simul cum mixti forma inesse in materia; sed non operari, dignioris formæ præsentiâ interceptas. Sed hoc non impedit formas elementorum, saltem in actu primo, eamdem numero materiam simul cum forma mixti actuate. Quod fieri non posse & iam probatum est, & pluribus demonstratum à Suarez. [x]

Alij Auicennæ & Fernelij sententiam sic explicant: vt dicant elementorum formas manere potentiâ, non actu. Quod voluisse Aristotelem dicunt: [y] sed hi vel per potentiam, intelligunt potentiam ad actum primum seu ad informandum: quibus consentiemus; quia quæ miscentur inquit ibidem Aristoteles possibilia separari rursus. Vel potentiam significant ad actum secundum & operationem: quæ cùm supponat actum primum & formæ actualem præsentiam, qualis est in semine in horreo non germinante. In eo sensu iam satis refutata est ea sententia. Aristoteles autem quid vtriusque eorum quæ erant antequam miscerentur remanere potentiâ dixit, vti iam est explicatum: quòd miscibilium refractæ facultates restent. Quare constans erit, & vera Aristotelis simúlque communis sententia.

Verùm scrupulus manet: quòd cùm ex prædictis sequatur, mixtionem, generationem quamdam esse, Aristoteli repugnare videmur, qui [z] generationem à mixtione differre affirmauit. Sed facilè tolletur hic nodus, si intelligamus, generationem & mixtionem dupliciter dici: scilicet vel terminatiuè vel dispositiuè. Si enim priore modo sumantur, cùm vtraque ad mutationem secundùm substantiam terminetur: inter se nullâ ratione differunt, mixtio enim particularis est generatio. Secundo autem modo plurimùm differunt: quoniam sic progreditur generatio, vt vnum in aliud agens dispositiones quæ in patiente insunt integrè superet, & victum vincenti assimilatum simpliciter corrumpatur. In mixtione verò plura per partes confusa inuicem agentia ita se alterant, vt suas vires mutuò imminuant; nullóque vincente, aliud naturæ singulorum particeps producatur; vt clarissimè ab Aristotele fuit explicatum. [§]

[r] Lib. 9. Metaphys. tex. 13

[f] Lib. 1. de gen. tex. 84. & 89.

[t] Aristot. citato lib. 1. de gener. tex. 10 & 20.

[u] Disp. 4. metaph. sect. 3

[x] Disput. 15 metaph. sect. 10.

[y] Lib. 1. de gener. tex. 84

[z] Eodem 1. de gener. tex. 83.

[§] Lib. eodem tex. 88. & 89.

Quid sit reactio, & num possibilis ea sit.

CAPVT VII.

QVONIAM elementis ad mixtionem concurrentibus; ea vicissim agendo, suas mutuò vires retundere; dictum est. Num possibilis sit reactio, & quid ea sit examinemus. Nonnulli duplicem reactionem faciunt: vnam positiuam, aliam priuatiuam. Hanc meram resistentiam appellant: quæ ex Zabarella, [a] vel est sola actionis non admissio, vel si remissa sit difficilis actionis ad-

[a] Lib. de reactione. c. 5.

miſſio. Hæc naturam formæ inſequi dicitur: in quantum ſimpliciter nititur ſe conſeruare,ad contrarij corruptionem non aſpirando. Sic aër, aqua, & terra, calori ſolis reſiſtunt, cùm ab illo in inſtanti non calefiant: non poſitiuè tamen repugnando; quoniam hæc inferiora in ſolem & corpora cœleſtia agere non poſſunt. Ita Milo Crotoniates fortiſſimus ille Athleta,ſtans ſe aliis probandum exhibebat,num loco dimoueri à quopiam poſſet: qui immotus nihil in aduerſarios agens, ſed ſolâ muſculorum contenſione reſiſtens vincebat. Cuius reſiſtentiæ maior aut minor vis à variis quantitatis ſeu (vt loquuntur Medici) ſubſtantiæ modis, formam rei cuiuſque conſequentibus, plurimum adimatur. Per hos enim,quæcumque,apta euadunt,faciliùs aut difficiliùs peruadi poſſe. Sic concreta magis,reſiſtunt potentiùs;craſsiſque maximè: cum illa difficilè poſſint ab alterante penetrari,hæc non facilè penetrent. Contrà ſoluta, laxa, & rara; cæteris paribus à tenuibus faciliùs vincuntur: cùm hæc, facillimè illa peruadant, & vt ait Galenus [b] promptiùs eadem alterent. Poſitiuam reactionem, eam vocant: quam Zabatella, [c] dicit eſſe retributam quamdam mutationem, qua, id quod patitur, renititur aduerſus Agens,& illud commutat, dum ab illo mutatur: adeo vt, & agens pati,& patiens agere aliquo modo dicatur.

b Lib. 1. de differ. feb. cap. 1.
c Lib. eodem cap. 1.

Quam nonnulli ſecundùm naturam impoſſibilem eſſe,multiplici ratione probant. Primùmque ex Ariſtotele, [d] & Auerrhoë: [e] qui aiunt actionem non prouenire, niſi à victoria & exceſſu agentis reſpectu patientis. Quod alij dicunt omnem actionem fieri à proportione maioris inæqualitatis. Fieri autem non poteſt, vt inter agens & patiens vtrumque alterum ſuperet. Quare neque vt ab vtroque procedat actio. Quia tamen prior illa propoſitio,negari poteſt: eamdem pluribus confirmare nituntur. Primò, agere idem eſt ac vincere patiens, pro eo tempore quo actio durat. Sed nihil poteſt vincere, niſi quod ſuperat. Ergo actionem à vincente prodire neceſſum eſt. Secundò, agere eſt introducere formam in patiente: ſed ſi maior ſit reſiſtentia patientis,quàm conatus agentis; aut ſaltem æqualis,non introducetur. Tertiò, æque citò ignis inciperet calefacere lignum humidum ac ſiccum; & homo poſſet mouere quoduis pondus; & quoduis paruum frigus, remitteret calorem ignis:quæ ſunt falſa. Vltimò,æque velociter quodlibet ageret in patiens multum reſiſtens, atque in id quod parum reſiſteret. Nam ſi proportio maioris inæqualitatis,non eſt ad agendum neceſſaria: neque ad vlteriùs agendum requiretur. Secundò ad reactionem impugnandam principaliter argumentantur. Si daretur reactio agens non poſſet vincere patiens, ita vt, ipſum redderet æque intenſum, atque erat actionis principio. Ex conſequentia enim reactionis, eius gradus aliquot perijſſe oporteret: quorum defectu, non poſſet materiam perfectè diſponere ad ſuæ formæ ſubſtantialis introductionem. Tertiò, poſitâ reactione, ſequeretur, vel primas agentis partes, vel medium contrariis motibus moueri: quòd ſecundùm naturam fieri nequit. Quartò, ex reactione aliquando naſceretur vtriuſque agentis corruptio: quod cum accideret, & à neutro agente poſſet forma in patiente introduci: materia,formâ ſpoliata maneret: quod ferre natura non poteſt. Tandem ſi ignis agendo repateretur, eſſet aliquando frigidus: quod contra experientiam eſt,& contra Ariſtotelem, [f] qui ignem ait frigidum eſſe non poſſe.

d Lib. de motu animal. c. 2.
e In 4. Phyſ. comm. tex. 72

Verùm ab his omnibus ne minimum perſuaſi: cum Ariſtotele, [g] Galeno, [h] Auicenna, [i] & eum Philoſophorum ac Medicorum maxima parte: non modo reactionem poſſibilem eſſe aſſerimus, ſed frequentiſſimam experientiâ probari. Frigidæ enim aquæ,calidam immiſcentes: totam tepere ſentimus. Sic febrientis manum, ſi quiſpiam algens tractet: vtriuſque exceſſum,mulceri percipimus. Ita manu calidâ niuem colligentes,& niuem liquari,& manum refrigerari ſentimus. Ferrum item ignitum,in aquam demerſum: & extinguitur, & aquam calefacit. Non aliter alimenta, cùm in aliti ſubſtantiam vertuntur, ipſam aliti ſubſtantiam immutant. Et medicamenta cùm miſcentur, cuiuſque vires inter ſe pugnantes viciſſim reprimi, quotidie experimur. Sic demum elementa, cùm ad mixti generationem concurrunt, mutuò refranguntur. Eam autem non ſolùm natura patitur,ſed etiam introduxit: quia agens & patiens cùm ex ſe aptitudinem habeant, vt alter alterius impreſſionem recipiat, quemadmodum docuit Ariſtoteles; [k] quodlibet autem id quod in ſe irruit reprimere tentet, vt ſe tueatur: idipſum etiam quod à fortiori & potentiori opprimitur, in illud ipſum ſuas retorqueat vires, nec inultum ſaltem corrumpatur, oportuit. Hinc vulgare natum eſt illud axioma: omne agens agendo repatitur. Quod Trincauellius, [l] inter ea principia annumerandum exiſtimat, quæ à philoſopho per nobis notiora demonſtrari non poſſunt; ſed ſunt per ſe nota ſenſu atque experientiâ comprobata.

f Lib. 2. de partib. anim. cap. 2.
g Lib. 3. Phyſic. tex. 8. & 16. lib. 1. de gener. tex. 58 & 84. lib. 4. de gen. anim. cap. 3.
h Lib. 3. de ſympt. cauſis cap 2. lib. 3. de temperam. cap. 5. & 3. in lib. de alimento comm. tex. 9.
i Lib. 1. fen. 1. doctr. 3. cap. 1.
k Lib. 1. de gener. & corr. tex. 50.
l Quæſtione de react.

Verùm quo modo id pati ab illo queat & ex parte vinci, quod ab eo in totum vincitur: tam difficile viſum eſt pluribus, vt infinita penè à variis fuerint excogitata, quæ rem per ſe non ſatis facilem, ad culmen difficultatis perduxerunt. Qui conceptus varij legi poterunt tum apud Trincauellium, [m] & Zabarellam: [n] tum apud Conimbricenſes, [o] & alios qui commentarios in Ariſtotelem ediderunt. Quia verò ſubtilia plurimorum inuenta, vel rem non explicant,

m L. de react.
n Quæſt. de reactione.
o In lib. 1. de generat. c. 9. q. 3.

vel

vel falsa multa congerunt: cæterorum placita, apud recèns citatos, refutata legantur. Horum autem decreta examinemus. Zabarella rem aperuisse sibi videtur, cùm [p] quodlibet ait, quatenus actu est, agere; pati autem, quatenus est potestate: ac formæ quidem esse agere, materiæ verò pati. Quæ cùm ita se habeat ad contraria, vt quando actu vnum habet, ad alterum sit potentiâ: à quolibet vel debili etiam agente apta erit pati, quoniam ipsa est potentiâ, quale tale agens est actu. Verùm hæc quæstionis difficultatem non attingunt. Demus enim qualitatem quantumuis remissam, in quantum in se est posse agere, & materiam pati: restat tamen explicandum, quomodo intensior qualitas materiæ inhærens, possit secundum aliquam sui partem expelli per minus intensam. Nam licèt, materia sit in potentia ad hanc: nihil tamen huius potest ante introduci, quàm illius quæ huic est contraria, & actu inest, aliquid expellatur. Conimbricenses, cum quibus ex parte conuenire videtur Trincauellius nihilo melius satisfaciunt. Cùm enim dicunt, [q] agens posse per se secundùm eamdem qualitatem tum agere tum pati: quod eadem qualitas possit sua actiuitate resistentiam contrariæ superare & & propriâ resistentiâ contrariæ qualitatis actiuitati cedere cogatur: videntur per alia verba petere principium. Nam reagere, est principalis agentis resistentiam superare: atque ideo, idem est dicere efficacioris agentis vincere resistentiam, atque reagere. Quare cum illis concedamus, resistentiam vnius ab alterius actiuitate vinci: superest explicandum, quomodo vicissim illæ qualitates, difformiter tamen remittantur. Quoniam tria hæc actiuitas, resistentia, & intensio ac remissio, formaliter inter se distinguntur. Actiuitas enim iuxta Aristotelem, [r] est potentia transmutandi aliud, quatenus aliud. Resistentia propriè & formaliter est actionis non admissio, aut saltem difficilis admissio. Intensio tandem & remissio est radicatio maior aut minor in subiecto, cum additione vel deperditione partialis entitatis formæ radicatæ. Quare quantumcumque actiuitas vnius, in resistentiam alterius agat: cum actiones inter contrarias qualitates, quatenus quælibet contrariam à subiecto expellere nititur, ad illam radicationem in subiecto non autem in resistentiam formaliter dirigantur: hoc vnum exponendum erat, vnde prodeat, quòd inæqualis efficaciæ agentia, se vicissim licèt inæqualiter à subiecto eradicare conentur. Adde, si quæ à Conimbricensibus proferuntur vera essent: sequeretur tantam esse actiuitatem qualitatis per actionem contrarij remissæ, quanta erat eiusdem, dum in integra sua intensione consisteret. Qualitates enim mutuò inter se agentes, in solam alterius resistentiam vim suam effundentes: vtrinque actiuitatem integram perseuerare patientur. Quod planè absurdum est, cum pro intensione variâ qualitatum, earumdem actiuitatem variari experientiâ demonstretur.

Quare, reactionis possibilitate & veritate suppositâ: dicimus in reactione immediatè tam à reagente quàm ab agente primario, qualitatem inimicam in contrario inhærentem, pro cuiusque viribus, difformiter vniformitérue remitti. Hoc est, portionem aliquam veræ entitatis illius qualitatis à subiecto in quo inerat expelli: simúlque eiosdem actiuitatem & resistentiam imminui, secundum id quod deperditos gradus sequebatur. Reactionis autem necessitas inter contraria, quomodocumque inter se proportionata, pendet à sola ratione contrarietatis, quæ inter agens & patiens inuenitur. Eâ enim suppositâ, ideo necessariò accidit reactio: quia cum de essentiâ contrariorum sit vicissim se expellere, seu æqualis sit seu inæqualis contrariorum intensio, se vicissim semper expellent. Nam rerum essentiæ consistunt in indiuisibili, quæ pro intensione & remissione qualitatum, nullum in se vel incrementum vel decrementum recipiunt. Contrariorum tamen se mutuò refrangentium, etsi principio congressûs, conatus sit proportionalis, & in proportione agentium par: dispar tamen est eorum efficacia, & actionis euentus. Quod enim debilius est, alterum quod potentius est tantillum obtundit & imminuit: idipsum tamen integrè à fortiori superatur. Quæ si æqualia sint, eousque pugnabunt, donec se mutuò ad mediocritatem refregerint. Modò interim vtrumque inter sphæram propriæ actiuitatis existat, & vna sit vtriusque materia primúmque subiectum; quod respectu vnius cùm sit in actu, ratione alterius sit in potentiâ.

Sed his quæ principio obiecta sunt respondeamus, ad primum ergo dicimus commune illud effatum, non de qualibet actione indistinctè exponendum esse, vt admittit Zabarella: [s] sed de tota & completa actione in qua alterum vincitur, id esse intelligendum. Secundò explicari potest, de actione quæ est inter ea quæ sunt eiusdem speciei: remissiùs enim, aut quod æquale est, in id quod intensius est gradu, aut sibi simile, agere nequit: intensius in remissius potest. At inter contraria, quorum subiectum est eiusdem rationis: si intra sphæram actiuitatis vicissim sint posita, etiam à proportione minoris inæqualitatis actio datur. Neque ita tamen, vt vtriusque actio ad vltimatam victoriam terminetur: sed eâ prorsus ratione quam iam antè explicuimus. Ad confirmationes autem prædicti argumenti respondemus. Ad primam, concedimus quidem, agere idem esse quod vincere id in quo agitur, qua parte in illud agitur: sed dicimus agens remissius, frigus nempè vt quatuor non ita agere in intensius, scilicet calorem vt octo, vt omnes illos caloris gradus vincendo expellat: sed quod vnius aut alterius etiam gradûs partes aliquot reagendo retundat. Quæ partialis victoria, non requirit

[p] Lib. de re-act. cap. 4.

[q] In citatum cap. 9. lib. de gener. q. 3. art. 3.

[r] Lib. 5. metaph. tex. 17. & lib. 9. metaph. tex. 2.

[s] Supra c. 4.

excessum totalem agentis ad totum patiens, vt intendunt aduersarij. Ad secundam, dico cuiuscumque formæ actiuitatem, contrariæ etiam intensioris formalem resistentiam sic excedere, vt hæc illam agere nunquam absolutè impediat. Ita aquæ gutta, in durissimum saxum & quod maximè resistat, cadens: non impeditur id imprimere saxo, quod subsequentibus guttis viam ad cauandum parat. Ad tertiam, respondeo etsi omne agens possit suam formam (saltem secundum aliquid) in passo quod est in potentia ad illam, introducere: non tamen quodlibet agens, id æqualiter potest in quodlibet. Intensior enim qualitas in maiore & densiore quantitate, potentiùs semper aget in passum secundùm vnicam qualitatem contrariam: quàm cæteris paribus in illud, quod secundùm plures qualitates illi aduersabitur. Ideo licèt secundum nos, ignis æquè citò incipiat calefacere lignum humidum ac siccum: non tamen vtrumque æquè. Multum autem inter se differunt, æquè citò actionem inchoare, & æqualiter agere. Ad aliam prædictæ confirmationis partem, dico non sequi hominem posse quodcumque pondus mouere: sed cuiuscumque ponderis certam partem. Nec quoduis paruum frigus, calorem ignis sensibiliter remitteret: quia cùm tam remissi patientis longè maior sit passio quàm reactio, antequam reagendo quidquam sui effatu dignum produxisset, omnino destrueretur. Præcisè tamen rem concipiendo; idipsum etiam secundùm suæ paruitatis rationem, minimum aliquod caloris remitteret, eius portionis ignis quam intra sphæram suæ actiuitatis haberet. Ad vltimam, nego consequentiam. Et ad probationem, dico quamuis ad aliqualiter agendum excessus non sit necessarius: ad integrè tamen vincendum excessus requiritur, & maior adhuc ad facilè vincendum. Ad secundum principale argumentum, dicimus: tantam esse aliquando reactionem, vt ambo corrumpantur, & tertium ex vtroque generetur, vel altero vincente, formam antè introduci in passo, quàm vltimus gradus naturalis dispositionis in materia insit. Sufficit enim præcedentes dispositiones ita esse mutatas, vt cum illis forma præexistens cōseruari nequeat. Quod cùm acciderit, partes agentis quæ reactionem nullam senserint: reliquas, tum agentis, tum passi, ad naturalem statum gradatim reducent. Aut tandem, si omnes principalis agentis partes fuerint per reactionem passæ: non aliter ad naturalem intensionem redibunt, quàm aquæ calefactæ cùm à calefaciente est libera, solet pristinum frigus restitui. Tertio argumento variè satisfaciunt varij, multas controuersias exinde excitantes. Nobis licebit respondere, totum continuum non antè per aliquas sui partes, in alias agere: quàm actionem in contrarium terminatit, in quod totius actiuitas dirigitur. Quod verò dicitur nihil agere in distans nisi per intermedium: id, de totali agente intelligitur. Medium autem, vel ab altero agentium vincitur: vel cedit in partem eius agentis, cui est in qualitate par. Ad Quartum, respondeo: cùm id fieret, tertium generaretur; cuius formam, absente eiusdem naturæ generante, ab vniuersali causa æquiuoca nobiliore, cœlo, imo Deo ipso produceretur. Non enim est huius loci, exactiùs causam formarum substantialium productricem inquirere. Ad vltimum, dico nunquam posse ignem, tantum à contrario repati; vt frigus introductum, calorem excedat, non corruptâ formâ ignis. Nihil autem frigidum dici potest, nisi in illo frigus prædominetur. At aliquem gradum frigoris, in igne repatiendo introduci: nihil absurdum habet. qui tamen, deuicto reagente: facilè corrumperur, à reducente ignem in naturalem statum.

Quid dicatur antiperistasis, & quæ sit illius ratio.

Capvt VIII.

Inter cæteras elementorum, mixtorúmque patiendi rationes: eam frequentissimè aduertimus, in qua ad præsentiam contrarij, contrariæ qualitates intendi dicuntur. Quam antiperistasim, seu circumobsistentiam, appellare consueuerunt. Quare vt quæ spectanr ad elementa, omnia attingamus: de hac etiam, hoc loco agendum ducimus. Præsertim cùm in nobis, inhibitâ transpiratione (seu per obstructiones; seu per extremorum perfrigerationem, aut ab ambiente, aut à calidi concentratione) calor plerumque intendatur. Quod quomodo fiat, non alibi commodiùs, quàm hîc explicari potest.

Antiperistasim vulgò eam actionem nominant, quæ reflexa à quibusdam vocatur: & quâ, contraria, ad præsentiam contrarij, vel de nouo produci, vel intendi dicuntur. Cuius frequentiam, plurimis exemplis probant. Sic enim ferunt, mediam aëris regionem æstate frigidiorem reddi: cùm ab igne elementario, & solis æstu, suprema & infima vehementer incaluerint. Ita flammam hyeme densiorem apparere primóque occursu, acrius vrere quàm æstate. Eadem ex causa, humana corpora hyeme, & ad Septentrionem calidiora esse, magis robusta, & copiosiore alimento indigere. Non aliunde item, aquas puteales & loca subterranea; hyeme calere, æstate verò frigere. Thermales aquas hyeme intensiùs feruere, æstate tepidiores esse. Phialam aqua plenam soli per breue tempus

expositam,frigidiorem quàm antea sentiri. Calidas exhalationes,intra nubes accendi. Ignem aquâ aspersum,acriorem reddi. Et auroram frigidiorem esse,ipsâ nocte : ex eo, quòd lumen aduentans, sit veluti contrarium frigori.

Quæ omnia,cùm fieri quidem experientiâ pateat : non tamen ab his causis prodeunt, à quibus vulgò promanare creduntur. Neque enim positiuè contraria, vel produci vel intendi possunt à contrario : cùm ea nata sint,se mutuo expellere. Aliâs, idipsum secundariò se destrueret : nouum sibi parando aduersarium,aut saltem præsentis vires augendo : quod ordinariis naturæ legibus aduersatur. Neque vlla qualitas, intendere seipsam potest. Non actiuæ : quia earum actiones sunt transeuntes : & in materiam sibi subiectam agere nequeunt, quòd ea non sit in potentia ad formam iam sibi inhærentem. Sed ne vllæ quidem : quia, præter potentias vitales actuum immanentium productrices, nihil agit in seipsum. Imò prædictæ potentiæ se nunquam intendere dicuntur, licèt per plures actus, ad agendum magis habiles reddantur. Præterea, cùm omnis intensio fiat per additionem nouæ & nobilioris entitatis; quam præexistens ignobilior,producere non potest : nulli qualitati seipsam intendere concederetur. Quod confirmari ex eo potest,quia calor vt quatuor in A, non potest producere calorem vt quinque in B, in quod natum est agere : ergo multo minus in eodem A. Tandem si qualitates actiuæ,possent se ipsas augere (cùm quodlibet, ad summam sui perfectionem naturaliter aspiret) quotiescumque aliqua qualitas medium gradum possibilis intensionis excederet, suâ sponte ad summum cresceret. Atque ita,nihil vltra mediocritatem temperatum consisteret : sed ad summum possibilis incrementi,continuò tenderet. Ad eam verò actionem, longè minùs aduersarij præsentia faueret quàm absentia : cùm illius contraria vis,huius obsistat incremento.

Nonnulli,vt imaginarium hunc agendi modum tueantur : species quasdam actiuas effingunt,quas reflecti aiunt vt lumen,& propriæ actiuitatis vires reflexione augere profitentur. Sed mera chymera est hoc inuentum. Quod tamen sequuntur,Paulus Venetus,[a] Niphus,[b] & Forliniensis.[c] Hoc inuentum chymeram appellamus,quia huiusmodi species actiuæ,ab intentionalibus differentes:& sine necessitate introducuntur,& quid sint explicari non potest.

Sine necessitate quidem finguntur,quòd cùm omnis actio fiat per contactum, saltem Physicum : formam ipsam actiuam continuatâ per medium productione passo applicari oportet. Quod cùm ita sit, nulla potest assignari specierum actiuarum necessitas. Verùm licèt prædictas imaginarias species & dari & reflecti posse concederemus : attamen nullam vnquam intensiorem qualitatem producerent : quàm ea sit,à qua emanant,& cuius agendi vim & efficaciam referunt. Sic species visiles per reflexionem ab speculo nullam & maiorem perfectionem acquirunt, quàm ab obiecto à quo emanant,acceperint. Quòd si dicant lumen reflexum intendi. Respondebimus illud intendi non quà reflexum : sed quatenus minùs aptum recipi in raro diaphano,quàm in opaco eóque denso & polito : vt in hoc excellētiùs & perfectiùs à luminoso imprimitur,ita & ab hoc intēsiùs refūditur in medium.

Quare antiperistaseos nomen retinentes, eius rationem explicemus. Quæ duplex omninò est. Vel enim qualitas cuipiam insita,ex præsentia contrariæ magis actiua redditur, absque maioris intensionis acquisitione : vel eadem qualitas aut alia subiecto minimè connaturalis,ex circumobsistentia alterius contrariæ, per accidens in prædicto subiecto vel intenditur, vel producitur. Ad quæ duo capita omnes veræ antiperistaseos experientiæ reducuntur. Nam quod vulgò efferunt de media aëris regione,per æstatem frigidiore : nihil habet in nostra sententia antiperistasticum. Aër enim naturâ frigidus,illic meliùs integram conseruat natiuam temperaturam, quò contrarij alterantis actiuitas difficiliùs peruenit. Grandinem autem, æstate sæpiùs generari ; non ex eo prouenit, quòd ea aëris regio æstate sit frigidior : sed quòd crassius sit id quod concrescit, ob terrestrium exhalationum copiosiorem permixtionem. Prior ergo antiperistaseos modus,tum accidit : quando subiectum seu materia in qua ea qualitas inest quæ ad præsentiam contrariæ magis actiua redditur, ad densitatem solitò maiorem deducitur. Exinde enim præexistens qualitas agendi maiorem efficaciam acquirit, quòd frequentior fit multiplicatio eiusdem qualitatis in subiecto minoris molis: & pluribus partibus quàm antea,possit eamdem patientis molem attingere. Non tamen ab ea maiori partium materiæ approximatione, vlla maior intensio,aut nouus aliquis gradus acquiritur : sed æqualis intensionis qualitas, magis actiua efficitur. Magis inquam actiua,partim quòd celeriùs agat,resistentiam patientis faciliùs superando : partim etiam quòd intensiorem effectum producat. Quatenus enim agens sub ea densiore materia promptiùs euincit patiens, & eidem reagenti magis resistit : plures gradus insitæ qualitatis sibi conseruat,quos in patiente introducat. Sic ergo dicitur virtutem vnitam, fortiorem esse seipsâ dispersâ. Atque ita carbones, acriùs vrunt quàm flamma:& glacies plùs refrigerat, quàm aqua soluta. Hinc hyeme,flamma densior apparet & rubicundior ,æstate verò, tum maximè radijs percussa solaribus & rarior & flaua magis visitur. Eadem ex causa, ignita exhalatio per æstatem sursum eleuata, ob nimiam raritatem antea non apparens ; vbi à circompositis vaporibus den

sata

[a] In summa meteor. cap. 1 & in 1. de ortu cap. tex. 92.
[b] In eumdem lib. 1. de gener.
[c] In lib. 1. aphor. q. 18.

Contactus alius Mathematicus, quo corpora se suis quantitatibus contingunt : alius Physicus, quo res se saltem per formas in medio repenductas attingunt.

ſata fuerit, & in craſſiorem ignem verſa, nubem quâ tenuior eſt [vt contrarium quo ambitur effugiat] diſruperit, liberiùs videtur. Secundus antiperiſtaſeos modus, ex eo naſcitur: quòd tenues quædam ſubſtantiæ quæ per illud corpus feruntur quod quæſitam mutationem ſubit: vel liberiùs ſolitò exhalent, vel contrà exhalare impediantur. Vel ex eo etiam, quòd corpuſcula per aërem effuſa, potentioris contrarij aduentum effugientia: aërem aut loca ſubterranea, aliter vel potentiùs alterent quàm antea. Ita phiala aquæ plena tantillum ſoli expoſita frigidior ſentitur: quòd calore ſolis tenuiores & frigidiores aquæ partes, à reliquis rarefactione ſecretæ ad phialæ circumferentiam occurrant: vnde per aliquod tempus, à vitri denſitate exhalare impeditæ, maioris frigiditatis ſenſum exhibent. Contrà aquæ thermales hyeme intenſius calent, quia corporum ignitorum per quæ transfluunt illis permixti fumi, ob ambientis frigus minùs exhalant: æſtate vero eædem contraria ex cauſa, tepidiores ſentiuntur. Sic præterea animalium corpora hyeme, & in frigidioribus orbis regionibus, ſunt robuſtiora, copioſiore indigent alimento, & ventres habent, vt ait Hippocrates, calidiores. Aëris enim algor ſpirituum effluuium impedit, aut imminuit: quibus cohibitis, & robur additur partibus, & naturales facultates commodiùs & perfectiùs ſuas actiones abſoluunt, ad ſingula munia vberiùs illos copioſos diſpenſantes. Poſteriore autem ex cauſa fit, non auroram, ſed id tempus quod proximè auroram antecedit, reliquâ nocte eſſe frigidius: quòd à ſuperioribus aëris partibus quæ iam illuſtrari incipiunt frigidiores partes effugiant, quæ ad imam regionem & terram pulſæ nos importuniùs refrigerant. Vnde per id tempus vaporibus per aërem diffuſis concreſcentibus ros & pruina generatur. Ex eiſdem planè cauſis aduenit loca ſubterranea & aquas puteales hyeme calere, æſtate verò contrà frigere: quoniam per hyemem & impeditur ſubterranearum calidarum exhalationum effluuium, & leuia quædam igneæ naturæ corpuſcula per æſtuantem aërem antè vagantia, eò fugiant, vt inimici frigoris noxam vitent. Æſtate contrà, calidis illis exhalationibus quas ſubterranei ignes maxima ex parte effundunt liberè effluentibus, per laxiorem terræ circumferentiam: tum aër, tum aqua, in his latebris quas ſolis ardor adire non poteſt natiuo frigori reſtituuntur. Cui ſententiæ & antiperiſtaſim explicandi modo plurimùm fauet Theophraſtus.[d] Illud verò quod aiunt, aquam igni aſperſam, ignem acriorem reddere: nihil habet quod ad antiperiſtaſim pertineat. Quoniam ſic igni addito fomite non acrior redditur, ſed accreſcit ignis. Ad antiperiſtaſim tandem aliqualiter accedit, caloris eorum quæ intra nos præter naturam incaleſcunt intenſio. Talia enim, vel ideo ſuper incenduntur, quòd (per impeditam tranſpirationem, aut calidi ad intima retractionem, ſeu aliter) prohibito contemperantis acceſſu: à primario calefaciente plus ſolitò incaleſcant. Ita qui ſuſpenſi ab interitu vindicantur, dum ſupprimeretur reſpiratio, per totum corpus quemdam quaſi effundi ignem ſenſiſſe ſe memorant. Et qui à timore aut triſtitia, in ephemeram incidunt: corde per oppreſſionem ad vehementiorem conatum excitato, & præter conſuetum incaleſcente, ſpiritus etiam accendi experiuntur. Quæ verò ab interno principio putreſcendo, ſuperincaleſcunt: ideo intenduntur: quia cùm per putredinem (vt libro de febribus ſumus explicaturi) heterogeneorum fiat diſſolutio; calidior ea mixti putreſcentis heterogenea pars quæ ad naturam ignis propiùs accedit, à cæteris heterogeneis portionibus ſeparata: tum in cæteras, tum in circunſtantes ſolidas intenſiùs agit, quàm antè, dum in mixtione à contrariorum miſcela refrangeretur. Atque hæc de elementis ſatis: ad temperamenta pergamus.

[d] Lib. de igne.



De temperamentis.

LIBER SECVNDVS.

QVIA substantialem elementorum permixtionem, primarum qualitatum reciproca refractio proximè sequitur, vnde in mixto temperamentum exurgit: ordinis ratio, Galeno ipso authore[a] expostulat, vt absolutâ elementorum tractatione, de temperamentis agamus. Per temperamentum autem id intelligimus, quod à Latino-barbaris quidem complexio nominatur; veluti qualitatum elementariarum complexus & συμπλοκὴ; à Græcis verò κρᾶσις appellatur: Quæ vox, licèt primò corporum diuersorum mutuam vix solubilem permixtionem significet: exinde tamen ad temperamentum qualitatum significandum per analogiam translata est. Elementorum enim qualitates, vbi singularum summus vigor reciprocâ alteratione retusus est: quasi inuicem commixtæ, & in eodem totali subiecto veluti fœderatæ simul conquiescunt. Quia verò, quid ipsum sit temperamentum minùs compertum est: non antè quid esse feratur exprimendum, quàm quid ipsum esse censeamus explicuerimus.

a Lib. 1. de temper. cap. 1.

Quid sit Temperamentum.

CAPVT I.

TEMPERAMENTI naturam rationéque definitè exprimere, tam est difficile & arduum: vt in ea explicanda, præ sententiarum varietate, vix ex multis, quidpiam certum & nullis cauillationibus implicatum elici queat. Montanus,[a] temperiem, esse mixtorum formam substantialem affirmauit. Argenterius,[b] proximè ad illius sententiam accedens; temperamentum, partium similarium formam appellauit. Idémque assertum legitur ab Auerrhoë,[c] & à plurimis medicis ad Galeni[d] mentem comprobatum. Ea tamen sententia si vt voces sonant defendatur, ab omni philosophia est aliena: cùm accidentia nunquam possint subire rationem substantiæ, nec substantia possit contrariorum accidentium agendi patiendíque potentiam inducere. Malim autem censere, Galenum formarum substantialium naturam & essentiam inuestigare negligentem: non aliud voluisse, quàm temperiem primum esse sensibile principium, per quod similares substantiæ operantur. Quia verò, quodlibet est propter operari: idem constitutiuum principium dixit, quod operatiuum licèt instrumentale cognouit. Quare à philosophorum & medicorum multò pluribus, receptum est: temperamentum esse accidentalem quamdam dispositionem, à primarum qualitatum concursu in mixtione ortam, quâ materia ad formam mixti recipiendam præparatur; & quâ, hæc, ad suas operationes exercendas vt principe instrumento vtitur. Sed hæc ipsa opinio, non eodem sensu à quibusque defenditur. Etenim Auicennas,[e] vt illi vulgò neque iniuriâ planè tribuitur & plurimi illius interpretes: volunt temperamentum vnam simplicem esse qualitatem, ex mixtione primarum natam. Mercatus Auicennæ mentem explicans,[f] censet quintam eam qualitatem, non vnam esse simplicem, sed ex omnibus elementariis aggregatam, & ab eisdem resultantem, quas non potentiâ solùm, sed formaliter contineat: ita tamen vt ea sit peculiaris forma ad quam sit generatio. Verùm neutra via placere potest. Illa quidem: quia si temperamentum vna esset simplex qualitas, & à primis distincta: alios quàm illæ proferret effectus; & ab illarum singulis, vt à contrariis offendi non posset. Sed & pares effectus profert; & ab illis alterationem passa immutatur. Probamus enim, cuiusque temperamentum, à quacumque excellenti primarum qualitatum euerti. Præterea, vna & simplex qualitas, non posset in seipsam agere, & se infirâ contrarietate corrumpere. At manet in nobis cæterisque mixtis, perpetuum inter qualitates mixtionis soboles dissidium: à quo, senium, & naturalis viuentium interitus ducit exordium. Tandem si ea esset simplex qualitas, ex corruptis primis quatuor orta: nihil elementorum, præter materiam primam, restaret in mixtis. Quod tamen est contra communem philosophorum sententiam: & his quæ superiore libro demonstrata sunt manifestè repugnat. Mercati verò opinio multò est durior, & nullâ penè ratione intelligibilis. Simul enim vult, temperamentum, vnam esse qualitatem, & plures. Vnam quidem, cùm quintam à quatuor primis distinctam facit: plures verò, cùm easdem incorruptas, sub vna for-

a Comm. in cap. 1. doct. 3. fen. 1. lib. 1. Auic.
b Comm. 2. in artem paruam Galeni.
c Lib. 2. colliget. cap. 1.
d Lib. 1. de vsu part. cap. 9. lib. de constit. artis. c. 10. lib. 1. de facult. natur. c. 3. & alibi.
e Lib. 1. fen. 1. doct. 3. c. 1.
f Tomo 1. lib. 1. q. 39.

mâ consistere, atque illas in hac formaliter contineri profert. Eamdem prætere a, substantiam tacit & accidens: accidens quidem, cùm qualitatem appellat; substantiam verò cùm ad eam generationem esse scribit. Quæ quàm sint absurda, videtint qui vel sola philosophiæ primordia libarunt. Demum neque accidentia vt docuit Aristoteles [g] miscentur: vt ex qualitarũ primarum miscela quinta resultet prioribus retusis quidem, sed incorruptis. Neque accidentia diuersæ speciei, ad vnius formæ specificam vnitatem, coeundo transire queunt. Neque illa quinta qualitas tanquam materia substare potest quatuor primis, quas continere dicitur: cùm materia sit prior, hæc autem primis posterior. Neque easdem per modum formæ informare. Nam qualitates primæ nullis aliis per modum materiæ substare intelliguntur. Id enim inter qualitates proprium est & peculiare facultatibus actuum immanentium productiuis quæ propriis actibus substant. Tandem absque vlla necessitate & perperam hæc noua qualitas introducitur: cùm quod ab illa requiritur, vel ab aggregato qualitatum elementariarum, & his quæ temperamenti rationem complent; vel ab vnitate substantialis formæ, mixta consequantur. Nam agendi proprietates, proprietatem temperamenti sequi mox docebimus. Contrariæ autem qualitates simul continentur, sicut inter se tussæ, à totius substantiali forma coërcitæ. Non ita tamen ligatæ, vt ab omnimoda ad inuicem actione abstineant: se enim per heterogeneas mixti partes in quibus variè eminent, sensim ac lentè semper oppugnant, donec mixtum ad interitum deducant. Fernelius [h] temperamentum harmoniam esse ait, & concentum principum qualitatum quæ in elementis sunt. Quas per totas inquit, [i] & in summa intensione confusas, eamdem communémque materiam in mixtis obsidere. Quam sententiam, ideo improbandam iudicamus: primùm, quia temperamentum harmoniam & concentum appellans, illi esse relatiuum tribuit: quod temperamento conuenire non potest, Siquidem, relatio neque actiua est, neque passiua: temperamento autem, agendi & patiendi vis insita est. Tum quia, inquiens qualitates per totas confundi, idem est ac si miscere diceret: quod à qualitatum natura planè alienum esse, iam ante ex Aristotele docuimus. Qui [k] mixtionem miscibilium alteratorum vnionem definiuit: & [l] quæ miscentur ad inuicem excellentias corrumpere affirmauit. Id tàdem multò absurdiùs est, quod velit easdem qualitates in summo eamdem communémque materiam obsidere. Fieri etenim nequit, vt contraria in summo gradu, se in eodem subiecto naturaliter compatiantur. Quod ne diuinâ quidem potentiâ fieri posse, à nonnullis fuisse affirmatum, docent Conimbricenses. [m]

g Lib. 1. de gener. tex. 83

h Lib. 3. Physiologiæ c. 1.
i Ibid. cap. 2.

k Lib. 1. de gener. tex. 90
l Lib. 2. tex. 48.

m Lib. 1. de gener. in cap. 1. q. 8. art. 5

Quare multò probabilius est, temperamentum esse aggregatum quatuor primarum qualitatum inuicem refractarum, sub quacumque proportione mixtionem consequantur. Verùm quia per temperamentum Medici solent id concipere quod singulis medicamentis tam vt proximum instrumentum quàm vt conditio necessariò annexa ad sic operandum deseruit: quia non solùm varius primarum qualitatum concursus, sed specialis cuiusque substantiæ modus, modum agendi euariat: totum illud complexum, quod ex particulari modo substantiæ per variam elementorum mixtionem acquisito & determinata quatuor qualitatum graduatione constat, temperamentum frequentissimè appellarunt. [n] Hinc Galenus, [o] excessum ait, & defectum elementorum, in nobis æquabilem temperaturam corrumpere: quòd non qualitatum solùm intensio & remissio diuersa, sed variatio ipsa modi substantiæ temperamentum immutet. Quod ab Auicenna [p] etiam insinuatur, cùm inquit: & hoc est quod in complexionato in primis attenditur, siue sit corpus totum, siue sit membrum vnum: vt sit in eo de elementis cum suis quantitatibus & qualitatibus, mensura, quam humana natura habere debet, secundùm meliorem proportionis & diuisionis æquitatem. Atque hinc medicamentorum quædam vulgò à medicis solent dici temperamento terrea, alia aquea, aërea, aut ignea: quòd vel tota, vel eorum portio ad agendum efficacior huius aut illius elementi, & qualitatum graduationem, & substantiæ modum, propiùs imitentur. Sic idem Galenus, [q] Neapolitæ medicamentum inquit temperamento esse aquosum, vt hermiæ ophtalmici lutrum idest balneum. Quinimo particulari medicamentorum substantiæ modo, temperaturæ nomen, idem aliquando tribuit. Ita collirium thinema, & scylacium pharmacum, temperaturâ crassius dixit; & diluta temperatura Gallionis collirium ex rosis nili. Quare nihil mirum si nullibi apud Galenum vt celeberrimi authores adnotarunt, temperamentum definitum legatur. Quoniam entia per accidens, & ex multis entibus per se aggregata definiri non possunt: quòd in vna ratione communi proximâ, minimè conueniant. Sæpiùs tamen Galenus, solùm illum primarum qualitatum concursum absolutè temperamentum vocat: & totum illud tam ex qualitatum crasi, quàm ex vario substantiæ modo aggregatum, totam substantiam appellare consueuit. Quam earum proprietatum, quas multi occultas, alij specificas nuncuparunt, radicem esse statuit: & quam iure affirmare possumus, facultatum omnium naturalium proximum esse instrumentum. Ad eam enim ille [r] respiciens, secundum temperamenti proprietatem particulas agere: & [s] singulis, ex substantiæ proprietate, propriam quamdam functionem contingere, professus est. Clarissimè autem id explicuit, libro tertio de temperamentis [t] per hæc verba. Easdémque facultates effectus esse

n Vales. lib. 1. contr. cap. 6. Redemtus à Vega in 1. dubitan. ad cap. 12. artis medicæ, & alij.
o Lib. 8. de decretis Hippocr. & Plat. cap. 2.
p Lib. 1. fen. 1. doct. 3. c. 1.
q Lib. 4. de compo. medic. secund. locos.

r Lib. 2. de locis affect. cap. vlt.
s Lib. 6. de decretis. c. 8
t Cap. 1. ad finem.

totins

totius in quouis corpore substantiæ, quam etiam constare ex calido, humido, frigido, & sicco, inter se mixtis, dicimus. Vbi igitur corpus, vna qualibet earum quas in se habet qualitatum, corpus quod sibi admouetur, demutat: nec ipsum hoc casu, totâ substantiâ existimandum est agere, nec quod ab ipso mutatur posse ei assimilari. Quare nec vnquam nutriet, quod ita mutatum est, id quod se mutauit: & si illud admodum mutet, id est si totâ substantiâ operetur, vtique tum sibi assimilabit, id quod mutatur, tum ab eo nutrietur. Cæterum substantiarum modos Medici appellant, varios quantitatis in materia habitos, secundùm diuersam partium ipsius positionem, cum varia etiam aliquando, humoris & siccitatis perfusione: substantiam cum quantitate confundentes, quòd hæc coæua sit materiæ, & illi perpetuò sociata. Modi ergo substantiæ, hi sunt: asperitas, læuitas, raritas, densitas, tenuitas, crassities, duritiés, mollities, viscidatas, friabilitas; & similes. Qui qualitates etiam à quibusdam dicuntur, in quantum benè vel malè subiectum disponunt: aut quatenus resultant ex quantitate diuersimodè terminatâ, variam formam aut figuram constituentes. Non tamen propriè loquendo, qualitates sunt: quos idcirco Aristoteles, à categoriâ qualitatis, absolutè exclusit. De quibus rectè Dandinus [a] dixit, illa ipsa quæ ineptissima atque inertissima videntur, vt quantitas, figura, raritas, densitas, & similia: etsi verè nihil agant, sunt tamen actionis conditiones & aliquid conferunt vt celeriùs aut tardiùs, faciliùs aut difficiliùs actio perficiatur; aut saltem sunt materiæ conditiones, vt actionem suscipiãt. Quæ inde plurimarum facultatum medicamentorum sunt fundamenta. Multa enim quæ similem qualitatum concursum sunt nacta, ob dispares substantiæ modos, dissimiles admodũ facultates sunt consequuta.

a Digress. 14. in lib. 2. de anima.

De Temperamentorum differentiis.

CAPVT II.

ETSI ad temperamenti integritatem, vt facultatum mixtorum est instrumentum, & substantiæ modus & quatuor primarum qualitatum concursus requirantur. Tamen quia modorum substantiæ præcisas differentias, præcisis qualitatum crasibus certâ lege sociare, atque ex vtriusque aggregato constantis habitudinis species constituere non licet: solùm ex diuerso habitu primarum qualitatum in mixtis, temperamentorum differentias perquiremus. Hunc autem qualitatum elementariarum in mixtis refractarum habitum, consideramus; vel sub præcisa ratione formalis graduationis qualitatum in vnoquoque mixto, vel vnum mixtum ad aliud comparando. Vndè prima oritur temperamenti differentia: absoluti & respectiui. Per absolutum illud intelligimus, per quod quidpiam in se consideratum, temperatum vel distemperatum absolutè dicitur: quòd habeat in se, vel singulas qualitates intensione pares, vel easdem inter se gradibus dispares. Respectiuum appellatur, quod respecto ad hominem, aut quidpiam aliud; temperatum aut distemperatum nuncupatur.

Absolutum iterum, vel est homogeneodes & incomplexum, vel heterogeneodes & complexum. Homogeneodes id dicimus, quod in mixtis homogeneis, aut saltem mixtorum homogeneis partibus adnotatur: in quibus vnus est, simpléxque primarum qualitatum habitus. Complexum autem & heterogeneodes vocamus illud, quod ex plurium homogenearum partium diuersis temperamentis, in toto heterogeneo sensibile consurgit. Homogeneodes, quoniam simplicissimæ est habitudinis, cæterorum est regula. Cuius tot oportet constituere differentias: quot modis elemẽtariæ qualitates, simul in mixtis cohærere possunt. Quæ vt Galenus docet [a] cùm in mixtis in summo simul inueniri non possint: sed vel omnes in medio consistant; vel alterius contrarietatis vna excedat; vel vtriusque contrarietatis altera: nouẽ omninò erunt, possibiles temperamentorum differentiæ. Quarum, vna æqualis appellatur: octo verò inæquales dicuntur.

a Lib. 1. de temp. cap. 5.

Æquale temperamentum illud vocant, quod & σύμμετρον seu commensuratum, & εὔκρατον seu benè temperatum, aut sine addito temperamentum nuncupatur. Quod præterea duplex est, scilicet vel absolutè tale, quod ad pondus appellatur; vel secundùm quid, quatenus cuiusque naturæ est commodissimum, atque ad iustitiam nuncupatur.

Prioris ratio in indiuisibili planè consistit: quoniam, vt ait Galenus, [b] ex contrariis, æquã prorsus inter se proportione coeuntibus, constat.

b Lib. 1. de temper. cap. 6

Sed hoc ipsum quod ad pondus dicitur, iterum sub triplici ratione concipi solet. Primùm quatenus per æqualem substantiarum elementorum mixtionem, quidpiam ita in grauitate & leuitate est temperatum: vt per vtriusque æqualem participationem, grauia inter & leuia sit medium. Secundò prout aliquid in qualitatibus primis æqualiter est commensuratum. Ac tertiò, quatenus quidpiam vtraque ratione æqualitatem est consequutum. Vtrum autem, vel quidpiam hominis, vel mixtum aliquod, modo quopiam ex his, possit esse temperatum: capite sequenti perquiremus.

Temperamentum ad iustitiam dicitur à Galeno, [c] quod in vnoquoque genere tale est, quale à natura cuiusque maximè expetitur: vt propriam sibi functionem optimè exerceat. Quæ εὐκρασία

c Citato cap. 6. lib. 1. de temper.

ad iustitiam nuncupata, nequaquam in indiuisibili consistit: imo ex Galeno, [d] quamdam habet latitudinem, intra quam partis cuiusque sanitas conseruatur.

Inæqualium autem temperamentorum; alia simplicia sunt, alia cōposita. Simplicia ea dicuntur, in quibus, cùm in vna contrarietatum, par sit vtriusque qualitatis intensio: in altera, qualitates sunt ad inuicē intensione dispares. Quæ possibilia esse, & probatum est à Galeno, [e] & experimento conuincitur. Ea autem sunt quatuor: calidum, frigidum, humidum & siccum. In quorum singulis qualitas denominans, sibi contrariam excedit: in altera verò contrarietate, neutra aduersariam præcellit. Composita ea vocantur, in quibus vtriusque contrarietatis vna qualitas, infra mediocritatem remissa est: altera verò, mediocritatē superat, & contrariæ prædominatur. Atque hæc totidem sunt ac simplicia: calidum & humidum, calidum & frigidum, frigidum & humidum, frigidum & siccum. Horum autem tam simplicium quàm compositorum inæqualium temperamentorum excessus, pro diuersa graduum latitudine, & proportione dispari: tam varij esse possunt, vt infinita penè temperamenta hinc enascantur, nō specifica solùm sed indiuidualia, vt à Galeno fuit adnotatum. [f] Qui ad particularem illam κρασεῶν graduationem collimans, temperaturam ad vnguem scire difficillimum esse asseruit. [g] Atque hæ quidem sunt incomplexi temperamenti differentiæ.

Complexum autem vt ait Auicennas, [h] nascitur ex coalternatione, seu coalteratione potiùs diuersorum membrorum, vel ex actione diuersarum partium heterogenearum, complexim in altero vim suam explicantium. Quod vel in simplicibus mixtis & medicamentis, vel in homine consideratur. In Medicamentis quidem, non aliunde quàm ex eorum operandi ratione innotescit. In homine verò non ex cutis solùm temperatura, vt Auicennæ [i] visum est: sed ex totius habitûs, cutis scilicet & musculorum constitutione dignoscitur. [k] Hoc autem in vtrisque, vel æquale est, vel inæquale. Æquale item duplex. Scilicet vel secundùm apparentem ęqualem commensurationem qualitatum: vel secundùm vniformitatem effectûs. Æquale secundùm æqualem qualitatum commensurationem in homine, dicitur ea in cute & habitu ex coalteratione internorum membrorū, alterius tēperati hominis tactui apparēs tēperatura, quæ in medio tam calidi & frigidi, quàm humidi & sicci consistit. Qualiter tēperatū hominē Galenus, [l] in medio totius generis, imo & vniuersæ substantiæ (id est ad quoduis aliud cōparatum) tēperatissimū esse asseruit. In medicamētis verò, eiusdē rationis tēperamentū, illud est, quod ex diuersis portionibus substantiæ diuersimodè tēperatis, tale exurgit, vt ex æquali contrariarū facultatū in dissimilibus partibus inhærentiū vigore, agendi vim ad vnguē temperatā sortiatur. Qualia si teperiātur aliqua, ea ad pondus secundo modo tēperata agnoscimus.

Æquale, secundùm vniformitatem effectûs, in homine quidem illud dicitur, quod qualecumque sit, ex coalteratione diuersorum membrorum, in cute & habitu vniuerso, vniformis temperamenti vniformes notas repræsentat. Ita Sempronium æqualiter temperatum dicemus, si per vniuersam cutem, totiúsque corporis habitum, consimilis temperamēti, seu calidi, seu frigidi, aut alterius signa eluceant. In simplicibus verò mixtis, æquale secundùm vniformitatem effectûs temperamentum esse dicimus; cùm tota heterogenei medicamenti substantia, in quidpiam, hominémque præsertim agens, vniformem producit effectum. Ita lactucæ æquale temperamentum dicimus, quòd ea vniformiter agat refrigerando scilicet & humectando. Atque hoc rursus, vel est temperatum, & in idem recidit cum æquali secundùm commensurationem qualitatum: vel distemperatum. Atque id tot modis, quot incomplexum distemperatum reddi docuimus. Complexum inæquale, vt de æquali diximus duplex est. Nam & iuxta inæqualitatem graduationis qualitatum, & iuxta difformitatē effectûs inæquale appellatur. Inæquale vixta inæqualitatem graduationis qualitatum, tam in homine, quàm in simplicibus mixtis, tot habet differentias, quot modis variæ partes inæqualiter temperatę, pro diuerso cuiusque temperamēto & partium multitudine, diuersimodè inter se cōbinati possunt.

Iuxta difformitatem verò effectûs in medicamentis quidem illud inæquale appellatur, quod tale est, vt illa vel assumpta vel admota, difformes, vel repugnantes etiam operationes producant. Ita rhabarbari inæquale temperamentum agnoscimus, quòd idipsum in tota substantia assumptū, purget primùm, mox astringat. Opij similiter, quòd primò sopiat, postmodum pruritum excitet. Quod ex notabili partium heterogenearū disparitate oritur. Atque ex eo maximè: quòd illæ, ob plurimū inter se disparē tenuitatem & crassitiē, disparibus temporū interuallis operentur. In homine verò, cōplexum temperamentū secundùm difformitatē effectûs, inæquale tunc esse dicimus: cū partium externarū aliæ calidi, aliæ frigidi aut alterius tēperamenti signa proferunt. Quod multifariā accidit, vt colligi poterit ex his quæ infra [m] docturi sumus. Vnde Galenus, [n] inspicere autē oportet inquit, si eamdem omnes Musculi seruēt temperaturam, vel minimè eamdem. Quod non aduertentes plurimi, Galeno ipso monente, [o] plurimum errant: Qui vel ex signis in vno capite & facie, aut alia singulari corporis regione, apparentibus; totius corporis temperamentum colligere præsumunt.

Respectiuum tandem tēperamentū; quod, pro respectu quem quidpiam habet ad aliud, denominationem

d Lib. 1. de sanit. tuenda. cap. 5.
e Lib. 2. de temp. cap. 8.
f Eodem 1. de temper. cap. 9
g Lib. 9. Methodi cap. 15.
h Lib. 1. fen 1. doct. 3. cap. 1.
i Ibidem.
k Galen. lib. artis medica. cap. 50.
l Lib. 1. de temp. cap. vltimo.
m Cap. 10.
n Cap. 19. artis medica.
o Lib. 2. de temper. cap. 6 in principio.

tionem assumit: multiplex est, & varium. Vnum autem ad aliud octo modis comparari posse ex Auicenna colligimus. [p] Primò si totam vnam speciem, quæ secũdum latitudinem sui temperamenti, proximè ad exactam temperiem secundùm qualitatum commensurationem, accedat, cum aliis omnibus aut mixtorum, aut sui generis speciebus, vel cæterarum eiusdem ordinis singulas, cum illa cõparemus. Sic enim illam temperatã dicemus, cæteras distemperatas. Quæ si calidiores sint, calidæ dicentur: sin verò minùs calidæ extiterint, frigidæ appellabuntur. Atque idem in cæteris tum inæqualium temperamentorum differentiis, tum sequentibus mòdis respectûs obseruandum. Secundò si in tota vna specie videlicet humana, vnum imaginemur indiuiduum tanquam Policleti regulam ad iustitiã temperatissimum, in quo ea insint quæ ad actiones omnes perfectiùs obeundas requiruntur: quod cũ cæteris omnibus & ad ipsum cætera omnia indiuidua eiusdem speciei cõparemus. Sic enim illud, pro temperato habentes; cætera, distemperata dicemus. Tertiò si vnius speciei indiuidua, quæ in regione secundùm eorum naturã temperatissima, aut nascuntur aut habitant; cùm aliarum regionum eiusdem speciei indiuiduis conferantur. Sic enim quæ talis regionis erunt, temperata: cætera, distempetata dicemus. Quartò si inter eiusdem regionis aut climatis indiuidua, temperatissimum seligẽtes: cætera, ad illud comparemus. Quintò si quoduis determinatum indiuiduum, cum alio eiusdem speciei cõferamus: vt Paulum, cum Petro: & hunc cum alio. Sic enim continget, Petrum inter hos temperatum esse: Paulum verò calidum & humidum, at tertium frigidum & siccum. Sextò si idem indiuiduum, in ea ætate qua temperatius futurum est: cum seipso in aliis ætatibus considerato comparemus. Sic enim adolescentem, temperatum esserentes: eumdem puerum humidiorem dicemus, iuuenem calidiorem, senem, sicciorem & decrepitum frigidiorem. Septimò si inter membra eiusdem animalis aut viuentis aliquod secundùm qualitatum cõmensurationem temperatius inueniatur, & ad illud cætera conferamus. Sic enim illud, temperatum: cætera, respectiuè calida, aut frigida; humida, aut sicca proferemus. Tandem octauò si inter eiusdem rationis membra, in eadem animalis specie temperatissimũ ad iustitiam cor verbi gratia fortis constituatur: & cætera ad illud conferamus. Sic enim cordis huiusmodi vt temperatissimi constitutione definitâ, singulorum corda ad illud cõparantes, ea vel calida, vel frigida; atque aliter pro diuersorum temperamentorum ordinibus, constituta esse dicemus. Quòd si has respectuum diuersas rationes referentes, nonnullis videamur, ab Auicenna aliquantulum differre: nouerint, illum esse persequutum varios modos quibus aliquid æqualiter temperatum dici potest: nos verò explicasse possibilem omnem varietatem respectuum, secundùm quam aliquid vel temperatum, vel intemperatum dici potest. Quibus non expressis, plerumque contingit, vnum idémque pro vario respectu ab authoribus aliâs calidum, aliâs frigidum dici.

[p] Citato lib. 1. fen. 1. doct. 3. cap. 1.

An detur aliquid temperatum ad pondus.

Capvt III.

Tanta est in hac controuersia & examinanda & definienda, sententiarum varietas: vt si in singulis referendis, & excutiendis immorari vellemus, plus quã par est in vna quæstione occuparemur. Quare compendiosiùs & vtiliùs agetur, si quod cum ratione sentiendũ videtur proferamus: quod viris doctis examinandum submittatur. Quinque ergo omninò sunt modi, quibus quidpiam ad pondus temperatum dici potest. Primò quod est in primis qualitatibus æqualiter commensuratum. Secundò quod ex æquis elementorum portionibus mixtum est. Tertiò quod est vtrinque σύμμετρον. Quartò quod ex coalteratione partium æquali inter se inæqualitate temperatatum ad æqualem qualitatum commensurationem vel in cute apparẽtem: vel operatione manifestatam, deducitur. Ac tandem quod etsi minimè sit ad commensurationem absolutè temperatum: respectiuè tamen ad ea quæ sunt eiusdem generis tale dicitur. Inter quos æqualis temperaturæ modos; quod quinto modo æqualiter temperatum appellatur, ab æqualitate absoluta ideo abesse videtur: quod non simpliciter, sed pro respectu ad alia, æqualiter temperatum nuncupetur: sicque potiùs cæteris tẽperatius, quàm absolutè tẽperatum. Quatuor autem priores modi, cùm citra omnem respectum dicantur: si secundùm naturam possibiles sint, quod vnoquoque eorum temperatum erit, absolutè temperatum esse ad pondus admittatur oportet. Ad pondus quidẽ non vt aliqui somniarunt, quod ex pari elementorum libramento consistat (vt loquitur Mercatus) [a] nullus enim est qui horum portiones ad æquilibrium compensare valeat; cùm totus etiam leuitet ignis, & terræ minimum semper grauitet. Sed vel quòd ea proportione elemẽta misceantur; vt leuia admixta grauibus, & grauia leuibus: si in grauium sphæra constiterint; sursum ferantur; in leuium verò regione posita, deorsum ad medium inclinentur, & sub aëtis concauo naturaliter conquiescant. Vel quòd metaphoricè ad pondus idest ad æqualitatem intensionis primarum qualitatum sint temperata.

[a] Tomo 1. lib. 1. q. 42. n. 4.

Quare ad quæstionẽ respondentes: dicimus primò, dari posse nonaliquã solùm mixti partẽ homogeneam, quæ ad æqualitatem graduationis qualitatum sit temperata: sed simplex etiam aliquod

mixtum,posse omni ex parte eâdem ratione tẽperari.Quod probare minimè est arduum.Prima enim conclusionis pars,à Valesio [b] ex eo conuincitur:quòd frigidum & siccum, sic proportionatis viribus in calidum & humidum possit admoueri,vt huius calor & humor æqualiter remittatur. Cùm autem ab extremo non possit ad extremum nisi per mediũ perueniri:necessariò huiusmodi passũ,æqualitatẽ vtriusque cõtrarietatis attinget. Posterior verò pars probatur,quòd nihil vetet elemẽta casu aut vniuersalis causæ efficientiâ,ita ad mixtionem concorrere,vt se æqualiter reprimant:& adueniẽte mixti formâ,in ea qualitatum paritate tandiu contineantur quamdiu ab extra nulla inæqualitas procuretur.

b Lib. 1 contrau. cap. 7.

Secundò asserimus,non solùm posse,sed actu varia mixta reperiri,quæ ex elementorum portionibus,ita proportionatis componantur:vt grauibus elementis leuiora sint, & leuibus grauiora. Oleum sit nobis in exemplum.Quod non quia pingue,nec quia viscidum innatat aquæ:sed quia,ea est in illo elementorum mixtura,vt mediæ sit leuitatis & grauitatis. Nam oleum garyophylorum , etsi pingue, aquæ tamen non innatat : & viscidior pituita,aquæ subsidet.

Tertiò affirmamus,simplex aliquod mixtum,& ad sensum homogeneum,posse vtrâque ratione esse Symmetrum.Elementis enim sic ad mixtionem concurrẽtibus,vt quod mixtũ est,in medio grauium leuiúmque consistat:quidni potest mutua singulorum actiuitas, reciprocâ resistentiâ ita compensari, vt singulorum qualitates ad æqualem mediocritatem refrangantur. Et si forsan eorum vis quæ magis actiua est,cæterorum resistentiam superaret:nihil vetat,posse talem ambientis temperaturam occurrere,aut siderum influxum interuenire,qui imbecilliorum vires eousque intenderet , vt singulorum actiuitas par redderetur. Atque ad id quod in rerum natura tale fuerit inuentum,aut mentis ratiocinio tanquam regula cæterorum excogitatum:ea omnia conferre ex Galeno , [c] oportet , de quorum temperamento simpliciter & absolutè ferre sententiam volumus.

c Lib. 1. de temp. cap. 6. & lib. 2. c. 1.

Quartò asseueramus neque hominem,neque animal quodquam,aut viuens vllum:posse priorũ modorum aliquo,vndequaque temperatum esse;sed ad iustitiam tantùm. In quo Medicorum principes conueniunt. Galenus enim [d] vbi verò stirpem animánsuè vllum,ait,eucraton dicimus : nequaquam in ea dictione simpliciter contraria inter se comparamus,sed ad naturam vel animalis, vel stirpis referimus. Tum mox hæc igitur omnia,optimam mediámque habere in suo genere tẽperiem dicemus ; non vtique absoluto sermone,cùm paritas exacta contrariorum in his non sit: sed cũ ea mediocritas, quæ secundùm facultatem eorum est, his adsit, eiusmodi aliquid & iustitiam esse dicimus: non quæ pondere & mensurâ,sed quæ eo quod pro dignitate cõuenit,æqualitatem explorat. Est igitur temperaturæ æqualitas in omnibus temperatis animalibus,stirpibúsque: non ea quæ ex pari elementorum commixtorum spectatur mole,sed quæ tum animalis,tum stirpis naturæ conuenit. Auicennas verò, [e] vlteriùs etiã contra Galenũ,& rationem progreditur.Æquale enim inquit,secundũ hanc intentionẽ quam diximus , impossibile est aliquo modo inueniri : quantò magis vt sit hominis complexio , aut membri humani. Verùm licet hi aliter sentirent:sic ratione probatur conclusio. Non homo solùm, sed viuentia quæcumque,pluribus organis indigent ad munia diuersarum facultatũ tum naturalium tum aliarum obeunda. Sed differentium organorum,non figuram solùm & externam formam : sed temperiem etiam,& substantiæ modum variari necessum est:cùm & diuersis facultatibus inseruiant, & ad differentes effectus producendos,totius substantiæ singulari temperie determinentur. Quare nullâ ratione fieri poterit,ea ipsa secundùm omnes sui partes,ad commensurationem aut qualitatum, aut portionum elementorum esse temperata. Præterea quòd ad hominem pertinet ; quem Galenus [f] videtur dixisse,rerum omnium quæ in natura sunt temperatissimum esse:cùm in illius mixtione sensuum,etiam experimento grauiora elementa prædominentur,vt etiam ab Aristotele est insinuatum, [g] & idem calidi & humidi exuperantiâ vitam tueatur : nemo est qui rem examinans,hominem prioribus illis modis æqualiter temperatum asseueret.

d Eodem 1. de temperam. cap. 6.

e Citato lib 2 fen. 1. doct. 3. cap. 1.

f Lib. 1. de temper. cap. vlt. & lib. 2. cap. 1.

g Lib. 4 meteor. summa 2. cap. 2.

Quare dicimus quintò si ad cõplexũ hominis tẽperamentũ rationẽ habeamus:hominẽ in sua specie tẽperatissimũ,in regione,anni tempore,& ætate temperatissimâ constitutũ: rerum omniũ quæ in natura cõplexo tẽperamento temperata sunt,esse ad qualitatũ cõmensurationẽ temperatissimũ. Quod solũ voluit Galenus,[h] cũ porrò videtur,inquit,quòd tũ animalium,tũ verò aliorũ omnium corporum tẽperatissimus sit homo:simul quòd omniũ quæ in eo sunt particularũ,cutis quæ intra manũ habetur, omnis excessûs planè sit expers. Illã verò exactã temperiẽ omnibus humani corporis partibus cõmunẽ esse, nunquã existimasse,tunc explicat,cùm ait : [i] quoniam autem ex multis & dissidentibus is conditus est partibus: manifestũ est quæ pars medio omnium sit tẽperamento, eam esse maximè εὔκρατον siue temperatã. In quam item sententiã inclinauit Auicennas:qui,& hic etiam homo æqualitati , inquit, [k] non qualitercumque vicinus existit:sed secundùm suorum membrorũ coalternationem.Cùm ergo ponderabuntur & æquabuntur,erit vicinus æqualitati certæ. In consideratione verò cuiuscũque membri,nõ nisi vnius,quod est cutis. Quod ideo homini temperamentũ tribui oportebat:quia cùm is animalium sit sapientissimus , eumdem tactûs instrumentum omni tactilium qualitatum excessu

h Citato lib 1. de temp. cap. vlt.

i Lib. 2. de temp. cap. 1.

k Citato cap. 1. doctr. 3. fen. 1. lib. 1.

immunem

immune habere decebat, & ad earumdem commensurationem temperatum. Tactus autem exactius & perfectius instrumentum, idem esse conueniebat, cum eo quod in rerum etiam minimarum apprehēsionis organo eximiū est: id autem, est cutis extremā digitorum pulpā inuestiens. Verū cum tam exacta illa tēperies in homine (eumdem temperamenti tenorē nunquā seruante) ne momento quidē duret, vt ait Galenus:[l] eam non omnibus hominibus, neque vlli per integram vitā concessam esse existimandum est; sed illi tantū, qui secundū spectabiles omnes respectus, temperatissimus erit.

l Lib. 1. de tuenda sanit. cap. 5.

Quia verò huiusmodi tēperamenti æqualitas mente potius concipi potest, quā sub sensum vnquā cadere: securius est, profiteri quod tandem asserendum censemus. Si in genere animalium omnes species inuicem conferamus, humanam speciem cæterarum esse temperatissimam, & ad æqualitatem temperamenti propiùs accedere. Ac quoniam in singulis speciebus, aliquod concipi potest indiuiduum ad iustitiam temperatissimū quod in latitudine humanæ naturæ erit tēperatius; idipsum ad omnia totius generis indiuidua, collatum, propius ad æqualitatem erit temperatum. Quæ fuit Auicennæ sententia: quam non demonstratiuè licet conuincere, sed his coniecturis firmare. Quod cùm inter res materiâ constantes, humanum corpus sit perfectissimum diuinæ prouidentiæ opificium: hoc ipsum decebat esse quàm maximè animanti licet, temperatum. Cumque homo ad excellentissimam actionem, præ cæteris animantibus destinaretur: expediebat, requisitas in subordinatis organis dispositiones, esse perfectissimas: atque ideo tactus instrumentum, inter tactilia medium, simulque temperatissimum esse oportebat.

Qualis sit, & quibus indiciis dignoscendus temperatissimus homo: & qui, intra limites sanitatis, ab eodem hinc inde recedunt.

Capvt IV.

QVIA rerum temperamenta vel secundùm cuiusque naturam, & inexistentium qualitatum graduationem expendimus; vel prout se habent ad temperatissimum hominem comparata: Medici autem qualia singula sint ad hominem relata maximè contemplantur, vt videre est apud Galenum[a] à temperatissimi hominis cognitione, disquisitionis temperamentorum tractationem auspicari oportet. Est enim temperati natura, ordine cognitionis prima, vt docuit idem Galenus.[b] Quæ cum sit cæterorum norma;[c] non antè cæterorum cognitionem habere licet, quàm huius nobis ratio innotuerit. Temperatissimum autem non eum oportet imaginari, qui in regione & ætate temperatissima constitutus: cum cæteris omnibus totius speciei humanæ indiuiduis, & cum seipso collatus sit temperatissimus: sed eum qui ad huius constitutionem proximè accedat. Cum enim ille, ne momento quidem in eo statu perseueret: quomodo nobis cæterorum constās esset norma, & canon. Quare cum sensuales simus artifices, quos in opere medico crassiore quadam non tamen rudi, sed vtili perquisitione potius quàm nimium solerti expedit esse contentos:[d] non eum hîc quærimus qui in medio ad vnguem temperamento naturæ humanæ debito, consistat; sed qui ad sensum talis iudicetur. Cuius indicia & notas tales ex Galeno[e] colligimus: vt is colore quidem sit ex albo & rubro commixtus: nec hirsutus neque glaber: capillos habeat ex subnigro flauescentes, mediocrisque incrementi, roboris, crassitiei, & crispitudinis: corporis habitu sit εὔσαρκος, nec nimium carnoso aut pingui, nec gracili, & ad excrementorum perspiratum benè comparato: cuius cutis in mollitie & duritie, calore & frigore media tangenti appareat: venis sit nec nimium latis & eminentibus, nec angustis & latentibus. Quem præterea in omnibus corporis partibus medium omnis excessûs, & decētem membrorum proportionem qualem infra[f] describemus, consequutum esse conueniet. Eūdem in actionibus animalibus nec nimis celerem neque ignauum, nec somnolentum nec peruigilem experiemur: pulsu secundū omnes differentias mediocri, & respiratione moderatā. Idem nec nimium erit edax neque anorectos: & nutrimenta media inter ea quæ difficilis & facilis sunt coctionis, non solùm in ventre, sed etiam in venis & tota corporis mole probè concoquet: & primæ coctionis excrementa assumptis proportionata tempestiuè excernet. Ac demum quod ad morum inclinationes pertinet, ad venerem erit moderatus: in medio audaciæ & timoris, cunctationis & præcipitationis, misericordiæ & inuidiæ alacer, amicorum amans, humanus, ingeniosus & prudens. Atque vt hunc ex totius corporis habitus constitutione; & singulorum principum membrorum operationibus moderatis, temperatum iudicamus: Ita si quando de his qui ab huius crasi sensibiliter absunt, sententiam ferre velimus: non vnius solùm partis configurationem, habitum & apparentes qualitates contemplari expediet: sed singularum speciatim conditiones aduertere. Meminisse enim oportet, temperamentorum quædam æqualia, alia esse inæqualia.[g] Quod qui minimè recordantur, sæpè in errorem incidunt. Præterea victûs rationem quâ quisque sit vsus, & regionis quam incolit, ante naturam animaduertere & examinare necessum est: quàm de eius temperamento iudicium proferamus. Ne niger color, quem citra natiuam temperiem

a Lib. 5. de simpl. medic. facult. cap. 6. & 27.
b Lib. 2. de temp. cap. 1.
c Lib. 1. de temp. c. vlt. & 2. eiusd. cap. 4.
d Gal. lib. 1 de tuenda sanitate. cap. 5.
e Lib. 1. de tuenda sanit. cap. 5. & 6. lib. 2. de temper. cap. 1. & lib. artis parue. cap. 51.
f Cap. 10.
g Gal. lib. 2. de temp. c. 6.

quiſpiam ab inſolatu contraxit: aut albus, quem alius ab otioſa & deſida vita acquiſiuit: aut qui-cumque is ſit, quem ex climatis habuit proprietate nos fallat. Neuè de eo qui curis, vigiliis, & ieiuniis ſit emaciatus, quem natura craſſum fecerat: aut de alio qui otio & genio indulgens, craſſus euaſit & pinguis, cùm à natura gracilis eſſet: aliter quàm oporteat ſentiamus. Tandem & quod rectiſſimè Hippocrates admonuit, [h] ſpectandum eſt, ex quibus in quæ mutationes fiant: nè quæ prioris ætatis temperaturæ ſunt ſigna, præſentem craſim indicare exiſtimemus. Quod exemplis explicatum legere licet apud Galenum libro ſecundo de temperamentis. [i]

h Lib. de humor. ad medium, & 6. epidem. sect. 7. post mediū

i Cap. vltimo aliquanto ante finem.

His ergo ad examen reuocatis, temperamento calidiores tantùm, eos eſſe iudicabimus: qui rubicundiores, veníſque & arteriis latioribus; habitu ſint penè εὐσάρκοι, at minùs temperato pingues: tangentibus calidiores appareant: pilis abundent magis, qui ad nigredinem inclinent: in actionibus animalibus celeriores, pulſu & reſpiratione maiore: edaciores, durioreſque cibos faciliùs concoquentes: audaciores, alacriores, minùs in ſententia conſtantes, atque ad venerem magis procliues. Quæ plus aut minùs, à temperati conditionibus aberunt; quò hi, plus aut minùs illo calidiores extiterint.

Frigidiores anguſtioribus ſunt venis, pinguedine magis abundant, albidiore ſunt cute, minùs ad tactum calidi, cute læuiore & minùs piloſa, quorum pili flaui ſunt aut dilutiores: in actionibus animalibus tardiores ſunt, pulſu & reſpiratione minore, cibo potúque parciore illis ſatisfit: ad coquendum ſunt imbecilliores, timidiores, in ſententia firmiores, atque ad venerem tandem minùs proni.

Humidiores tantùm, molliore ſunt cute, carne & pulſu; craſſioris & carnoſioris habitûs, & minùs piloſi.

Sicciores duriore ſunt cute, muſculorum carne, & arteria; magis graciles, ac magis hirſuti.

Calidiores ſimul & humidiores, ſunt temperato magis carnoſi, minùs pingues, molliores, & diffuſiore rubore tincti: venas habent latiores, pilos rariores, vberioris incrementi, molliores, & colore cum temperato pares; ſúntque demùm ad ſudorem faciles.

Calidiores & ſicciores, venas habent latas, acrem calorem exhalant, gracili ſunt habitu, duriore cute & carne, nigriores temperato, hirſuti nigro, criſpo, & difficilis incrementi capillitio; in actionibus animalibus ſunt cæteris celeriores, iracundi, audaces; pulſum habent temperato duriorem & minorem, celeriorem tamen & frequentiorem: edaciores prætereà ſunt & magis ſiticuloſi, primæ coctionis excrementa pauciora & rariùs excernunt. Ad venerem ſunt ardentiores; ſed calidis & humidis à frequentiore coitu magis delaſſantur.

Frigidiores & humidiores pinguiores quidem ſunt, ſed minùs carnoſi, albidiores, ac præ cæteris læues & glabri: pili autem qui his in capite, ſupercilijs, & cilijs inſunt tenues ſunt, molles, mediocris incrementi, & flaui ad albedinem proximè vergentes. Ad animales actiones tardi admodum ſunt & ſegnes, valdè timidi: pulſu in magnitudine mediocri, tardo tamen, raro, molli & languido: facillimè ieiunium ferunt, tardè coquunt, & ad venerem ſunt cæteris ineptiores.

Frigidiores & ſicciores, ſunt graciles, leucophæi ſeu colore quaſi plumbeo, minùs glabri prioribus, & pilis craſſioribus ac ſubnigris, & aliquando modicè criſpis: difficillimè à ſententia dimouentur: pulſum habent paruum & durum, in reliquis autem differentiis mediocri proximum: plus appetunt quàm concoquant, & ad excernendum ſunt tardi. Quorum omnium ſignorum congeries per quas diuerſa temperamenta patent, cùm non ſolùm hiſtoricè debeant à Medico cognoſci; ſed eumdem oporteat ſingulorum notas habere cauſas: noſtri officij eſt, per ſumma capita horum cauſas recenſere. Quoniam tamen ex libro quarto in quo de facultatibus tractaturi ſumus, quæ ad operationes earumdem pertinent abundè intelligentur: ſufficiet hoc loco inquirere cauſas latitudinis & anguſtiæ venarum, craſſi & gracilis habitûs, atque eorum quæ ad pilos pertinent: vt quo modo ex ſingulis horum differentiis, diuerſa temperamenta ſignificentur, intelligamus.

Quod ad primum ergo ſpectat, facultas formatrix qualitatibus primis quaſi inſtrumentis, vt docuit Galenus [k] vſa: quò calorem inuenit in ſemine efficaciorem eò vaſa fiſtuloſiora & ampliora effingit: quò verò eumdem imbecilliorem nanciſcitur, eò minùs dilatat materiam ex qua noſtri corporis organa format. Et cùm partes ſingulæ, ſeminalis temperaturæ modum imitentur: quæ, radicalis ſubſtantiæ validum aut imbecillum fuiſſe calorem ſignificant; eadem calidæ aut frigidæ totius corporis temperaturæ ſunt indicia. Habitus autem corporis, pro caloris conditione, & humidæ ſubſtantiæ copia, ſic immutatur: vt cùm caloris ſit in humidum quod ei apponitur agere; humidi verò pars alia craſſior ſit, alia tenuior & pinguis: portio quidem quæ in appoſito humido craſſior eſt, à temperatiore partium ſolidarum calore perfectiùs excoquitur, & copioſior in earum ſubſtantiam ac maximè carnoſarum (quòd in eas facilior ſit tranſitus) abundantiùs conuertitur: pars verò tenuior & pinguis à reliqua euaporando ſecreta, partim per inſenſiles poros totius habitûs diſſipatur, partim ad membranas quæ denſioris ſunt texturæ allidens, concreſcit in pinguedinem. Quò verò

k Lib. 2. de temper. cap. 6

parcius est humidum, eò minus suppetit, quod & in substantiam membrorum conuertatur; & quod in pinguedinem concrescat. Quò autem vehementior est calor, simúlque membrorum textura rarior: eò plus vtriusque humidæ substantiæ, tum maximè pinguis, in habitum attenuatæ, per insensilem transpiratum digeritur. Vnde parcius est, quod in substantiam membrorum conuertatur; quod simul crassius euadit & siccius. At quò imbecillior est calor; eò pinguis humidi portio, quæ vi caloris euaporat, minùs attenuata, parciùs per insensilem transpiratum dissoluitur; & copiosiùs ad membranas, & fibras nerueas allidens concrescit. Eóque adhuc abundantiùs, quò plus humidi in corpore continetur. Reliqua verò crassior humidæ substantiæ pars, minùs perfectè excocta, parciùs cedit in partium solidarum substantiam. Atque ita temperati, eò carnosiores euadunt, quò plus humidi in corpore inest: frigidiores pingues magis: & quò quique calidiores, eò graciliores redduntur. Pili tandem ex humorum in nobis existentium exhalatione geniti: quia quò intensior est corporis calor, & humor eiusdem magis excoctus, eò copiosior emanat exhalatio: quæ quantò acrioris caloris vi generatur, tantò fuliginosior euadit & siccior; fit vt in calidioribus & siccioribus copiosiores pili, crassiores, nigriores, & magis crispi generentur. Crispitudo tamen non solùm caloris vehementiam, sed potorum etiam cutis sequitur aliquando curuitatem. At quò remissior est calor, & qui in nobis est humor minùs excoctus: eò parcior eleuatur exhalatio: quæ longiùs etiam abest à fuliginis nigrore. Vnde vel glabrities maior, vel pilorum mollities, flauedo, ac candor consequuntur. Quæ licèt concisa oratione sint expressa: possunt tamen industriis & in philosophia exercitatis sufficere ad causas cuiuscumque varietatis capillorum, pressiùs & particulariùs exprimendas.

Quæ sit vtriusque sexûs temperatura.

CAPVT. V.

ET si Varro, [a] sexum triplicem esse voluerit: nos tamen cum Aristotele, [b] & communi hominum sensu, duplicem tantùm agnoscimus; maris scilicet & fœminæ. Nam hermaphroditi & arsenothelies, non tertium quēdam sexum constituunt: sed ex vtriusque confusione naturæ lusu consistunt. Cùm ergo humana species marem habeat & fœminam: dubitari non iniuriâ potest, an qui cæterorum norma esse debet & canon temperatissimus homo, capite præcedenti descriptus, inter mares aut forsan inter fœminas quærendus sit.

Quam quæstionem vt dirimamus: notandum est primò, marem à fœmina distingui; non solùm genitalium membrorum disparitate: sed etiam ex Galeno, [c] quòd hæ vt pluriumùm sint corpore læuiores, & molliores, illi hirsuti & duriore carne: hæ mollioribus pilis, illi durioribus integantur: hæ latiores clunes & crassiora crura, illi latiora habeant pectora & crassiores harmos. Quæ sexuum inter se magnam esse temperaturæ diuersitatem indicant. Secundò aduertendum est, ex eo sexu, qui altero, in his quæ hominis sunt, perfectiores actiones edit; eligendum esse illud indiuiduum, ad quod tanquam in vniuersa specie absolutissimum, & temperatissimum cætera comparentur. Tertiò sciendum est cùm in vnoquoque genere quidpiam reperiatur, quod ad cætera eiusdem generis collatum temperatum dicatur: ita viros cum fœminis conferendos esse, vt vtriusque generis temperatos inter se, & pariliter distemperatos inuicem conferamus.

Quâ obseruatâ lege: asserimus, viros temperatos, fœminis temperatis, non solùm pro ratione crasseos humanæ speciei debitæ, sed etiam ex coaltetatione membrorum & complexo temperamento, temperatiores esse. Si verò distemperatos cum distemperatis comparemus: calidissimos & siccissimos viros, calidissimis & siccissimis fœminis, calidiores atque sicciores esse: at frigidissimas & humidissimas mulieres, humidissimis & frigidissimis viris frigidiores esse atque humidiores profitemur. Primam quidem huius assertionis partem, ex eo confirmamus: quòd cùm actiones facultatum quibus nostrum corpus regitur, eò sint perfectiores quò temperamentum ad æqualitatem humanæ speciei debitam propiùs accedit: quoniam temperati viri quàm fœminæ in ratiocinando sunt sagaciores, hæ verò scrupulosæ magis; illi corporis artus ad quoscumque & nixus & motus robustiores habent, & magis expeditos; in animosæ facultatis impetu sunt temperatiores; & in coquendo magis exacti, cùm excrementis abundent minùs: eorumdem temperamentum ad eam crasim quæ in homine perfectissima est ad iustitiam, propiùs accedere quàm fœminarum, euidente consequutione infertur. Quod aduertens Galenus [d] fœminam mare imperfectiorem dixit, & [e] debiliorem. Complexo vero temperamento, virum æqualitati proximiorem esse indè constat: quod temperatissimæ mulieris, in ætate, & regione temperatissima constitutæ, cutis, & caro; sit tangenti manifestè frigidior & mollior temperatâ: vt assertum ab Auicenna legitur. [f] Quæ mollities maior carnium fœminæ, quàm maris: non in hominibus solùm, sed etiam in cæteris animantium speciebus adnotatur. Quod au-

D 4 tem

[a] Lib. 7. de lingua latina
[b] Lib. 4. de gener. animal. cap. 1.
[c] Lib. 2. de semine cap. 5
[d] Lib. 14. de vsu part. c. 6.
[e] Comm. 5. aphor. com. 16.
[f] Lib. 1. fen. 1. doct. 3. c. vlt.

tem in secunda conclusionis parte assertum est, viros scilicet mulieribus calidiores esse & sicciores: si inuicem prout explicatum est, comparentur: præterquam ad principum Medicorum mētem, Hippocratis,[g] Galeni,[h] & Auicennæ,[i] affirmatur: præterea ratione probatur. Ac primum quidem, quia mas intra vterum citiùs dearticulatur, & mouetur: idémque cauitates omnes ampliores habet: quæ caloris vim ad formationem concurrentis efficaciorem esse testantur. Item ex Aristotele[k] fœminæ ob impotentiam coquendi & resoluendi, ideoque ob frigiditatem (scilicet respectiuam) sanguine, eóque minùs cocto, abundant magis. Eædem semen liquidius excernunt, magis aqueum & minùs coctum viris: licèt in his testes sint externo frigori magis expositi; in illis autem genitalia & intùs lateant & partes circumstantes carnosiores habeāt viris, à quibus pleniùs foueantur. Adde thoracem & hypocondria viris esse ampliora: quòd cor & iecur caloris fontes, vt plus calore valent in masculis ita ad liberiorem transpiratum, minùs angustis sedibus quàm in fœminis contineri deberent. Fœminæ præterea magis somnolentæ viris, & distillationibus magis obnoxiæ: cruditatum, & superabundantis humoris euidentes notas exhibent. Demùm eam inter vtrumque sexum temperamenti disparitatem esse oportebat, vt vtriusque parentis ad generationem concursus æquaretur: Matre enim copiosiorem materiam suggerente, patrem calidioris seminis ope potiorem efficientiam impartiri decebat. Ad hanc autem sexuum temperaturæ varietatem plurimùm facit authore Hippocrate & Auicenna,[l] victûs rationis disparitas. Mulieres enim nimio otio proprium calorem torpidum reddunt, crudiores succos & excrementa plurima generant. Viri autem negotiosi, vim caloris motu & exercitiis exacuunt, succos perfectiùs elaborant, & pauciora excrementa congerunt. Hinc plurimæ ruri degentes quotidiano operi addictæ: & sunt robustiores & superfluum sanguinem, à quo solent per menstrua purgamenta subleuari, paucum generant.

Solent duæ aliæ rationes ad eiusdem propositi confirmationem adferri; vna ex Aristotelis promptuario desumpta; altera Galeni: quæ cùm minùs sint efficaces, ne in illis tanquam validioribus iuniores ardentiùs insistant, referendæ videntur. Aristoteles[m] quidem cùm id marem esse dicat, quod potest concoquere & constituere & secernere semen: fœminam autem quod recipit, nec potest secernere: marem fœminā calidiorem esse, necessariò probasse sibi persuadet. Sed cùm infra probaturi simus & marem & fœminam semen generare, & vtrumque efficientem ad generationem, quamuis inæqualiter, concurrere: huius rationis fundamentum corruit. Galenus[n] autem demonstrare conatur membrorum genitalium partes dextras esse calidiores sinistris: necnon mares ex semine à Dextro teste eiaculato generari & in dextra vteri parte concipi: mares fœminis calidiores esse conuinci putat. Verùm si aduertamus in vtero dextrum à sinistro vix distingui: gemellos mares & gemellas fœminas simul concipi: necnon fœminas aliquando in dextra parte à matribus gestari, & mares in sinistra: ac tandem calidiùs semen maris à Dextro teste eiaculatum (si partes partibus respondeant) in sinistram vteri sedem ferri, à sinistro verò in dextram, atque inde temperaturæ inæqualitatem æquari: quis magnam vim prædictæ rationi tribuet? Quod si quispiam nobis Hippocratem obijceret,[o] asserentem mulierem sanguinem habere calidiorem. Nouerit multa à Polybio atque ab aliis scripta tanquam Hippocratis circumferri: cuiuscumque autem sit ille de morbis mulierum liber, cùm Parmenidis & Democriti opinionem eo loco sequatur, à qua allatæ rationes, & plurium authoritates nos retrahunt; suam non potest nobis persuadere sententiam.

[g] Lib. 1. de Diæta.
[h] Lib. 5. aph. comm. aph. 41. 48. & 49. Lib. 2 de temper. cap 4. lib 7. de vsu part. cap. vlt. 14 eiusdem cap. 7. & 2. de semine cap 4.
[i] Lib 1. fen 1. doct. 3. cap. vlt.
[k] Lib. 4. de gen. anim. cap. 1.
[l] Locis antea citatis.
[m] Lib. 4. de gener. animal. cap. 1.
[n] Lib 14 de vsu part. c. 7.
[o] Lib. 1. de morbis mulierum.

De ætatum temperatura.

Capvt VI.

Hvmanæ vitæ perennis fluxus, & continua temperamenti per ætates mutatio, nonum scrupulum ingerit. Et vt discamus quā ætate temperatissimus sit homo, ætatum temperamenta percurrere conuenit. Ætatum verò nec numerum omnes eumdem statuunt: nec eisdem temporibus singularum terminos finiunt. Tubero enim apud Gellium,[a] humanæ vitæ cursum tribus periodis definiuit: pueros nominans minores annis septendecim; à decimo septimo ad quadragesimum sextum annum iuniores vocans; atque eum annum excedentes seniores appellans. Definitionum medicarum author apud Galenum, ætates quatuor assignat: primam iuuenum, qui calidi sint & humidi: secundam vigentium, calidorum & siccorum: tertiam mediorum, quorum temperies frigida sit & sicca: quartam senum, quos frigidos humidósque pronunciat. Varro apud Rhodiginum,[b] ætatis gradus quatuor esse decernit. Quorum primus annum decimum quintum attingens, pueros habet à puritate dictos. Secundus ad tricesimum annum porrigitur, & adolescentia nuncupatur, à corporis incremento: adolere enim apud Nonium augere significat. Iuuenes tertium constituunt, ad annos quinque & quadraginta: qui quòd rempublicam bellicis vsibus iuuent, sic appellantur. Quartus ad annum sexagesimum, primos senes complectitur. Reliquum au-

[a] Lib 10. n. Attic. cap. 28.
[b] Lib. 19. lect. antiq. cap. 21.

tem vitæ tempus, senes iam ætate graues & ad sandapilam illabentes comprehendit. Isidorus [c] diffusior est in partitione ætatum. Primùmque infantiam vocat: quæ ad septimum annum producitur, in qua fari nesciunt; nondum enim benè ordinatis dentibus, minus perfecta est sermonis expressio. Mox pueritiam recenset, quæ ad annum decimum quartum vsque extenditur. Tertiò adolescentiam ad gignendum adultam, quæ ad vigesimum octauum annum prorogatur. Quartò Iuuẽtutem omnium firmissimam, quæ quinquagesimo anno finitur. Quintò seniorem nominat, quam etiam grauitatem appellat & πρεσβύτην quæ septuagesimo terminatur. Sextò senectutẽ refert, cui quantumcumque vitæ est reliquum imputatur. Macrobius [d] per singula septem annorum spatia, ætatum ordines ad decimum vsque distribuit: nam vt aiebat Seneca [e] septimus quisque annus ætati signũ imprimit. Et vt scribit Gellius, [f] pericula vitæ, fortunarúmque hominum, quæ climacteras Chaldæi appellant, grauissima quæque fieri septenariis à Varrone est affirmatum.

Verùm oc in tam multiplici ætatum partitione, temperamentorum cuiusque iocerta fit designatio: certas nobis leges singulas definiendi præscribamus. Quare ætatem spatium illud durationis viuentium esse reputemus, in quo perseuerantia determinatæ cuiuspiam habitudinis adnectitur. Quæ cùm pro varia calidi in humidum actione euariet: seu hoc crescat, in accepto incremento consistat, decrescat, aut proximè in integrum absumatur: totum possibilis durationis vitæ spatium, in quatuor partes, quatuor illis manifestis mutationibus respondentes, diuiserunt Hippocrates, [g] Galenus, [h] & Auicennas. [i] Quas licèt Galenus, [k] certo annorum numero non esse circumscribendas dixerit, quòd singularum termini pro variâ cuiusque naturâ differant: illas tamen quibusdam cancellis definire possumus, infra & vltra quos non longè vagentur. Galenus cui præ cæteris insistere iuuat, quatuor has certioris discriminis ætates; Pueritiam, Iuuentutem, Senectutem, & decrepitam nominauit. Pueritia, cui infantia initium præbet, & quæ Adolescentiâ terminatur: vix eodem Galeno [l] authore, ad vigesimum quintum annum accedit. Iuuentus virilitati Hippocratis, & illi quam Auicennas consistentem appellat respondens: solet ex Galeno, [m] ad trigesimum quintum annum extendi: vel ad aliorum mentem, etiam ad quadragesimum annum prorogari. Senectus & Leuioris decrementi ætas, quam alij viridem senectam vocant ad annum fermè sexagesimum extenditur. Decrepita tandem & senium, ad extremum vitæ tempus prorogatur.

Pueritia ergo ortui proxima, principiorum generationis in quibus & calor & humor præualent naturam redolens, calida & humida est. Principio quidem humidior, in infantia: sensim autem per pueritiam absolutè dictam, superfluus humor imminuitur, & calor per exercitia acutior redditur. Ac tandem in Adolescentia, quæ pueritiæ terminus est, ad eam temperaturam peruenimus, quæ ad actiones naturales obeundas perfectissima est. Ad quod respiciens Galenus, [n] cæteras omnes ætates, Adolescentiâ dixit esse deteriores: & [o] eam ætatem quæ inter pueros atque adultos est, quam epheborum dicunt & adolescentulorum, optimo esse temperamento affirmauit.

Verùm si ad integram naturæ perfectionem attendamus: quia iuuenes & consistentes, ad omnia corporis & mentis munia habiliores existunt (modo excipias illam iudicij & rationis constantiam, quam habitus tempore & longiore experientiâ acquisiti, confirmant) Iuuentutem omnium ætatum temperatissimam existimandam duxerim. Ea enim cùm quasi in medio & incrementi & decrementi consistat, atque ea præsertim quæ à decremento longiùs abest: meritò à Galeno, [p] omnium maximè in medio extremorum esse asseritur. Incipiens ergo iuuentus æquabili calore vigens, & in medio humoris & siccitatis constituta, verè temperatissima est. A qua sensim per maiorem humidi consumptionem, ad siccitatem fit inclinatio: & calor per aliquod tẽpus quod à siccitate quasi limâ acuatur, acrior efficitur.

Cúmque horum, quàm puerorum calor sit, vt Galenus ait [q] acrior: rectè ijdem pueris intensiuè calidiores, & pueri ortui propiores extensiuè calidiores esse à Recentioribus cum Auicenna [r] dicuntur. Ita Galenus, [s] Iuuenis quidem absolutè calidior inquit: puer verò non absolutè, sed eo quòd plus innati calidi possideat. Hinc Hippocrates qui pueros calido innato magis abundare dixit: [t] an tamen illos calidiores dicere oporteat dubitat. [u] Quoniam calidiores dicere intensionem notat, [*] abundare verò solam extensionem, & subiecti in quo primò insit maiorem molem significat.

Senectus, in qua defectu humidi & conuenientis pabuli sensim calidum euaporat, ad frigiditatem seu caloris decrementum vergit, & sicca est. Sicca inquam secundùm partium solidarum substantiam (quas πεφυκότα μόρια nuncupat Galenus [x]) licèt excrementis incipiat abundare, atque exinde humescat.

Decrepita tandem frigida est, seu mauis minimùm calida, & sicca: non omnimodâ vt adnotauimus siccitate, sed substantiali: excrementitio enim humore superfluè scatet. Harum autem singulæ,

[c] Lib. 11. orig. cap. 2.
[d] Lib. 1. in somn. Scipio. cap. 6.
[e] Lib. 7. de benef. in principio.
[f] Lib. 3. noctium att. c. 10.
[g] Lib. 2. de Diæta.
[h] Lib. 8. de Decretis c. 6.
[i] Lib. 1. fen. 1 doct. 3. c. 3.
[k] Lib. 6. de san. tuenda. cap. 2.
[l] Lib. 5. aph. comm. 9.
[m] 3 prognost. com. tex. 28.
[n] Citato lib. 6. de san. tuenda cap. 2
[o] Comm. in tex 7. lib. de salubri diæta.
[p] Lib. 1. de temp. cap. 2.
[q] Loco proxime citato in fine capitis.
[r] Cit. l. 1 fen. 1 doct. 3. c. 3.
[s] 1. in 6. epid. comm. tex. 5.
[t] 1. aph. 14.
[u] 6 epid. sect. 3. tex. 13.
[*] Obijcies ex Gal. lib. de vtilit. respir. cap 4. pueris maiorem & frequentiorẽ esse respirationem; quòd maiori perfrigeratione indigeant: ideoque intensiuè etiã calidiores. Respondeo primo ex eodẽ Gal. ib. pueros maiorem & frequẽtiorem habere respirationem, quòd ob facile effluxũ ad reparãdos spiritus maiorem copiam necesse frequentius inspirare frequentiúsque fuligine expirare cogantur: non autem ad maiorem refrigerationem. Respondeo 2. pueros frequentiorem habere respirationem, non maiorem adolescentibus aut viris; sed minorem, ob mollitiem organorum quæ ad eã sunt minùs apta: frequentiorẽ autem habent quia cùm pro necessitate vsũs, non possint tantum aërem inspirare quantum expediret, pauciorem frequentiùs inspirant.
[x] Lib. 3 de simpl. medic. facult. cap. 8.

gulæ, ita à seipsis euariant, sub proprij temperamenti latitudine: vt qui à principio nobis insitus est humor, sensim à calore minuatur, siccitúsque paulatim reddatur corpus, donec ad eam siccitatem peruenerit, cum qua durare vita non possit. Calor verò qui in origine mitis admodum est, & ob copiosum humorem coniunctum halituosus: ad certum vsque terminum sensim intenditur acriorque redditur, prout qui superfluebat humor imminuitur. Qui plurimùm decrescens, illi deinceps remissionis est occasio: mutuóque paulatim eousque deficiunt, vt homo deinceps functionum naturæ incapax mori cogatur.

De varia climatum temperatura.

CAPVT. VII.

GEOGRAPHI, vniuersæ terræ globum, ab vno ad alterum polum, secundùm latitudinem in quinque partes primùm quas Zonas vocant, diuiserunt; quarum euidens est temperaturæ diuersitas. Quæ enim media est inter vtrumque tropicum sita, præ nimio æstu flagrare credita, torrida fuit nuncupata; quam prisci inhabitabilem existimarunt. Ab hac vtrinque vna temperata collocatur, quæ ab altero tropicorum ad vulgarem circulum polarem sibi proximum protenditur. Demum hinc atque inde sub vtroque polo ea cõstituitur, quæ cum præ algore habitari nullo modo posse ab antiquis crederetur, frigida nominatur: quæ tantum terræ complectitur quantum intra vulgaris circuli polaris circumferentiam comprehenditur.

Quoniam verò effusior erat illa Zonarum amplitudo, ijdem terram minutiùs diuidentes, eiusdem latitudinem in climata distinxerunt. Clima appellant terræ spatium duobus æquidistantibus circulis comprehensum, cuius finis diem solstitialem dimidiâ horâ maiorem habet quàm initium. Ac quidem antiqui ab æquatore ad arcticum septem tantùm climata designabant: per Meroëm, per Syenem, per Alexandriam, per Rhodum, per Romam, per Borysthenem, & per Riphæos montes. Seu quòd loca vltra hos montes sita non explorassent: seu quòd nimis incommodæ habitationis esse censerent. Recentiores verò, quùm maximam Solis declinationem mutatam nouerint, & plurima loca ad septuagesimum secundum latitudinis borealis gradum & vltra, habitata cognouerint: aliam climatum notationem excogitarunt. Clauius [a] viginti tria assignat; Merula, [b] nouendecim tantùm ab æquatore ad boream numerat: totidem in alio hemisphærio designaturi, cùm pars australis vltra quinquagesimum sextum gradum latitudinis aliquando innotuerit. Quorum temperies cùm multifariam euariet, vt mox referemus: præsertim tamen diuersam temperaturam ex vario solis accessu aut recessu consequuntur. Sol enim dum suo spirali motu orbem circuit, quæcumque suis radiis illustrat, eadem calefacit. Pro ratione tamen qua suos radios in has aut illas regiones vibrat, eisdem vel intensiorem vel remissiorem calorem impartitur. Nam illæ quibus perpendiculariter imminet, vehementissimè (si nihil obsit) incalescunt. Aliæ verò in quas ijdem obliquè incidunt, magis aut minus calent: prout radij qui reflectuntur, angulos faciunt vel acutiores vel obtusiores. Quò enim anguli radiorum reflexorum sunt acutiores, vt propè tropicos: quia ad perpendiculariter replicatos magis accedunt; eò magis eorumdem vim imitantur. At quò obtusiores sunt, vt circa duodecimum clima, & partes ad boream magis accedentes; eò leuiùs calefaciunt, & innatam aëri frigiditatem imbecilliùs obtundunt. Atque ita regiones à quibus Sol longissimè abest, aut quas per breue tempus vel quasi verrendo tantùm illustrat omnes frigidissimæ sunt.

[a] In cap. 3. sphæra Sacrobosco.
[b] 1. p. Cosmographiæ, lib. 3. cap. 23.

Verùm quia hæc nouisse non satis est: particulatim cuiusque climatis natiuam & accidentariam temperiem, diuersorum qui terras mariáque ab hinc centum annis perlustrarunt experimentis innixi perquiramus. Primum clima Recentiorum, quod est per Aualicum seu Aualitem sinum in mari rubro, octo graduum & paulò plus quàm dimidij latitudinem comprehendens, lineæ æquinoctiali proximum: ex natiuo ad solem habitu calidissimum est, & siccissimum. Quòd cùm radios solis vel perpendiculariter, vel ad acutissimos angulos reflexos excipiat; maximam illorum vim experiatur. Vndè Antiqui huiusmodi clima, imò & totam torridam Zonam, habitari non posse rebantur. Verùm non tantus est in illis regionibus æstus: quas habitari certissimum est & minùs molestè aliquas. Non tamen vt Auicennæ placuit, [c] is est temperatissimus orbis tractus: in quo aliqui paradisum voluptatis collocatum fuisse censuerunt. Etenim incolarum huius climatis color, vel niger, vel ex viridi flauescens; calidiorem potiùs intemperiem, quàm salubrem temperaturam, & paradiso terrestri dignam arguit. Præterea non omnibus eadem est sub hoc climate, anni temporum crasis. Et qui ex vario solis accessu & recessu, intra duodecim menses cum imperceptibili penè varietate, singulas tempestates duplicatas habere creduntur: vix alias agnoscant, quàm hyemem & æstatem. Quæ præterea parùm inter se calore differunt: & hyems pluuiâ, æstas serenitate distinguitur. Etiam illic aduertitur temperaturæ inæqualitas, vt cùm in montanis & mediterraneis pro hyemis

[c] Lib. 1. fen. 2. doct. 2. c. 8.

more

more pluat,in proximis vallibus & maritimis per idem tempus serena & æstiua constitutio vigeat. Ac tandem cùm aliquæ eiusdem climatis prouinciæ sint per assuetudinem saltem incolis salubres: aliæ sunt mirum in modum insalubres. Quæ ita se habere vt diximus, singularum regionum huic climati subiectarum naturam,ex fide dignis historicis referendo, constabit. Huic climati subiacet Molucarum pars,Regnum Malaca,Sumatræ portio,Insula Zeylan,Maldiuæ,Æthiopiæ,pars orientalis,ora maritima Guineæ seu Æthiopiæ Hesperiæ,Insula sancti Thomæ, ea Americæ australis portio,quæ à Panama & Quito ad tercentesimum & trigesimum vsque longitudinis gradum protenditur,& maria quæ ab oriente in orientem iterum prædictis insulis & continentibus interiacent. Inter hæc autem Molucæ, (quas Pyrardus [d] nouem numerat,alij verò decem, si Bandam nucis moscatæ ferax cum Maphæo [e] cæteris annumeretur) calidissimæ sunt & siccissimæ,vix quidquam aduictum vtile producentes præter aromata, ac præsertim gariophylos: vt cum Maphæo, testantur Pyrardus & Linscotanus. [f] Regnum Malaca, ex Pyrardi [g] relatione, aërem habet insalubrem ad modum,non aduenis solùm,sed etiam incolis. Sumatra seu Taprobana,piper copiosissimum proferens,insalubri est aëre,præsertim ob paludes quibus abundare scribitur. Insula Zeylan salubertima fertur,ditissima, sapidissimorum fructuum,& sola canelæ ferax. Nigri tamen sunt qui eam incolunt: & si industrij dicantur, & agiles, feruntur etiam timidi. In Insulis Maldiuis ex Pyrardo [h] qui illic per plures annos fuit commoratus,etsi noctes non sint ob calorem molestæ, copioso tamen rore sunt infestæ:& diurnus calor vix præ vehementia ferri potest. Hyems ibi Aprili incipit, & ad Octobrem durat,sine gelu;sed continuis penè molesta pluuiis,& ventis ab occidente vt plurimùm flantibus. Æstas ab Octobri ad Aprilem,calida est & sicca,orientalibus ventis spirantibus. Ibidem plurima generantur insecta quæ incolas infestant. Atque hi febribus, splenis tumoribus & obstructionibus,opthalmiis,Nyctalopiæ,pruritui, scabiei,acaris in pustulas & vlcera degenerantibus,herpetibus,tibiarúmque vlceribus sunt plurimùm obnoxij. Æthiopiæ pars orientalis & borealis, admodum inæqualis est temperaturæ. In montibus enim (vt apud Franciscum Aluarez legitur [i]) in quibus sacra visionis est ædes,inLama seu Carna,& Debba seu Dobas Hyems est,Februario, Martio,& Aprili;quibus plurimùm pluit:cùm in reliquo huius regionis tractu, vt idem Aluarez habet, [k] Hyems vigeat & pluuiæ abundent à medio Iunio ad medium Septēbrem. Hesperia pars Æthiopiæ seu Guinea,& Malaguete;proximè alteri Æthiopiæ respondent:vbi Hugo Linscotanus [l] scribit ita feruere aërem,vt ferri ab Europæis non possit. Insula Diui Thomæ sub æquinoctiali sita (ex his quæ habentur in nauigatione anonymi cuiusdam Lusitani ad comitem Raymondum Turræum veronensem scripta) duplicem habet Hyemem, Martio & Septembri: quòd pluuiæ tunc sint frequentissimæ cùm sol illi ad perpendiculum magis imminet. Æstatem Decembri, Ianuario, & Februario experitur. Vernâ autem & temperatiore constitutione gaudet Maio,Iunio,Iulio, & Augusto: quibus Euronotus,Notus, & Notozephyrus spirare consueuerunt, temperiem Europæis illic commorantibus aliquanto mitiorem inferentes: Æthiopibus autem illic degentibus infestam. Quibus contrà minùs molesta est tum æstiua,tum quæ pluuiosa est,quòd simul sit tepida; vt eadem Europæis maximè est insalubris. Americæ ea portio quam notauimus, quæ est latitudinis centum ac viginti aut centum & triginta Leucarum,& ducentarum septuaginta duarum longitudinis (vt ex Iosepho à Costa & Petri Martyris Indiarum occidentalium historia discimus) fluminibus & paludibus multis abundat. Vbi ex Gonzali Ouiedi historiæ summario, [m] siccior tempestas quam æstatem appellant,ad Nouembrem est,Decembrem & Ianuarium: at Iunio,Iulio,& Augusto,pluuiosa; quam Hyemem vocant. In alterutro mari huic climati supposito, ex scriptorum concordi relatu, maximè importunus est calor,quem repentinæ aëris mutationes molestiorem reddunt, & frequentium pluuiarum morbosus tepor nocentiorem efficit. Qui cuncta corrumpens,vermes vestibus ingenerat,corpora pustulis in vlcera degenerantibus fœdat,& multas lethales aut diuturnas ægritudines infert.

Neque mirum cuiquam est feruidum sub hoc climate sentiri calorem eùm qui illis quotidiè perpendicularis est sol,nos per æstatem torreat aliquando. Sed admirandum planè est, ita mitem illic nonnumquam sentiri calorem,vt non minùs interdiu quàm noctu,sine molestia feratur. Ad quam feruoris temperationem procurandam,hæc tria concurrunt. Primò noctium longitudo: quæ cùm sint horarum penè duodecim,sufficiens aëri interuallum præstant,quo possit natiuam sibi frigiditatem resumere. Secundò nocturni rores,& meridianæ per vulgarem Hyemem pluuiæ, quæ feruorem aëri tam impressum quàm imprimendum retundunt. Tertiò tandem venti qui illic per æstatem saltem perenniter spirant:qui cùm aërem naturâ frigidum quiescere non permittant eumdem etiam tam vehementer à sole calefieri non patiuntur;atque ita temperatiorem & salubriorem reddunt. Sic nos æstate dum ventilabro aërem agitamus, frigidiorem quietiore experimur. Sed cui sub hoc climate,æquè atque in primo Australi, in Maritimis præsertim locis,Maio,& Iunio copio-

sè

d Parte 2. sua nauig. cap. 12.
e Lib. 5 histo. indicarum.
f 1. p. suæ nauig. c. 23.
g Parte 2 sua nauigat. c. 21.
h 1. p suarū nauig. cap. 10. & 23.
i In æthiopica sua peregrin. cap. 25. & 47.
k Cap. 9. & 31.
l 1. p. sua nauigat. cap. 4.
m Cap. 10.

sè pluit;Iulio etiam & Augusto frequenter: in montanis verò non illis mensibus, sed Februario, Martio & Aprili magis. Cùm tamen per Africam toto tertio recentiorum climate, ac parte quarti; aut nullæ aut rariores sint pluuiæ. Copiosè pluere sub primo climate ex summa Dei prouidentia, ideò contingit: quòd cùm magna Oceani amplitudo illud maxima ex parte occupet, & quod illic terræ est, paludibus & fluminibus abundet: Sol multos vapores inde eleuet, qui in media aëris regione (ad quam reflexi Solis radij minimè perueniunt) concrescentes, vertantur in pluuiam. Id autem in regionibus maritimis, & mediterraneis planitiebus, Malo, & Iunio abundantius accidit, ad Augustúmque perseuerat: quòd Sol in Apogæo primis illis mensibus constitutus, & plurimùm à terra distans, copiosissimos vapores eleuet; deinceps verò sensim pauciores. Cúmque simul cum illa vaporum copia: exhalationes pingues excitentur vaporibus coercitæ; ingentia fulgura & tonitrua, nimbosas illas pluuias præcedunt & comitantur. Pauciores tamen cùm per id tempus prodeant exhalationes tenues & siccæ, ex quibus venti generantur: tam rari tunc vel ita etiam imbecilles spirant; vt ne vapores quidem à regione in quam eleuantur distrahant. In montanis verò tunc minimè pluit: quoniam nec tanta est montium humiditas, vt materiam eleuandis vaporibus suggerat; nec vapores à depressioribus locis excitati tam altè ascendunt, vt montium iuga superent. At quando Sol ad Capricornum inclinat: tunc depressior in Perigæo, terram efficaciùs attenuans, penitiùs peruadens, altiúsque penetrans; subterraneis etiam ignibus suppetias ad id ferentibus, per patentiores terræ poros, tenues & siccæ exhalationes maiori copiâ efferuntur: quæ Solis motum sequutæ, in Subsolanos & Euronotos abeunt: qui aërem vaporibus purgant, & eumdem intra tropicos solito licciorem puriorémque reddunt. Atque ijdem cùm vel incipientes, vel ad defectionem inclinantes imbecilliores sunt: vapores quidem in integrum non dissipant, sed eos illic conquiescere non permittentes vbi eleuantur; à maritimis & planitiebus in montosa loca impellunt, vbi à frigore imminentis aëris densati, in aquam redeunt. Et Februario, Martio, atque Aprili: necnon Septembri & Octobri pluuiarum causa sunt in montanis. Per Africam verò sub tertio recentiorum climate quod à sexdecim gradibus & viginti septem minutis latitudinis ad gradus viginti tres, minuta quinquaginta vnum, & viginti secunda extenditur; Imò & vsque ad inferiora Ægypti, vbi quartum clima terminatur, aut nullatenus, aut rariùs pluit: Quòd sabulosa sit illic Africa, nullis irrigua fontibus nec stagnis, & ab Oceano plurimùm absit: Cùm tamen Asiæ, & Americæ portiones, sub eodem climate sitæ, aliter se habeant; ob fluuiorum abundantiam, & Oceani vicinam vastitatem. Secundum clima parum abest à prioris temperie. Tertium in Asia, & America, satis temperatum est paulò tamen calidius: vt ex his quæ de Bengalæ, Cambayæ, Arabiæ felicis, & regni Mexicani temperatura à Recentioribus Historicis scribuntur discere possumus. In Africa verò multò calidius est & sicciùs, quà Lybiam desertam comprehendit. Quartum Recentiorum clima, quod ad trigesimum gradum, & minuta viginti duo latitudinis prorogatur; aliquantulum mitioris est temperaturæ: iusto tamen calidius adhuc est æstare, ob nimiam solis ad Zenith propinquitatem, & diuturniorem super Orizonte moram.

21. Quintum quod Diarhodon est, & quartum Antiquorum; omnium temperatissimum est, ad vitam suauiter ducendam & producendam commodissimum. Sub eo enim climate, nec frigus Hyeme importunum est; nec calor æstate. Ibi salubriter viuitur, & quæ ad vitam sunt necessaria abundant omnia. Quod probatum Hippocrati legimus: [n] qui meâ quidem sententiâ ait, Asia plurimùm Europæ præstat, tum eorum omniũ naturâ quæ è terra producũtur, tum hominum. Neque tamen vbique per totam Asiam, ad eumdem modum se habent omnia. Sed quæ quidem regio in medio calidi & frigidi sita est, ea certe feracissima est, & arboribus maximè consita, & blandissima, aquísque præcipuè fruitur cœlestibus & ex terra prouenientibus. Ad Hippocratem accedit Galenus: [o] eidémque adhæret Auicennas, [p] qui cùm crederet temperatissimam regionem sub Æquatore sitam esse, à primo climate quartum maximè temperatum esse constituit. Quorum sententiæ ideò lubens assentior; quòd non solùm sub ea Cœli facie moderatior quàm vspiam alibi temperatura vigeat: sed præterea quòd cùm omnia à Medicis ad hominem comparata, temperata vel distemperata dicantur; illæ verò regiones temperatissimæ dicendæ videntur; quarum incolæ sapientiâ, præstantissimâ hominis actione, cæteris magna ex parte excellere consueuerunt. Tales autem eos esse qui huiusmodi clima inhabitant, ex sola regionum in eo sitarum enumeratione constabit. Illi enim subiacet Chinæ ea Regio saluberrima quæ totius imperij & quasi perfectioris politiæ regiam, vrbem scilicet Quinçay continet: Persiæ item pars superior, ex qua ortus est Cyrus, & inter doctiores Auicennas; Syria vbi Hierusalem; Cyprus, Rhodus, Co, quæ Hippocratem primum Medicinæ parentem protulit, Lacedæmon, quæ fuit virtutis politicæ velut seminarium; proximè adstant Athenæ, singulare scientiarum emporium: Sicilia, quæ multos illustres viros per varias ætates orbi communicauit: Granata, & Andeluzia, vnde Seneca, Lucanus, Rasis, Auerthoës, ac recens Maldonatus, & Suarez

n Lib. de aere, aquis & locis.

o 3 aph. com. 14 & 2. de tuen. sanit. cap. 7.

p Lib. 1. fen. 2. doct. 3. c. 1.

inter cæteros emerserunt. America tandè sub hoc climate floridam habet à camporum gratia denominatam, Granatam nouam, & miræ suauitatis regiones occiduam illam mundi plagā terminantes.

Reliqua quæ ad boream inclinant climata, sensim ab ea temperie deficiūt: ita vt quò plus ad polum vergunt, eò quidem frigidiora sint, in humore verò & siccitate ita se habeant, vt à sexto ad decimum hyeme & vere frequentiores sint pluuiæ, æstate & autūno rariores, sed repentinas aliquādo & nimbosas tunc experiantur. A decimo ad decimum nonum frigiditas ad tantam vehementiam increscit, vt vix per summam æstatem tepor persentiatur: & hyems ita est illic horrida, vt oceano in crassissimum gelu concrescente, terrā ipsā passim cum mugitu dehiscente, nullæ sint pluuiæ. Quod scripto retulerunt qui in Zemblam nauigarunt, fretum inquirentes quò per boream in Chinam itetur. Æstas contrà ibidem parùm calida est, & pluuiis abundat.

Alterius Hemisphærii par penè est ratio, sed ea est diuersitas, quòd vltra tropicū Capricorni sæuiores fiat hyemes, quàm in pari citra tropicū cācri distantiā. Cuius ea est ratio, quòd sol ad Cancrū perueniens, in apogæo & abside constitutus, & à meridionialiū Zenith, & à terra longissimè abſit. Vnde ex Gomara,[q] freti Magellanici ora quæ Patagonum est latitudinis australisquinquaginta triū graduum, quanta est mediæ Angliæ latitudo borealis, admodum sterilis est, perpetuo frigore, & continuis penè niuibus molestata. Imò ipsa Chili Prouincia, quæ inter Peruuianam regionem & terram Patagonum est sita, Galliæ latitudinem imitata, à vehementia frigoris nomen accepit. Nam Chili apud huiusmodi barbaros frigus significare scribitur. Mitiùs autem nobiscum agitur hyeme. Cùm enim sol ad Capricornum vertitur, etsi à nostro Zenith plurimum distet: quia tamen minimùm abest à terra, quòd sit in perigæo, frigoris sæuitia lenior est. Ibi tamen non item feruidiores sunt æstates quàm hic: quòd vt iam explicuimus, orientales venti per id tempus continui, æstum retundant.

Tandem aduertendum est, sub quocūque climate magnam obseruari tēperaturæ disparitatem, pro vario locorum situ, ad solem aspectu, & ventorū perflatu. Etenim demissiora quæque soli exposita, calidiora sunt. Atque eò magis si eis tropicos, austrū conspiciant: vel vltra eosdem vertantur ad boream. Calori adhuc incrementum addit, si ventis à vicino polo spirantibus ob obiectos mōtes non perflentur. Inter hæc autem quæ maritima sunt, mediterraneis pariter affectis mitiorem calorē experiuntur: ob ventos à mari frequentiùs spirantes. Quæ verò montibus aut collibus circūsepta sunt, ac maximè si ad meridiem vertantur, ventorum subiecta tranquillitatibus, quas ὑπηνεμίας vocari docet Galenus,[r] cæteris calidiora & humidiora sunt, morbis ex putredine ortis maximè obnoxia deteriùs etiam habitura, si vnde leni vento perflantur, ex interiecta aliqua palude mali vapores efferantur.

Contrà quò elatiora quæque sunt loca, eò frigidiora & sicciora esse consueuerunt. Ita vt licèt sub æquinoctiali niues apparere non soleant: apud Gomaram tamen legitur,[s] tantas sub æquinoctiali in montuoso quodam peruuiano tractu hyeme decidisse niues, sicque viguisse frigus: vt septuaginta Hispani milites illac iter agentes, ex algoris vehementia interierint. Item decliuia quæ boream, vel vltra tropicum Capricorni austrum spectant, à sole non illustrata, & liberè à polari vento aut ei vicinioribus perflata pro cuiusque climatis conditione frigidissima sunt. Tandem nemorum fluuiorum, & paludum frequentia, quorumcumque locorum frigus intendit; eademque humidiora reddit. Eorumdem verò defectu, calidiora & sicciora euadunt aliis quæ eiusdem sunt latitudinis.

Quorum primum experti sunt hi, qui nouam Franciam frequentant: & secundum, in Lybia supra notauimus.

Quare fieri potest vt sub feruido aliquo climate frigidiora loca reperiantur, quàm in alio illo frigidiore: & contra. Sic apud Iosephum à Costa[t] legimus, in desertis peruuianis per quæ itur ad prouinciam Chilianam, quasdam esse montium intersectiones per quas tenuis aura spirat tantæ frigiditatis, vt plurimos illac iter agentes aut interimat, aut pedibus manibúsue congelatis mutilet.

q Lib. 4. hystor. gener. India. cap. 4.

r 1. in. 3. epid comm. tex. 1.

s Lib. 5. hist. gener. India. cap. 19.

t Lib. 3. c. 9.

De quatuor temporum anni temperatura.

Capvt. VIII.

QVANTVMCVMQVE fuerit apud Antiquos anni ciuilis varietas, de qua multa Censorinus:[a] omnium optimè annum dispensarunt, qui illum iuxta solaris motus normam formarunt. Apud quos annus est, illud spatium temporis quo Sol à notabili quodam Zodiaci puncto motus, duodecim illius signis per spiram circum orbem descriptam perlustratis, ad idem punctum reddit. Siquidem inter tot anni solaris varietates ab Astronomis notatas, alterius meminisse nolumus quàm veri, quem & apparentem, & anomalum dicunt: quo Sol à solstitio iterum ad idem solstitium verum, aut ab æquinoctio ad idem verum æquinoctium iterum reuertitur. Quem annum & crescere & decrescere adnotarunt: prout ad solstitiorum & æquinoctiorum puncta celeriùs aut tardiùs progreditur. Neque tamen totius illius incrementi, aut decrementi, magna

a Lib. de die natali.

rum puncta celeriùs aut tardiùs progreditur. Neque tamen totius illis incrementi, aut decrementi, magna est differentia: cùm maxima anni duratio vltra tercentos sexaginta quinque dies, ad horas quinque, minuta quinquaginta sex, & quinquaginta tria secunda tantùm extendatur: minima verò ad dies & horas prædictas, superaddat viginti quatuor minuta, & triginta octo secunda. Quantuscúnque autem sit verus hic & naturalis annus, variæ eius sũt partes tum pro vario solis supra & infra orizontem motu: tum pro diuerso eiusdem circum Zodiacum progressu. Inde dies ciuiles cõstituuntur; qui in quadras discernuntur. Quarum prima ab ortu ad meridiem, mane dicitur: à meridie ad occasum, vespera: ab occasu ad mediam noctem, conticinium, & à media nocte ad ortũ, Gallicinium appellari potest. Sed & dies iterum in minutiores alias portiones diuiduntur, quas horas appellamus. Quæ vel æquales sunt vel inæquales, vt ab Astronomis dici potest. Pro ratione verò progressus solis circum Zodiacũ, annus in quatuor partes distinguitur; Ver, Æstatem, Autumnũ & Hyemem: quæ anni tempora, aut tempestates appellantur. Hæ vero aliter ab Astrologis, aliter à Medicis definiuntur. Astrologi solis motum à medio cœli ad maximam hinc inde versus vtrumque polum declinationẽ attendẽtes: per æquinoctia, & solstitia, anni tempestates partiuntur. Atque hi Ver inchoãt ab æquinoctio quod sole primum gradum Arietis ingrediente fit, & æstiuo solstitio limitant: quod aduenit quando sol ad maximam versus Arctum declinationem peruenerit, primum cancri pũctum ingressus. Æstatem à Cancri solstitio, ad æquinoctium sequens: quod sole primum Virginis gradum adeunte contingit. Hinc Autumnum ad solstitium hybernum deducunt: quando sol longissimè ad austrum digressus, primum Capricorni punctum adierit. Atque inde tamen Hyemi principium assignant, quam æquinoctio verno terminant. Medici autem ad varias temperaturæ aëris mutationes quæ pro vario solis circum orbem motu fiunt respicientes: [a] Ver totum id tempus appellant quod proximè ad temperiem calidi & frigidi, humidíque & sicci accedit. Quod licèt pro diuersis climatibus non eisdem temporibus accidat: in temperatioribus tamen borealibus, ab æquinoctio verno ad Vergiliarum ortũ (aut Hyadum vt vult Picolominæus) ad finem Maij, decimo gradu Geminorum oriente, extenditur. Æstatem id anni tempus nominant, quo calor præsertim, tum & siccitas qualitates sibi contrarias euidenter superant. Ea ab ortu Pleïadum, ad ortum Arcturi protenditur: qui ad vigesimum septimum Septembris, quarto gradu Libræ oriente, incidit. Huius duas facit partes author libri de septimanis, quem Galenus [b] Hippocrati tributũ scribit. Prima æstas absolutè dicitur: à Vergiliarum ortu, ad Sirij ortum: qui circa vigesimum quintum Iulij cum quinto Leonis gradu se soli comitem præbet. Vnde quod reliquum est ad exortum Arcturi opωram vocat: seu tempus id in quo succorum seu frugum colligendorum habetur cura, quasi τῶν ὀπῶν ὥρα. Autumnum eam anni partem vocant, in qua magna cum inæqualitate aër ad frigiditatem redit. Quem Hippocrates solet in aphorismis φθινόπωρον appellare, quasi finientem frugum collectionem, & in libro de aëre, aquis & locis μετόπωρον post curam frugum: eumdem [c] ab Arcturo ad Vergiliarum ortũ terminans, quæ cum vigesimo gradu Scorpionis ad vndecimum Nouembris occidunt. Hyemem demum totã eam anni portionẽ nuncupãt, in qua frigus & humiditas sibi aduersãtibus præualẽt. Quæ à Pleïadũ occasu incipiẽs, æquinoctiũ vernũ attingit. Huius tres statuũtur partes: prima sementis est, ante solstitiũ hybernũ: media sub solstitio anonyma: & postrema post solstitiũ, quã φυταλίαν, seu inserẽdi tẽpus appellãt.

Harũ autem tempestatũ non ea est æqualitas, vt singulæ in assignata sibi tẽperie à principio ad finẽ perseuerent. Sed si tẽpestiuè procedant, vnaquæque à tẽperie præcedentis ad eã quæ sibi propria est sensim perueniat: & inde per imperceptibilem mutationem ad subsequentis temperaturam inclinat.

Ver autem temperatum dicimus cum Galeno: [d] quòd nullius qualitatis excessu nobis infensum, naturam suas functiones sine vitio exercere patiatur. Quod qui calidum & humidum appellãt, non aliud dixisse volunt: quàm illud hyemali quidem algore deposito ad tepotẽ viuentibus salutarem conuerti; humiditatem autem aliquam retinere, quòd ad vegetãtium nouam emersionem & incrementũ, rorem ac modicas ministret pluuias. Idem saluberrimum est, [e] temperatis & his qui rectam victûs rationẽ per hyemem sequuntur, nullósque superfluos humores seu solâ quantitate seu etiam qualitate peccantes collegerunt. Nihil enim in natura cuiusquã innouat, nec innatas nobis tẽperies corrũpit. Qui autem vel naturæ vitio, vel victûs errore, prauos succos generarunt, & quos medicamentis opportunè detrahere neglexerũt, nec non & qui largiore victu, & genio liberaliùs indulgẽt: hyberno frigore mitescente, rarefactísque atque in diuersas partes motis humoribus, qui per algorẽ quodãmodo densati quiescebãt; pro singulorũ naturâ; in varios morbos incidũt. Vnde apud Hippocratẽ, [f] Vere excitãtur furores, atræ biles, morbi comitiales; humorib' deustis & acribus cõcitatis, variéque cerebrũ affligẽtibus. Profluuia sãguinis, præsertimque è naribus; tenuiore sãguine ex massa efferuescẽte eã viâ symptomaticè erũpẽte. Anginæ itẽ, grauedines, raucedines & tusses: humorib' qui in cerebro cõtinebãtur eliquatis, & in nares, laryngẽ, musculos circũstãtes, aut tracheã arteriã illabẽtib'. Nec non lepræ, impetigines, vitiligines, pustulæ vlcerosæ plurimæ, tubercula & articulorum

morbi:

[a] Grammatici ver vt cæteras anni tempestates in tres partes secant: nouum scilicet, adultum & præceps.

[b] 1. in 1. epidem. comm. tex. 2.

[c] Lib. 3. de diæta.

[d] 1. de temperam. c. 4.

[e] 3. aphor. 9.

[f] 3. aphor. 20

morbi acriorũ scilicet humorũ ichoribus, vel solis, vel fœci sanguinis aut pituitæ permixtis, & in cutem vel articulos naturæ irritatæ impetu pulsis. Namque vt habet Galenus,[g] non aliter se habet ver ad corpora & plethorica & cacochyma, quàm exercitatio: quæ licèt saluberrima sit corporibus, ramen sic affectis diuersorum morborum est causa. In exemplum cnins multiplicis motûs & impulsionis humorum, quam exercitatio promouere in varias partes potest: si impurgatus inquit Hippocrates,[h] laboraueris, vlcera erumpent.

g In comm. citati aphor.

h 6. Epidem. sect. 3. tex. 34

Æstas, sole propiùs ad nostrum Zenith accedente, & ad acutiores angulos effusos reflectẽs radios, longiùsque supra hemisphærium commorato, calida euadit & sicca. Ac post solstitium quidem magis: quòd ante frigiditas aëri innata sit remittenda, quàm ille vehementiorem calorem sibi non naturalem admittat. In hoc autem boreali hemisphærio quod incolimus, ideò in paritate climatum calidior est æstas quàm in meridionali: tum ob rationes præcedenti capite expressas; tum quòd sol longiorem in hoc hemisphærio moram trahat, quàm in altero. Ea enim anni medietas quæ ab æquinoctio verno ad æquinoctium autumnale extenditur, alteram quinque aut sex diebus quotannis superat. Vel saltem vt habet Tycho Brahe,[i] sol circa brumalem Eclipticæ partem per tres dies & vnam tertiam, vltra quàm circa australem voluitur, ob solis à centro terræ eccentricitatem versus boream. Hac autem tempestate, ob impressam nobis ab imbiente intemperiem, nisi victûs ratione obsistamus, bilis flaua copiosior quàm aliàs generatur, corpora plurimùm exoluuntur, & vires elanguescunt. Morbi autem qui per eamdem tempestatem generari consueuerunt, ex Hippocrate,[k] sunt tum nonnulli eorum qui vere accidunt: humorum scilicet ichoribus aut crassiore etiam eorũ portione, in frigidioribus temperaturis, æstate ineunte, & corpore per caloris incrementũ laxiore reddito, in cutem & articulos transmissis. Tum huius tempestatis proprij, febres scilicet continuæ, ardentes & tertianæ: vel succis intra venas efferuescentibus, vel bile copiosiùs per æstatem genita, in maioribus vasis, aut circum præcordia putrente. Imò & quartanæ aliquando, vel per conuersionem ex tertiana notha, vel ex primaria generatione, sub finem æstatis humore melancholico per aliorum succorum vstionem genito. Vomitus præterea biliosi, & diarrhoeæ, æstate fiunt; ac nonnunquam choleræ morbi: naturâ superabundantem bilem, ἄνω vel κάτω, vel vtrinque quasi criticè expurgante, aut symptomaticè effundente. Nec non ophthalmiæ, aurium dolores tam interni quàm externi seu parotides, & oris exulcerationes, per idem tempus fiunt: humoribus biliosis, aut crassioribus etiam sed ab ichorum permixtione eliquatis, in partes superiores per orgasmum latis, & à cerebri expultrice in vicinas partes transmissis. Tandem etiam genitalium putredines, & sudamina, quæ ὕδρωα græcè dicuntur. Genitalium quidem putredines, seu putrilaginosa pudendorum vlcera vt explicat Fœsius,[l] quæ rara sunt, & vt notatum est à Galeno[m] tunc solùm solita generari cùm humidior est æstas & putrilagini excitandæ aptior. Vel quæ frequentiora sunt scroti humida superficiaria vlcera, per æstatem nõnullos præsertim qui calido sunt iecore infestant, naturâ solitâ ad eas partes ex continuo inter ambulandum confrictu supetincalescentes humorem ichorosũ & aerẽ transmittere. Sudamina verò & miliares pustulæ, vt plurimũ pruriginosæ, frequenter æstate cutẽ molestant: quia crassiores humores attenuati & cũ sero per frequentes sudores, vel per liberiorem transpiratum in cutem pulsi, sub cuticula densiore plerunque retinentur, & huiusmodi pustulas excitant.

i Lib. 1. progymnasm. astron. instaurata. cap. 1.

k Eodem 3. aph. 21.

l In œconomia, in voce σηπεδόνες

m In comm. citati aphor.

Autumnus æstiuæ siccitatis maximè particeps & per noctium productionem frigidior: maximè tamen inæqualis est. Cuius inæqualitas in eo præsertim consistit, quòd in crepusculis, & per integram noctem frigus vigeat, interdiu verò calor præualeat. Necnon ex eo quòd de repente humiditates siccitatibus, & tranquilitates ventis, aut contrà succedant. Quæ ex eo accidunt, quòd solis in polum nobis aduersum declinatio & breuior aëris illuminatio, occasionem quidem præstet aëri natiuam frigiditatem resumendi, cùm primùm sol ab orizonte declinat: at interdiu aër præ tenuitate per æstatem acquisitâ nondùmque amissâ, facilè recaleat. Idem præterea per reciprocas illas frigoris calorisque vicissitudines, exhalationes à terra vi caloris subterranei magìs quã solaris emergentes, liberè aliquando effundi patitur, vnde serena tranquilitas sequitur: aliàs frigore easdẽ densante, in ventos abire cogit. Qui vapores à calore aliquantulum remissiore hinc inde è mari, paludibus, aliisque locis humidis excitatos, in diuersa loca pellentes; vbi eosdẽ congregari contigerit ibidem, & inopinatò plerunque vertuntur in pluuiam. Eâ tempestate, humorum per æstatem deustorum crassiores reliquiæ, melancholicum & fœculentũ excrementum redolentes, magnâ copiâ colliguntur. Quo humore vel in hyppochõdriis efferuescẽte, & effumationes in varias corporis partes inde effundente, vel eodem per mesenterium putrente: nec non per inæqualem ambientis temperaturã, varijs excrementitijs humoribus cumulatis: atque his qui in cerebrum per anathymiasim ascẽderint, per concretionẽ & expressionẽ à frigore in laryngem, pulmones, ventriculũ, laxiores articulos, atque alia subiecta mẽbra illabẽtibus: illi generãtur morbi quos huic tẽpestati familiares dixit Hippocrates.[n] Febres scilicet quartanæ, & erraticæ, lienũ tumores, hydropes, tabes, strãguriæ, dysenteriæ, leui-

n 3. aph 22.

tares inteſtinorũ,coxendicũ dolores,anginæ,aſthmata Ilei,morbi comitiales maniæ & melãcholiæ.

Hyems tandem frigida & humida eſt:in qua cùm præpedita ſit tranſpiratio,niſi debitâ victûs ratione & opportunâ vacuatione vitium præcaueamus,multis excrementis, atque his vt plurimùm pituoſis infarcimur.

Quorum non minima pars in cerebro ex ſe frigido & humido,omniúmque ſubſectarum partium euaporationem excipiente,concluſa:vel illius corpus conceptâ putredine opplet,vnde lethargi : vel ſolâ copiâ in integrum,aut illius ſaltem ventriculum poſteriorem infarcit, quæ apoplexiarum aut hemiplagiarum conſequenter eſt cauſa : vel in vapores conuerſa capitis dolores aut vertigines excitat: vel demùm ab ambientis algore expreſſa,& in partes ſpiritales,aut lumbos inſtillans:grauedines,raucedines,tuſſes;pectoris,laterum,lumborúmque dolores promouet. Aliàs corporibus ab exercitio,iráue incaleſcentibus,efferueſcentes ſucci ab ambientis frigiditate tranſpirare prohibiti, in partes pectorales (præ externo frigore illis inimico imbecilles) tranſmiſſi,pleuræ & pulmonum inflammationes cauſant. Quos morbos hyeme plerunque accidere docuit Diuinus Hippocratas. [o]

Non tamen exiſtimandum eſt morbos quos per ſingulas tempeſtates ſolere generari diximus, paſſim vagari & quoſque affligere : cùm experientia contrarium euidenter conuincat. Sed eos tantùm inuadunt,qui his humoribus abundauerint à quibus prædicta vitia naſcuntur : & quorum natura à primordiis generationis,vel per commiſſos errores imbecillior fuerit; & quæ cauſis morbificis occurſantibus minùs obſtiterit neque enim illâ anni temporum varietate natura offenditur:quinimo mutuâ contrariarum temperierum in ambiente nos aëre reciprocatione recreatur, etſi quando earum aliqua nociuum quidpiam corporibus impreſſerit, contrariâ ſuccedente emendatur. Atque ideò Hippocrates,[p] ſi ſecundùm rationem inquit,in ſiderum ortu & occaſu ſigna appareant: ſi per autumnum pluat & hyems ſit moderata,neque admodum blanda, neque præter modum frigida;& vere ac æſtate aquæ tempeſtiuæ eueniant : ſic annum ſaluberrimum eſſe conſentaneum eſt. Vt contrà ſi aliter accidat.tempeſtatibus ab ea conueniente conſtitutione per varios ſiderum importunos influxus deerrantibus : inſalubrior annus euadet, eritque diuerſorum morborum ferax, pro conditione earum quæ viguerint conſtitutionum;vt ſuo loco [q] Deo annuente explicabitur.

o Eodem 3. aph. 23.

p Lib. de aere, aquis & locis.

q In parte Medicinæ practicæ tractat. 1. lib. 1. cap.

De partium noſtri Corporis temperamento.

Capvt IX.

VT pars & totum *ſe mutuâ relatione connotant:prout totius varia erit acceptio, ita partis ſignificatum intelligetur eſſe diuerſum.Quare cùm hoc loco de corpore humano vt toto integrali agamus;de partibus eiuſdem integralibus tantùm loqui concipiemur. Neque enim aliarum temperiem aut quærere,aut eam illis attribuere cogitamus. Sed humanum corpus aliæ conſequenter ad vitam:aliæ verò vt vitam participantes integrant. Vitam participantes ſunt illæ quæ à Recentioribus cum Fernelio definiuntur,corpora toti cohærentia,communi vitâ coniuncta, ad illius functionem vſúmue comparata. At quæ corpus humanum viuens conſequuntur & complent:ſunt tum viuentes omnes;tum quæ vt fomenta,vel vt effectus vitæ illi inſunt. Sub qua poſteriore acceptione partes humani corporis concipientes. ſpiritus, humores, pinguedinem, & pilos communi vitâ minimè fruentes,ſub partium numero comprehendimus.Quarum omnium temperiem inquirentes,& qualem ſingulæ actu in viuente retineant & qualem ex propria elementorum miſcela nanciſcantur exprimere conabimur. Sed quoniam vt ſuperius explicuimus,calida, frigida, humida,ſicca,& temperata;vel abſolutè vel ad aliquid dicuntur. Medici verò ſolent de ſingulorum craſi comparatè vel ad hominem,vel ad id quod in homine temperatius eſt,ſententiam ferre. Nos reſpectu ad hominis temperati temperatæ cutis temperiem , cæterarum omnium partium temperamentum perquiremus. Cæterarum inquam non in quocumque , ſed in temperato homine. Ita vt hîc ſolùm docere ſtudeamus, quantùm in homine eucrato ſingulæ partes in vtraque primarum qualitatum contrarietate à temperatæ cutis temperamento recedant. Quomodo autem ſingularum partium tam principum quàm officialium temperiem in ſingulis cognoſcamus:capite ſequenti explicare nitemur. Vbi per ſingulas principaliũ partium ſpecies docebimus quænamſint calidiores, frigidiores,humidiores,aut ſicciores eâ quæ in ſuo genere eſt temperata.Cæterum partes differẽtes ſpecie eas appellamus,quæ conformatione,temperie,& functione diſpares,diuerſum etiam nomen ſortiuntur. Quamuis enim partes viuentis, eidem ſubſtantiali formâ informatæ verè non poſſint inter ſe eſſentialiter diſtingui:quia tamen per accidentales formas ſic inter ſe differunt,vt cor Sortis,à pulmone eiuſdem plus differat,quàm à corde Calliæ:partes eiuſdem viuentis diſtinctim conſideratas,& quaſi ſingulæ totum aliquod facerent; maiore differentiâ quàm numericâ, atque ideò ſpecie diſtingui admittimus.

* Totum,vel eſt eſſentiale quod Metaphyſ. è diuiditur in eſſentiam & exiſtentiam, vel in genus & differentiam: Phyſi. e in materiam & formam. Potentiale,quod in differentes potentias diuiditur. Vniuerſale,quod in diuerſa in ſeriora diſtinguitur. Et integrale,quod in plures partes integrantes diſcernitur.

Verùm vt ad temperiem ſingularum partium explicandam reuertamur:cutem nobis proponimus

velut

velut exquisitioris temperaturæ normam; quod oportuerit naturam in temperatissimo & sapientissimo animali, eam temperatissimam facere. Etenim cùm ea sit primum organum tactùs, debeátque primarum qualitatum excessus omnes discernere: eamdem sine excessu esse necessum est. Nam cùm ab eo quo aliquid informatum est, imò neque à simili pati idipsum possit; tactus autem non nisi impressam organo passionem sentiat: non potest tactus id sentire, quod qualitati in proprio organo existenti assimilatur. Vbi verò statutum est: cutem tanquam temperatissimam corporis partem, & quasi in æquilibrio qualitatum constitutam, eam esse ad quam reliquæ comparatæ, calidæ, frigidæ, humidæ, aut siccæ dicantur. Explicandum deinceps est, quantum singulæ à cutis temperatura, & qua qualitate excedente recedant. Quia verò humanum ingenium non potest primarum qualitatum essentias; aut incrementa & decrementa graduum seipsis cognoscere: sed ex effectis, & adiunctis, ad illarum notitiam ratiocinando deducitur. Nos ex vniuscuiusque effectis, & adiuncto substantiæ modo: nullius authoritati addicti, sed rationum momenta sequuti, singularum temperamentum, ac præsertim quale in viuente retinent, perquiremus.

Sed aduertendum principio est, intra humanum corpus nihil contineri, quod spiritus influens non peruadat, & suâ vi idipsum non calefaciat. Atque ideò nihil in viuente reperiri, quod actu frigidum sit. Accidit tamen aliquando, pituitam quam vitream appellant, sinceram in aliqua cauitate, vel per interstitia musculorum & membranarum collectam, ob crassitiem, & magnam visciditatem, ab spiritibus non peruadi, & ad actualem frigiditatem peruenire. Sed hoc rarum est, & temperatis nunquam accidit. In caloris autem participatione, quædam sunt partes quæ, tum ex sibi propria elementorum miscela, tum ex calefacientis alicuius causæ concursu, cæteris sunt calidiores. Aliæ verò quæ ex natiua conditione à calore alienæ, eum sibi aliundè communicatum, difficiliùs excipiunt & retinent. Et quædam quæ alterutra ex causa inter has sunt mediæ.

Quibus præmissis, dicimus, cor, omnium quæ sunt in nobis calidissimū esse. Quod ratione finis in quem destinatur, ex propria temperie peculiarem mixtionem consequēte, cuiuscumque membri calorem superans: ex perenni præterea motu ita superincaluit, vt spiritus vitales, qui ingenito sibi calore tenuitati substantiæ familiariter consociato sunt calidissimi, omnem illum calorem à corde accipiant. Quod idcirco in viuente, illis actu calidius esse necessum est: tātique caloris est particeps, vt inspirati aëris perfrigerio, ad contemperamentum continuò indigeat.

Ab huius actuali calore sensim deficiunt, spiritus vitales, mox cerebrum. Quod ex propriæ mixtionis conditione frigidum, à perenni tamen motu, sibi ad generationem spirituum animalium à Creatore indicto, tāti caloris est particeps, vt fracto cranio, discissâque membranâ, æstiui etiam aëris frigiditatem innoxiè non ferat. Inde hepar in viuente cæteris calore præualet. Cuius substantia, licèt vitali influxu priuata, remissiùs multò calefaciat, quàm bilis: cùm tamen hæc ab illo sic incalescat non potest intensiorem calorem excepisse, quàm sit in dante. Post hepar, calidissima bilis, hinc sanguis, mox spiritus animales. Quorum deficiens influxus, paralitica membra, absque venarum & arteriarum vitio, ad atrophiam deducit aliquando. Non solùm quòd ipsa omni sensu priuet, ad attractionem alimenti promouendam necessario: sed præterea, quòd eo cessante caloris fomento, quod aliis non leui est auxilio, naturalis facultatis radicalis vigor infirmetur. His succedit lien, tum ex proprij parenchymatis conditione, tum ex copioso spirituum per arterias affluxu. Qui ideò, nisi à frigido & fœculento illo excremento, quod & attrahere & emendare ex imposito sibi officio tenetur, quadantenus refrigeraretur, iecore futurum erat actu calidius. Lieni, in actuali calore succedunt arteriæ. Quæ licet à natura & propria compagine, sint potiùs frigidæ actu: tamen ob perennem motum, & contenti spiritûs temperiem, satis intensum calorem participant. Ab his tam natiuo calore, quàm aliunde accepto, calere videntur testes. E quibus quantus caloris emicatus enascatur, per reflexos spiritus, pérque horum operâ excitatæ concupiscentiæ incendium, spiritus magna cum reciprocatione per corpus vniuersum agitans: differentia quæ inter eunuchos est, & cæteros qui eâ parte non fuere mutilati, euidenter indicat. Semen spiritibus turgens, horum temperiem proximè in actiuis sequitur. Hinc pulmones. Mox renes. Exinde caro musculosa. Tum glandulosa. Post hæc venæ: ex se quidem frigidæ, sed à contento sanguine euidenter incalescentes. His succedit serum, non actu solùm calidum, sed etiam dynami: ob admixtam bilem, & deustam portionem terream, à qua salsedo illi aduenit.

Ab eo, aqua pericardij ex cordis vicinitate calet, cùm potentiâ & suâ naturâ, sit admodum frigida: ex sanguinis intra cordis ventriculos attenuati vapore ad pericardij densitatem concrescente, genita. Ac tandem calidorum seriem pinguedo & adeps finiunt. Pinguedinem, adipe calidiorem dicimus: quòd illa tenuior sit, & illita efficaciùs calefaciat. Vtramque verò calidā agnoscimus: quòd ex magis excocta sāguinis portione, vi caloris interni exhalāte generētur: & quòd facilè inflāmentur. Ab eatū autem calore nihil detrahit, quod dicantur à mēbranarū frigore concrescere.

Non enim ea est earum concretionis causa:sed sola membranarum densitas, ad quam pinguis illa exhalatio sanguinis impingens,cùm transpirare non possit,ad eam concretionem peruenit. Vbi mirari non possum Mercatum,qui ne à Galeno discedat,pinguedinem inter partes corporis numerante: [a] omenti pinguedinem viuere profitetur. [b] Cùm nulla assignetur ratio propter quam admittamus,hanc potiùs viuere,quàm aliam. Neque enim alio modo generatur. Non aliter incrementum capit. Et parem intestinis vsum præstat,quem alia toti corpori confert.

a Lib. artis medicæ. c. 9.
b Tomo 1. q 48, num. 10.

Frigida actu pars nulla in nobis,vt diximus reperitur. Quare frigidarum ordinem, ex temperie quam singulæ à natiua mixtione acceperint, requiremus: earum temperaturam sub ratione mixti, non sub ratione viuentis considerantes.

Frigidissimam ergo pituitam dicimus,quam maximè aquæ,non parum terræ,minimúmque aliorum elementorum participem esse agnoscimus: quæ prætetea ob crassitiem viscíditatémque sibi annexam, parum habet cum spiritibus commercium. Sequuntur ossa: quæ ex terrea aqueáque tantùm substantia compacta esse videntur:& laterum modo, non igneo, sed temperato calore excocta. Ab his crystallinum oculi humorem:spiritûs infixi participem. Mox vitreum spiritu animali perfusum,numeramus. Tum aqueum,illo minùs & crassum & viscidum: atque ideò calori quem spiritus insinuant minùs resistentem. Mox adest frigidis annumeranda aqua pericardij: quæ nisi spirituosum vaporem sibi haberet immixtum,ad elementaris aquæ substantiæ modum propiùs accedens,eiusdem temperiem propiùs etiam imitaretur Prioribus omnibus minùs frigidi sunt pili. Quos minùs frigiditatis habere quàm ossa,ideò asserimus: quòd eos à tertiæ coctionis fuliginoso excremento in cutem exhalante,genitos esse agnoscamus. Exinde melancholiæ excrementitiæ, secundùm naturam tamen genitæ, minor est frigiditas. Mox cartilaginum. Tum ligamentorum. Exinde tendinum:membranarum:neruorum:& cerebri. Quas omnes partes,esse minùs frigidas ossibus affirmamus:licèt aqueam substantiam abundantiùs participare videantur:quòd cùm è viuentium sint numero,atque ideò fixi calidi innati substantiam, vitalium omnium actionũ primarium instrumentum,participent:quò humidiores sunt,eò etiam singulæ illo abundant magis. Parciùs tamen huiusmodi calido prædictæ partes gaudent,quàm vt à natura calidis annumerentur:quòd quę ex semine generę sunt,ex solo illius crassamento constent, spiritibus in formatricis instrumentum cedentibus,& penè in integrum exolutis. Cùm contrà quæ ex sanguine principium sumpserunt, spiritus sanguini permixtos,excocto parenchymate conseruarint. Humores autem oculi frigidioribus annumeramus:quòd eorum substantiæ modus magnam frigiditatis intensionem insinuet: & dissecto per anatomem oculo,eorumdem algorem tactucomprobemus.Nec obstat eos viuere.Nam licèt id de crystallino certum videatur, quia est organum visûs: De alijs tamen minùs constat. Aqueus enim humor effusus, reparatur: vt multorum vulnerum exemplo innotuit. Et vitreum non nisi per iuxta positionem incrementum capere, si singula probè examinentur apparebit. Crystallinum autem paucum calidum à natura participantem,ab influente tamen adiutum,viuere non repugnat. Sed cùm membranas inter tendines, & neruos collocauimus:aduertendum est,non omnium membranarum eamdem esse rationem. Quę enim magis sunt carneę, vt externa ventriculi, & interna intestinorum:vt humidiores,ita & calidiores sunt neruis. At quæ minimum sunt carneæ, vt quæ singulos ventres ambiunt, quæue musculos interstingunt: frigidiores sunt cæteris. Vt inter vtrasque mediæ agnoscuntur:quæ venarum,& arteriarum sunt propriæ.

Humidarum partiũ seriem,ex maiore liquiditate & mollitie definimus. Sed liquiditatẽ aqueam, vt maioris humiditatis testem potiùs quàm aërem consideramus:quod aqua, aëre humectet magis. Licèt apud Aristotelem,ex definitione humidi,aër,aquâ humidior esse dicatur. In liquidis autem, hinc quidem ad fluiditatem aqueam attendimus,superantis humiditatis sociam: Inde verò num eidem permixta sit tenuis aliqua substantia deusta inquirimus, cui magna exiccandi vis inest: ratione cuius quod aliàs ex substantiæ modo humidum diceretur, aut exiccantibus aut minus humectantibus annumeratur. Humidissimam ergo existimamus, aquam quæ in pericardio continetur. Ab ea aqueum oculi humorem. Tum pituitam. Exinde vitreum oculi humorem. Postea sanguinem. Proximè semen. A quo spiritus vitales. Exindè serum. Post quod bilis. Tum melancholia. Quæ tria, licèt ob partes terreas coctione attenuatas exiccent: ex modo tamen substantię liquido,humidis partibus annumeramus. Hoc enim perpetuò supponendum est,pro diuerso respectu,multa reperiri in nobis,quæ & humida,& sicca dicuntur:vt plurima insunt,quæ inter frigida,& inter calida iterum recensentur. Prioribus omnibus minùs humidos censemus spiritus animales: maximâ illorum tenuitate humiditatem minuente. Ob aëreum tamen substantiæ modum quem habent: eos,sequentibus humidiores effecimus,quæ terram abundantiùs participant. Et hac serie à priorum humiditate recedunt: pinguedo:adeps:cerebrum: spinæ medulla: nerui sensorij: præter ramos sexti paris:testes:pulmo:hepar:caro musculosa:glandulosa:& renes. Pulmonum humectans

vis,

vis, anodynâ illorum facultate cognoſcitur. Quorum ſegmentum, patti capitis dolenti, aut alteri ad motum, ad leniendum dolorem plurimùm valet.

Siccarum tandem partium hic eſt ordo. Oſſa ſicciſſima ſunt. Ab his pili. Qui cùm vnctuoſum quidpiam habeant, faciliùs oſſibus ignem concipiunt, & illis difficiliùs puluerantur. Quæ minoris ſiccitatis ſunt notæ. Minùs his ſiccæ ſunt cartilagines. Tum ligamenta, tendines, membranæ excarnes, arteriæ, venæ, nerui motui deſeruientes, Cor, & lien. Qui à frequentia arteriarum, & proprij alimenti conditione aliqualem ſiccitatem contrahit: licèt ipſius raritas mollitudinem ementiatur. Demùm cutis, ſingularum qualitatum, nullius autem exceſſûs particeps, in medio omnium collocatur, ſingulóſque ordines terminat.

Quæ omnia cum de temperamento ad Iuſtitiam & ἐὐκράτῳ ſint dicta: in diſtemperatis, pro diſtemperantiarum ratione, ſingula ſunt proportionaliter ad ea quæ diximus commenſuranda. Quæ, quia doceri non poſſunt, cùm ſingularium non detur ſcientia: ea erunt ab vnoquoque proprio penſanda iudicio.

De ſingulorum principalium membrorum dignoſcendis temperamentis.

Capvt. X.

Principales partes, non eaſdem appellamus quas & principes. Principis enim nomen illis tantùm conuenit, quæ primariæ alicui facultati primariò famulantur: & aliquid in ſe generant, quod ſuo in vniuerſum corpus influxu animalis vitam tuetur. At principales, eas omnes præter principes dicimus, quæ actionem aliquam obeunt, ſine qua diu viuere, aut ſibi ſimile generare animali denegatur. Principes ergo ſunt etiam principales: at non item contrà. Principes ſunt Cerebrum, Cor, & Iecur. Principalibus autem annumerantur pulmo, ventriculus, lien, renes, teſtes, & vterus.

Quarum omnium partium natiuam temperaturam agnouiſſe, maximè neceſſarium eſt Medico: vt cùm intemperiebus præter naturam in quocumque excitatis mederi ſtudet, ſciat quouſque alterando progrediendum ſit, vt quælibet naturali temperaturæ reſtituatur.

Etenim non antè cognoſci poteſt ad quantam magnitudinem qui genitus eſt morbus peruenerit: quàm quæ præceſſit naturalis conſtitutio nobis innotuerit. In inquirendis autem principalium partium temperamentis, nobis principio proponamus oportet idæam cuiuſque partis quæ in ſuo genere, ſit non ad pondus, ſed ad Iuſtitiam temperatiſſima. A cuius deinde commoderatione, partes eiuſdem ſpeciei quæ in aliquo receſſerint, ſecundùm id diſtemperatæ vocabuntur. Hoc eſt quæ temperatâ calidiores, calidæ: quæ frigidiores, frigidæ. Atque ita de cæteris partibus.

Quæ ergo nobis ſingularum partium temperaturam indicare poſſunt, ex tribus fontibus deſumuntur: ſcilicet ab his quæ earum ſubſtantiæ ſunt annexa, à temperiem neceſſariò conſequentibus, nec non à iuuantibus & lædentibus. Per ſubſtantiæ annexa ſolùm conformationem intelligimus, ſeu propriam, ſeu aliarum partium in principalium gratiam efformatarum, ſeu eis ſubſeruientium. Temperies enim licet earum ſubſtantiæ inhæreat, & quaſi forma ſimiliarium, earumdem ſubſtantiam ingredi videatur: ea tamen eſt quæ quæritur, & ſui ipſius quæſitæ ſignum eſſe non poteſt. Eam autem neceſſariò conſequentia appellamus, actiones, excrementa, & qualitates temperaturæ ſectatias. Iuuantia tandem & lædentia ſunt vel aſſumpta, vel admota, à quibus pro diuerſa temperie, vel lædi, vel iuuari poſſumus. Temperatiſſimæ enim partes, vt à ſimilibus in εὐκρασίᾳ conſeruantur: ab eiſdem etiam iuuantur. At diſtemperatæ à ſimilibus quidem ac præſertim intenſioribus auctâ diſcraſiâ offenduntur: à mediocriter autem aduerſantibus remiſſâ intemperie recreantur.

In deſcribendis autem ſignis quibus ſingularum partium temperies inſinuatur: ita procedemus, vt antè temparatarum principalium partium notas explicemus, quàm intemperatarum ſigna doceamus. Rectum enim menſura eſt ſui & obliqui. Cúmque à conformatione primùm, quæ benè quæue malè temperatæ ſint indicetur: qualem in ſingulis natura concinnitatem expoſcat, initio perquirendum erit. Vel ſaltem quia nulla principalium præter teſtes, noſtris ſubiecta eſt ſenſibus: ab externarum quæ in principum & officialium gratiam efformatæ ſunt, aut eis ſubſeruiunt conformatione, hanc tractationem auſpicabimur. Atque ita corporis totius configurationem maximè concinnam, & corpori optimè conſtituto debitam deſcribemus. Cùm enim caput in cerebri gratiâ effectum ſit; thorax vt cor, & pulmones contineat; abdoménque vt iecur & cæteras partes facultati naturali famulantes comprehendat; ac demùm artus vel principum facultatum in cerebro conſtitutarum imperio ſubſeruiunt, vel pro cæterarum influxu aliter atque aliter ſe habent: vt quid à principibus, pro cuiuſque temperie in externarum figuram redundet addiſcamus, tota externa corporis facies homine temperatiſſimo digna nobis delineanda venit. Nè verò quiſquam hinc nobis tribuat velle nos à primarum qualitatum variâ temperie, membrorum conformationem neceſſariò euariari. Sciat

nos tantùm sentire, temperatioribus ad Iustitiam, concinniorem partium configurationem, proximè ad exemplaris imitationem, ab optimo Plasmatore tribui. Et licèt temperaturæ diuersitas quidpiam ad conformationem variandam instrumentaliter influat: maiorem tamen diuersitatis rationem, ab exemplarium varietate peti existimamus. Corporis ergo maximè symmetri & perfectissimè commensurati, talis est confirmatio.

Caput penè rotundum est, vtrinque ad ossa petrosa, & aures leniter compressum, ad frontem modicè extuberat, ad occiput verò aliquanto magis, quasi in hemicyclum prominet. Idem ex Vitrunio, [a] à mento ad summum apicem, totius longitudinis (quæ nouem propriorum pedum est ex Cardano, [b] aut sex Geometricorum ex Vitruuio [c] octauam partem dimetitur. Tanta ab apice, ad imas ceruices, notatur decliuitas. Altitudini, æqua est profunditas; à summo nasi tectâ ad occiput. Latitudo breuior est, & decimæ tantùm partis: quanta est altitudo ab imo mento ad summam frontem & capillitium. Atque ea facies est, quam si in tres æquas partes secuerimus, fronti suprema datur, naso media, & ab imo naso ad extremum mentum infima. Cuius quod à naso ad os intercedit, dimidium est, reliqui ab ore ad mentum. Cuiusque autem trientis faciei altitudo, vnius trigesimæ totius. Ac tantus est imi nasi ambitus: & par auris longitudo. Rictus autem & fissura oris, est tantùm vnius quadragesimæ quintæ: Cui respondet oculorum longitudo ab hirquo ad lachrymalem angulum: nec non & quod inter vtrumque oculum medium est interuallum.

a Lib. 3. c. 1.
b Lib. 13. de subt. cap. vlt.
c Loco citato

Thorax ad quadraturam accedit: anteriore parte ad mammas quadantenus arcuatum; & supernè quodammodo cameratum. Cuius in pectore latitudo ab axilla ad alteram, in viro, ex Alberto Dureto, [d] est vnius sextæ: dorsi verò vnius quintæ altitudinis totius. Profunditas à medio sterno ad cutem spinæ superpositam, vnius septimæ: per dorsum verò, duarum decimarum tertiarum. Profunditas supra & infra mammas vnius nonæ: ad mammas verò, vnius octauæ. Altitudo tam in viris quàm in mulieribus inæqualis est. A clauiculis ad cartilaginem Xyphoidem breuior: à prima dorsi vertebra (quam ἀσφάλειαν à firmitate vocant) ad duodecimam (quam διαζωστῆρα à cinctu dicunt) media: secundùm latera, per humerum ad costarum curuaturam longissima est.

d Lib. 1. de homin. proportione.

Abdomen quasi oualis est figuræ. Cuius Hypogastrum depressius est & arctius in viris. Nam eius latitudo sub vmbilico, vnius est sextæ, & profunditas vnius octauæ: ab inguine verò ad inguen, vnius decimæ quartæ & vnius decimæ quintæ: cui respondens profunditas est vnius septimæ. At in mulieribus, latitudo sub vmbilico, est duarum vndecimarum: inter inguina vnius septimæ: & profunditas illi respondens, vnius sextæ. Testes, viris, exerti; & intra scrotum penduli: mediocris oui gallinacei magnitudinem figurámque æmulantur. Nec nimiùm molles sunt, nec duri. Si contractentur, acuti sunt sensûs: nec sine dolore collisionem ferent.

Inter artus, magna manus ab humeri capite ad extremos digitos, tres septimas totius proceritatis æquat. At tibia tota à capite femoris ad plantam dimidium explet. Vtriusque crassities, inter eos qui vel macie vel πολυσαρκίᾳ sunt deformes, mediocris est: & moderata mollitudo. Quod ad actiones autem pertinet: temperatissima quæque membra actiones perfectissimas exequuntur.

Cerebro enim probè temperato, sensus omnes tam externi quàm interni, & expediti sunt, & exquisiti. Expeditos voco promptos ad propria obiecta discernenda. Exquisitos verò, qui & minima obiecta sentiant, & minimas obiectorum differentias distinguant. Motus à principe vi imperatus, nec tardus est, nec nimiùm celer. Ingenium (licèt mens organis non sit addicta: quia tamen à sensibus benè aut prauè affectis plurimùm in operando euariat) erit ad discendum facile, ad inueniendum sagax, ad iudicandum perspicax, & in memorando non labile. Somnus per consistentem ætatem eùm liber fuerit, id est nec procuratus nec impeditus: non longior est, sex aut septem horarum, nec breuior quinque: non profundior, quàm dormiens ab inclamante exicetur: neque ita tenuis, vt à quocumque murmure euigiletur. Cerebri naturalis facultatis congruentem vim, ab excrementis agnoscemus. Si per choanam non multa pituita, seu potius saliua in os distillet: tanta tamen vt & ad linguæ humectationem, & masticationis subsidium, per glandes ad linguæ radicem sitas ministrata sufficiat. Si nullus mucus emungatur: & minimùm ceruminis subcitrini in aures amandetur. Cùm enim cerebrum secundùm naturam non alia excrementa generet, quàm quæ coctionem spirituum animalium consequuntur, aut quæ ex proprio alimento residua sunt. Si illud probè sit temperatum, neque ex victûs errore, aut alterius membri dyscrasiâ, quidpiam molesti patiatur, paucissima huiusmodi excrementa generabit: quòd cùm tertiæ coctionis excrementa, duorum tantùm sint generum; tenue quidem, per suturas cum eo quod spirituum generationem sequitur, aut à reliquo corpore benè temperato sursum effertur, transpirãdo exhalet; crassius autem in pilos abeat. Neque enim foramina quæ in extremo superiorum ventriculorum ad ossa ethmoidea in homine sunt manifesta, ad muci pituitosi excretionem sunt facta: sed ad liberiorem aëris inspirationem, pro spirituum animalium generatione maximè necessariam. Eâ tamen viâ natura etiam in humidiori-

bus

bus vtitur,ad pituitæ in cerebro collectæ aut genitæ expurgationem. Pili cùm ex crassis fuliginibus à pinguis vaporis permixtione cohærentibus, & vi caloris membrorum erumpentibus generentur. Atque hi pro conditione materiæ ex qua eleuantur;pro maiore,aut minore raritate,vel densitate cutis per quam erumpunt;potorúmque ipsius rectitudine, vel anfractuositate: ac tandem ex differentia caloris fuligines eleuantis, diuersitatem contrahant. In temperatis infantibus, coloris sunt aurei subalbescentis: quòd suauissimus calor, in humidissimo per ætatem corpore, exhalationes minimùm fuliginosas generet. Quia verò per ætates calore increscente,crassum illud excrementum quod à cerebro proximè in caluariæ cutem exhalat,vehementiùs excoctum,in capillos concrescens, obscuriorem sensim colorem contrahit:in pueris flaui sunt cum splendore; in viris autem coloris sunt castanei flauescentis. Iidem nec crispi sunt,neque omninò molliter effusi:ex humiditatis & siccitatis conueniente temperaturâ. Ac demùm per singulas ætates,opportunâ materiâ in temperatis ad capillorum fomentum occurrente: sic constituti non facilè caluescunt. Etenim cùm præcipua caluitiei causa,videatur substantiæ cerebri extenuatior ratione cuius cùm sub dura menynge medulla deprimatur,exhalationes ante necessariam illam cohærentiam perdunt,quàm ad cranium cutémque pertingant:quoniam horum cerebrum & perfectissimè conformatum, & nullo caloris excessu extenuatum,caluariam sufficienter implet,difficillimè caluescent.

Corde optimè temperato,& illi euentato pulmone sociato;respiratio facilis erit, & spiritus suauis. Pulsus per omnes differentias mediocris,& ab omni inæqualitate liber. Arteriæ nec angustæ erunt, nec nimis amplæ,& moderatæ mollitiei. Omnia animi pathemata [si naturæ inclinatio, prauâ educatione non peruertatur] erunt ad nutum rationis temperata. Thorax nec glaber erit, nec hispidus: & pilorum color in viris subflauus. Ventriculus non plus appetet quàm concoquere valeat; & sine errore assumpta,probè conficiet. Excrementa compacta erunt,non tamen dura: quæ esculentorum tertiam partem proximè æquabunt: & bis in die (nisi natura auertatur) excernentur, si bis etiam cibus in die capiatur.

In Hyppochondriis mollities,nullus tumor,nullàque tractanti apparens renitentia, debitâ iecoris, & lienis conformationem indicabunt. Quorum temperies ex eo adhuc euidentiùs elucescet: si venarum mediocris sit amplitudo:neque bilis,neque melancholiæ copiosiùs genitæ vlla appareant signa. Illa,commodè in intestina deriuetur. Hæc,conuenienter attenuata, in alimentum totius corporis in iecur refluens cedat. Nihil enim in exactè temperatis nigrum,vel per hæmorrhoïdes deijci, vel prouocato vomitu sursum excerni aduertimus:at ne quidem in sanguine subsidere, si aliquando his vulneratis ad sistendam hæmorrhagiam,venam secuerimus. Quo casu eorum sanguinem maximò purum esse,& ab excrementitiorum humorum permixtione liberum expetiemur.

Renes exactè temperati, serum commodè percolant, & nihil in pelui vrinaria hærere patiuntur, quod ferè in vesicam illapsum remoretur;nullúmque molesti caloris sensum lumbis inferunt.

Qui testes habent temperatos,neque præcociùs,nec seriùs pubescunt; & vix ante decimum sextum annum hirguitallire solent:tuncque primos caloris emicatus,& libidinis sentiunt insultus. Atque iidem,in venerem moderatè feruntur.

Vterus temperatus,tempestiuè superfluum sanguinem sine dolore fundit: nec furores causat: nec fluores patitur:& ad conceptum se benè habet.

Singulis tandem membris probè temperatis,idque in regionibus temperatis,totius corporis decorus est color. Virorum quidem ex candido, leuissimâ fuscedine temperato, subrubet. In mulieribus autem,faciei color ex lacteo roseóque permixtus est;cùm corpus reliquum,lacteo decoretur. Idem ad tactum in calore & frigore,mollitiéque & duritie temperatum est. Fœminæ tamen, aliquantulum molliore sunt habitu: & earumdem cutis ad frigiditatem tantillum inclinat. Ac tandem temperatissima quæque membra,externis causis nos alterantibus æqualiter, simulque potenter resistunt. Atque cò potentiùs,quò vniuersum corpus temperatius fuerit.

Vti verò prioribus notis,insita singularum partium temperies nobis innotescet:Ita sequentibus distemperatarum conditio exprimetur.

Cerebrum enim prauè affectum esse,& in conformatione vitiatum; mala capitis conformatio indicabit:quæ penes magnitudinem & figuram præsertim attenditur. In magnitudine, paruum caput ex Galeno, [c] vitiosæ constitutionis cerebri certum est signum. Quoniam & facillimè à vaporibus qui sursum ab aquaticulo efferuntur impletur,eosdem non facilè digerens:& ab spiritibus per arterias elatis promptè incalescit. Vnde licèt non semper sit verum quod habet Aristoteles in Physiognomicis,tales fere insensatos esse:nec quod ab Adamantio,& Polemone dicitur, eosdem ab omni sensu humanóque captu alienos. Certum tamen est,illos vel inconstantes & infidos esse, vel malignos: & omninò nimiùm celeres,& præcipitis ingenij,minúsque ob celeritatem valere iudicio, quod reflexâ meditatione firmatur. Magnum, & descriptam supra proportionem mediocri debitam excedens:

c *Lib. artis parua cap.11.*

tunc

tunc prauæ conſtitutionis eſt indicium, cùm inconcinnè fuerit figurarum. Quia interna organa debitam commenſurationem non obſeruantia, actiones aliqua ex parte deprauatas edent. Si verò ex Galeno concinna ſit eiuſdem figura; & ceruix, oſſa reliqua, partéſque omnes neruez firmæ ſint & robuſtæ: bonum ſignum eſt. Sed videretur, ex ſenſuum agilitate aut tarditate, raritatem & denſitatem ſubſtantiæ cerebri coniectando: dicendum potiùs caput magnum cum ſenſuum perſpicacia, indicante ſubſtantiæ cerebri raritatem, ſeu vt loquitur Galenus [f] tenuitatem, boni ingenij ſignum eſſe. Vnde Ariſtoteles, [g] qui caput magnum habent canum inſtar, αἰσθητοὶ ſunt, id eſt benè ſenſati. Ita Plato ex antiquis marmoribus, apud Ioannem Baptiſtam Portam, [h] magno fuiſſe capite fertur. Et Albertus, ex Loxi authoritate, caput quod aliquanto maius eſt quàm conuenit, ſenſûs augmentum inquit, virtutem, & magnanimitatem arguit. Sed adde ſi cordis temperies ad hæc conſenſerit. Contra ſi tardi fuerint ſenſus, denſitatem cerebri arguentes: magnum caput, iuxta Polemonem, obtuſi & indocilis hominis erit indicium.

[f] In arte parua.
[g] In phyſiognomicis.
[h] Lib. 2. de humana phyſiognomia.

Quod ad figuram attinet: caput ad latera minimè compreſſum, & integrè rotundum; quia anteriorum ventriculorum extremum, vnde hominis cerebrum per patentia foramina reſpirat, in ea figura dilatatur, frigidóque inde aëri liberior ingreſſus datur, vnde ſpiritus animales craſſiores euadunt: nec non quia eadem exactior rotunditas poſtremum ventriculum comprimit, à quo ſpiritus in omnes partes facultatibus animalibus inſeruientes deriuantur: neque poſſunt ex anguſto loco qua expediret vbertate diffundi: ad omnes mentis ſenſuúmque functiones hebetes ſunt & tardi. Ideóque rectè Albertus, apud Portam, globoſum caput, ſine memoria, ſenſu, & ſapientia eſſe dixit. At qui parte anteriore caput compreſſum habent, poſteriore verò multum prominens: ſi cerebro etiam fuerint ſicco, & raræ ſubſtantiæ, magnam purorum ſpirituum copiam, in poſtremo ventriculo quàm aliis ampliore, colligentes: Ingenio quidem vt plurimùm valebunt; ſed ob faciliorem anteriorum ventriculorum perfrigerationem, facultates naturales cerebri imbecillas habebunt, & inſalubres erunt, capitis doloribus, frigidis cerebri affectibus, & diſtillationibus obnoxij. Eò deteriùs habituri, quò cerebrū illis erit humidius. Quod præterea ſi ſubſtantiæ ſit etiam denſæ: erunt hi hebetes; ſed ad opera ruſtica validi, ſi toroſi ſimul fuerint. Qui demùm contra fronte ſunt prominente, & compreſſo occipite: multos ſpiritus in amplitudine ſuperiorum ventriculorum generantes, ſed paucos in poſtremo colligentes; tardi erunt ad ſenſus & motus, ſed meditabundi.

Cerebrum temperato calidius tantùm: habet omnes functiones animales celeres. Cuius ſubſtantia ſi præterea fuerit rara: ſenſus etiam habebit perſpicaces. Tali cerebro, ingenium ineſſe ſolet minimè pertinax, ſed quod facilè ſi probabili ratione conuincatur ſententiam mutat. Etenim cùm is cui cerebrum ita eſt temperatum, ob actiuitatem internis ſenſibus à calore inſinuatam, ſit cognoſcendi cupidus, & ex conformitate intellectûs ad internos ſenſus ſciendi ſit auidus, & veritatis indagator: omnia quæ proponuntur examinat; & quæ potiora videntur ſemper admittit. Somnus, eidem, aliquantulum quàm temperato eſt breuior. Excrementa palati, narium, & aurium, pauciora: modò conueniens victûs ratio ſeruetur, & inferiora membra ſint temperata: aut ea ſaltem, cæteris paribus, meliùs cocta & magis compacta excernantur. Capilli huic maturiùs erumpunt, & celeriùs à calore flauo vertuntur in fuſcum, quàm temperato. Vbi notandum eſt, natiuam capillorum nigredinem non ſemper calidi cerebri eſſe indicium. Melancholici enim, atque hi qui à natiuitate præcalido ſunt hepate: et ſi minùs calido ſint cerebro, atro tamen ſunt capillitio. Eorumdem criſpitudo calorem notat ſi alia concurrant ſigna: aliâs pororum cutis anfractus imitatur. Caluitium quod his ætate progrediente accidere ait Galenus, [i] etſi non niſi calido cerebro accidat: non tamen neceſſariò cerebri calorem ſequitur: niſi ſimul vel caput raræ ſit texturæ, vel cerebrum ſeu ob raritatem ſubſtantiæ, ſeu ob nimium veneris vſum exolutum, ſub cranio plus æquo deprimatur. Caput eiſdem, etiam in temperata aëris conſtitutione, à tangentibus calidum ſentitur. Ac demùm tales, à ſole, calidis ventis, & odoribus, à vehementi animi contentione, profuſiore coma, calidiore operculo, & ſimilibus cerebrum calefacientibus offenduntur. Qui ſi præterea crapuloſi ſint & bibaces, aut plura in abdomine ex vitio partium naturalium excrementa colligant: facilè ſibi caput oppleri ſentiunt, & in graues cerebri affectus incidunt. Quoniam cerebrum quò calidius eſt, eò magis attrahit, aut tranſmiſſa copioſiùs excipit. Quæ licèt principio faciliùs aliis digerat: perſeuerante tamen errore, vt rarioris ſit æque ac calidioris ſubſtantiæ, ita abundantiùs Infarcitur. Quæ omnia eò euidentiùs apparebunt, quò maior erit caloris exceſſus: vti obſcurius quò fuerit ille remiſſior. Idémque in ſingulis aliis intemperaturis concipiendum.

[i] Lib. artis parua. c. 14.

Cerebrum frigidum, ſigna prioribus contraria prodit. Actiones enim animales lentas habet, eſt in ſententia pertinax. Somnus longior. Plura excrementa generat, ob inconcoctionem proprij alimenti, & parciorem reſolutionem eius quod reſiduum eſt: eadémque liquidiora ſunt. Tardius capillos emittit, minimè criſpos, coloris byſſini fulgentis, mox flauos, & minimè deciduos, ſed maturè

ca-

canescentes. Caput tangentibus non apparet calidum. Ac tandem à frigore ambientis plurimum offenditur:quod multarum distillationum in partes inferiores est causa,cerebrum exprimendo.

Colorem hyſſinum hic cum recentioribus appellamus colorem ſerici crudi.

Is cui cerebrum fuerit iusto siccius,si adiuncta sit substantiæ raritas,sensus habet perspicaces, & fidelem memoriam Si verò idipsum densæ fuerit substantiæ:tardus ad conciplendum erit: sed semel conceptorum in longum tempus memorabitur; eritque corpore ad valida exercitia robusto. Idem breuis erit somni:paucissimorum excrementorum : & capillitio duro , ac crispo, ob familiarem pororum cutis anfractuositatem.

Idem tamen caluus non fiet:nisi coninncto calore,& raritate cranij. Non enim tanta potest esse cerebri in viuente siccitas,quin illi multa sit humiditas consociata,& exhalationi ad capillos generandos vtili materia suppetat. Cutis capitis huic sicca erit & dura. Ac demùm ab exsiccantibus plurimù n offendetur:& facilè in ἀγρυπνίας incidet.

Atqui humidiore erit cerebro,sensus tam internos quàm externos obtusiores habebit,& memoriam fluxam. Species enim difficilè humidiorem substantiam peruadunt:nec earum firma est quæcumque fit impressio. Idem ad motum & nixum erit imbecillus : somnolentus : multorum excrementorum:pilis productis,& mollibus: cute capitis molli:& ab austrina pluuiosáque constitutione grauiter læditur.

Qui cerebro sunt calido & sicco,sensus omnes habent celeres & perspicaces : (præsertim si cerebrum raræ fuerit substantiæ) sed diuturnioris meditationis,impatientes, & in prædictarum qualitatum magno excessu ad delirium proni. Iidem celeres sunt ad motum, & robore valent. Præ cæteris omnibus maximè sunt vigiles ; breuis & tenuis somni. Præsertim si infernarum partium temperies illi respondeat.

Quoniam à plurimis vaporibus ab abdomine & ventre imo eleuatis,illis facillimè somnus conciliatur;sed minimè profundus. Minimùm item excrementorum generant. Capillo sunt nigro,tenui, denso, crispo, & facillimè erumpente. Omnium facillimè caluescunt : nisi cerebri substantia densa fuerit: canescunt autem tardiùs. Caput eorumdem calidum à tangentibus persentitur. Color autem faciei,cuius rationem habet Galenus,minùs est attendendus:quoniam ille non à cerebri temperie euariat : sed ex iecoris crasi, & raritate aut densitate cuticulæ faciem vestientis. Neque enim idē est,à colore faciei& oculorum sanguinis abundantiam aut paucitatem incerebro indicari: & inde huius temperiem manifestari. Nam sanguis à cerebro in faciem oculósque redundans, vel hinc cùm paucus est intro recurrens,eorum quidem mutare colorem potest:at sola cerebri temperies nihil in faciem effundit,quod eius colorem euariare valeat.Postremò hi,ab omnibus rebus quę aut calefaciunt aut siccant grauissimè offenduntur:vti à sole,fumo, odoribus, ventis, & animi contentione. At verò ab humida constitutione plurimùm recreantur.

Calidi & humidi,animales omnes actiones habent ad eas quæ temperatorum sunt proximè accedentes modò humiditas plurimùm non excesserit. Hi stamen aliquantò tardiores sunt & minùs perspicaces facilè ad somnum feruntur : cui quò magis indulgent , excrementitiâ humiditate increscente,eò somnolentiores euadunt,illisque eò magis caput grauatur. Excrementa multa generant,medioeriter cocta,per os, nares, & aures excreta. Multo sunt capillitio , flauo, mox castaneo, & molli. Non facilè caluescunt:modò non indulserint veneri,nec cutem habuerint rariorem , aut cerebrum à natura plus æquo à caluaria depressum. A calidis & vaporosis offenduntur, & austrinam constitutionem omnium difficilimè ferunt.

Frigidum & siccum cerebrum ad facultates animales in pueritia satis vegetum est, sed per ætatem hebescit. Excremēta,siccitate præualente,pauca:frigiditate verò eminente,per incōcoctionem multa generat. Capillos tardè emittit flauos,& pauci incrementi. Raró caluescit huic caput : sed citissimè canescit. Ac demùm per aquilonias constitutiones; imò & ex leui externa perfrigeratione sic affectus in grauedines & distillationes facillimè incidit.

Qui demùm cerebro sunt frigido & humido,maximè sunt hebetes, & eneraes : ab earum enim qualitatum vehementi excessu, cui cerebri densitas coniungatur stoliditas & amentia nascuntur. Iidem omnium maximè somnolenti sunt,& excrementis abundant Capillos habent molles : calui non fiunt : neque tam citò ac priores canescunt. Et à quacumque ambientis in actiuis intemperie, distillationes patiuntur : calore quidem humores eliquante, frigore verò exprimente. Ac vtrumque quidem hi maximè patiuntur,qui cum ea discrasia raro etiam sunt corporis habitu.

Cordis calidioris nota primò occurrens,est pectoris amplitudo. Quæ licet vt Galenus docuit, [k] magnitudinem sequatur spinæ,atque hæc medullæ,quæ pro cerebri & capitis magnitudine maior aut minor est. Tamen qualiscumque ea fuerit in prima conformatione, deinceps per ætatem, pro vehementia caloris contentorum,ac maxime cordis debitâ raritate conceptâ , tale incrementum capit quale est conueniens parti ad cuius tutelam efformatus est thorax. Præterea formator ipse

k Cap. 2. artis parue.

sapien-

sapientissimus idémque potentissimus, se in singulis membris formandis conditioni materiei eiusdémque temperamento accommodans, dum prima partium stamina ducit, singula singulis sic accommodat, vt partes in principum vsus destinatas eo efformet modo, quem sibi maximè conuenientem pars eius Regionis princeps expostulat: in his autem effingendis quæ diuersis principibus inseruiunt, suâ sapientiâ conformationem sic temperat, vt vtrique abundè satisfaciat. Quare non falluntur hac in parte Physiognomi, qui thoracis amplitudinem animosi signum esse profitentur, quorum cor calidum est. Neque obstat amplitudinem thoracis, debere cordis magnitudini respondere: cor autem eorum quorum maior est animus, paruum solere describi; vt pauidorum ex Aristotele,[l] magnum. Nam quantumcumque sit cor, quò illud calidius est, eò maiore perfrigerio ad contemperamentum indiget, atque ideo maiore respiratione: ad quam thoracis amplitudo requiritur. Præterea magnanimorum cor semper quidem ad robur duræ est & firmæ carnis: at non semper paruum. Quod cùm propriæ carnis firmitate quò maius extiterit, quale erat Cor ἀνδρειοτάτου Christianissimi Regis Henrici Magni: eò maiorem indicat magnanimitatem. Virtus enim non paruitate, sed organi densitate vnita; fortior est seipsâ, per organum laxum, rarum, & molle dispersa.

l 3 de partib. animal. c. 4.

Eamdem intemperiem significat respirationis magnitudo. Quæ licèt facultatem animalem pro efficiente agnoscat: à vitali tamen ratione finis procuratur. Vtque ad refrigerium cordis destinatur: eò maiorem eam esse decet, quò interior est huius calor. Neque tamen eamdem celerem esse & frequentem necessum est, sed in his differentiis mediocrem. Quoniam celeritas & frequentia respirationis cum amplo thorace, nunquam magnitudini perseuerantér coniunguntur, absque morbosa aliqua calidiore intemperie: at hîc salubris natiuæ intemperiei signa quæruntur.

Pulsus à Galeno,[m] celer & frequens esse dicitur, non tamen magnus. Sed Galeni textus peruersos esse suspicor: & quæ de pulsu dicuntur capite vigesimo nono artis paruæ, esse transposita cum his quæ de eodem capite trigesimo tertio eiusdem libri leguntur, cùm de cordis calidioris & sicci oris signis agit. Si enim doctrinæ Galeni passim expressæ recordemur, vt suo loco docebimus,[n] natura solita est aucto vsu pulsum primò magnum, mox celerem, ac demùm frequentem facere, nisi quidpiam obstiterit. Quòd si verum sit, vt aliàs probandum supponimus: ex caloris supra temperatum incremento, oportebit pulsum fieri primò magnum, nondum tamen celerem aut frequentem; mox verò si calor vlterius adhuc increuerit celeritatem, atque mox iterum frequentiam assumere. Quod non solùm in morbidis intemperiebus, sed in salubribus etiam fieri æquum est, cùm nulla sit ad hoc disparitatis ratio.

m In arte parua, cap. 29.

n Infra lib. 6 cap. 7.

Quartò quibus cor calidius est temperato, iidem audaces sunt & animosi: & cerebro non repugnante, ad omnes actiones prompti. Quòd si adhuc eiusdem visceris auctior sit calor (citra exolutionem tamen calidi) tales sunt vehementer iracundi & temerarij, seu præpropeti & præcipites ad pericula non integrè cognita subeunda. Vbi, antequam ad alia signa transeamus, duo explicanda veniunt. Quorum primum est, quomodo ex temperie cordis, quales sint animosi, aut ad varios animi affectus propensi indicetur. Alterum verò est, quæ sit iratorum & iracundorum varietas: cùm non ab vna, sed à diuersis cordis temperaturis, variè ad iram proni reddamur vt in sequentibus aduertemus.

Quod ad primum spectat: videtur temperiem cordis, nullo modo ad hæc aut illa animi παθήματα nos inclinare: cùm illi sint actus eliciti appetitûs, qui vt infra docebimus,[o] non in corde sed in cerebro sedem habet. Verùm sciendum est, in quibuscumque animi affectibus tria interuenire. Primò enim præcedit rei cognitio, quæ ab interno sensu bona vel mala æstimatur. Secundò in rem cognitam bonam vel malam, alteruter appetitus actu elicito vel fertur, vel ab eadem reuocatur. Tertio, hunc elicitum appetitûs actum alias consequitur imperatus, quo cor & spiritus corpúsque ipsum vniuersum, ad eum excitantur motum, quo maximè satisfieri appetitui potest. Ac quoniam hoc vltimum sensibile solum est & manifestum: totum quod animi affectuum est, ad hoc vnum referimus, ex quo illis passionum nomen est inditum. Quare seu animi motus rationem præueniāt: seu rectæ rationis, aut mentis iniquo iudicio præoccupatæ præscriptum sequantur: quia ex cordis varia temperie, magis aut minùs reddimur proni ad motus illos cordis & spirituum subeundos aut exequendos, qui elicitos appetitûs actus consequuntur: ideo ex maiore aut minore propensione ad singulos, de cordis temperie ferre iudicium possumus. Antè tamen discernendum num is de cuius cordis temperie iudicium ferre volumus, mores quos refert ab institutione acceperit, an vero illos à natura contraxerit. Primo enim casu falleremur: cùm in secundo si singula attentè consideremus, nec vni tantùm signo fidamus minimè eludamur.

o Lib. 5. cap. vlt. & fusius 2. parte artis med. tract. 1. lib. 6. cap. 1.

Vt autem intelligamus quomodo generosa illa animi vis, quæ in repellendis iniuriis & periculis pro ratione subeundis consistit; calidiorem cordis temperaturam comitetur. Notandum est, duo illam requirere: rationalem primo & deliberatum animi imperium;[p] tum propriarum virium co-

p Arist. 3. ethic. cap. 11.

gnitionem,

gnitionem, quibus generoso illi impetui satisfacere valeamus: quorum altero deficiente, temeritas potiùs est, quàm generositas. Ac quamuis ad maturam deliberationem cordis hæc illáue temperies per se nihil inseruiat: tamen quia cor quod temperato paulò calidius fuerit magnum toti corpori robur conciliat, nisi cerebri iecorísque humidior temperatura obstiterit; & animi impetui ob calorem, tenuitatémque spirituum, promptè obsequitur: ea nos cordis temperies ad generositatem præparat, & (in quantum animi mores corporis temperaturam propensione sequuntur) inclinat. Deliberata enim voluntatis firmitas ad magna pericula subeunda, vt quod honestum & pro ratione est exequamur, quæ vera est generositas: rudimentum quidem à natura, ab ingenua autẽ educatione incrementum, & ab exercitio complementum capit. Neque generositas esse credatur mortem subire, aut pericula aggredi, seu impatientiâ doloris, seu ignominiæ, aut pœnæ vitãdæ causâ. Hoc enim ignaui plerunque exequuntur coacti: & ex Aristotele, [q] mollis animi est, mori malle, quàm res ærumnosas & laboriosas sustinere. Nec qui ob iniuriam dolore affecti, vt se solùm vlciscantur periculosa aggrediuntur, fortes sunt; sed pugnaces. Nec tandem qui bonâ spe freti ab arte & experientia pugnandi, eadem non recusant, generosi nomen merentur: licèt illis in eo similes, quòd vtrique fiduciâ præditi sint. Generosos autem non eos hîc appellamus, qui ex genere & cognatione illustri sunt nati: sed per generosos eos intelligimus, qui vt quod honestum & rectæ rationi consonum est exequantur, præcognitum mortis periculum, tam in communi bello, quàm in particulari, aut alio casu, constanti animo subire minimè recusantes, verè animosi sunt & fortes.

q Loco nunc citato.

Secundum quod explicandum erat, hoc primùm habet notandum, iracundiam ab ira sic differre apud latinos: vt ira de causa sit, iracundia de vitio multum irascentis. Parum hinc abest Galenus, [r] cùm iratos quos θυμώδεις appellat, animosos esse ait, & humilium rerum contemptores: iracundos autem quos ὀξυθύμους nominat, pusillanimes esse temperamentóque frigidiore, vapores difficulter digerentes. Qui tamen in arte parua, iracundorum varietatem minimè distinguens, ὀξυθυμίαν quam omnes iracundiam interpretantur, inter cordis calidioris signa refert. Secundò aduertendum est, iram ex Aristotele [s] esse appetitionem vltionis propter apparentem alicuius despicientiam in se vel suos: quæ contemnendo, cupitis obsistendo, & contumeliam inferendo committitur. Qui autem apparentis despicientiæ vltionem appetunt; vel pro ratione irascuntur, vel quomodocumque præter rationem. Pro ratione non ex leui causa, neque in eos de quibus vindictam sumere dedecet, irascuntur quidem animosi. Nam vt ait Diuus Thomas, [t] fortis ad fortitudinis actum iram assumit, non quamlibet sed ratione moderatam. Ex Aristotele, [u] οἱ ἀνδρεῖοι inquit θυμοειδεῖς; fortes, irati. Præter rationem verò, scilicet vel celeriùs quàm par sit, vel ex leuiori causa, vel in longum tempus, vel acriùs, vel in eos in quos minùs deceat: irascuntur cæteris omnes qui iracundi & ὀξύθυμοι solent appellari.

r 2. in 1. epid. com. tex. 78.

s Lib. 2. rhetoric. cap. 2.

t 2. 2. q. 123. art. 10.

u Eodem 3. ethic. cap. 11

Horum autem varij sunt gradus, & aliquot differentiæ. Vel enim ex sola mentis imbecillitate facilè irascuntur; quales sunt pueri, mulieres, eunuchi, & molliores quique: qui vt leui quacumque ex causa offenduntur, nec iniuriam vel leuem ferunt; ita facilè ad iram excitantur. Atque hi à Galeno in epidemijs ὀξύθυμοι nominantur: non solùm quòd promptè irascantur, sed etiam quòd delicatioris sensûs, à leuissimis iniuriis irritentur. Tales autem vix calido sunt corde: imò sæpiùs illud habent remissiùs calidum temperato. Non tamen ea illis necessariò frigiditas inest, quæ eos difficiles reddat ad vapores digerendos: cùm simul iecore aut cerebro calido esse possint, & cute laxâ. Alij pro varia cordis temperie calida aut sicca, multifariam ad iram inclinantur: in quibus etsi non tanta atque in prioribus rationis imbecillitas reperiatur: ea tamen semper aduertitur, quæ animi passiones obsequiosa sequatur. Horum verò quidam vt facilè irascuntur, ita etiam promptè mitescunt, nullam referentes iniuriam: quos μαλακοργήτους, seu molliter iracundos auderem appellare. Alij leui ex causa citò feruntur in iram, citóque placantur: non tamen inulti: sed qui sibi statim satisfaciunt, & ex celeri animi concitatione apparentem iniuriam quomodocumque in authorem referant. Atque hi ab Aristotele, [x] ὀργίλοι nuncupantur. Tertij supra modum sunt ad iram prompti, & quacumque ex causa exardescunt: quos idem ἀκροχόλους appellat. Quarti cum irascuntur propemodum sunt implacabiles; tandiu in ira quam dissimulant perseuerantes, donec iniuriam ita sint vlti vt sibi satisfactum putent. Atque hos Philosophus πικρούς, seu amaros vocat. Alij tandem propter quas causas non debent, & grauiùs & diutiùs irascuntur: nec ante placantur, quàm vlti sint iniuriam. Qui ab eodem Stagirita χαλεποί, id est difficiles, aspeti, & sæui appellantur.

x Lib. 4. ethicor. cap. 11.

Quibus explicatis, ad rem reuerti: dicamus eos qui calidiore sunt corde, cum passiuarum tamen conuenienti temperatura, ex natiua propensione vel ὀργίλους & audaces: vel si aliquanto calidiores sint temerarios esse, & ex præpropero animi impetu, sine consilio & præsentis periculi examine, in illud præcipites ruere. Nec non & vehementer iracundios esse, de eorum numero quos Aristoteles ἀκροχόλους nominat. In quibus cordis ille vehementior calor causa est: quòd spiritus & facilè &

in longum tempus incandeſcant. Cùm autem eâ ſint vt plurimùm mente, quæ ſe reflectere ſupra ſe non conſueuit;ſoléantque propriæ excellentiæ nimiùm tribuere:ad leuiſſimæ iniuriæ ſenſum irritantur, & iraſcuntur.

Excrementa quæ eamdem cordis intemperiem teſtari poſſunt: non alia ſunt quàm æſtuoſus aër expiratus,& thoracis hiſpiditas. Non enim alia inde excrementa amandantur. Sunt autem horum pili,nigri,& duri:qui ex craſſiore fuliginoſo excremento in viciniorem cutẽ pulſo generantur. Ex quo aliquando craſſiore & magis excocto conuexum ipſum cordis hiſpidum apparuit, in fortiſſimo illo Ariſtomene Meſſenio:modò Plinio [y] id referenti fidem adhibeamus.Cùm idipſum inHermogene,Leonidæ,& Alexandri cane viſum, referant ſcriptores. Quod non iniuriâ alij, vt habet Rhodiginus,[z] riſu excipiũt. Vix tamen hiſpido thorace inueniuntur,qui calido corde non ſint Non enim fieri poteſt,materiã generandis pilis aptam ex frigido loco,ſeu diminuti caloris ſede exhalare. Quòd ſi Sanctorius [a] ſe frigidiſſimos homines nouiſſe dicat, vndequaque hiſpidos, frigidos forſan intelligit,per immodicam inſiti calidi exolutionem,& influentis impuritatem. Qui vt atrabilarij multi ob acrem calorem exoluti refrigeruerant. Sicapud Ariſtotelem, [b] inter leones qui corpore ſunt breuiore,aut vt habet Scaliger rotundiore,criſpioréque pilo, quod calor acrioris & humidum innatum impenſiùs exoluentis eſt ſignum,ſunt ignauiores. Ignauia autem caloris remiſſioris, aut ſaltem imminuti calidi indicium eſt. Vt contra qui longiore ſunt corpore,& pilo probiore(ſeu vt legit Scaliger denſiore iubâ) & cum his calore minùs acri,ſunt generoſiores.

Tandem qui calido ſunt corde,totum etiam corpus manifeſtè calidum habent. Quòd cùm illic caloris ſit minera,vnde per ſpiritus vitales ille in ſingula membra diffunditur: quò calidior erit focus,eò & cætera calorem intenſiorem participabunt. Fieri tamen poteſt vt corpus vniuerſum calidum ſit,non à corde,ſed ab hepate calidiore:quod,cum ſanguine quem in ſingula membra diffundit,ſuæ etiam temperaturæ naturam inſinuat. Vti etiam accidit aliquando, corporis habitum minimè calere,licèt cor calidius ſit temperato: quoniam calor qui ab illo in cætera membra influit, non ſufficit ad frigidam corporis molem abundè calefaciendam:niſi à iecoris ad iuſtitiam ſaltẽ temperati iuuetur influxu. Atque ideò calor qui à calidiore corde effuſus appareret in habitu,à iecoris remiſſiore calore,ſeu frigida intemperie,quodammodo priuatiuè retunditur. Atque idem in aliis conſimilibus caſibus concipiendum: ne credamus ab actuali iecoris frigore calorem à corde in vniuerſum corpus effuſum remitti,aut calorem iecoris à frigore cordis oppugnari. Cæterùm meminiſſe ſemper oportet,in diſcernendis principalium partium temperamentis,non vni ſigno fidendum:ſed ante quàm de alicuius membri temperatura ſententiam feramus,totam ſignorum ſyndromen eſſe examinandam.

Cor frigidius ſignificant,pulſûs,reſpirationíſque propter vsûs imminutionem,paruitas. Quòd ſi vlteriùs adhuc vſus imminuatur, auctâ ſcilicet frigiditate tunc pulſus rarior etiam, tardiórque euadet moderato. At reſpiratio citra maiorem etiam imminutionem vsûs, paruitati raritatem & tarditatem coniunget: quando contigerit, thoracem ex oſſium conformatione caluariæ & ſpinæ reſpondente,tantæ amplitudinis eſſe,quanta cordi temperato conueniret.Quoniam reſpiratio parua,rara.& tarda;ſic conſtituto abundè aërem ſuggeret pro frigidioris cordis perfrigerio. Sic affecti prætereà timidi ſunt. Non actu ſemper timentes (vt quidam interpretes Galenum explicare videntur) ſed qui leui ex cauſa timeant,& vix quidquam aggredi audeant: meritò puſillanimes appellandi. Iidem glabro ſunt pectore. Qui ſi raro ſint corporis habitu, facilè ab ambientis frigore, præſertímque ab Aquilone offenduntur. Et niſi calida iecoris intemperies obſtiterit, totum corpus frigidum erit,à quo nihil acre exhalare percipietur.

Qui corde ſunt ſicciore,pulſus habent duros: quòd arteriæ à corde tanquam à principio infectionis & diſtributionis ortæ,illius temperiei conditionem imitentur. Iidem etſi ad iram non ſint admodum prompti,ob æqualitatem in actiuis: ſi tamen offendantur, iram diu continent, quam euſque diſſimulant, donec iniuriam acerbè ſint vlti. Atque ex his ſunt quos antè ab Ariſtotelo πικροὺς appellari diximus. Pili horum pectori adnaſcuntur rari; ſed nigri,& duri. Eorum prætereà corpus vniuerſum ſiccius temperato percipitur:niſi iecoris humida temperatura, cutem carnéſque emolliens,contrariam habitui imprimat notam.Neque tamen ſiccus corporis habitus,cordis etiam ſiccitatem ſemper inſinuat: ſed tunc ſolùm,quando ſigna quæ præpoſita ſunt ſimul concurrerint; aut temperati iecoris certæ apparuerint notæ.

Humidioris cordis ſigna, ſunt pulſus molles. Mores ad iram quodammodo procliues ob cordis humiditatem calori temperato coniunctam:ſed quæ facilè ſedari poſſit,quòd nulla ingenito his calido inſit acritudo;tum ob caloris mediocritatem,tum ob humiditatem calori conſociatam. Atque hi μαλακόργιλοι dici poſſunt. Pili horum thoraci adnaſcentes ſunt pauci, molles, & flaui. Ac tandem totus habitus mollis eſt: niſi iecoris ſiccitas, contrariam illi qualitatem conciliauerit.

Hi

[y] Lib. 11. cap. 37.

[z] Lib. 4. lect. antiq. cap 16

[a] Comm. in tex. 2. cap. 49. artis paruæ.

[b] Lib. 9. de hiſt. anim. cap. 44.

Hi demùm non difficilè putredinem contrahunt,& peste si quando ea grassetur facilè corripiuntur: imo & hecticâ pestilente, quoniam solida ipsa cordis substantia in his putredinem concipit. Vt priores putredini plurimum resistentes,tabi sunt obnoxij.

Calidioris sicciorisque cordis hæ sunt notæ. Pulsus celer est & frequens, ob auctum vsum: non tamen magnus, quia ob siccitatem eumdem temperato duriorem esse contingit. Pulsus autem qui à siccitate est durus,idem renitente arteriâ magnus esse non potest, vt stipulante ratione, Galenus frequentissimè docuit. [c] Qui si aliquando scripserit, [d] in ebrijs pulsum fieri non solùm durum; sed magnum etiam,celerem & vehementem. Ibidem aduertit illam duritiem non à siccitate, sed à tensione pendere & nasci. Quoniam autem arteria non potest à multo vapore distendi, quin simul ab eodem dilatetur:cùm ita fuerit affecta,quantumcumque à facultate dilatetur,circulũ ampliorem solito describet:& necessariò magnum edet pulsum. Idem præterea docens pulsum pleuriticorum velocem,frequentem & magnum esse:intelligendus est voluisse, eum inæqualiter esse magnum, vt inæqualiter est durus:quem ideò serræ similẽ dixit,quòd aliæ partes arteriæ magis, aliæ minùs per eamdem diastolem eleuentur.Respiratio his magna est,celer & frequens;an nonnunquam violenta, & suspiriosa:quòd sic affecti magno indigeant refrigerio,& cirâ fuliginum quibus abundãt excretione. Quòd si angustior etiam sit thorax:ea celerior,& frequentior adhuc futura est, suspiriis plerunque intercurrentibus. Ijdem ad iram præcipites,ex eo iratorum sont genere,quos ab Aristotele χαλεποὺς nominari superiùs diximus. Calor enim hos ad irascendum quidem faciles reddit: siccitas autem in eadem perseuerantes,& asperos. Quòd si ea composita intemperies intensior fuerit; ferini mores inducuntur. Atque huiusmodi sunt inuidi, immites, rixarum auidi, & ad furorem proni. Iisdem præ cæteris omnibus pectus maximè hirsutum est,& pilo nigro. Corpore præterea sunt calido, nisi iecoris temperies suâ contrarietate obstiterit. Ac tandem à calidis & siccis quibusque imò & à prohibita transpiratione plurimùm offenduntur:vt à frigidis & humidis maximè recreantur.

c Lib. 1. de causis puls. cap. 4. 9. 10. lib. 2. cap. 13. lib. 1. de præsag. ex puls. cap. 4. 7. & alibi.

d Lib. 1. de præsag. ex puls. cap. 3.

Cor calidius simúlque humidius,si non multùm in calore excesserit:pulsus edit magnos tantùm, magnámque respirationem. Si verò eiusdem auctior sit calor;magnitudini tam pulsûs quàm respirationis,celeritatem & frequentiam addit. Ob humiditatem autem coniunctam his semper pulsus est mollis. Quòd si thorax fuerit aliquantò angustior, quàm cordis calor requireret cùm nequeat facili respiratione eam complere magnitudinem quæ vsui satisfaciat,violentam edet; ad quam plures musculi pro dilatatione thoracis occupantur. Nec non & huiusmodi conatui, celeritatem, frequentiámque coniunget. Sic affecti præterea ad iram sunt proni: sed qui ex animi celeritate statim iniuriam referentes,cùm sibi satisfactum putent,facile placantur. Quos Aristoteles ὀργίλους appellauit. Pectore item sunt hirsuto:sed minùs quàm priores,& molliore pilo. Quòd si humiditas, calorem intensione superet:quia multus fuliginosus vapor generabitur,superioribus pulsûs differentiis, ea singularis inæqualitas adiungitur,in qua systole celerior est diastole;earũ vsu inæqualiter aucto. Nec non expiratio,inspiratione celerior erit. Tandem quia quæ plus iusto humida simul & calida sunt,facilè putredinem concipiunt:cùm quæ putredinem excitare possunt occurrerint;sic temperati,morbis à putredine natis plurimùm erunt obnoxij.

Cor frigidius & siccius,ex duro paruo,& tardo pulsu innotescit. Ex respiratione item in magnitudine,moderatâ,sed rarâ & tardâ. Ex magna irascendi difficultate,ob frigiditatem;quæ tamẽ si accendatur,non tam citò ob siccitatẽ placetur. Ex glabritie præterea pectoris:& cutis siccitate nisi hepatis humiditas eam emendauerit. Cor tandem frigidum & humidum esse, significatur, pulsu medocri in magnitudine,tardo,raro,& molli:respirationéque medioeri,vt generationi spirituum sufficientem materiam suggerat,potiùs quàm vt perfrigerationi & cordis contẽperamento satisfaciat. Hoc ipsum pusillanimitate indicatur,timiditate,& segnitie. Nec non ab irascendi difficultate, & semel concitatâ irâ,mitescendi facilitate. A pectoris item glabritie:cutis ac corporis habitûs mollitie,modò iecoris aduersa temperies contrarium non causet.

Hepar ad iustitiam vt monuimus temperato calidius indicatur:primò ex venarum latitudine.Quę in eo radicatæ,& ad succum alimentatium toti corpori distribuendum destinatæ: licèt ante parenchymatis affusionem efformentur,atque ita temperiei iecoris non respondere videantur. Ideo tamen illius temperaturam imitantur: quòd cùm ex materia fingantur quæ ab vtroque parentum emissa est,& sui principij temperaturam sequitur;illius etiam sanguinis temperaturam æmulantur, qui ad parenchymatis generationem ministratur. Ac quoniam caloris formatrici subseruientis est dilatare:si venæ ex calidiore plurimũque spirituoso semine sint efformatæ latiores etiã effingentur. Accidit tamen aliquando cum venarum latitudine iecur minùs esse calidum;aliâs vero cum earumdem angustia aut mediocritate saltem, illud feruidius esse: quòd cùm parentes dispari temperie fuerint donati,ex semine quidem patris maiori ex parte venæ in his sint conformatæ, ex matris autem sanguine iecoris parenchyma concretum sit. Quare neque hoc signum si solum considere-

tur,ſufficiens eſt calidioris iecoris nota:ſed cæteris conſociatum ad id indicandum inſeruit. Secundò,idem à ſanguinis calore ſignificatur. Qui in hepate genitus,illiúſque temperiem imitatus, ſi calidius ſit hepar,& ipſe calidior futurus eſt:cùm effectus,ſuis cauſis atteſtentur. Sanguinis autem caliditas non aliùdè magìs innoteſcit,quàm ex eius tenuitate,celeri motu,& facili efferueſcentia,nec non ex totius corporis habitùs calore. Corpus enim à ſanguine per riuos quaquauerſum diſperſos irrigatum:talem temperiem ſubit,qualem ſanguini à iecore impreſſam eſſe contigerit.

Modò tamen cor non obſtiterit:ſeu remiſſo ſuo calore,vim influentis à iecore obtundendo : ſeu quòd corpus non tam à iecore quàm à corde calidiore,ſuperincalcat. Vbi miror authores qui ſpiritus naturales in hepate generari,indéque in corpus vniuerſum effundi ſcripſerunt : ab eorum copia caloris hepatis indicium capi non adnotauerint. Nobis enim naturales ſpiritus à iecore influentes negantibus, nulla inde calidi aut frigidi hepatis nota ſuggeritur. Tertiò , flauæ bilis abundantia,calidioris iecoris ſignum eſt. Atque id quidem ex eo quòd cùm excrementitia bilis quæ calida eſt, in iecore generetur , ſi ea abundantiùs citra ciborum facilè bileſcentium immodicum vſum in aliquo colligatur : non poteſt illius copioſior prouentus alteri cauſæ , quàm caloris hæmatoſeos authoris exceſſui imputari. Quoniam verò calor qui à natiuitate intenſior eſt ſenſim per ætatem corpore ad ſiccum vergente,acrior magíſque actiuus euadit : qui in adoleſcentia calidiores bilem flauam multam genuerunt,poſtmodum ætate conſiſtente atram etiam generant. Seu craſſiore ſanguinis portione deuſtâ:ſeu bile flauâ ſuper excoctâ. Quartò , ex fuliginibus ab hepate immoderatiùs calido in proximam cutem exhalantibus,pili multi in hypochondrijs & vmbilicali regione gignuntur. Quintò , calidiore iecore auidiùs chylum per meſeraïcas exſugente , ſegnior redditur plerunque aluus,& ſcybala duriora reijciuntur. Tandem iecur ſic affectum,à calidis cibis, potibúſque offenditur:iuuatur autem à frigidis. Atque ab his quidem ſi talia fuerint potentiâ magìs quàm actu. Nam quæ frigida ſunt actu,exteriùs admota,liberam effumationem reprimentia, calori incrementum addere ſolent.

Frigidioris hepatis ſigna ex contrariis petuntur. Scilicet à venarum anguſtia;paucitate bilis;ſanguine & totius corporis habitu frigidiore,niſi is à corde calefiat;nec non à ventris hypochondrio rúmque glabritie ; & à noxa quam refrigerantium vſus infert. Piruitam autem abundantiorem generari cùm dixit Galenus:[e] ita intelligendnm eſt,vt non de excrementitia dictum putetur , quæ in ventriculo potiùsquàm in iecore ex viſcidiore eduliorum ſubſtantia generatur:ſed de alimentaria, & ea ſanguinis portione quæ perfectam elaborationem in iecore aſſequi non potuit.

e Lib. artis parua, c. 38.

Humidioris iecoris indicia,ſunt,venarum,totiúſque corporis habitûs mollities : niſi cor contrariam qualitatem habitui impreſſerit. Nec non copioſior humidiórque ſanguis. Præterea qui ita ſunt affecti à caloris externi occurſu non difficilè in febres continentes incidunt : ſanguine in maioribus venis vel efferueſcente,vel cùm non facilè ſimul difflatur,putrente. Vnde ſi iijdem vbi incaluerint mox refrigerentur in ſynochum putrem facillimè labuntur.

Siccioris autem hepatis notæ,ſunt,venarum dura quædam inter tangendum apparens renitētia ex ſiccitate contracta. Totius idem corporis habitûs ſiccitas : quam familiaris alimenti ſiccior temperatura muſculoſæ carni communicat. Sanguinis præterea craſſities, quam hepar ſiccius ichoroſam eius portionem imminuens cauſat. Ac tandem ſanguinis minor abundantia : cuius eadem eſt ac craſſitiei cauſa. Non enim ea huius minoris ſanguinis abundantiæ mihi cauſa probatur , quam Sanctorius [f] aſſignat : quòd ſcilicet facultas attractrix cùm in ſicco ob fibrarum duritiem ſit diminuta,pauci ſanguinis generationi occaſionem præſtet. Nam ſiccitas illa fibrarum intra ſanitatis latitudinem conſiſtens,cum temperato calori præcipuo attractionis inſtrumento ſociatur,attractioni potiùs erit auxilio quàm impedimento. Etenim ſiccitas ad quęcumque nixum plurimùm iuuat. Et humida à ſiccis celeriùs ſugi & attrahi experimur.

f In cap. 19. artis parua Galeni.

Hepar calidius ſimul & humidius,ſe primùm ex ſanguinis abundantia , & venarum amplitudine manifeſtat. Temperies enim huiuſmodi,modò victûs parſimonia non obſit;ad primum eſt efficaciſſima. Plaſmatoris autem ſapientia,organa ſingula vſui in quem deſtinantur accommodans : ſi materia venis effingendis deſignata calida ſit & humida,quouiam ſpes eſt ſanguinem ad iecoris parenchymatis ſigmentum inſumendum parem futurum,& parenchyma ſic temperatum copioſum ſanguinem venis miniſtraturum:venas vt copioſo ſanguini continendo ſufficiant,amplas effingit. Secundò iecore ſic temperato hypochondria neque plurimùm hiſpida ſunt,nec glabra. Viſcidæ enim effumationis portio aliqua caloris quidem vi exhalat:non copioſa tamen , quòd multus humor caloris fuliginem generantis igneam vim tetundat. Tertiò hepar cum alimento toti corpori parem ſibi craſim inſinuans , habitum calidiorem & humidiorem molliorémque facit , cùm ipſum calidius fuerit & humidius. Modò tamen cor in corpus vniuerſum per vitales ſpiritus influens , remiſſiore ſuo calore iecoris influxui minùs fauendo , hunc non remore-

tur

tur effectum. Quartò, quia iecur sic affectum multos vapores eósque suaues effundit: ea illorum pars quæ in caput sua leuitate eleuatur, facilem somnum inducit: portio verò quæ in corporis habitum digeritur, aliundè quidem liberè exhalans, ad palmas autem plantásque ob latitendinis densitatem concrescens illas humidas & frequenter quasi exsudantes reddit. Tandem ex Galeno, [g] quoniam quæ calida & humida sunt facilè putredinem contrahunt; iecore has qualitates immoderatiùs participante, humores generabuntur qui facilè putrentes, morbos à putredine ortos excitabunt. Præsertim si calor humiditate minùs increuerit. Quicumque enim humores pro alimentorum varietate generentur in nobis: quia per venas cum sanguine copiosiore effusi minùs perflantur, & ob innati calidi imbecillitatem à caloris remissione natam, aduersantibus causis minùs obsistunt, faciliùs putrent. Contra verò si humiditas à mediocritate parùm excesserit; calor autem magnum incrementum acceperit: humores non ita facilè putredinis labem contrahunt. Heterogenea enim quò remissiore humore perfunduntur, & ab intensiore calore sub vnitate formæ copulantur: eò difficiliùs ab externo calido dissoluuntur.

g Cap. 42. artis paruæ.

Quod verò calidius & siccius est, his se signis prodit. Primò quòd venæ in eo radicatæ & eius temperiem insequentes, sint ob calorem latæ: ob siccitatem autem duræ, scilicet digito comprimenti quadantenus renitentes, & ferro scindenti non tam facilè cedentes. Secundò, quòd sanguis generetur crassus, & ab iecoris exhaustu siccus. Tertiò quòd per ætatem incrementi flauabilis multa generetur: in consistente autem atra succrescat. Quartò, quòd vniuersum corpus siccum sit & macilentum: ob caloris præsertim acritudinem, humidum totius digerentem. Quintò quòd hypochondria sint admodum hispida. Sextò ex fumida exhalatione subacri quæ per cutem effumat: cuius portio in latum tendinem palmarum plantarumque impingens, nec liberè ob densitatem tendinis sub cute extensi euaporans, sicco calore intimas manus, imósque infestat pedes. Postremò, quòd à calidis & siccis plurimùm offendantur: à frigidis autem & humidis recreentur.

Frigidi & humidi hepatis indicia, sunt, venarum mediocris angustia; sanguis ad pituitæ naturam accedens hypochondria glabra; & totius corporis habitûs frigiditas & mollities, nisi à corde ad contrariam naturam transferatur.

Iecur tandem frigidius & siccius, venas habet angustas & duras; paucum sanguinē generat, eúmque fœculentum; hypochondria præterea glabra reddit; & corpus frigidius, nisi ingens cordis calor & fuligines ad hypochondria vsque effundat, & corpus totum calefaciat.

Pulmones calidos dignoscemus, primum ex magna celerique respiratione. Etsi enim illi respirationi inseruiant non tam sui gratiâ, quàm cordis: prout tamen eorum temperamentum euariat, respirationem etiam variari experimur; quia nulla est in nobis pars quæ dum alteri inseruit, sibi etiam prodesse non studeat. Secundò ex siti quæ vel aëris frigidi longâ inspiratione, aut pharyngis crebrâ collutione magìs, quàm potu sedatur. Ac tertiò ex eo quòd calidioris aëris inspirationem ægriùs ferant, frigidum autem inspirantes commodiùs habeant. Vocis autem natiua acuties aut grauitas, lenitas, aut asperitas, magnitudo aut paruitas parùm de pulmonum temperie indicant. Ex eo enim quòd vocis acuties laryngis & tracheæ arteriæ angustiam atque huius simul breuitatem ex Galeno [h] sequatur; vasa autem angusta esse contingat, imbecillo calore instrumentariè saltem ad eorum figmentum concurrente: si alicui vox sit acuta, eumdem frigidos habere pulmones audemus coniectari. Vt contra cùm amplitudo prædictorum organorum grauis sit causa vocis, atque eò magìs quo longior fuerit arteria, & calor ad quoscumque ductus ampliandos conducat: vocis grauitatem caloris indicium esse censemus. Neutrum tamen certum signum est, si solum attendatur: vt ex his quæ de amplitudine & angustia venarum diximus, colligi potest. Lenitas autem vocis, arteriæ, laryngísque internam læuitatem citra particularis alicuius temperaturæ significationem sequitur. Et asperitas, asperitatem inæqualitatémque membranæ internam cauitatem horum ductuum vestientis: seu ab inæquali exsiccatione, seu à dispari humectatione, humidine affluxi disparatâ adhæsione ortam indicat. Inter has tamen causas, sola inæqualitas exsiccationis arteriæ potest esse causa eius asperitatis vocis quæ à natura est: vt Galenus euidenter insinuauit. [i] Magnitudo præterea & paruitas vocis, tum vel ab amplitudine vel angustiâ arteriæ laryngísque nascuntur; tum ex vehementi aut imbecilla efflatione, quæ pro diuerso pulmonum imperu, liberum musculorum thoracalium motum consequente euariat. At reliquæ vocis tam articulatæ, quàm non articulatæ differentiæ, quarum plures morbosæ sunt quàm naturales; causantur vel à glotidis modulationi inseruientis conformatione; vel à neruorum recurrentium, atque eorum qui in thoracis musculos dispserguntur constitutione: vnulæ, palatique affectu: à facili & expedito, aut difficili & moroso linguæ motu: dentium ac primorum præsertim integritate, aut casu: labiorum variâ conformatione: ductûs à pharynge ad nares libertate, aut obstructione; vel à diuersis arteriæ tum dyscrasiis, tum distillationibus

h Lib. de vo. ce. tract. 2.

i Lib. artis paruæ. cap. 4 8

in eam illabentibus; spiritaliúmque partium vlcere, tuberculo, aut vulnere: potiùs quàm à pulmonum vllâ intemperie intra latitudinem sanitatis nobis cognitâ.

Frigidi pulmones respirationem edunt paruam, aut tardam: & à frigido aëre sic offenduntur, vt is sufficiat ad tussim excitandam, vt in praxi docebimus.

Humidi expirationem inspiratione celeriorem edunt: quòd ab his vapores multi emanent, qui non minùs quàm fuligines spirituum tenuitatem vitiant, ni expirando pellantur. Iidem præterea humidiora excrementa facilè colligunt, seu per defluxum, seu per congestionem, quæ incrassata vt plurimùm validiore excreatu aut leni tussi expellunt. Ab his autem per humidas anni constitutiones, tales magis infestantur.

Sicci aucto vsu crebram respirationem habent familiarem: quòd difficiliùs & dilatari & contrahi possint. Ab aquilonia constitutione æquè atque ab æstiuo calore sicco offenduntur: & tussim sine excreatu patiuntur. Nisi humidum etiam habeant cerebrum, cuius excrementa vel expressa à frigore, vel eliquata à calore, & in arteriam deerrantia, & tussim augent & quod inter tussiendum excreetur suggerunt: sed tussi excreatus est impar.

Calidi & humidi pulmones, magnam aut celerem edunt respirationem: sed minorem & tardiorem, quàm calidi tantùm. Per austrinas constitutiones perseuerantes difficilem respirationem patiuntur, in qua crebritatem etiam celeritati addunt. Iidem facilè in peripneumoniam, aut etiam in phthysim incidunt. Atque in hanc quidem: quòd non difficilè putredinem contrahant.

Calidi & sicci, celeri & crebrâ respiratione sibi consulunt.

Sitim notham frequenter excitant. Et per æstatem, post vsum eduliorum potuúmque calefacientium, & exsiccantium, fumóque inspirato importunâ tussi siccâ infestantur.

Frigidi & humidi, paruâ, tardâ, & rarâ respiratione gaudent. Multa excrementa pituitosa colligunt, & facilè in asthma incidunt, deteriúsque hyeme habent.

Frigidi & sicci, paruam & tardam respirationem edunt, ob frigiditatem: sed crebram ob siccitatem, à qua ad minorem tardiorémque edendam quòd difficilè moueantur incitati, coguntur vsui crebritate satisfacere. Aquilonias constitutiones difficillimè ferunt: per quas à sicca tussi vexantur. Qui demùm sic se habent, plerunque in hydropem thoracis ætate procedente incidunt: ob innati calidi imbecillitatem, & vaporum ab abdomine sursum ascendentium dum per thoracem transmittuntur concretionem.

Ventriculus qui temperato tam intensiuè quàm extensiuè, æqualiter & secundùm omnes sui partes, calidior est, & in passiuis temperatus: ex Galeno,[k] meliùs concoquit quàm appetat. Meliùs quidem hoc est promptiùs & faciliùs assumpta concoquit, etiam temperato. Idque ob caloris vigorem, qui concoctionis princeps est instrumentum. Viget autem plus etiam quàm in exquisitè temperato, tum ex propria intensione, tum à sibi familiaris subiecti, calidi scilicet innati fixique spiritûs abundantia, & tunicarum quibus inhæret conuenienti crassitie. Atque is ad coquendum vigor, in duris præsertim eduliis & coctioni plurimùm resistentibus conficiendis apparet. Quæ cùm in huiusmodi ventriculo ab spirituosa eius ἀπoῤῥoίᾳ faciliùs peruadantur, indéque humidum in quo fit elixatio, se in eadem minùs difficulter insinuet: faciliùs etiam quàm in quocumque alio ventriculo elixantur, & in succum chy úmque soluuntur. At quæ molliora sunt, quòd citissimè à tam efficaci calore conficiantur, per moram quam contrahunt superexcocta, corrumpuntur.

Qui verò intensiuè quidem est calidus, à proprij autem calidi exolutione, aut ex membranarum tenuitate, imbecillis est ad vtrumque actiuitatis: & cibo vacuus mollìter appetit, & coctu facillima nidore inquinat, duriora vix immutans.

Quod autem dicitur ventriculum eo quod diximus modo calidiorem, meliùs concoquere quàm appetat: bifariam intelligi potest. Valesius enim,[l] id sic interpretatur vt velit ventriculum ita temperatum imbecillìter appetere: quasi in appetendo & coquendo fieret comparatio ventriculi calidioris cum temperato. Cuius sententiæ ea ratio reddi posset, quòd cùm caloris sit rarefacere & rarefaciendo humida laxare, laxa autem imbecilliùs tendantur: calidioris ventriculi fibras laxiores imbecilliùs tendi, leniúsque corrugari oportebit, atque inde ventriculi appetentiam molliorem & segniorem esse. Nihilominus tamen mallem dictum illud sic exponere, vt ventriculum calidiorem cum seipso non cum temperato comparando, dicamus calidiorem ventriculum plura posse concoquere, quàm ad se explendum desiderare. Ita vt si acciderit sic affectum vltra appetentiam se aliquantulum expleuisse, possit nihilominus quod ingestum est conficere & concoquere, licèt quæ assumpta fuerint duræ sint substantiæ, & quæ in ventriculo exquisitè temperato difficulter coquerentur. Certâ enim experientiâ probamus rusticos non paucos qui Struthiocamelorum instar vehementi illo calore quo gaudent assumpta quæque concoquunt: neque esse ad appetendum tardos, nec sine anxietate, ventriculi vacuitatem & famem ferre. Quæ infirmæ appetendi vi minimè accidunt.

[k] Cap. 62. artis paruæ.

[l] In citat. caput artis paruæ.

cidunt. Quòd verò dicebatur calorem humida corpora laxare, cùm illa ad exsiccationis exclusionem rarefacit: intelligendum est de calore ab extra adueniente, & natiuas temperies corrumpente: vt in his qui à nimio exercitio cum lassitudine incaluerunt, & in febricitantibus adnotamus. Calor enim tam intensiuè quàm extensiuè magnus à natura corporibus impressus debitam fibrarum quarumcumque firmitatem ab eodem subiecto cui inest non excludit. Sed ambo eidem membro inesse, magistrâ rerum experientiâ, in ventriculo, corde, atque aliis membris comprobatur.

Secundò ventriculi à natura calidioris indicium capimus ex calidorum eduliorum appetitu. Vbi, per appetitum, non eum intelligere oportet, quem partibus omnibus viuentibus communem, naturalem appellare possumus. Eo enim singulis inditum est vel id appetere quo exquisita temperies nobis innata conseruatur: vel quo, si hac careamus, propiùs ad eam ducimur. Sic cætera membra quæ natiuam aliquam intemperiem intra sanitatis cancellos conclusam patiuntur, à similibus in deterius seruantur: à contrariis autem recreantur. Sed eum ventriculi appetitum intelligimus, qui tanquam officiali membro competit, & animalis vocari potest. Quo appetito in ea vt plurimùm inclinamur quæ ventriculi natiuæ intemperiei tam salubri quam insalubri, imò & acquisitæ, æquali tamen & singulis heterogeneis eius partibus impressæ similia sunt. Sic calidus ventriculus, calida; & frigidus, frigida auet. Quod non solùm in appetitu consuetorum ciborum & familiarium eduliorum verum agnoscimus: sed etiam in malacia & fœda multorum infantium ac virginum impuberum spontanea appetentia adnotamus. Quomodo autem æquali ventriculi intemperiei similia appetantur, vt intelligamus, sciendum est vacuitatis ventriculi sensum, superiori eius orificio per fibrarum rectarum corrugationem & suctum manifestari: & cum ea contractione ac suctu quemdam à ventriculi substantia spirituosum vaporem exprimi, qui qualitates toti ventriculi substantiæ insitas retinens, earumdem sensum stomachi neruis imprimat. Qui, sensui communi atque inde imaginationi propriæ sensationis speciem repræsentantes, suctum talium qualitatum perceptioni sociatum referunt. Vnde imaginatio qua parte æstimatiua est cognitionem elicit necessitatis cibi vt suctûs fini satisfiat; & cibi sic temperati, vt æquali partis temperaturæ respondeat. Aut contra, alimento aduersantibus qualitatibus insignito opus esse scorit, quando vapor à ventriculo inæqualiter per intemperiem morbosam affecto effusus, molestam sui sensationem stomacho seu orificio superiori eiúsque neruis intulerit. Vtroque verò casu appetitus animalis ad id quod ab imaginatione cognitum est, & quasi ab æstimatiua iudicatum, necessariâ consequutione inclinatur. Atque hinc imaginatio ex oblatis, vel ex his quæ memoria aliâs in vsum venisse suggerit; ab eo vt conuenienti mouetur, quod per sensationis similitudinem temperaturæ paritatem repræsentat: atque in idipsum appetitus fertur, & tota cibi similiter temperati appetentia completur. Sic enim reciprocatis vicibus sensuum internorum & appetitûs actus sibi inuicem variè subordinantur. Hîc tamen meminisse iuuabit, prout quæ internis sensibus obiiciuntur, nobis sub varia occurrunt specie; nec non quatenus ratio inferioribus facultatibus repugnat vel assentitur: magnam appetentiæ alimentorum ventriculi temperaturæ similium, aut aduersantium varietatem; nedum in diuersis, sed in eisdem per varia tempora adnotari: atque ea aliquando placere & appeti, quæ mox eâdem temperaturâ perseuerante displiceant.

Tertiò calidior ventriculus si plurimùm excesserit, olera & dulcia facilè in bilem porraceam conuertit.

Quam non in venis solùm, sed in ventriculo etiam nonnunquã generari, libro sequenti docebimus.

Idem tandem, per æstatem plerunque languet & exoluitur, nec non ab aromatum, generosi vini, & cæterorum potentiâ calidiorum frequentiore vsu offensus, in deteriùs labitur. Ab vsu verò per interualla eorum quæ moderatè refrigerant meliùs habet. Quoniam huiusmodi, natiuam illam intemperiem ne increscat prohibent & persæpè retundunt.

Frigidus ventriculus tam per remissionem caloris, quàm per exolutionem calidi, plus appetit quàm concoquat. Non à frigiditate corrugante, vt accidit in his qui per niuosa iter faciunt. In viuéte enim frigiditas ad caloris temperamentum concurrens semper infirmior est, quàm ab illa formaliter prodire possit actio. Neque item plus appetit propter effusionem humoris melancholici in eius cauitatem. Quoniam licèt appetentia quibusdam inde increscat: non tamen quicumque frigido sunt ventriculo talem esuriginem patiuntur, qualem melancholia in ventriculum transfusa excitare consueuit. Sed plus appetit vt vacuitatis sensui satisfaciat, quàm per caloris imbecillitatem probè concoquere valeat. Præsertim verò eius in coquendo imbecillitas apparet, si quæ dura sunt & difficilè elixando in chylum soluuntur ingesta fuerint. Oportet enim ad cuiuscumque actionis facilitatem, passum minoris esse resistentiæ quàm sit operantis actiuitas.

Qui frigidior est, flatus multos generat, & non mediocrem pituitam colligit. Sed prætereà qui per exolutionem calidi priuatiuè frigidior dicitur, licèt caloris quamdam habeat coniunctam immoderantiam, acidis eructationibus abundat: quas moderatè refrigerantium vsus, ex Tralliano,[m] emendat. m Lib.7.c.14

Tertiò, qua ratione ſuperiùs eſt explicatum, frigida appetit. Quibus etiam recreatur & gaudet, vt apud Galenum legitur, [o] ob ſympathiam: licèt ab eorum vſu, & refrigerantium occurſu offendatur, vt idem Pergamenus habet. Nam intemperies quæ intra ſanitatis limites antea conſiſtebat, morboſa ſenſim redditur.

[o] In artis parua.

Qui ex natiua ſalubríque conſtitutione humidus eſt, non autem humore extraneo ac præſertim ſalſo irrigatus, qualis eſt hydropicorum, minimùm ſitit, diúque potûs abſtinentiam tolerat. Propriâ enim & infirâ humiditate, his quæ ſeu per ſe ſeu per accidens exſiccare ſunt nata, nullo externo humido interueniente, plus alio obſiſtit.

Secundò, non mollia ſolùm edulia, ſed quæ mediæ etiam ſunt conſiſtentiæ, ob exceſſum humiditatis facilè conficit: cùm temperatum calorem humiditati excedenti coniunctum habeat.

Tertiò humidiora appetit alimenta, vt in pari caſu antea eſt explicatum.

Quartò, plus pituitæ generat, quàm temperatus.

Quintò, in lienteriam non difficilè labitur: quòd præ humiditatis exceſſu retentiua eius vis ſit imbecilla.

Sextò demùm, ab humidiorum frequentato vſu laxior redditur, & infirmior: quòd natiuæ intemperiei incrementum adueniens, eam deteriorem reddat. Si quando tamen acciderit eos qui tali ſunt ventriculo vberiùs potaſſe, id citra faſtidium ferri aduertit Galenus, [o] ob temperaturæ ſimilitudinem: ſimilia enim, ſimilium ſocietatem citra moleſtiam ferunt.

[o] Cap. 61. artis paruæ.

Siccus ventriculus, quòd ſemper à calidi in humidum pugnâ magìs exſiccetur, frequenter ſitit, humidi & frigidi appetitu illatæ noxæ prouidens. Sed pauco ſibi potu ſatisfit: quòd breui tempore paruam noxam acceperit. A plurimo autem grauatur: quòd aduerſam natiuæ temperaturæ qualitatem affatim in copioſa materia occurrentem vt inimicam & corruptricem aduerſetur. Atque inde fluctuationibus infeſtatur, hoſtem amplecti refugiens. Tandem ſimilibus potiùs gaudens quàm aduerſis, ſiccioribus cibis delectatur. Quibus tamen vſitatis intemperie increſcente, offenditur. Vt à mediocri humectantium vſu, vel deteriorem conditionem contrahere prohibetur, vel emẽdatur.

Calidus & humidus, optimè concoquit, & chyloſim perfectiſſimè abſoluit, præſertim duriorum alimentorum. Mollia enim & coctu facilia vel corrumpi ſi diu contineat, vel celeriter conficiens breui ſefameſcit. Moderatè ſitit. Quantum enim à ſiti humiditatis exceſſus detrahit, tantùm caloris exceſſus per accidens exſiccans infert. Præ cæteris tamen longam & frequentem potationem admittit. Calidos & humidos cibos qua ratione dictum eſt appetit. A calidis tamen offenditur: non item ab humidis. Sed à mediocriter refrigerantibus, & ab his quæ in paſſiuis temperata ſunt maximè iuuatur.

Qui calido ſunt & ſicco ventriculo, voraces ſunt, & ſtibundi, licèt magnos hauſtus non commodè ferant, frequentes tamen expoſtulant. Dulcia omnia, pinguia, & mollia, vel in bilem vertunt, vel aſſando nidorulenta reddunt. Iidem nidoroſos flatus plurimos generant. A temperatè frigidis & plurimùm humectantibus maximè iuuantur: licet calidis & ſiccis delectentur.

Frigidus & humidus ventriculus, ad coquendum æquè atque ad appetendum eſt admodum imbecillus. Qui ſi per exolutionem calidi æquè atque per remiſſionem caloris ſit frigidus, à mediocri etiam ciborum mole grauatur & dolet. Minimùm ſitit, potúmque frigidum non innoxiè admittit. Copioſiorem cæteris omnibus pituitam generat. Qui præterea ſic affectus eſt, lienteriæ plurimùm eſt obnoxius. Nam vt docet Galenus, [p] in humidioribus & frigidioribus inſtrumentis retentiua vis imbecillis eſt. Demum ventriculus ſic temperatus licèt frigida humidáque appetat, ab his tamen maximè offenditur: & moderatè calida ſimúlque ſicca illi magno ſunt adiumento.

[p] Lib. 3. de ſympt. cauſis. c. 3. ad finem.

Frigidus & ſiccus, vtriuſque qualitatis vitio ad elixationem aſſumptorum ritè obeundam ineptus, imbecillus eſt ad coquendum. Idem multò plura appetit (quòd ad corrugationem fibras admodum habeat obſequioſas) quàm coquere valeat. Minùs ſitit quàm ſimpliciter ſiccus: ſed importunior illi eſt copioſus potus, præſertim ſi is frigidus fuerit. Cibos ſimilis temperaturæ appetit: ſed eorum vſu continuato offenditur, vt moderatè aduerſantium frequentato iuuatur.

Lien calidior, copioſiorem chyli fœculentiam attrahit. Quam attenuando, eiúſque reliquias in halitum digerendo, momentaneas tenſiones leuéſque dolores in hypochondrio ſiniſtro per interualla excitat. Decumbentibus in ſiniſtrum latus caloris quamdam moleſtiam infert. Internas hæmorrhoïdes melancholiæ reliquias expurgando nonnunquam procurat. A moderato refrigerantium vſu recreatur, vt ab immodicè calefacientibus læditur.

Frigidus lien, ad attrahendum lentior eſt. Cuius vitio accidit ſanguinem fœculentâ illuuie inquinari. Ad eam autem craſſioris chyli partem quam attrahit attenuandam & digerendas aut expellendas inutiles reliquias ſegnior, obſtructionibus redditur obnoxius. A ſimilibus eius intemperies intenditur. A contrariorum autem mediocri vſu remittitur.

Humi-

Humidus, ad attrahendum non ineptus, sed ad expellendum tardus, nonnunquam infarcitur. Quod grauitate & tumore læui hypochondrij significatur. Ibi verò semel congestus humor difflari cùm nequeat, phlegmonosos affectus infert aliquando. A quorum autem occursu & vsu, meliùs aut deteriùs habeat, pariter atque in præcedentibus explicatum est intelligatur.

Siccus, hypochondrium sinistrum comprimenti tenicitur. Fœculenti succi reliquias exficcando crassiores reddit. Quas in mesenterij vasa ad expurgationem transmittens, crassiores cùm sint nequeunt angustiores illas venas peruadere, & in meseraeo obstructiones pariunt, melancholiæ hypochondriacæ occasionem præparantes. Similium vsu siccescens magis, grauiùs læditur: ab humectantibus autem eius virium sensim corrigitur.

Calidus & humidus, quod reliquum est post fœculentam chyli portionem ad debitam sanguificationem attenuando præparatam, commodè in halitum digerit. Quia verò ab ambientis frigore libera illa transpiratio illi necessaria impeditur: per accidens inde & plus solitò incalescit, & in phlegmonosos affectus incidit. Ab vsu tamen assumptorum modicè refrigerantium & in passiuis temperatorum plurimùm iuuatur.

Calidus & siccus, fœculentam chyli partem potenter attrahens, efficit quidem vt sanguis qui in venis concluditur tenuior fit: sed quod attraxit impentiùs excoquens, fuliginosis exhalationibus per arterias præsertim corpus variè inquinat, & molestorum symptomatum melâcholicorum est authot. Flatus siccos ex reliquiarum attenuatione multos generat, & rugitus in sinistro hypochondrio frequentes mouet. A calefacientium & exficcantium occursu ac frequenti vsu deteriùs afficitur. A modicè autem refrigerantibus & plurimùm humectantibus, in meliorem statum conuertitur.

Frigidus & humidus, defectu attractionis sanguinem crassiorem reddit: obstructiones tumorésque ex infarctu paritur. A frigidis peiùs habet. A modicè calidis & temperatis in actiuis meliùs.

Qui frigidus tandem & siccus est, non solùm sanguinis crassitiei maximam occasionem præstat: sed præterea obstructiones & schirros seu tumores duros facili ex causa patitur. A frigidorum & siccorum vsu, in deterius ruit: à contrariis virium eius emendatur.

Renes calidi, vrinam coloratiorem reddunt & substantiâ tenuem. Serum copiosiùs attrahunt: cui in impuro corpore cum excrementitius aliquis succus ex venis effluens permiscetur, vrinæ etiam crassæ redduntur. Supinum decubitum importunè ferunt: quod incalescant hinc magis. Iidem à cæterorum calefacientium vsu seu tegumentorum, seu ciborum & potuum, vti & ex mora ad ignem, aut ab insolatu peiùs habent: victûs autem rationem modicè refrigerantem salubriùs ferunt. Nam ab ambientis etiam algore, transpiratione impeditâ, per accidens offenduntur.

Frigidi, ex sibi familiari viarum angustia, calorísque remissione, tenuem vrinam effundunt, & vt plurimùm aqueam. A moderato calore recreantur: à frigore vero grauiorem noxam incurrunt.

Humidiores, ad seri attractionem, nec non ad excrementorum sero admixtorum expulsionem sunt tardi. Vnde, si crassi aut viscidi humores cum sero confundantur, facilè obstructiones patiuntur. Ab his quæ plurimùm humectant imbecilliores redduntur: à moderatè autem exficcantibus robur acquirunt.

Qui citra vllum conformationis vitium ficciores sunt, non imbecilliter attrahunt, & potenter expellunt. Si quæ illis hæreant, ea breui exficcant. Vnde ad arenularum procreationem sunt procliues. Ab his quæ seu per se seu per accidens exficcant, malè habent: à modice autem humectantibus in meliorem statum reuocantur.

Calidi & humidi, ad attrahendum efficaces, ad expellendum autem segnes, crassas vrinas plerunque emittunt, & calculo præsertimque tophaceo generando facilem occasionem præstant. Causâ enim efficiente & sine qua non concurrentibus, sola materia ad illius generationem requiritur. A calefacientibus nimiúmque humectantibus offenduntur: à moderato vero contrariorum vsu iuuantur.

Calidi & sicci, ad attrahendum sunt vehementes, neque ad expellendum segnes: & in diabetem procliues, si errore aliquo natiua eorum intemperies plurimùm increscat. Arenulas plurimas rubras minutulásque generant. Quæ calefaciunt & exficcant his nocent: vbi etiam plurimùm refrigerantia exteriùs eorum regioni admota. Humectantia vero illis vtilia sunt, & quæ modice refrigerant.

Frigidi & humidi, ad serum attrahendum imbecilles, & ad expellendum tardi vrinam paucam fundunt, eámque sero lactis tenuitate & colore plerunque respondentem. Multa congerunt à quibus obstruantur, & calculos aliquando generent. Non ab actuali frigore densante sed à remisso calore quod tenuius est sensim digerente, & quod residuum est indurante. Contraria, sed temperata, illis sunt amica: similia vero infesta.

Frigidi & sicci, minùs sunt ad expellendum quàm ad attrahendum segnes. Si quæ crassa excrementa & viscida congerant, eadem potentiùs indurant.

Quòd

Quòd si hi per exolutionem proprij calidi, per veneris vsum musculo psoas hinc inde superexcalefacto eam exolutionem procurante, frigidi & ad imposita sibi munia imbecilles euaserint, calculos solutu difficillimos generare consueuerunt. A calidis frigidisque ijdem læduntur: ab humidis verò quæ in actiuis temperata sint commodè habent.

Testes calidi agnoscuntur, primùm ex magnitudine, quòd calidiores plus alimenti attrahentes maiores etiam reddantur. Tum ex proclinitate ad coïtum & cita eiaculatione: quòd semen quò calidius est eò ad orgasmum & motum fit magis habile. Tertiò ex seminis fœcunditate, quòd id in testiculis calidis probè sit excoctum, nec paucum generetur. Ac tandem quòd pubes maturè pilis vestiatur, & coxis pili adnascantur.

Frigidi, minores sunt. Et quibus testes sic afficiuntur ad coïtum & eiaculationem sunt tardi. Semen liquidius & inconcoctum generant: tardéque pubescunt, & penè circum genitalia atque in coxis visuntur glabri.

Humidi, molles sunt, multo abundant semine: atque his pili qui genitales partes circumstant rari sunt ac molles.

Sicci, firmiores sunt: ijdemque paucum sed crassum semen generant. Atque sic affecti vicinarum partium pilos siccos & duros habent.

Calidi & humidi, magni sunt & molles, copiosúmque semen generant. Et qui sic affectos habent dydimos non sunt admodùm veneris appetentes: ob seminis acritudinem titillantem, ab excellente humiditate retusam. A coïtu tamen minus exoluuntur. Imò si calor humiditásque plurimum excesserint, à coïtûs abstinentia offenduntur: nisi ieiuniis, aut venæ sectione plethoricum habitum imminuerint. Aliàs enim copiosiore semine minùs liberè transpirante & malam qualitatem induente multiplices consequuntur noxæ. Ac tandem qui testes sic temperatos habent, ob minorem fuliginum copiam, minùs sunt temperatis hirsuti: ab humiditatis excessu, largâ fuliginum generatione impeditâ.

Testes calidi & sicci, sunt aliis duriores. Crassum semen generant, & maximè fœcundum: quoniam quod crassius, idipsum etiam viscidius est; atque hinc vtero facillimè adhæret. Sic autem affecti sunt ad venerem proni, & ad eiaculandum prompti. Semen enim horum subacre quidpiam sapiens, ad titillantem illam veneris pruriginem excitandam aptissimum est. Quia tamen huiusmodi facilè exoluuntur, coïtum non sine noxa frequentant. Iidem tandem quia minimùm differunt copiosas fuligines effundere: præ aliis etiam citissimè hispidi fiunt; sursum quidem ad vmbilicum, deorsum verò ad media femora vsque.

Frigidi & humidi, aquosum & inconcoctum, atque ideo infœcundum semen generant. Ad venerem, & difficilè, & tardè sic affecti feruntur. Et rarâ molique pube penè circum genitalia sunt glabri, ob fuliginum paucitatem.

Frigidi demùm & sicci, minimi sunt & subduri: paucum, sed crassum semen, vixque fœcundum generantes. Nec non qui eâ parte sunt ita temperati, ad eiaculationem sunt tardissimi: & rari pili quibus eorum pubes vestitur duriores sunt.

Vterus, & annexi testes illius temperaturæ æmuli, confusis indicibus sic sibi innatam temperiem produnt.

Calidus vterus citò prurit, & mulierem ad venereorum appetitum inclinat: quam quò sæpiùs frequentauerit, eo lasciuiet magìs. Sic affectæ multo abundant semine, ad cuius eiaculationem sunt promptæ, illúdque quasi vibrando foras aliquando eiaculantur. Eædem ad concipiendum sunt faciles, modò vehementior non sit caloris excessus: & citò pubescunt.

Quæ frigido sunt vtero, ad venerem sunt minimùm procliues; ad eiaculandum tardæ: paucum & inconcoctum semen generant: & tardè pubescunt.

Humidi vteri & testes, mulieres molles reddunt ad venerem: faciunt vt humidum semen generent, conceptus facilè perdant, & rarâ mollique sint pube.

Sicci, prurientes efficiunt. Quæ cùm paucum semen generent, illúdque tardè eiaculentur: citâ venere irritantur, nec nisi prolongatâ delectantur, difficilè concipientes. Earumdem pili ad pubem apparentes, minùs aliis sunt molles.

Quæ calidum & humidum habent vterum ac testes, semen multum generant: veneris prurigine moderatè tentantur: non difficilè concipiunt, sed facilè abortum patiuntur: & pilos ad pubem habent molles.

Quibus verò calidus est & siccus, salacissimæ sunt, lassandæ potiùs quàm satiandæ. Non multum semen generant, sed pro sexus conditione crassum. Difficillime concipiunt: si tamen aliquando conceperint, vix possunt etiam volentes fœtus immaturos excludere. Ac tandem pilis ad pubem & inguina abundant.

Quæ vtero frigido sunt & humido, à venereo pruritu minimè omninm infestantur. Liquidum &

quasi aqueum femen generant:ad conceptum ineptæ,si prædictæ qualitates plurimum excefferint. Quæ verò remiſſiùs affectæ aliquando conceperint,leui ex cauſa abortiunt. Eædem demùm ad pubem glabræ ſunt.

Quæ tandem frigido & ſicco ſunt vtero,parùm ſunt ex ſe ad venerem procliues: ſed excitatæ eâ plurimùm delectantur:conceptúſque commodè retinent. Verùm ſi frigidiores ſint,paucum ob ſiccitatem,& inconcoctum ob frigiditatem ſemen generantes,non concipiunt.

Singulis demum commune eſt,à ſimilium vſu auctâ intemperie offendi : in contrarium verò alterantibus,modicè quidem ſecundùm qualitates actiuas,& efficaciùs ſecundùm paſſiuas, recreari.

Quot modis quidpiam dicatur calidum, frigidum, humidum & ſiccum: & qui ſint primarum qualitatum principes effectus.

Capvt. XI.

Cvm ad Medicum pertineat hominem non in ſe, ſed vt ſanum vel ægrum contemplari : non ſolùm eumdem humani temperamenti,imò & cæterorum etiam quæ ad tuendam aut acquirendam ſanitatem nobis vtilia ſunt,cognitionem habere neceſſum eſt. Ad quam vt artificioſâ methodo perueniamus,principio addiſcendum eſt,quot modis ea quæ nobis ſunt vſui : calida,frigida, humida aut ſicca eſſe dicantur : & qui ſint primarum qualitatum principes effectus, per quos primas qualitates in vnoquoque eminentes deprehendamus. Calida ergo,frigida, humida & ſicca ex Galeno [a] quædam energiâ & actu talia,quædam potestate dicuntur. Actu autem quidpiam eſt ex Ariſtotele, [b] quod vel per inexiſtentem formam tale eſt, vel per operationem. Atque eò magis à Medicis ea per exemplum calida actu vocantur,quæ & formalem calorem in ſe habent, & à nullo extrinſeco ad agendum præparata quod illis admouetur calefaciunt. Quæ verò ſic actu calida ſunt ex eodem Galeno [c] bifariam dicuntur:vel quòd excellenter & ſummè talia ſint,quod ſolis elementis conuenit:vel quòd per exuperantiam dicantur,ex eo quòd qualitas à qua denominationem capiont,contrariam ſibi coniunctam excedat & ſuperet. Hoc autem vltimum, iterum dupliciter dicitur. Primò abſolutè quatenus tale aliquid in ſeipſo conſideratum,huiuſmodi qualitatem habet formaliter ſuperantem ſibi contrariam. Ita lapis ſiccus dicitur, quòd formaliter plus habeat ſiccitatis quàm humoris. Qua viâ,qualitates rebus ſingulis inexiſtentes à philoſophis ſolent expendi Secundò dicitur comparatè atque id variis modis,quemadmodum ante [d] fuit explicatum: maximè verò ad temperatiſſimum hominem factâ comparatione Qua poſteriore ratione, Medici vt plurimùm ſingulorum temperamenta examinant,tum hominum,tum etiam medicamentorum. [e] Calida,frigida,humida & ſicca ea appellantes; quæ corpus humanum calefacere, refrigerare, humectare,aut exſiccare poſſunt : & vt addit Galenus , [f] ad optimum hominis temperamentum collatione factâ. Iterum quod actu calidum dicitur,ex Ariſtotele, [g] tale eſt per ſe, vel per accidens. Per accidens quidem calidum nuncupatur , quod cùm à natura calidum non ſit , ab alio calefactum eſt. Per ſe verò id calidum vocatur, quod à propria natura plus caloris habet,quàm frigoris:& calidius ex eodem Ariſtotele id appellatur, vel quod refrigeſcit lentiùs vel quod liquabilis liquantius eſt, & rei cremabilis cremantius eſt. Potentiâ, calida, frigida, humida , aut ſicca eſſe dicuntur, inquit Galenus [h] quæ cum id nondum ſint,facilè id fieri poſſint. Quod, non eodem modo ab omnibus explicatur. Nonnulli enim,vt videre eſt apud Conimbricenſes , [i] quaſdam potentiales qualitates imaginantur à primis differentes,primarum tamen productrices: quæ cum tactum lateant, efficientiâ innoteſcunt. Alij fictitias illas potentiales qualitates,& perperam introductas eſſe cenſentes : ea potentiâ calida,frigida,humida,& ſicca appellant; quæ cum in actu ſecundo calida, aut frigida minimè ſint,id eſt non ſtatim calefaciant admota;nec in primo quidem actu talia exiſtimentur, id eſt nullam huiuſmodi qualitatem ſibi formaliter inhærentem , ne in profundo quidem latentem habeant : apta tamen ſint hanc illámue qualitatem à calore noſtro mutuari , prout ſingulorum ſubſtantia,huius vel illius qualitatis magis eſt capax. Ita vt velint quæ potentiâ calida dicuntur, nullum quidem in ſe habere calorem,ſaltem frigori eminentem: ſed à calore noſtro tantum calorem accipere quanto indigere conijciantur ad eam producendam calefactionem , quam ad actum reducta conferunt Atque idem de frigidis,humidis & ſiccis affirmarunt. Ab eodem autem animantis calore. Quædam remiſſiùs,alia intenſiùs calida aut frigida reddi; prout cuiuſque materia ad maiorem vel minorem calorem,aut frigiditatem concipiendam eſt natum. Quæ fuit Galeni ſententia, [k] quoad calorem ſaltem. Montanus [l] eum ſequitur,qui tamen quod ad frigiditatem pertinet, à Galeno diſſentit. Et inquit ea quæ potentiâ frigida dicuntur, ideò frigida appellari,quòd licèt omninò frigore exuta,quia tamen à noſtro calore difficiliùs ſuperantur , & calorem reſiſtendo retundunt ,

a Lib. 3. de temp. cap. 1. lib. 2. de facult nat cap. vlt & lib. 1. de ſimpl. medic. facultat. cap. 1.

b Lib. 9. metaph. tex 11.

c Lib. 1. de temp. cap. 6. 2. eiuſdem. c. 1. & 3. de ſimpl. medic. facultat. c. 2.

d Cap 2.

e Gal. lib 3. de ſimpl. medic. facult. c. 9

f Lib. 4. de comp. med. per gen. c 6.

g 2. de part. anim. cap. 2.

h Lib. 1. de temp. c. vlt. 3. eiuſd. c. 1.

i Lib. 2. de gener. cap. 2. q. 2. art. 2.

k 3. de temp. cap. 2. lib. 2. de ſimpl. med. fac. cap 23. & ab. 1. eiuſ. cap. 20.

l In 1. fen. 1. doct. 3. cap. 1. & 1 parte ſua med. c. 21

nos

nos per accidens refrigeretur. Verùm neutrum nobis placere potest: nec quod de calidis à Galeno profertur, nec quod de frigidis Montanus imaginatur. Plurimùm quidem, quia calidorum medicamentorum plurima inueniuntur, quæ assumpta, nos calidiores quàm essemus reddunt, & nostrum calorem intendunt. Imò & nos vehementiâ caloris interimunt. Qualia sunt caustica, & vrentia pharmaca. Fieri autem nequit, à remissiore calore intensiorem produci; cùm nihil possit quidpiam se perfectius generare: neque vllam qualitatem quam nec formaliter nec eminenter in se contineat in alio introducere. Materiæ verò conditio, id quidem tribuere potest patienti, vt promptiùs, vel tardiùs vim agentis admittat: sed vt ad eum qualitatis gradum deducatur, qui intensior sit quàm in agente fuerat; fieri nullâ ratione potest. Tales enim maioris intensionis gradus, per se & sine efficiente emergerent. Quod concipi nequit. Neque ille difficultati satisfaceret, qui diceret, ab agente vniuersali vim particularis agentis suppleri, ob aptitudinem patientis. Etenim cùm eadem aptitudo antea in patiente inueniretur, quàm infirmiori agenti fuisset approximatum: idem vniuersale agens, debuerat antea deficientis particularis agentis actiuitatem, in materia præ dispositâ suppleuisse. Quòd si qui in nobis est calor, calorem potentiâ calidorum, seipso intensiorem reddere non possit: multò minùs frigiditatem, humiditatem, & siccitatem producet, in his quæ potentiâ frigida, humida, aut sicca esse dicuntur. Frigiditas enim calori contraria, quomodo à calore produceretur & cùm singula soleant, à sibi similibus ortum ducere, neque humiditas nec siccitas poterunt à calore produci; cùm is, alterius pIarè sit rationis & essentiæ. Quæ autem frigida, humida, & sicca potentiâ esse dicuntur, non possunt huiusmodi qualitates sibi actu superuenientes, ab alio accipere, quàm à calore nostro; à quo, in actum deduci à quibusque conceditur. Quod ad Montanum verò pertinet, qualitates actiuæ non ita retunduntur, vt securis aut gladij acies si in dutius quidpiam impinguatur; sed sola reactione patientium remittuntur. Non ergo calor qui in nobis est remittitur, non superando: sed quia à frigido reparitur. Alias toties animantis calor remitteretur, quoties calida etiam pharmaca & venena, superare, & sibi assimilare non posset: qui tamen eousque ab his plerunque intenditur, vt præ vehementia incrementi quod ferre natura non potest, mors consequatur.

m Paradoxo 1. prima decadis.

Goubertus m nonam quamdam sententiam introduxit mille ambagibus illaqueatam. Dum inquit, piper & cætera huiusmodi, non solâ potentiâ & in futuro tempore, sed actu quoque calida esse, & iam inexistentem calorem in se habere: quòd talia in mixtione plus ignis quàm cæterorum elementorum (si non mole saltem efficientiâ) contineant. Illis tamen omnibus nos verè & tactu iudice, calidiores esse. Accidit autem inquit, ea à nobis tangentibus minimè calida sentiri: non ex eo quòd eisdem calidiores simus, quoniam si quando ea ore contineamus, aut in penitiora corporis talia ingeramus, eadem calida & acria esse percipiamus: sed quia externarum partium cutis, internarum iudicium obscurat. Licèt autem nos illis calidiores simus, atque ea per nostrum contactum calidiora reddantur: ea ipsa tamen nos vicissim calefacere addit, non quidem ad suam vim exarandam à nostro calore adiuta, sed sui caloris facta ad nostrum accessione. Quod insinuatum à Galeno videtur. n Quæ sententia quosccumque habeat authores, quot falsa & à communi philosophorum sententia aliena cõtineat, qui diligentiùs examinauerit leui negotio intelliget. Licèt enim hæc calida esse in actu primo fateamur: quis tamen inuenietur, qui eadem actu secundo calida admittat. Nam ea manu tangentes, frigida sentimus. Cutis autem manûs, vt iam antea insinuatum est, & alibi suo loco probaturi sumus, verum est tactûs organum, & qualitatum exuperantium certus iudex. Præterea quis nos causticis calidiores esse persuaderi poterit? cùm illa nos vrant, escharámque in nobis faciant: quæ non solùm ingentis siccitatis, sed vehementis etiam caloris sunt effectus. An forsan persuadere nobis posset Joubertus, ea à quibus incendimur, & pro vstionis vehementia ad furorem aliquando ducimur, nostro calori comparata tepere. Cùm autem quæ minùs calida sunt, à nobis calidioribus calida sentiri profitetur. An non aduertit, id contra omnem experientiam esse, qua constat si quando minus calida tangimus, nos ea frigida reputare. Quod verò sequitur, calida medicamenta à nobis, & nos ab illis vicissim calefieri; his nihil ad calorem sibi insitum explicandum, à nostro calore passis. Tacitam contradictionem admittit. Cùm enim inter agens & patiens eiusdem speciei non detur actio nisi à proportione maioris inæqualitatis: idem, alio simul & calidius esse, & minùs calidum necessariò sequetur. Quæ si præterea vt nos calefaciant nostri caloris actiuitate non indigent; cur pyrethrum, piper aut euphorbium, folio lactucæ superposito, illud non calefaciunt? Cur cantharidum, vase vitreo inclusum; vitrum nihilo calidius reddit? Tandem quid illud est, nos caloris minùs calidorum accessione ad nostrum, calidiores reddi? An quod noster calor in modum quantitatis (quæ minoris etiam molis additione increscit) alterius caloris licèt remissioris accessione intendatur. Sed eâ ratione possumus quidem habere plus calidi: calidiores autem euadere non item. Nihil enim seipso aliter calidius redditur: quàm vel ex maiori eiusdem qualitatis inexplicabili radicatione in subiecto, vt quibusdam placet: vel ex intensiorum graduum & nouæ cuiusdam entitatis additione in eadem subiecti parte.

n Lib. 5. de simpl. med. facult. cap. 11.

Quorum

Quorum neutrum illa remissioris caloris ad nostrum accessio facit.

Quare prædictis omnibus opinionibus longè valere iussis; dicimus ea potestate calida, frigida, humida & sicca esse, quæ cùm tales accidentales formas in se verè & actu primo contineant, impediuntur tamen, vel ab aëre ambiente, vel à proprij corporis crassitie, & compagine vim sibi inexistentem ad actionem deducere: nisi priùs, alterius agentis ope ab impedimentis liberata, suo iuri restituantur. Quæ ideò potestate talia esse dicuntur, quòd in potentia sint, vt eam quam mox explicabimus alterationem passa reducantur ad actum secundum, qui operatio dicitur. Quæ vt intelligantur sciendum est, cùm omnia mixta, suæ mixtionis conditionem redoleant: quæ sensu simplicia apparent, eadem tamen ex Galeno,[o] verè sunt composita. Habent enim in se diuersæ substantiæ portiones varias, quæ differentium miscibilium ex quibus coalucrunt, substantiæ modum & qualitates quadantenus retinentes: non diuersarum solùm, sed aduersarum etiam plerunque sunt facultatum. Vt in rhabarbaro, rosis, opio, & consimilibus plurimis, experimento comprobamus. Vtque singulorum dispar est mixtio: ita in his calidorum miscibilium, in illis frigidorum vis multifariam superat sæpiùs quàm moles. Quia verò heterogenearum substantiarum ille concursus, sub vna corporis mole coërcitus: non antè patitur, singulas facultatum sibi insitarum vim explicare, quàm totius compactæ molis facta sit dissolutio. Omnia nobis tangentibus talia esse apparent, qualis extima eorum superficies ob peregrinam dispositionem ab ambiente impressam, est reddita. Quæ ex Galeno,[p] non permittit mixta tangentibus genuinam illam facultatem repræsentare quæ à singulis, solutà heterogeneitate, sponte emergeret. Singula ergo huiusmodi etsi per minimas sui portiones non sint æqualiter temperata: habent tamen vnam aliquam eminentiorem facultatem, pluribus vel paucioribus suæ substantiæ portionibus efficacioris actiuitatis inhærentem: à qua cuiusque temperatura denominationem accipit. Vel aliquando ex æquali variè temperatarum partium concursu, facultates admodum differentes apparent in eadem æqualitate concurrentes: quæ pro diuerso tamen subiectarum partium substantiæ modo, non eodem tempore se produnt. Sic rhabarbari epota substantia primùm purgat, mox adstringendo intestina roborat. Et opium primò soporem inducit, postmodum pruritum excitat. Pyrethrum ergo potentiâ calidum: cicuta potestate frigida; thermalis aqua, sulphurea, aut marina potentiâ sicca; & malua potestate humida: verè in se calorem, frigus, siccitatem, & humiditatem, mediocritatem excedentes continent: non tamen per totam sui substantiam diffusas, sed in quibusdam pluribus vel paucioribus suæ substantiæ portionibus heterogeneis efficacioris actiuitatis inhærentes. Quarum vi, vel à maiori mole sibi adnatæ substantiæ alter temperatæ, vel ex intimo eo nexu quo heterogenea simul cohærentia mixti vnitatem tuentur, vel quomodocumque ab ambiente, emergere prohibitâ: quia non statim operantur, actu talia aut talia esse negantur; qualia potestate esse feruntur, quòd aliquâ præparatione illis interueniente, hoc illóue modo nos alterent. Quorum singula secundùm aliquid sui formaliter talia, qualia potestate esse dicuntur; sed in potentia ad actum secundum & operationem: non aliter reducuntur in actum, & apta redduntur corpus nostrum alterare, quàm vt in frigidis medicamentis fieri docuit Galenus,[q] & in calidis aliquando[r] insinnauit: & animaduersum ab Auicenna legitur.[s] Assumpta enim aut admota, quæ à calore nostro liquari, minui, aut attenuari possunt: sic dissoluuntur, vt heterogeneæ eorum partes antea mutuâ coïtione ligatæ, seu in integrum seu ex parte ab inuicem discernantur. Quæ sui iuris, & ab ambiente non ampliùs impeditæ, pro innatæ sibi qualitatis efficientia, partes quas adeunt alterant, & immutant. Ac nonnulla quidem leuiùs, alia potentiùs operantur: non solùm pro varia assumptæ admotæue materiæ copia, crassitie, aut tenuitate: sed etiam pro cuiusque actiuæ qualitatis intensione dispari. Quæ doctrina heterogeneitatis partium in mixtis, & necessariæ dissolutionis earumdem, ad efficaciter agendum: ab Hippocrate tum insinuata legitur, cùm[t] inquit. Inter cunctas autem facultates, languidissimam esse existimo frigiditatem & caliditatem: ob has sanè causas: dum enim consociata inter se fuerint frigidum ac calidum nequaquam affligunt (temperamentum enim & moderatio nascitur frigido à calido, & vicissim calido à frigido) vbi verò secessionem vtrumque fecerit, tunc affligit.

Inter ea demùm quæ seu potentia, seu etiam actu calida, frigida, humida, aut sicca dicuntur: cùm alia, aliis, magis aut minùs talia, sensu rationéque probentur: quibus intensionis ordinibus inter se distinguantur: explicandum postremò relinquitur. Quosdam enim esse intensionis ac remissionis qualitatum limites, infra & supra quos consistere natura non patitur: vulgari Philosophorum consensu comprobatur. Ac minimum quidem intensionis, non aliud est, quàm cuiusque qualitatis principium inexistentiæ. Maximum verò, est summum illud incrementum, vltra quod naturæ viribus intendi qualitates nequeunt. Inter illud autem minimum & maximum, varias esse stationes, maioris aut minoris intensionis indubitatæ veritatis est. In quibus constituendis, & determinandis

o Lib. 3. simpl. c. 14. & 16

p Eodem 1. simplic. c. 21.

q Lib. 3. de simpl. med. facult. cap. 18. & 20.

r Lib. 1. de simpl. med. facult. c. 21.

s Lib. 2. Canon. 2. cap. 2.

t Lib. de prisca med. circa medium.

w Lib. 1. de antid cap. 2. facult.cap.1 7

a Galenus lib 1 de compositione medicamẽtorum per genera cap. 1. quædam pharmaca calorem tepidum generant corporibus nostris admota, quædam moderatum, quemadmodum alia huc paulò validiorem, nonnulla iam sic feruentem vt vrere possint.

x Lib. 5. de simpl. med.

y Parte 3.c.13

z Lib. 4. de simpl. medic. facultat.c.18.

Medici à Philosophis dissentiunt. Philosophi enim totam eam latitudinem possibilis intensionis octo gradibus definiunt. Quorum præterea singuli ita diuisibiles sunt, vt illorum non solùm principium, medium, ac finem distinguamus: sed quodlibet horum, in maius & minus, in infinitum (syncathegorematicè) partiri possimus. Vnde accidit, particulares intensiones qualitatum in mixtis, proprijs & præcisis limitibus definiri non posse. Atque ideò Galenus,[w] qualitatum gradus verbis explicari non posse asseruit.[a] Medici verò cùm omnia sub ea sola ratione contemplentur, quâ hominem alterare & immutare sunt nata: latitudinem non realis intensionis qualitatum, sed solius actiui excessûs supra humanum temperamẽtum apparentis, quatuor ordinibus gradibúsue definire consueuerunt. De quibus sic Galenus loquitur.[x] Porrò per vnumquemque excessum quatuor posuisse ordines quod ad vsum spectat sufficit: calidum quidem nominantes primi ordinis quod nos excalefacit, non tamen euidenter, verùm vt opus sit insuper aliqua demonstratione rationali. Sic frigidum, humidum & siccum. Quæ verò manifestè aut calefacere, aut frigefacere, aut humectare aut desiccare possunt: ea secundi ordinis dicantur. At quæ iam vehementer quidem, non tamen summe, tertij. Quæ autem adeò excalefacere possunt, vt escharam moliantur & vrant, quarti. Sic quoque quæ vehementius refrigerant, adeò vt extinguant & ipsa quarti sunt ordinis. Exsiccantium autem nullum est quod summè exsiccet, quin & ipsum vrat. Quod vltimum à Galeno dictum, ita audire oportet: vt nihil promptè exsiccare in summo valeat, quod item non vrat. Quædam enim sunt, quæ etsi lentiùs, non vrendo tamen summè exsiccant. Sic terra multa sibi credita in puluerem reducit. Ea autem sicca sunt in quarto, vt docet author libri de oculis[y] apud Galenum quæ compaginem omnem vnionémque corporum soluunt. Inter humida verò an aliquod quarti ordinis habeatur controuersum est. Quod licet plurimi negent, alij tamen affirmare possent, ea huiusmodi ordinis humectantium esse, quæ ingenrem habent putrefaciendi vim, qualia sunt venenata ea animalia, à quorum morsu membra in tabidum ichorem penè versa diffluunt. Sed is effectus, ab agente, non sub ratione summè humectantis producitur: sed ab eius specifico temperamento nascitur, quatenus (vt ex Galeno[z] colligi potest) aptum est calidum insitum corrumpere, & humidum à sicco dissoluere. Quare tot omninò modis quidpiam calidum, humidum, frigidum, & siccum: aut si mauis etiam in medicamentis, calefaciens, humectans, refrigerans & exsiccans dicetur.

Ex quibus euidens esse videtur, quantùm apud Philosophos & Medicos differant calidorum, frigidorum, humidorum, & siccorum denominationes. Philosophi enim calidum vt vnum illud appellant, quod vnam tantùm partem habet, earum octo, quæ totam caloris possibilem intensionem complete dicuntur. Vt duo, quod duas calidum vt sex, quod sex. Atque ita de cæteris. Præterea cùm ex Aristotele vt aliàs docuimus; remissio, contrarij sit admixtio: quod tam remissum habebit calorem, vt vnicum possibilis intensionis gradum obtineat, reliquum, septem gradibus frigoris explebit. Et quod quatuor habebit caloris gradus: quia totidem frigoris sortietur, exactè temperatum dicetur. Longe verò aliter apud Medicos. Apud quos id temperatum dicitur, quod temperatissimum hominem in neutram partem alterare potest. Calidum verò in primo, quod eumdem hominem quàm leuissimè calefacit. In secundo, quod euidenter. In tertio, quod vehementer. In quarto, quod summè calefaciens vrit, aut escharam facit. Quare Philosophi gradus qualitatum metiuntur ex diuersis possibilis intensionis entitatiuis partibus eidem subiecto inexistentibus. Medici verò eosdem, pro varia temperatum hominem alterandi efficaciâ definiunt.

Vbi aduertendum est fieri posse, duorum medicamentorum Physicè parem esse calorem: quorum tamen vnum sit calidum in secundo, aliud verò calidum in tertio. Quoniam non ex caloris solùm intensione aut remissione pendet, aliquid plus aut minùs esse calefactiuum: sed ex diuerso substantiæ modo aduenit, aliud alio magis aut minùs esse actiuum: & potentiùs aut imbecilliùs resistere. Quorum enim substantia, seu quantitas aut molles, si crassa fuerit & densa, intima peruadere non potest, superficies tantùm & externa membrorum alterat, tardéque operatur; Alteranti autem potenter resistit. Tenuis & densa: vt facilè in profundum suâ tenuitate penetrabit, ita præ densitate difficilè euincetur. Crassa & rara: difficilè profunda attingit; at facilè superatur. Tenuis & rara: ad penetrandum aptissima est; sed minùs cæteris ad resistendum est efficax. Viscididas ad adhæsionem facit, & alterationi perseuerantiam. Quod autem friabile est aut liquidum, sibi contrario faciliùs in intima fertur, & minutiora vasa penetrat. Notandum præterea est, licet in quærendis medicamentorum facultatibus, & ratione vtamur, & experientiâ: hanc tamen illâ certiorem esse, & magis experientiæ quàm ratiocinationi fidendum. Si enim camphoræ naturam inquiramus, eius substantiæ tenuitas tam facilè exhalabilis, tantus odor, & tanta facilitas ignem concipiendi: illam maiore sui portione calidam esse reclamant. Tamen quia acribus admixta medicamentis eorum acrimoniam morsúmque remittit, & calidis intemperiebus cum & sine materia absque fluxione tamen excitatis medetur, dolores sedat,

vene-

venerísque impetus coercet, stupefaciendo potiùs quàm resoluendo: nequaquam calida sed frigida seu mauis refrigerans reputatur. Non aliter aqua marina, quæ fluida, termino alieno facilè, difficilè proprio terminatur, aut continetur: sicca tamen aut potiùs siccans appellatur, quòd admixta illi deusta exhalatione, corpora nostra efficaciter exficcentur.

Sed vt singulas has qualitates seu mauis facultates (solent enim primæ facultates à Medicis appellari) in mixtis inexistentes discernamus; quæ vis & energia singulis insita sit, & qui effectus ab vnaquaque primarum nascantur tandem expendamus.

Calidum ab Aristotele [a] dicitur quod homogenea congregat, heterogenea verò disgregat. Homogenea autem vt explicatum est à Philopono, [b] non ea dicuntur hic, quæ sunt eiusdem speciei infimæ: sed ea quæ sunt, aut quæcumque arte redduntur similis substantiæ, & habent similem virtutem motiuam ac parem liquabilitatem, possúntque eodem modo concrescere. Quæ verò inter se illis modis dispaia sunt heterogenea dicuntur. Prædictorum autem effectuum Aristoteles [c] homogenea congregare per se primò (ratione finis) calori conuenire statuit: heterogenea verò disgregare secundariò. A cuius tamen sententia meritò (id quod fit attendens) dissentit Galenus [d] qui fundere, extenuare, soluere, partes à se inuicem separare dixit calidi naturâ esse primariúque effectum, à quo reliqui consequantur. Soluto enim mixto heterogeneo, non autem ante partium ipsius heterogenearum dissolutionem; ea quæ in illo sunt similis substantiæ congregantur, quæ verò dissimilis dissociantur. Hinc inde ipse Aristoteles, [e] & Auerrhoës, [f] rarefacere caloris maximè proprium esse dixerunt. Et cùm per rarefactionem fiat quædam partium rei rarefactæ fusio, ex qua oritur similarium partium solutarum in naturalem locum latio: fit vt similares quidem in eumdem locum latæ, in eodem congregentur; dissimilares verò in disparata loca abeuntes, disgregentur. Tamen cùm vnicuique priùs inditum sit ad naturalem locum ferri, quàm non naturalem relinquere, hoc enim per accidens aduenit: inter prædictos effectus, rarefactionem & solutionem partium mixti subsequentes; prior naturâ & fine est homogenearum congregatio, quàm heterogenearum disgregatio. Vbi aduertendum est, in confirmationem eorum quæ præcedenti libro diximus: non ita definitè rarefactionem esse caloris effectum, quin æquè calor rarefactionem, ac rarefactio calorē sequatur. Vt ex ignito per collisionem aëre, aliisque exemplis probat Libauius. [g] Sunt enim duæ eiusdem subiecti coæquales proprietates, summus calor quo ad qualitates, & summa raritas quatenus ad modum substantiæ spectat. Quæ ideò se mutuò, aut dispositiuè, aut efficienter inducere in subiecto nituntur; in vim proprij & primarij subiecti, cuius quàm maximè possunt naturæ adhærent. Calori præterea primo naturæ instrumento, vt ait Galenus [h] tribuitur, quòd incidat, attenuet, laxet, sursum eleuet, dissoluat & coquat: ac si nimiùm adauctus sit, etiam colliquet. Quæ cùm à calore per se prodeant non tamen calor omnis singula hæc, vel eadem æqualiter operatur: sed vel pro graduum & intensionis varietate, vel pro sibi coniunctarum qualitatum disparitate, vel demum pro diuerso modo substantiæ tam agentis quàm patientis, in his producendis euariat.

Per accidens verò calor etiam aliquando refrigerat: scilicet vt explicat Galenus, [i] calidos humores aut vapores resoluendo. Condensat item nonnunquam: vt apud Aristotelem [k] legitur. Quod potiùs indurare est, quàm condensare: indurat enim calor, [l] quòd fluidum humorem euaporet: induratio autem condensationi quodammodo analoga est. Ac demùm calor per accidens heterogenea aliquando congregat his scilicet ad consistentiæ & modi substantiæ paritatem deductis. Vt in circulationibus in pelicano, aut chymicis coagulationibus: & in vrina, quæ crassum sedimentum deposuerit si ad ignem admoueatur, fieri aduertimus.

Frigidum id appellatur, cuius cùm condensare sit proprium, idipsum inde tum homogenea tum heterogenea congregat. Nam quæcumque contingit, vt inquit Galenus, [m] eorum & contrahit substantiā, & cōdensat. Quinimo astringit etiā, repercutit, & coctioni aduersatur, nullique vitali fūctioni per se est vsui. Imò si id vehemēs admodū sit, sensū sopit, & νάρκωσιν seu mortificationem inducit.

Per accidens verò, frigus exficcat. Vel enim congelando humidum indurat, & apparenter exficcat: vel externas rerum superficies densando, internum calorem roborat; à quo cùm insitum humidum consequenter resoluitur, illud quod harum omnium mutationum sit principium, posttemi etiam effectus causa esse putatur. Tum mordet non erodendo tamen, sed vt ait Galenus [n] diuellendo. Calefacit item aliquando: cùm quæ difflari consueuerant intus cohiber, vt priore libro [o] fuit explicatum. Tandem per accidens etiam heterogenea nonnunquam disgregat: vt in liquorum, per deliquium in frigidis caueis procuratum, extractione experimur. Quod vel exprimendo facit: vel affusi externi humidi aërei condensatione, & conuersione in aqueum: vel dispares substantiæ modos rebus ab externo calore antea confusis restituendo: vti in vrina post mictionem crassescente, & mox hypostasim deponente contingit.

Humidum dicitur quod facilè ductile est ad alienos terminos, propriis autem malè continetur:

[a] Lib. 2. de gen. tex. 9.
[b] In tex 8. lib. 2. de gen.
[c] Lib. 3. de cælo tex. 74.
[d] Lib. 2. de simpl. medic. facult. cap. 20
[e] Lib. 4 meteor. cap. 1.
[f] In 7. Physic. com tex. 15.
[g] 1. parte commentariorum in Alchymiam lib. 2. cap. 5.
[h] Lib. 14. de vsu part. c. 6
[i] Lib. 3. de temp. cap. 5. & 5. in 6. de morbis vulg. tex. 36.
[k] Lib. 2. de partib. anim. cap. 3.
[l] Ex Arist. 5 de gener. animal. cap. 3.
[m] Lib. 4. de simpl. medic. facult. cap. 2.
[n] Loco recens citato.
[o] Cap. vlt.

hoc emolliendi vim habet, leniendi, laxandi & lubricandi. Per accidens autem etiam intendit, & obstruit: scilicet replendo.

Siccum tandem id est, quod proprio termino facilè terminatur, alieno verò difficilè: quoniam continentis figuram difficillimè accipit. Siccitatem autem sequuntur, tensio, durities & asperitas. Ac quia huius est tendere, inde in viuentibus ad robur nixúmque plurimùm facit. At contrà actioni maximè obest. Eidem tandem accidit calorem acuere: qnia, cùm mixtis maiorem partium tenuitatem subministret quàm humiditas (quæ corpora magis inuicem cohærent) facit vt agens substantiam molémque rei patientis promptiùs peruadat.

Atque hi sunt communiores primarum qualitatum effectus, qui præsertim in mixtis tam per se quàm per accidens ab illis oriuntur. Non tamen primarij: sed relati omnes verè tantùm sunt secundarij. Primò namque caloris est calefacere, frigoris refrigerare, humoris humectare, & siccitatis exsiccare. Qui formales sunt singularum effectus: à quibus cæteri, cum aliqua inter se prioritatis & posterioritatis dependentia, nascuntur.

De qualitatibus temperiem sequentibus.

Caput. XII.

A Nemine controuersum iudico, eas qualitates mixtorum temperaturam consequi; quæ cùm in sinceris elementis non insint, in mixtis tamen inueniuntur, ac pro diuersa primarum qualitatum alteratione & modi substantiæ immutatione euariant. Huius generis sunt colores, odores, & sapores: quæ ideò à philosophis secundæ dici consueuerunt. Sed præterea raritatem, densitatem, ac similes, quæ sub secundis etiam qualitatibus à nonnullis numerantur, eumdem habere suæ originis authorem in mixtis, omnes illi admittent qui mixtorũ varios substantiæ modos non aliundè quàm ex vario corporum miscibilium ad mixtionem concursu, & mutuo qualitatum cõflictu oriori posse cognouerint. Idque seu raritatem ac densitatem propriè dici intelligamus; quarum ratio formalis ex Aristotele [a] & Auerrhoë, [b] consistit in diuersitate vbi, ab eiusdem quantitatis continuis partibus vel per extensionem sine poris, vel per constrictionem absque penetratione, acquisiti. Seu eam concipiamus, quæ non nisi per analogiam & proportionalem quamdam similitudinem sic appellatur: quæ maiori aut minori pororum amplitudini tribuitur. Quam pro vera & legitima agnouit cum Galeno, [c] Valesius. [d] Quod consequenter ad alium errorem fuit ab illis affirmatum: celeritatis enim & tarditatis motûs differentiam, ex intermediis pluribus aut paucioribus morulis nasci crediderũt; vt legere licet apud Galenum. [e] Sed hæc Physicæ sunt disquisitionis, quæ hîc attigisse sufficiet; fusiùs autem examinasse non decet. An verò medicamentorum facultates à temperamento aut aliundè nascantur, medico dignum est disputare. Ad cuius quæstionis examen, sciendum est facultates seu potentias actiuas medicamentorum à Galeno [f] in tres classes dispensari. Primi ordinis sunt calor, frigus, humiditas & siccitas: quas etiam primas appellarunt. Ad secundum referuntur, quæ proximè has consequuntur: vt facultas rarefaciendi, condensandi, emolliendi, indurandi, & similes: quarum vis per relationem sine respectu ad definitam materiam, aut speciale aliquod membrum minimè designatur, quæ secundæ dicuntur. Tertiæ classi eas contrà Galenus ascribit, quæ per respectum ad definitam materiam, & limitatum effectum, aut membrum aliquod denominantur: quales sunt facultas, lac, aut semen generandi, vrinas ciendi, menses mouendi, suppurandi, carnem in vlceribus generandi, vulnera glutinandi, cicatricem inducendi, atque his pares. Nec non illæ, à quibus medicamenta cephalica, ophtalmica, pleuritica, hepatica, nephritica, aut pro aliorum membrorum varietate aliter nuncupantur. In quam classem cùm Galenus [g] & Fernelius [h] cæteras omnes referant, quæ occultæ vulgò appellantur: Auerrhoës tamen. [i] & Mercurialis, [k] quartam addunt facultatum medicamentorum classem, à quibus excellentiores quidam effectus & maiori admiratione, imò & stupore digni emanent. Quales sunt catharrica, vomitum ciens, per os & nares purgans, sudorem mouens, mentem alienans seu extatica: & quæ quibusdam medicamentorum speciebus sunt propriæ, vt exulcerandi vesicam in cantharidibus & grillis (vti refert Scaliger [l]) exulcerandi pulmones in lepore marino, stupefaciendi in torpedine, remorandi naues (si credere fas est) in echeneide, attrahendi ferrum in magnete, alliciendi paleas & festucas in succino, & auri scobem attrahendi in milui piscis osse, ac similes, quas sympathiæ & antipathiæ plurimi imputant.

De quibus omnibus medicamentorum facultatibus, recentiorum medicorum pars maxima sic statuit: vt secundas à primis manare asserant, quartas à tota substantia nasci profiteantur, tertiarum verò aliquas ad primarum efficientiam referant, alias à tota substantia vt quartas pendere affirment. Qui cùm duo omninò agnoscant facultatum medicamentorum principia, tempetiẽ & totam substantiam: quatenus aliquas temperaturæ tribuunt, cum cæteris omnibus consentiunt; in reliquis

[a] Lib. 4. Phys. tex. 84.
[b] Lib. 5. colliget cap. 26.
[c] Lib. 2. de san. tuendo cap. 5.
[d] In cap. 9. lib 4. Phys.
[e] Lib. 3. de dign. pulsib. cap. 1.
[f] Lib. 5. de simpl. med facult. cap. 1. & lib. 6. de compos. med per genera c. 5
[g] Locis ante citatis.
[h] Lib. 2. de abditis rerum causis cap. 17.
[i] Lib. 5. colliget cap. 21.
[k] Lib. 1. de comp. medic. cap. 3. & 10.
[l] Exerc. 186

* Scaliger cõment. in cap. primum libri sexti Theophrasti de causis plantarum quinque assignat facultatum actionúmque earũdẽ ordines. Primasque ait à primis qualitatibus esse; calefacere, siccare. Ab his secundas: separare, congregare. A quibus tertias deducit: mordere, asperare, densare, complanare: ab his quartas: quæ in occultis sunt primordijs. Atque ob his tandem quintas: non solũ educere in genere, sed priuatim etiã ab hoc potius quàm ab illo membro.

autem quas toti ſubſtantiæ deberi aſſeucrant,nec inter ſe conueniunt,quid totam ſubſtantiam eſſe dicant,neque è quibuſque probatur quod ſentiunt. Fernelius [m] & cum eo Riolanus, [n] totam ſubſtantiam,formam eſſe ſubſtantialem explicant. Mercurialis, [o] per totam ſubſtantiam, in his quæ vitam habuerunt,formam quamdam totius compoſiti ſubſtantialem,à temperie & anima diuerſam intelligit. Poſſent nonnulli per totam ſubſtantiam,totum ipſum ſubſtantiale compoſitum exponere. Plurimi,quid eo nomine concipiant,non exprimunt.

m Loco recitato.
n Comm. in dictum Fernelij caput.
o Relato cap. 3. lib. 2. de compoſ. medic.

Verùm cùm hæc omnia præter rationem affirmari, diffusè probatum ſit à nobis in ſelectarum exercitationum exercitatione ſexta; primarios & principes medicos ſequuti,aliter ſentiendum eſſe iudicamus. Aſſerimus enim prædictas omnes facultates, non ſecundas ſolùm; ſed tertias etiam, & quartas : vel ab vna aliqua primarum qualitatum excedente; vel ab aliquibus earumdem ſimul coniunctis emanare;vel ab ſpecifico aut indiuiduali primarum omnium qualitatum temperamēto, addito vario ſubſtantiæ modo,neque aliundè ſecundùm naturam immediatè pendere. Quod præterquam in citata exercitatione abūdè probatum fuit:idipſum aliquot facultates ad proxima principia reducendo,niſi nos deterreret prolixitas,efficaciſſimè confirmaretur. Sufficiet ergo hoc loco noſtram ſententiam Galeni & principum medicorum authoritatibus, aduerſus petulantes vulgarium incurſus,quaſi ſepimento vallaſſe. Voluit Galenus fateor prædictas facultates à tota ſubſtantia naſci.ſed quid per totam ſubſtantiam intelligat audiamus.Is enim libro tertio de temperamētis. [p] Eaſdem facultates inquit,effectus eſſe totius in quouis corpore ſubſtantiæ, quam etiam conſtare ex calido,frigido,humido,& ſicco inter ſe mixtis dicimus. Et ibidem, [q] ſanè naturam cùm dico, vniuerſam ſubſtantiam ac temperiem,quæ ex primis elementis conflatur ſignifico. Quinto præterea de locis affectis, [r] atqui didiciſtis ait,cuiuſque primorum corporum eſſentiam ex quatuor qualitatum conſtare temperamento. Fuſiùs libro quarto de ſimplicium medicamentorum facultatibus [s] ita ſuam ſententiam explicat. Dictum autem demonſtratúmque ſæpenumerò eſt, nec ſeciùs quoque repetam,quid ſit ſecundùm totas ſubſtantias agere aut pati : imò & hactenus eius nunc memineto,quod in rem præſentem ſatis ſit,hinc ſumpto initio.Ex quatuor elementis,particulatim corporum omnium conſtant generationes,impares mixturâ, ac diuerſæ. Siquidem quædam ignis quàm aliorum elementorum in ſe plus cōtinent;quædam aquæ:ſicut alia ſi fors ita tulit terræ;nonnulla aëris. Ex huiuſmodi itaque imparitate,proprietates corporum particularium ſunt perfectæ. At clariſſimè libro de plenitudine, [t] oſtendimus inquit, ſubſtantiam eorum omnium quæ generationi & interitui obnoxia ſunt,à quatuor qualitatibus immutari per totam;humore inquam,& ſiccitate,caloréque,& frigore : & ex harum certa quadem temperatura, omnium corporum ſubſtantiam, & proinde etiam vitium earum quæ corpus noſtrum gubernant conſtare; quippe quæ non ſit niſi ipſius temperamenti quædam proprietas. Tum libro primo de vſu partium [u] temperamenta propriam particularum ſubſtantiam complere aſſerit:& corpus tale naturâ eſſe, propterea quòd caliditate,frigiditate,humiditate,& ſiccitate ſic commixtum eſt. Et tertio de ſymptomatum cauſis, [x] docet cauſam mutationis ciborum in ventriculo,eſſe certam quamdam temperiem,quæ etiam efficit proprietatem corporis ventriculi. Libro item ſecundo de facultatibus naturalibus, [y] porrò demonſtrationes eorum,quæ vtique ſcientificæ ſunt,ex his quæ ſupra iam retulimus, principiis ſumpſiſſe conueniet : veluti quòd actio paſſióque corporum inter ſe,ex calido,frigido, humido, ſiccoque illis inſint : tum quòd,ſiue quis venas, ſiue iecur, ſiue arterias, ſiue cor, ſiue ventriculum, ſiue aliam particulam vllam fungi quacumque actione dicat, ineuitabili neceſſitate cogetur, propter certam ex quatuor corporibus temperiem,edi actionem ab illa fateri. Addamus & quod ab eodem libro quinto de ſimplicium medicamentorum facultatibus [z] effertur : vbi prædictas omnes facultates de quibus controuerſia eſt,tertiæ claſſi aſcribens,ſic loquitur. Aliud mihi propoſitum eſt facultatum genus exprimere,quas vocare potes ſecundas,ac tertias poſt primas & omnium communes. En quomodo primas omnium communes appellat. Tandem primo in librum de natura humana, [a] monſtrauimus autem ait,& omnia medicamenta calefaciendo,vel refrigerãdo,vel humectando,vel exſiccando agere : hæ quippe ſunt primæ qualitates, quæ vt libro de elementis ſecundùm Hippocratem docuimus,ſunt corporum tum effectrices tum alteratrices. Et principio libri decimi de facultatibus ſimplicium medicamentorum;oſtenſum eſt inquit, medicamenta quæ effectricibus nominatis qualitatibus agũt; nempe caliditate,frigiditate,humiditate & ſiccitate:harum mixtione effici acerba,auſtera,ſalſa,ſalſuginoſa,amara,acria,dulcia;præterea extergentia, repercutientia, attrahentia, emollientia, vrentia, ſeptica, cauſtica : ad hæc ſecundùm alias actiones magìs ſpeciales, ſarcotica,ſinulotica,glutinatoria,tum fiſtularum,tum vlcerum,aut carnis excreſcentiam detrahentia. Auicennas in eamdem penè inclinat ſententiam [b] cùm ait; ſpecificas has proprietates vt magnetis attrahendi ferrum, per mediam complexionem mixtis accidere. Differt tamen à Galeno,cũ addit:has tamen diuerſas eſſe ab illa,neque ab illa fieri. Quæ quomodo inuicem cohærere queant,

p Cap. 1. ad finem.
q Cap. 1.
r Cap. 7.
s Cap. 15.
t Cap. 5.
u Cap. 9.
x Cap. 2.
y Cap. vlt.
z Cap. 2.
a Com. tex. 6
b Lib. de virtut. cordis tract. 1 c. 10.

vix quisquam intelliget. Auerrhoës eamdem magnetis proprietatem excutiens,[c] sed propterea ait, quia trahit tali attractione propriâ,& hoc accidit propter proportionem & conuenientiam, quæ est inter ipsum & ferrum:& hæc proportio & conuenientia,non est nisi in mensuris mixtionis elementorum in eis,hoc est in trahente & attracto. Et paulò post,& hæc operatio est quasi sicut accidens in ipsis virtutibus elementorum quæ sunt infusæ in re quæ habet hanc proprietatem. Paucísque interiectis, istud esse proprietatis & totius substantiæ. Clariùs verò libro septimo colliget,[d] cuiuslibet generalis & corruptibilis causa est inquit proportio quatuor qualitatum,scilicet caliditatis, frigoris,humiditatis & siccitatis. Par est Aëtij sententia,qui in exordio ipso sui operis, differentiæ particularum actionum ait,in singulis pharmacis,fiunt ex eo quòd singula ex ipsis ad tantam caliditatem,frigiditatem,humiditatem,aut siccitatem,aut partium tenuitatem, earumdémue crassitudinem accedant. Oribasius idem sentit.[e] Qui cùm ergo in corporibus inquit,quæ ex similibus inter se particulis constant,caliditas,frigiditas,humiditas & siccitas: singularum rerum differentias efficiunt.Haly abbas,[f] facultates medicamentorum in tres tantùm ordines distinguens, secundam virtutem ait,[g] quemadmodum medicamina faciunt suis complexionibus: sic quoque tertiam faciunt,ex secunda sed mediâ complexione. Ex recentioribus Falopius[h] & ex Galeno probat, & luculenter explicat,medicamentorum quascumque facultates, vel esse primas qualitates, vel à temperamento nasci: quod totius substantiæ nomine intelligi profitetur. Gorrhæus,[i] totam substantiam appello inquit:id quod non qualitatum modò sed etiam corporum simplicium certo definitóque temperamento definitur. Capiuaccius,[k] pluribus docet Galeno (cuius sententiam sequitur) proprietatem substantiæ dici,certum quemdam materiæ modum, qui sensibus externis deprehendatur: vt scilicet donata est tali,vel duritie,vel mollitie,odore,colore, & sapore. Cui, si temperamenti propria ratio coniungatur,rectè ex ambobus totius substantiæ proprietas exurget.

[c] Citato cap. 21. lib. 5 colliget.
[d] Cap. 16.
[e] Lib. 14. c. 9.
[f] Lib. 2. practica. cap 1.
[g] Lib eodem. cap 16.
[h] Tract. de comp. medic, cap. 5. 6. 7.
[i] In præfat. ad Alexi. pharmaca Nicandri.
[k] In principio methodi anatomicæ.

Quibus viis in notitiam veniamus prædominantium primarum qualitatum in mixtis.

CAPVT XIII.

VTILISSIMVM foret hoc loco,fateor,singulas medicamentorum facultates explicare, & cuiusque quantum fas est proximas causas inquirere. Tamen hæc commodiùs,in tractatum de materia medica differentur. Hîc autem consequenter indicare oportet, vias & rationes per quas in cognitionem veniamus primarum qualitatum in medicamentis excedentium. Quo loco antequam rem aggrediamur,aduertendum est. Cùm mixta omnia diuersis & pugnantibus etiam facultatibus,constare soleant (vt passim apud Galenum,[a] & Auicennam[b] legitur) ob infirmam quibusque substantiæ heterogeneitatem; non posse nos singularum partium facultates perfectè & exquisitè distinguere:sed eam tantùm licere propiùs agnoscere, quæ in ea cuiusque substantiæ portione inest quæ cæteras efficientiâ superat. Quamuis aliquando reliquas etiam deprehendere concedatur,vt infra exponemus. Ad facultatum ergo medicamentorum cognitionem, atque earum maximè quæ in potiore saltem eorum substantia insunt, duplici viâ peruenimus:[c] experientiâ & ratiocinatione. Quarum non alteri tantùm insistendum:sed per vtramque simul incedendum est, ne in assequendo quod quærimus aberremus. Experientia enim quantumuis tanti sit momenti in facultatibus medicamentorum inueniendis, vt earum probandarum rationem in experientia consistere dixerit Galenus:[d] imò sine ea neminem cognoscere vim medicamenti asseruerit;[e] atque eorum maximè quæ à tota substantia agunt,quorum facultas non methodo sed solâ experientiâ est inuenta.[f] Tamen eâ solâ vti, minimè securum est:[g] quoniam ea infida est,[h] & periculosa;[i] præsertim si à ratione disiungatur.[k] Sed neque vni etiam rationi fidere,tutum est. Tum maximè, si illi sensus & experientia aduersetur. Siquidem ea sensûs est euidentia,vt fidem rationis, præsertim apud medicos superet. Quare & rationem experimento & experimentum rationi semper coniungere studendum est.Si tamen ex certo & sæpiùs confirmato aliorum aut proprio experimentó, cuiuspiam medicamenti vires didicerimus; licèt id quod ratiocinatio ex apparentibus coniectatur experimento repugnet:experientiæ tamen adhærendum est. Ita ad siccam pruriginosamque scabiem,quæ lepræ Græcorum rudimentum est,& calidiorem iecoris intemperiem humorúmque destionem sequitur,cui refrigerantia & humectantia assumpta præsidio sunt: decoctum veronicæ calidæ & siccæ in secundo maximè auxiliari probamus. Sic opium amarum, atque ea ex parte apparenter calidum:soporat,qui frigoris effectus potiùs esse videtur. Contra hermodactyli insipidi, qui exinde temperati apparent,& vlceribus admoti ingentem acritudinem manifestant, & assumpti vehementer purgant:quæ intensum potiùs quàm remissum calorem consequuntur.

[a] Lib. 3. de simpl. medic. facult. cap. 14. 15. & 16 lib 4. eiusdem cap. 7. & alibi.
[b] Lib. 2. tract. 1. cap. 1.
[c] Gal. lib. de theriaca ad Pis. cap. 3. & Auic supra.
[d] Lib. 3. simp. cap. 8.
[e] Lib. 4. de comp. med. per genera cap. 5. sub finem.
[f] Gal. lib. 6. de simpl. med. fac. cap. de alysso & 9. eiusdem cap. de lapidibus
[g] Gal. lib 9 de decretis Hippoc. & Plat. cap 6. circa medium
[h] Auicen lib. 2. tract. 1. cap. 2.
[i] Hippocrat 1. aphor. 1.
[k] Author libri de medic. expertis inter spuria Galeni in principio.

Vt autem ab experimento certiores reddamur facultatum medicamentorum quorum experientiam facimus, atque exinde citra errorem deprehẽdere valeamus, quales facultates, ac maximè quænam inter primas in singulis emineant: hæc obseruanda veniunt. Primò, vt id cuius vim probaturi sumus sui iuris sit, neque alteri permixtum, neque à contrario aut ab ambiente contra naturam alteratum: sed integrè sibi relictum. Quod aduertendum esse docemur à Galeno,[l] Auicenna,[m] & Haly.[n] Secundò vires medicamentorum experiri oportet in simplici & incomplexo morbo; in quo nec affectus, nec causæ plures sibi inuicem repugnantes concurrãt.[o] Tertiò animaduertendum est, quidnam vnumquodque per se, quidue per accidens moliri sit natum: & per id quod quodque per se potest, de illius viribus iudicandum.[p] Vt autem agnoscamus num id cuius experimentum facimus, eum quem producit effectum per se vel per accidens producat: considerandum est,[q] num quod admotũ est, ab initio ad finem vsque eumdem producat effectum. Quoniam si eodem modo semper operetur, tale esse suâ naturâ existimandum est. Si verò cùm primùm medicamentum admotum aut exhibitum etiam est, vnus quidem appareat effectus; at postmodum alius, à priore seu genere seu specie diuersus sequatur: suspicandum est,[r] subsequentem actionem per accidens fieri. Ita cùm manu apprehensâ niue, primùm frigoris, tum etiam caloris sensus inuehatur: quæ frigori succedit calefactio, per accidẽs etiam est. Ac tale iudicium tum præsertim faciendum est, cùm medicamentum de cuius actione per se aut per accidens quæritur, nullam asciticiam aut à sua natura alienam qualitatem aliunde acceperit. Eo enim casu, per se id agere natum erit: quod secundariò operabitur, suo iuri restitutum. Præterea si id quod agit, solitum sit sub quacumque quantitate & mole, tam assumptum quàm admotum, parem effectum semper aut saltem secundùm plurimum producere: eam actionem per se agentis esse dicemus. Naturalia enim agentia, non impedita; in patiens eiusdem rationis, pari semper modo operantur. At si quidpiam contra quàm consueuerit agat: suspicari iure licebit, insolitam eam actionem per accidens esse.

Quartò addiscendum est ex Auicenna,[s] non eumdem sperandum esse effectum à quibusque medicamentis cùm intus assumentur, quem illa cuti admota producere fuerimus experti. Quædã enim talem nanciscuntur partium heterogenearum proportionem, & modum: vt cum multâ crassâ substantiâ & frigidâ, paucam habeant tenuem & calidam permixtam: quale esse potest coriandrum recens. Quæ cùm intrò sumuntur, quoniam à calore nostro pauca eorum portio calida facilè dissipatur, & partibus quas adit efficacem vim imprimere nequit, calefactionis nullum specimen præbet: copiosâ autem eorumdem frigidâ substantiâ quæ reliqua est, manifestam frigiditatem imprimente, omnino refrigerare videntur. At contrà, eadem exteriùs sub cataplasmatis forma cuti imposita: quia tenuis eorum substantia calida, facilè intima penetrat, crassa verò cutem & subiecta membra peruadere non potest: flatus aut similia resoluendo, caloris euidentes effectus, frigoris autem nullos aut latentes proferunt. His analoga est, ac quadam similitudine compar, cepæ conditio & energia.

Quintò ex eodem Auicenna[t] sciendum est in eorum medicamentorum vsu quæ ad sensum dissimilaria sunt, vt plantæ & plantarum fructus ac semina, varium vtendi modum aduertendum esse: ne cùm semel integris sumus vsi, parem futuram contusorum vim speremus. Semen enim psyllij in cortice frigidum, si integrum maceretur euidenter refrigerat: cuius tamen medulla cùm vehementer sit calida, si contusum vsurpetur, penè ad extremum vrit.

Tandem meminisse oportet, quod sæpiùs adnotatum est, medicos non debere experiri vires medicamentorum in alio quàm in corpore humano: ad quod comparatiuè cætera calida, frigida, humida, aut sicca dicere solemus. Vtque certo constet quæ in vnoquoque excedat qualitas: quid ipsum possit, non in temperatis solùm hominibus, sed in distemperatis etiam tam sanis quàm ægris probandum ex Galeno[u] est: vt illius vires vndequaque experiamur, & quàm valida sint aut inualida certò agnoscamus: Quibus omnibus in faciendo experimento obseruatis: quod magìs aut minùs calefacere, refrigeraréue, humectare aut exsiccare apparuerit: idipsum calidius esse, aut minùs calidum, magisque aut minùs humidum proferemus.

Si vero occurrat nondum experti medicamenti, velle nos periculum facere: oportebit antequàm eo temerè vtamur, qualitates talis medicamenti nòn apparentes aut minùs euidentes, ex sensatis quibusdam ratiocinando inuestigare. Cuius rationalis perquisitionis modi ex diuersis capitibus petuntur.

Ac primùm quidem, ex facili aut difficili cuiusque patibilitate. Ita enim quod faciliùs calefit, & inflammatur, calorémque contractum in longius tempus retinet: hoc ipsum calidius esse dicimus: & frigidius, quod promptiùs, aut refrigeratur, aut congelatur. Ex aduerso quod his & similibus alterationibus magis resistit, idipsum contrariis qualitatibus informatum iudicamus. Ne tamen in scruposa hac via ad offendiculum aliquod allidamus: notandum ést ex Galeno,[x] & Auicenna[y] æqualia in raritate aut densitate, esse inter se conferenda. Quæ enim sunt magìs rara, ea faciliùs ab agente vincuntur: quòd substantiam illorum subire promptiùs queat. At contrà quæ densiora sunt, difficiliùs

l Lib. 1. simpl. cap. 3. lib. 2. eiusdem cap. 9. ac lib. 3. de temper. cap. 3. & 5.
m Lib. 2. tract. 1. cap. 2.
n Lib. 1. pract. cap. 2.
o Galen. lib. 3. de temp. cap. 5.
p Gal. lib. 1. de simpl. medic. facul. cap. 2. lib. 2. eiusdem cap. 13. & 21.
q Gal. lib. 1. de simp. med. facult. cap. 3.
r Gal. 3. de temper. cap. 5. lib. 2. simplic. cap. 13.
s Lib. 2 tract. 2. cap. 1.
t Ibidem.
u Lib. 1. simpl. cap. 4.
x Lib. 1. simp. cap. 16.
y Lib. 2 tract. 1. cap. 3.

ſuperantur. Quare ſi id quod denſius eſt,faciliùs à calido aut frigido immutetur: idipſum ex natura ſua magìs tale eſſe cenſendum eſt;quàm id quod minùs denſum cùm ſit, à pari agente nihilo breuiùs alteratur. Præterea cùm calor maiorem habeat familiaritatem cum ſiccitate, & frigiditas cum humiditate quàm contrà: vt ex facili & difficili patibilitate iudicémus,num alicuius calor, aut frigus intenſius ſit quàm alterius: ea conferri oportet inter ſe, quæ ſint in humore aut ſiccitate paria. Nàmque vt humidiora frigeſcunt faciliùs: ſic quæ ſicciora ſunt promptiùs incaleſcunt.

Secundus modus quo temperies medicamentorum ratiocinando aut coniectando aſſequimur, à vario cuiuſque ſubſtantiæ modo deſumitur. Qui in ſingulis mixtorum (quàm fieri poteſt maximè homogeneis) portionibus talis elucet, qualis ei elemento magìs conuenit cuius naturam vnaquæque propiùs refert. Ac ignem quidem imitatur,tenuior ea mixtorũ ſubſtantia quæ & cæteris acrior eſt,& ad exhalandum aptior:quaſi ſit flammæ per mixtionem extinctæ fumus. Aëri ad omnem alterationem excipiendam facili,reſpondet omnis ad euaporandum prompta humiditas. Aquæ,craſſior ſuccus & in denſum vaporem ſolubilis. Terram verò refert,fæculenta mixtornm ſubſidentia. Quibuſque autem ex his imitatricibus elementorum ſubſtantiis, naturali conſequutione inditum eſt,vt quæ modum ſubſtantiæ huic aut alteri elemento magis reſpondentem retinent,eædem eiuſdem qualitates & vires propiùs aſſequantur. Quod in his magna ex parte verum eſſe experimur, quæ ex immediata elementorum craſi genita ſunt, cuiuſmodi eſſe cenſemus præſertim tudiora omnia foſſilia & metallica. Quæ verò ex iam mixtis corporibus multiplici interueniente alteratione,ſeu à natura ſeu ab arte procurata, aut generantur, aut efficiuntur: aliquantò magìs à prædicta elementorum familiaritate abſunt. In his enim cùm pro varia eorum efficacia à quibus alterantur, acceptæ ab elementis ſubſtantiæ multifariam immutentur: fieri vix poteſt, vt ex apparente in illis ſubſtantiæ modo,eorumdem temperaturæ conditionem certò agnoſcamus.

Sed in his alius occurrit modus,per quem cum ratiocinatione ducimur ad cognitionem temperamenti, eorum præſertim ſimplicium medicamentorum quæ arte parantur. Atque is quidem petitur ex notitia modi præparationis,& inſtrumentorum quibus ad illorum præparationem vtimur. Quæ ex tractatu de materia medica petenda ſunt. His enim decenter examinatis, & cum natura medicamenti ex quo illud cuius temperaturam quærimus extractum eſt debitè collatis, non difficilè perueniemus ad quæſitæ craſeos cognitionem.

Poſtremus tandem modus quo in quibuſque ſimplicibus medicamentis, ſeu arte paratis, ſeu à natura miniſtratis,excedentes qualitates agnoſcere docemur: deſumitur à colorum,odorum, ſaporúmque in mixtis apparentium diuerſitate. Cùm enim hæ qualitates vt ſuprà indicauimus mixtionem temperiémque conſequantur, & effectus ſuis principiis atteſtentur: facillimum erit ex his, medicamentorum craſes ex quibus oriuntur agnoſcere.

Verùm non æquè certa ab earum ſingulis ducitur,ſpecialis temperaturæ coniectandæ ratio. Colores enim excedentium qualitatum incertiſſima proferunt iudicia: quòd ab humidi aquei variè excocti perfuſione præſertim pendeant,cuius in mixtis minima eſt actiuitas agendíque vis. Hinc Galenus [z] à coloribus non eſſe iudicandum de facultatibus medicamentorum inre aſſeruit. In vnoquoque tamen genere quæ alieno colore infecta non fuerint,quæcumque albidiora ſunt aut dilutioris coloris quàm alia,eadem minùs calida experimento probantur. Quæ verò flaua,fulua, & rubra,aut obſcuriore calore infecta ex Galeno [a] calidiora ſunt.

Certior vtcumque eſt quæ ab odoribus trahitur coniectatio; quoniam hi olfactui non intentionaliter tantùm vt colores,ſed cum materiæ etiam aliqua portione repræſentati, proprij ſubiecti naturam euidentiùs explicant. Cúmque odorata omnia ex tenui quadam ſubſtantia conſtent, quæ à quocumque calore excocta & attenuata,facilè in halitum & vel ſiccam citoque diſpereuntem, vel pinguem viſcidámque & diu hærentem exhalationem vertitur: eadem rectè ab Ariſtotele, [b] & Galeno, [c] calida eſſe feruntur. Licèt enim nobis odoris incognita ſit eſſentia: ex ſubiecto tamen cui familiariter adhæret, atque ex principio ad eius productionem concurrente: qualem temperiem vt plurimùm odorata ſortiantur cum ratione coniectamur. Subiectum quidem odorum quale ſit docuit Galenus qui, [d] odorem definiens,odor qualitas quædam eſt inquit,ſolo odoratu perceptibilis, in vaporoſa ſubſtantia inhærens. Vaporoſâ inquam non quacumque,ſed in qua tenue ſiccum prævaleat;quod humido aqueo aut aëreo ſit caloris vi diſſolutum. Vnde odorata ſi per vſtionē eorum humidum abſumatur,minùs odora fiunt. [e] Vel ſi nimio obruantur humore,minùs odorata redduntur: vt in recentibus floribus contuſis apparet, [f] & vino diluto. [g] Principium autem cuius efficientiâ quæ inodora ſunt odorata redduntur,eſt calor. Sic immaturi fructus inodori, matureſcentes, odorati euadunt: & plurima quæ minimùm olent,igne eliquante,excoquente, aut vrente, maximè odora redduntur. Ac tale quidem odoratorum omnium principium aduertimus: ſeu eorum gratus ſit odor,ſeu ingratus. Suauitas enim illa,aut odoris grauitas: à particulari conformitate aut diffor-

mitate

z Lib. 1. ſimpl. cap. 2.

a Lib. 4. ſimp. cap. 23.

b Lib. de ſenſu & ſenſili cap. 5. & probl. 4. & 12.

c Lib. 4. ſimp. cap. 22.

d Lib. de inſtrumento odoratus cap. 3. & citato 4. ſimpl. c. 22.

e Ariſt. lib. de ſenſu & ſenſilis cap. 5.

f Sect. 12. probl. 9.

g Sect. ead. probl. 13.

mitate odoratæ exhalationis ad odorantem, atque huius eupathia vel dispathia nascitur. Probamus etenim vnum idémque huic suaue quidem esse, alteri verò graue. Verùm calorem ad odoratorum efficientiam concurrentem, non solùm esse commensuratum, vt Aristoteli placuit: [h] sed quemcúque, ex eo patet, quòd & à naturali animalium calore, & ab igneo, à cœlesti maturante; & à putrefaciente, odorata producantur: & à singulis, suauia & grauia. Odoratæ ergo substantiæ in se, naturam contemplatus Galenus, atque in ea calorem prævalere agnoscens, odorem ad plantæ temperamentum iudicandum facere dixit: [i] & odorē aliquatenus iuuare experientiam scripsit. [k] Quatenus scilicet si non totius medicamenti, vnius saltem portionis substantiæ temperaturam indicat, & viam ad experimentum parat. Verùm cùm naturæ odorum ignari admodum simus, varias eorum species discernere aut designare nescientes, & differentiarum odorum, vel genericarum etiam causas ignorantes: vix possumus hâc viâ quidpiam certi de medicamentorum temperatura coniectari. Imò tam imperfecta est ea quæ inde habetur cognitio: vt cùm odor vnam tantùm corporis à quo emanat substantiæ portionem sequatur, multa reperiantur odorata, quæ cùm ex ea parte tenuia sint, vaporabilia, & calida; tamen alterius illi sociatæ copiosioris substantiæ viribus, manifestè refrigerare deprehendantur. Sint in exemplum mandragora, viola, mattia, camphora, & similia: quæ cùm plurimùm oleant, nos tamen non refrigerant solùm; sed camphora prætereà acrium & mordentium medicamentorum vim certo experimento obtundit. Quod cùm animaduersum esset à Galeno: [l] non omnia odorata calida esse professus est. Atque hac ratione mallem quosdam Galeni textus prima fronte inter se repugnantes conciliare, caput scilicet vigesimum secundum libri quarti simplicium cum capite tertio libri secundi eiuidem; quàm vt minùs fœliciter conatus est Rorarius. [m] Qui primò vult odoratorum quædam tenuium esse partium, alia crassarum; atque illa quidem calida, hæc verò frigida. Quod cùm nec veritati, nec Galeni verbis satisfaciat: ait secundò, capite illo tertio libri secundi simplicium Galenum secundùm experientiam esse loquutum, vigesimo autem secundo capite libri quarti secundùm rationem. Quam irrationalem dicere debuerat: experientiæ, atque ideò veritati repugnantem. Prætereà quàm parùm certa sit hæc temperierum definitio ex odoribus quæsita, inde patet: quòd licèt odorata qua parte odorata sunt calida esse dixerimus, ac tenuium partium; & contrariorum soleant esse contrariæ conditiones: tamen non liceat affirmare inodora frigida esse, sed tantùm Galeno authore, [n] ea crassa esse, substantiáque terreâ (aut aqueâ) & quod ex illis defluit seu exhalat, paucum esse. Quas ambages considerans aliquando Galenus sibi tamen minimè pugnans: [o] ex odoribus, medicamentorum qualitates aut facultates non esse (confidentiùs) quærendas docuit: quòd minimè constans sit & certa inde petita coniectura, nec quantum cuique caloris insit aut frigoris eâ viâ deprehendere valeamus.

Ex saporibus certior aliquantò notitia habetur, earum qualitatum quæ non in vna solùm mixti portione, sed in omnibus fermè supereminent. Omnes enim gustabilium corporum particulæ similiter in linguam incidunt, sensúmque mouent pro sua natura singulæ. [p] Attamen nec planè secura est hæc via; vt cum Auicenna, [q] aduertit Auerrhoës. [r] Tum quia non omne mixtum (saltem quo adsensum) sapidum est: tum quia heterogeneas mixtorum substantias ita misceri aliquando contingit: vt ea quæ minor est portio & ad agendum minus efficax, saporem quemdam obtineat gustui manifestiùs apparentem, qui totam reliquæ substantiæ insipidam molem inficiat, aut imbecillium eius saporem obscuret. Quod in opio aduertimus: in quo cùm frigida multa substantia, subdulcis aut insipida contineatur, paucæ calidæ & amaræ permixta: totum tamen ita amarore inficitur, vt solus amaror gustu deprehendatur. Cum interim amaram illam portionem alia subdulcis copiosior, efficaciâ agendi superet: quæ in crassum vaporem facillimè versa, partim refrigerando, magis autem cerebrum neruorúmque ductus obstruendo, soporem & stuporem infert. Et ne inauditum quidpiam imaginari videamur, eam tam dissimilium partium mixtionem in opio reperiri: præterquam insinuatum est ab Auicenna: [s] idipsum ex Dioscoride colligitur, qui [t] papaueris succo epoto, veternum consequi scribit, cum perstrictione & prorito, quorum symptomatum veternus quidem, refrigerantis substantiæ, per crassum vaporem in cerebrum & neruos effusum, soporem inferentis effectus est. Proritus autem calidæ, acris, & mordentis materiæ energiam consequitur. Verùm si quibusque eiusdem mixti substantiæ portionibus suus inditus sit sapor, neque pars insipida sit, alia verò saporata: deprehendi singuli sapores poterunt, & totius mixti singularúmque eius partium temperatura, non inefficaci coniectura discerni. Quod tamen, vt assequamur, oportet medicamentum quod gustatur, seu solidum fuerit, dentibus vel alio atterente instrumento in minutulas partes diuisum, seu liquidum, accuratè ac sensim per palatum & linguam duci; vt singulæ illius heterogeneæ portiones sub gustum cadant. Sic rhabarbarum principio amarum, tum vlteriùs mansum astringens sentitur: Et sexti-Aquenses thermales aquæ diotiùs per palatum volutatæ quidpiam subdulce primò, tum aliquid linguam feriens, ac demum astringens nonnihil gustanti repræsentant. Quare cùm per se sapores maximè fas sit ad co-

gni-

h Eod. cap. 5. lib. de sensu & sensilib.

i Lib. 2. de alim. facult. cap 61.

k Lib. 4. simpl. cap. 23.

l Lib. 2. de simpl. facult. cap. 9.

m Contradictione 108.

n Citato lib. 4. simpl. cap. 3. & 4. eiusdem cap. 23.

o Lib. 2. simpl. cap. 3. & 4. eiusd. c. 23.

p Gal. citato cap. 23. lib. 4. simpl.

q Lib. 2. tract. 1. cap. 3.

r Lib. 5 colliget. cap. 27.

s Loco vetens citato.

t Lib. 6. c. 17

gnitionem temperiei medicamentorum & singularum partium eorumdem quàm licèt exactiùs peruenire: de his peculiaris quidem sed concisus instituendus est sermo; cùm Physicorum sit de illis accuratiùs tractare.

Quot sint saporum genera, & quas qualitates ex primis, quosque substantiæ modos, singuli sequantur.

Capvt. XIIII.

EA qualitas quæ sapor appellatur, definitum obiectum gustûs, cuius organum quasi per modum tactûs afficit: vt rectè monuit Scaliger, [a] à nemine scitur à quo immediatè fluat. Placet tamen Nicolai Leonici sententia, [b] qui ex Aristotele docuit saporem ex mixtione sicci cum humido: tam interni quàm externi caloris coquentis vi resultare. Et Theophrastus cùm passim asserat humorem principem esse saporum materiam. Præterea saporem permixtionem partis terrenæ sequi affirmauit. [c] Et [d] saporem partis siccæ terrenæque in humore permixtionem definiuit. Explicare autem, quæ sit mixtionis prædictorum proportio, quam variam admodum esse experimur. In his quæ simili sapore gaudent, quæue coquentis caloris opportuna in quibusque graduatio requiratur: humani ingenij vires superare crediderim. Vndè Galenus, [e] in quosdam philologos, & sibi coætaneos sciolos agens: itaque si quemadmodum dictorum saporum quisque proueniat exponere conarentur inquit, lubens equidem auscultarem, gratiámque haberem non exiguam. Quod neque nos assequi posse meditamur: sed solùm quòd à summis viris excogitatum legimus ad rem propositam vtile, examinandum proponemus.

A saporum ergo diuisione inchoantes, varij varia horum genera faciunt. Plato, [f] Aristoteles [g] & Theophrastus, [h] septem statuunt saporum differentias: cùm tamen in illis recensendis aliquantulum inter se dissentiant. Plinius, [i] tredecim saporum species numerat: sed compositos, simplicibus permiscet, vt vinosum & lacteum: quosdam qui sunt plurium quasi communes attributiones ad vnius speciei rationem contrahit: vt in sapore suaui aduerti potest, qui nullam certam speciem constituens, pro familiaritate tamen quam quisque cum huius illiúsue natura habere potest, suauis sibi nomen vendicat. At medici quasi inter vtrosque medij, communiter nouem saporum genera constituunt: insipidum, acerbum seu ponticum, austerum siue stypticum, acidum, dulcem, pinguem, salsum, amarum, & acrem vel acutum. Ita Galenus, [k] Auicennas, [l] & Auerrhoës. [m]

Insipidus priuatiuè potiùs est sapor, seu carentia saporis, quàm positiua aliqua entitas: atque ideò per negationem explicatur, is autem vel verè rebus inest, qualis in laudatis aquis aduertitur: in quibus frigiditatem excellentem consequitur humori multo crasso & impermixto sociatam: vel ad sensum tantùm dicitur, vt in gummi tragacantho, & aliis huic similibus. Quorum leuissima dulcedo proximè ad insipiditatem accedens, ab humido aqueo quod modico terreo sicco permixtum sit, & à leui calore sensim excoctum, nascitur: minorémque frigiditatem quàm prior ille testatur. Alia verò crassioris & magìs terreæ substantiæ, emplastica à Galeno, [n] nuncupata temperata penè sunt: ad frigiditatem tamen aliquantò magìs inclinantia: quæ etiam in pastinis, quò minùs sunt viscida, eò magìs exsiccant. Quædam præterea ad sensum similiter insipida dicuntur, ob crassitiem quæ non potest linguam penetrare: talémque in metallis aduertimus, quæ si tenuiter puluerentur aliquem in se saporem habere manifestant.

Acerbus is est qui valdè linguam desiccat ac contrahit, & qui in multam profunditatem penetrans, exasperat: qualis est in immaturis prunis, ac pitis syluestribus, corneis, & sorbis immaturis.

Austerus dicitur qui externam linguæ superficiem æqualiter condensat & astringit, ita vt externæ partes quodammodo intrò pelli videantur: talisque in myrtho, mespilio, galla & rhu obsoniorum seu sumach percipitur.

Qui duo sapores plùrimùm inter se conuenientes, & secundùm magìs & minùs à quibusdam solùm distincti, communi voce astringentes appellantur. Inter se tamen temperaturâ sic differunt: vt acerbus quidem ex terrea crassa substantia ab aqueo humido vi diminuti caloris fusa nascens: maioris sit frigoris, & minoris siccitatis, linguámque & palatum profundiùs penetret, quòd humidum cui inest, quia minùs excoctum est magìs sit fluidum. Austerus verò à magis excocto aqueo humido, in copioso & crasso sicco terreo genitus, remissiorem frigiditatem & intensiorem siccitatem indicet: quæ externas partes magìs quàm internas afficiat.

Acidus ille vocatur, qui leuiùs exasperans, & leniter pungens, promptè in profundum penetrat, nec in superficie hæret. Qualis in acetosa, agresta, aurantiorum & limonum succo inuenitur. Qui in multo aqueo succo attenuato, terreâ tenui substantiâ parciùs admixtâ, vi tam moderati, quàm immo-

a Comm. in cap. 1. lib. 6. de caus. plantar. Theophrasti.
b In lib. Arist. de sensu & sensili pag. 59. idipsum indicatur à Theophr. lib. 6. de causis plant. cap. 9.
c Lib. 6. de causis plant. cap. 3.
d Lib. eodem cap. 1.
e Lib. 1. simp. cap. 37.
f In Timæo.
g Lib. 2. de anima tex. 105.
h Citato lib. 6. cap. 4.
i Lib. 15. cap. 27.
k Lib. 4. simpl. cap. 4.
l Lib. 2. tract. 2. cap. 3.
m Lib. 3. colliget cap. 27.
n Lib. 4. simpl. cap. 6.

derari caloris vtramque substantiam exactè atteouantis generatur. Moderari quidem caloris vi in plantis & frnctibus, quorum aciditatis comes est frigiditas. Vehementis autem efficaciâ in metallicorum deustis portionibus & teoui aqneo liquore solutis: vt in acidulis aquis thermalibus, sulphuris,& calcanthi stillatitijs liquoribus; Quorum aciditatem excellens calor consequitur. Vode non frigidis solùm medicamentis inest aciditas,vt Galeno [o] visum est: sed etiam eamdem in calidis reperiri contingit. At seu calida seu frigida sint acida,omnia tenuitate substātiæ incidunt:& vitium eorum quæ vasa & partes reliquas obstruunt incidendo emendantia, obstructa apetiunt. Atque eadem tenuitate cæteris quibus immiscentur ad facilè penertandum inseruiunt. Attamen quatenus terream portionem quam continent,exhalante humido destitutam, in solidam membrorum quæ peruadnnt substantiam insinuant: deobstructis meatibus,partes ipsas solidas aliquâ astrictione impressâ roborant. Neque vlli deinceps mirum videatur,quædam vt sulphuris & calcanthi liquores, cum vehementi calore aciditatem nancisci. Nam huiusmodi substantiam terream habent, ab excellenti calore vehementer attenuatam; & multo humido aqueo tenui non perfusam solùm, sed exquisitè solutam. Quod ab antiquioribus ignoratum aduertens Valesius: [p] aciditatem etiam à calore pendere posse dixit. Nec refert hæmodiam stupotem quemdam dici,qui iuxta Galenum [q] à frigore excitetur: ab acidis autem omnibus solere hæmodiam contrahi. Quooiam cùm hæc pannos cutémque delicatiorum præ calore vrere experiamur; noo qoatenns frigida hæmodiam inferre dicendum est: sed proot cum tenuitate partium vim astringentem aonexam habent, terreæ eorum portioni inhærentem, quæ neruo & intimæ cauitatis membranæ se insinnans, nernum membranámque contrahendo hæmodiæ est causa. quam stupefacientia & quæ cum tepido calore humectando laxant,soluere consueuerunt.Hinc licèt austera & acerba hæmodiam etiam causent ex Galeno, [r] & Auicenna: [s] acida tamen eam vehementius inferunt. In prædictis autem sulphuris & vitrioli liquotibus,cum euidente partium tenuitate,astringentem aliquam vim coniunctam esse; à nemine qui sensu rationéque valeat negandum existimo.

Sub acido plurimi acetosum comprehendunt; quem non verè simplicem, sed ex acido & acri permixtom censeo: vt ab ipso Galeno [t] discimus. Acetum enim licèt heterogeneas plurimùm inter se oaturâ discrepantes partes contineat,nec frigidis careat: quia tamen vinum acescere consueuit,ea substantiâ tum aqueâ tum proximè terreâ quam obtinuit,vlteriùs attenuatâ:illud caloris excellentis euidentiora vestigia,quàm frigoris retinere facilè persuademur. Nec morantur nos, quæ contrà probare conatur Galenus: [u] cùm Theophrastum habeamus qui [x] illud calidissimum esse profitetur. Quod certâ experientiâ comprobatur,si illud impermixtum,& ἄκρατον, vel phlegmoni admoueamus,vel vlceri instillemus. Neqne aliàs potentiùs refrigerat, quàm si paucum vel multæ aquæ vel refrigeranti alicui succo ad vehiculum permisceatur. Astringit verò non quà frigidum est: sed prout tenuis portionis terreæ est particeps.

Dulcis saporis appellatur,qui linguæ partes exasperatas lenit,& veluti in naturalem statum eum voluptate teuocat: qualem in primario sacchаro,aut cando, & in musto probamus. qui in aqueo aut aëreo humido & terreo sicco æqualiter mixtis; atque à calore, qui moderato plusculum sit intensior,ad symmetriam excoctis producitur. Atque ideò naturæ humanæ maximè familiaris est, & omnium suauissimus.

Pinguis,cùm speciali quodam modo & ratione à cæteris diuersa gustum afficiat, meritò à classicis omnibus & Philosophis & Medicis peculiarem saporis differentiam constituere decernitur. Nec rectè censuisse videtur Scaliger, [y] hunc à simplicium saporum catalogo expungens. QVòd enim eum aliis societatem ineat,hoc cum cæteris omnibus commune habet: qui in eodem mixto, pro diuersis substantiæ portionibus,plures inter se differentes sociari consueuerunt. Pinguis ergo is est,qui linguæ hærendo,exasperatas eiusdem particulas,oon in superficie solùm, sed profundius etiam lenit & emollit,quem in recenti pinguedine,& sinceto oleo,nec situ nec vetustate inquinato notamus. Is autem io teooi terrea substantia à multo humido aëreo & pauco aqueo probè excoctis exactè dissoluta enascitur. Et in subiecto cui inest,maioris aliquatò caloris & tenuitatis index est, quàm dulcis.

Salsus is dicitur,qui mediocriter mordet,ac linguæ profuodnm penetrans leniter quidem contrahit & astringit, efficaciter autem detergit. qoem in sale marino tanquam cæterorum regulâ deprehendimus. Cui aduenit in multo humido aqueo, quod terreo sicco tenui permixtum sit, & vi caloris vehementis plurimùm excoctum generari: atque iodc manifestum calorem & siccitatem adhuc intensiorem significare. quia verò multa sunt salium genera; qood copiosioris terreæ substantiæ permixtionem sequitur,id magìs & astringit & mordet,quàm detergat,vt fossile:quod verò mious habet terreæ substantiæ,aut eamdem tenuiorem nancisciturtur, abstergit magìs, minùs autem astringit,qnale marinum est,quod demùm à vehementiore calore excoquitur, efficacius mordet,

&

[o] Lib. 4 simpl. c. 7. & 12

[p] Lib. 9. controu. cap. 5.

[q] Lib. 2. de loc. affect. c. 2

[r] Lib. 2. de loc. aff cap. 6. aliis 5.

[s] Lib. 3. fen. 7. cap. 23.

[t] Lib. 4. simplic. cap. 3.

[u] Lib. 1 simplic. cap. 17. & sequentib.

[x] Lib. de igne

[y] Comm. in caput lib. 6. de causis plāt. Theophr.

& cætera acritudine vincit, vt ammoniacum.

Amarus sapor is appellatur, qui salso magìs abstergit, ita vt etiam magìs exasperet: & vt addit Theophrastus, etiam corrumpat humidum, scilicet alimentitium quod ad alendum inutile reddit. Vel corrumpit gustûs organum: linguam scilicet eo sapore quo nullus ingratior est, & profundiùs cæteris, & in longius tempus inficiens. Amaror autem in felle & colochintide præsertim eminet. Nascitúrque ex superassato terreo sicco, seu consumpto humido, vt in cineribus & assato melle: seu illo, ab hoc ipso soluto, vt in felle, absynthij & ciehorei succis, ac similibus. Superassato inquam à calore tam igneo, quàm vitali, aut etiam putredinali: vt in vino vapido, & putrefactis pomis, peponibus, & cucurbitis accidit. Quare caloris semper index est amaror: imò & maioris quam salsedo. Nec obstat Auerrhoës qui [z] amarorem inquit in sicco terrestri dominante, tam à calore quàm à frigore nasci. Plurima enim amara sunt, quæ simul excellentem frigiditatem adepta sunt: vt cicuta & opium. Alia verò cùm ante maturitatem amara sint, vt glandes, χυλοκέρατα seu carubiæ, & oliuæ, dum ad maturitatem perueniunt dulcescunt; quæ oportuit ab imbecillo calore primùm amarorem accepisse, tum à maturante calido dulcedinem. Nihil inquam nos mouet Auerrhoës, quoniam siccum per se, aut humido permixtum; cùm sit ad omnes sapores indifferens, nisi pro varia caloris actione, hunc aut illum saporem acquirat; non aliter quàm assatione aut superexcoctione sicci, amaror contrahi potest. Illud enim si à remisso calore in pauco humido excoquatur, austerum saporem facit. Quòd autem de frigidis illis & narcoticis medicamentis obijcit, autea, * opij exemplo fuit explicatum. In illis enim quæ amara est substantia, eadem calida est: sed ea alteri sociatur, quæ copiâ maior, & efficientiâ potior actiuitate eminet, & impensè refrigerat. Illi demum fructus qui immaturi amari sunt, glandes scilicet; oliuæ & similes: cùm ex eo succo principio alantur in quo terrei sicci portio per æstiuos ardores deusta permiscetur, amarorem hinc contrahunt. At eodem sensim attenuato, & à superuenientibus autumni pluuiis soluto, ac demum à remissiore calore nouo alimento conuenienter excocto: exhalat quidem primò quod in illis deustum inerat deinceps verò ex appositione temperatioris succi increscentes, dulcedinem dum maturantur acquirunt.

z Lib. 5 colliget cap. 17.

* Cap. præcedenti.

Acer tandem sapor ille dicitur, qui in tenui admodum substantia consistens, ad profundum linguæ penetrans, eamdem suo feruore dilatat, exsiccat, mordicat, & erodit, qualis in nasturtio, sinapi, pipere, alliis, & euphorbio, intensione aut remissione varius aduertitur. Hic autem in humido aëreo & sicco terreo, vi caloris vehementis plurimùm excoctis & attenuatis generatur. Estque intensi admodum caloris & siccitatis cum ingenti partium tenuitate index.

Ab his autem temperaturis singulorum saporum authoribus, tales manare solent facultates. Quod verè insipidum est, repercutit. Quod dulce, lenit, leuissimè digerit, plurimùm nutrit, estque naturæ suauissimum. Quòd si quædam reperiantur venenata, quæ dulcia sint, vt ex Theophrasto notat Mercurialis: id ab heterogenea partium substantia nascitur. Talium enim portioni dulci, & naturæ familiari, alia admixta est saporis minimè eminentis, quæ totâ substantiâ inimica est & lethalis. Amarum potenter abstergit, & exasperat. Acerbum omne astringit; quod infarctum est, exprimit. Austerum astringit quoque, reprimit, incrassat, & indurat. Pingue lenit, lubricat, maturat, & imbecilliter digerit. Quod acre est incidit, resoluit, eroditque potenter: & innati calidi dissolutione procurat, à aliquando putrefacit vt septica. Salsum abstergit, exsiccat, & putredinem arcet. Acidum demùm incidit, refrigeratque quod in vegetantibus inest: atque omni incipienti putredini resistit. Quæ omnes relatæ temperaturæ, & speciales facultates: sinceros & impermixtos sapores sequuntur. Qui prout variè confusi, variâque proportione permixti deprehendentur: nobis ex prædictis rationem coniectandi suggerent, quænam crasis & quæ facultates ex concursu corporum tam variè temperatorum emergere queant.



De humoribus.

LIBER TERTIUS.

VT simplicia illa corpora, ignis aër, aqua, & terra prima sunt & insensibilia mixtorum omnium elementa: ita humores ex Galeno [a] sanguineorum animalium, sensibilia & immediata sunt elementa. Etenim ex sanguine semen, atque ex ambobus omnes humani corporis particulæ generantur, & singulæ ex sanguine alimentum & augmentum capiunt. In sanguine verò vel humores cæteri continentur, vel cum eo tanquam excrementa producuntur. Et licèt humores proximè ex elementis non generentur: quia tamen definire non possumus, per quos mutationum & generationum gradus, natura à primaria elementorum mixtione, ad proxima nostrorum corporum materialia principia generãda progrediatur. Postquam ea quæ ad insensibilium elementorum cognitionem faciunt explicuimus, móxque de temperamentis tractauimus, à primorum elementorum miscela emergentibus: methodi quam sequimur ratio expostulat; vt de humoribus sensibilibus nostri corporis elementis agamus. Quorum cognitionem negligentes Asclepiadei, eam vt refert Galenus, [b] inutilem esse ostendere conabantur. Sed quis ille tam ignarus est, qui nesciat, ignotâ humorum naturâ, quod ad humani corporis integritatem pertinet ignorari? quale sit alimentum quo nutrimur, qualia coctionum excrementa nesciri? ac tandem principes ac frequentiores morborum causas, his ignoratis nos latere? Rectiùs Hippocrates, humorum summam rationem habendam duxit: quos in homine sanitatis & ægritudinis causas esse professus est: [c] quorum quæ sit agendi vis, & quas pati alterationes subiréque mutationes possint à Medico necessariò cognoscendũ esse asseruit. [d] Huius ergo præceptis audiẽtes, in humorũ cognitione acquirenda hoc libro occupabimur, eorum naturam & differentias inquirentes. Ne corũ ignorantia, nosin his quæ ad morborum cognitionem & curationem faciunt cæcutire cogat, nósque rudes & inertes prodat.

a 1. in lib. de natur. hum. com, tex. 18.

b Lib. de atra bile cap. 2.

c Lib. de nat. humana. & lib. de genit.

d Lib. de vet. medic. ad finem.

Quid sit humor, & num in corpore humano certi quidam insint congeniti humores.

CAPVT. I.

HVMORIS æquiuoca vox, aliquando ab omnis subiecti connotatione abstrahens, vnam ex quatuor qualitatibus primis significare consueuit. Aliàs & frequentiùs, eamdem qualitatem vt subiecto inhærentem significans: de quocumque dicitur, quod proprio termino difficilè continetur, facile autem alieno, humidúmque etiam solet appellari. Quod nomen licèt innumeris penè rebus tribuatur: ita tamen apud Medicos eius significatum contractum est, vt tantùm ad illos succos qui in nobis ex prima ciborum substantiali transmutatione secundùm naturam generantur, aut his analogos præter naturam genitos, significandos vsurpetur.

Quare omnium optimè Auicennas, [a] humorem ad Medicorum conceptum definiuisse indicatur, cum humor inquit, est corpus humidum liquidum, in quod in primis nutriens conuertitur. Vbi per id quod nutriens appellatur, cibi intelliguntur: vt rectè explicuit Hugo Senensis. [b] A cibis enim alimentum accipimus, & eorum substantiã conuenientes alterationes passã nutrimur: ijdémque proximè in humores conuertuntur. Conuersione inquam non quacumque, sed eã quæ substantialis est mutatio. Non enim ante perfectã & substantiali mutatione cibi in aliud quidpiam vertuntur, quàm in sanguinem, cæteróſque humores transeant. Verùm cùm à nemine sit controuersum, ex cibis, ante chylum fieri in ventriculo, quàm sanguis in hepate generetur: cur hanc ciborum in chylum conuersionem, substantialem mutationem esse negemus explicandum est. Quod tum facilè concipietur, cùm chyli generatione exposità patebit, chylum (quem Galenus [c] cibi liquamen, alij cremorem appellant) nihil aliud esse quàm assumptorum ciborum succum, per elixarionem liquatum: qui temperiem & excellentes secundas qualitates eius à quo extrahitur proximè, plerunque retineat. Non enim semper albus est, vt plurimis videtur: sed qualis ab assumptis, vi caloris elixantis extrahi potest.

a Lib. 1. fen. 1. doct. 4. cap. 1.

b Comm. in citat. Auic. textum.

c Lib. de atra bile. cap. 1.

Qui earum quidem rerum in humido aqueo elixatarum succum album reddit, quarum color

aut ab humore eluitur,aut à calore diſſoluitur : aliarum verò quæ obſcuris coloribus (quos ſurdos appellat Plinius) infectæ ſunt, colorem vix immutat, ſed talem ſeruat in eliquato ſucco, qualem reperit in cibo.

Eſculenta ergo in ventriculum iniecta,& potulentis permixta:à calore ventriculi ſic elixantur, vt epotus liquor noſtro calore adiutus eſculenta præuiâ ad ignem coctione emollita, vel dentibus attrita,cultro inciſa,aut piſtillo tuſa,integrè peruadat:& horum omnem humorem diſſoluat, qui in potulentum diffundatur. Quod dum fit,& humida ciborum ſubſtantia alterius liquoris acceſſione diſſoluitur,nondum in aliam naturam mutatur : ſed ſolùm à craſſiore portione ſibi ante permixtâ, eliquata ſecernitur. Hac autem elixatione,& poſſibili eſculentorum diſſolutione perfectâ: quæ in ventriculum ingeſta fuerant omnia,in inteſtina pelluntur:dúmque per horum gyros & internas rugas moram illabendo trahunt,venarum meſeraicarum rami qui ad concauam inteſtinorum ſuperficiem ſua explicant ora,totum quem attingere poſſunt liquorem ſugunt,quem per venam portam ad iecur tranſmittunt. Atque id quod à prædictis venis ſuctum eſt, à reſiduo craſſamento & fæcibus ſecretum : id eſt,quod chylus & cremor latinè appellatur,eâ græcâ voce qua omnis ſuccus expreſſus aut eliquatus ſignificatur,ad hunc ſpeciatim contractâ. Sic enim χυλὸς & ὀπὸς differunt, vt ὀπὸς ſuccum ſeu liquorem ſponte vel inciſâ plantâ manantem ſignificet: χυλὸς verò expreſſum aut eliquatum. Cùm autem ea ſit chyli confectio in qua nihil nouum generatur, ſed rei eiuſdem diuerſæ partes ab inuicem ſeparantur:patere arbitror ciborum in chylum conuerſionem,non eſſe veram ſubſtantialem mutationem. Neque nos ab ea dimouere poteſt ſententia Galenus,[d] qui hac in parte nobis manifeſtè aduerſatur,cùm dicat,quippe ciborum conuerſio in cremorem,non eſt moræ iſthic manendi terminus,quam vtique etiam dum foris ſunt efficere licet:ſed concoctio quæ à conuerſione in cremorem res eſt diuerſa,ſicut ſanguificatio & nutritio : tanquam enim hæ functiones monſtratæ ſunt qualitatum mutatione fieri, itidem ciborum in ventriculo, mutatio, eorum eſt in propriam eius quod nutritur qualitatem Rationes enim quibus Galenus mouetur nullius ſunt efficaciæ:quòd non aduerterit,ventriculum membrum officiale, & ad miniſterium toti corpori vtile deſtinatum, pro ingeſtorum ratione quorum conditionem non diſcernit ſuam actionem minimè euariare:ſed vt delegatum ſibi à creatore officium curet,idem ſemper moliri, & quaſi omnia eſſent in cremorem, & chylum eliquanda,ipſos etiam cremores & ſuccos in ſpem ſolitæ coctionis retinere. Vnde plerunque naſcuntur corruptiones ciborum faciliorìs coctionis, & cruditates eorum qui difficiliùs eliquantur.

d Lib. 3. de nat. facult. cap 4.

Licèt ergo variæ in nobis humidæ fluidæque ſubſtantiæ generentur, chylus, ſerum, lac, ſemen, ſanguis,pituita,bilis,& melancholia:quatuor prioribus negata eſt humoris denominatio, quòd in alimentum eius in quo generantur minimè cedant;poſterioribus autem κατ' ἐξοχὴ illud tributum eſt nomen, quòd ab illis maſſam ſanguinis conſtituentibus,humidū ſolidarū partium quod continuò effluit,reparetur,& per priores ætates augeatur. Aliis autem qui his analogi ſunt,aut ab eiſdem deprauatis orti,per conſequutionem quamdam,vt exponemus,idem conceſſum eſt nomen.

Quoniam verò nobis ſtatim genitis,niſi nouæ materiæ acceſſione caueretur,primigenius ille diſſiparetur humor:rectè à natura inſtitutum eſt vt à matre in embrionem ex propria humorum maſſa alimentum effunderetur:à quo & recrearetur genitale humidum,& ſenſim incrementum capit.Quod aduertens Hippocrates, [e] quatuor humores homini eſſe congenitos dixit, quòd ſtatim ac genitus eſt,eumdem his ali oporteat. Neque enim ita ſunt nobis congeniti vt etiam in ſeminali ſubſtantia initium capiant,in modum partium ſolidarum & viuentium. Quod tamen citra omnem & rationem & authoritatem, imaginatus eſt Theodorus Zuingerus. [f] Infra nos autem,prædictos quatuor humores contineri,diffusè probatum eſt ab Hippocrate, [g] tum ex heterogeneis partibus eruoris è vulnere fluentis,ſenſu ipſo,non in eodem ſed in diuerſis ſaltem,diſtinguere liceat : tum ex variis ſuccorum excretionibus,per cathartica factis.

e Lib. de nat. hum. & lib. de genit. vtrobique circa medium.
f Lib. 2. Physiologia. c. 11.
g Lib. de nat. humana.

Quod tam euidenti experimento & certo ſenſuum iudicio cùm confirmetur : temeratio planè auſu Paracelſus eiuſque ſequaces,humorum doctrinam aniles fabulas eſſe inclamant. Quod quàm lepidè ab illo probetur agirtâ, tractatu tertio fragmentorum de modo pharmacandi,aduertatis. Hi enim ſi pro veſtro garritu,ait,in corpore ita conſiſterent:neceſſe pol foret,vt ſanum quoque corpus ſimiliter divideretur.Ita ſcilicet in hac herba eſt cholera praſſina;in iſta vitellina;hæc eſt ſanguinea illa melancholica,iſta phlegma ſalſum. Sed hæc omnia vana ſunt : nec hoc modo natura diuidi poteſt,multò minus autem homo. En quàm bellè ratiocinetur hic vir & quàm appoſitè. Sunt in ægro & ſano humores : hâc tamen differentiâ, probè temperati in ſano, peccantes autem vel quantitate vel qualitate in ægro. Sed quid illud quæſo eſt quod negatur ? Neceſſe pol foret vt ſanum quoque corpus ſimiliter diuideretur. Anne hominem in humores diſtinguimus ? aut forſan recens , aliquod ex ſacris Philoſophiæ vberibus emulctum eſt theorema, probans ex eo

quòd

quòd varij liquores permixti vase aliquo contineantur; illos eiusdem esse partes integrantes: atque idem debere iuxta contentorum liquorum rationem distingui. At quid prӕterea blaterat? Ita scilicet in hac herba est cholera prassina,& cӕtera. An,quòd humores qui in nobis esse dicuntur in plantis non reperiantur; nobis etiam denegandos existimat? Vel, exindéne iterum cachinnum in Medicos effert, quòd & plantarum & cӕterorum eduliorum aliqua, ad hunc illúmve humorem generandum,magìs aut minùs apta esse profiteantur? Vtrumque autem ignauӕ & ignarӕ mentis magnum indicium est. Verùm quid isthic hӕremus: cum Paracelsi componere sententias,nec capere voces,nec soluere ӕnigmata,vel ipse posset Oedypus.

De humorum numero, & differentiis.

Capvt. II.

Freqvens est apud Hippocratem cӕterósque Medicorum proceres, quatuor humores esse in nobis:qui sanguis,pituita,bilis,& melancholia nuncupentur.Quòd si Diuus ille Senex,[a] hydropem seu aquam in vicem melancholiӕ recenseat:meminerimus eum librum vix legitimum esse Hippocratis partum,cùm plurima doctrinӕ eius cui tribuitur aduersantia contineat: vel quia melancholici prӕsertim attabilarij multo sero abundare consueuerunt, aquӕ nomine voluit melancholiam significare. Verùm cum illis quatuor humorum nominibus, succos multò plures quatuor à Medicis significatos legamus: inter quos nonnulli substantiâ & qualitatibus plurimùm inter se dispares, parem denominationem sortiuntur: operӕ precium est singulas humorum differentias disquitamus,& absolutam humorum diuisionem assignemus. Quod licèt hucusque parùm fœliciter tentatum sit à pluribus:assequi tamen speramus:& controuersias ab intricatis plurimorum diuisionibus excitatas,solo appositӕ diuisionis artificio dirimere.

a Lib. 4. de morbis.

Humorum ergo alios alimentarios esse dicimus alios excrementitios. Alimentarii sunt qui ad omnes nostri corporis partes alendas destinantur. Quos iterum vel primarios agnoscimus, vel secundarios. Primarij,aut primi nuncupantur illi,qui venis conclusi, massam sanguinis in quocumque temperatissimo complent. Secundarij aut secundi etiam vocantur illi, qui ex sanguine per varios quosdam alterationum gradus in substantiam membrorum proximè transeunt. Excrementitij illi dicuntur,qui ad alendum sunt inutiles,& ex naturӕ instituto à sanguine secreti, foras expelluntur. Excrementitiorum autem,alij,vt ex Galeno colligitur, [b] alij secundùm naturam,alij prӕter naturã generantur.Secundùm naturam genitos illos dicimus, qui ex necessitate quadã consequentiӕ sunt alicuius confectӕ coctionis familiaria liquida fluidáque excrementa, & aliquam possunt corpori vtilitatem prӕstare. Prӕter naturam appellantur, cӕteri, qui pro diuersa tantùm corporis aut particularium membrorum intemperie,planè inutiles,imò & noxij producuntur.

b Lib. 2. de nat. facult. c. vlt. aliquanto ante finem.

Qui ex alimentariis primarij nuncupantur, in iecore generantur ex chylo: dum is totius substantiӕ parenchymaris facultate in sanguinem vertitur. Cuius licèt vna eadémque substantia ad sensum plerunque esse videatur, ratione tamen varia deprehenditur. Et enim vt chylus qui hepati suggeritur,dissimilium liquamen est:ita & quod ex illo fit,heterogenӕ substantiӕ rationem retinere,imò & nouã coctione acquirere oportuit. Quoniam & ex eiusdem agentis pari applicatione ad dissimile patiens,& ex inӕquali applicatione operantis ad homogeneӕ materiӕ diuersas partes, differentes effectus prodeant necessum est. Quare ea chyli portio quӕ temperatioris est consistentiӕ, & tam exactè ab hepatis parenchymate elaboratur, vt ad coquentis visceris naturam quàm proximè accedat eius calorem etiam, in saturato rubore imitata, calidӕ & humidӕ temperaturӕ cum leui denominantium qualitatum supra contrarias excessu: sanguis per excellentiam dicitur. Quӕ verò tenuior est & calidior adhuc chyli pars,dum in iecore coquitur tenuior & calidior adhuc quàm antea euadens, non exusta tamen nec ad amarorem deducta, sed florido rubore insignis: alimentaria bilis appellatur. At quӕ aliquantò crassior est & frigidior eiusdem chyli portio, perfectam coctionem effugiens, & ad exquisitam illam temperaturam minimè perueniens, dilutiore rubore si separata consisteret,insignita pituita alimentaria nuncupatur. Quӕ demum eiusdem cibalis succi portio maximè crassa, crassior adhuc inter coquendum redditur: minùs & calida & humida priore, paulóque obscuriore rubore si sola haberetur, infecta: melancholia alimentaria vocatur.

Ex quibus omnibus substantiis explicatã ratione differentibus temperatissimi etiam hominis sanguinis massa,venis conclusa,& alendo corpori destinata,completur: quam deinceps sanguinem absolutè appellabimus. Cuius in tẽperatioribus per priores ӕtates,tam perfecta est prӕdictarũ partium heterogenearum permixtio & vnio: vt si aliquando vulneratis ad prӕcautionẽ symptomatum sӕpè incidentium,aut ad hӕmorrhagiã sistendã,venã secuerimus,in sanguine liberè effuso & post-

modum concreto, nulla diuersitatis substantiæ nota discernatur. Neque euidentiorem sanguinis heterogeneitatem ideò esse necessum est: vt qui ex Aristotele, [c] & Galeno, [d] omnium corporis partium vltimum est alimentum; haberet in se quod singulis conueniens esset & familiare.

Quamuis enim Galenus [e] scribat, non oportere eodem alimento partes omnes corporis ali: & omnes corporis particulas sibi familiarem & conuenientem humorem aut succum ex venis attrahere dicat: [f] ac tandem membrorum alia crassiore sanguine, alia tenuiore indigere, alia calidiorem aut frigidiorem, pituitosum aut melancholicum desiderare. [g] Non propterea inferendum est talem atque ita discretam in sanguine varietatem reperiri, vt singulis membris liceat, in sui nutrimentum hanc aut illam portionem ab aliis seligere: vt plurimis etiam eruditis viris probatum legimus. Non enim sanguis vnum aliquid est per aggregationem confusum; sed verè mixtum, cuius heterogeneitas non nisi per putredinem dissoluitur. Neque ea fuit Galeni mens: qui tantùm voluit, sanguinem alendis membris destinatum, non vnicam in singulis alterationem subire, sed eam quę cuique membro ad assimilationem subeundam magis conueniat. Necnon quòd si sanguis qui singulis partibus quod necessarium est attrahentibus offertur eam temperaturam sortiatur quæ cuique membro propiùs respondet: illud tali succo vt magis familiari specialiùs gaudere: id est minùs laboriosâ alteratione in suam substantiam conuertere. Priorem enim illam sententiam plurimis probatam, manifestè irridet Galenus. [h] Sic enim venarum facultas attractrix perpetuò inquit vicinis ex partibus, humiditatem attrahit, substantiam ipsius qualisnam sit nullo pacto discernens, ratione enim caret quâ quidpiam, ex meliori scrutari possit.

Ex his verò quæ diximus facillimum erit, Aristotelem & Galenum inter se primâ fronte dissentientes conciliare. Cum enim Aristoteles [i] solo sanguine, aut per inediam pituitâ nutriri animal posse asseruit. Galenus autem, [k] succo etiam melancholico, & bilioso sanguine ali posse animalia, plerunque testatur: nulla est inter illos sententiarum discordia. Nam Aristoteles succum illum in hepate genitum ab excrementis liberum, licet in se dissimilium sit partium, sanguinem absolutè appellauit: quo solo vt vltimo alimento animalium sanguine præditorum membra nutriri dixit: vel per inediam in huius defectum, pituitâ excremētitiâ quod ea vlteriore coctione in sanguinē trāseat, aliàs non alitura. Galenus verò nusquam succis excrementitiis humani corporis particulas ali professus est: sed aliquas puriore sanguine, alias melancholicâ, aut pituitosâ eiusdem portione magis gaudere dixit. Omnes autem nostri corporis partes sanguine nutriri vti à Galeno, ita idipsum à Medicis penè omnibus comprobatur. Ionbertus cum aliquot aliis à communi sententia desciuit, qui [l] partes solidas semine, ventriculum chylo nutriri, tum [m] membra excrementitiis humoribus & sero attrahendis commissa, eisdem ali profitetur.

Sed quod de semine primùm affirmat nulli fundamento innititur: eùm semen sequenti libro simus probaturi in solis testibus generari, vnde in corpus distribui à nemine cogitatum censeo. Quæ verò ex Galeno libro primo de semine scripta referuntur: [n] si rectè caput vndecimum expendatur, intelligentur non alio inclinare; quàm quòd omnes nostri corporis partes sanguine alantur, qui tamen breuiore aut longiore alteratione particulis alendis similis reddatur. Nam vt is facilè & parùm immutatus in carnis naturam transit: ita antequam in seminalium membrorum, substantiam cōuertatur, oportet illum longiore operâ ad dispositionem quamdam semini analogam deduci.

Chylo nutriri ventriculum etsi Galeno etiam visum fuerit, [o] & Rasi: [p] nobis tamen probari non potest: sed eumdem non per mediam solùm, vt Iouberto placnit, imò semper sanguine ali eum Auicenna [q] profitemur. Is enim per multiplices venarum ramos in totam corporis ventriculi substantiam non nisi ad hunc alendum diffunditur. Præterea dum infans in vtero est, ventriculus nullum chylum generans solo sanguine alitur quem illi iam nato eædem venæ subministrare pergunt. Non enim hæ iam edito infante vsum mutant, vt vmbilicalis vena, nec alio succo vnquā quàm sanguine dissectis corporibus plenæ reperiuntur. Tandem eùm natura consueuerit membra sic alere, vt per eorum substantiæ profundum alimentum distribuat, & quasi per minima singulis particulis illud apponat: minimè decuit ventriculum satis crassæ molis succo ex media sui cauitate alimento nutriri. Cor ipsum ex Galeno, [r] non eo sanguine quem in ventriculis continet alitur: sed eâ portione, quam illi venæ & arteriæ eius basim & corpus totum perreptantes subministrant.

Quod ad Lienem & renes pertinet, hi minimè sincerum excrementum attrahunt: sed sanguini permixtum, quo solo renes, eodem autem etsi melancholico splen nutritur.

At vesicam fellis & vrinariam, aut bile aut sero ali planè absurdum est. Tum quòd illæ substantiæ ad alendum sint ineptæ: bilis quidem ob amarorem, serum verò quia in solidi corporis substantiam concrescere nequit. Tum quòd natura frustra illis venas, communis alimenti delatrices impertiretur: si aliò & sibi peculiari nutrimento alerentur.

Ea verò Galeni propositio quæ à Iouberto vt tutissimum fundamentum suæ sententiæ assumitur

c Lib. 2. de part. anim. cap. 4.
d Lib. 2. de plac. Hipp. & Plat. ad finem, & 3. in lib. de alimento comm. tex. 1.
e Lib 6. de v p c. 17.
f Lib. 11. de comp. med. sec. loc. cap. 2. lib. 3 de nat. fac. c 1. & 15. lib 6. de san. tuen cap 13. com 4. in lib. de alim. com. tex. 4.
g Lib. 1. de sem. cap. 11.
h 4. in lib de rat. vict. acut. com. tex. 1.
i Lib. 2. de partib. anim cap 3.
k Lib. 1. de gener. anim. cap 18. post medium.
l Parad. 5. decad. 2.
m Paradoxo 6.
n Capitib. 11 12, 13. & 16.
o Lib. 3. de nat. fac cap. 7. 12. & 13 aliquanto ante finem
p Lib 11 contin. tract. 1. cap. 1.
q Lib. 3 fen. 13. tract. 1. cap. 8.
r Lib. 6. de vsu part. cap. 17.

mitur,[f] nihil in rerum natura attrahere propter ipsam attractionem,sed vt attracto fruatur:ad suorum errorum confirmationem paucam emphasim habet. Nam velim quidem,quod propriæ naturæ vi attrahit,vt attracto fruatur attrahere:at quod ex Creatoris instituto ad communem corporis vtilitatem id operatur,eidem attraxisse sat est. Attrahit vacuum, vel res præter sibi insitæ naturæ inclinationem sursum deorsúmue feruntur:non tamen vt vacuum quod nihil est,re attractâ fruatur, aut quæ naturalem locum mutant vt acquisito gaudeant,vel in eo conquiescant. Præterea intestinum rectum fibras rectas,quæ attrahendi sunt instrumenta plures cæteris habet à natura : non nisi ad fœces & scybala deorsum attrahenda,quibus tamen nec fruitur nec frui desiderat. His autem fibris non solùm vt vinculis quibus circulares retineantur (quemadmodum placuit Bauhino [t]) illic naturam vti;sed vt consuetudo officio fungantur & attrahant,ex eo coniectari licet , quòd glandibus in anum immissis & sopitâ recti intestini facultate, excitatâ , fœces quæ in superioribus intestinis antè remorabantur,vehementiori conatu attractæ,postmodum euacuentur.

Verùm vt ad priora redeamus:ea succorum alimentariorum heterogenea massa, quam deinceps sanguinem absolutè appellabimus : tunc integrè secundùm naturam est,quãdo eam proportionem inter se heterogeneæ illæ eius portiones seruauerint, vt cæteris superemineat temperatior ea pars quæ sanguis per excellentiam nuncupatur,mox pituita,tum parcior firbilis,atque omnium minimâ quantitate permisceatur alimentaris melancholia. Tunc verò in præternaturalem statum declinat, cùm vel ab errore externo , vel ex partium vitio & intemperie , prædictæ proportionis rationem perdit:aut quocumque alio modo à naturali illo statu degenerat.Sed hæc infra [u] diffusiùs persequemur:& quæ ad secundarios humores alimentarios pertinent in sequens caput differemus. Quare ad excrementitios humores transeamus.

Quorum tria sunt genera pituita,bilis,& melancholia. Quibus primariò vt vulgo notioribus, huiusmodi tributa sunt nomina:& alimentariis postmodum per analogiam.Singulorum autem vna est species, quæ secundùm naturam est, & in suo quæque genere nomen sine addito sibi assumit. Secundùm naturam autem esse dicimus:non quòd omnes humores huiusmodi ex naturæ instituto, aut absolutâ necessitate consequentiæ,semper,& in quibusque generentur: sed quòd illi secundùm humanæ temperaturæ frequentiorem statum,vel eorum quibus vescimur temperiem & substantiæ modum vt plurimùm producantur,naturâ etiam ex illis fructum aliquem aliquando capiente.

Eorumdem autem plures species præter naturam in vnoquoque genere producuntur : quæ non simpliciter,sed adiuncto epithero efferuntur. De quibus mox proprijs capitibus agemus.

Prædictorum autem excrementitiorum humorum qui secundùm naturam (vt explicatum est) producuntur:non vna est generatio,nec simul vt alimentarij in hepate suum ortum capiunt. Galenus quidem [x] vini exemplo,bilis & melancholiæ generationem explicare conatus est : leuiori magísque aëreo excremento quod florem vocat,flauam bilem:grauiori autem & magis terreo cui fœcis nomen est,melancholiam comparans.Sed longè aliter vini excrementa,quàm prædicti humores generantur. Vuarum enim succus per proprij spiritûs eui vegetus ille vini calor insidet cõmotionẽ efferuescens,quæ sibi ex vuarum expressione admixta sunt pro cuiusque cõditione secernit. Quod enim leuius,vbi secretum est,sursum effertur:quod verò grauius & terrestre magis,deorsũ subsidet. At chylus dum in hepar per venæ portæ truncum in minutulos surculos diffectum introducitur, à particulari parenchymatis temperie alteratus,in venis quidem excoquitur: per parenchymatis autem substantiam effusus priorem naturam amittens,nouam induit. Vbi quia heterogeneis constans partibus,parem secundùm omnes sui partes alterationem à calore iecoris subire non potest : quod illius tenuissimum est superexcoctum,vel quod eiusdem dulcius est faciliùs amarescens, in flauam bilem transit. Quæ quantumuis aspectu humida,calida tamen & sicca, flaua & amara est. Et quoniam ob contractum amarorem ad alendum inutilis euasit:eam vesica fellis per vasa sibi propria, quæ per cauam iecoris partem dispergantur attrahit:vt sanguinem ingrato illo recremento expurget. Quod vel à calidiore iecoris temperatura, vel ex pinguium & dulcium vt mellis & similium eduliorum vsu,copiosiùs quàm par sit in nobis generatur.

Ad crassi autem & fœculenti excrementi generationem,quod vbi subsideret non habet in hepate, vt vini fœx in cortina aut dolio:ita natura prouidit, vt materiam ad illud generandum accommodatam,non antè in probè temperatis,hepar ingredi patiatur,quàm sufficientem alterationẽ subierit & ad alendum vtilis euaserit. Natura enim præuidens crassiorem & magis terrestrem chyli portionem,vlteriore in iecore coctione,crassiorem euasuram: neque solùm ad alendum futuram inutilem,sed præterea secretam à sanguine & solam in hepate residuam facilè minutissimos venæ portæ ramos,& tenuissimas cauæ radices,ipsúque visceris parenchyma obstructuram,summâ prouidentiâ hæc omnia damna præcauit. Vbi enim per innumeros meseraicarum surculos vena porta chylum attraxit:quo loco meseraici rami trunco vniuntur,natura ramum splenium constituit, per quẽ lien

[f] Ex lib. 3. de nat. fac. c. 6.

[t] Lib. 1. theatri anatom. cap. 17.

[u] Cap. 4.

[x] Lib. 4. de vsu part. cap. 3. & lib. de nat. facult. cap. vltimo.

y Arist. lib. 3 de part. anim. cap. 7.

inditâ sibi vi attractrice totius chylii crassamentum, stupendâ plane arte, cum sanguine ad se alēdum necessario fugit, & per multifidam prædicti rami distributionem vtrumque dispertitur. Hōc quidē se nutriens: illud verò tum propriâ vi, tum arteriarum quas magnas excipit pulsu & spiritûs vitalis affusione ita attenuans & alterans, tāquam alterum & subsidiarium hepar, [y] vt illud in naturam sanguini maximè analogam vertat, & in hepar postmodum per eumdem ramum transmittat. Quod cùm in temperatioribus, per priores ætates fiat, in eisdem sanis fœculentum nullum nigrúmque excrementum generari aduertimus. A quibus nihil tale per hęmorrhoidas expellitur, nullæ nigræ fœces deijciuntur, nihil atrum euomitur, nihilque his secta vena (citra succorum in qualitate viriū) in concreto sanguine nigrum subsidet. Sed ætate ad siccum vergente; aut in siccioribus iecoris natiuis temperaturis, ac præsertim simul frigidis; vel liene ex quocumque vitio imbecilliore; aut ex crassiorum & melancholicorum eduliorum vsu, illa naturæ prouidentia ex parte saltem peruertitur: & prædictâ attenuatione minùs perfectè succedente, fœculenti nigríque excrementi copia maior, aut minor generatur. Ac quoniam per eam saltem mutationem quæ necessariò ætatum successionem sequitur, huiusmodi excrementum necessaria quadam consequutione producitur: idem absolutè secundùm naturam genitum dicimus, vt mortem etiam naturalem appellamus, quæ ex necessaria humidi consumptione sequitur. Quia verò nigrum hoc excrementum multiplex est: illud solùm secundùm naturam appellamus, quod in passiuis quidem siccum, in substantiæ modo crassum, in actiuis autem vel frigidum, vel minimè calidum fuerit; quòd hoc sit cæteris innocētius. Atque illud, remissus calor siccæ intemperiei sociatus, aut alimentorum crassi & fœculenti succi vsus, plurimùm augent.

z Lib. de atra bile cap. 8. comm. 1. in libr. de nat. hum. comm. tex. 39. lib. 5. de vsu part. cap. 4. lib. 4. de cōp. medic. sec. loc. cap. 1. comm. 3. in 6. epid. com. tex 6.
a Lib. 3. fen. 13. tract. 1. cap. 16.
b Seu autho- re libri 4. de morbis.
c Lib. 2. de nat. facult. cap. vlt.

Pituita, frigidæ humidæque temperaturæ, alba est & viscida. Quæ non solùm in ventriculo iuxta Galenum, [z] & Auicennam [a] ex frigidiore & viscidiore alimentorum succo, etiam à calore temperato generatur, ad inediam ferendam in deficientis alimenti subsidium inseruiens, atque in alios vsus naturæ vtilis. Sed prætera in cerebro (saltem humidiore) vt excrementum semicocti vltimi alimenti eiusce membri ex Hippocrate [b] producitur. Humorem enim illum ex quo mucus & blenna fiunt, licet Galenus [c] pituitam vocari nolle videatur: à pituita tamen ventriculo & intestinis adnata differre non aduertimus. Accrescit autem & multiplicatur hoc excrementum, tunc maximè quandò vel caloris vigor in nobis remittitur, & simul ventriculus aut cerebrum humidā intemperie laborant vel cùm ad frigida viscidáque edulia vertimur. Nullum autem pituita determinatum habet receptaculum: partim quòd si in iecur seu cum chylo, seu per inediam secò diluta transmittatur: non difficilè in sanguinem vertitur: partim quòd si aliquando præ copia sit naturæ grauis, commodè per intestina fœcibus permixta deijcitur.

d Citato lib. 2. de natur. facult.
e Lib. eodem cap. 8.

Quæ tres excrementitiorum humorum species, cùm secundùm naturam (vt explicatum est) fieri consueuerint: talem in benè temperatis proportionem seruant: eum sanguine, qualem alimentarios succos eiusdem denominationis cum sanguine per excellentiam dicto seruare debere adnotauimus. Neque tamen vt parem inter se proportionem retinere humores excrementitios & alimentarios diximus: ita quisquam existimet nos Erasto assentiri, qui [c] vtriusque ordinis humores idem nomen habentes, esse eiusdem speciei profitetur. Prætetquam enim generationis modo, qualitatibus tam primis quàm secundis & fine, quàm maximè inter se distinguntur. Galenum præterea verè bonorum penè omnium in Medicina parentem, habemus differentiam vnius ab altero expresse significantem. [d]

Præter hos verò humores, alij sunt præter naturam, & qui vt Galenus inquit, [e] à calore modum non seruante, inutiles & noxij producuntur: quorum multò plures sunt species quàm cæterorum: de quibus sigillatim propriis capitibus fusiùs agemus.

De secundis humoribus.

Capvt. III.

Sangvis qui per venas effusus, in vniuersum corpus distribuitur, non antè in substantiam partium alendarum conuerti potest, quàm nouam alterationem subeat, & per quosdam accidentariæ mutationis gradus à natura sanguinis, in aliti substantiam transeat. Dum autem sensibiles has mutationes patitur: quia nouam quādam naturam in singulis induere videtur, mutato nomine in secundos humores seu humiditates conuertitur. Vtrum enim dixeris parùm refert. Nec nos moretur Valesius qui libro primo controuersiarum capite vltimo illis humorum denominationem conuenire negat. Siquidem qui conceptâ ratione acquisitæ diuersitatis, illis humoris nomen vniuocè conuenire negauerit: analogicè saltem eisdem illud deberi non inficiabitur. Secundos enim humores appellamus, quòd ex sanguine & priore illa humorum alimentariorum massa, nondum

tamen

ramen essentialiter ab eodem differentes, per diuersos alterationum gradus successiuè producâtur. Quos sic describit Auicennas, [a] vt dicantur humores qui à principali dispositione conuersi, membris delegati fuerunt; sed nondum alicuius membrorum simplicium operatione perfectâ, pars effecti sunt. Eos autem quatuor esse determinat. Quorum primus dicitur humiditas in foraminibus extremitatum paruarum venarum contenta membris simplicibus propinquarum imbibentium ea : & innominatus à recentioribus Auicennam sequutis nominatur.

a Lib. 1. fen. 1. doct. 4. cap. 1. fere in principio.

Secundus dicitur humor per omnia simplicia transiens membra, sicut ros : qui in nutrimentum conuerti aptus est cùm corpus nutrimento caret, & vt membra humectet cùm aliqua causa fortis motûs aut alia ea exsiccauerit : & res nuncupatur. Tertia humiditas inquit Auicennas, est quæ in tempore proximo fuit coagulata : & est nutrimentum quod in substantiam membrorum ex parte complexionis & similitudinis conuersum est, sed ex parte essentiæ completæ nondum conuersum fuit: atque huic glutinis nomen imposuerunt. Quarta tandem humiditas, eidem, illa est, quæ est intus in membris simplicibus à principio natiuitatis: per quam partium eorum continuitas existit, cuius principium est ex spermate: quam cambium appellarunt.

In quibus recensendis humoribus multifariam peccat Auicennas : cùm nec eorum primo nec postremo, quæ ab eo ipso tradita est secundorum humorum definitio, conuenire possit. Primum enim eum esse asserit qui in capillaribus venis continetur: qui cùm sensu iudice sanguis sit, non potest dici à principali dispositione conuersus. Postremo autem loco eam humiditatem recensens, quæ à natiuitate membrorum partes continuat: non potest eorum humorum catalogo adscribi, qui nondum alicuius membrorum simplicium operatione perfectâ, pars effecti sunt.

b Lib. 1. de nat. fac. c. 11.

Longè ergo melius à Galeno instructi, aliter secundarios hos humores alimentarios distinguemus. Is enim, [b] optimè nobis prædictorum humorum rationem omnem exprimit, per grados mutationis quam alimentarius succus in membris subit. Eius autem hæc sunt verba. Postquam succus is qui omnem animalis particulam nutriturus est, à vasis excidit: in totam eam primùm dispergitur seu adiungitur, deinde agglutinatur, demum assimilatur. Primum ergo commune illud corporis alimentum, à minimis & capillaribus venis in membrorum porositates effunditur & apponitur : incipiénsque à priore temperatura recedere, sanguis dici desinit, & ros per similitudinem appellatur. Qui vt à Galeno [c] δρόσος dicitur : ita ab Hippocrate, quemadmodum adnotatum est à Mercuriali, [d] ἰκμὰς nominatur. Cuius roris consueta effusio, si fieri aliquando cesset atrophia sequitur. [e] Postmodum verò quia hic affusus membris humor à peculiari cuiusque particulæ calore vlteriùs coctus crassior efficitur, & vt inquit Galenus agglutinatur : sic iam immutato humori glutinis nomen damus, & eum secundo loco numeramus. Quòd si alimentum ad hanc agglutinationem proprio vitio, aut membri alicuius imbecillitate non perueniat : vel illud hydropis genus cui ἀνασάρκα nomen est toti corpori aduenit : vel œdema in eo membro generatur. Atque id quidem ideò contingit, quòd humor in membra effusus vel aquosior affluat, vel reddatur : & debito lentore glutinísque consistentiâ carens diffluat & partibus alendis adhærere nequeat. Tandem quia longiore alteratione ille ipse succus à priore natura sic immutatur, vt proximè assimiletur particulæ in cuius substantiam mox conuertetur: cùm ad eum gradum peruenit, tertij iam humoris ex secundis speciem constituit, quem barbaram Auicennistarum vocem retinentes cambium nuncupamus. Ea autem alimenti assimilatio, si aliquando non fiat: vitiligo illa quam Græci λεύκην dicunt eo ipso Galeno docente generatur. Neque vlli videatur mirum, quòd eas voces retinentes quibus Auicennistæ secundos humores expresserunt, nec descriptionem tamen, nec denominationis ordinem ab eisdem seruatum, sequamur. Nam voces iam impositas retinere quidem decuit, errores autem [cùm aliundè vera docentem Galenum habeamus] insequi dedeceret.

c Lib. 7. method. cap. 6.
d In scholiis ad lib. 4. de morbis n. 10.
e Gal. cit. lib. 1. facult. nat. cap. 11.

Verùm nonnulli quibus Auicennæ doctrina placet, parem fuisse Galeni mentem eúmque prædictarum quatuor humiditatum meminisse [f] profitentur. Vbi cùm quatuor siccitatum species referat, pro diuersarum humiditatum naturâ euariantes: eosdem quatuor secundarios humores indicasse iudicatur. Quibus annuere videtur Valesius. [g] Sed falluntur. Nam licèt Auicennas, quæ illic dicuntur hic sit imitatus : plurimùm tamen inter se Galeni & Auicennæ conceptus differunt. Ille enim eo loco, à sicca ventriculi intemperie, ad totius corporis possibiles exsiccationes digressus, quatuor modis corpus exsiccari docet. Primùm consummatâ siccitate vbi solida partium similarium substantia reddita est siccior, secundò cùm adeps & caro fuerint eliquatæ, tertiò assumptâ roridâ humiditate quâ partes aluntur, & quartò à sanguinis penuria exilibus membrorum venis siccitatem passis. Quòd si his omninò modis, contingat corpus totum emaciari : non tamen per singula membra fieri omnes hæ exsiccationes possunt. Non enim in omnibus pinguedo inest & caro quæ eliquetur. Et quod ad eos humores pertinet qui successione quadam alterationis à sanguine in substantiam membri conuertuntur, de quibus hic disputamus: manifestum est omnes eorum varietates sub vnius roris deno-

f Lib. 7. meth. cap. 6.
g Lib. 1. contr. cap. vltimo.

minatione esse à Galeno comprehensas.

Aliter Montanus [h] nititur probare Galenum hac in parte cum Auicenna conuenire: ex eo scilicet quòd Galenus [i] quatuor enumeret passiones aut mutationes succi è vasis in singulas membrorum particulas excidentis; dispersionem, adiunctionem, agglutinationem, & assimilationem: sed trium tantùm mentionem fecit Galenus nec dispersionem ab adiunctione distinxit. Licèt enim in vulgati Galeni contextu legatur succum excidentem è vasis primùm dispergi, mox adiungi: tamen aduersariorum margini affixorum author, notat eum Galeni locum corruptum esse: & vbi (mox) legitur, (sen) scribendum; ne dispergi & adiungi pro distinctis concipiantur, sed vnum idémque esse intelligantur. Hinc Galenus ibidem enumerans morbos qui singularum prædictarum passionum defectus consequuntur: trium tantùm meminit qui tribus succi illius alimentaris mutationibus deficientibus respondeant. Mox etiam easdem passiones [k] repetens: appositionem tantùm, agglutinationem, & assimilationem commemorat. Ac tandem, [l] omnes alimenti mutationes recensens, post sanguinis generationem, tres tantùm numerat, adiectionem, agglutinationem, & assimilationem.

h In cap. 1. doct. 4. fen. 1. lib. 1.
i Cit. lib. 1 de nat. facul. cap. 11.
k Eo ipso capite.
l Lib. 2. aph. comm. aph. 3

De sanguine.

Capvt IIII.

Etsi Galenus sanguinem eum succum appellare consueuerit, qui alimentarios omnes à nobis primarios appellatos, solâ inter se heterogeneitate substantiæ differentes complectitur. Eumdem tamen bifariam dici scribit: [a] vt scilicet vel sanguinis appellatione eum intelligamus qui quatuor alimentarios humores imperceptibili heterogeneitate discretos continens, à cæteris humoribus excrementitiis secundùm naturam genitis, planè est liber. Qualem ab eorum venis educimus, qui in iuuentute adhuc constituti boni sunt & inculpati habitûs. [b] Vel secundò sanguinis voce eam succorum massam concipimus quæ tam alimentariorum quàm excrementitiorum, quoddam est aggregatum: at ab eo, qui cæteris supereminet nomen mutuatur. [c] Talémque ex eorum vasis effundi aduertimus, qui vel in neutro sunt habitu, aut iam etiam ægrotant. Sub quo posteriore significato concipi à plerisque solet, Hippocratis imitatione: qui, Galeno aduertente, [d] eùm sanguinis meminit solet omnem succum vasis inclusum intelligere. Non quòd velit, vt Turisano placuit, [e] sanguinem ex vtriusque tantùm bilis & pituitæ permixtione consistere: sed omnibus quatuor denit a q nadam proportione seruatâ mixtis, vt Galenus etiam ipse censuit. [f]

fiSed ne in tam varia loquendi scriptorum forma hæreamus: nos de sanguine hoc capite tractantes, de eo tantùm loqui cogitamus, qui ab excrementitiis humoribus liber, humorum omnium alimentariorum est massa.

Hic ergo vltimum omnium nostri corporis partium alimentum, & vitæ thesaurus: in iecore, non vt Aristoteli placuit in corde generatur, & per venas maximè in vniuersum corpus distribuitur. Neque tamen is in venis solùm, sed etiam in arteriis continetur. Copiosior tamen in venis est, quàm in arteriis: [g] sed tenuior & purgatior in arteriis, magisque ab excrementis liber. [h] Minimè verò natura frustrà duo vasorum genera effinxit, quæ eumdem succum variè tamen præparatum contineant. Cùm enim diuersis corporis partibus, alimentum variè præparatum apponi conueniret, vt pulmonis exemplo probatum est à Galeno: [i] oportebat alimentarium succum dispari admodum ratione præparatum, diuersis vasis, includi: vt quatenus expediret solitarium aut variâ proportione mixtum, ad singulorum membrorum alimoniam dispensaretur. Præterea cùm venosus sanguis, qui ad concrescendum est facilis, fluidus esset conseruandus, quòd crassior cùm sit ex se consequi non poterat: expediebat alterius consimilis sed magis attenuati succi permixtione, id perfici. Quare natura, arterioso sanguine in corde attenuato, ad hoc indigebat: vt eo per arteriarum venarúmque anastomoses in venas diffuso, venosum sanguinem liquidum fluidúmque tueretur.

In conficiendo autem sanguine, etsi iecur calore, vt omnium facultatum naturalium principe instrumento, vtatur: non tamen quicunque ad eius generationem est commodus. Is enim vt Galenus docuit, [k] ex mediocri calore fit: & vbi natiuus calor suum exactè natiuum temperamentum seruat, plus aliis humoribus sanguinis efficit. [l] Non quòd calore modum non seruante, cesset sanguis in iecore generari: sed quòd per eius visceris distemperantias, parcior generetur, & à debita constitutione degenerans. Qui enim integrè secundùm naturam est elaboratus, calidus & humidus est, colore saturatè ruber, sapore dulcis, & quamdiu in vasis continetur fluidus, ac consistentiâ nec admodum crassâ nec nimiùm tenui. Arteriosus tamen vt ex Galeno [m] colligere licet, rubore magis florido, & quasi roseo insignitur: venoso calidior est, & eodem multò tenuior.

a 2. in 6 epid. comm. tex. 38 & in lib. de natur. hum. com. tex. 17. & 4. in 6. epid. comm. tex. 29.
b Huius meminit Gal. 2. aph. comm. aph. 17. lib. 2. de nat fac. cap. 8. lib. de plen. cap. 11. lib. 2. ad Glauc cap. 2. & 3. in 3. epid comm. tex. 22.
c De hoc loquitur Gal. lib. 1. de ele. cap. 2 lib. de plen. cap. 6 & 10. necnō lib. de curan. rat. per sang. miss. cap. 7.
d 4. in 6. epid. comm. tex. 29.
e In lib. 2 artis parua comm 44.
f Cit. lib. de plenit. c. 10.
g Auth. de finit. medic apud Galenū
h Gal lib. 6. de decretis Hipp. & Pla. cap. 4.
i Lib. 6. de vsu part c 17.
k Lib 2. de nat. fac c 8
l 3 in 3 epid. com tex 22
m Lib. breuis denotat. dog. Hipp. lib. 6. de decret. cap. 8. lib. 8 eiusdem cap. 1. 3 in 1 epid. com. tex 8. 1. in lib de nat. hum. comm. tex. 4 & lib. de atra bile cap. 2.

Verùm non in prædictis omnibus cum Galeno consentit Aristoteles.[n] Hic enim rubrum quidem, dulcem & mediocris consistentiæ, sanguinem esse asseruit: sed eius temperamentum examinans [o] ex se frigidum esse & siccum dixit. Quare quale sit sanguinis temperamentum accuratiùs paulò excutiamus: præsertim cùm hac in parte variæ admodum sint authorum sententiæ. Hippocrates enim [p] aliquando sanguinem calidissimum dixit: contra aliàs, [q] sanguis inquit, non est naturâ calidus (neque enim alia aliqua aqua) sed calescit. Aristoteles [r] sanguinem calidum humidúmque esse affirmauit, quamdiu in corpore animalis continetur, in modum aquæ feruentis: per se autem minimè calidum esse, cùm vbi effluxerit concrescat. Galenus, [f] in sanguine plus inesse terræ & aquæ asseruit ex quorum prædominio frigidæ esse temperaturæ inferri videtur: qui præterea [t] sanguinem suum calorem à corde accipere profitetur. Cùm tamen idem, [u] sanguinem calidum & humidum dixerit. Qui item in sanguine inquit, [x] qui in venis est absque cordis calore, tepidus quidam calor est insitus. Et [y] non solùm nutrimentum animantis partibus ex sanguine esse, sed & calorem naturalem perseuerantiam ex sanguine obtinere. Nec non [z] sanguinem calidissimum esse, & ea membra frigidiora quæ minimùm sanguine abundant. Auicennas, [a] humidum & calidum facit, quem tamen à corde plus obtinere caloris dixerat. [b]

In quorum omnium dissidentibus sententiis conciliandis minimè hærentes, modum tamen conciliationis suggerentes, dicimus. Etsi sanguis pro ratione mixtionis elementariæ simpliciter in se consideratus, frigidus esse videatur: cum tamen in temperata natura & citra omnem errorem victûs genitum, quia à moderati caloris vi, in ventriculo, & ramis portæ præparatur, ac demum in iecore excoquitur, proximè ad temperiem accedere, cum modico tamen caloris & humoris excessu: atque eumdem in viuente à corde per spirituum vitalium diffusionem in venas, multò calidiorem conseruari. Quòd verò ad eius concretionem ex Aristotele obiectum pertinet. Non quia à natura frigidus est; sed quia crassæ est substantiæ, si quando à calido attenuante spiritu destituatur, concrescit. Quæ crassities, illi ex permixtione fibrarum præsertim acquiritur: quarum defectu conquassatus sanguis, & à quo eximuntur fibræ, nec non ceruorum, ac damarum sanguis, minimùm fibrosus, ex Hippocrate,[c] & Aristotele ipso,[d] minimè concrescit: ex earumdem autem maiore copia, & citiùs & firmiùs concrescit taurinus.

Sanguinis prædominium in corpore æqualiter temperato indicatur, ex roseo cutis colore familiari, & gratâ venustate affusi per cutem ruboris: qui eò euidentiùs emicat, quò sanguis magis abundat. Euidentiùs inquam, ex maiore grati dilutique ruboris effusione, non ex maiore ruboris intensione. Qui enim impensiùs rubent seu saturati sunt ruboris ex Galeno [e] melancholiam adustam intro latentem habere se produnt. Cæterum sanguinei sunt hilares, modesti, placidi, & liberales: interim ad putredinem in vasis concipiendam obnoxij.

Redundat is succus plurimùm vere, & in his qui temperatas regiones incolunt, vt ait Galenus,[f] ex Hippocrate. [g] Imò & frigidis magis; quòd qui eas incolunt edaciores sint, & minùs per habitum dissoluantur. Per ætates in iuuenibus maximè abundat, vt cum eodem Hippocrate asserit Pergamenus, [h] vel adolescentibus. [i] Item qui à natura macilenti sunt, vt plurimùm pinguibus sanguine abundant magis. [k] Præpinguia enim omnia, vt ait Aristoteles [l] sanguinem quamuis purum tamen paucum habent. Mulieres demùm adultæ solent viris eodem superabundare magis, vt ex menstruis purgamentis apparet: quòd minùs calidæ, minùs absumant alimenti: & quòd illum copiosiorem cùm humidiores sint ex naturæ prouidentia generent, in alimentum futuri fœtûs. Nondum autem puberes, ex Hippocrate, [m] qui fœtus masculos magis sanguinosos dixit; parciorem generant: quòd scilicet maribus minùs sint calidæ, & illi insiti humidi plus absumentes copiosiore alimento indigeant.

Tandem peccat etiam aliquando in nobis hic succus: idque bifariam, copiâ scilicet aut qualitate.

Copiâ quidem, cùm eius plus quàm par sit in nobis generatur: vnde πλῆθος seu multitudo, & πληθώρα seu plenitudo (quæ pro eodem apud Galenum vsurpari consueuerunt) vt passim is docet, [n] nascitur. Estque ea duplex, ad vasa vna, ad vires altera. Illa, ea dicitur, in qua redundans sanguis vasorum capacitatem sic implet: vt ea vel distendat, vel findat, vel oppiendo obstruat. [o] Hæc, ea appellatur in qua licèt vasa præ copiâ non tumeant: in illis tamen plus reconditum est sanguinis, quam à natura regi & gubernari possit. Ex priore, periculum imminet, [p] ne nimiùm distenta vasa rumpantur: aut calidum innatum suffocetur. A posteriore putredinis vitium impendet, calore extraneo superueniente, vbi naturalis cura deest.

Plenitudinis autem sanguinisque superabundantiæ signa ex tribus capitibus desumimus. Scilicet à naturali cuiusque constitutione, & morbis eam vt plurimùm consequentibus tanquam familiaribus causis & effectis: à prægresso rerum non naturalium vsu vti à necessariis causis: & à præsentibus symptomatibus, veluti ab effectis coniunctim aut diuisim necessariò consequentibus. A naturali quidem constitutione, si eius de quo agitur temperatura iecorisque præsertim, calida sit &

humida

n Lib. 3. de hist. anim. cap. 19.
o Lib. 2. de part. anim. cap. 3.
p Lib. 1. de morbis ali quanto ante finem.
q Lib. de corde & Locis supra cit.
r Lib. 2. de gener. cap. 7. lib. 1. de tuenda sanitate cap. 2.
t Lib. 2. de temp. c. vlt.
u Lib. 1. de causis morb. cap. 6.
x Lib. de fœtus format. cap. 2.
y Lib. de sab. miss. cap. 3.
z Cit. lib. 1. de temp. cap. vlt.
a Lib. 1. fen 1. doct. 4. c. 1.
b Lib. eod. fen 1. doct. 3. c. 2.
c Lib. de carn. 6.
d Citato lib. 3. de hist. anim. cap. 19. & 2. de part. anim. cap. 4.
e Comm. 1. in 1. prorrhet. com. tex. 14.
f Lib. 8. de plac. Hip. & Platon. c. 6.
g Lib. de natura hom. part. 1. tex. 33.
h Com. 1. in libr. progn. com. tex. 3. &
i Galen. 3. progn. comm. tex. 28.
k Gal. 3. in 6. epid. com. tex. 29.
l Lib. 3. de hist. anim. cap. 19.
m Lib. 2. epidem. sect. 2. tex. vlt.
n Lib. de plen.
o Galenus lib. 9. method. cap. 11.
p Galenus 1. aphor. comm. aphor. 3.

humida citra magnum alterutrius qualitatis excessum: iuuenilis sit ætas: venæ latæ: semen, aut lac copiosum generet: consueuerit in continentes febres incidere, & phlegmones pati: nec non solitus sit vel inedia vel sanguinis missione à symptomatibus morbum minitantibus subleuari. Ex prægresso verò rerum non naturalium vsu: si in aëre sit dudum antea versatus calido & humido, aut verna constitutio præcesserit: his cibis, alique potu abundè & familiariter sit vsus ex quibus multus & probus alimentaris succus generetur: somno se dederit aliquantulum profusiori: nimiùm otiosus fuerit: hilarem vitam duxerit: consuetum exercitium prætermiserit, aut in suppressionem sensibilis alicuius sanguinis vacuationis quam per menses vel hæmorrhoides pati solitus erat inciderit. Ex symptomatibus tandem: si de spontanea lassitudine tensiuâ præsertim aut phlegmonode, & segnitie ad motum nullo prægresso labore conqueratur: animales facultates principes hebetiores experiatur: ad somnum plus solito inclinetur. Atque hæc si cum partium externarum præsertimque oculorum rubore adueniant. Præterea si in somniis rerum rubearum visa occurrant: corpus solito sit rubicundius, nulla causâ procatarcticâ præcedente cui inconsuetus ille color ascribatur. Venas tandem habeat tensas: pulsum mollem, & inæqualiter magnum: cum interni caloris præsertimque lumborum infesto sensu; ex leui motu, aut moderato pastu difficilem respirationem patiatur. Ex quibus vltimis plenitudo ad vasa particulatim deprehenditur vti sequentia plenitudinem ad vires significant. Spontanea videlicet lassitudo, membrorum torpor, & facultatum principum insolita quædam hebetudo, cum naturali colore aut aliquantulum rubicundiore, adueniat: pulsus paruus sit, frequens & imbecillus, sed in magnitudine & robore inæqualis: demùmque si putredo massæ sanguinis adnascatur. Hæc enim significat sanguinem à calido innato peruadi liberè non posse, neque à natura commodè regi & difflari.

Qualitate, non vno sed pluribus modis peccat hic humor. Vel enim is in se plus iusto calet, aut refrigeratur: vel admixtione alterius succi pernetritur: vel demum totâ substantiâ deprauatus putret. Leuiter quidem aliquando illius temperies non mutatâ substantiâ, authore Galeno, [q] alteratur, à cibis, exercitiis, otio, animi passionibus, & variis medicamentis. At si impensiùs vel calefiat vel refrigeretur: substantiæ etiam mutationem subit. Sic enim incalescens, vt superexcoquatur tenuiore sui portione in bilem vertitur & crassiore in melancholiam mutatur. [r] Si verò vehementiùs refrigeretur, concrescit, & nigredinem concipit. [s] Mixtione alterius fucei in venas effusi, variè inquinatur: prout scilicet diuersus est excrementitius humor illi permixtus, seu secundùm naturam is sit genitus sed præter eiusdem leges illi copiosior immixtus; seu præter naturam genitus & omnino vitiosus. Vnde cacochymia nascitur, seu prauorum aut excrementitiorum succorum redundantia: indéque vt ait Galenus, [t] melancholicus, picrocholus, pituitosus, serosus, aut putridus appellatur: ex permixtis vero sanguini, ichore, sanie, aut, adde, aliis etiam humoribus.

Num verò putrere possit, & sub qua forma putrescat, propriâ scilicet an alienâ: longè maiorẽ difficultatem continet. Sanguinem putrere posse negarunt aliqui, vt animaduersum fuit à Saxonia: [u] quòd sanguis pro vitæ thesauro à natura seruetur. Sed leuissimum est horum fundamentum: licèt enim eius putrefactionem natura semper auersetur, potest tamen illi aliunde procurari. Cùm enim notum sit Philosophis & Medicis, mixta quæcumque posse putrescere: [x] præterea sanguinem putrere posse, cum eodem Aristotele [y] censuit Galenus. [z] Quod præterea experientia ipsa, & sensus luculenter docent: Putrere inquam non extra vasa solùm, quando in tumoribus & abscessibus in pus mutatur: sed in vasis ipsis. [a] Sanguis enim & quæ sanguinea sunt, vt inquit Aristoteles, [b] facilè putrent. A cuius putredine in vasis febres excitantur duorum generum, Synochos quidem quæ & continens & conclusa appellatur, putrescente sanguine: non autem solis ichoribus, vt placuit Montano. [c] Quia tamen ichores à reliqua sanguinis substantia per putredinem dissoluuntur, atque hi & magis efferuescere & superputrescere possunt: si aliquando id contingat, quia illi bilis naturam sapiunt, & procedente putredine noua sit consimilis ichoris accessio, vel aliis ex causis aliàs explicandis accidit etiam vt synochis periodi superueniant, tertianarum periodos imitantes. Quas plerunque in synochis, seu febribus à putrescente sanguine ortis aduerti, notatum est à Galeno. [d] Pestilens verò sit, non simpliciter sanguine qui in vasis continetur putrescente: sed eodem excellente quadam putredinis vehementiâ correpto. Quæ si tanta sit, vt contagio astantes etiam inquinet, fauente aëris cœlique statu, verè pestilens appellatur, analogicè autem talis nuncupatur, quãdo paulò mitior sanos quidem contactu non inficit, at affectos promptè iugulat, eum ingenti virium prostratione, aliisque aliquando sæuis symptomatibus.

An verò sanguis sub propria forma, & quatenus sanguis est putrescat: vel priùs semper tenuis eius pars in bilem, crassior autem in melancholiam conuertatur, maioris est controuersiæ. Auicennas, [e] asserit Galenum voluisse sanguinem sub propria forma nunquam putrere: sed dum putredinem concipit, quod in eo tenuius est & pinguius in bilem verti, crassius vero in melancholiam transite.

q Lib. de plenit. cap. vlt. paulò post medium.
r Gal lib. 2. de differ febr. cap. 9 lib. 2. de crisib. cap. 12. & Auic. lib. 1. fen 1. doct. 4. cap. 1.
s Gal. lib 6. de decret. cap. 8 paulò ante finem.
t Lib. 10. de simpl. medic. facultat. cap. de sanguine.
u Lib. 8 pantheo cap. 5.
x Arist. lib. 4 meteor.
y Lib. 2 [?] de part. anim. cap 9.
z Lib 9. methodi cap. 2. lib. 1. de differ febr. cap 1 & lib. 2. eiusdem cap 9.
a Gal eit lib. 2 de differ. febr. cap 9. & 11. methodi cap. 9.
b Lib. 3. de hist. anim. cap. 19.
c In cap. 2. doct. 4. fen 1. lib. 1. Auic.
d Lib. 2. de crisi. cap. 12 & 2. de differ febr. cap 9
e Lib 4. fen 1. tract. 2. cap. 43.

fire. Ac Galenus quidem liquet autem, inquit, [f] quòd cùm hic putrescere cœperit, non amplius bonus remanet, sed iam ad amaræ bilis naturam transit. Vnde, [g] febres ex sanguine putrescente accessionum proportionem ait, in tertiano præcipuè circuitu assumere. Et, [h] humorem in vasis contentum qui propriè sanguis dicitur & à cuius dominatu tota congeries nominatur, prauum dici negat, vt neque alium habere colorem quàm rubrum. Cuius sententiam ita crudè conceptam multis improbat Auicennas: [i] & Galenus ipse, [k] quasi sibi minùs constare videretur, sanguinem secundùm se totum posse putrescere affirmauit.

Cui quæstioni vt pro veritate satisfaciamus: dicimus sanguinem inter humores alimentarios per excellentiam dictum, non posse ob præcisam eminentiam suæ temperaturæ, vi caloris immodici feruere, aut ab externo ad putredinis inquinamentum duci: quin primò ante aliam sensibilem deprauationem, attenuatione nouâ ab inconsueto calore productâ, in ichorosam bilem, aut saltem alimentariam verratur, vt Galenus ipse insinuasse videtur. [l] At massam totam alimentariam, quam hic sanguinis nomine intelligimus, per se putrere, nullâ prius mutatione in alterum humorem factâ: præter quam probatum est ab Auicenna, & ex his quæ de putredine naturalique mixtorum interitu Philosophi docent, & nos suo loco proferemus, conuinci faciè potest. Idipsum docuit Galenus, [m] dum inquit, humorum autem putredo quæ in vasis fit, similis est ei quæ in inflammationibus atque abscessibus accidit. Vbi & incipientem putredinem quam natura emendet, & absolutam etiam quam imbecillior naturæ vis reprimere nequeat, sanguini intra vasa aduenire apertissimè profitetur.

De pituita.

Capvt V.

PItvitam aliam alimentariam esse, aliam excrementitiam, iam ante monuimus: quarum hæc, ex vulgari vsu, simpliciter pituita nuncupatur. Ex Galeno [a] enim qualiscumque humor qui albus sit, pituita dici potest: à quo pituita alba appellatur: [b] & pituitosi humores illi simpliciter nominari dicuntur, [c] in quibus humiditas frigiditásque dominantur. Talis autem est pituita excrementitia. Per quam intelligimus album illum succum, insipidum, viscidum, aëri expositum non concrescentem, frigidum & humidum; qui ex cibis in prima coctione præsertim generatur: [d] quem blennam Prodicus apud Galenum, [e] nominabat, & nos vulgo phlegma nuncupamus. Seu à verbo φλεγμαίνω, quod est tumesco, deriuetur: vt placet Thomæ Roderico à Veiga. [f] Seu per antiphrasim ἀπὸ τῦ φλέγομαι quod vror significat, quasi, minimè vrens deducatur. Antiquiores tamen vt de Prodico refert Galenus, [g] phlegma vocarunt, id quod vstum, & veluti supra modum in succis excoctum est. Sub qua etiam significatione Hippocrates [h] phlegmatis voce est vsus: vt Galenus, [i] adnotauit. Atque idem Prodicus bilem, non autem pituitam phlegma ἀπὸ τῦ φλέγεσθαι quod est inflammari Galeno referente appellabat. [k] Cæterùm pituitæ excrementitiæ duo sunt genera: alia enim secundùm naturam generatur, alia præter naturam. Quæ secundùm naturam est, iam antè descripta: in ventriculo & intestinis, ex magis lenta & viscida chyli portione producitur. Cuius pars, ad iecur simul cum chylo transmissa, vlteriore coctione in sanguinem abit: cùm sit veluti ex dimidio coctum nutrimentum, vt loquitur Galenus. [l] Reliquum verò, in ventriculo & intestinis præsertimque crassioribus retinetur: vt eorum parietes illiniens, eadem tueatur, ne ab acribus tum cibis tum excrementis, tam facilè lædantur: & quò duriorum fœcum expurgationi viam lubricando præparet. Eiusdem autem rationis, in cerebro etiam, ac iuncturis, necnon plerunque in pulmone producitur: seu ex alimentorum crassis vaporibus, qui ob copiam vel membri excipientis imbecillitatem minimè resoluti sensim incrassantur: seu tanquam excrementum semicocti alimenti generetur [m] ea verò non inutiliter articulos irrigat, qoi eo humore lubricati, habiles redduntur ad motum. Sed magnam etiam vtilitatem præstat tendinibus, musculorum membranis, cartilaginibus, & linguæ: quibus ad irrorationem in siccitatibus, motûs facilitatem & saporis diffusionem plurimùm prodest. [n] At si copiosior in eisdem membris colligatur, graues molestias infert. In ventriculo enim nauseam, inappetentiam, vel coquendi tarditatem causat; intestina tardiora ad excernendum reddit, eorum hebetato sensu; articulorum ligamenta laxat, & luxat aliquando; tendines emollit; & linguæ sensum obtundit: quæ alia etiam grauiora incommoda & toti & principalibus membris procurare consueuit. A pituita secundùm naturam genita quam descripsimus, parùm differt & quæ aquea appellatur, & saliua. Illa sic dicitur quòd aquæ primas qualitates, saporis carentiam, ac præsertim fluorem, viscidiratis interim particeps, præ cæteris æmuletur. Ea intra caluariam magis quàm alibi generatur, ex copiosioribus crassis vaporibus sursum in cerebrum elatis; ibique, ac maximè per aquilonias constitutiones concrescentibus. Vnde plerunque in subiectas partes, palatum, laryngem œsophagum, musculorum dorsi interstitia, & articulos ante destillat, quàm per moram coqui & incrassari potuerit.

f Lib. 2. de cris. cit. cap. 12
g Lib. 2. de diff. febr. cit. cap. 3.
h Com. 4 in 6 epid. comm. tex. 29.
i Supra.
k Lib. 9. meth. cap. 2. 3. 4. & 5. necnon 1. in 6. epid comm. tex. 2.
l Cit. 4. in 6. epid. comm. tex. 29
m Locis antea cit. tum maxime lib. 2 de diff. febr. cap. 6.

a Lib. de atra bile. cap. 2.
b Com. 1 in lib. de nat. hum. comm. tex 4. & lib. 8. de decret. cap. 6.
c Lib. 3. de loc aff. c. 7. lib. 2. de diff. febr. cap. 6. ex Hipp lib. de nat. hum. sect. 1. tex. 52.
d Galen, lib. de atra bile cap 8.
e Lib. 2. de fac nat. c. 9.
f In cap 6. lib. 2. de diff febr. sect 4. notab. 4.
g Lib. 2. de nat. fac. cit. cap. 9 paulò ante medium.
h Lib. 2. progn sent. 66
i In comment.
k Lib 8. de decret. Hipp. & Plat. cap. 6. paulo ante finem.
l Lib. 2. de nat fac. c. vlt
m Gal. 2. in lib. progn. comm tex 10
n Gal. in fragm. breuis denotat. dog. Hippocr.

Saluia

diminuto,& eliquante folùm, non autem excoquente: quod apponitur, acidum efficitur. Alterius[s] acidæ pituitæ meminit Auicennas,quam ab atra bile, pituitæ dulci admixta fieri docet:fed ea humorum potiùs permixtio quædam eft,quàm definitus humor. Ex acida diutius in habitu aut inteftinis commorante,& vlteriùs fenfim à continentis calore incraffata, Galeno id infinuante[f] vitrea producitur:cui Praxagoras nomen impofuit,ex eo quòd vitro fufo colore & fubftantiâ fimillima fit. Ea verò ita frigida eft,vt etiam dum à corpore excernitur tactu frigida fentiatur. [g] Quæ fi inteftinis hæreat, grauiffimos dolores plerunque excitat: vt proprio experimento idem nouit Pergamenus. Differt autem hæc,ab acida fimpliciter dicta: quòd prior illa tenuior fit, hæc vifcidior multò & magìs lenta; [h] eademque frigidior, [i] quòd fi ipfi magìs vnita,difficiliùs vim caloris membrorum circunftantium admittat.

- f Lib. 2. de diff. febr. c. 6
- g Gal. lib. 2. de locis aff. cap. 10.
- h Gal. lib. 4. de fan tuend. cap. 4.
- i Cū lib. 2. de diff. febr. c. 6.

Salfa à fapore quem habet nomen etiam affumens,calida eft,vt docet Auicennas, potentiâ ficca, & mordens: faltem ex parte deuftæ illius portionis quæ illi falfedinem tribuit. Eam verò Galenus, [k] morbofum fuccum appellat:ex qua redundante ficiculofi redduntur,vtiapud eumdem legitur;[l] veluti ex acida famelici, & fomnolenti ex dulci. Adueniunt autem pituitæ falfedo,ex communibus falfedinis caufis. At falfa fiunt ex Ariftotele[m] ex alicuius ficci terreftris inconcocti aduftique, cum humido feu foluto feu concreto admixtione. Quare & pituita falfa fiet,quando vel terrea eius fubftantiæ portio aduftionem concipiet: vel aliquid tale ei aliundè admifcebitur. Quæ Galenus[n] exactè concipiens: falfam fieri pituitam ait,aut propter putredinem, aut propter falfæ ferofæ humiditatis mixtionem. Propter putredinem quidem non omnimodam,fed incipientem, & portionem terrei cum humido mixti deurentem. Quod non folùm ab inchoante putredine fieri confueuit: fed ab affante etiam calore vehementi. Ita aqua, quæ optima eft, fi diutiùs coquatur falfedinem aliquam affumit: [o] quòd longiore ad ignem coctione paucum terrrum illi admixtum vftionem quamdam concipiat. Propter ferofæ autem falfæ humiditatis mixtionem pituitæ falfedinem aduenire: non eft quod Auicennæ mirum videatur, infipidum enim facilè à quocumque fibi immixto alieno fapore inficitur. Sic aqua rerum elixatarum quemcumque faporem facilè affumit: atque ea, falfi quidem permixtione falfa redditur, at ex amari fimplici mifcela nunquam ad falfedinem ducitur. In quo grauiffimè peccat Auicennas,inter cæteras falfedinis pituitæ caufas,bilis permixtionem cum pituita numerans: cùm tamen inde (nifi noua excoctio acceflerit) non falfa fed amara euadat. Sed Petrus Garcia Carrero,[p] obijcit ex Ariftotele,[q] & Auicenna,[r] poffe amarum infipido admixtum falfum fieri,exemplo lixiuij, quod cùm ex cineribus amaris & aqua infipida fiat in falem tranfit. Verùm magna eft difparitas inter fimplicem permixtionem amari cum infipido,& eorumdem permixtorum vlteriorem à fole,igne aut animantis calore, excoctionem. Ex amaro enim & infipido fimul mixtis fiet femper amarum: vt experientia fidem facit,& Ariftoteles docet,[f] aquam cineribus percolatam etiam amaram effe. At ex amaro & infipido mixtis atque iterum excoctis,non negamus poffe quid falfum fieri. Sic enim tenuiffima illa portio terrea deufta à qua amaror prodit,exhalat, & remanente craffiore minùs deuftâ falfedo fuccedit. Ita ex aqua marina amara ad folem excocta,fal concrefcit. Atque hoc modo fi bilis pituitæ admifceatur,vt in quotidiana notha aut diuturniore tertiana fpuria; poteft per longiorem ab igneo febris calore procuratam excoctionem in pituitam falfam degenerare. Vnde fi affectis aliquando,reliquiis humoris in curem totius emunctorium tranfmiffis pfora fuccedit,quæ à pituita falfa præfertim generatur. Nec mirum nouâ excoctione, amara, falfa reddi: cùm acria,vftione dulcefcant aliqua aut infipida fiant fi poftmodum abluantur;quædam verò etiam non lota.

- k Lib. de atra bile cap. 2.
- l Lib. de plenit. cap. 11.
- m Lib. 2. meteor. c. 3. & fect. 2. prob. 3
- n Lib. 2. de differ feb. contato cap. 6.
- o Gal. lib. 3. de alim. facult. cap. 32.
- p Disp. 21. in cap. 4. in fen 1. lib. 1. Aui.
- q Lib. 2. meteror. cap. 3.
- r Lib. fen 1. doct. 4. cap. 2. & lib. 2. trac. 1. cap. 3.
- f Eodem 2. meteor.

Aliam prioribus addit Auicennas, à fapore auftero ponticam appellatam: quæ vel ex mixtione melancholiæ excrementitiæ talis euadat, vel quæ vehementi infrigidatione infrigidata fit. Verùm prior non vnus eft humor, fed duorum permixtio: pofterior autem gratis fingitur. Nam cùm eam à vehementi infrigidatione generari oporteat: nullum eft in viuente membrum,quod vitam cum vehementi frigore tueatur. Præterea certum eft aufterum & acerbum faporem ex multo terreo ficco & pauciore humido aqueo, debilem à calido alterationem paffis oriri: at non poteft pituita ad prædominium terreæ fubftantiæ peruenire,nifi plorimum à calore patiatur.

Gypfea omnium pituitæ differentiarum craffiffima eft,& maximè ficca: tophi potiùs quàm humoris nomine digna.

Quæ ex pituita cuiofcumque generis,frequentiùs autem ex infipida gignitur:dum hæc vel in iunctuntis arthritide laborantium,vel in fcirrofis œdematibus,à calore feu partis per longiorem moram, feu medicamentorum,vehementiùs exficcata,penè lapidefcit.

Mucus appellatur,album illud & admodum craffum ac lentum excrementum, quòd à capite per nares & fauces aliquando excernitur: cui Galenus[t] pituitæ nomen tribuere nolle videtur. Fit autem ex infipida pituita,in cerebro genita:ab eiufdem membri calore fenfim incraffata & ficciore reddita; atque eo vfq; aliquando indurata,vt per rafcationē in modū grandinis cōcreta excreetur à faucibus.

- t Lib. 2. de nat facult. cap. vlt.

Crudus ſuccus etſi aliquando cum pituita confundatur,quam crudum ſuccum eſſe & frigidum dixit Galenus.[u] Et aliquando particulatim,ea dicatur eſſe excrementitia pituita, quæ per venas cũ ſanguine diffuſa eſt,& coctionem in hepate etiam ſubterfugit. Cuius duo genera fecit Galenus: [x] tenue vnum & aqueum, aliud craſſum, quale pueri copioſum congerunt. Tamen plerunque Galenus ſuccum ſeu humorem crudum à pituita diſtinxit.[y] Non quòd alterius generis ſuccum hunc eſſe exiſtimarit,quem de genere pituitæ facit: [z] ſed quòd eumdem ab excrementitia pituita ſecundùm naturam atque aliis præter naturã generis plurimùm differre profiteatur. Crudus enim ſuccus propriè nuncupatus, [a] talis,quale id apparet quod in vrinis quãdoque ſubſidet puri adſimile nec graueolens tamen nec lentum. Atque huiuſmodi eſt ille humor,qui ex eodem Galeno [b] elixam fabam imitatus,in eorum vrinis præſertim ſubſidet,qui nimium ſunt voraces. Taliſque ſuccus ex ea craſſiore alimentorum portione generatur:quam cùm meſaraicæ auidiùs ſugentes attraxerint, coctionem tamen in hepate effugit:non vt excrementum, ſed vt incoctum alimentum. Qui vel per emulgentes in renes deponitur,& ſimul cum ſero percolatur in vrinis ſubſidens: vel ſæpenumero per aluum confertim deijcitur,in hiscorporibus quæ relictis exercitationibus ſe crapulæ dediderunt. [c] Ideò autem particulatim crudus ſuccus appellatur, quod omnimodam pituitæ cruditatem experiatur. Omnimoda verò pituitæ cruditas,ea ex Galeno, [d] intelligenda eſt, quę ex defectu eius etiam coctionis accidit,quę in hepate & venis perficitur:non autem eius tantùm quę prima eſt, & in ventriculo abſoluitur:quoniam ſi hęc etiam deficeret,ne ſuccus quidem omninò eſſet.

Tandem etiam pituita,per putredinem in pręternaturalem ſtatum tranſit. Putrere hunc ſuccum, licèt frigidus ſit & humidus,nemo controuertat:cùm ex Galeno, [e] inutiles omnes humores, qui ob craſſitudinem,multitudinem,aut tenacitatem,meatuum obſtructionem, vel naturę imbecillitatem nequeunt expelli: neceſſum ſit,vt ſi diutiùs in corpore animalis perdurent, corrumpantur. Neque enim fieri poteſt,vt quiſ-iam ex humoribus talis permaneat qualis erat ab initio: nedum qui ita deprauatus,vt naturę cultum non ampliùs ſuſcipiat. Sed alterum omnino ſequitur, vt ſcilicet vel concoquatur,apponatur & aſſimiletur ſolidis partibus animalis;aut corrumpatur, & putreſcat. Ac putredinem quidem inter pituitę ſpecies concipiunt:tum inſipida ſecundùm naturam genita,& crudus ſuccus:quibus putreſcentibus quotidiana febris excitatur. [f] Tum etiam acida & vitrea:ex quibus modicè putreſcentibus,[g] fit epiala,in qua ſimul calent & rigent: eiſdem autem vehementiùs putrentibus,antecedente rigore,febris, ſuperatã frigiditate ſequitur. Demúmque & ſalſa putret aliquando:à qua putreſcente febris de genere ardentium oritur.[h]

u Lib. 1. de alim. facult. cap. 2.
x Comm 1. in lib de humor. com tex. 1.
y Lib. 3. de alim fac. cap. 33. lib. 2. de praesag. ex pulſ. cap. 1.
z Lib. 4. de tuen. ſan. c. 4.
a Ex Gal lib. 1. de alim. fac. cap. 2.
b Lib. de plenit. cap. 11.
c Gal cit. lib de plenit. cap eodem.
d Lib. 2. de facult. natur. cap. vlt.
e Lib. 2. de differ. febr. cap. 5.
f Gal. lib. 2. de diff. febr. cap. 2. 3. 4. & 5.
g Idem, eodẽ lib. 2. de diff. feb cap. 6.
h Gal com 3 in lib. acut. in comm tex 42. & vlt.

De Bile.

Capvt. VI.

Bilis vt de pituita diximus, alia alimentaria eſt quam etiam naturalem vocant, alia excrementitia. Illa tenuiſſima eſt portio maſſæ ſanguinis, quam coloris rubei clari eſſe dixit Auicennas. Hæc verò duorum eſt generum:vel enim ſecundùm naturam eſt, vel præter naturam generatur. Quæ ſecundùm naturam fit,flauus eſt ille ſuccus,tenuis,calidus & poteſtate ſiccus, amarus & mordax:qui ex tenuius ſanguinis excrementum in iecore generatur, & à veſica fellis cauæ hepatis parti appenſa,immiſſis in iecoris ſubſtantiam ramis attrahitur: & per cholidocum vas ad echphiſym terminatum, ad inteſtina transfunditur,vt fœcum excretio procuretur, & pituita quæ aliâs copioſior in inteſtinis hæreret abſtergatur. Atque hæc ipſa ea eſt, quam ex Galeno [a] medici ſoliti ſunt ſimpliciter citra coloris adiectionem bilem nominare: eâdem appellatione & flauam & pallidam intelligentes,quas vulgò non diſtingui,docuit Galenus. [b]

Eſt tamen inter vtramque ea differentia:quòd pallida vel à mitiore calore generetur, vel ſero aut aqueo flegmate diluatur; flaua autem,quam aliqui citrinam vocant,pura ſit & ſincera, vel ab auctiore calore fiat. [c] Nam ſæpè flaua bilis, ait Galenus, [d] plurimùm humida redditur:quo tempore non ampliùs flauum,ſed pallidum colorem refert. Nec mirum,dilutior enim eſt color, qui pallidus à pallea appellatur: vegetior autem flauus, à flamma dictus, vt ab Scaligero, [e] notatum legimus. Calidior præterea flaua eſt ex eodem Galeno: [f] quæ etiam in his animalibus apparet quæ magis ſunt calida,pallida autem in hisquæ minus. Vnde apud eumdem, [g] phrenitis à pallida bile mitior,à flaua verò vehementior excitatur.

Bilem autem hanc copiã non excedentem, temperatus calor generat: vt Montanus aduertit. [h] Eam inquam moderatus calor generat: ex tenuiſſima & pinguiſſima parte alimenti: bilioſum enim à pingui dixit Hippocrates, [i] quòd talia facilè incendantur, & à temperato etiam calore ſupercoquantur. Quidquid enim alimenti ſupra modum calefit, & præſertim ſi pin-

a Lib. 3. de alim. facult. cap. 39
b Com. 1. in 3. epid. com. tex 5. & com. 4 in lib acut. comm. tex. 4.
c Gal. com. 5. in 6. epid. cõ. tex. 14. & 1. in lib. de nat. hum. comm. tex. 25.
d Cit. comm. tex. 13. com. 1. in 1. de nat. hum.
e Exerc. 325 in 12.
f Lib. 10 de ſimpl medic. fac. c. de felle.
g Lib. 3. de locis affect. cap. 7.
h in cap. 1. doct 4. fen 1. lib. 1. Auic.
i Lib. 6 epid. ſect 5. ſect 14.

si pingue fuerit & dulce, in bilem vertitur, inquit Galenus.[k] Neque verò inutiliter vel in temperatissima natura, imò ex naturæ instituto in nobis generatur hic succus:[l] eos enim vsus præstat quos paulò antè recensuimus. At quæ maiore copiâ quàm par sit in corporibus colligitur à nimio calore generatur:[m] seu mauis à calore natiuo in igneum temperamentum verso.[n] Modò tamen naturalis temperaturæ limites, plurimùm non excesserit: aliàs, non quantitate solùm, sed qualitate etiam peccans bilis generatur.

Talem autem copiosiùs in aliquo abundare qualem secundùm naturam generamus, notæ sequentes significant: quas ex eisdem capitibus eruimus, ex quibus signa aliorum humorum excessum exprimentia desumi diximus. Naturalis enim constitutio ad bilem generandam maximè accommodata, est iecoris præsertim, tum totius, calida & sicca intemperies: mox calida & in passiuis temperata: aut sicca & in passiuis moderata. Vnde ad finem iuuentutis,[o] & consistentiæ principiũ,[p] bilis abundat magis: quòd per eas ætates cuiusque temperamentum, si ad alias ætates cõferatur, propiùs ad prædictas constitutiones accedat. Idipsum autem euidentiùs confirmabitur, si is de quo inquirimus soleat febribus tertianis, ictero, aut herpete laborare.

Res non naturales quarum vsus vel materiam bili generandæ opportunam ministrat & ministrasse potuit, vel efficienti opem præstat & præstitisse potuit, sunt huiusmodi. Primùm anni tempus calidum & humidum. Vnde Galenus,[q] æstate, & in regionibus similiter temperatis, multam bilem gigni scribit. Tum cibi pingues, dulces & melliti; olera, ac præsertim calidiora, horarij fructus copiosiùs assumpti; lacticinia si in ventriculum calidiorem, & amarum eructantem immittantur; piperata omnia; & esculenta ac potulenta quæuis quibus impensiùs calefaciendi & exsiccandi vis inest. Necnon inedia, calorem internum exacuendo, & succos assando, suam hîc operam præstat. Vigiliæ præterea immodicæ. Nimia exercitatio. Ira, animíque vehementior contentio. Ac tandem solitæ biliosæ excretionis tam spontaneæ quàm arte procuratæ, per os aut anum suppressio, vel intermissio. Quæ, vel eorum plurima si præsentem de quo inquirimus statum præcesserint, copiosiorem bilem genitam esse demonstrant.

Symptomata superabundantis bilis præsentiam indicantia: sunt, totius corporis aut saltem oculorum color ad pallidum inclinans; artuum vlcerosa lassitudo; fugaces punctiones passim habitum corporis infestantes; & oris amaror. Præterea agrypnia, animi motuum celeritas; magna ad iram propensio; rixarum, cædium, ignium, fulgurum ac similium insomnia. Pulsus item cum inæqualitate magni, celeres & frequentes, vrinæ flauæ aut citrinæ saltem saturatæ, & vomitiones, vel deiectiones biliosæ.

Bilis quæ præter naturam est, naturalis temperaturæ leges prætergressa: non vnius sed plurium est generum. Ea enim vel ex alimentaria fit, præter naturalem alterationem passa: vel ex excrementitia quæ secundùm naturam est, gignitur per distemperies viscerum & vasorum, vel ex prauitate ciborum. Ex alimentaria quidem, vel efferuescente, vel leuiter putrente: ea fit quæ rubra vocatur à Galeno.[r] Quæ, licet ad tenuem & floridum sanguinem consistentiâ proximè accedat: quia tamẽ non concrescit, bilis appellatur.[s] Omnibus enim humoribus à sanguine, hoc proprium est, non cõcrescere: solius autem est sanguinis, concrescere & in grumos verti. Verùm si rem propiùs expendamus, bilis hæc non propriè bilis est: sed sanguinis serum, seu potiùs ichor.[t] A cuius in vasis per putredinem ebullitione, synochas aliquando tertianarum periodos imitari superiùs diximus: ab eiusdem autem in determinatas partes effusione, erysipelata generari suo loco docebimus. Aduertendum tamen interim est, in definitionibus medicis Galeno tributis:[u] erysipelas dici ignem sacrum, qui à bilioso sanguinis generationem obtineat. A bilioso inquam sanguinis, non autem à bilioso sanguine: vt ex ichore sanguinis bilis naturam sapiente, fieri intelligatur.

Ex excrementitia verò, calore naturali modum non seruante, variæ bilis species generantur: quæ non sapore distinguuntur, cùm omnis amara sit bilis, sed colore præsertim euariant.

Vitellina, quam & luteam dixit Galenus,[u] primas tenet: quam ita nominant, quòd oui campestrium Gallinarum vitello crudo tum colore tum crassitudine sit similis.[x] Generatur autem hæc, vel in vasis[y] ab inspissata flaua bile, & eius ichore à calore vasorum ex parte consumpto: vel in ventriculo calidiore,[z] ex assato melle, aliisque dulcibus eduliis. Talia enim cùm diutiùs in ventriculo morãtur, nec tempestiuè concocta aut distributa sunt: sed ad extremum sunt excocta:[a] flaua ignea, & crassa, vitellis ouorum similia euadunt. Verùm quæ in ventriculo generatur, minùs propriè, & æquiuocè tantùm, vt adnotat Auerrhoës:[b] vel saltem analogicè bilis est.

Ad vitellinam referri illa potest, quæ à Galeno,[c] rufa appellatur: crassa vt vitellina, sed colore paulò obscurior: seu ex superassata illius portione, seu ex admixtione alterius succi vigor ille rutilans flaui coloris deperdatur. Flauo colore rufum esse obscuriorem, non solùm testatur Scaliger:[d] sed præterea ex eo docemur, quòd color qui græcis ξανθὸς dicitur & latinis flauus, à

k Lib. 1. de cris. cap. 11.
l Gal. com. 3. in 3. epid. co. tex. 9.
m Gal. lib. 8 de doct. Hipp. & Plat. c. 5
n Idem com 3. in 3. epid. com. tex. 2 2.
o Gal. 3. in libr. progn. com. tex. 28
p Idem 2. de diff. febr. c. 1.
q Lib. 2. de nat. facult. cap. 8.
r Com. 1. in libr. de nat. hom. comm. tex. 4.
s Gal. lib. de atra bile c. 2.
t Gal. 5. in 6. epid. comm tex 14.
u Textu recens citato.
x Gal. lib. 2. de nat. fac. cap vlt. & 2. in lib. progn. com. tex. 8.
y Idem lib de atra bile. c. 2.
z Idem cit. 5. in 6. epid. com. tex. 14.
a Gal. lib. 2. de fac. nat. cit. cap. vlt.
b Lib. 3. colli. cap 3.
c Lib. 1. de cris. cap. 12.
d Cit. exerci. 325. n. 12.

pallido eo solùm differat, quòd vegetior sit & magìs rutilans: [e] qui verò rufus appellatur & à græcis πυῤῥὸς ex xantho & phæo fiat quemadmodum in Timæo docet Plato. Phæus autem obscurus est ad nigrum accedens color, vt apud Rhodiginum [f] est, fuscus latinè dictus. Quare rufum, flauo obscuriorem esse oportet: cùm mixtione phæi à flauo distinguatur. Hinc bilis rufa turbulentior seu obscurior dicitur à Galeno [g] quàm vitellina, quæ vehementer flaua ab eodem appellatur. [h] Fit ergo bilis rufa, phæo aliquo seu obscuro succo flauæ bili admixto: obscuro inquam & sine fulgore, seu nigricans, seu albus crassus sit, aut leucophæus. Vnde nascuntur duo illa bilis genera, quæ apud Auicennam, & sequaces, maioris & minoris famæ appellantur: & frequenter in mesenterio stabulari consueuerunt. Maioris famæ & frequentiùs generari solita, ea nuncupatur, in qua bilis, & crassa pituita miscentur: minoris autem famæ, seu infrequentior ea dicitur, quæ ex bilis & melancholiæ permixtione consistit.

e Gal. cit. lib. 1 de cris. c. 12
f Lib. 16. lect. antiq. cap. 10.
g Eodem 2. de cris.
h Com. 2. in lib. prog. com. tex. 28.

Ex vitellina ab acri calore alterata, eiúsque flauedine in clarum virorem per vlteriorem vstionem mutatâ: fit æruginosa bilis, quæ vt ait Galenus, [i] vitellinam sequitur. Quæ & æruginosa, & rubiginosa etiam ex eo appellatur, [k] quòd rubiginis æris colorem imitetur. Eumdem Ziniariam vocat Auicennas, quòd rubigo ab Arabibus Ziniar nuncupetur.

i Lib. 5. de locis aff. c. 7.
k Gal. 2. in lib. progn. comm. tex. 21.

Eius tamen generatio non fit per incinerationem humoris, vt placuit Auicennæ: sed si id cuipiam humori accidat, soli atræ bili aduenit, vt proximo capite Galenum [l] sequuti docebimus.

At vlterius vstione in bile crescente (vt in calidis animalibus quæ aut fame aut siti torquentur & incandescunt accidere ait Galenus [m]) obscurior alia bilis generatur, quam cæruleam appellant. Ea cyani colorem imitatur, ad atrum tamen aliquantò magis vergens: quæ fusca & isatodes vocatur à Galeno, [n] quòd glausti, seu isatidis herbæ colorem æmuletur. Quam etiam aliquando obscuram nuncupat. [o]

l Lib. 2. de nat. facult. cap. vlt.
m Lib. 10. de simpl. med. fac. c. de felle
n Com. 1. in lib. de nat. hum. comm. tex. 4.
o Com. 4. in 6. epid. comm. tex. 4.

Quæ duæ posteriores bilis species, quoniam ingentis incendij sunt soboles: malignæ admodum, & mali moris esse consueuerunt. Quæ, vt in vasis ex vitellina propriè dicta generantur: ita aliàs eiusdem nominis, colore prædictis respondentes, sed analogicè tantùm bilis denominationem merentes, ex vitellina in ventriculo genitâ & vlterius assatâ produci posse, notat Montanus. [p]

p In cap. 2. doctr. 4. fen 1. lib. 1. Auic.

Ex prauitate ciborum frequentiùs, ea demùm in nobis generari solet bilis species: quæ prassina seu porracea, quòd prassij & porri foliorum colorem imitetur, nominari consueuit. Ea plerunque fit in ventriculo [q] ex succo quorumdam esculentorum aut olerum (qualia sunt betæ, cœpæ, & brassicæ folia) per inquinationem & calidioris ventriculi vitium, amarescente. Quod licèt negatum fuerit ab Auerrhoë: [r] experientiâ tamen probamus, ex relatis ac similibus cibis, necnon ex lacte in pueris talem bilem in ventriculo & intestinis generari. Quam cùm sæpè contingat ex Galeno [s] sine morbo euomi ac deijci; non in venis, sed in ventriculo genitam coniectamur: quæ aliàs non sine morbo, sed cum indicio grauis affectûs euomeretur, vt ab Hippocrate [t] discimus. Nam aliquando ab acriore calore flauam aut vitellinam in vasis assante genita in ventrem ex Galeno [u] reiecta decumbit. Sed maior est difficultas, à qua intemperie bilis hæc in ventriculo generetur. Galenus [x] ex cruditate fieri ait: atque ideo à frigore vt videtur, & imminuto calore, vt vulgò iudicant mulierculæ in infantibus viridia deijcientibus.

q Gal. lib. 2. de temp. cap. vlt. ad mediũ & lib. de atra bile cap. 2. & 2. in lib. progn. com. tex. 39.
r Lib. 3. coll. cap. 1.
s Lib. 3. de alim. facult. cap. 39.
t 2. progn. tex. 39
u Comm. in eumdem Hip. tex.
x Cit. 2. de temp. de atra bile & com in sent 39. a prog.

Verùm cùm amarorem vi caloris excitari præcedenti libro docuerimus: nõ potest ciborum chylus aut lac amarescere, & in naturam bili analogam conuerti, nisi excedentis caloris alicuius occasione: qui lac quod facilè in bilem vertitur, & cibos potentiâ calidos inquinet potiùs quàm debitè concoquat. Atque huius coctionis defectum Galenus cruditatem appellauit. Tandem à venenato viperæ morsu sanguis ipse nonnunquam in bilem porraceam conuertitur: vt ex historia cuiusdam viperarum venationi addicti docuit Galenus. [y]

y Lib. 5. de locis aff. cap. vlt. aliquantò post principiũ

De melancholia & atra bile.

Capvt VII.

MELANCHOLIA alia naturalis dicitur, quam elementariam vocat author definitionum medicarum apud Galenum, nos alimentariam appellamus. Quæ crassior est massæ sanguinis portio, cæteris eiusdem generis humoribus mixta, & cum aliis ad alendum corpus per venas mixtim distributa. Alia excrementitia est; quæ vel secundùm vel præter naturam generatur. Illa veluti fœx sanguinis à Galeno [a] dicitur, frigida & sicca, terræ naturam redolens. Quæ non semper in iecore etiam benè temperato quasi limosum sanguinis excrementum vt Galeno visum est [b] producitur. Sed vt suprà [c] explicuimus, vel in liene, si quãdo aliquid eius chylosi crassamenti quod per ramũ splenicũ attrahitur, procuratã attenuationẽ effugiat: vel in hepate sicciore præsertim si id etiam frigidũ fuerit: vel in eodem quomodocumque affecto, si chylus portione fœculentâ & nigrâ nimiùm

a 4. aph. com. 77. & lib. 6. com. 11 & 53
b Lib. 5. de vsu part. c. 6.
c Cap. 2.

abun-

abundauerit. Primo casu, eiusmodi crassamenti terrestrior portio, quæ ad vtilem præparationem duci non potuit, sed austera euasit: tanquam inutilis, vel per eumdem ramum splenicum in mesenterium & intestina, vel in renes per arterias emulgentes, vel per vas breue in ventriculi fundum amãdatur. Quò non inutiliter trãsmitti fertur: sed austerã & adstringẽte qualitate, inquit Galenus[d] ventriculum intendere atque contrahere in se ipsum, eúmque cogere cibos ad vnguem circumplecti, & retinere quousque fuerint percocti. Auicennas verò,[e] virtutem attractiuam euigilare superiùs, id est appetentiam excitare, scribit; vt à Valesio[f] confirmatur. Verùm neutrum à melancholia fructum capi existimo non posteriorem: quia vas breue in ventriculi fundum, non ad illius os vbi appetentiæ est sedes implantatur. Sed neque priorem: quia & minor est melancholiæ copia quæ in ventriculum amandatur, quàm talem effectum producat: & seu ea ante, seu post assumptos cibos in ventriculum transmittatur, vtroque tempore inutilis futura est. Ante quidem; quia nondum illa procuranda est ventriculi contractio: postea verò, quia cibi ventriculi fundum iam occupantes, austeræ illius & adstringentis qualitatis facultatem retundent, eámque corpori ventriculi se insinuare prohibebunt. At quando fœculentum hoc excrementum in iecore etiam, seu ob eius intemperiem, seu ob chyli vitium, aut lienis imbecillitatem, generatur: etsi lien semper aliquid chylosi crassamenti attrahat, eius tamen vi ad hepar vix pertingente, sanguinis massa nigri illius succi permixtione conspurcatur. Quod verò à liene cum sanguine ad se alendum necessariò attractum est, & inutile, post visceris nutritionem residuum est, quà commodiùs licet expurgatur. Aliquando copiosius in meseraicas amandatum illas infarcit. Aliàs cum splen ob imbecillitatem expurgationi est impar, ipse in tumorem attollitur. Lienem verò cum chyli crassamento, vel melancholiã sanguinem attrahere dixi: quod ille, nec melãcholiã, nec ciborum succo, sed sanguine, vt reliquæ corporis partes, licèt melancholico vt Galenus ait[g] nutriatur. Melancholicus autem sanguis non solùm appellatur,[h] sanguis cum melancholia mixtus: sed etiam qui in membris alteratus, ad melancholiæ alimẽtarię naturam peruenit. Cæterum succus hic, plurimus autumno, & frigidis, siccísque anni temporibus colligitur. Nonnunquam etiam authore Galeno,[i] æstate. Sed tunc ille magìs qui præter naturam est, ob adustionem per id tempus in nobis excitatam. In regionibus etiam pariliter temperatis, multus generatur: tum in his in quibus aër crassus esse solet ac fœculentus. Atque eò magìs si illi siccæ aliquæ exhalationes permisceantur. Qualem nostrum Aquensem esse contingit, ob demissum vrbis situm, quæ collibus est circumsepta, & quaquauersum habet diffusas aquarum thermalium scaturigines. Ætas ad multam melancholiam generandam aptissima, est finis consistentiæ & senectus incipiens. Hoc autem fœculento succo abundantes deprehendimus. Primùm ex natiua eorum temperie frigida & sicca, iecoris præsertim & lienis. Hic enim sic affectus chylosum crassamentum imperfectiùs attenuat: ac maximè si cor ad idem temperamentum inclinans, spiritus ad attenuandum imbecilliores in lienem effundat. Qui si cum frigiditate seu caloris remissione, sit etiam siccus, magnum eiusdem excrementi prouentum facit. Et iecur sic temperatum fœculentum sanguinem generat, & multo melancholico excremento conspurcatum. Secundò idipsum indicat præcedens diu continuatus vsus ciborum & potuum crassi nigrique succi. Cuiusmodi sunt legumina, atque inter hæc lentes magis; carnes bubulæ, ferarum, auium aquaticarum, leporum; pisces, ac thunnus præsertim; panis ex secale confectus; & brassica. Vina etiam crassa & nigra, necnon cereuisia crassior. His auxiliantur, somnus longior, otium, curæ, diuturnior tristitia. Ac demùm ad hoc maximè facit, fœculenti sanguinis per hæmorrhoides aut menses excretio suppressa. Symptomata quæ eamdem superabundantem detegunt, sunt totius corporis color ad fuscum vergens; cutis siccitas; timor & mœstitia;[k] pulsus paruus, infrequens, inæqualis, & imbecillus. Morbi tandem (qui omnes sunt tardi, & longi)[l] ex hac nascentes sunt morphæa nigra, icterus niger, lienis tumores renitentes, perseuerantes, & penè indolentes, schirri veri; quartani, & tardiores circuitus; varices; delirium cum mœrore & mœstitia; & elephantiasis Arabum.

Verùm præter hanc excrementitiam melancholiam niger quidam alius succus præter naturam in nobis generatur, quem Latini atram bilem appellant: cùm apud Græcos ex Galeno,[m] nullum ei sit nomen inditum. Quæ duorum est generum. Nam licèt eamdem efficientem causam vtraque nanciscatur calorem scilicet immodicum simúlque quasi vrentem: materiam tamen diuersam habet. Vel enim ex melancholia excrementitia & fæce sanguinis, vel ex bile flaua ad extremum superassata fit.[n] Cuius generis plurimam generare consueuerunt hi quorum totius, aut iecoris aut lienis temperies calida est & sicca. Quales sunt[o] qui macilenti, nigri & hirsuti, venásque habent latas: necnon prærubri & ruffi. Præsertim si crassioribus cibis & atrum succum generantibus, aut piscibus vescantur, salitis & aromatibus familiariùs vtantur, vina crassa & nigra, aut crassiorem cereuisiam largiùs potent. Sint nimiùm vigiles, impensiùs exerceantur; cutis excrescentur; aut frequentiùs irascantur. Ac maximè si eisdẽ talis excrementi consueta

d Lib. 5. de vsu part. c. 4.
e Lib. 1. fen 1
f Lib. 1. controu. cap. 10.
g Lib. 6. de locis aff. c. 1.
h Gal. lib. 10. de simpl. med. fac. c. de sang.
i 4. aph. cõ. 4.
k Gal. 3. de loc. aff. cap. 7. & lib. de plenit. cap. 11.
l Idem 2. aph. comm. 10.
m Lib. 2. de nat. facult. cap. vlt.
n Galen. lib. de atra bile cap. 5.
o Gal. citat. 3. de loco affect. cap. 7.

excretio ſupprimatur, huiuſmodi humorem ferum in illis abundare certiſſimum eſt. Quam copioſiorem in quocumque ex eo maximè detegimus, ſi moroſi ſint & doloſi, temerario aliquando impetu efferueſcentes mox animo deficientes: aut ex aduſta bile ferinis planè ſint moribus. Quibus etiam pulſus ſolet eſſe vtcumque durus, in magnitudine mediocris, & celer cum ea inæqualitate quæ ſyſtolem diaſtole celeriorem habet. Iiſdem æſtus in abdomine frequenter perſentitur, & rugitus multi, & frequentes vrinæ ardores; maximè ſi deuſtus ille humor in abdomine ſtabuletur. Tandem morbi ab huiuſmodi humore naſcentes, ſunt delirium cum moerore, ſtudio, aut taciturnitate, ſi à fæce deuſta: ſin verò à bile aſſata; cum mœrore, audacia, temeritas, furor, & loquacitas aliquando coniunguntur. Item ex alterutra magìs aut minùs deuſta, carbunculus, cancer, lepra, & elephantiaſis Græcorum generantur.

Verùm cùm Græci frequenter ſuccum omnem nigrum, tum alimentarium tum excremẽtitium, ſecundùm & præter naturam genitum, melancholiam dicant: quaſi nigrum ſuccum & μέλαιναν χολὴν id eſt nigram bilem: docendum eſt quo pacto in re, varij hi ſucci diſtinguantur, & quas particulares nomenclaturas ſibi vendicarint. Craſſior ſanguinis portio, quæ à nobis melancholia alimentariã, ab aliis naturalis appellatur: Galeno frequenter dicitur ſanguis melancholicus;[p] & Hippocrates ſanguinem atrum vocat[q]: necnon[r] τὸ μέλαν αἱματῶδες id eſt nigrum cruentum nuncupat. Succus autem ille niger & excrementitius qui quaſi fæx ſanguinis ſecernitur à liene, & ſecundùm naturam etiam in ſanis generatur: à nobis melancholia abſolutè dicitur, quam Galenus[s] humorem aut ſuccum melancholicum vocat, & ab antiquis atrum ſuccum appellatum refert.[t] Cui etiam nomen atræ bilis tribuit Hippocrates,[u] necnon & Galenus ipſe.[x] Differt autem fœculentus hic ſuccus, à melancholica ſanguinis portione ſeu melancholiã alimentariã: quòd ſanguis ille effuſus concreſcat, hic ſuccus verò minimè. Aduſta tandem & aſſata ea ſubſtantia quæ præter naturam ex melancholia aut bile flaua generatur: ab omnibus proprio & peculiari nomine bilis atra appellatur. Quæ in eo differt à melancholia: quòd hæc acerba ſit: quòd dum animal adultum ſaltem, naturaliter ſe habet, quotidiè generetur: quòd craſſa ſit & obſcura: & vtiliter aliquando per ſeceſſum aut per vrinas excernatur,[y] vt experientiã probamus in pluribus Eſt tamẽ talis excretio malæ ſemper cauſæ ſignum, ex eo quòd in his qui inculpatã ſanitate fruuntur, pauciſſimum huiuſmodi excrementum generetur.[z] Atra verò bilis acida eſt:[a] aut acetoſa potiùs & ſi ex aſſata bile, acris: quam nullum animal ne ipſi quidem mures guſtauerint:[b] à qua terra quoque raditur & fermenti ritu eleuatur; eadem planè ratione atque ex affuſo aceto acerrimo, ebullire terra conſueuit. Cùm autem par ſit vtriuſque hac ex parte facultas, ſubſtantiæ tamen modo plurimùm inter ſe diſcrepãt. Siquidem acetum tenuium eſt partium, & facilè permeat: bilis autem atra craſſa eſt, & quibus partibus pura impermixtáque adhæſerit, eas prorſus exedendo vlcerat. Præterea bilis atra in bituminis iudaici & picis modum ſplendet.[c] Demúmque in perniciem ſemper excernitur, vt cum Galeno[d] & Hippocrate,[e] ait Fernelius.[f]

Ex quo autem generetur ferinus & pernitioſus is humor, non ſine controuerſia diſquiritur. Indubitatum tamen eſt, eum vel ex melancholia fieri, quando ſeu per putredinem acorem conceperit;[g] ſeu à vehementi & vrente calore acrimoniam acquiſiuerit: ſeu immodicè calefacta exaruerit.[h] Vel ex flaua bile, quoties ab immodico & igneo calore percoquitur, & per alias bilis præter naturam ſpecies quaſi per diuerſos vſtionis gradus trãſiens, in atram omnium perniciofiſſimam commigrat. Sed præterea Auicennas,[i] ex ſuperaſſata etiam pituita ſalſa, bilem atram generari docuit: quod etiam aſſertum eſt ab authore definitionum medicarum Galeno aſcriptarum: & vtrumque ſequitur Fernelius.[k] Verùm licèt is humor, ad feritatem atræ bilis plurimùm accedat: tamen neque atrum colorem induit, neque acetoſam acritudinem acquirit vnquam: ſed ad maiorem ſalſedinem vlteriore aduſtione peruenit. Hinc Galenus duas tantùm ſpecies bilis atræ memorat.[l] Meminiſſe oportet inquiens, earum quæ alibi ſunt adductæ diſtinctionum de atra bile; nam vna quidẽ gignitur bile flauã multùm aſſã ſiue peruſtã, quæ numeris omnibus eſt atrociſſima; altera verò ſanguinis, vt ita dicam, fœce, quæ vt illa quidem craſſior eſt conſiſtentiã, ſic multùm ab ea recedit perniciæ qualitatis. Guido Cauliacus,[m] ex ſanguine etiam atram bilem generari poſſe inſinuat: cùm alopeciam lepræ ſpeciem aſtruit, ex ſanguine excitatam. Quod tamen rectè, Fernelius,[n] fieri poſſe negauit: quoniam ante in melancholiam ſalutaris ille humor abeat oportet; quàm in tantam perniciem mutetur. Galenus autem ſi aliquando,[o] à calida affectione in cerebro ſanguinem exuri poſſe, atque ita bilem atram gigni ſcribat; ſimiliáque aliis in locis referat nuſquam cenſuit, ſanguinem in bilem atram propriè dictam immediatè conuerti, ſed primò craſſiorem & nigriorem ſolitò reddi, ſicque intermediam melancholiæ naturam ante ſubire. Quod apertiſſimè idem explicat,[p] cùm inquit. Quòd ſi ſanguis ſupra modum aſſatus fuerit: pars quidem eius ſubtilior & pinguior, omninò in flauam conuertitur bilem: quæ autem eſt craſſior in atram. Quod in his tumoribus, qui

carbunculi

p Lib. 3 de locis affect. cap. 6. aliquantò poſt medium.
q Aphoriſm 21 lib 4.
r Sent. 608. coac
s Lib de atra bile cap 3. & lib 14 meth cap 9.
t Lib. 2. de fac nat c. vl
u Lib. de nat. hum. ſect. 1. tex. 18.
x Lib. 5. de vſu part. c. 4.
y Gal. cit. ca. 3 de atra bile
z Idem lib 5. de vſu part. cap 6.
a Idem lib. 3. de loc. aff c. 7.
b Cit. 14. meth cap 9.
c Gal. lib. 3. de ſympt. cauſ. cap 2. & lib de tumor. præter nat. cap 6.
d Lib de atra bile cap. 3.
e Lib 2. prog. ſent. 22. & 29.
f Lib 6. Phiſiol. cap. 9.
g Gal cit 6. vlt. lib 2. de natur facult.
h Idem lib. 2. de criſib. c. 12.
i Lib. 1 fen 1. doct. 4 cap. 1.
k Cit lib 6. Phyſiolo. c. 9
l Lib. 6. aph. comm. 12.
m Tract. 6. doct. 2. cap 3
n Loco citato
o Comm 2 in 1. prorrhet. comm. tex. 19
p Lib. 2. de diff. febr. c. 9

carbunculi appellantur, contingit: nam in his ex sanguine supra modum efferuescente, ad melancholicum humorem fit transmutatio. Ita autem hoc loco accipi volo melancholicum humorem, vt qui nondum exquisitè in atræ bilis naturam trãsierit: sed in quodam sit confinio. Sed antequam huic capiti finem imponamus, cùm docuerimus melancholiam esse fœculentum succum, crassum, ad motum tardum, siccum & frigidum; quem ideò ad sapientiam maximè ineptum esse coniectari liceat. Atram præterea bilem acrem admodum, sæuam, mordacem, & naturæ nostræ inimicam esse affirmauerimus. Inquirendum est, quomodo fieri possit melancholicos apud Aristotelem,[q] dici ingeniosos: & tales experimento comprobari. Quod breuiter sic explicamus. Qui frigidâ illâ & fœculentâ melancholiâ propriè dictâ abundant, tantùm abest vt ingeniosi: quin potius à Philosopho stolidi & ignaui indicentur. Qui item supra modum bilem atram colligunt, quos mero habitu atrabilarios dixit Aristoteles: in temerariam potiùs confidentiam, desipientiam, furorémque labuntur; quàm aliquam ingenij præstantiam consequantur. Si verò eum in modum temperentur, vt ætate ad consistentiam vergente, sanguini vegeti caloris efficaciâ probè cocto & debitè elaborato, atræ bilis modica portio permisceatur: egregij singularésque redduntur. Cùm enim ad præstantiam ingenij, docilitas seu intelligendi promptitudo, sedula meditatio, memoriæ tenacitas, & quædam sui diffidentia cæterorum comes requiratur: prædicti ad omnes huiusmodi dotes aptissimi inueniuntur, vt tractatu secundò[r] fusiùs explicaturi sumus.

q Sect. 30. probl. 1.

r Lib. singul. cap.

De sero & ichoribus.

CAPVT VIII.

ETSI nec serum nec ichor humoribus annumerentur: quia tamen illud his intra vasa consociatur, hic verò ex illis quasi eliquatur. De vtriusque natura hoc loco opportunè tractari debere videtur. Serum ergo aqueum illum liquorem ad alendum inutilem appellamus qui sanguini in venis commiscetur. Inutilem ad alendum dicimus, quoniam non potest ea substantia coctione vllâ sic incrassari, vt partium viuentium soliditatem assequatur. Seri materia est omnis ea fluidior aquea tenuis substantia, quæ vel cibis permiscetur, vel ab eisdem eliquatur. Quæ vbi tanquam vehiculum cremoris cibarij, meseraicas & hepar peruasit: atque id totum quod ad alendum est vtile debitam in iecore alterationem & mutationem subiit, ne sanguis dilutior quàm par sit in venas diffundatur: partim vim attractricem renum effugiens, in venas & arterias illabitur, vt iuxta Hippocratem,[a] sit alimenti vehiculum, sanguinem ad fluxum habilem conseruet & eumdem ad distribuendum vt ait Galenus,[b] facilem reddat. Sicque permixta sanguini serum speciali nomine appellatur, & sanguini per venam sectam extracto ac iam concreto innatare cernitur. Idipsum autem vbi officio satisfecit, & sanguinis distributioni ad minimas vsque particulas inseruiuit, tandem vel per insensilem transpiratum dispergit, vel per sudorem euacuatur. Quia verò serum, terreæ substantiæ succorum cum quibus hepatis angustias vasaque peruadit tenuiores aliquas superexcoctas partes secum vehit: salsum saporem, aut subamarum aliquando, acquirit. Citrinum præterea colorem tum exinde, tum vi moderati caloris membrorum illud excoquentis consequitur. Atque vtrinque consistentiam, aqueâ paulò crassiorem obtinet. A quibus conditionibus, quãtùm seu per excessum seu per defectum abest: tantùm vel agentis intemperatam remissionem, aut intensionem arguit; vel terreæ illius substantiæ succorum sibi permixtæ maiorem aut minorem copiam, vel ductuum per quos transcolatur obstructionem aut laxitatem nimiam. Quòd si aliquando, seu renum seu iecoris vitio serum maiore copia vel per vasa diffusum, vel in diuersas corporis cauitates effusum colligatur: diuersorum generum affectus, eósque graues inducit, dolores capitis varios, articulorum cruciatus, dolores in habitu vagos, hydropes, succorum feruores, & similes. Potest autem cùm naturæ infestum est, triplici viâ expurgari: per vrinas, sudores & aluum.

a Lib. de ali.
b Lib. 3 aph comm. 35.

Seri copiam suspicamur ex iecoris aeri calore, qui succos eliquans plurimum serum generare solet. Præsertim si ita affectus soleat plerunque in œdematosos morbos incidere. Si copiosus potulentorum vsus, aut horariorum fructuum esus præcesserit, paucæ autem vrinæ fluxerint, & rarus fuerit sudor, absque lienteria. Si otiosam vitam duxerit, somno indulserit, tristitiáque sit affectus. Idipsum autem euidenter significant, si suppressæ sint vrinæ. Si doloribus vagis non tam promptè desinentibus, nec tensiuis, quispiam teneatur. Si tumoribus laborer qui facilè cedentes vestigium non retineant, nec tamen cum sonitu in priorem statum celerrimè reuertantur. Si frigidas distillationes in modum illabentis aquæ per dorsum irruentes frequenter patiatur. Ac tandem si sanguis venâ sectâ effluens in serum maiore ex parte eliquetur.

A seri natura non multum abest ichor: qui propriè ea est humorum portio, à qua eorum substantia liquida redditur; vt à Galeno insinuatum legimus,[c] & pluribus indicatum à Mercuriali.[d] Ieho-

c Comm. 1. in 6 epid. cõ. tex. 15.
d Lib. 4. variarum lect. cap. 12.

rem Platonis interpres in Timæo cruorem appellauit: de quo sic loquitur. Cruor qui sanguinis residuum est & defluxus, lenis est ac mitis: qui verò bilis atræ, acris & agrestis. Humorum enim cuilibet suus est congenitus ichor tenuísque & serosa humiditas, vt habet Galenus:[e] & apertè insinuatum est ab Hippocrate.[f] Cùm purulentum ait (sic enim ichorem appellat) ex sanguine & ex aliis humiditatibus. Necnon[g] dum inquit: quicumque morbi in iudicatoriis diebus iudicantur, & febrilis ignis dimittit, in his de pituita & bile, quod tenuissimum est eliquatur & secernitur. Hinc cùm ichores sint veluti humorum colliquamentum quorum colorem cæterásque qualitates æmulantur: eorundem etiam naturam retinent, súntque alij aliis mitiores aut deteriores. Separantur autem ichores à propriis humoribus: vel his à vehementiore calore per efferuescentiam colliquatis, vel eisdem putrescentibus, vt ab Hippocrate indicatum est.[h] Prioris occasione fit, vt melancholici (qui scilicet per vstionem succorum tales euadunt) plurimo sero abundent, quemadmodum adnotauit Valesius.[i] Calor enim deurens & assans, humidum aqueum rerum assatarum eliquat. Putredo autem, cùm succorum, vt cæterorum putrescentium, humidum à sicco separet idipsum facillimè præstat. Solent verò ab humorum ichoribus, quos semel genitos imbecillior natura non expurgauit, plurimi affectus generari: ac præsertim cutis ea vitia, quorum cita est impressio. In quibus crassior quidem ichor bullas excitat vbi subsistit: qui si feritate acrior existat, cutem exulcerat subiectámve carnem exedit: dilutior verò, vt docet Duretus,[k] cutem maculis fœdat. Quoniam verò vt plurimùm acris eius est & maligna conditio: nonnunquam ichoris nomen pro virulento malignóque sero vsurpatur: vt ex Hippocrate & Galeno Duretus monet.[l] Et Fœsius ἰχῶρες saniem verti inquit,[m] vt humorem quemdam serosum, aqueum, tenuem, virosum, malignum, & exedentem explicarem. Hinc Galenus[n] sanguinem ichoroïdea ab Hippocrate illum appellari aduertit, qui non simpliciter tenuis sit & aqueus, sed qui venenosâ aliquâ & malignâ facultate præditus sit. Tandem ichoris etiam nomine, tenue vlcerum id excrementum intelligitur, vt docet Galenus,[o] quod propriè sanies à latinis appellatur, & vlcera humida reddit. Celsus tamē saniei duo genera facit;[p] ichorem & meliceriam: quorum ἰχῶρ tenuis, subalbidus ex malo vlcere exeat, maximéque vbi neruo læso inflammatio sequuta est. meliceria verò crassior, & glutinosior, subalbida, mellique albo simillis feratur.

e Com. 3. in lib. de alim. com. tex. 21.
f Lib. de alim. ad finem.
g Lib. 1. de morbis tex. 317.
h Eodem lib. 2 de morbis.
i Com. 2. in 6 epid. comm. tex. 32 & 33
k Lib. 1 coacar. tract. 4. cap. 2. comm. tex. 14.
l Lib. 1. in coacas comm. tex. 120.
m Com. in 2. epid. sect. 1. comm. tex. 1.
n Comm. 2. in 6. epid. com. tex. 38.
o Lib. 3. method. cap. 3.
p Lib. 5. cap. 26. sub titulo de sanguine, sanie & pure.

De vaporibus & flatibus.

Capvt. IX.

Qvia vapores & flatus, in nobis, maxima ex parte ex humoribus generantur: cùm non alibi commodiùs de illis tractari queat, de his hoc loco agendum esse iudicamus. Vapor enim vt ait Galenus[a] est humor extenuatus, seu vt ait Aristoteles[b] à calido combustiuo in aërem & spiritum excretio ex humido madefactiua. Flatuum autem non alia quàm vaporum natura est: qui eo solùm inter se differunt: exhalationes etiam sub vaporum denominatione comprehēdendo. Quòd flatus, sint vapores cum sensibili quadam renitentia aut cum sonora collisione ad partes per quas feruntur moti. Vapores autem sint flatus qui liberiùs membra permeent, & per patentes corporis ductus quasi insensiliter exhalent. Atque ideo vtrisque spiritus seu flatûs nomen inditum est ab antiquis. Etenim vt apud Aristotelem legitur:[c] & vapor est ex humido in spiritum facta secretio: & spiritus appellatur fluxus aëris, seu aëreæ substantiæ in longitudinem continuus. Galenus item,[d] halituosos spiritus eos nominat, quos φύσας etiam id est flatus vocari scribit. Vbi, & quando flatus inquit,[e] esse de genere spirituum, spiritum pro tenui omni & aëtea substantia vsurpat: varium enim admodum est spiritûs significatum, vt suo loco docebimus.

Quoniam verò Medici vapores à flatibus, atque hos ab illis vicissim sæpiùs discernunt: singulorum propria persequamur. Vaporum ergo materia, sunt humores omnis generis: qui à quocumque calore attenuati, in halitum & aëteam substantiam soluuntur: & per habitum vt plurimùm dissipantur. Quorum in siccis statibus plurimùm ex Galeno[f] dissoluitur, in humidis verò paucissimùm. Quoniam siccitas calorem nostrum exacuens, eumdem magis attenuātem reddit. Humidus autem aëris status, quia simul tepidior est, calorem nobis innatum torpidiorem facit: à quo succi in crassiores vapores dissoluuntur: qui diuturniùs in membris asseruati, affectus quosdam nebulosos, ac caliginosos in nobis excitant: quales maximè vigentibus austris sentimus. Vapores autem etsi per corporis ambitum & circumferentiam totam efferantur: sursum tamen, vt solent leuia, magis feruntur. Vnde Hippocrates[g] caput inquit, supra situm est, sursum cauum ac rotundum existens, & humiditatem ex reliquo corpore complectens: & corpus simul vapores omnis generis sursum in caput demittit. Neque tamen vapores semper, rectâ sursum tendunt: sed per patentiora loca quaquauersum, vel per se vt in commodiora loca, vltrò feruntur, vel vi huc atque illuc, ab hoc illóue membro im-

a Lib. 1. de simpl. medic. facult. cap. 8.
b Lib. 4. meteor. cap. 9.
c Loco eodem
d Lib. 3. de sympt. causis cap. 2. aliquādo post medium.
e Com. 3. in 1. epid. comm. tex 8.
f Comm. 1 in 1. epid. comm. tex. 8.
g Lib. de glandulis.

impellente truduntur. Qui si alicubi aliquando consistant, varia dolorũ genera, varios affectus excitant. Atque id vel pro eleuati vaporis natura, & quantitate : vel pro perenni eiusdem, aut interpolato ad membrum læsum occursu: necnon pro dignitate, sensu, & conformatione partium affectarum. At flatus non à quibuscumque humoribus æquè excitantur. Rarò quidem à bile ex Hippocrate & Galeno. [h] Plurimi verò à pituita & melancholico succo. A pituita quidem & cruditatibus; quoniam substantia quæ humida est & crassa, facillimè in vapores soluitur. Quod aduertens Galenus, [i] cruditatem flatuum parentem esse dixit. Melancholicus autem succus, licèt terrestris & nimiùm humidus, fermentatione tamen in flatuum copiam abit. Quod ab Hippocrate indicatum est, [k] quando ab oximelle ait nigrorum est fermentatio, meteorismus, & amplificatio. Eleuatio enim illa & extensio, à flatibus qui à fermentato humore generantur, oritur. Flatuum efficiens, calor etiam est: sed is, pro materiæ natura, varius. Ex crudis enim succis plurimos eleuat, imbecillis calor. Nam vt docet Galenus, [l] sincera frigiditas prorsum halitum non facit : quòd scilicet ea omninò nec attenuat, nec conficit, nec alimentum dissoluit. Fortis autem calor cùm longo interuallo nutrimentum superet, ampliùs quàm pro halitu generando id attenuat: nisi tamen flatuosum sit naturâ : tunc enim gignitur quidem spiritus quispiam turbidus ac nebulosus, cæterum exiguus & breuis temporis, ita vt vno vel altero ructu vacuetur. At calor qui in cibos agit quidem, cæterum diminutè : is eos quodam quidem modo dissoluit, non tamen prorsus conficit; atque hinc oritur flatuosus spiritus. Qui item, [m] spiritum flatuosum non summè languente natiuâ caliditate ortum habere scripsit. Et flato repleri, ab ingeniti inquit, [n] caloris debilitate prouenit: eo namque rectè valente horum nihil exoritur. Verùm si humores admodum crassi sint & viscidi, à moderata etiam caliditate flatus, eodem Galeno authore, [o] generantur. Possunt enim à quocumque calore pro materiæ diuersitate flatus eleuari. Vnde idem Porrò halituosum spiritum, inquit, [p] in animalis corpore, ex succis qui lentè sensimue excalfiant, nasci didicimus. Quippe vbi tum insitus calor validus est, tum partis humiditas ad summum concocta, vtique in tenuem halitum soluta, insensibili transpiratu in ambientem effluit. Contrà, vbi vel ingenitus calor imbecillior est: vel naturalis humor tum semicoctus, tum crassus, tum glutinosus, ibi crassior excitatur halitus, quàm vt transpirare possit; ac potissimùm sicubi particula ipsa densior est reddita. Fermentatio autem melancholicorum, neque ab imbecillo calore, neque à medio cri : sed ab immodico calore fit. Ad terrestrem enim & crassam eam humoris nigri substantiam attenuandam potẽti agente est opus. Hinc Galenus, [q] ex sua Dioclisque sententia, flatulenta inquit, melancholia quam & hypochondriacam appellant correptos, plus caloris habere in venis his quæ à ventriculo alimentum excipiunt, eosdemque à frigidis cibis iuuari. Vt contra ater humor in prædictorum meseraïcis supra modum incalescens, & fermentatur, & in copiosos vapores flatúsque dissoluitur. Quorum illi ad cerebrum elati, melancholicorum symptomatum sunt causa: hi verò in abdomine retenti, rugitus & borborygmos inducunt. Quibus minimè aduersatur, cùm [r] de flatibus melancholicorum disserens eos ab ingenti caloris debilitate generari profitetur. Insiti enim caloris imbecillitas, æquè ab excessu atque à defectu prodit. Cùm autem diximus calorem immodicum melancholiam in vapores flatúsque dissoluere : per vaporem eo loco θυμίασιν seu exhalationem potiùs, quàm ἀτμὸν seu vaporem propriè dictum intelligimus. Halituosum enim quòd ex plurimùm humidis corporibus eleuatur, vapor propriè dicitur : quod verò à deustis aut supercalefactis corporibus nimiùm humidis emanat, exhalatio aut fumus rectiùs nuncupatur. Quare non iniuriâ Damascenus [f] scribit, fumus in corpore aliud est quàm ventositas, & pauci nouerunt discernere. Sed qui vtriusque materiam & efficiens cognouerit, facilè ex effectis, vnum ab altero discernet : vapor enim mitior est & minimè mordens, exhalatio verò & fumus acris est & mordax. Vbi notandum, quod non planè parergon est, Aristoteli à plurimis imponi, quòd velit exhalationem ex terra aut terreo corpore & sicco eleuari : cùm tamen is perspicuè asserat, [t] exhalationem esse communem sicci & humidi secretionem, quæ vniuersim à calore vstiuo fieri soleat.

Cæterùm flatus ex quacumque halituosa substantia generari possunt, seu vapor sit seu exhalatio. Atque hi ex quacumque materia in nobis geniti : si in caua & ampla loca effundantur, crassus autem & nebulosus ille spiritus excerni nequeat; illud symptoma excitatur, quod empneumatosis seu inflatio dicitur. [u] Sin verò per eadem loca, vel per angusta etiam ferantur : strepitum sonitúmque edere consueuerunt. Quòd si ex Hippocrate, [x] in partes carnosas ac molles se insinuent, torpores & tensiones inducunt : quales fiunt in his qui ex casu contusi sunt. Et plerunque, vt de vaporibus diximus, graues affectus nisi excernantur inferunt: & dolores multò vehementiores, quòd cum maiore impetu moueantur. Commune autem est omni flatulento vapori non facilè per insensilem transpiratum digeri, nec liberè aliunde etiam excerni : seu quòd à propria crassitie membranarum & cutis, poros peruadere impediantur; seu ob meatuum astrictionem, quæ natiuam aut aduentitiam membrorum & corporis habitûs densitatem sequitur. Particulatim verò in ventre & intestinis hærent : vel eorum

inter-

h Lib. 5. aph com. vlt.
i Lib. 4. de tuenda sanit. c. 5. in princ.
k Lib. de ratione victus acutor. sect. 3. sent. 38.
l Cat. lib. 1. de sympt. causis cap. 2.
m Comm. 4. in lib. de rat. victus acut. com. tex. 42.
n Comm. 3. in 6. epid. com. tex. 12.
o Lib. 9. de comp. medic. secund. locos cap. 9.
p Lib. 14. meth. cap 7
q Lib. 3. de locis aff. c. 7. circa medium
r Gal. citat. 3. in 6. epid. com. tex. 12.
f In aphoris.
t Lib. 4. meteor. cap 9.
u Gal. lib. 2. de symptom. causis cap. 2.
x Lib. de veteri medicina.

interceptis ductibus à fœcibus induratis, quocumquéue tumore; vel eorumdem peristalticâ vi collapsâ aut deprauatâ. Collapsâ quidem, cùm intestina se suis rotundis & transuersis fibris comprimere ad expulsionem nequeunt: deprauatâ verò, cùm peristalticus & compressiuus eorum motus, non à supernis partibus ad infernas procedit, sed contra, infernè sursum progreditur. De quibus ventris flatibus sic Hippocrates, [y] flatum sine sono ac crepitu prodire, optimum est: meliùs autem est & cum sono exire, quàm sursum reuolui; quamuis ita traiectus denuntiet inde vexari hominem, aut delirare, nisi prudens & sciens talem flatus exitum moliatur. Tandem sonori flatus si per os excernantur ἐρυγαὶ, ἐρυγμοὶ, & ἐρευγμοὶ à Græcis, à Latinis ructus appellantur. Qui per sedem πορδαὶ & peditus. At qui inde etiam sine sono exeunt βδέσματα καὶ βδεσμοὶ, & visia dicuntur. Qui verò intra ventrem audiuntur si soli sint & per tenuia intestina ferantur acutum & tenuem sonum reddentes, vti & qui per angustum ductum elabuntur τρισμοὶ nominantur. At per crassa intestina aut liberos ductus cum graui sono vagantes bombi nuncupantur. Vt denique qui humori per intestina illabenti mixti sonum quasi raucum edentes βορβορυγμοὶ & rugitus ventris appellantur. De quibus qui plura iocosa & seria desiderabit. Legat Goclenij Physiologiam crepitûs ventris. Nos quomodo abundantium flatuum notitiam habere possimus explicemus. Vbi primùm meminisse oportet flatus posse cum quacumque temperie caloris natiui vigorem infirmante, pro varia materię in nobis collectæ conditione generari. Frequentiùs verò post βραδυπεψίας pullulare. Ad eosdem cumulandos faciunt, crassus & caliginosus aër; crapula; flatulentorum esus vt leguminum ac recentium magis, tuberum, lacticiniorum, castanearum, raparum, & vuarum recentium: necnon & vini nondum defœcati, aut limosæ aquæ potus. Somnus item immodicus; otium; pedum ad frigidi corporis contactum perfrigeratio; ad frigidum lapidem diuturnior aut præter morem frequentata sessio. Tristitia item & crepituum coacta compressio. Actu tandem offendentes agnoscimus ex dolore tensiuo plus aut minùs, pro sensu partis, acuto. Qui aliquando ob copiam, aut ductuum locique angustiam adeò partes tendunt vt manu prementi haud cedant. Quòd si minimè renitantur, vestigium non relinquunt, & pars depressa etiam cum sono plerunque in priorem situm celerrimè redit. Vagos dolores excitant, qui vt de repente prehendunt; sic etiam promptè desinunt. Euidentissimè autem se in partibus internis sono, aut ructu crepitûsque frequentiâ detegunt: in externis verò ex recurrente aut perseuerante cutis palpitatione se produnt.

y Lib. 2 prognost. 14.

De multiplici humorum mixtione.

Capvt X.

Cvm hucusque singulorum humorum naturam, causas, & signa simus persequuti: quoniam nec sani vt plurimùm impermixtos habent humores, nec morbi nisi rarenter ex sinceris humoribus generantur: operæ precium erit de humorum permixtione tractare.

Quæ cùm ex multiplicis materiæ multiplici combinatione tam varia esse possit, vt plures quàm octuaginta mille differentias ludens Sanctorius[a] fieri posse inuenerit. Hic tamen neglectâ illâ inutili calculatione, tria medico vtilia consideranda aduerto. Atque ea sunt materia, sedes, & causa multiplicis humorum miscelæ.

a Lib. 7 meth. vitandorum errorum.

Quod ad materiam enim pertinet, contingit humores multis misceri modis. Etenim vel qui einsdem sunt speciei subalternæ inuicem miscentur; vt bilis pallida cum æruginosa. Vel diuersarũ specierum; vt bilis flaua, cum pituita; pituita, cum melancholia: vel qui diuersorum sunt generũ; vt excrementitius aliquis cum sanguine. Vel humor propriè dictus, cum eo qui æquiuocè tantùm humoris nomen meretur; vt pituita vitrea non putrescens, cum putri in epiala. Vel humor etiam aliquis cum ichore, vt bilis flaua, cum ichore sanguinis, in erysipelate.[b] Vel cum vapore aliquo acri, maligno, aut venenato intra nos genito, aut desoris adueniente; vt sanguis, cum viperæ venenato spiritu aut sanie.

b Gal. lib. de tumorib. præter nat. c. 10. c Idem lib. 5. de locis aff. cap. 7.

Sedes mixtionis, vel externa est, vel interna. Externa vt cutis; aut musculosa caro, per attus & habitum extensa. Vbi pro varia humorum miscela, in determinata quidem parte compositi tumores generantur; vt phlegmone œdematodes, œdema phlegmonodes, & alij: per vniuersam verò cutem diuersi nascuntur affectus cutanei, qui ratione causæ compositi etiam dicuntur. Interna sedes, vel est corpus & substantia viscerum: vel vasa & cauitates quælibet primæ, secundæ, aut tertiæ regionis. In visceribus quidem varios periculosos compositos tumores, variáque insanabilia tubercula excitant. In aliqua minùs nobili parte, pancreate videlicet, aut mesenterij aliqua determinata sede; variis notharum intermittentium febrium differentiis materiam præstant. In primæ regionis ductibus, affectus innumeros generant plurium humorum soboles: vt cardiogmos cum dolore tensiuo, vomitus varios, diarrhæas versicolores. In secundæ regionis vasis, continuas febres nothas

mille modis euariantes excitant. In tertiæ demùm regionis capillaribus vasis, & musculorum interstitiis lassitudines ex tensiua phlegmonode, aut vlcerosa variè complicatas causant: & dolores multiplicis læsionis sensationem mixtim exprimentes inferunt; aut qui pro vario diuersæ materiæ motu, per reciprocatas metastases, per articulos & varias habitûs corporis sedes mirè vagantur.

Causas demum tam variæ humorum miscelæ quinque reperio. Quarum prima est, inæqualis partium principum & officialium temperies. Etenim si ventriculus frigidâ & humidâ intemperie laboret, multámque pituitam generet, quæ ad iecur probè temperatum cum chylo attrahatur: quoniam defectus vnius coctionis non emendatur in alia: pituitam sanguini in venis permixtam esse competiemus. Secunda est diuersorum membrorum officialium imbecillitas. Vt si lien ad chylosum crassamentum attrahendum & attenuandum sit imbecillis, & iecur calidius aut siccius; melancholiam excrementitiam sanguini admixtam esse aduertemus. Ita si chystis fellis, aut renes, ad bilem, aut serum expurgandum sint lenti: sanguis, bilis permixtione conspurcabitur, aut plurimo sero nimiùm diluetur.

Tertiò plurium partium intemperies, cum earumdem expultricis robore, humorum mixtionis etiam est causa. Vt si accideret iecur calidius, multam bilem generare; & frigidiorem ventriculum, pituitam; lienem verò frigidum & siccum, melancholiam: singula autem hæc viscera, aut duo illorum, in determinatam aliquam abdominis partem, in pancreas scilicet, aut mesenterij portionem imbecilliorem, suam transfundant sarcinam, varios illic humores misceri continget. Quarta causa est eduliorum boni & mali succi, facilis & difficilis coctionis permixtio. Quæ cum maiori ex parte in excrementitios humores ob coctionis prauitatem conuertantur: vt plerunque dissimilis admodum sunt naturæ, ita in dissimiles humores simul etiam mixtos degenerant. Tandem humorum secundùm naturam semel admissa permixtione; superaccedente deinde ea perenni quæ in nobis fit alteratione, aut putredine superueniente: diuersorum humorum præter naturam genitorum, multiplex etiam permixtio succedit.

Sed his generatim explicatis, ad vnumquemque deinde spectat, suopte ingenio, in indiuiduis casibus, de cuiusque particularis concursûs materia, sede & causa, ratiocinando coniectari.

Materiam quidem qualis ad miscelam conueniat perquirendo, ex colore, sapore, odore, substantiæ modo, affectûs & symptomatum eum concomitantium idea.

Sedem, ex actione læsa: affectionum sede; doloris, & aliorum accidentium proprietate.

Causam tandem, ex natiua ægrotum constitutione, prægressa victûs ratione, & vigentium morborum natura artificiosè inuestigando. Sed de his fusiùs libro de morborum iudiciis agemus.



De ſemine, & ſanguine menſtruo.

LIBER QVARTVS.



POSTQVAM corporis humani prima materialia principia, in quæ tandem ipſum reſoluitur, tum ea ex quibus idem alitur & augetur explicuimus: operæ precium eſt, vt generationis eiuſdem materiam proximam, ſemen ſcilicet & ſanguinem menſtruum examinemus. Semen à ferendo deductum eſt, atque id omne vulgò appellatur quod ſeritur vt fructum ferat, ſeu ex plantis, ſeu ex animalibus decidat. Idque à Varrone [a] dicitur, non id planè quod inde. Quod à Lucretio frequenter & à Plauto, [b] ſeminium etiam nominatur. Licèt Turnebus, [c] per ſeminium ſobolem intelligat. Cælius Rhodiginus [d] admodum impropriè pro ſemine vrinam genitalem dixit. Græci varias habent voces quibus idipſum explicant: ſcilicet σπέρμα, γονή, & θορή, Quas cùm indiſcriminatim plerúnque confundant: earum tamen ſingulis proprium ſignificatum aſſignant. Sed variè Rhodiginus, [e] ſe apud Ariſtotelem obſeruaſſe notat, γονὴν, ſeminis indicare corpulentiam, & σπέρμα, generatiuum ſpiritum formatiuúmque qui ſemini potentiâ ineſt, & in quem genituræ corpus reſoluitur. Ipſe tamen Ariſtoteles, [f] γονὴ id vocatur inquit, quod à generante prouenicns cauſa eſt, quæ prima obtineat principium generationis: ſemen autem eſt, quod ex ambobus illis coeuntibus originem trahit, quale ſemen plantarum omnium eſt, & animalium in quibus ſenſus non eſt: velut id quod ex mare & fœmina primùm miſcetur, quaſi conceptus promiſcuus quidam aut animal. At vulgò ita ſolent diſtingui, vt σπέρμα, ſemen latinè reddatur, & primùm de plantarum ſeminibus prolatum, ad animalium etiam humorem genitalem transferatur. γονή, genitura à latinis dicitur, & vti apud Scaligerum legitur, [g] folius eſt animalis: ſeu ea in propriis vaſis contineatur, ſeu intra vterum ad conceptum ſit effuſa, modò nullam adhuc conformationem ſubierit, & liquidam retineat conſiſtentiam. Θορή, latinam vocem quam nouerim non habet: ſignificat autem ſemen ipſum genitale quod inter coëundum effunditur. Κύημα, nonnulli etiam de ſemine dici exiſtimarunt: & maſſam illam ſeminalem ſignificare quæ ex vtriuſque maris ſcilicet & fœminæ permixtione conſtat. Quod parùm à verò abeſt, vt ex Galeno [h] colligimus, qui fœtum duobus primis menſibus nondum ἔμβρυον, ſed Κύημα vocari ait. Ariſtoteles [i] tamen Κύημα vult ſignificare id, quod à conceptu ad partum in vtero contentum mulierem fœtam denominat. Vnde & Κύημα, ſolet per fœturam & conceptum explicari. Vbi etiam aduertendum eſt, ἔμβρυον, & παιδίον, non ita diſtingui, vt ἔμβρυον de fœtu conformari quidem cœpto, nondum tamen perfecto dicatur: παιδίον, de eo qui omni ex parte ſit abſolutus. Nam cùm ἔμβρυον de fœtu intra vterum efferatur: παιδίον puerulum ſemper & infantem ſignificat iam natum & vbera ſugentem. Cæterum ſemen principium materiale noſtræ conformationis agnoſcimus: quia ex eo proximè, ſolidiores & albæ omnes humani corporis partes in generationis exordio finguntur: oſſa videlicet, cartilagines, ligamenta, tendones, nerui, membranæ, neruex muſculorum fibræ, arteriæ, venæ, cutis atque aliæ quæ albæ ſunt & difficilè abſumuntur: cuius generis ex Galeno, [k] ſunt cerebrum, & ſpinæ medulla. Sanguinem verò menſtruum ideò alterum noſtri figmenti materiale principium facimus: tum quòd ille: partibus recens ex ſemine effictis alimentum & incrementum præſtet: tum quòd ex eodem quæcumque ſunt in nobis carnoſa fingantur. De vtroque ergo, hoc libro tractantes, non ſolum quæ ad eorum naturam & generationem pertinent: ſed etiam quæ ad hominis procreationem intelligendam faciunt, eâ breuitate quæ accuratæ tractationi nihil detrahat, explicare conabimur.

a Lib. 4. de lingua latina
b In milite actu 4. ſc. 2.
c Lib. 21. aduerſ. cap. 2.
d Lib. 13. lect. antiq. cap. 8
e Lib. 4. lect. antiq. cap.
f Lib. 1. de gener. anim. cap. 18.
g Comm. in cap. 3. lib. 1. de hiſt. anim. com. tex. 27.
h Lib. 1. de ſympt. cauſis cap. 7.
i Lib. 1. de gener. anim. cap. 18. lib. 2. euſdem cap. 3. & 6. de hiſt. anim. cap. 12.
k Lib. 1. de ſemine cap. 8

Quænam ſit ſeminis materia, & qua in parte id perficiatur.

CAPVT I.

QVAM varia Antiqui hac de re dixerint, legere apud Plutarchum [a] licet. Quantum verò recentiores in hac quæſtione dirimenda inter ſe diſſentiant: eorum ſcripta legentibus, ſatis ſuperque manifeſtum fiet. Quare vt in tanta ſententiarum varietate, quid cum ratione ſentiendum videatur

a Lib. 5. de placitis Philoſoph. cap. 5.

deatur aperiamus: quid seminis nomine intelligatur præmittendum censeo. Semen appellamus eam albam, viscinam, spumosam, liquidam,& prolificam substantiam: quæ ab homine ad venerem pruriente cùm pubertatem attigerit, inter cocundum effunditur.

Cuius prolifici nectaris materiam, dicimus neque esse totius corporis quoddam colliquamentum vt Hippocrati placuit: [b] neque vltimi alimenti seu mutati, [c] seu inutilis, excrementum, quod tale potentiâ sit (per acceptum in membris caractherem) quale est corpus cuius secretio est; vt voluisse videtur Aristoteles. [d] Sed ex sanguine & spiritibus semen fieri asserimus: qui à principibus membris, hepate, corde,& cerebro; per venas, arterias & neruos transfusi: in testibus tandem seminis naturam accipiant.

Hippocratis sententiam & seminis à toto decisionem, fusè impugnarunt Aristoteles, [e] Rodericus à Veiga, [f] Laurentius, [g] & alij: quos legere cuique licebit. Aristotelis verò sententia eisdem rationibus, quibus Hippocratis colliquatio, decisióue à toto, improbatur. Cùm enim seu excrementum seu colliquamentum partium dicatur ad seminis generationem concurrere, vt fœtuum ad parentes in singulis membris similitudinis ratio reddatur: oporteret vel minima ex minimis decidere, & ingentem seminis molem vno concubitu effundi: vel non poterit hâc viâ explicari causa similitudinis næuorum, verrucarum, foraminum, atque his parium: quæ talia in genito, qualia in generante fuerunt, plerunque notantur. Præterea cùm vltimi alimenti mutati reliquiæ, nondum sint membris similes factæ: nequaquam poterunt eorum similitudinem referre. Ad indicatæ autem veritatis agnitionem & assertæ propositionis probationem; quasi manu ducimur ex ipsa præsertim corporis fabrica, & partium seminalium textura. Cùm enim nihil in corporis formatione nisi prudentissimè, & singula cum compendio optimè effícta appareant: sui nobis instituti rationem natura ex harum partium fabrica palam faciet. Sed rationibus præterea, & diuersorum casuum historiis ad eiusdem veritatis confirmationem adiuuabimur. Quod ergo ex animalibus inter coeundum prolificum effunditur, & per vasa quæ deferentia appellantur in penem & vterum transmitti consueuit: non aliunde suæ generationis materiam accipit, quàm ex his quæ in parastatas & testes per qualiacumque vasa feruntur.

Quidquid enim cum antiquis aut cum recentioribus sentiamus: hâc tandem viâ, quod semen futurum est in colem aut vterum transfundi, admittamus oportet. Vasa autem seminalia quæ & præparantia appellantur, sunt vena & arteria vtrinque vna: quæ antequam testes attingant, per peritonæi productionem extra ventrem in masculis delatæ, simul commiscentur, & in multiplices ramulos discissæ, per mutuas anastomoses venarum arteriarúmque sociatos, miro modo intertexuntur. Eúmque plexum constituunt quem Galenus [h] capreolare conceptaculum, aliqui corpus aut vas varicosum, alij pampiniforme, nonnulli etiam varicosum pyramidale vocant, & Auicennæ interpres, [i] ouum appellauit. Quæ admirabilis venarum & arteriarum quasi per helices & capreolos intertexta coitio: non nisi ad vtriusque sanguinis venosi scilicet & arteriosi permixtorum, nouam præparationem & elaborationem efficta cogitari potest. Ex eo autem pyramidali corpore, materia quæ seminis quamdam deumbratam speciem à calore prædictæ parti insito iam accepit, in varicosum illud corpus illabitur quod priori pyramidali continuum, quia testis glandi alligatum superiacet, epidydimus appellatur. Inde verò per innumeras exiles & fistulosas fibras, per testium carnes variè, Galeno ipso adnotante, [k] dispersas: eadem ipsa præparata substantia, in testes effunditur. Vbi, seu eius portio in testium alimoniam cedat (vt communis fert sententia, licet eosdem per venas quæ per erythroidem disseminantur ali, probabiliùs videatur) seu totum ad prolis generationem destinetur: cum spiritu animali, qui ad testes fertur per neruos partim à sexti paris propagine costali, partim à vigesimo primo pari medullæ spinalis ortos, nouâ elaboratione permixtum: vim prolificam, & seminalis substantiæ complementum assumit. Atque demum inde per easdem fistulosas epidydimi fibras, in vas deferens ad eiaculationem transfunditur. Cúmque in vasis quæ ad pyramydalis corporis figurationem concurrunt, nulla vnquam alia substantia per cadauerum sectiones sit inuenta, quàm quæ in aliis venis arteriísque solet contineri: non aliam hâc viâ materiam, præter sanguinem & spiritum vitalem, ad seminis generationem subministrari, sensu ipso indice demonstratur.

Hæc autem ad prolificum semen perficiendum non sufficere, illud nobis persuadet: quòd cùm proles, parentum non effigiem solùm, sed temperaturam etiam imitetur: oporteat ex tribus saltem principibus partibus decisum aliquid, ad seminis figmentum concurrere, quod cuiusque principis partis crasim referat, & in geniti principibus membris, consimilem temperaturam imprimat.

Quare, vt hepat sanguinem per venas, cor spiritum vitalem per arterias subministrat:

b Lib. de genitura.
c Arist. 2 de gener. anim. cap. 3.
d Lib. 2. de gener. anim. cap. 4.
e Lib. 1. de gener. anim. cap. 18.
f Comm. in cap. 46 & 47. artis medica.
g Lib. 8. anat. q. 4.
h Lib. 1. de semine. c. 14.
i Lib. 3 fen. 20 tract. 1. cap. 1.
k Lib. 1. de semine. c. 16.

ita oportuit cerebrum, animalem spiritum per neruos impartiri. Cuius cùm maximè sit excocta, ac tenuissima substantia, non decuit illum in pyramidales illos helices quò iteratam curiosam præparationem subiret diffundi: sed iam accuratè præparatis sanguinibus, in ipsa testium glandulosa substantia permisceri. Ideóque huius præsertim gratiâ, vas deferens veluti nerueum & perobscurâ cauitate donatum, effictum est: vt per illud, semen tenuissimo eo spiritu turgens securiùs deduceretur. Cerebrum autem quidpiam, imò & plurimum, ad seminis facturam largiri, ex eo probamus: quòd cerebri & oculorum vis, nimio coitu maximè exoluatur. Tum quòd coitum non expertis, pueris scilicet & eunuchis, caluities non adueniat. His enim, cùm non æquè atque aliis, cerebrum, ad elaborandos spiritus qui importuniùs dissipantur intentum, exsiccetur; plus inest quòd in capillorum prouentum suggeratur. Sic ectomiæ, seu execti boues, cornua maiora gestare visuntur. Ex hac verò copiosi tum vitalis tum animalis spiritûs permixtione; semen spumosum euadit: spumosis eius bullis citissimè subsidentibus, si quando extra vas naturale effundatur; quod spiritus nisi cohibeatur promptissime exhalet. Albedinem autem semini, tum vlterior coctio tribuit, tum propria substantia partium in quibus elaboratur, dum appositam materiam sibi assimilare conatur. Eidem verò viscidit atem largitur, sanguinis vlterius excocti cohærens crassities.

Verùm hoc tandem non alibi quàm in testibus post multas præparationes perfici, probandum nobis adhuc est. Quod ab Aristotele negatum legimus,[l] qui in meatibus semen perfici profitetur: testes autem vasis appensos alligari eo modo quo pondera textrices telis annectunt, vt longiore meatuum productione, animalia ea quæ casta magis esse conueniebat, à nimis crebra & importuna libidine auerterentur. Quæ enim, inquit, aut testibus carent, & seminales tantùm meatus habent: aut quæ cùm illis non careant, eos tamen intus habent: eadem propensiora promptioráque sunt ad venerem. Animalia præterea reperiri testatur, quæ sine testibus semen generent: serpentesque & pisces profert in exemplum, qui quamuis sine testibus, coire tamen visi sint, & seminaria vasa habere genitali semine plena. Nonnulli verò in prostatis solùm, seu glandulosis illis corporibus, quæ ad virilis pudendi radicem sita sunt, & à Galeno[m] seminis affluentiæ receptacula nuncupantur, semen perfici affirmarunt. Quò ex eo ducti feruntur, quòd in testibus semen plerunque iustò liquidius & plus æquo serosum, atque ideò ad prolem ineptum reperiri consueuerit: in prostatis autem, non nisi debitè elaboratum, atque ad generandum efficax inueniatur. Atque inde contigisse aiunt, quod apud Aristotelem habetur,[n] taurum impleuisse vaccam quam mox à castratione iniuerat. Quia scilicet resectis testibus, semen perfectum in prostatis fuisset reseruatum. Contra eos steriles reddi: quibus licèt integri sint testes, ex vlcere tamen aut ab immodica venere, ita laxati sunt prostates, vt semen continere neque ideò coquere & absoluere queant.

Verùm mihi multò magis probatur & placet, Galeni sententia: qui[o] semen in parastatis quidem & anfractuosis illis capreolis corporis pyramidalis & epidydimi præparari docuit; in testibus autem absolui & perfici. Quod vltimum ex eo confirmamus, quia cùm probatum sit animalis spiritûs concursum ad prolifici seminis complementum necessarium esse, ille autem non alibi reliquæ seminali materiæ permisceatur, quàm in ipsa testium glande: semen ibidem absolui & completi sequitur: eùm illi nihil præterea ad perfectionem requiratur. Non antè verò spiritum animalem materiæ seminali permisceri, inde patet, quòd nullus neruus vasis præparantibus consocietur, ad varicosorum illorum plexuum texturam: cùm tamen natura testibus neruos tribuerit, qui per eorum glandem disseminantur. Præterea cùm semen in testibus ipsis plerunque inueniatur: vti à Galeno proditum est,[p] & nos in publicis dissectionibus frequenter animaduertimus. Et in auibus, ac ouiparis quadrupedibus, ex ipso Aristotele[q] testes excrementum genitale recipiant: non ad solam vasorum suspensionem hos fabricatos fuisse existimandum est; sed ad id perficiendum, quod tanta iam arte elaboratum in illos natura transfundit. Præsertim cùm testes eo polleant caloris temperamento, à quo non solùm peculiaris testium natura regitur: sed per cuius eclampsies & emicatus, totius corporis robur integrum conseruatur. Quibus nisi nobilius quoddam officium, quàm seminaria vasa suspendendi, à sapientissimo Creatore esset commissum: non tanta caloris præstantia, illis tributa fuisset. Ac demum, cùm exectis aut collisis testibus, eâ etiam industriâ vt seminalia omnia vasa integra & illæsa conseruentur, nullum vnquam genitum fuisse prolificum semen scribatur, licet sic oblæsi aliquando coeant & seminalis corpulentiæ substantiam effundant: an non fatebimur, solis illis inesse vim conferendi prolificam facultatem semini? Ratum enim est, ei, rei cuiusuis efficientiam deberi: quo præsente res illa producitur, absente verò nequaquam. Elisis autem vel exectis testibus coire nonnullos prætetquam Phauorini clarissimi olim Romæ Arelatensísque Philosophi exemplo, apud

Rhodi-

l Lib. 1. de gen. anim. c. 4
m Lib. 14 de vsu part. cap. 11.
n Cit. lib. 1. de gen. anim. cap 4.
o Lib. 1. de semine cap. 14. 15. & 16.
p Cit. lib 1. de semine. cap. 16.
q Eodem lib. 1. de gener. anim. cap. 4.

Rhodiginum [r] comprobatur: idipsum, sæua consuetudo pueros euirandi non dudum apud Turcas introducta, confirmat. Solent enim hi Eunuchis virilia omnia pubi æquare, ne qui solis exectis testibus, fœminas quarum custodiæ præerant etiam aliquando inibant, idem ampliùs exequantur. Eunuchos verò & spadones non coire solum sed semen etiam aliquando emittere. Isidoros, [f] Cardanus, [t] Hollerius, [u] & Albertus à plurimis celarus affirmarunt. Quod verum nec fictitium esse certâ historiâ testabatur. Clarissimus fabricius ab Aqua pendente in anatomicis præceptor meus.

Eunuchos & spadones indiscriminatim dixi: quòd licet à nonnullis inter se differre dicantur, vt Eunuchi sint qui ab ortu ad venerem sunt inepti; spadones verò qui aliquando viri fuerunt & postmodum effœminati, seu attritis (quos Thlibias dicunt παρὰ τὸ θλίβειν, seu à terendo [x]), seu exectis testibus, vt ait Valesius: [y] eadem tamen sit vtriusque vocis significatio, & qui eunuchi à Græcis dicuntur à Latinis vt docet Isidorus, [z] spadones appellentur. Eunuchus enim inquit, Græcum est nomen, quod est spado: horum quidam coëunt, sed virtus in semine nulla est, liquorem enim habent & emittunt, sed ad gignendum inanem & inualidum.

Neque obstat quod Cabrolus [a] refert se publicè militis cuiusdam cadauer dissecuisse sine testibus, in cuius tamen prostatibus copiosum semen inerat: necnon quemdam Bellocadri fuisse, qui licèt nullum testium vestigium proderet, filios tamen ex legitimo connubio genuerit. Nam rara sunt hæc: & vel testes habebant intus latentes vt quidam Abba à me cognitus, cui post pubertatem tantùm virilia apparere cœperunt. Et Normanus ille cuius historia refertur à Iacobo du Vallio [b] qui mulier credita, tum solùm cùm in venerem rueret, pudendum quasi ex theca emittebat. Sic in plurimis aliis ludit natura, & potuit in illis Cabroli ita lusisse, vt grãdiores & glandulosos magìs quàm in aliis effingens varicosos parastatas, testium vicem subirent. Sic in illo Augustano mercatore cuius historiam refert Schenckius, [c] cùm natura nullum formasset hepar nullúmque lienem; horum vice intestina omnia carnosa fecerat, à quibus venæ, non ex vno caudice, sed in multiplices ramos discissæ, & in reliquum corpus propagatæ, oriebantur.

Verùm vt quæ nobis probata est sententia vndequaque firmetur, Aristotelis ac cæterorum nobis aduersantium rationibus quas antè recensuimus sic respondemos. Nihil mirum, quasdam esse animalium species quæ sine testibus generent: ita enim gaudet varietate natura, vt prodigij loco habeatur, eiusdem etiam speciei indiuidua sibi omni ex parte similia esse. Quæ vt quædam animalia sine testibus esse voluit: eadem, alia è numero exanguium, sine corde effinxit. Est tamen in vtrisque quod vtriusque vices gerat. Assolet enim plerunque, vnum idémque in diuersis animalium speciebus per diuersa instrumenta moliri. Sic non omnibus penem, vt docet Aristoteles, [d] largita est. Inde tamen concludi non potest, penem ad coitum inutilem esse ea enim quibus natura penem effinxit, eo semen eiaculantur in vterum. Ita quibus illa testes concessit, eisdem his semen perficere tribuit. In quibus quod inuenitur semen, non semper serosum est sed sæpè debitè & crassum & viscidum. Maximè si recens extincta sint corpora: aliâs nihil mirum, ab incipiente putredine seminis substantiam in ichorem dissolui. In prostatibus autem asseruatum, semper, fateor, crassius est: quod iam ante perfectum, & illic sensim collectum vt ad eiaculationem sit paratius; ibidem per moras, à circumstante calore magìs incrassetur. Tauri exemplum: suspectum est: vt verum, nihil aduersum nos profert. Inter seminales enim partes, quædam genituram præparant, nonnullæ perficiunt, aliæ in futuros vsus reseruant. Ac tandem quod ex vlcere aut immodica venere laxatis prostatibus effluit: non ideò est imbecillum, quòd non fuerit in prostatibus excoctum. sed ex eo quòd vel contineri nequeat in vlceratis his glandulosis receptaculis, & inuoluntariè ante profusionis tempus effundatur: vel quòd ab immoderato coitu debilioribus redditis testiculis, crudum & incoctum generetur. Oportet autem illud, vt efficax & foecundum sit, nullum vitium pati: bonum enim ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu.

r Lib. 19 lect. antiq. cap. 12
f Lib. 2. originum.
t Comm. in aphor. 27. lib. 6.
u Comm. in aphorism. 63. lib. 5.
x Lege his quoqui ff. ad legem Corneliam & Gothofredus in glossa.
y In aphoris. 18. lib. 6.
z Citato lib. 10 originum.
a In obseruation. anatomicis obser. 9.
b Lib. gallico de hermaphroditis, & mulierum partu.
c Lib. 3 ob ferit. obseru. 7
d Cit. lib. 1. de gen anim. cap. 6.

Vtrum semen ex fœmina, æquè atque ex viro decidat.

CAPVT II.

a Lib. 1. de gener. anim. cap. 2.
b Cap. 19. eiusdem libri.
c Lib. 2. col liget. cap. 10
d Lib. 4 lect. antiq. c. 10.

GRAVIS est hæc quæstio, magnis animis inter peripateticæ Philosophiæ sectatores & Medicos disputata. Aristoteles enim[a] marem à fœmina ita distingui ait: vt mas sit quod in altero generare potest, fœmina verò quod in seipso, & ex quo fit quod generatur. Tum, [b] menstrua fœminis perinde fieri vt genitura: nec fieri posse vt duæ simul secretiones seminales agantur. Atque ideò semen à fœmina non conferri ad generationem, quod si esset, menstrua non essent: illud autem deest, quia hæc sunt. Cuius sententiam sequutus Auerrhoës, [c] nullum à fœmina semen decidere affirmauit. Idipsum antiquitus censuerunt Ægyptij, quorum ea sanctio fuit, vt apud Rhodiginum legitur, [d] solum patrem generis auctorem censeri, & matrem nutrimentum modò, ac locum infanti velut substratum exhibere. Rationes quibus hoc placitum fulcitur duæ sunt principes. Prima ex absurdo petitur: quòd si mulier semen atque illud actiuum effunderet, ea naturaliter posset intra seipsam absque viri concursu & illæsa virginitate concipere; cùm tamen id naturæ vires superet, & leges ab eadem statutas peruertat. Altera ratio est, quòd fœminas vi compressas, & absque voluptatis sensu concipere aliquando contingat: quas, semen sine voluptate eiaculari, non patitur ea titillatio, quam genitalis ille succus per genitales partes transfusus excitat. Quam posteriorem rationem Auerrhoës cuiusdam mulieris exemplo confirmat, quæ balneum ingressa in quod quispiam per lasciuam masturbationem semen effuderat, à patente vulua eo semine attracto, citra omnem alium in se motum concepit. Addi potest Tribades vtramque venerem exercentes eâ ratione quam exprimit Martialis, [e] si semen effunderent generaturas: quod tamen nec sperant illæ fœdo & scelerato eo mutuo collisu abusæ, nec accidisse vnquam vel etiam prodigiosè memoratur.

e Lib. 1. epigr. 91. ad Bassam.
f Lib. de natura pueri in princ.
g Lib. breuis denot. dogm. Hipp. & fusius lib. 14. de vsu part. cap. 10 necnon lib. 2. de sem. cap. 1.
h Lib. 3 fen 20. tract. 1 cap. 10.
i Citato libro 2. de semine.

Quibus nihil obstantibus Medici in contrarium feruntur Hippocrates enim, [f] ab vtroque parente semen exire profitetur. Galenus, [g] genitale semen ait, tum viri tum mulieris ex æquo ad Zoogoniam conferre. Auicennas, [h] & in vnoquoque duorum seminum inquit, est virtus formandi & virtus recipiendi formam simul.

Quam sententiam ex eo maximè confirmamus. Quòd cùm natura nihil vnquam frustra moliatur: ea verò non aliter atque in masculis, vasa præparantia vtrinque duo, parastates, testes, & vasa deferentia in mulieribus fabricauerit, licèt situ & formatione inter se aliquantulùm differant: delirare videantur qui vbi hæc semel inspexerint non fateantur consimilia hæc vtriusque sexûs organa ad parem finem esse condita.

Respondet tamen Auerrhoës cum Athenæo apud Galenum[i] relato: non aliter seminalia illa instrumenta fœminis à natura tributa, quàm papillæ viris conceduntur: vt scilicet sola similitudo in prima membrorum conformatione, non item functio retineatur. Sed nugatorium est hoc effugium: in viris enim papillas sine lacte inuenimus, at vasa sperma tica in dissectis mulierum cadaueribus, semine plena inspicimus, & cauos earum testes multo semine frequenter abundantes.

Præterea non conformationis solùm imitatione, sed functionis paritate testes fœminis datos esse: id persuadet, quòd mulieres, non solùm in coitu ex titillante perfrictione, sed magis per succedentis resolutionis tempus delectentur: imò manifestè semen effundant, & foras etiam aliquando eiaculentur.

k Cit. lib. 1. de gener. anim. cap. 20.

Cui rationi respondet Aristoteles, [k] minimè semen esse quod à muliere emittitur, sed humorem loci proprium qui non pro feminis emissione effundatur, sed multo excedat: atque nihil tale à fuscis & viraginibus excerni. Ac demum voluptatem quæ per coitum sentitur, non solùm semine exeunte accidere, sed etiam spiritu ex quo consistente semen emittitur. Atque inde impuberes lasciuientes, etsi nullum emittant semen, parem tamen voluptatem & consimilem resolutionem sentire. Humorem verò illum à muliere manantem, vteri quamdam esse superfluitatem inquit, [l] quæ à titillantis illius perfrictionis delectatione, non aliter ad effluxum excitetur, quàm solet saliua ex ore famelici cum comedentibus adstat.

l Lib. 10. de hist. anim. c. 3

Verum qualis est ille humor loci proprius? quo fine genitus? vbi coaceruatus? Dicant in varicosis parastatis præparati, in testibus muliebribus colligi, per vasa deferentia vel in vteri cauitatem vel in eiusdem ceruicem magna cum voluptate eiaculando mitti, vt corporum dissectio conuincit, & semen esse negent. Quod enim mulieres coëundo effundunt non esse vteri superfluitatem,

ex eo patet, primùm quòd quæ ſicco ſunt vtero, tale etiam quamuis parciùs emittant. Tum quia quod ab illis effluit conſiſtentiâ & qualitatibus ſeminis naturam prodit. Ac tandem quoniam eo coïtu quo illas concipere accidit experientiâ conſtat nihil tale foras ex vtero elabi, ſed intus retineri: licet grauidæ ſemen etiam coëuntes effundant, per eam anguſtiorem ſed longiorem vaſis deferentis portionem, quæ ſecundùm vteri latera ad eius ceruicem vtrinque fertur. Adde mulieres pollutionibus nocturnis æquè ac viros, Ariſtotele [m] ipſo non negante, infeſtari, & gonorrhæa laborare. Eaſdem ſine viro libidinoſa imaginatione tentari, ad ſeminis excretionem prouocari, & qualem ſolent in coïtu talem tunc voluptatem ſentire. Præterea brutorum fœminæ ſtatis temporibus ad venerem excitantur, alijs verò eamdem auerſantur. Quod non aliunde prodit, quàm quòd aliquando ſemine turgeant, aliàs careant. Eſt enim præſens copia ſeminis, ad venerem ingens ſtimulus. Ac demum à fœmina æquè atque à mare in congreſſu ſemen effundi ita eſt quibuſque manifeſtum: vt Ouidius, præpoſteram & nefandam venerem deteſtatus

Odi, inquit, concubitus qui non vtrumque reſoluunt.

Ante ipſum verò manifeſtius Lucretius. [n]

Semper enim partus duplici de ſemine conſtat.

Quis tandem ille eſt qui Ariſtoteli aſſentiatur, fuſcas ad venerem aliis vt plurimùm procliuiores nullum tamen humorem effundere. Vtinam non tam frequens nefaria illa eſſet experientia, qua per impudicas contrectationes probatur tales titillatas, & qualem humorem per coitum effundere conſueuerunt emittentes: non rubram colluuiem, aut ichorem aliquem, ſed album & ſeminalem liquorem excernere. Vtque omnibus quæ ex Ariſtotele allata ſunt reſpondeamus, licèt ſolitarij illi ſpiritus ab impuberibus inter laſciuias intēpeſtiuas effuſi aliquam voluptatem excitēt; quam etiam plerunque probant mulieres eùm ſemen illis præ coitûs frequentia deeſt: longè tamen maior & ſuauior ea eſt puberum mulierúmque voluptas, quam in proprij ſeminis eiaculatione ſentiunt.

Quæ cum Ariſtoteli incognita eſſe non poſſent: magna ex parte coitum cum profuſione fœminę perfici coactus tandem confitetur.[o] Id tamen fœcundum eſſe negat: quòd ſine maris emiſſione concipi impoſſibile ſit.

At nullius roboris eſt ea ratio. Quoniam licet alterutrum ſolum infœcundum ſit, coitione fœcunda redduntur. Nam & maſculum ſemen ante eiaculatum quàm mulier orgaſmum proprij ſeminis à maris perfrictione prouocatum ſenſerit infœcundum etiam eſt. Aliàs multo frequentiores eſſent conceptus, nec tot inanes amplexus probarent coniugati. Tandem in vtroque vt dicebat Auicennas, virtutem formandi, & virtutem recipiendi formam ſimul ineſſe, ex eo comprobatur Quòd cùm proles nonnunquam patri, aliàs matri magìs: quandoque vtrique mixtim in conformatione & temperamento aſſimiletur:[p] ſi quidpiam maſculo ſemini actiuum ideò ineſſe dicatur, quòd proles patri ſimilis efformetur: conſimile in fœmineo reperiri, ex conformationis paritate conuincetur. Atque hoc tandem nolens admittere cogitur Ariſtoteles, cùm quærens cauſam propter quam diſpar ſit ſexus, hæc habet: [q] ſed ſi quod creat omninò aut ſuperat aut ſuperatur, ſimilia oriuntur, duo at ſi partim ſuperauit, partim ſuperatum eſt, alterum fœmina, alterum mas generatur. Nunquam enim id ſuperari poſſet quod creat, niſi id à quo ſuperatur coageret, & ad generationem etiam efficienter concurreret. Sed mirum quòd tandem apertis verbis [r] dicat, mulierem ipſam prolificum ſemen emittere.

Vtrumque verò marem ſcilicet & fœminam materiam formando fœtui ſubminiſtrare, contra quàm Ariſtoteli placuit, [s] cuius ſententia eſt, ſemen maſculum ſeminale tantùm fœminæ excrementum inſpiſſare, vt à coagulo lactis humor concreſcit: [t] & fœminam materiam præbere, principium autem motionis à mare eſſe. Vtrumque inquam ſemen, vt effectiuè, ita etiam materialiter ad corporis formationem concurrere ex eo probamus: quòd cùm temperies à generante genito communicetur cum materia ſic aut aliter temperata quoniam patris æquè ac matris temperiem imitamur, & ab vtroque materiam mutuemur oporteat.

Quare noſtrâ iam ſatis confirmata ſententiâ: quæ in contrarium allata ſunt diſſoluamus. Ariſtoteli videbatur fieri non poſſe vt duo ad fœtûs formationem fœmina tribueret, ſemen & menſtruum. Sed nulla hic adnotatur repugnantia: ſemen tribuit coïens ad generationem, ſanguinem poſtmodū ad alimentum & incrementum. Quinimò id maximè decebat: cùm & effingi oporteret animal ex mutuo maris fœminæque congreſſu: & vbi plus ſuppeteret alimenti, ibi & formari & ali. Ad primam autem rationem dicimus, etſi iam ſit reſponſum, iterum, fœminam prætetea non poſſe intra ſe citra viri concurſum generare: quòd nec fœmineum ſemen nec virile quidem, ſi alterutrum ſolum ſit, nec fermentari neque in actum deduci valeat: ſed vtrumque alterius permixtione fœcundari indigeat. Nihilominus tamen vtrique ſolitario commune eſt rudimenta aliquando generationis aſſumere, & in molas nulliúſque animalis ſpeciem referentes informes maſſas abire. Quod licèt

m Loco recitato & lib. 2. de gener. anim. cap. 4.

n Lib. 4.

o Cit. lib. 1. de gen. anim. cap. 4.

p Ariſt. eodem lib. cap. 3. dicens aiſ, ex animi diuerſa ſpec. ſimul coeunt. partus edi communes vtriuſque generis pecus.

q Lib. 4 de gener. anim. cap. 4.

r Lib. 10. de hiſt. anim. c. 5.

ſ Lib. 4 de gener. anim. cap. 4.

t Lib. 2. de gener. anim. cap. 4.

quantum ad muliebre ſemen pertinet,improbetur à Galeno,[u] à Roderico à Veiga,[x] & Mercuriali:[y] qui nolunt molas abſque viri concurſu generari. Tandem id & virginibus & viduis virilem concubitum neſcientibus accidiſſe legitur apud Cæſarem Scaligerum,[z] Leuinum Lemnium,[a] & Marcellum Donatum.[5] Ad ſecundam reſpondemus: mulieres aliquando abſque voluptate concipere, quòd earum ſemen cùm liquidius ſit aliquando,& vaſa deferentia breuiora manifeſtóque ductu donata;non æqualiter ac viri in quacumque ſeminis exeretione, & titillentur, & delectentur. Mulieris autem ille conceptus in balneo:ſtupri quædam eſt diſſimulatio. Ac tandem, Tribades etſi ſemen effundant,illud in fociæ ſuccumbentis vterum eiaculari nequeunt,vel ſi defectum penis, ſalax impetus aliquando ſuppleret, nec generarent tamen quia nunquam fœmineum ſemen poteſt virilis conditionem attingere, ex cuius concurſu fœmineum fœcundatur. Atque huius vix alia ſufficiens reddi ratio poteſt, quàm quòd ita ſit à ſapientiſſimo creatore inſtitutum vt perfectorum animalium ſpecies quæque,in duplicem ſexum diſtinguerentur:& ex vtriuſque coitu neque aliter eiuſdem naturæ generarentur proles. Cuius admirari quidem ſapientiam poſſumus, ſed eius inſtituta progreſſúſque plenè aſſequi non valemus.

u Lib. 14 de vſu part. c. 7.
x Comm. in lib 6 de locis, affect p. 409.
y Lib. 2. de morb. mulier. cap. 3.
z Comm lin tem 43 lib 10 de hiſt. anim.

Quænam ſit prolifici ſeminis forma, & quis formationis fœtus Author.

Capvt. III.

FORMAS rerum ſubſtantiales exactè noſſe,ita arduum eſt & difficile:vt nullus ſe id aſſecutum eſſe profiteatur. Quare neque nos in quo præcisè conſiſtat ſpecifica ratio formæ ſeminis loquitere hoc capite tentabimus:ſed tantùm ſub quo gradu ſubſtantiæ illa contineatur examinare meditamur. An ſcilicet ſemen ſit animatum,necne. Ariſtoteles[a] ſemen ait non actu ſed in potentia animatum eſſe. Quod quidam ita interpretantur,vt velint ſemen actu primo viuere, nō autem actu ſecundo. Alij verò vt Conimbricenſes[b] potentiâ animatum dicunt: quòd licèt non conſtet animâ actu,habeat tamen proximam aptitudinem vt animetur: eâ ratione qua ſulphur ignis dici poteſt,quòd ſuopte ingenio facillimè ignefcat. Quod ingenuè eſt profiteri,illud inanimum eſſe.

a Lib. 2 de gener. anim. cap. 1. & 3
b in cap. 4. lib 1. de gener. & corrupt. q. 35. art. 2.

In qua quæſtione, quoniam tum inter Philoſophos,tum inter Medicos magna eſt diſſentio: nos aliorum omiſſis ſententiis noſtram proferemus aſſerentes hominis ac cæterorum animalium ſemen non eſſe animatum. De plantarum verò ſeminibus,non qua parte ſemina ſunt: ſed quatenus iam antea fuerunt pars viuens viuentis plantæ,cuius forma cum materia ſectilis eſt;paulò aliter ſentiendum exiſtimamus.

Cuius aſſertionis veritatem his rationibus roboramus. Ac primùm cùm vulgò concedi ſoleat, ſemen eſſe reſiduum vltimi alimenti,vel totius vel teſtium ſaltem,ſeu illi ſpiritus animalis permiſceatur,ſeu non:alimentum verò tam totius quàm teſtium,antequam ſit conuerſum in ſubſtantiam partium,non ſit animatum:neque illius reſiduum animatum erit. Quod ita confirmatur. Maior eſt conformitas inter alimentum agglutinatum & membrum viuens ac animatum, quàm inter hoc ipſum & alimentum illud quod tantùm in modum roris per partes effuſum eſt, nondum autem agglutinatum:ſed priùs animatum non eſt,ergo neque poſterius. Semen verò ex ea rorida ſubſtantia deſumi,quæ in ſubſtantiam totius aut teſtium ad alterutrius alimoniam effunditur:ex eo patere poteſt,quòd ſeu ſemen à toto decidat, ſeu in teſtibus perficiatur: oporteat vel colliquamentum quoddam eſſe,vel roridi alimenti portionem. Illud autem colliquamentum dici non poſſe certum eſt,tum quòd citra morbum fiat: & ſecundùm naturam ſemen,etiam in temperatiſſimis generetur, quibus colliquamenta non fiunt. Tum quòd nullum ſit in nobis agens cui huiuſmodi colliquationis efficientia tribuatur. Non enim ſpiritûs influentis vel humorum calor id poteſt: cùm temperies quæ his ſecundùm naturam ineſt,membrorum temperaturæ accepta debeatur: à quibus calorem colliquantem eo qui membris inſitus eſt acriorem mutuari non poſſunt. Si quæ verò illis ab extra acritudo contingat,ea huius effectûs cauſa eſſe non poteſt. Quoniam eorum quæ in animali à natura inſtituta ſunt,cauſæ etiam ſunt naturales & nobis ipſis inhærentes. Neque ad aliquam heterogeneam membrorum ſubſtantiam ea referenda eſt colliquationis effectrix dynamis: cùm nihil agat in ſeipſum,oporteat autem ex ſingulis heterogeneis membrorum portionibus effluuium illud fieri,ſi ſemen totius naturam imitari debeat. Præſertim cùm illud,ſpiritûs & humidæ ſubſtantiæ ac ſolidæ particeps aduertatur,ex ſpumeſcente liquida ſubſtantia cui terrea portio craſſamentum impartitur. Præterea qui impenſiùs colliquantur; minùs ſeminis generant. Ac demum colliquamenti morbidi quod eiuſdem eſſet rationis,nullum eſt receptaculum, ſemini autem præparatus eſt à natura locus in quo colligatur. Quare roridi potiùs alimenti ſemen portionem eſſe ſequetur: quam natura vt deſtinato fini ſubueniat,copioſiorem eſſe procurat.

Secundò ſi ſemen eſſet animatum:vel eâdem animâ animaretur qua generans,vel diuersâ. Non

primum;

primum: quia non est continuum generanti. Neque secundum: quia vel sub alia specie contineretur, vel aliud esset eiusdem speciei indiuiduum. Prius dici non potest: aliàs, non homo, sed aliud animal ab homine generaretur. Neque posterius: quia iam ante conceptum, anima genitricis esset infusa; quod est absurdissimum. Liceti autem viri clarissimi sententia, cui adhærentes aliter huic argumento responderent infra [c] examinabitur.

c Cap. vlt.

Præterea sequeretur cùm semen in vtroque teste perficiatur, & ab vtroque ad prostatas communemque meatum ad eiaculationem conueniat: vel ante perfici, quàm animetur quod quærimus, vel in vtroque teste animari, & deinde confusiones fieri plurium animatorum corporum, ex diuersarum partium seminis ad communem meatum coïtione. Quod quàm sit absurdum cuique patet.

Adde animam esse actum primum [d] corporis organici in potentia ad actum secundum vitam habentis: sed semen organicum non est, licèt sit rationi non sensui heterogeneum: ergo neque animatū.

d Arist. lib. 2. de anima tex. 4. 5. 6. & 10.

Tandem ideò maximè, semen animatum esse dicitur, quia aliàs non potest assignari agens creatū, quod possit attingere productionem formæ geniti: cùm nihil perfectius ab imperfectiori producatur. Sed in hominis generatione semen qualecumque statuatur, non potest attingere productionem animæ rationalis, quæ immediatè à Deo producitur imò neque alterius generis seminis possunt ad aliarum formarum efficientiam principaliter concurrere. Ergo frustra semen, ac maximè humanum, animatum efferetur.

Verùm plurimis audacior paulò videbitur ea propositio: nullius seminis potentiam posse attingere productionem animæ non rationalis solùm, quod liberè admittitur, sed ne sentientis quidē aut vegetantis: imò quod exinde videtur sequi nullum agens creatum, posse vllam formam substantialem vel etiam sibi similem producere. Quæ si admitterentur iure liceret inferre, nullam substantiā posse aliam sibi similem generare: omnes substantiales formas à Deo immediatè produci: forsan etiam creari: easdémque per se subsistentes esse, ac simul immortales. Quæ omnia vel leuiter eruditi absurda esse iudicabunt.

Verùm nihil nos hi morantur obices: quin liberè cum Philone Alexandrino, [e] Scoto, [f] Petro de Aliaco, [g] Gabriele, [h] Nipho Suessano, [i] & cum innominatis his Philosophis quorum meminit Diuus Bonauentura, [k] profiteamur nullam potentiam creatam principaliter & per effectiuum influxū, posse attingere productionem formæ substantialis.

e Lib. 2. allegor. sacra legis.
f In lib. 2. sent. dist. 18.
g In 4. sent. q. 1.
h In 4. sent. dist. 2. q. 1. & 3.
i Lib. destru. destructionū disput. 11.
k In 2. sent. disp. 7. parte 4. q. 1.

Quam propositionem à paucis receptam sic confirmamus. Omnis substantialis formæ productio (quantū ad formæ indiuidualē entitatem pertinet) est motatio à non esse simpliciter ad esse simpliciter: sed nulla potentia creata, potest quidquā à non esse simpliciter deducere ad esse simpliciter, ergo neque substantialē formā producere. Maior patet; quia nihil formæ productæ ante eius productionē erat in rerum natura: cum illa incipiat per primum sui esse more substantiarū, quæ habent totum suū esse simul. Minor autē probatur: quia quod à non esse simpliciter deducitur ad esse simpliciter, ex nihilo præexistente fit; aliàs secundùm quid præfuisset. Sed creata & finita potentia, non potest quidquam ex nihilo non solùm subiecti sed ne quidem ex nihilo materiæ producere, ergo neque aliquid à non esse simpliciter deducere ad esse simpliciter. Confirmatur, forma substantialis quæcumque ea sit, dum producitur & extra causas ponitur: vel ex aliquo fit, vel ex nihilo. Non ex aliquo: ergo ex nihilo. Illud probatur: si ex aliquo fieret, fieret ex aliquo corrupti: sed cùm in corrupto, tantùm essent materia, forma, & dispositiones: ex nullo autem illorum fiat, ex nullo fit. Quod vltimum assumptum sic probatur. Non ex dispositionibus quidem, quia accidentia communia genito & corrupto remanent, & quia ex accidentibus non fit substantia. Non ex materia: quia hæc ingenerabilis est & incorruptibilis: & principia ex Aristotele, [l] non fiunt ex se inuicem. Non ex forma: quia vnam in alteram transire oporteret, & naturaliter fieri partialem saltem transsubstantiationem. Cuius rationis ea est vis vt coëgerit Fonsecam [m] admittere nec formam cùm primùm inducitur in subiectum, nec partem formæ quæ superadditur, fieri ex subiecto vt ex parte sua aut ex parte sua prius existente in subiecto. Quod etiam plurimis apud Suarez, [n] confirmatum legitur. Qui vim argumenti minimè euadit, asserendo sufficere vt quod producitur ex aliquo subiecti seu dependenter à præiacente subiecto fiat, quò id possit ab agente eiusdem speciei produci.

l Lib. 1. Physicor. tex. 42.
m In cap. 2. lib. 5. metaph. q. 7. sect. 3. ad 2.
n Disp. 15. metaph. sect. 2. à n. 1. ad 8.

Cùm enim materia vt subiectum nihil sit formæ sed aliquid tantùm compositi: nōn potest ipsa formæ entitas ex nullo sui præexistente, atque ideò ex non esse simpliciter, à finita potentia deduci ad esse. Nec opponantur accidentia quæ cùm sint minùs entia & quasi substantiarum modi, possunt à similibus in vi substantiæ principaliter & vt quod operantis produci.

Neque propterea non licebit affirmare consequenter ad vulgarem rationem loquendi, similia à similibus generari. Quamuis enim creaturæ nōn possint ad hæc efficientiam per formæ substantialis productionem naturaliter eleuari: sed Deus modo explicato per se & immediatè substantiales formas producat: quia tamen Deus se rebus quibusque ita applicat, & illis instrumentariè sic vtitur: vt

cum singulis cum sequatur agendi modum, eámque operandi rationem, quam illæ ipsæ sequerentur, si per se tale quid producere aptæ essent: singulæ dicuntur sibi simile generare; quia ad talium productionem Deus illis instrumentariè vtitur, & se ad talem particularem effectum producẽdum cum vnaquaque determinat.

Quod præterea obijciebatur, sequi omnes formas substantiales creari, controuersia est de nomine. Nam licèt omnes ex nullo præexistente fiant, per conuersionem scilicet illius præexistentis in subsequentem formam: aliæ tamen ab anima rationali, non dicuntur propriè creati; quod à Deo producantur dependenter à materia, ita vt non possint naturaliter in esse conseruari à materia separatæ sed simul naturâ, ab eodem agente, & per eamdem actionem productæ, & vnitæ materiæ, dependeant subiectiuè in fieri & in conseruari à materia; non vt ex qua, sed in qua fiant. Quare huiusmodi formæ neque incorruptibiles erunt, neque per se subsistẽtes. Anima autem rationalis quia independenter à materia producitur, & vt docet Suarez,[o] vnâ eadémque actione producitur & vnitur, sed prius naturâ in esse intelligitur independens à materia, quàm vnita materiæ concipiatur, atque ideò eius existentia, & vnio cum corpore duplici etiam actione conseruantur; ita vt cessante actione conseruatiua vnionis, mors adueniat: at cessante actione conseruatiuâ existentiæ annihilatio sequatur: & verè creatur, & immortalis est & per se subsistere nata. Propriè enim creari id dicitur, quod si completum ens fuerit & verè hoc aliquid subsistens ex nullo sui præexistente fit: vel si incompletum quid fuerit & pars suppositi, non solum ex nullo sui præexistente extra causas ponitur, sed in nullo etiam præiacente secundùm naturalem eius potentiam atque ideò ab eodem dependenter producitur. Quod inter substantiales formas vni animæ rationali conuenit, non item alijs: quæ ex naturali materiæ aptitudine possunt in illa recipi, atque ideò de potentia materiæ educi dicuntur; & ab eadem in conseruari dependent.

Quibus explicatis ad authorem formationis fœtûs inquirendum transeamus. Quæ laboriosa est, & difficilis perquisitio. Galenus enim omnium Medicorum solertissimus,[p] postquam sedulò & accuratè rem examinauit, in hæc tandem erumpit. Fateor itaque de fœtuum formatrice causa ambigere: nam cùm summam in horum fabrica & sapientiam & potentiam videam, non possum existimare eam quæ in semine est animam vegetalem, fœtum ipsum formare: cùm non modo sapiens non sit, sed omni prorsus ratione carere videatur. Cùm autem rursus similitudinem quam filij habent cum parentibus specto, ab hac opinione non longè diuersus abeo. Qui paulò ante prædicta,[q] non erubuit suam hac in parte ignorantiam profiteri, dum inquit. Quamobrem maximâ tristitiâ affectus, mecum ipse hactenus inuestigaui an aliquam de fabrica animalium validam rationem possem inuenire: ac nullam tandem potui. Id quod in hoc libro testatum relinquo; peritos hac in re Philosophos hortatus, vt si idoneum quidpiam inuenerint nobiscum id velint sine inuidia communicare. Quare nec mirum etiam nobis videatur, si quasi nutantes & anxij nostram hac de re proferimus sententiam: expectantes ab acutioribus ingenijs quidpiam quod oculatis mentibus vndique satisfaciat.

Vulgò receptum est, semen non materiam solùm præstare formando fœtui, sed eam etiam planè stupendam conformationem aggredi. Quod ideò animatum dicunt plurimi; vt ea anima quæ in eo latere putatur, se postmodum explicans, suum sibi domicilium parare intelligatur. Cúmque vnum atque idem secundùm idem, non possit esse materia & efficiens huius admirandæ fabricæ: inquiunt semina in vtero partium permixtione confusa, cùm duplici substantia constent, vnâ crassiore, alterâ vero spirituosâ illam ex Galeno,[r] cedere in materiam earum partium fœtûs, quæ totius corporis quasi fulcra sunt & fundamenta seminalésque appellantur; hanc verò spirituosam, à Valesio[s] spiritum complantatum, & ab aliis spiritum geniti um appellatam, vti ad motum est expedita, ita totam eam vim in se continere per quam ex crassiore reliquâ sibi sociatâ substantiâ tam admirabilis corporis humani fabrica effectiuè absoluatur.

Verùm quia vt ait Galenus[t] huic impudenter rationem quamdam intellectúmque tribuere non licet: in fœtuum autem formatrice causa ex eodem[u] summa sapientia potentiáque inest. Malim cum Platonicis illis apud Galenum,[x] Scoto,[y] Auerrhoë[z] & Suarez,[a] affirmare Deum optimum maximum tanti & tam mirabilis opificij authorem esse: qui suâ infinitâ sapientiâ & potentiâ, spiritum genitiuum seminis vt suæ efficientiæ instrumentum dirigens, ex crassiore reliqua genituræ substantiâ, totum formationis nostræ opus inchoët & absoluat. Quòd si res in Deum referenda non videatur: quòd is soleat ea creatis agentibus committere, quæ infinitam potentiam non requirunt; suo tamen proximo & immediato concursu illis minimè interim denegato. Cùm nostri corporis fabrica (quæ motûs localis & alterationis ope potis est perfici) infinitam vim in conformante non requirat: affirmari posset intelligentiam aliquam atque eam ipsam quæ in generandi custodiam destinatur, Dei præscripto obsequentẽ totum nostræ conformationis opificium absoluere.

o Tomo 3. in 3. p. D. Th. q. 62. art. 4. disp. 9. sect. 1.

p Lib. de fœt. form. cap. ult.

q Cap. eodem

r Lib. 1. de semine cap. 5

s Lib. 2. controu. cap. 8.

Atque

Atque ita ad ſtupendam illam membrorum noſtrorum fabricam concurrere: vt ea quidem exequatur quæ talis efficientis concurſum requirunt, quòd cognitione ſapientiâ, & potentiâ, non ſemen ſolùm, ſed animam ipſam rationalem huius conſtructionis ignaram & neſciam excedat & ſuperet: ſingula verò ſic diſpenſando, extendendo, excauando, & pro ſapienti ratione efformando, vt operis ratio & materiæ aptitudo, innatáque temperies expoſtulant: genitiui ſpiritûs ope inſtrumentariâ per omnia vtatur. Quis enim eſt tam huius ſtupendi operis ita ignarus, qui rem vt par eſt contemplatus, non agnoſcat: & inanimum ſemen, & animam ipſam vel rationalem etiam omni tunc cognitione denudatam incapacemeſſe paruam illam genituræ molem ad ſenſum ſimilarem, in tot & tam varia diſſimilaria organa tam ſapienter diſpenſare, tam concinnè ſingula effingere, ac tantâ breuitate tam grande opus abſoluere. Quæ cùm Galenus apud ſe meditaretur, [b] cum quidam ex Platonicis diceret, inquit, animam quæ per totum mundum diffuſa eſt (Deum ſcilicet) foetus formare: artem quidem & potentiam quæ foetuum fabricæ adhibita eſt, dignam eâ eſſe exiſtimabam; neque præterea materiæ animam, tantam artem aſſecutam fuiſſe credibile videtur. Quod idem licèt paulò obſcuriùs indicarat inquiens, [c] mihi minùs rectè facere videntur qui ſolis qualitatibus formandatum partium cauſam aſſignant: rationabile enim eſt, hæc organa eſſe, formatorem alium. Clariſſimè verò quid hac in parte ſentiret inſinuauit, cùm dixit: [d] non enim quia nouit ad quid vtilis erit humor animali, ipſius facit pars generationem: niſi talem debeat habere intellectum, qualem habere ciuitatum gubernatores arbitramur oportere: ſed animalis quidem opifex, illum habet intellectum, ipſa autem pars potentiis regitur naturalibus. Qui toties opificis ſapientiam & prouidentiam admiratus, [e] qualem agnoſceret opificem indicauit, cùm ait, [f] tantùm verba noſtra ſunt ſapientiâ eius qui nos condidit inferiora, vt ne exponere quidem poſſimus ea quæ ille nullo negotio condidit. Et mox. Satis habes tantùm quidem inueniſſe quòd pars omnis qualem vſus exigebat, fuit conſtructa: ſcrutari autem, quo pacto talis facta fuit, ſi aggrediaris, conuincaris non intelligere, neque tuam imbecillitatem, neque opificis tui potentiam.

Quam ſententiam ſacrorum voluminum teſtimonia confirmant. Lumen enim illud patientiæ Iob, [g] manus tuæ fecerunt me ait, & plaſmauerunt me totum in circuitu. Dauid [h] præterea manus tuæ fecerunt me & plaſmauerunt me. Seu vt Diuus Ambroſius iuxta lectionem ſeptuaginta interpretum habet, plaſmauerunt & fecerunt me. Indicando conformationem corporis, animæ præcedere creationem. Tum aliàs, [i] Tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam. Quod quia admirandum planè eſt opificium conſequenter addit. Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, con fortata eſt, & non potero ad eam: ob incomprehenſibilem ſcilicet modum procedendi diuinæ bonitatis, vt exponit Liranus. Et ne id quiſquam explicet de formatione Adami, in quo tanquam in capite & origine fuiſſe dicimut, mox addit, [k] non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto. Et alibi [l] dixerat, qui finxit ſigillatim corda eorum. Eſayas item. [m] Et nunc Domine pater noſter es tu, nos verò lutum: & fictor noſter es tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Tum Ieremias, [n] priuſquam te formarem in vtero, noui te. Et apud Machabæos, [o] ſingulorum membra non ipſa ego compegi: ſed enim mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem. Tandem, [p] ſtulti & nónne qui fecit quod deforis eſt, etiam quod deintus eſt, fecit.

Tertulianus verò non Deo, ſed intelligentiis eius miniſtris hoc ipſum tribuit. Qui omnem inquit, hominis in vtero ſerendi, ſtruendi, fingendi paraturam: aliqua vtique poteſtas diuinæ voluntatis miniſtra modulatur, quamcumque illam rationem agitare ſortita. Hæc æſtimando etiam ſuperſtitio Romana, Deam finxit Alemonam, alendi in vtero fœtûs: vt Nonam & Decimam, à ſollicitioribus menſibus: & Partulam, quæ partum gubernet: & Lucinam quæ producat in lucem. Nos officia diuina Angelos credimus. Sic antiqui etiam illi Romani, vt apud Feſtum eſt, Genium Deorum filium eſſe rebantur, & parentem hominum ex quo homines gignantur: & propterea genium meum nominari, quia me genuit. Quem Nonius Marcellus ex Laberio, generis Deum appellat, generiſque noſtri parentem. Nec mirum tanti operis curam Angelis eſſe demandatam, cum eiſdem noſtri ſpecialis cuſtodia committatur, vt ex fide docemur, & Heſiodo antiquo poëtæ fuit cognitum. Qui, [r]

Τρὶς γὰρ μύριοι, inquit, εἰσὶν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτίρῃ
Ἀθάνατοι Ζηνὸς φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

Tria enim millia (ſeu innumeri) ſunt per terram multa nutrientem
Immortales Iouis (miniſtri ſcilicet & Angeli) cuſtodes mortalium hominum.

Harum autem ſententiarum alterutri in re tam abſtruſa inſiſtamus, propiùs ad veritatem acceſſuros nos exiſtimarim: quàm ſi alterius cuiuſquam opinionem ſequamur. Etenim cum in aſſignandis

terum

b Cit lib. de fæt form. cap vlt.
c Lib. 2. de ſem cap. vlt ad med.
d Lib. 5 aphor. comm. 19.
e Libris de fœtûs form. & de vſu part.
f Lib. 15. de vſu part. c. 1.
g Cap. 10
h Pſalm. 118. verſu 73.
i Pſal. 138. verſ. 5. & 6.
k Verſu 15.
l Pſal. 32. ver. 5
m Cap. 64. ver. 8
n Cap. 1. v. 5.
o Lib. 2. c. 7.
p Lucæ 11.
q Lib. de anima. cap. 37
r Lib. 1 τῶν ἔργων καὶ ἡμερῶν.

rerum causis id maximè studendum videatur, vt eam inueniamus quæ possit effectum producere, atque ea omnia habeat quæ ad eius rei de qua agitur effectionem requiruntur. Inter ea omnia quæ fœtum in vtero formare dicuntur; nihil est quod præter Deum, aut intelligentiam aliquam, præstare id valeat. Nam cùm ex vtriusque parentis seminali confusâ paruæ molis massâ, & nullius ferè heterogeneitatis, tum membranas fœtum inuoluturas, tum embryi ipsius omnem illam membrorum tam dispartium admirabili ordinatam arte congeriem, conformare oporteat; in quibus & variè alterandis, & multifariam effingendis, singulisque pro ratione disponendis magnâ opus est sapientiâ & potentiâ: quis vel facultatem in animo seminis inditam, vel patris mox à concubitu aliquando extincti influxum, vel vterum instrumentis tantæ & tam variæ organisationi formandæ necessariis destitutum, huius figmenti authorem dicet? habet inter cæteros Thomas Fienus, [s] vir magni nominis & doctrinæ, agmen rationum ad omnes eas sententias expugnandas. Qui cùm sufficiat vnus ad instruenda studiosorum ingenia ne his erroribus inficiantur, aut in tales prauarum opinionum typos impingant: ab earum refutatione abstinebimus.

s Lib. de for. fœtus.

Sed velitaris quædam & modesta cum tanto viro ineunda nobis est dissertatio: qui animam rationalem semini mox à conceptu ante omnem organisationem infusam, suum sibi formare habitaculum tetur. A cuius sententia quæ me inter cætera auertunt hæc sunt. Primum quòd dicat animam rationalem infundi in materiam seminis nullâ præcedente organisatione. Quoniam omnibus formis inditum est, eas in materia dispositiones expetere, quæ suæ naturæ sint ita conformes, vt cum illis operari possint. At anima rationalis, in materia quæ ne rudem quidem aliquam organisationem, ad veram nutritionem sufficienter inseruientem acceperit; nullam potest operationem edere. Quare neque illam informare. Consequentiam probo, quia cùm quodlibet se habeat ad esse, vt ad operari: vbi anima operari non poterit, neque ibidem esse. Minor verò syllogismi probatur; quia in materia non organica nec potest sentire anima nec intelligere, nec loco mouere nec nutritionem procurare: attamen ad hæc, omnes viuentium facultates referuntur. Ne quidem nutriri corpus inorganicum posse, cùm de cæteris euidentissimum sit, ita probatur: quòd cùm ad nutritionem requiratur alimenti iustus susceptio, quæ non nisi per ductus aliquos atque ideò organa sibi accommoda fieri potest, nutriri non poterit quod fuerit omni organo destitutum. Cuius argumenti vim vt Fienus eludat, inquit animam licèt nihil prædictorum cùm primùm infusa est agat; non tamen otiosam esse: quòd statim membra ad hominis perfectionem requisita ex semine conformare aggrediatur. Sed hoc ipsum est in quo controuersiæ cardo versatur: eâque suppositione euersâ, & responsio apparebit nulla, & illius sententia in integrum erit expugnata. Animam ergo rationalem non posse primam corporis organisationem facere, sic probamus. Primò, quia vel anima per suam substantiam immediatè hoc operaretur: vel alicuius facultatis intermediâ operâ vteretur: quorum neutrum dici potest. Non primum, quoniam anima nullius actûs [præterquam informationis] per se immediatè est author: vt infra [t] probabimus. Sed neque secundum, quò Clarissimus Fienus inclinat, affirmari potest. Nam oporteret illam facultatem, cùm sit accidens, habere pro subiecto proximo & immediato, vel totum suppositum illius hominis seminalis, vel animæ substantiam, vel solam inorganicam seminalem corpulentiam: in quorum nullo vtiliter potest consistere. Non quidem toti supposito potest inhærere præterquam denominatiuè. Quia totum suppositum ex parte materiale, & ex parte spiritale, non potest secundùm se totum & vtramque sui partem esse subiectum eiusdem numero accidentis, quod oportetet & materiale & spiritale simul esse. Neque potest ea facultas in animæ substantia recipi: quoniam illam spiritalem esse sequeretur, & animâ separatâ perdurare; quod vt perperam fieret, ita dicere absurdum est. Nec demum eadem ad quidquam vtilis erit seminali corpulentiæ inhærens. Etenim formatrix facultas quæcumque ea sit, operatur actione transeunte: sed facultas seminali corpulentiæ inhærens, non potest in eamdem coope- ptæ genituræ materiam actione transeunte agere: ergo neque illam conformare. Minor est euidens, nam actio transiens nunquam in proprio subiecto facultatis recipitur.

t Cap. 2. lib. 6

Maior probatur. Formatricis facultatis duo omnino sunt opera, alterare & conformare. Alterando debitam singulis membris temperiem: & conuenientem modum substantiæ, tenuitatem, crassitiem, raritatem, densitatem, mollitiem, duritiémque imprimit. Conformando figuram externæ superficiei: meatuum, & internæ cauitatis; magnitudinem: numerum: & situm in debita positione, ac connexione consistentem, cuique membro tribuit. Non enim esse organicum est, esse taliter ac taliter figuratum. Aliâs lapis Iudaïcus qui à natura est oualis & striatus: adamas & rubinus; qui non casu sed semper crescunt sub octohedra figura; smaragdus qui in cylindrum angulosum duodecim facierum est effigiatus, extremorum altero mucronatus, altero planus; amethistus vtrinque mucronatus, & pentagonus; crystallus hinc indeque pariter in mucronem desinens, & in superficie exagonus: essent organici. Sed esse corpus organicum est, ita tam extra quàm intra se esse conformatum, vt ad actiones vitæ edendas inseruire sit aptum. Alteratio verò primarum qualitatum ope: & conformatio

præsertim

præſertim per motum localem abſoluitor. Qualitates autem primæ, & vis quæcumque corporum motrix, actione tranſeunte operantur. Quare & id totum quod à facultate formatrice fit, conſimili actione abſoluetur.

Secundò animam rationalem neque per ſe, neque ſpiritu complantato vt inſtrumento vtendo (quod probabilius videretur) neque intermediâ facultate operando, poſſe embryi formationem facere: id potentiſſimè probat, quod ſibi ipſi obijcit Doctiſſimus Fienus:[u] quòd ſcilicet animæ rationali recens in ſemine creatæ, formatione embryi concreditâ, non poſſet aſſignari ratio ſimilitudinis liberorum ad parentes. Quod enim reſpondet ſimilitudinem fieri per hoc quòd in ſemine ſint ſpecies intentionales, naturales & aliqua ſimulachra impreſſa à parentibus, ſecundùm quæ anima introducta organizat, non aliter quàm pictor pingit ſecundum figuram prototypi ſibi obiecti: nónne eſt figmenta introducere, & lectoribus verba dare. Quomodo ſpecies intentionales appellas ſemini inhærentes: cùm huiuſmodi qualitates & formas, in fieri & in conſeruari ab obiecto pendere cuique ſit euidentiſſimum. *(u In obiect. 5. ad 10 concluſionem.)*

Præſertim ſi naturales ſint, hoc eſt, pro more congenerum ſpecierum genitæ. Sed forſan naturales appellat: quòd velit illas ſemini congenitas eſſe, quas ideò ſi quis nolit ſpecies dici; ſimulachra nominat. At vocem mutans, nullam euidentiorem propterea rei notionem inſinuat. Quæſo à quo producentur ea ſimulachra? Non à teſtibus: in quibus tamen ſemen vt ſuæ naturæ complementum accipit, ita deberet in eiſdem, illâ repræſentationis parentum imagine imbui, aut informari. Non enim teſtes pictoriam artem norunt, aut plaſticem. Sed neque ſingula parentum membra ſuam imprimunt effigiem portioni ſeminis ex ſe deciduæ: cùm ſemen ex toto non decidere, vt abundè à ſummis viris probatum iam antea[x] ſuppoſuerimus. Præterea à quocumque efformari ea ſimulachra dicantur; dum vtriuſque parentis ſemina in vtero confundentur, an non illæ etiam effigies prioris repræſentationis caractherem perdent? Ac demũ ad quam partem ſeminis pertinebit, ſimulachrum membranarum fœtum inuoluentium plaſmatrici animæ repræſentare? Quis erit huius ſimulachri author? Tandem quomodo ea ſimulachra animæ rationali innoteſcent? an per ſenſus? Sed nulla adhuc efformata ſunt organa, ſine quibus, nec ſenſus nobis inſunt. Forſan intellectus ea immediatè cognoſcet. At naturæ lege cautum eſt, intelligentem (directâ ſaltem intellectione) conuerti ad phantaſmata. Concreatas eſſe in intellectu ad hoc munus ſpecies, dicet quiſpiam: Sed intellectus eſt veluti tabula raſa in qua ante cognitiones quas ſenſuum miniſterio elicit nihil eſt depictum. Et noſtræ aliquando conformationis memoraremur: ſi illius exemplar intellectui eſſet ingenitum. Quare nihil mirum ſi Clariſſimus Fienus in re tam aliena à vero, pugnantia dicere cogatur. Qui enim[y] ait animam tempore formationis eſſe tantùm cognoſcitiuam in potentia: proximè ſequens aſſerit eamdem inſtinctu quodam naturali verè diuino & admirabili poſſe illa ſimulachra apprehendere & cognoſcere. *(x Hor. lib. 4. 1)* *(y Pag. 187.)*

Atque hæc filiorum ad parentes ſimilitudo, maximum negotium facit, omnibus aliis qui noſtræ ſententiæ aduerſantur. Nobis autem nullum. Quia Deo quidem, vt lubuerit velle & agere datur. Angelus autem, quia poteſt ea omnia moliri quæ localiter mouendo, vel applicando actiua paſſiuis abſolui poſſunt: quidni poterit ſpiritûs complantati miniſterio vſus, humani embryi conformationem facere. Sed magìs placet, hanc Deo Optimo Maximo, iuxta ſacræ ſcripturæ relationem & reuelationem habere gratiam. Qui nos per Ieſum Chriſtum ſic orare docuit vt Deum ſolum verum patrem agnoſcentes: nos à parentibus quidem genitalem limum accepiſſe, ſed ab eiſdem, aut à nobis, nec conformatos, nec animatos intelligamus. Nam & à Leone primo Pontifice Maximo ſcriptum eſt,[z] catholicam fidem omnem hominem in corporis animæque ſubſtantia à conditore vniuerſitatis formari atque animari intra materna viſcera confiteri. Et[a] Deum animarum creatorem eſſe, & corporum. Necnon Diuus Auguſtinus,[b] Deum formatorem corporum dixit eſſe. Idémque ſeu Gennadius Maſſilienſis,[c] corpus Dei iudicio coagulari in vulua, & compingi atque formari ſcripſit. *(z Epiſt. 91. cap 1 num 9. a Num. 10. b Lib. 12. de ciuit. Dei, cap 25. c Lib. de eccleſiaſtic. dogmat. cap. 14.)*

Quod verò Ariſtotelem ab hac ſententia reuocauit, imbelle eſt argumentum. Quia ſcilicet fieri non poteſt vt quod non tangit moueat, & quidquam ab eo quod non moueat afficiatur. Cùm enim contactus ad mouendum neceſſarius non ſolum mathematicus intelligatur & corporum ſe mutuo contingentium: ſed etiam virtutis, vel per approximationem ſpiritalis ſubſtantiæ, vel per impreſſionem facultatis: non videtur alienum à ratione Deum qui rebus omnibus intimus eſt, vel Angelum qui ſe quibuſque corporibus inſinuare poteſt, viſcera atque alia membra effingere.

Verùm illud vberius adhuc nobis explicandum reſtat, quod Galenum à prædicta ſententia retrahens, dubium & anxium reddidit: quomodo ſcilicet fœtus parentibus aſſimilentur. Vel ſi aliquando proles ad exemplar parentum effingitur: quomodo eiſdem aliquando diſſimilis euadat. Ac tandem qua ratione, cum tanta tam excellentis opificis ſcientia & potentia, ſimul monſtra adueniant. Quod quia longiorem perquiſitionem poſtulat, ſibi proprium & peculiare caput exigit.

couſter,& poſteriote mattis:anterior capitis fœtûs pars,patrem;poſteriot,matrem tefeter. Imò aduenit aliquando,vt mihi certo exemplo innotuit,fœtum vniuerſo capite matti reſpondete, particularim verò auribus patrem ſic æmulari,vt foramen qnod patri gentilitium eſt in anthelice, retinear. Quòd ſcilicet cùm capitis figmentum inciderit in partem ſeminis ex matre deciſam, acciderit,minimum paterni ſeminis ibi fuiſſe permixtum alteri,vbi formanda erit auris. Quod vt in omnium membrorum confotmatione obſeruatur; ita & in eo membro quo ſexus diſtinguntur. Vnde aduenit pletunque,fœtum externâ corporis ſuperficie ac vulru patri maxima ex parte reſpondere, ſexum tamen habere fœmineum aut contra. Atque hinc etiam aliquando,eâdem portione ſeminis quæ in genitale deſtinatur ex vtriuſqne parentis genitura conſtante; mira fit androthelium varietas:pro commixtionis diuerſitate,mixtorum ſeminum in æquali vigore, & alterutrius euidentiore meteoriſmo. Quæ verò à nobis hîc dicta ſunt ſic bellè ſed paulò obſcuriùs expreſſit Lucretius.[b] b Lib. 4.

Et commiſcendo cum ſemen forte virile
Fœmineum mulſit ſubita vi,corripuitque,
Tum ſimiles matrum materno ſemine fiunt:
Vt patribus patrio. Sed quos vtriuſque figura
Eſſe vides mixtim,miſcentes vulta parentum
Corpore de patrio,& materno ſanguine creſcunt,
Semina cum veneris ſtimulis excita per artus
Obuia conflixit conſpirans mutuus ardor,
Et neque vtrum ſuperauit eorum,nec ſuperatum eſt,

Per quæ,omnis fœtuum ad parentes ſimilitudinis in conformatione ratio facillimè explicatur.

Nec minùs euidenter expreſſa eſt occaſio propagationis morborum qui in parentibus inerant ex læſa conformatione nati :vt eorumdem aliquando emendationis cauſa, non difficilè exinde etiam colligitur. Cùm enim idem vitium in vtroque parente non adfuerit: poterit nonnunquam integri, aliâs vitioſi parentis ſemen in talibus membris conformandis præualere. Hinc vari aliquando ex varis,vatij ex vatiis,ac valgi ex valgis,& manci ex mancis, atque alij alias referentes offenſas naſcuntur. Imò & næuos,verrucas,cicarrices,& foraminula quædam in quibuſdam parentum membris apparentia,pariter in natis impreſſa aduertimus. Aliâs verò ex altero parentum gibbo,manco, claudo,aut diſtorto:integrè & affabrè formatos fœtus generari & naſci experimur.

Quodad temperiem autem ſpectat; vt faciliùs intelligamus,quomodo corpora natorum parentum temperaturam imitentur:primò diſcendum eſt,qua ratione ſemen, generantis craſim retineat. Ad quod meminiſſe oportet,materiam ſeminis,vt docuimus, ex venoſo arterioſóque ſanguine & ſpiritu animali deſumi.Quæ cùm in principibus membris genita eorumdem temperiem redoleant: poſt mixtionem demum & alterationem quam in paraſtatis ac teſtibus ſubeunt, illam in tota ſua ſubſtantia craſim aut dyſcraſiam ſeruant,quæ excellentior in generante vel ſalubris temperaturæ, vel morboſæ conſtitutionis eſt radix. Cùm autem prædictæ ſubſtantiæ, quæ ad confectionem ſeminis partes principes conferunt,neque ſint in confecto ſemine diſcretæ, neque ſecedant ſingulæ ad ſingularum partium principum peculiare figmentum ſed ex communi maſſa omnes fingantur: non poteſt illa ſingularium craſium præciſa imitatio obſeruari. Licèt illæ aliquam ſemper heterogeneitatem in ſemine retinentes,in ſingulas ſedes ſui ortûs imitatrices, naturæ quâdam analogiâ, particularius quidpiam influant.Quantumcumque verò inter ſe mixtæ,& multiplici præparatione ab ingenita craſi quadantenus receſſerint: eam tamen ſemper aſſequuntur temperiem, quæ in generante ex *ἰσοχυμία* aut euidentiore diſtemperie partium principum excellentiùs eminebat. Atque vt ſeminis laudata temperies,in genito natiuæ ſalubritatis eſt author: ita quæ in eodem concepta eſt dyſcraſia,licèt aliquando in principiis generationis lateat, per ætatem tamen vires reſumptura, morborum hæreditariorum qui ab intemperie naſcuntur eſt fomes. Hinc hydropem,tabem,podagram,melancholiam, lithiaſim, lepram conſimileſque morbos, ab excellenti aliqua intemperie naſcentes,hæreditarios eſſe deprehendimus. Vtque ſcribit Damaſcenus,[c] quemadmodum tam vitia animi (per propenſionem ſcilicet) quàm figuræ corporis,ab auis & à parentibus cadunt & hæreditantur: ita quoque morbus diuturnus,& maximè ſi fuerit in principali membro. Quemadmodum verò ſi vtriuſque parentis ſemen pari diſcraſia fuerit inquinatum, moleſtior multò eſt & grauior affectio quæ transfertur in liberos:ita ſi alterius genituram in contrarium temperatam eſſe contingat,poterit per energiam ſeminis à tẽperatiore parente deciſi,alterius noxâ aut obſcurari aut retundi ſaltẽ. Teſtatũ enim à Valeſio legimus,[d] mulierẽ ſatis decorã, natã ex patre leproſo & matre ſana. Atque hæ cuiuſcũque ſimilitudinis inter prolem & alterum aut vtrũque parentẽ ſunt cauſæ.

c In aphoriſ.

d Lib. 7. c. 30

Quòd autem liberi parentibus aliquando diſſimiles euadãt,tribus præſertim ex cauſis oriri poſſe non tam affirmamus,quã coniectamur. Scilicet vel à coeleſtiũ influxuũ in conceptu & formatione

ſpeciali configuratione: vel à maternæ imaginationis errore: vel à diſpari ſeminum concurſu, per diuerſos generationis ordines. Materiam enim ad figmentum noſtri corporis deſtinatam, vt ſidera ſuis influxibus alterant: ita eandem diuerſimodè ad hanc illamue conformationem facilius excipiendam diſponunt. Quod aduertens Ariſtoteles.[e] Solem dixit & hominem, generare hominem. Ille enim pro varia cœli in cuiuſque geneſi configuratione, variè calorem noſtræ generationis principiis inſitum fouet & alterat. Vt autem figulus ex argillæ diſpari firmitate aut mollitudine, cogitur eiuſdem ſpeciei vaſa inter ſe diſſimilia facere: ita Optimi Plaſmatoris ſapiẽtia noſtræ ſe accommodans infirmitati ab exemplaris imitatione deficit aliquando, pro materiei ineptitudine. Hinc alienos aliquando referimus: eaque ex cauſa tanta ſimilitudo nonnunquam inter diuerſæ ſortis imò & gentis viros animaduertitur. Cuius exempla plurima leguntur apud Plinium.[f] Cùm enim Aſtrologi profiteantur dominum aſcendentis diſpoſitiuè ſaltem præeſſe conformationi corporis embrionis: ſi interuenerit magnum eſſe diſſidium inter dominum aſcendentis nati & parentum, atque illos ſe in nati geneſi aduerſantibus aſpectibus intueri; nihil mirum ſi prolis & parentum diſſimilis ſit conformatio. Si verò dominum aſcendentis in hora conceptûs diuerſorum eundem eſſe contigerit, aut vtriuſque horoſcopi dominum conſimilis eſſe naturæ, qui ſe per trigonum, aut per exagonum intueantur, citra omnem aduerſantis planetæ ſocietatem vel aſpectum: tales inter ſe ſpecie & forma mirum in modum ſimiles eſſe continget. Ita ſi acciderit particulares aliquas ſiderum malignas configurationes morboſarum conſtitutionum diſpoſitrices, de quibus fusè Pontanus,[g] in diuerſorum conceptionibus pariliter conuenire: conſimilium vitiorum & valetudinum in diuerſorum conceptionibus pariliter conuenire: conſimilium vitiorum & valetudinum in diuerſis occaſionem dabunt.

[e] Lib. 2. Phyſic. tex. 26.

[f] Lib. 7. c. 12.

[g] Toto lib 10 de rebus cœleſtib.

Maternæ autem imaginationis impetus, non per ſuum ſimplicem actum, nec per ſpeciem ſibi impreſſam, ſed per excitatas animi paſſiones, ſpirituúmque & humorum conſequentem motum: poteſt, vel imagines rerum quæ tantæ perturbationis fuerunt authores, in ſpiritus effuſas, plaſmatori per modum cauſæ ſecundæ agenti, obijcere: quibus enim à concepto exemplari auertens, illas illi pro exemplari ſuggerat. Vel concluſam in vtero genituram per ſpirituum colliſionem caua diſtendendo, vnita diuidendo, aut continua diuellendo, multifariam poteſt agitare: & degeneres multas configurationes procurare. Vel in iam formato molli & laxo fœtu, per ſpiritus & ſuccos ex vehementi aliquo deſiderio, indignatione, ira, aut terrore matris concitatos; & cum impetu in quampiam extimæ cutis fœtûs ſedem effuſas: multiplices aut ſuperficiarias, aut etiam aliquando extuberantes notas imprimere. Ad fœtum verò poriùs quàm alio, commoti in matre ſucci pelluntur: quòd is continuâ illâ & admodum auidâ alimenti ſuctione quâ pollet: illos quodammodo ad ſe attrahat. A quorum vehementiore impetu, nonnunquam vel extinguntur fœtus, vel abortus inferuntur. Primum maternæ imaginationis operandi modum agnouit Empedocles:[h] qui ad mulierum cogitationem quam inter concipiendum habuerunt infantes formari credidit: atque illas quæ pictam imaginem ſtatuámue aliquam eo tempore adamabant, imaginibus ſtatuíſque ſimiles fœtus plerunque genuiſſe. Sic apud Heliodorum Cariclæa ex parentibus Æthiopibus nata dicitur alba; quòd regina eius mater Andromedæ albam effigiem frequentiùs eſſet intuita. Huic Heſiodus,[i] ad procurandam hilaris naturæ prolem:

[h] Relatus lib. de hiſt. Philoſoph. inter ſpuria Gal, cap. 117

[i] Ad finem lib. ἔργων καὶ ἡμερῶν.

Μηδ' ἀπὸ δυσφήμοιο τάφυ ἀπονοστήσαντα
Σπερμαίνειν γενεὴν, ἀλλ' ἀθανάτων ἀπὸ δαιτός.

Neque ab infami (ait) ſepulchro reuerſus
Seminato progeniem, ſed Deorum à conuiuio.

Ex Ariſtoteles,[k] vt errores qui in formatione fœtuum frequenter adueniunt auertantur: mentes verò grauidarum inquit, contra atque corpora, deſidioſius haberi in vita degenda cõuenit. Nam quæ procreantur, multa à matre contrahere cernuntur. Ideoque animaduerſum à Plinio[l] legimus, plures in homine quàm in cæteris animalibus differentias adnotari: quoniam velocitas cogitationum animique celeritas, & ingenij varietas, multiformes notas imprimit: cùm cæteris animantibus immobiles ſint animi & ſimiles omnibus ſingulíque in ſuo cuique genere. Plurima autem variatæ exinde conformationis fœtuum exempla, ficta, veroſimilibus permixta, apud Fienum[m] legere cuique licebit. Secunda verò ex cauſa fit, & membra plus iuſto tumida aliquando effingi, & diſcindi nonnulla, atque aliter euariare quamplurima. Tertia Demum ex cauſa, multiplices notas, informes aliquandò, aliàs diuerſarum rerum figuras æmulantes, in fœtibus iam formatis, imò & mox naſcituris imprimi exiſtimamus. Quomodo autem agitati illi matris ſpiritꝰ & humores, in fœtûs corpus & cutẽ extimã transfuſi: non qualẽcunque notã, ſed figurã colore aut forma rei vehemẽtiùs imaginatæ reſpõdentẽ in fœtu imprimant: etſi euidẽter explicari, & certò dici nõ poſſit: id tamẽ pro infir-

[k] Lib. 8. politic. cap 16.

[l] Cit. lib. 7. cap. 12.

[m] Lib. de virib. imagination. q. 13. concl. 40.

mi-

mitatis nostræ captu accidere sequentibus ex causis imaginamur. Tum scilicet quòd humores colore rei conceptæ similiores,eo impetu succis impresso,aliis efferatiùs concitentur:& pro eorum diuersitate,color in cutem effusus euariet. Tum quòd pro vario animi pathemate, imò & excitatæ passionis causâ,concitatorum spirituum,humorùmve motio talis fit:vt hi,sub confusa quadam specie rei ex cuius violenta imaginatione appetitus vehementiùs fuit perturbatus, impingant in cutem. Sic aër qui inter loquentem & resonantem echo est intermedius:ita à singulis prolatis vocibus percutitur,vt is totum illud artificium retineat quod in laringe & palato ad loquentis vocem edendam absoluitur: vnde idem,vocem priori similem,in sonoris huiusmodi caueis iterum reddit.

Tandem dissimilitudo quæ inter prolem & parentes à dispari seminum concursu per diuersos generationis ordines aduenit:bifariam accidit. Ac primùm quidem,vt habet Lucretius. [n]

Fit quoque vt interdum similes existere auorum
Possint & referant proauorum sæpe figuras,
Propterea,quia multimodis primordia multis
Mista suo celant in corpore sæpè parentes,
Quæ patribus patres tradunt à stirpe profecta.

Sic ex Pliuio, [o] Nicæus Bisanthii genitus,adulterio Æthiopis nata matre nihil à cæteris colore differente. Auum ipse regenerauerit Æthiopem.Qui casus non aliundè potuit accidere:quàm quia Nicæi mater,ex adulteræ matris semine,in externarum partium configuratione prædominante, alba effecta, in visceribus,ad quorum figmentum efficaciùs concurrerat Æthiopis adulteri semen,patris temperiem retinuerit. Ex quibus quod deinceps decisum est semen ad Nicæi generationem, præualens in partibus externis,semini à marito eiaculato: in Nicæo formam auitæ formæ æmulam externúmque colorem eiuidem colori respondentem impressit.

Secundò prædicta dissimilitudo sic accidit: vt fœtus non tam patrum aut matrum, quàm auunculorum aut amitarum crases,vel potiùs morbosos sequatur affectus: ac masculi quidem auunculorum,fœminæ verò amitarum. Quod hac ratione contingit. Cum pater & amita natæ hisdem parentibus orti,plurimum in temperie & conformatione conuenire soleant; eâ exceptâ quæ à diuersitate sexûs emanat,& quæ solet ad differentes affectus inclinare. Si quando in reliqui corporis configuratione paternum semen potius fuerit & copiosius concurrerit: in genitalibus autem materna genitura præualuerit,filia nascetur quæ vultu & corporis habitu patrem referet eiúsque temperiem imitabitur. Ex qua si morbi aliqui sexui muliebri peculiares,excitari in muliere sint nati:in his non poterit similis esse patri,sed amitæ ex pari crasia consimilibus morbis laboranti, similior apparebit. Pari modo,dum in filii conformatione,maternum semen copiosius fuerit suggestum;paternum tamen ad genitalia fingenda concurrerit:natus matri quàm patri vndequaque similior, in his affectib⁹ qui mares magis infestant quàm fœminas,auunculũ potiùs quàm patrẽ aut matrẽ imitabitur.

Demum monstra,& fœtus præter consuetas naturæ leges formati:tribus præsertim ex causis contingere videntur. Quarum prima est materiæ vitium. Seu quòd semen ex diuersæ speciei animalibus in mutuos amplexus ruentibus decisum,biformi monstro occasionem dederit. Seu quòd illius portio ad aliquod membrum in prima & rudiori totius delineatione destinata,ex quodam noui caloris influxu impensius grandescens aut copiosior inuenta,in membrum consueto grandiùs cedat, aut duplicatum efformetur. Seu quòd idipsum vel à debita quantitate deficiens,vel aliqua in parte frigidius aut densius,quàm vt facilè peruadi possit expediret: à membrorum complemento aliquid detrahitur.

Secunda monstrorum causa est tum ex Democrito, [p] importunus coitus, & embryo recens inchoato adueniens superfœtatio:tum gemellorum mollium adhuc intra vterum ex casu aut ictu collisio. Ex quibus causis,distincti fœtus,diuersimodè aliquandò coalescunt.

Tertia tandem monstrorum causa est maternæ imaginationis & phantastici erroris vehementia, vti suprà explicatum est:vnde mille modis,fœtus à naturali conformatione & configuratione detrare possunt.

[n] Citato lib. 4.

[o] Loco nuper citato.

[p] Apud Aristot. lib. 4. de gener. anim. cap. 4.

De sanguine menstruo.

Capvt V.

Cvm natura mulierem eo fine formauerit,vt ad humanæ speciei propagationem intra se conciperet:& tum concepto fœtui,tum edito infanti alimoniam ad incrementum præberet. Eamdem tali donauit temperie cuius ope tantam sanguinis copiam generaret, quæ & proprii corporis nutritioni,& quando conceperit,embryi formationi,nutritioni,& augmento sufficeret. Quæ ante pubertatem quidem & maioris incrementi ætatem, id totum humoris alimentarii quod generat in proprij corporis augmentum absumit. Et quæ mare humidior est,mollior & laxior, alimentum

per minima membrorum faciliùs admittit: celeriúsque incrementum capit. At quando pubescere incipit,& ad minoris incrementi ætatem peruenit,minùs alimenti in propriam nutritionem absumens,copiosiorem in vasis sanguinem accumulat:cuius vacuationi nisi prouidentia naturæ prospiceret,importuna ea plenitudo mulieri graues inferret noxas.

Ne igitur quæ nondum vtero gerit,nec potest superabundantem illum sanguinem in sui nutritionem totum impendere,ab eius copia lædatur: sapientissimæ naturæ instituto, statis quibusdam temporibus,quòd superfluit per vterum excernere consueuit. Per vterum quidem, quòd ea huic excretioni opportuna sit via & vt quo tempore qui superest sanguis, ad alendum fœtum vtilis futurus est,in vterum transmitti solitus,eòdem faciliùs feratur.

Cæteris autem animalibus nihil tale contingit seu vt vult Aristoteles,[a] quòd reliquias alimenti in corpulentiam,squammas,pilos,aut plumas insumant aut in copiosam crassamque vrinam diuertant. Seu potiùs quod reliquorum animalium fœminæ minùs otiosæ,vehementiore exercitio superfluum alimenti per insensilem transpiratnm digerant.

Ac quoniam huius excretionis vt plurimùm menstrua est periodus: copiosior ille sanguis qui excernitur menstruus fuit appellatus,menstruum,ac mensis,atque ab aliis aliter.

Cuius purgatio ex Ægineta, [b] plerisque circa decimum quartum annum fieri primùm incipit: quo tempore inquit Aetius,[c] & pubescunt,& mammæ ipsis intumescunt, seu vt habet Aristoteles, [d] ad duos digitos prominent. Aliquibus autem citiùs. Nam & octo annorum puellā menses passam, imò & quinquennem ī quinctiam recens natam, memorat ex diuersis authoribus Schenckius. [e] Non paucis autem tardius quatuordecim annis.

Huius autem excretionis vt plurimum menstruam periodum esse dixi. Primò quòd iuniores quibus primùm erumpunt,non singulis mensibus plerunque fluant:sed aliquot etiam menses nonnunquam circa omnem morbum interponant. Ita senioribus antequam integrè deficiant longioribus interuallis fluunt. Quinimò & de cæteris Aristoteles [f] loquens, paucis inquit, menstrua singulis mensibus mouentur: sed vno intermisso plurimis. Quod cùm experientiæ repugnet, magis placet quod scribit Plinius: [g] & hoc tale tantúmque omnibus tricenis diebus malum in muliere existit,& trimestri spatio largiùs. Vbi trimestre spatium pari ratione notat,ac medici tertio quoque die tertianam recurrere dicunt: quòd alternis mensibus mulieres largiùs sanguinem effundere intelligat. Quinimò aliquæ vigesimo quoque die purgantur,nec mensis finem præstolantur,

Vtque non paribus interuallis singulæ euacuantur: ita nec parem copiam quæque effundunt. Nam vt Aetius inquit,[h] sanguis qui profluit,copiâ paulatim vsque ad ætatis vigorem augescit: deinde aliquandiù æqualitatem seruans paululùm penitus crescit aut minuitur: at vbi ad finem tendit, paulatim rursus minuitur, donec in totum desinat.

Quantitas autem sanguinis quæ per vigorem ætatis effluere vt plurimùm singulis periodis solet, ex Hippocrate, [i] est ad duarum atticarum heminarum mensuram, vel aliquantò plus aut minùs. Attica autem hemina ex Galeno, [k] pendet vncias decem.

Neque verò prædictum sanguinem affatim mulieres effundunt: quòd nimia sic fieret & repentina exolutio. Sed is per quædam interualla intra biduum aut triduum,ex eodem Coo sene effluit. Et plurimæ vt ait Ægineta, [l] ad quinque dies purgantur: aliæ ad septimum vsque diem: paucæ etiam vsque ad duodecimum. Verum quæ longius tempus triduo,aut biduo breuius ad hanc vacuationem insumunt:periculum est ne ex Hippocrate,[m] vel ægrotent vel steriles sint. Quibus enim parcior addit,quàm tribus diebus purgatio contingit,paucique menses prodeunt:si æ crassæ sint, benè coloratæ,viriléſque:neque partus meminerunt,& ne concipiunt ipsæ quidem.

Quoniam verò inferiora hæc à superiorum influxu regi & dispensari acceptum ratúmque est apud Physicos:menstruorum statum tempus mulieribus secundùm varias lunæ phases dispensari notat Galenus. [n] Vnde vulgare verbum.

Luna vetus vetulas,Iuuenes noua luna repurgat.

Quòd cùm ad primum dicotomum tepidiores & humidiores lunæ influxus,succos in vasis contentos exagitent: iuniorum natura ad functiones omnes naturales expedita,à copia per meteorismū humorum irritata ad expulsionem sit prompta. A secundo verò dicotomo,quia lunæ irradiationes cum remissiore calore siccitatem etiam nostris corporibus imprimunt,siccitas autem ad nixū facit: accidit seniores,robore per siccitatem expultrici facultati conciliato,lunâ ad deliquium inclinante purgari. Non enim omnibus,vt censuit Aristoteles, [o] mensium profluuium decrescente lunâ contingit. Quinimò neque semper quod vulgare verbum antea relatum habet,aduenit.

Ita verò huius profluuij incertæ sunt leges,ad indiuiduales conditiones cuiusque mulieris se accommodantes: vt contra id quod principio adnotauimus,fœtas superabundantem sanguinem in formationem & alimoniam embrij insumere; quædam reperiantur, quibus non solùm

vt scribit

a Lib. 7. de hist. anim. c. 2.
b Lib. 3. c. 60
c Lib. 16 c. 4.
d Cit. lib. 7 de hist. anim c. 1
e Lib 4. obseru. medic.
f Eodem lib. 7. de histor. anim. cap. 2.
g Lib. 7. c. 15.
h Lib. 16. c. 4
i Lib. 1. de morbis mulierum.
k Vel authore lib. de ponder. & mensuris, apud Galenum.
l Lib. 3 c. 60.
m Supra.
n Lib. 3. de diebus decret. cap 2.
o Lib. 7. de hist. anim. c. 2 & lib. 2. de gen. anim. c. 4
p Lib de nat pueri.

vt scribit Hippocrates,[p] menses perpusillum primo mense prodeant: sed vt apud Aristotelem[q] legitur, aliquibus etiam prægnantibus menstrua vsque ad postremum gerendi tempus eueniant; quibus tamen accidit vt parua pariant,& proles aut minùs vitalis, aut infirma procreetur. Par erat cuiusdam mulieris nobis viciuæ natura: quæ cùm vtero gereret,simul puero iam bienni ad diem vsque partûs alendo suo lacte suffecit. Nec tamen quisquam existimet, quando vtero gerentibus menses fluunt,illos per venas in vteri cauitates desinentes expurgari: sed per eum tamum qui ad vteri ceruicis latera insetitur. Quâ viâ tamen falsum est virgines expurgari, vt scribit Fernelius;[r] aut saltem minùs probabile.

p Lib. de nat. pueri.
q Lib. 7. de hist. anim. cetato, cap. 2.
r Lib. 6 pathol. cap 17.

Demum progressâ ætate,caloréque remisso, & sanguine parcius genito,mulieribus menses desinunt. Plurimis quidem vt ait Aristoteles,[s] circa quadragesimum annum. Quod tempus quæ excesserint,his ad quinquagesimum seruantur,cùm iam nonnullæ eo tempore pepererint. Quod tamen sequitur,minùs verum est,vltra hoc tempus nullam posse menstrua protrahere. Nam aliquæ licet paucæ ex Ægineta,& Aetior vsque ad sexagesimũ purgantur:vt quibusdam à tricesimo quinto anno præsertim si pingues fuerint,Paulo teste,[u] desinere cœperunt. Imò nonnullis tardiùs adhuc eruperunt: vt ex Solenandro legere licet apud Schenckium.[x] Notum est prouincialibus, matronam illustrem Sancti Marci Dominam,sexagenariam peperisse puellam,quæ dum hæc scribuntur iam grandæua est & nobilis,non minùs ingenio quàm venustate commendanda.

s Lib. 7 de histor. anim. cap. 5.
t Locis laudatis.
u Citato lib. 3. cap. 60.
x Eodem lib. 4 obseru.

Cæterùm sanguis qui per menstruas periodos effluit,non eiusdem sortis à quibusque excernitur. Nam ex Hippocrate,[y] crassiores quidem & copiosiores prodeunt in intermediis diebus, & postridie sanguis (si modò mulier valet) qualis è victima est,citóque concrescit: pauciores verò & tenuiores cùm incipiunt vel desinunt. Præterea apud eumdem,[z] ex iunioribus ferè suberuenta prodeunt:seniores autem,mucosos magis appellatos menses habent. At si mulier sit corpore malè affecto,menses aliquando biliosi decurrunt inquit,[a] nonnunquam admodum nigri, interdum etiam splendidi,quandoque velut aqua quæ ex carnibus prodit: aliàs velut sanies, quæ tanquam acetum terram abradit,& quacumque mulierem contigerit mordet,vterosque exulcerat.

y Cit. lib. 1. de morb. mulier.
z Lib. de locis in hom ad finem.
a Eodem lib. 1. de morb. mulier.

Qualis autem humor is sit quo sanguis inquinatur,cùm bifariam discernere doceat: potior est ille modus,qui ex linteis ex sanguine intinctis,& post horas viginti quatuor lotis,locóque vmbratili exsiccatis desumitur. Etenim ex colore in linteo post elotum sanguinem apparente, qualis sit humoris sanguini permixti conditio discernitur.

Tandem verò vt intimam menstrui naturam peruadamus,disquirendum hoc capite est, nùm ille sanguis quem periodicè mulieres effundunt, tam malignus sit, vt Plinio authore,[b] nihil facilè reperiatur mulierum profluuio magis monstrificum: à quo dira & infanda accidere alibi refert.[c] Cui adhærens recentiorum pars maxima,& muliebrem sexum hinc multifariam calumniantur, & infantiles morbos passim grassantes,ex maligni illius & deleterij sanguinis reliquiis ortos causantur. Quorum sententiæ adhærere prohibet ratio,& nonnullorum meliùs sentientium authoritas. Ne verò paucos pluribus opponentes audiri recusemur,ratione agamus oportet:eius fulcro destituti, nihil nisi ruinosum astruere possunt. Quare primùm quærere ab aduersariis liceat, num sanguis qui per menses mulieribus effluit,in hepate cum reliquo qui in venis continetur genitus sit an verò alterius membro sui ortûs principium debeat? Alibi enim generari qui diceret, locum generationis illius deberet assignare,& per quas vias in vterum secedat, si venoso non immisceatur, indicare. Quòd si totius massæ sanguineæ in hepate genitæ pars est: vel ea merè excrementitia est, vel alimentarij humoris portio. Non quidem merè est excrementitia,& ad alendum inutilis substántia: cùm neque pituita sit,nec bilis alterutra. Tum quòd ille & ad efformandas carnosas embryi partes,& ad idipsum alendum & augendum inseruiat: necnon infanti iam nato alimentum præstet in lac conuersus.

b Cit. lib. 7. cap. 15.
c Lib. 28, c. 7

Carnosas partes nostri figmenti ex eo sanguine effingi indicat,rubra illa effusio quæ in rudimentis nostræ formationis aduertitur: si prima illa effluuia muliebria quæ sexto aut septimo die post conceptum accidunt,intueri & cum Hippocrate,[d] contemplari detur. Cùm enim sanguinem ad illud figmentum concurrere inde doceamur, nec matrem suo genio defraudari par sit:summam naturæ prouidentiam decet,id quod ad fœtum impendendum est, ex ea portione assumi quæ matri superfluit. Quod ita se habere,indicat Galenus eum scribit,[e] ex semine & sanguine menstruo(tanquam materialibus principiis nostræ formationis) nobis inesse calidum innatum. Tunc verò apertè docet,[f] cum partes albas & prima nostræ texturæ stamina ex semine ait,ortum ducere:intertextas autem rubras & carneas membrorum substantias ac parenchymata ex sanguine effingi & efformari. Cui reliqua medicorum cohors, nisi insolens quædam proteruia interueniat, assentitur.

d Lib. de natura pueri.
e Lib aduersus Lycum cap. 2.
f Lib. de fœtus form. cap. 2. & lib 1. de sem. cap. 5. & 10.

Ex eodem autem sanguine fœtum ali,pauci negant: cum maxima pars eorum qui nobis aduer-

sanatur, ex reliquiis huiusmodi alimenti, variolas, infantiles morbillos, similésque pueriles affectus ortum ducere affirmarint. Fernelius tamen,[g] menstruo notatam à Plinio malignitatem ascribens, eo infantem non ali asseuerat. Sed quorsum natura eius effluxum in vtero gerentibus prohiberet, nisi quòd eius portione fœtum ali oporteat: nec expediat liberiore effluuio permisso, embryoni alimoniam deesse; talem autem modum huiusmodi expurgationi imponere difficillimum sit, vt quantum fœtui est necessarium retineatur, quod verò superfluum est excerni permittatur.

Quinimò hoc idem menstruum edito etiam infante in eius alimoniam cedit. Quod cùm antea in vterum per seminalis aut hypogastricæ venæ ramos per anastomosim cōflueret: deinceps in mammas per venam cauam, & axillarem ad lactis generationem refluit. Eadem enim penè, ex Galeno,[h] est menstrui lactísque natura. Et vt ait Hippocrates,[i] lacti, menstruum germanum est. Quorum eamdem esse materiam, tunc clarè docet,[k] quando lac & sanguinem, alimenti esse redundantiam scribit. Vbi per sanguinem, menstruum particulatim significasse ex eo coniector, quòd alimentum cuius sanguis ille de quo loquitur redundantia est, non aliud sit à communi membrorum alimento quod in vasis continetur. Quod clarius statim insinuat, cùm addit: circuitus ad multa consoni, ad fœtum & eius alimentum: rursus autem tepit ad lac, ad alimentum & ad infantem.

Quæ licèt aliter à Galeno[l] exponantur: rectè tamen Foesius,[m] id explicat de naturalibus periodis quibus sanguis à natura ad vterum fertur, pro complenda fœtûs formatione embryóque alendo: atque inde ad venas refluit, tum ad mulieris alimentum, tum ad lactis in mammis generationem, & infantis nutricatum.

Quare in sanis saltem mulieribus & boni habitûs, non alterius naturæ est sanguis qui singulis mensibus per vterum excernitur, ab illo qui in fœtus generationem, eiusdémque & infantis iam nati alimentum insumitur. Vnde Galenus,[n] sanguinem ex vtero fluentem toto genere præter naturam esse negauit: sed quantitate dumtaxat. Et naturam vacuationem menstruam in mulieribus humorum multitudinem coaceruantibus, tanquam remedium naturale plenitudinis instituisse dixit.[o] Plenitudo autem quæ & multitudo appellatur, sanguis est solo quantitatis excessu peccans. Neque enim potest menstruum in sanis & benè temperatis mulieribus aliquod in qualitate vitium concepisse: cùm illud ex Hippocrate,[p] sit qualis è victima, citóque concrescat; & ab Aristotele[q] dicatur menstruum esse sanguinē quasi occisi animalis. Quæ sunt laudabilis sanguinis notæ: præsertim si prædicto colori modóque substantiæ dulcis sapor coniungatur: Quem Hippocrates[r] in eo agnouit sanguine quo fœtus alitur.

Fateor eam esse naturæ prouidentiam, vt in malè temperatis mulieribus & cacochymis, non solùm periodicis illis purgationibus quod copiâ in vasis superat euacuetur: sed præterea quantum licet quod in vitio est excernatur. Atque inde accidere pro varia morbosarum intemperierum conditione, aliquibus albos, aliis flauos, virescentes, nigros, aut saniosos, & mali moris aliquando menses effundi. Ex quibus qui exhalat vapor: vel per loculos, vel per oculos: nihil mirum si prauæ qualitatis effectus aliquos exerat. Atque eadem eluuies semel à natura ab aliis succis secreta, si intus retineatur, & ad vasa, atque inde ad partes principes refluat, multiplices noxas inferre est nata. Non in vtero gerentibus solùm, sed in reliquis etiam mulieribus. In illis verò præsertim, quas si cacochymas esse contigerit, ideò tam variis & grauibus plerunque symptomatibus infestari aduertimus: quòd ex sanguine illo qui circum vterum retinetur, cùm id solùm quod purissimum est fœtus ad se alendum trahat, quod ex reliquo exhalat, varias corporis partes etiam principes plerunque vehementer infestat. Quinimò & copiosior sanguis qui nullum aliud vitium contraxerit, nisi quòd copiâ peccet; nónne seu transpirare prohibitus, seu in varias partes principes aut officiales inordinatè transfusus, grauissimos casus & mulieribus & viris etiam excitare consueuit.

Quæ cùm ita sint, & mulieres aliquas viragines menstruâ purgatione per integram vitam destitutas, salubriter degere experiamur: & vtero gerentes non paucas totum fœtationis tempus citra incommodum transigere: asseri non potest, menstruum vt menstruum, & à quacumque muliere excretum illius cacoethiæ particeps esse. Nec Plinio tantam malignitatem muliebri menstruo tribuenti, & multa experientiæ repugnantia referenti credendum est. Cùm enim menstruum alimentarij humoris qui in vasis continetur sit portio: vnde illi mala ea aduenire posset qualitas, qua cùm reliquum sanguinis minimè inquinatum esse experiamur, huic tamen inesse affirmatur.

Verùm gratis asserere videmur, menstruum, seu eum sanguinem quem mulieres singulis mensibus per vterum excernunt, eiusdem esse naturæ cum eo qui in venis continetur, & qui per multiplices venarum ramos dispensandus, ad singula membra alenda destinatur. Nam Aristoteles[s] docet sanguineam illam genitalem fœminæ secretionem, esse excrementum alimenti quod vltimum in membra digeritur. Necnon[t] esse excrementum alimenti inutilis, quo natura ad generationem abutatur: vt quale erat futurum, tale alterum oriatur.

g Lib. 7. Physiologiæ cap. 7.
h Lib. 14. de vsu part. c. 8.
i Lib. 2. epidem. sect. 3. propè finem.
k Lib. de alimento.
l In comment. eiusdem lib. de alimento.
m In notis ad eum locum.
n Lib. 3. de causis sympt. cap. 2.
o Lib. de venæ sect. aduersus Erasistr. cap. 5.
p Lib. 1. de morb. mulier.
q Lib. 7. de hist. anim. c. 2. idemque Arist. lib. 9. de anim.
r Lib. de natura pueri.
s Lib. 1. de gener. anim. cap. 19.
t Lib. 2. de gener. anim. cap. 4.

Quod

Quod non ab hepate proximè effundi, sed alimenti tertiæ coctionis exerementum esse, & à singulis membris in venas, hincque ad vterum refluere affirmatum legimus à Clarissimo Laurentio,[u] & Saxonia.[x] Necnon velut redundantem superfluúmque humorem esse ex alimento actu nutriente, à singulis partibus secretum, vt ait Bertinus.[y] Qui suam sententiam Galeni authoritate[z] confirmare conatur.

Sed defendi hæc sententia nequit. Etenim confluxus ille vltimi alimenti membrorum ideò in muliere excogitatur, vt assignetur materia quæ possit in singula membra fœtus parentibus assimilanda dispensari, & quæ id ante potentiâ fuerit quod mox actu futurum est. Finis autem huiusmodi non est spectandus à menstruo, cùm illud in materiam primi membrorum figmenti non assumatur: & à maris æquè ac fœminæ seminali effluuio id frustra requiri, ex his pateat quæ iam antea docuimus.[a] Præterea vltimi illius alimenti secessus, vel erit roris, vel cambij. Non quidem cambij, quod tamen proximè in aliti substantiam conuertendum, id maximè esset quod proximè fuerat id in potentia, quod in conformatione fœtus mox futurum est actu. Siquidem cambium membrorū substantiæ iam agglutinatum, non nisi per morbosam colliquationem potest à membris secedere: vt cuique illius naturam intelligenti euidentissimè apparebit. Atneque roris. Quoniam cùm is sit merus sanguis in membrorum porositates effusus, qui nullam notatu dignam mutationem in membris acceperit, ob quam dici possit esse magìs in potentia hoc membrum quàm illud, nisi ratione sitûs & approximationis: non poterit illi fini in quem secedere & in vterum ferri dicitur, inseruire. Adde rorem qui membris inspergitur paucum esse, à quo vix aliquid detrahi potest quod in alios vsus quàm in membri cui affusum est alimoniam conuertatur. Qui præterea quomodo in capillamenta vasorum regrediatur, vix capi & intelligi à quoquam potest. Præsertim cùm phlegmonodes in partes carneas influxus, si semel vasa sint egressi nequeant in eadem repercutientium viribus repelli; sed quod è vasis iam effluxum est digeri aut suppurari oporteat. Quare non aliud est alimēti superfluum, menstrui nomine comprehensum; quàm id quod in venis maiori copiâ quàm cuiusque natura requirat continetur. Et quod nisi aliquâ naturæ industriâ aut arte imminuatur minùs liberè difflatum, vel inordinato motu à partibus robustioribus in imbecilliores pulsum, varios affectus, cósque graues, & quò maior est copia eò periculosiores inducere natum est. Ex aliis enim alimentariis humoribus quos secundarios cum aliis medicis appellauimus, nihil secundùm naturam superfluit, quàm tenuis quidam ichor, qui in halitum insensibiliter abit, & crassum quidpiam ex quo sordes cuti adnascentes enascuntur. Quæ duo tertiæ coctionis sunt excrementa, ex quibus nec semen nec menstruum generari quisquam adhuc fuit imaginatus. Galenus verò eo loco qui assumitur à Bertino, non voluit menstruum esse reliquias alimenti singularum partium: sed tantùm asseruit, commune esse omnibus his animalis membris quibus inditum est succum aliquem generare, qui vel ad reliquorum nutritionem, vel ad generis propagationem, vel ad editi fœtûs alimoniam destinetur; plurimum humorem in se conficere, cuius portionem in sui nutricatū conuertant, reliquum autem vt sibi superfluum in eum confestant vsum qui est ab animalis opifice destinatus. Idipsum autem in singulis corporis partibus fieri, assertum à Galeno negamus.

Mercatus aliâ incedit viâ, qui menstruum solâ quantitate peccare non esse intelligendum scribit,[b] de eo sanguine qui singulis mensibus per vterum excernitur; quippe cum vitiari mille rationes & argumenta probant: sed de ea sanguinis portione quam natura singulis diebus ab vniuerso corpore separat, vt paulatim in vtero collecta menstrualem efficiat purgationem. At fallitur etiam hic. Non enim singulis diebus portio illius sanguinis in vterum coaceruanda transmittitur: sed per statas periodos natura à copia irritata succos per vniuersum corpus exagitans, ad eius se quantitatis excretionem accingit à qua importunè habet. Hinc spontaneæ lassitudines, capitis grauitates, lumborum calor aut dolor, similiáque symptomata vno aut altero die muliebrem præcedunt purgationem: commotionem humorum per vniuersum corpus attestantia. Et si quando naturæ in ea totius commotione occurrat quòd illam non solùm copiâ grauet, sed qualitate etiam offendat: id totū quàm maximè potest à reliquo secernit, & destinatâ viâ excernit. Quòd si qualitatis vitium tantum sit vt naturam impensiùs ad excretionem irritet: tanta sit aliquando menstruorum effusio, vt anima cum cruore effundatur. Si verò per singulos dies ea secretio & in vterum transmissio fieret, talia mensium excretionem nec præcederent nec sequerentur. Præterea quod singulis diebus in vterum à Mercato transmitti dicitur; vel in vteri cauitate, vel in eius corpore, vel in proximioribus vasis colligatur oportet. Non in vteri cauitate: quoniam si sanguis tantâ copiâ illic contineretur menstruâ purgatione imminente, non possent circa id tempus conceptus fieri; quod tamen fœcioribus plerunque accidit, atque aliis quæ iamdudum viri consortio caruerunt. Tam copiosus enim sanguis per mensem in vteri cauitate collectus seminis vim extingueret: atque illud vtero adhærere prohiberet. At neque in vteri corpore idem per spongiosam eius substantiam effusus coaceruatur.

u Lib. 8. suæ anat. quæst. 8.
x Lib. 4. panthei, cap. 2 3.
y Lib. 4. sua medit. cap. 4.
z Comm. 1 aphor. comm. aphor. 39.
a Cap. 2. & 3.
b Lib. 1. de mulierum affect. cap. 4.

Qui duarum heminarum mensurâ vterum ad eam efferret molem, quæ vteri gestationem hypogastrum contrectantibus mentiretur; quod tamen quotidiana experientia falsum docet. In circumstantibus tandem vasis affluxum laudati sanguinis ad vteri nutritionem necessarij impediret. Ac præterea illic ad purgationis vsque periodum immotus quiescens, putredinem necessariò contraheret, quæ se grauibus symptomatibus manifestaret. Nec solùm hæc illis acciderent quæ cacochymæ sunt: sed his etiam quæ euexiâ gaudent. Nec imminentibus modò menstruis, post longam prauorum succorum à reliqua massa secretorum circum vterum moram: sed mox ab inchoata sanguinis expurgandi collectione, quoniam is minus difflatus iam contrahere labem inciperet. Quæ tamen non euenire quotidiana indicat experientia. Tandem Mercatum demiror qui sanguinem singulis mensibus expurgandum vitiari, mille rationibus & argumentis conuinci inquiens, vnam aut alteram non proponat quibus probetur sanguinem à quacumque muliere & quantumuis boni habitûs menstruâ purgatione effusum qualitate peccare. Cùm tamen certum sit, & summis viris probetur, sanguinem huiusmodi plerunque colorem & consistentiam optimi sanguinis retinere. Qui si vitium aliquod in qualitate contraxisset; vel in prædictorum altero, vel etiam in vtroque conceptum vitium proderet.

Tandem in sanguinis menstrui examine controuersia occurrit: num sanguis ille qui ad partium embryi carnosarum formationem concurrit, aliquam habeat in formando fœtu efficientiam. Id affirmat Gorthæus,[c] & cum Salmerono,[d] Theologi nonnulli: qui cum Aristotele asserentes mulierem solum sanguinem menstruum ad generationem conferre: simul autem censentes Deiparam Virginem effectiuè ad corpus Christi Domini efformandum concurrisse, dixerunt sanguinem menstruum formationem fœtus ex parte efficienter attingere.

Verùm cùm id quod ex Aristotele supponitur, falsum esse iam constet: quidquid ex ea hyppothesi illatum proponitur, improbandum etiam videtur. Sanguinem autem menstruum ad primam saltem formationem fœtus nec effectiuè nec materialiter quidem concurrere, ex eo confirmatur: quòd membranæ fœtum circumuoluentes, bullæ intra has in partium principum rudimenta excitatæ, & fibræ ab eisdem exortæ tanquam prima membrorum omnium stamina, ex vtriusque parentis seminali massa, ab Optimo & Sapientissimo Plaste efformentur. Vt prædictorum omnium color albus & ad ductilem cohæsionem necessaria viscíditas indicat. Quod autem ad parenchymatum carnisque circum seminales illas fibras inserendæ generationem & singulorum nutritionem desideratur: id quidem sanguis maternus subministrat: sed illum ad id vim aliquam effectiuam tribuere non est necessarium. Præsertim cùm genitiuus ille seminum spiritus ad integram formationem vt instrumentum veri Plasmatoris sufficiat: & anima cùm primùm verâ nutritione embryo est opus introducta, id totum exequatur quod ad vegetationem partium efformatarum requiritur. Concursum autem illum instrumentaliter effectiuum in Beatissima Virgine Deipara agnoscimus: dum illam ad sacratissimi corporis Domini nostri illibatâ virginitate ea contribuisse admittimus, quæ ex castissimis & purissimis sanguinibus[e] decisa docent Theologi,[f] ad mentem Diui Thomæ.[g] Ea tamen sic explicando vt & inuiolata Beatissimæ Virginis puritas integra conseruetur: & materia sacratissimi corporis sit conformis materiæ quam aliæ fœminæ subministrant ad conceptionem prolis. In qua exprimenda torquentur aliqui Aristoteli nimiùm adhærentes: & plurimi[h] variis se ambagibus illaqueant.

c In definitionib. medic. in voce καταμήνιον αἷμα.
d Tomo 3 com. in Euang. hist. tract. 9.
e Diuus Damasc. lib. 3. de fide orthod. cap. 2.
f Videatur Salmeronus supra citatus in resp. ad 2. argum.
g Tert. p. q. 31 art. 5.
h Petrus Garcia Carrero disp. 37. in lib. 1. Arist. cap. 8. & Pererius de Pavamato ibidem citatus.

De Conceptione.

CAPVT VI.

NATVRA speciei humanæ conseruandæ mirum in modum sollicita, non solùm marem & fœminam creauit, sed vtrique naturalem coitus appetitum indidit. Qui ad pubertatem excitatur quando hirquitalire dicuntur: seu quòd acutam vocem in grauiorem mutent, vniuerso corporis habitu ab aucto calore laxato: seu quòd vt plurimùm grauem odorem ab alis exhalent. Quos præterea ad congressum miræ voluptatis sensu inuitat: cùm non nisi ex mutuo concubitu viri & mulieris hominem generari voluerit. Quia verò coeuntes non semper generant, qui voluptatis illecebris sæpiùs quàm generandi proposito ad coitum incitantur: tunc solùm mulierem concepisse dicimus, quando ad prolis spem semen intra se retinuerit. Est enim conceptio vtriusque seminis in vtero ad hominis generationem comprehensio, vt ipsum nomen indicat. Neque in re diuersa est eorum sententia, qui non tam eam comprehensionem, quàm excitationem sopitæ & delitescentis in semine facultatis, conceptionem appellant. Nam si aliquando ea seminis comprehensio ad hominis generationem deducenda est, illam seminis facultatem vt suprà fuit explicatum, ad opus excitari planè est necessarium. Vtque ab hac excitatione conceptio completur, ita à comprehensione inchoatur.

Tunc autem fit conceptio, seu fœcunda seminis in vtero comprehensio: quando semen virile debitè coctum, per penem vteri ceruici respondentem rectâ transfunditur; in vtero hiante, nullâ grau;

intem-

intemperie affecto, ad claudendum se facili, hoc etiam frequenter illud attrahente excipitur, & occurrenti muliebri semini commiscetur.

Vtrumque semen concurrere asserit Aristoteles. [a] Non simul tamen & eodem planè instanti, marem & fœminam semen eiacolari necessum est, etsi tunc commodissimè concipiant: sed breuissimum tempus inter vtriusque seminis effusionem intercidat oportet: viro, mulierem ad proprij seminis excretionem vsque, prooocare perseuerante. Quod licet à nonnullis improbari legamus, qui asserunt mulieres aliquando sine vllo voluptatis sensu, atque vt illis videtur, absque seminis effusione concipere. Id tamen rationi magis consonum iudicamos: cum frustra semen mulieri natura tribueret, si absque illo, solo virili interueniente conceptus fieret. Præterea cùm admirandum illud naturæ artificium in efformanda clytoride, & nerueis illis productionibus à loco insertionis muliebrium vasorum deferentium ad eam veneris tentiginem deducendis aduertimus: apertè docemur, naturam velle ex affrictu penis ad clytoridem, eam excitari titillationem quæ mulierem inducat vt simul cum viro semen eiaculetur.

Nec placet quod aduersæ sententiæ tutores profitentur: virile semen in vtero exceptum, & finitâ eâ titillatione quæ ex mutuo per amplexus affrictu ad seminis excretionem vtromque irritat posse per se & insitâ sibi facultate semen attrahere. Præterquam enim facultatem illam attractricem liberiùs introducunt: cuius instrumentum (quo attrahentia attractis immediatione suppositi vniuntur) in semine explicare commodè non possent. Præterea non aduertunt muliebria experimenta huic suppositioni aduersari. Adde si supposita illa attractio vera esset, neque expediret vtrumque coeuntium, semen simul eiaculari: frustra medici pragmatici ad faciliorem conceptum procurãdum consulerent, fœminas ad venerem lentas, mellitis verbis & basiis aliisque cupidineis irritamentis ante excitare & promouere, quàm coeant. Cuius tamen consilij fructus, non casu, sed ipso etiam mulieris sensu iudice, frequenti experimento comprobatur.

Id verò quod obijcitur nonnullas absque voluptatis sensu concipere, quod euenire aliquando non negamus, leue est. Possunt enim mulieres sic etiam semen effundere. Nam cùm seminalia mulierum vasa sint virilibus breniora & patentiora, seménque altero minùs crassum minúsque viscidum contineant: id facillimè potest cum leuissima & imperceptibili voluptate effundi. Ita per gonorrhoeam in viris, laxatis vasis, crudior genitalis humor absque delectatione effluit.

Vnde veriùs Hippocratem loqnutum coniectamur, quàm fingatur Tiresias: cùm ille [b] dixerit in venere exercenda mulierem longè minorem viro voluptatem percipere; virum autem etiam diuturniorem. At Tiresias Ioue affirmante fœminas maiorem viris capere voluptatem, & Iunone negante,

Arbiter- -sumptus de lite iocosa,
Dicta Iouis firmat. [c]

Sed difficillimum est ea de re sententiam ferre, cùm quisque in se quidem propriam voluptatem sentiat: quanta autem sit alterius, non facilè iudicet.

Cæterùm non vtrinque solùm effundi semen requiritur: sed & vtrumqoe retineri ad conceptũ: vt Hippocratem affirmantem legimus, [d] & Galenum idipsum fusè probantem. [e] Atque hinc accidit si quando mulieres conceperint, eas aduertere vteri ceruicem solito strictiorem esse: quòd genitalis humor qui hinc indéque emissus est, in vtero conclusus retineatur. Aliquando tamen tantam esse seminis à mare eiaculati quantitatem, aduertit Aristoteles: [f] vt postquam vterus id vel attraxerit vel exceperit quod ad conceptum est satis, restet adhuc vnde humescat ceruix. Quod autem intus conclusum est in substantiam abit membrorum fœtûs, saltem quo ad crassiorem eius partem. Et si ante quàm formatus sit embryo ab vtero excidat, *ἐκρύσεις* seu effluxiones dicuntur: quæ ex Hippocrate, [g] & Aristotele, [h] intra septimum diem contingunt.

Vterus autem vbi introductum semen persentit, se de repente ad eius amplexum, quò illud vndequaque contingat sic contrahit: vt Hollerio referente, [i] nucis magnitudinem non excedat. Cui repentinæ contractioni lenis quidam horror mulieribus superuenit. Néue vterus quod suo amplexu continet effluere patiatur, ita os claudit, vt vix specilli cuspidem admittat. Quod cum Galeno, [k] cæteri qui illi successere affirmarunt. Id verò si ab obstetrice contrectetur, etsi contractum non sentitur durum: sed paris mollitiei qualis ea est quæ ex eodem Hollerio [l] in extremo grandioris ficus recentis attrectando percipitur. Neque tamen id perpetuum est: quibusdam enim, eo ipso teste, vterus hiat quæ abortire consueuerunt: aliis non perfectè clauditur, quas superfœtare etiam contingit. At quando os vteri conniuere à conceptu cœpit, ad aborsum vsque aut tempestiui partûs tempora clausum perseuerat. Quòd si per id tempus coeuntes semen emittant: illud non per ea vasa quæ ad vteri cornua desinunt effunditur: sed per eos deferentium ramos qui circum vterum repunt, & ad ceruicem terminantur.

a Lib. 10. de hist. anim. cap. 3. & 5.

b Lib. de genit.

c Ouid lib. 3. metamorph.

d Cit. lib. de genitura.

e Lib. 1. de sem. cap. 2. & 13.

f Lib. 10 de hist. anim. c. 3

g Lib. de septi partu.

h 7. eiusdem cap. 3. de hist. anim.

i Lib. 2. aphor. com. 41

k Lib. 14. de vsu part. c. 3. lib. 15. eiusd. cap. 7. & lib. de diss. vuluæ cap. 7.

l Lib. 5. aphor. 51 & 54

Tandem

Tandem ſemina vt diximus ab vtero comprehenſa ſimul miſcentur, & ex vtriuſque permixta mole maſſa fit, quæ materia eſt conformationis mox explicandæ. Eam autem permixtionem ſeminum fieri vis græcæ vocis qua concepta genitura exprimitur indicat: quam illi κύημα appellant, quo nomine miſcela etiam generatim ſignificatur. Et Hippocrates hoc ipſum cenſuiſſe tunc docet cùm ait,[m] ſi quis animam animæ miſceri negauit demens eſto. Vbi non exiſtimandum eſt tantum virum per animam aliud quàm ſemen intellexiſſe. Ratio præterea id ſuadet, nō ea ſolùm quæ ex dictis dum fœtûs ſimilitudinem ad parentes explicaremus erui poteſt. Sed præterea quòd cùm ſemina in actum duci ad conformationem aggrediendam oporteat; & vt in actum deducantur, neceſſum ſit ſpirituoſam eorum ſubſtantiam à reliquo craſſamento quodammodo ſeparari; nihil ad eam ſecretionem celeriùs procurandam magìs conferat, quàm mutua alteratio quæ diuerſorum ſeminum miſcelam conſequitur. Ita experimur medicamenta per ſe ſola non tam promptè operari, neque ad heterogenearum partium ſolutionem æquè citò peruenire: atque ſi inuicem miſceantur. Tunc enim calidum quod in illis ſopitum continebatur, excitari probamus, eáque actu calida reddi & fermentari: imò quædam etiam ignem in ea mutua permixtione concipere.

[m] Lib. de diæta.

Neque obſtat Galenum aliquando affirmaſſe ſemen virile ex muliebri nutriri. Voluit enim per id ſignificare, fœminei ſeminis acceſſione virile accreſcere, quod eſt per iuxta poſitionem augeri. Sic alii ignem nouo pabulo dicimus. Non enim ſemen veræ nutritionis eſt capax; cum nutritio ſit corporis actu viuentis & organizati operatio: quæ ſemini ineſſe ambo nullus affirmauit.

Tempus ad conceptionem opportunius, eſt poſt expurgatum vterum, & menſtruâ vacuatione finitâ: licèt aliquæ, vt nouimus, & fluentibus adhuc, & imminentibus etiam, ſed rariùs concipiant. Quod verò ad particulare diei tempus ſpectat: mulieres faciliùs concipiunt poſt aliquot horas à cœna. Quoniam ciborum coctione aliquantulum progreſſâ, cùm ſpiritibus abundet magìs, ſemen promptiùs in illis ad orgaſmum excitatur: & per nocturnam quietem ſemina meliùs adhærent vtero, commodiúſque retinentur. Vt contrà per vigiliam & motum faciliùs excutiuntur. Salubriùs tamen, & in ſpem robuſtioris prolis, eſt matutinum tempus, completâ iam coctione: modò mulier poſt congreſſum ſuperdormire conetur: aut ſaltem per aliquot horas in cubili quieſcat.

Poſtremò factam eſſe conceptionem etſi à nulla ſignorum ſyndrome certò indicetur: quòd penè omnes conceptûs notæ ſint æquiuocæ, & ſuppreſſis tantùm menſibus, aut abortâ molâ plerunque etiam appareant. Tamen ſi ſequentia concurrerint, mulierem vt plurimum concepiſſe ſignificatur. Si mulier mox à coitu leniter perhorruerit: vel vt clariſſimus Laurentius[n] notat, cum titillatu quodam vterum contractum fuiſſe ſenſerit. Si locum continuò poſt congreſſum reſiccatum aduerterit. Si exinde imum ventrem deprimi & minùs ſolito extuberare notauerit. Veneris appetentiam paulò antè acriorem, languere. Si ea intra breue tempus mox lætetur, & ſubinde abſque euidenti cauſa mœreat. Si cum his menſtrua intercipiantur, aut paucum quidpiam primo menſe effluat. Si peculiaris alicuius cibi aut potûs faſtidium, vel etiam contrà auidior quæpiam appetentia ſuperueniat. Si à primo menſe venter ſenſim intumeſcat, mammæ doleant, & circum papillas phæa corona appareat ſemipollicaris magnitudinis. Si leuem quaſi palpitantem motum intra vterum circa quadrageſimum aut ſexageſimum diem ſentiat. Atque alia adueniant quæ alio loco[o] referemus & commodiùs examinabimus.

[n] Lib. 8 ana. cap. 4.

[o] In parte practica trac. 2 lib. 3 ſect. 3 cap. 1.

De ordine formationis fœtûs.

Capvt VII.

VT ex parentum ſeminibus in vtero confuſis potiùs quàm verè mixtis, humani fœtûs tot & tam diuerſorum membrorum admiranda compago efformetur, non minore ſapientiâ & potentiâ eſt opus quàm diuinâ. Quam & ſcriptores ſacri tam ſtupendi operis authorem agnouerunt: & prophani tam admirabile figmentum tanto Plaſmatore dignum cenſuerunt. Cuius immenſa vis cum neminem lateat, quoniam in ſole poſuit tabernaculum ſuum,[a] & amictus eſt lumine ſicut veſtimento.[b] Quomodo tamen in operando procedat humana mens aſſequi non poteſt. Non enim eſt inueſtigatio ſapientiæ eius:[c] quoniam inſcrutabilia fecit.[d] Sed ſecum eſt ſapientia eius, quæ nouit opera eius.[e] Vtque aiebat Diuus Gregorius, ſic cognoſcitur in ſuo opere, vt tamen comprehendi non valeat agnoſcentis æſtimatione. Quare minimè mirum eſt ſi tot illuſtres viri qui humanæ formationis & modum & ordinem explicare ſunt aggreſſi, illam definitè exprimere nunquam valuerunt. Quod neque enitar vnquam: mirabilis enim facta eſt ſcientia Dei ex me, & non potero ad eam.[f] Ignoramus quæ ſit via ſpiritûs, & qua ratione compingantur oſſa in ventre prægnantis: neſcimúſque opera Dei qui fabricator eſt omnium.[g] Vtinam is qui illuminat omnem hominem,[h] & in cuius lumine videbimus lumen;[i] ita menti meæ radiis ſuæ claritatis intermicaret, vt quod explicare non poſſum: in lan-

[a] Pſalm. 18. verſ. 6.
[b] Pſalm. 103 verſ. 2.
[c] Iſaia 4. verſ. 28.
[d] Iob cap. 1. verſ. 9 & c. 37 verſ. 4.
[e] Sapient. cap. 9 verſ. 9
[f] Pſalm. 138 verſ. 5.
[g] Eccleſiaſt. c. 11. v. 5.
[h] Ioan. cap. 1
[i] Pſalm 35. ver. 10.

dem

dem & gloriam immenſæ ſuæ maieſtatis,quantumuis rudi penicillo ſaltem adumbrarem.

Quare ne taceam mirabilia Dei,hîc etiam aliquid balbutire tentabo. Quod non vt ab affirmante quiſquam dictum accipiat: ſed ab eo qui ex his quæ per varios abortus apparuerunt, quid ratiocinando æſtimandum videatur coniectari audet.

Semina ergo vtriuſque parentis,mox atque ab vtero matris ſunt comprehenſa, & inuicem permiſcentur; ſe innato vtriqne calore reciprocâ actione rareſaciunt. Tum vtriuſque ſpiritus ita à craſſamento diſcreti,vt intra illud effuſi conſeruentur; mutuum commercium ineunt, & craſſior moles mixtim confunditur, Hæc in materiam figmenti cedit:ille in potentiſſimi plaſmatoris inſtrumentum aſſumitur. Interim vterus ſuo calore extimum communis illius ſeminum maſſæ ſibi contiguum excoquens,membranam reliquum circumambientem efformat in qua admirabilis plaſtes multifidas vaſorum vmbilicalium radices delinear. Atque ita ſeminis,ſpiritúſque genitiui præſertim,conſeruationi principio proſpicit,& futuro vſui prouidet.

Quæ dum extra fiunt,intus prima ſolidarum & ſpermaticarum omnium partium ſtamina ducuntur. Non hinc aut inde ſumpto initio,& quaſi producto à ſummo ad imum opere:ſed ſimul ac ſemel, ſingula fœtus membra,ſuo quæque loco & conuenienti ſitu diſpoſita inchoantur. Quod clarè docuit Hippocrates,[k] cùm delineantur inquit,partes ſimul omnes & augentur: nec priùs aliæ aliis nec poſteriùs, ſed maiores naturâ priores apparent minoribus. Ac maiores quidem non ſolùm mole, ſed vſu. Quæ enim primùm naturæ ſunt vſui,eæ etiam priùs abſoluuntur:etſi omnes ſimul incipiant delineari:& partes ſingulæ in ipſo conformationis exordio illius vndequaque configurationis rudimentum accipiant, quam cùm perfectæ fuerint habituræ ſunt. Ea enim eſt operum Dei excellentia, vt rudimenta etiam ipſorum ſi qualia ſint attendamus,nos in formatoris optimi & maximi admirationem rapiant. Cuius opera omnia,licèt infinitam eius potentiam,ſapientiam & bonitatem indicent. In hoc tamen ſingularum immenſitas nobis euidentiùs manifeſtatur:cùm aduertamus illum in noſtræ vilitatis figmento ſic occupari;vt & ſe noſtri ſimi conditioni accommodet, & ſuæ maieſtatis eminentiam operis excellentia commendet. Quem ſe his rebus immiſcere ſummæ eſt bonitatis; nec vileſcere,infinitæ perfectionis.

k Lib. 1. de Diæta.

Tanti autem artificij hoc noſtrum eſſe figmentum:exemplo aliorum nobis inferiorum diſcamus Cur enim tenuiſſima illa primordialis noſtræ texturæ filamenta iam excauata non concipiemus, cùm extremum ſcorpionis caudæ cuſpidem fiſtuloſum agnoſcere cogamur, & per eum virus quoddam effundi, quod ea ſymptomata inferat, quæ ictum poſtmodum excruciant. Cur in tam parua mole progreſſæ noſtræ conformationis omnem illam humani corporis ordinatiſſimam partium congeriem inueniri negabimus,etſi aliundè aduertamus expertiſſimos cadauerum diſſectores non poſſe illam in maximæ ſtaturæ homine exactè diſtinguere: cùm in acaro viſum effugiente, ſed animali, & promuſcidem ad ſugendum alimentum,& inſtrumenta coctioni deſtinata, & organa ad motum neceſſaria ineſſe ab effectis deprehendamus. Quæ cùm nequeant caſu ſemper eodem modo accidere; & tanta ars,ſummam requirat ſapientiam in ordinando,& potentiam in fingendo: digna ſunt hæc figmenta Deo,qui optimus & maximus nulli creaturæ deeſt,ſed cuique quæ aliundè aduenire non poſſunt,nec ab aliis conferri,liberaliter impartitur.

Cæterum dum ſpermaticæ fœtûs partes quæ pro conditione virium ſpiritûs in inſtrumentum à maximo plaſmatore ſuauiter omnia diſponente aſſumpti efformantur; ad eum ſtatum perducuntur vt parenchymata iecoris cordis & quorundam officialium membrorum inchoari oporteat: vmbilicalia vaſa,ſeu potiùs fiſtuloſæ fibræ,ab internis opificij ſibi indictis ſedibus,ad medium figmenti ambitum pertingentes, atque inde ad pelliculam totum opificium ambientem perductæ; roridum quidpiam quod ex vteri vaſis exudat ſugunt,ex quo ſanguineæ concretiones prædictarum partium exordium capiunt. Atque eâdem viâ conſequenter materia ſuggeritur ad nutritionem conuenienſque incrementum efformatarum partium, ſeu ad generationem eius carnis quæ ſeminalium membrorum propria,per nutritionem & accretionem acquiſita,particulari nomine caret.

Hinc ſenſim partes quarum operâ natura plus indiget perficiuntur:in fibrarum interſtitiis carnes quibus propriè hoc nomen tributum eſt generantur:fœtûs inuolucra diſtinguntur; vaſorum vmbilicalium oſcula ampliantur, & ſe venarum arteriarumque adiungunt oris quæ ad vteri concauum hiant: accreſcit chorio carnea illa ſpongioſa placenta,quæ ad vaſorum fulcimentum, & ſanguinis materni vlteriorem elaborationem deſtinatur: ac demum embryi formatio completur.

Qua perfectâ,paulatim ſingula membra incrementum capiunt: vt tandem vbi fœtus conuenientem magnitudinem & robur acquiſiuerit in lucem prodeat.

Neque enim exiſtimandum eſt ſanguinem non ante ad noſtræ plaſmaturæ opificium inſtillari, quàm abſoluta fuerit fœtûs deſcriptio:vt cum Duteto,[l] recentiores aliqui exiſtimarunt. Etenim in illa pſaltriæ ectyſi quam Hippocrates[m] refert, & intus ſanguinis apparebant ſtillæ, & ipſa membra-

l Com in ſen. 4 2. tract. 1. lib. 3. canon.
m Lib. de natura pueri.

na in fugillatorum modum fanguine erat fuffufa ad placentæ rudimentum: cùm tamen nondum abfoluta effet fœtûs defcriptio, & fpermaticarum partium perfecta conformatio.

Sed neque fentiendum eft omnes fimul perfici, vt fimul inchoantur. Nam præterquam aliæ aliis diuturniore alteratione indigent, vt fibi neceffarium concrementum affumant: & offa tardiùs indurentur quàm cartilagines atque hæ non æquè citò atque membranæ. Præterea prudentiffim à illa rectrix natura & plafmator Deus, neceffitati finis cuiufque partis præfertim profpiciens, celeriùs illas abfoluit quarum operatione aut vfu primùm indigemus. Quod clariffimè affertum à Galeno legimus fpeciali eo libello in quo quærit an omnes particulæ animalis quod fœtatur fiant fimul.

Quo verò ordine fingulæ perficiantur, cùm dicere nequeamus, fed vt ait Galenus,[n] ipfe nouerit euidenter qui plafmauit creator: in aliquibus tamen exercebimur quas difparibus terminis perfici & abfolui debere probabiliter exiftimamus, licèt earumdem præcifum perfectionis tempus vt nobis ignotum prætereamus. Neque enim conftans eft, quin potiùs probabiliter falfum quod ad Pythagoræ mentem, vt apud Cenforinum[o] legitur, vulgari hoc difticho effertur.

Sex in lacte dies, ter funt in fanguine terni,
Bis feni carnem, ter feni membra figurant.

Nec refert id à Beato Alphonfo[p] apud Lorinum[q] ideò probari quòd numerus quadraginta fex in elementis Græci nominis ἀδὰμ includatur: atque id, tametfi aliud cogitantes infinuarint, qui quadraginta fex annis ædificatum templum dixerunt,[r] cum Chriftus de templo corporis fui intra triduum excitando loqueretur. Nam hæ piæ funt Theologorum meditationes quæ ad rerum controuerfarum decifionem parùm conducunt. Vbi præterea vt numeri numeris refpondeant, figurationis complemento pro diebus octodecim nouemdecim tribuuntur.

Rectiùs Galenus[f] qui totius conformationis ordinem in quatuor tempora diftribuens, nullis illa circumfcribit terminis. Eorum autem primum, id effe ait in quo per abortus vel recens extinctarum prægnantium diffectiones in conceptu feminis formam adhuc fupereffe difcernimus. Secundum in quo, cor, cerebrum, & iecur: licèt nondum fint perfectè conformata, quamdam tamen concretionem & magnitudinem habent. Tertium, cùm tria principia euidenter licet intueri, & quædam aliarum partium defcriptio apparet. Quartum tandem, cùm non folùm tria principia: fed etiam partes ad ventrem artúfque pertinentes omnes diftinctæ funt.

Quæ cùm indefinita fint, nec certò definiri à quoquam poffint. Ex effluxionibus tamen quæ primis poft conceptum diebus acciderût edocti, hoc vnum affirmare poffumus, omnium primò membranas fœtum ambientes, ad feminis tutelam & totius opificii fecuritatem efformari. Quæ in humano fœtu duæ tantùm funt, fibi inuicem vndequaque cohærentes & continuæ. Quarum interior proximè fœtum circumuoluens tenuis læuifque admodû amnios vocatur, in qua tam vrina quàm fudor foetûs continentur. Sudor quidem vt vulgò dicitur, aut aqua faltem quæ ex vaporibus à foetu emanantibus ad membranæ denfitatem concrefcit Et vrina, quæ per colem non aliter quàm ab adultis emittitur. Id enim cui τῦ οὐράχυ nomen impofitum eft, cauitatis expers & folidum, ligamentum potiùs eft ad prohibendum ne vefica vrina plena fubfidens rectum inteftinum in viris, aut os vteri in mulieribus comprimat, quàm vas. Solidum effe, in abortinis partubus quinque menfium aut circum, veficam inflando experiri quiuis poteft. Idque ita fe habere ex eo etiam coniectari poffumus, quòd à fœtûs vmbilico ad fecundinam tria tantùm producuntur vafa, venæ duæ & arteria vna, neque extra foetum ouracos excurrat: & interim nullum fit in vmbilico foramen per quod puer vrinam emittat. Ex huius autem aquæ collectione ea aduenit foetui vtilitas: vt in vtero quidem contento faciliorem motum præftet, nafcituro autem vias laxet & lubricet. Exterior chorion nuncupatur, quæ craffior & denfior proximè vterum contingit. Huic carnea placenta fpongiofa & nigra, fuperiore parte adnafcitur, per quam vaforum vmbilicalium multifidæ radices fparfim effunduntur. Atque per eamdem chorion fuperiori & anteriori vteri parti adhæret, vafis vtrinque in perfecto iam foetu per anaftomofim cohærentibus: vt ab vtero per vmbilicum & fanguis à venis in alimentum, & feparatim fpiritus ad caloris fomentum ab arteriis foetui fubminiftrentur. Allantoides verò nulla in homine reperitur: vel neque in aliis animalibus vtrinque dentatis, vt Hieronymus Fabricius ab Aqua-pendente[t] teftatum reliquit.

Poft efformatas membranas nondum tamen integrè ab inuicem diftinctas, quia natura vt deftinatam humani corporis fabricam abfoluat, poft primordialem materiam à femine acceptam, fanguinem ad complementum partium carnofarum expofcit, necnon ad caloris in confecto iam opere fomentum fpiritum vitalem requirit: quæ opere nondum completo, cùm à matre mutuari cogatur; vafa vmbilicalia per quæ illa foetui fubminiftrantur integrè efformari neceffum eft.

Hinc cùm natura in fingulis fuis operibus ita progrediatur, vt fibi propofito fine ad quem confpirat, ea primùm exequatur fine quibus quod intentum eft perfici aut omninò aut æquè commodè nequit.

n Lib. an omnes partes animalis fiāt fimul.
o Lib. de die natali cap. 11
p Serm. 1. de purificat.
q Comm. in verf. 2. cap. 12 exodi.
r Ioan. cap. 2. verf. 20
f Lib. 1. de fem. cap 9. & com. 4. in lib. de alim.
t Lib. de formato fœtu cap 12.

nequit. Quia eadem fanguine qui iam confecto operi alendo fit accommodatus,& fpiritu influente quo infitus plafmati calor foueatur indiget. Et calor operà calidi à matre influentis foueri abundè poteft & conferuari:fieri autem nequit vt molliffimum illud & lacteum figmentum ex craffiore matris fanguine conuenienter alatur. Cordis quidem perfectionem differt, iecoris verò configurationem promptiffimè abfoluit. Iecur ante perfici quàm cor & cerebrum,ex fingulorum natura, vfu quem toti corpori præftant,& particulari cuiufque conformatione euidenter indicatur. A natura quidem fingulorum: quoniam iecur quod præter vafa quæ in fe continet, & membranam ipfum veftientem quæ ex femine initio conformationis effinguntur, ex folo fanguine conftat; breuis temporis alteratione ad debitam concretionem perducitur. At cor etfi ea vafa habeat quæ ex femine etiam formantur,eorum tamen pars quia craffior & durior eft vafisper iecur fparfis,longiore alteratione indiget ad maiorem illam firmitatem acquirendam quam eis indictus vfus expoftulat. Præterea proprium cordis parenchyma,ad perennis motûs laborem ferendum, multò folidius effe oportet quàm quod iecori tributum eft:atque ideò à benigno calore naturæ formatricis inftrumento,idipfum per longius tempus excoqui neceffum eft. Adde longè maius effe artificium cordis,in quo diftincti finus,excauatæ aures, multiplices valuæ vafis in illud intrantibus ab eóque exeuntibus appofitæ confpiciuntur:in quibus non folùm effingendis,fed ad opportunum vfum folidandis multo plus temporis impendendum eft,quàm in efformando iecore. Atque idem de cerebro dictum intelligatur. Cuius præterea tanta eft partium varietas,tam multi finus, & tam diuerfi ductus:vt omnia illa in tam parua mole quanta eft cerebri cùm primùm embryo viuere incipit, defignatis vfibus inferuire poffe concipere nequeamus. Quod fi in acaro longè minus quidpiam illi refpondere quod fit facultatis animalis principium meditemur: faltem humanum fœtum per id tempus cerebri functionibus non indigere,& naturam non folere perperam fua opera accelerare fatebimur.

Ab eorumdem vfu in eamdem fententiam trahimur. Certiffimum fiquidem eft humanum plafma tunc primùm iecore indigere cùm nutriri incipit. Cum enim nutritio conuenientis alimenti appofitionem fupponat:illud autem conueniens effe nequeat nifi ita fit præparatum vt alendarum partium conftitutioni refpondeat. Quoniam quod à matre fuggeritur craffius eft quàm pro alendis fœtûs membris requiritur. Idem ante in fœtu ipfo debitam fubiiffe alterationem oportet,quàm ad illius nutritionem fit accommodatum. Quod cùm non alibi meliùs poffit requifitam crafim opportunúmque fubftantiæ modum acquirere,quàm in ipfius fœtûs hepate: quod in perfecto iam fœtu, vltimi aliméti eft officina. Sequitur hepar tunc effe perfectû,cû primò embryo nutritione eft opus.

Cordis minor eft neceffitas. Nam quamuis embryum calido influente indigeat,tum ad fouẽdum innatum,tum vt membra omnia in ea raritate conferuentur quæ ad alimentum liberè fufcipiẽdum eft neceffaria:vtrique fini fatisfit,partim à circumambientis vteri calore, partim verò & maximè à vitali matris fpiritu. Qui per arterias vmbilicales in vniuerfû embrij corpus effufus,ad eos omnes vfus inferuit ad quos natura eo vtitur qui in corde infantis iam nati in fingulas corporis partes difpenfatur. Hæc autem ita fe habere,vaforum cordis in fœtu admiranda conformatio indicat. Quæ ita fe habent vt quamdiu infans in vtero concluditur nihil à corde accipiant; fed venæ, venis, fanguinem; & arteriæ, arteriis, fpiritum vitalem communicent. Quod naturæ formatricis ftupenda ars fic exequitur; vt vena caua nondum cordi patens,arteriæ venali(quæ fua naturâ vena eft)contigua,rotundo orificio(cui folliculum ab interna prædictæ arteriæ parte adiacet)aperiatur,& eà viâ fanguinem illi ad pulmonem alendum impertiatur. Arteria verò aorta, per canalem ad venam arterialem(quæ ex fe arteria eft)protenfum; fpiritus,calorem vitalem pulmoni communicantes,largitur. Quæ tamen nato iam infante fic euariant: vt ventriculorum cordis patentibus valuis, folliculum arteriæ venali agglutinatum orificium claudat:& venâ cauâ fanguinem patentiffimo oftio in dextrum ventriculum effundente,pulmones deinceps per venam arterialem alimentum accipiant. Et canali illo arteriali tabefcente,arteria aorta non ampliùs maternis fpiritibus impleatur, fed genitos in corde per vniuerfum corpus diftribuat:& pulmones,fibi neceffarios,deinceps per arteriam venalẽ admittât: Atque ita cû in fœtu arteria,arteriæ,& vena venæ officio fùgeretur: iã nato,vena, arteriæ,& arteria,venæ munus exerceat. Ac quoniam apud medicos maior habetur ratio vsûs quàm conformationis:quæ corpore arteria eft,vena; fed arterialis appellatur:& quæ vena,arteria dicitur: fed venalis. Quam vaforum fabricam qui attentè fuerit meditatus,& noftri opificis fapientiam admirabitur:& cor in fœtu otiari fatebitur.

Neque Galeni experimentum [v] de ligatis vmbilicalibus arteriis me plurimùm mouet. Prætерquam enim tantam moram quanta ad illud experimentum faciendum requiritur non feret mulier,fed ne ouis quidem fœta,citra ingentem virium exolutionem aut interitum etiam. Præterea nihil mirum tunc ligatis arteriis vmbilicalibus pulfare arterias fœtûs, non autem eas quæ ad

v Lib. 6. de vfu part. cap. vlt. & lib. 6 de plac. Hipp. cap. 6.

ſecundinas vergunt: quòd fœtus ſtatim atque externo occurrit aëri, ſummâ naturæ prouidentiâ, reſpirare, & cor moueri incipiat. Ligatis autem poſtmodum etiam venis, arterias vtriuque ſine motu apparuiſſe: factum potiùs exiſtimo quòd interiiſſet fœtus, quàm quòd pulſus ad tempus fuiſſet interruptus. Si enim id ideò accidiſſet qnòd ſpiritus ad refrigetium cordis à venis per arteriarum anaſtomoſes ſubminiſtratus fuiſſet interceptus: par adnecteretur effectus in his qui ſponte ſpiritum ad tempus comprimunt, præſertimque in vrinatoribus: quod tamen vel falſum eſt, vel planè improbabile. Neque oporrebat Galenum angi in inquirendis viis per quas cor fœtûs refrigeretur quandiu in vtero eſt: cùm immotum nullo refrigetio indigeat. Neque fœtum per vmbilicum reſpirare, vt voluit Hippocrates,[x] exiſtimandum eſt: etenim neque ad ſpirituum generationem, neque ad perfrigerium, tunc cordi aëre eſt opus.

Ex quibus conſtat quantùm hallucinatus fuerit Ariſtoteles qui vnum in nobis membrum aſſignandum ſtatuens cui primo inſideat anima, & quod omnium ſit facultatum radix: cordi talem primatum tribuit, quod primum viuens appellauit[y] & vltimum moriens. Illud enim primùm non viuere, cùm tardiù oritur, conſtare puto. At neque idipſum eſſe vltimum moriens, ex eo docemur: quòd quædam animalia eruto aut confoſſo corde aliquantum viuere poſſe, variis experimentis probarint cum Galeno,[z] Iulius Alexandrinus,[a] & Columbus:[b] idipſúmque in theatris anatomicis plerunque in canibus verum eſſe comprobetur. Quinimo à Ioſepho à Coſta,[c] idem homini per medium pectus diſſecto Mexieæ contigiſſe referatur.

Num verò cerebrum ante vel poſt cor abſoluatur, non conſtat. Sed priùs operari quàm cor, ex eo affirmare cogimur: quòd ad quartum menſem fœrus euidenter moueri experiamur, & deinceps pleroſque ob nimium & vehementiorem motum matri moleſtos eſſe: ac tandem proprio enixu membranas rumpere, & prodire in lucem. Quæ citra cerebri influxum & facultatis animalis energiam fieri non poſſe euidentiſſimum eſt: cùm tamen cor per id tempus otiari ſit demonſtratum.

Cerebrum autem tunc ſuo munere fungi ad huiuſmodi motus edendos, ideò neceſſum eſt: quòd cùm embryo per vmbilicum nullum neruum excipiat qui ſpiritus animales à matre ſubminiſtret: oporteat illos in ipſo fœtûs cerebro generari. Neque propterea inferendum eſt ſpiritus vitales priùs in corde genitos eſſe debere: quòd animales ex vitalibus à corde per arterias tranſmiſſis generentur.

Sufficit enim vitales ſpiritus à matre acceptos per arterias fœtûs in cerebrum ferri, corde nondum operante. Sed neque tunc ad ſpirituum animalium generationem, aut cerebri contemperamentum, neceſſarius eſt aër. Quoniam calorem quidem quem perennis cerebri motus excitare poſſet, abundè reprimit, quæ illi innata eſt frigiditas, & penè diffluens humor. Spiritibus autem animalibus non ita tenuibus, neque tam copioſis indiget fœtus, in quo ſenſus præter tactum otiantur; ac qui iam natus eſt infans in quo multò plures ſpiritus in ſenſuum organa diſpenſantur, & mox ad internorum etiam ſenſuum famulatum tenuiores requiruntur.

Quoniam verò humani corporis figmentum ſucceſſiuè perficitur: quando tamen compleatur quæramus. Sed & hoc incertum eſt. Vnum conſtat, tardiùs mulierum, celeriùs marium plaſmaturam abſolui. Nam Ariſtoteles,[d] muliebres quidem aborſus intra tres menſes indiſcretos conſpici docet: in maſculis verò qui quadrageſimo die accidunt, partes omnes conſpicuas apparere, ſi in aquam frigidam immittantur. Id enim ſuſpectum eſt quod apud Hippocratem[e] legitur, genituram intra ſeptem dies habere quæcumque ei ex corpore accedere neceſſe eſt, membráque omnia conſpicua. Quoniam id alteri experimento repugnat quod in pſaltria idem fecit Hippocrates.[f] Neque medicorum claſſicorum alius quiſquam eſt, qui ante trigeſimum diem ſe aborſus vidiſſe memoret, quorum membra diſcreta conſpicerentur. Triginta autem dierum corruptiones integrè formatas conſpectas eſſe, nobiles aliquot matronæ mihi certò affirmarunt. Quo tempore fœtus qui ab vtero exciderunt, ab auricularis digiti longitudine non multum abeſſent. Atque ideo longè maiores quàm ab Ariſtotele[g] ſcribitur: qui maſculum ſi quadrageſimo exeat die quantitate formicæ grandioris apparere ait Quo maiorem non facit Scaliger,[h] cùm inquit: imò verò fœtus tunc tantus eſt, quantum grādiſſimum granum hordei, oculique, panici magnitudine. Sed forſan Scaliger de ſolo capite id efferebat, quod tunc piſi etiam magnitudinem æquat.

Intra quod tempus humanus fœtus animetur.

Capvt VIII.

Magni momenti eſt propoſitam quæſtionem definire: cùm vulgaris ſit Iuriſconſultorum ſententia,[a] eum homicidij reum eſſe qui non planè à caſu, ſed inter rixandum cauſa fuerit

aborſûs

x Lib. de car.

y Lib. 2. de gener. anim. cap. 6.

z Lib. de plac. cap. 7.

a In annot. ad cap. 4. eiuſd lib. Ga.

b Lib. 14. anatom.

c Lib. 3 hiſtor natur. & moralis in-X diarum c. 24

d Lib. 7. de hiſtor. anim. cap. 3.

e Lib. de carnib.

f Lib. de natura pueri.

g Lib. 7. de hiſt. anim. citata cap 3.

h In comm. citati tex.

a Cap quod verò, c. Moyſes cap. ſicut 32. q. 2. & c. ſicut ex lib 5 decretal. titulo de hom. videatur Iulius Clarus lib. 5. q. 68. n. 2.

aborsûs eo tempore quo fœtus iam animatus eſt: ab eo verò crimine liberum, qui inanimari cōceptus eeryſim pari caſu prouocauerit. Atque hoc conſequenter ad id quod à Domino ſtatuitur in exodo.[b] Vbi licet communis interpretatio videatur loqui de prægnantis tantùm morte. Liranus tamen, & Cornelius à Lapide de fœtûs etiam animati morte textum exponunt. Et Sanctis Paquini ad Hebrai eam veritatem interpretatio alterutrius mortem notat. Nam & cùm rixati fuerint viri inquit,& percuſſerint mulierem prægnantem,& egreſſi fuerint nati eius, & non fuerit mors puniendo punietur quemadmodum impoſuerit ſuper eum Dominus mulieris & dabit in iudicibus. Et ſi mors fuerit, dabit animam pro anima. Si enim deditâ operâ aborſus excitetur, citra diſtinctionem, author aborsûs, vt notat Toſtatus,[c] tenetur lege Cornelia de ſicariis, vt variis textibus[d] confirmatur. Æqua enim eſt Tertuliani ſententia,[e] dici homicidij feſtinationem prohibere naſci: nec referre natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet; quòd homo ſit & qui futurus eſt, cùm fructus omnis iam in ſemine ſit.

Communis in hac controuerſia authorum opinio, eſt animam rationalē maſculo fœtui non ante quadrageſimum diem infundi, neque ante octuageſimum fœmineo. Quòd enim debita organiſatio ad animæ introductionem præſequitatur: vt anima rationalis ea eſt forma quæ homini ſuæ naturæ complementum tribuit, ante integram humani corporis organiſationem abſolutam eſſe neceſſum ſit, quàm rationalis anima infundatur. Sic Adamus[f] ante ex limo fuit effictus, quàm Deus in illum ſpirauerit ſpiraculum vitæ. Atque hinc dicunt nonnulli, in Leuitico,[g] mulieres quæ maſculum pepererant, per quadraginta dies vel immundas habitas, vel iuſſas manere in ſanguine ſuæ purificationis; & quæ fœminam erant enixæ per octuaginta: vt per quantum tempus tardata eſſet perfecta informatio,& reatûs peccati originalis communicatio producta, ſignificaretur.

Verùm quia fieri non poteſt membra tam fluxilis corpuſculi quæ partim efformata ſunt partim in integrum efformantur, dum à calore tam inſito quàm ambiente perenniter exoluuntur, per tantum tempus nutritione caruiſſe; cuius ſolius opa quod ex humidiſſima noſtri figmenti ſubſtantia deperit reſarciri poteſt: multo ante embryon animatum eſſe & viuere cenſuerunt plurimi, quàm rationalis anima infundatur. Diuus enim Thomas[h] admittens quod ab Ariſtotele[i] ſcribitur fœtum primò viuere vitâ plantæ, tum vitâ animalis, demúmque vitâ hominis: id ita fieri ait, vt principio quidem fœtus animâ vegetante animetur, quâ mox pereunte ſentiens introducatur, atque hac tandem intereunte rationalis infundatur. Et ſic per multas generationes vltimam formam ſubſtantialem ad quadrageſimum diem introduci.

At Diuo Thomæ aſſentiri non poſſumus. Cuius ſententia ex duplici capite improbabilis videtur. Primò quidem quòd ſemen principio animatum ſupponat,& animâ vegetante informatum: quod ſuperiùs[k] improbauimus. Et præter ea quæ adduximus, à quo anima illa vegetans in ſemine introducetur? cùm in homine nihil ſit quod animâ illâ niſi eminenter in rationali comprehensâ informetur. Secundò vero quod ſucceſſionem illam animarum admittens, eumdem fœtum ex quo cœpit vitæ particeps eſſe, non ſolùm numero, ſed ſpecie, & genere à ſeipſo differentem agnoſcere cogatur.

Tum quòd nullum creatum agens aſſignari poſſe aduertamus, à quo animæ illæ rationalem præcedentes producantur. Quod ſi ad Deum recurramus; apparet illum animam rationalem à principio viuificationis conceptûs introducendo, vt mox explicabitur, ſuauiùs procedere, quàm ſi per tot corruptiones ad hominis productionem pergeret. Tandem ſi per multas corruptiones vt ait Diuus Thomas, perueniatur ad vltimam formam ſubſtantialem; & ſecundum Ariſtotelem,[l] quidquid interit in contraria interit: oporteret dum quod in vtero continetur per deſitionem animæ vegetantis primò corrumpitur, ex vegetante fieri non vegetans: & ſecundò ex ſentiente fieri non ſentiens. Quod cum falſiſſimum ſit falſum etiam illud erit ex quo id ſequitur.

Fortunius Licetus inter Italos hac ætate Philoſophus eximius, longè aliter ratiocinatur: qui libris de ortu animæ inquit, ſemen paternum animâ ſentiente informatum[m] (quæ ab anima patris quoad partes ratione carentes in emiſſione ſeminis multiplicata, & ad partitionem ſubiecti diuiſa ortum duxerit[n]) ſexto die fœtum viuificare.[o] Nam intra ſeptem dies à coitu conceptum fieri & excrementum fœminæ recipere à ſemine maris principium quo animatum eſt, ex Ariſtotele[p] docet.[q] Mox eam fœtûs animam, quicquid operatur, cognoſcentem, corporis fabricam aggredi, eamdémque ad complementum formationis perducere.[r] Qua perfectâ ad quadrageſimum diem à conceptu, animæ partem intellectiuam ex nihilo à Deo creari, ſtatimque corpori infundi aſſerit cui iam inſunt animæ mortales, vegetans nimirum & ſentiens.[s] Quibus inuicem in vnam naturam tanquam materia & forma coeuntibus, corporique ſimul immediatè & ſecundum omnem illius dimenſionem vnitis, vnamque irrationalem animam corpori per accidens coextenſam conſtituentibus: rationalem immediatè adiungi, & mediante rationis

b Cap. 21. verſ. 23.
c Comm. in cap. 21. exod. q. 24.
d Lege Cicero & lege ſi quis aliquid ff de pœnis & l ſi ſeruus. §. ſimul ff ad legem Aquiliam.
e In apologetico cap. 9.
f Geneſeos 2. verſu 7.
g Cap. 12.
h 1. p. q. 118. art. 2. ad 2.
i Lib. 2. de gen. anim. c. 3
k Cap. 3.
l Lib. 1. Phyſ. cap. 6.
m Lib. 2. c. 6
n Lib. eodem cap. 7.
o Lib. eodem cap. 1.
p Lib. 7. de hiſt. anim. c. 3 & 2. de gen. anim. cap. 3.
q Lib. 1. c. 1.
r Lib. 2. c. 8.
s Lib. eodem cap. 9.

experte corpori adsociari ait. [t] Ita tamen vt rationalis, ratione carenti & in corpore extensæ, tanquam punctum corpori, & velut actus internus omninò indiuisibilis vniatur suo perfectibili extenso: non secundùm omnem ipsius dimensionem, sed in vna tantùm sui parte, quam rationi consentaneum est inquit, esse illam qua anima rationis expers perficit partem omnium principem in corpore nostro, seu ea sit cerebrum seu cor. [u] Atque ita demùm animam humanam compleri, quam non vnam & simplicem esse substantiam profitetur: [x] sed actum essentialiter compositum ex anima vegetali, & sensitiua, quæ mortales sint, tanquam potentiâ, & rationali immortali, tanquam actu huiusmodi potentiam essentialiter perficiente.

Quam sententiam licèt hoc loco accuratiùs examinare non concedatur, ne in parerga feramur etiam nolentes: cum bona tamen viri excellentissimi venia, dicam quod sentio, ab aliis etiam diligentiùs exequendum. Semen animarum esse iam improbauimus. Quod præterea cùm dicatur ab acutissimo Liceto [y] animatum animâ multiplicatâ ad partitionem subiecti: oporteret idipsum iam antea fuisse partem corporis à quo exciderit. Sed id etiam Aristoteli repugnat: qui illud appellans vtile excrementum vltimi alimenti: non admitteret idipsum partem esse corporis cuius alimenti est superfluum. Sed demus semen esse animatum. Miror virum tantæ eruditionis sibi persuadere, ex eo maximè semen animâ sensitiuâ animatum esse, quòd cùm vim nostri corporis formatricem semini tribuendam censeat, eius tamen fabricam rudiori animæ vegetali omni prorsus cognitione destitutæ delegandam esse non putet: existimet autem sensitiuam tanto sufficere opificio, quòd ea cognoscat quicquid operatur. Quænam enim potest esse animæ sentientis in semine cognitio, quando ea organis est destituta, sine quibus nullam edere actionem potest.

Quod vero maximè nos à clarissimo Liceto auertit, est illa animæ humanæ compositio. Quam primùm ex eo non admittendam iudicamus: quod cum forma sit alterum principium rei genitæ, ex Aristotele [a] autem & ipsâ ratione duce oporteat rerum principia simplicissima esse, quæ neque ex se inuicem sint neque ex aliis: fieri non potest formam substantialem ex pluriùm formarum coitione consistere. Præterea eorum quæ essentialiter & à natura sua composita sunt, ea est conditio, vt partes totum componentes seorsim minimè consistant: sed ita simul in toto cohæreant, vt totius etiã partes ex his constent, quæ totum ipsum componere dicuntur. Quod præterquam ratio compositionis vnum quid ac præsertim essentialiter constituentis confirmat: idipsum præterea inductione probatur. Nam mixtorum partes ex miscibilium etiam partibus constant: & quæ ex materia & forma vnum fiunt, in nulla portione sui aut materiâ aut formâ carent: vt in his quæ ex actu & potentia consistunt, actui semper potentia consociatur. Quæ cùm ita sint, fieri non potest animam humanam dici actum essentialiter compositum [b] ex rationali, sentiente, & vegetante: habere autem partem rationalem in puncto tantùm corporis animæ irrationali coniunctam: & in reliquo corpore irrationalem reperiri rationali impermixtam.

Illud item quod habet [c] partem animæ intellectualem non posse totam esse in quauis parte corporis, quòd indiuisibilis sit tanquam punctus; quoniam aliàs saltem per accidens esset dimensa & diuisibilis: ideò displicet quod si Angeli seu per operationem vt vult Diuus Thomas, [d] seu per præsentiam suæ essentiæ vt placet Scoto, [e] sunt in loco, & se maiori aut minori applicare possunt ex prædictorum & communi Theologorum sententia: poterit etiam anima intellectualis: quæ neque magis indiuisibilis est Angelo, loco, non comprehendi aut corpori coextendi, sed toti illi & omnibus eius partibus præsens esse. Quod vt Angelum nè per accidens quidem dimensum, nec diuisibilem reddit: neque animam dimensionis aut diuisibilitatis participem faciet. Quomodo autem anima corpori diuisibili secundùm omnes eius partes præsens, ad diuisionem corporis nè per accidens quidem diuidatur: is intelliget qui animam incorpoream & indiuisibilem agnoscens, eam in ipso completæ diuisionis termino, quod diuisum erit ex corpore non ampliùs informare, & nihil interim propriæ substantiæ amittere comprehendet. Quod si nondum quispiam intelligat, suæ cognitionis sensibus nimium addictæ imbecillitatem agnoscat.

Est & illud in Liceti sententia durum, quòd scribat [f] intellectum corpori annecti interuentu animæ sensitricis, quæ corpori societur mediante vegetali: quæ iterum, quia eius dignitas non est comparanda ignobilitati materiæ, materiei propterea vniatur beneficio caloris naturalis seu temperamenti. Primùm enim anima intellectualis non verè esset forma corporis humani cui immediatè non vniretur, quia tantùm indiuisibili illius per intermedias plures alias formas copularetur: cuius indiuisibile nec nomen nec naturam corporis retinet. Præterea si vt ille Aristotelis dictum, [g] formæ sunt sicut numeri, interpretatur, [h] velit ex nobilioribus formis quæ ignobilioribus superueniant differentes formas emergere, vt ex vnitatibus quæ prioribus adduntur numeri variantur: oporteret in omnibus generationibus naturam ita procedere, vt formis omnium inferiorum graduum præexistentibus in materia, vltimam perfectioris gradûs in quacúque generatione intenti producendo,

gene-

t Eodem c. 9.
u Eodem c. 9.
x Lib. 4. c. 8.
y Lib. 2. cap. 6
z Ibidem.
a Lib. 1 physic. cap. 6.
b Lib. 2. de orta anima cap. 9.
c Lib. 1. c. 15.
d Prima parte q. 52. art. 1 & 2.
e In 2. sent. dist. 2. q. 8.
f Lib. 4. cap. 1
g Lib. 8. metaphys.
h Eodem lib. 2. cap. 1.

generationem compleret. Atque vt potest demi à septenario vnitas vltimò addita, & fieri senarius ita non repugnaret tolli posse singularem formam quæ vltimò superindita est prioribus, & quod corrumpitur ad illud ipsum esse redire quod ante vltimam generationem habuit. Sicque ex homine fieri posset brutum animal:& mortuus viuere adhuc & sentire. Quæ omnia absurdissima sunt.

Adde illud etiam à philosophia alienum esse quod ait, animam vegetalem primò informare temperamentum quàm materiam:cum temperamentum quod accidens est non possit esse subiectum formæ substantialis,sed sit tantùm dispositio prærequisita in materia qua hæc ad hanc & illam formam indifferens,determinatur ad hanc aut illam recipiendam; quæ sibi proximè & immediatè sic vniatur,vt ex ambobus vnum fiat completum ens.

Tandem tanti viri sententia (saluo meliori iudicio) in fide suspecta videtur. Primùm quòd in homine substantiam animæ vegetantis,sentientis,& rationalis inesse asserens, pluralitatem animarum introducat:quæ concilio quarto Constantinopolitano [i] anathemate damnatur, & vnicam esse hominis animam determinatur. Nec iuuat affirmare tres illas animarum substantias ad vnius compositionem conuenire,quæ à nobiliori rationalis appelletur. Nam præterquam illam compositionem improbabilem esse iam antea docuimus præterea Diuus Augustinus,[k] scribit animam esse simplex quiddam,& propriæ substantiæ:quam ait, [l] præsentiâ suâ carnem viuificare, non vt placet Liceto,in puncto mortalibus corpus totum viuificantibus copulari.

i Canone 11.

k Lib. de quantit. animæ cap. 1.

l Sermone 13 de martyrib.

Secundò,quòd receptæ à Theologis propositioni repugnet qua inquiunt animam rationalem à Deo creatam,esse totam in toto & totam in qualibet parte. Dicere verò in sententia Liceti animam rationalem esse totam in tota anima rationali,secundùm totalitatem eius essentiæ : eamdem verò esse totam in qualibet parte,secundùm partem sui irrationalem , quæ à sibi adiuncta principaliori parte denominationem accipit. Quis non videt non idem esse,animam esse in toto, & esse in tota ; atque expositionem illam orthodoxæ propositionis,esse à Theologorum sensu alienam , & nullà posse patrum aut doctorum scholasticorum authoritate confirmari.

Tertiò eamdem Liceti sententiam ex eo admodum suspectam censeo, quòd cùm Verbum in instanti incarnationis fuerit vnitum tali indiuiduo naturæ humanæ ex anima rationali & humana carne constanti:si anima rationalis vt Liceto placet esset composita,sequeretur per triduum mortis Christi Verbum Diuinum mortales prædictæ animæ portiones quas semel assumpserat dimisisse, Quod tamen Ecclesiæ dogmatis aduersatur,quæ iuxta Diui Damasceni [m] sententiam tatum habet quod semel Verbum assumpsit nunquam demisisse.

m Lib. 3. fidei orthodoxæ cap. 27.

Thomas Fienus [n] Louaniensis professor celeberrimus, tardiorem illam animæ rationalis infusionem non approbans,asserit animam rationalem tertio die post retentum in vtero semen infundi, eamdémque organizationis authorem esse.Qui cùm in eam sententiam ideò feratur , quòd nullam aliam formationis fœtus conuenientem causam assignari posse sibi persuaderet : id autè à nobis iam antea [o] sit explosum,quod ex illa suppositione inferebatur rueret certum est.

n Lib. de formatrice fœtûs.

o Cap. 3.

Quare à prioribus omnibus in quæstione proposita deficientes,vt quod sentiendum videatur explicemus. Sciendum est nemini dubium esse,fœtum tunc primùm vitæ participem esse , cùm per intus susceptionem alimenti nutritur & incrementum capit. Nam & Aristoteles,[p] iam principium inquit,id accepisse animalis,constituique fœtûs decet, cùm alimentum desiderat. Præterea cùm natura semper ab imperfectioribus ad perfectiora progrediatur, non ante fœtum in vtero moueri posse supponimus,quàm ali & vegetare cœperit. Quem circa quadragesimum diem moueri cùm iam appareat; eumdem antea & altum fuisse & vitam participasse necessum est.Quæ cùm à nemine controuertantur probatione non indigent. Sed his hoc addendum censeo , statim ac prima nostri figmenti stamina sunt effotmata; oportere ea in remedium perennis exolutionis, alimentari succo intimè irrorari. Ac tunc primùm quidem cùm vmbilicalibus vasis iam excauatis , roridum illud exugitur ex cuius affusione natura parenchymata viscerum ac maximè iecoris effingere meditatur. Tunc enim rudimenta partium omnium seminalium conformata,& intersusâ carne inter se distinguenda: vt caloris tam ambientis vteri quàm sibi insiti actiuitate perenniter exoluuntur,ita rectricis naturæ prouidentiâ necessum est eadem liquore alimenti reparari. Quæ cùm intra septimû diem accidere,ex his quæ corysis ab Hippocrate [q] animaduersæ configuratio nobis insinuat, probabiliter coniectemut:per id etiam tempus fœtum animari,& vitæ participem reddi , pari probabilitate inferimus. Quis enim hic momenta temporum certò definire,citra pudorem aut temeritatis notam auderet?

p Lib. 2. de gen. anim. c. 4.

q Lib. de natura pueri.

Quocumque tamen die primùm nutriri & viuere fœtus dicatur : eo ipso Deum Optimum Maximum animam rationalem illi creando infundere,& infundendo creare asserimus. Quæ ex Aristotele [r] sentientem & vegetantem in se eminenter comprehendens , & singularum operationes exercere nata:principio quidem cùm embryon solà nutritione indiget, vegetantis opera exequitur.

r Lib. 2. de anim. tex. 31. & 32.

corporis organici in potentia vitam habentis. Sed maximum inter humanas cæterásque discrimen intercedit; quòd aliæ omnes sint dependenter à materia productæ, mortales & corporeæ; atque earum plurimæ, condiuisibiles, & coextensæ: humana verò spiritalis planè sit, rationalis, independens à materia, verè creata, & immortalis. Quæ cùm sit formarum omnium naturalium nobilissima, subsistens est. Hoc aliquid quodammodo est & quemadmodum docet Diuus Thomas, [f] quodammodo hoc aliquid. Non tanquam aliquid completum in specie: sed vt perficiens speciem humanam. Cui vt orizonti vniuersi, forma debebatur quæ nec esset completus actus, quales sunt, intelligentiæ quæ nequeunt vniri materiæ vt cum illa vnum suppositum physicum faciant; nec omninò materiæ immersa, vt cæterorum entium naturalium formæ: sed quæ vnita materiæ ab illa ad existendum non dependeret, separata tamen naturali inclinatione corpori vniri expeteret. Quæ quoniam spiritalis est, eadem indiuisibilis est: atque inde tota in toto est, & tota in qualibet sui corporis parte. Deforis aduenit, vt ait Aristoteles. [g] Non vt Platoni visum fuit ante corpus creata: seu vt Origenes [h] sentiebat, in corpus adluendas peccati pœnas relegata: sed infundendo creata, & creando infusa. Eamdem immortalem esse, quod ab omnibus penè gentibus creditum fuit, ex eo maximè probare conatus est Plato; [i] quòd ea per se moueatur, & quod a seipso mouetur, semper moueatur. Illam verò per se moueri Diuus Athanasius [k] sic docuit; quòd cùm ea corpus moueat, neque ab alio moueatur, ipsam per se moueri oporteat. Sed ea ratio quam Platonici maximi momenti esse iudicarunt, vel nihil conficit, vel belluarum etiam animas probat esse immortales, vt infert Diuus Thomas. [l] Meliùs & efficaciùs Aristoteles, [m] idipsum ideò probat, quòd anima propriam aliquam actionem à corpore independentem sit sortita. Cùm enim res sic se habeant ad esse vt ad operari: si anima potest independenter à corpore operari, poterit & esse. Huiusmodi autem actionem, rectè Author introductionis Galeno ascriptæ ratiocinationem esse dixit: quam intellectus dum in se reflectitur, seu ad præcedentes intellectiones vertitur, sine phantasmate exercere potest. Vnde Trismegistus, [n] intellectionem inquit, absque sensu intelligere, possibile est, & Aristoteles, [o] restat igitur vt mens sola extrinsecus accedat, eáque sola diuina sit. Nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis. Cùm autem idem dixit, [p] nunquam sine phantasmate animam intelligere; [q] & oportere intelligentem conuerti ad phantasmata: id de directa intellectûs cognitione dicitur, in qua obiectum debet intellectui per nouam speciem necessariò repræsentari: in cognitione autem reflexa, non est opus ea conuersione ad obiectum externum, vel ad speciem sibi ab extra repræsentatam. Sic anima separata, vt inquit Diuus Thomas, [r] per species aut infusas aut in memoria reseruatas, intelliget.

Hæc autem quæ in nobis est anima, vitæ author, & sua præsentiâ conseruatrix: sola, homogenearum etiam omnium partium animantis, substantialis est forma; quæ vt toti, ita & singulis partibus esse tribuit. Quod inter cæteros fusè probatum est à Gregorio de Valentia; [s] contrarium variè sentientes referente. Tantam verò & tam variam membrorum structuram, in eo corpore quod informat, ideò exposcit: quòd multiplicium actionum capax, multiplicibus instrumentis indigeat.

Verùm cùm omnis operatio, potentiam aliquam actiuam in agente supponat: quænam sint, & quot prima genera facultatum, quibus anima vt authoribus tam diuersarum operationum vtitur inuestigemus. Philosophi non tam facultates, vt aliquibus visum est, quàm animarum genera ex operationum maiore aut minore eleuatione à materia distinguentes: quia viuentium operationes tribus quasi gradibus supra materiam eleuantur, tres animarum esse differentias asserverunt, vegetantem, sentientem, & rationalem. Viuentium enim operationes vel in alia quàm in viuentis materia recipiuntur, alimentum in propriam substantiam conuertendo: vel earum idem est efficiens & subiectum materiæ annexum, cuiusmodi sunt sensationes: vel demum in spiritali subiecto recipiuntur, qualis est intellectio & volitio. Potentias verò, non aliter quàm per actus & obiecta inter se distinguendas statuentes, vt docuit Aristoteles, [t] quinque prima facultatum genera constituunt: vegetatiuum, sensitiuum, appetitiuum, loco motiuum, & cogitatiuum. [u]

Medici vero sensibus magis addicti: non tam ex actuum & obiectorum, quàm ex principum organorum differentia, primariam facultatum distinctionem petendam esse existimarunt. Quòd agentia eò magis inter se diuersa esse coniectemur, quò ad operandum dissimilioribus egent instrumentis. Quare non iniuriâ ijdem profitentur, animam rationalem humanum corpus informantem (& ex Aristotele, [x] cæteras sub se eminenter continentem) tot habere sibi subseruientes primarias facultates, quot sunt in corpore partes principes in quibus illa excellentiore quodam modo residere conspicitur; & per quas eadem, in corpus reliquum quidpiam infundendo, operationes quomodocumque ad vitam necessarias exercet. Cúmque tria sint huius rationis principalia nostri corporis membra, cerebrum, cor, & hepar, in quibus anima dispari quadam excellentiâ resider, atque inde in cætera membra quodammodò influit: tres etiam primarias esse animæ facultates statuerunt, naturalem, vitalem, & animalem; quarum singulæ in aliquo prædictorum membrorum principatum teneant,

Quas

[f] In cit. quæst. disput. quæst. vnica de anima, art. 2.
[g] Lib. 2. de gener. anim. cap. 3.
[h] Lib. 1. περὶ ἀρχῶν cap 7.
[i] In phædo.
[k] in oratione contra Idola.
[l] Lib. 2. contra gentes cap. 81.
[m] Lib. 1. de anima tex 12 & 13. necnon 3. eiusdem tex S.
[n] In pimandro cap 9.
[o] Citato lib. 2. de gener. anim cap. 3.
[p] Lib. 3 de anim. tex. 30
[q] Lib eodem tex 39.
[r] Quæst. vnica de anima art 15.
[s] Tomo 1. disput. 6. q. 2. puncto 3.
[t] Lib. 2. de anim. tex. 31
[u] Arist. lib eod à tex 27. ad 32.
[x] Citato tex. 32. lib. 2. de anima.

Quas Galeous,[y] vt controuersiam inter Platonem & Aristotelem exciratam vitaret; nec facultates,nec animas dici,sed principia vult appellari. Qui nihilominus,ad Platonis sententiam frequenter inclioauit.[z]

Naturalem eam vocamus,quæ nobis eum stirpibus communis; ex Galeno[a] in iecore primatiam sedem dicitur obtinere: cùm tamen omnibus aoimantis membris sit insita.[b] Cui eùm multa vt infra explicabimus inseruiāt: venæ tamen illi particulatim ministrare dicuntur,quòd ab hepate communis partium omnium viuentium alimenti officina & fonte,quasi canales in vniuersum corpus ad alimenti distributionem deriueotur. Quam etiam vegetalem appellat idem Galenus:[c] appetitricem item,& altricem.[d] Eam verò naturalem cum Galeno ex eo dicimus,quòd principium vitæ in plantis,non anima,sed natura vulgò appellari coosueuisset.[e] Vel ideò eum Diuo Thoma[f] quòd ea mediis qualitatibus naturalibus & primis suas operationes exerceat.

Vitalis quæ & animosa dicitur: ea est quæ nobis oon tam vt stirpibus,quin potiùs vt animantibus est insita. Sedem habet in corde,quod insiti caloris quidam est veluti fons: à quo in canalium modum oriuntur arteriæ. Cuius facultatis vnum est opus, generatio scilicet arteriosi seu vitalis spiritûs,qui caloris est vehiculum. Eiusdem autem præcipuus finis, est actualem calorem animanti innatum tueri,& illius mediocritatem conseruare. Ad quæ ambo,eo perenni & continuo motu indiget,qui ex distensione & contractione cordis & arteriarum compositus, pulsum constituit. Ea verò non in stirpibus nec nisi obscura & latens,in frigidis animalibus qualia sunt ostrea & quæ saxis adnascuntur ioest: in calidis verò & sanguine præditis apertissima & valentissima deprehenditur.[g] Quare iniuriâ à plurimis sub vegetante contineri asseritur: eùm illam, stirpibus quæ solùm vegetant,natura oegarit. Vitalis autem non ex eo dicitur,quòd vna hæc sit vitæ author: cùm vita sit informantis animæ actualis in corpore præsentia;& vitæ index,cuiuslibet animæ facultatis operatio. Sed eo donatur nomine,quòd illius ope calor in nobis propagetur: qui primarium est animæ instrumentum,& vitæ fomes.

Animalis demum facultas ea vocatur, quæ animalibus omnibus secundùm aliquid inest tam rationis,quàm sensûs,& motûs in variis animalium speciebus principium. Quam à principe & nobilissima actione Galenus[h] ratiocinatricem appellat; eamdem verò animalem, à communi notione dixerat.[i] Ea tandem sentientis,appetitricis,loco motricis,& ratiocinantis genus est, illas sub se cōprehendens: quòd earum omnium facultatum primaria sedes,in vno hominis membro cerebro scilicet deprehendatur: à quo quæ ad sensuum actus,motúmque in cæteris membris exercendum sunt necessaria,per neruos quasi per canales diffuoduntur.

y Comm. in lex. z eorum quæ in Timæum scripta extant.
z Lib. 5. de decret. Hipp. & Platon. cap. 7 lib. 9. eiusdem cap. 2 & alibi.
a Lib. 1. ad Glauc. cap. 14.
b Gal lib 4. de præsag. ex puls. cap. 12.
c Lib. 2. de vsu part. c. 16
d Lib 9 meth. med. c. 10.
e Lib. 1. de facult. natur. cap 1
f In quæst. vnica de anima, art. 13. & 14.
g Galenus lib. 4. de præsag. ex puls. cap. vlt.
h Lib 9. methodi c. 10
i Galenus lib. 1. ad Glauc. cap. 14.

Quo modo animæ potentiæ ab anima, & inter se distinguantur.

Capvt II.

Gravis est hæc quæstio, in qua ingens aduertitur authorum dissensio,& in qua partibus penè rationibus hincinde disputatur. Inter Theologos Diuus Thomas,[a] & qui eius doctrinam sequuntur: facultates animæ ab anima & inter se,realiter distingui profitentur. Contra Scotus,[b] & qui eius doctrinæ fauent: distinctiooem taotùm formalem admittunt. Quorum singuli, & Philosophos & Medicos,variè io hanc illámve seotentiam pertrahunt. Licèt autem opinio Scoti probabilitate noo careat. Cùm oon sint multiplicanda entia sine necessitate. Cùm anima ipsa sit principium operandi,cuius potentia non videtur aliter se habere ad eius essentiam, quàm potentia calefaciendi se habet ad calorem: à quo illa non nisi formaliter distinguitur. Cùm vni actioni anima attentius occupata à cæteris obiecto etiam prouocante abstineat; quod non accideret si facultates ab anima & inter se realiter distinguerentur. Ac tandem cùm par videatur ratio potentiæ passiuæ materiæ ad materiam, ac potentiæ actiuæ formæ ad formam; quarum illa cùm idem re sit cum materia,neque hæc magis à forma differet. Quam sententiam secutus videtur Aristoteles, qui dixit,[c] intellectum esse substantiam incorruptibilem: & senem si acciperet oculum iuuenis, visurum sicut & videt iuuenis,quòd anima nihil per senium patiatur. Hinc,[d] facultates animæ partes appellauit,minimè nescius,accidens non esse partem substantiæ. Eadémque ad Hippocratis mētem esse apparet,cùm potentia vna est inquit,[e] & non vna,quæ hæc omnia & alia gubernat: hæcque ad vitam totius & partis,hæc verò ad seosum totius & partis. Quasi eamdem esse diceret, poteotiam quæ & toti & parti vitam sensúmque communicat,re & essentiâ vnam: pro diuerso autem operandi modo,formaliter diuersam. Vel vt ait Galenus,[f] genere quidem vnam esse, species autem plures habere: pro diuersis scilicet rationibus formalibus. Voluit enim Scotus eamdem animam quatenus dat esse,& absolutè consideratur,appellari substātiam & animam: prout autem principium est operandi,facultatem nuncupari; variáque nomina induere,prout à rationibus formalibus obiectorum

a Prima parte q. 77 art. 1 in quæst. disp. vnica de spir. creatur. art. 11. & quæst. de anima art 12.
b In lib. 2. sentent. dist. 16 quæst. vnica.
c Lib. 1. de anim. text. 65.
d Lib. eodem tex. 9.
e Lib. de alimento paulò ante finem
f Lib 2. aphor. com. 18.

spe

ſpecie diſtinctis, ad actus ſpecie differentes determinatur.

Nihilominus tamen probabilius cenſemus, facultates ab anima realiter diſtingui: inter ſe verò, quaſdam realiter, alias autem formaliter tantùm. Cuius concluſionis veritas vt intelligatur: ſciendum eſt, animam eſſe actum primum corporis animati, quatenus ea, illud in actu eſſendi actuat, & conſtituit ſuppoſitum in potentia ad actum ſecundum ſeu operationem. Operationem autem eſſe accidens, ab aliqua potentia actiua, effectiuè productum. Productum inquam non per naturalem reſultantiam & neceſſariam emanationem: quo modo, quæ producuntur non ſunt actus ſecundi & poſt producti, imò dicuntur ſimul cum forma & actu primo à generante comproduci. Sed productum, id eſt vi actiuâ facultatis extra cauſas poſitum, & pro ſpecifica natura occurrentis obiecti, ſeu materiæ circa quam facultas occupatur, in tali eſſe conſtitutum. Atque id quidem, cùm ipſum ſuppoſitum ad quod operatio refertur, iam eſt actu. Cùm ergo in hac controuerſia quæratur, an productio illius accidentis quod dicitur operatio & actus ſecundus, per ſe proximè & immediatè attingatur ab anima: an verò ab eadem tanquam principio quo principali, per mediam aliquam facultatem re ab ipſa diſtinctam: velle intelligamur, animam per medias facultates à ſe realiter diſtinctas, ſuas omnes operationes producere. Quod ſequentibus his rationibus probatur. Ac primùm, quòd cùm nulla ſubſtantia ſit proximum & immediatum principium productionis accidentium: neque anima poterit eſſe immediatum principium ſuarum operationum. Antecedens probatur primò ex conuenientia Diui Thomæ & Scoti: quorum ille, [g] vniuerſaliter aſſerit formam ſubſtantialem non eſſe principium immediatum alicuius actionis: hic [h] verò, (qui in quibus probabiliter potuit à priore diſſentire, ei eſt aduerſarius) docet principium principale, & proximum producendi accidens, eſſe ſolùm accidens. Secundò inductione idem confirmatur: omnia enim tam ſimplicia quàm mixta corpora inanimata, ſuas operationes per medias qualitates ſeu primas ſeu ab his emanantes, aut occultas & à tota ſubſtantia (vt aliqui loquuntur) prodeuntes exercet. Tertiò ratione etiam roboratur, quia omne agens nititur quantùm poteſt effectum ſibi ſimilem producere, ſi non ſpecie ſaltem genere: ſed inter entia nulla maior eſt diſſimilitudo quàm inter ſubſtantiam & accidens: quare vnum ab altero non producetur, ſed ſubſtantia à ſubſtantia, & accidens ab accidente. Secunda noſtræ concluſionis ratio eſt. Si animæ facultates eſſent idem re cum anima, eſſent eædem inter ſe: quia quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe. Sed animæ facultates realiter inter ſe diſtinguntur: aliæ enim materiales ſunt aliæ immateriales: aliæ aliis ſunt ſubordinatæ vt cognoſcitiuæ inter ſe: & aliæ aliis repugnantes vt appetitus ſenſitiuus rationali. Ergo eædem realiter ab anima diſtinguntur. Tertiò omnis externa hominis ſenſatio, eſt actio immanens cuius eſt in producente recipi; eadémque materialis eſt, ad cuius efficientiam materialis ſpecies externa quodammodo concutit. Sed materialis entitas in ſpiritali ſubiecto recipi nequit. Ergo externa ſenſatio hominis, non poteſt in anima ſpiritali recipi, nec ab eadem immediatè produci. Ergo mediante aliqua materiali facultate: quæ ab illa neceſſariò realiter differet. Quartò niſi facultates realiter ab anima diſtinguerentur, nulla facultatum cognoſcitiuarum ſubordinatio admittenda eſſet. Etenim cùm primæ & externæ cognitionis actus ſit immanens & in producente recipiatur, is in animæ ſubſtantia exciperetur, nec poſſet idem, aliâ cognitione directâ vel à ſenſu communi, vel ab imaginatione aut intellectu cognoſci, ſed ſolâ animæ in ſe reflexione perciperetur: quæ abſurda multa & præter communem conceptum in ſe continent. Ac tandem cùm facultates quæ in brutis & homine ſunt eiuſdem denominationis, ſint eiuſdem ſpeciei (nam vna eadémque eſt ſingularum formalis obiecti ratio & operandi modus) facultates autem brutorum ſint materiales: oportebit hominis facultates eiuſdem denominationis materiales etiam eſſe, & ab anima quæ ſpiritalis eſt realiter diſtingui. Quibus ſi liceat authorum qui idem cenſuerunt cathalogum addere multo plures huius ſententiæ fautores inueniemus quàm contrariæ: hæc enim vulgarior eſt & ferè communis.

[g] Prima par. q. 45. art 8. ad 2. q. 66. art 1 ad 3. & 4 q 105. art. 1. atque alibi

[h] In 2. sent. diſt. 18. & 4. ſentent. diſt. 12. q. 3.

Quare ad ea quæ oppoſitam probabilem reddunt reſpondeamus: vt inde minùs adhuc probabilis iudicetur. Sine neceſſitate aiunt multiplicari entia admiſſâ reali diſtinctione facultatum ab anima: ſed falluntur, cùm rationes recens allatæ quàm id ſit neceſſarium indicent. Præterea admiſſâ reali diſtinctione facultatum, nihil impedit animam eſſe principium operandi; ea enim principale eſt agens quo, & facultates eiuſdem ſunt inſtrumenta. Inter animæ autem & caloris potentiam ea eſt differentia: quòd calor cùm ſit potentia vnius tantùm actionis ſcilicet calefactionis productiua, à ſeipſo ad agendum determinetur: anima verò quia plurium actionum eſt principium, & per ſe ad hanc aut illam eſt indeterminata & indifferens; debet per ſuas facultates à propria eius eſſentia diuerſas, ad ſingula operationum genera determinari. Ad tertium reſpondemus: facultates non per ſe, ſed tanquam animæ inſtrumenta proprias producere operationes: vnde ſi anima alicui facultati operanti attentiùs aſſiſtat, & alteri ſuum concurſum non communicet, non poterit hæc facultas

etiam

etiam ab occurrente obiecto irritata operari. Hinc si facultas aliqua ab anima per absolutam Dei potentiam superaretur non ageret. Ex quo intelligitur absurda, quæ ab aduersariis ex hoc supposito inferuntur, scilicet posse in nostra sententia, vnam & eamdem animam simul esse beatam & damnatam, & dari posse operationes vitales seorsim ab anima: perperam nobis obijci. Ad vltimam rationē pro Scoto allatam, admittimus parem esse rationem potentiæ passiuæ materiæ & potentiæ actiuæ formæ. Vtrinque enim essentia idem est cum vtrinque radicali potentia. Sed vt materia per quantitatem redditur apta vt fiat subiectum cæterorum accidentium, & per conuenientes dispositiones ponitur in potentia proxima ad excipiendam talem formam: cùm tamen ad vtrumque si in simplici suo esse & vt pura materia prima est consideretur, sit tantùm in potentia remota. Ita forma eùm sit radicale principium operandi, non tamen per se proximè, sed per facultates, & ijs instructa operatur. Authoritates quæ pro eadem sententia fuere propositæ non magis vrgent quàm solutæ rationes. Ad Aristotelem enim dicimus per intellectum non intellexisse meram facultatem, sed animam intelligentem, quam immortalem substantiam appellauit. De intellectu enim propriùs loquutus, [i] illum manifestè distinxit ab anima, quem ait appellari id quo intelligit & existimat anima; vbi etiam, [k] intellectiuum à sensitiuo distingui docet, ex diuersa vtriusque impassibilitate, quòd scilicet sensus non possit sentire ex vehementi sensibili; at intellectùs eùm aliquod valdè intelligibile intellexit, non minùs intelligit inferiora, sed & magis. Per oculum iuuenis, eùm conceperit organum cum facultate materiali: & verum est quod protulit, & nostræ sententiæ minimè repugnat. Nam licèt anima quæ principale est, agens in se nullum ex senio detrimentum patiatur; tamen & organum & facultas quæ in eo recipitur, per ætatem deterior redditur. Tandem quando facultates appellauit animæ partes, noluit eas esse integrantes, sed accidentaliter perficientes. Hippocrates potentiam vnam esse voluit, habita ratione ad animam, quæ radix est facultatum; non vnam verò quatenus facultates & proxima operandi instrumenta, in anima sunt multiplicia. Demum Galenus quia existimauit, temperamentum esse facultatum essentiam, vt superiùs docuimus: potentiam genere vnam esse asseruit quia vnum est totius corporis heterogeneodes, & complexum temperamentum: species autem plures habere quoniam cuique parti similari suum tributum est homogeneodes temperamentum.

i Lib. 3. de anima tex. 5.
k Tex. 7.

Quod ad distinctionem autem pertinet facultatum inter se: eùm certum sit primarias illas naturalem, vitalem, & animalem sedibus esse distinctas & operandi modo differentes euidens etiam est easdem realiter ab inuicem distingui. Quid verò de singularum speciebus statuendum censeamus in sequentibus particulariùs explicabimus. Interim affirmantes facultates organis distinctas inter se realiter etiam esse differentes.

Cur certis quibusdam membris & quibus facultatum principatus tribuatur.

Capvt III.

Anima quæ corpus nostrum informat, illique esse tribuit, & vitam; duo in illo munera exercet; vt græcos Aristotelis interpretes notasse aduertit Zabarella.[a] Quorum primum est corpus informare & animatum constituere. Aliud verò, eodem vt informato & animato vti ad operandum; Quæ munera vt distincta sunt, ita modum existendi animæ in corpore euariant. Prout enim tantùm informat, ea tota in toto est, quia forma: & tota in qualibet parte corporis, secundùm totalitatem perfectionis essentiæ, vt loquitur Diuus Thomas,[b] quia spiritalis & indiuisibilis. Quatenus verò est principium operationum & secundùm totalitatem virtutis, non æqualiter se habet ad totum, & ad partes. Quæ enim tota est in toto, non est tota in qualibet parte, quia in diuersis membris diuersimodè operatur. Eorum ergo omnium quæ operatur, cùm quædam agat per se, alia eum corpore: per se quidem, intellectionem memoriam, & volitionem, quæ nullius corporis sunt actus, exequitur.[c] Cum corpore autem reliquas operationes perficit.

a Lib. de partitione animæ cap. 5.
b Parte prima q. 76. art. 8. in corp.
c Arist. lib. 2. de anim. tex. 11. & lib. 3. eiusd. tex. 6. & 7.

At quoniam eorum quæ eùm corpore operatur, varij sunt productionis modi: varia etiam instrumenta esse oportet, per quæ tales actus absoluat; & singula singulis facultatibus inter se realiter distinctis tribui. Quia tamen speciales omnes facultates, quæ in operis societate conueniunt, & mutua subordinatione iunguntur: vel communi quodam instrumento vtuntur, quod mutui earum consensûs proxima est causa; vel circa communem quamdam materiam occupantur: oportuit eas omnes facultates, quæ sub vno primario genere continentur, & à reliquis ita diffident, vt nulla cum illis operis societate, nulla subordinatione iungantur; primarium quoddam organum habere, à quo facultates vnicuique generi subiectæ suum illud commune operandi instrumentum vti à fonte excipiant: aut communem materiam circa quam occupantur hauriant. Quoniam ergo organicæ omnes animæ facultates, sub tribus illis primis generibus naturalis, vitalis, & animalis continentur: decuit naturam singulis illis primariis facultatibus peculiare aliquod membrum assignare, in quo tanquam in fonte

&

& primaria sede eminentiùs insint. Naturalis quidem licèt singulis membris sit insita, quibus innatum est oblatum alimentum propriâ vi sibi simile reddere, vt omne agens ex Aristotele [d] sibi passum assimilare conatur: tamen communi instrumento indiget, quod partibus alendis commune alimentum præparet. Tale conditum est iecur: cui natura generandi sanguinis curam demandauit, quem singulis nostri corporis partibus, per venas velut per canales quosdam & riuos distribuit. Vitalis autem, cui insiti caloris (qui sine fomite facilè in membris extingueretur) tutela commissa est: pro principe organo, cor habet caloris mineram, vnde ad calorem quoquouersus effundendum, spiritu vitali tanquam vehiculo, & arteriis velut canalibus vtitur. Animalis demùm ratiocinàtem, sentientem, appetitricem, & loco motiuam continens: vt reliquis nobilior est & altioris gradus, licet multo plura & excellentiora operetur quàm cæteræ, quia tamen vna est illius perfectissima actio ad quam reliquæ subordinantur: ita oportuit illam primarium & princeps quoddam organum cæteris eminentius nancisci, à quo si quidpiam in inferiores facultates effundi oporteat emanet, & ad quod tanquam ad regiam principis, quæ ab excubitoribus accepta sunt referantur. Cùm enim humanus intellectus natus sit quodammodo, hoc est per impressas imagines fieri omnia: nequeat autem qui spiritalis est à rebus materialibus affici; Interim verò, animæ, corpus informanti, inhærens, & quasi corpori immersus non nisi per corporea incorporeorum notionem acquirat. Oportuit sensus externos excubitorum vice constitui, qui omnia quæ ab extra occurrunt primi ea ratione aduerterent quâ singula obiici & repræsentari sunt apta. Quæ quoniam nec sigillatim solùm cognosci, sed inuicem & discerni & comparari decebat: necnon vt conuenientia vel disconuenientia comprehendi: decuit quosdam esse gradus internorum sensuum per quos quæ externis sensibus essent obiecta, & ab eisdem singulatim agnita, & inuicem conferrentur, & bonáne an mala forent comprehenderentur, atque demum qualia cognita essent, menti cognoscenda obiicerentur. Ad intellectionem enim, quæ perfectissima cognitio est, cæteræ ordinantur: quoniam ad id quod optimum est, quodlibet semper aspirat: ad quod cùm primùm peruenire nequeat, ad idipsum tendit per gradus. Vt autem illæ facultatum sedibus & loco distinctarum subordinatæ sensationes, subordinatè fiant: quoddam in nobis requiritur corpus diaphanum, tenue, quod imaginum & specierum ab externis sensibus ad internos transmissarum, sit vehiculum, aut veluti medium per quod illæ ab vna facultate in aliam liberè facilèque effundantur. In quem finem, spiritus animales sunt à natura creati: qui tenues admodum, ne perperam euagentur neruis quasi tubulis conclusi, in quascumque corporis partes diffunduntur. Ac demum vti vna est vltima & princeps organica sensatio, phantasmata intellectui obiiciens: ita eamdem in principe aliquo organo sitam esse oportet, cum quo externorum omnium sensuum sensiteria liberum habeant commercium: in quo spiritus animales generari etiam conuenit; & ab eodem neruos in corpus reliquum propagari. Quare sapientissimè natura cerebrum formauit, vt esset organum principis illius sensûs spirituum animalium fons, origo neruorum, & facultatis animalis primaria sedes. Nam & appetitus & facultas motrix imperans, quæ nobis & reliquis animantibus communis est; non alio in loco quàm in cerebro consistunt. Etenim cùm hæ à principe sensu non nisi formaliter distinguantur: quod illius est organum, & cæterarum sedem esse necessum est.

Has autem facultates ab inuicem re non distingui, ex eo patet: quòd cùm cognoscere conueniẽs, idipsum appetere, & in idem ferri, sint actus ita ad inuicem subordinati, vt se perpetuò consequantur: nihil autem excogitari possit, cuius ope, facultates posteriùs operantes & sedibus distinctæ, à prioribus excitentur: eas omnes eisdem sedibus contineri, imò re inter se non distingui sequetur. Nihil verò in rerum natura reperiri cuius interuentu facultas cognoscens appetentem moueat, euidens est. Non enim seipsâ, quæ non agit in distans, quoniam omnes illius operationes sunt immanentes. Non per speciem, quia species facultatibus cognoscitiuis, non autem appetitiuis inseruiunt. Neque animæ interuentu, quæ vt supra probatum est per seipsam immediatè nihil operatur sed per intermedias facultates. Nec demum vt à proposita quæstione diuertens Petrus Garcia Carrero respondet, [e] ab appetibili cognito in genere causæ finalis mouetur, Nam appetibile cognitum, vt cognitum, est in facultate agnoscente: vnde debet appetibili (si distincta sit) repræsentari vt illam moueat. A quo autem illi repræsentetur erat à Garcia explicandum. Et cùm verum sit finem non mouere nisi cognitum, nec cognosci possit à facultate appetibili, vt appetibilis est: oportet hanc ab ea moueri, ad appetendum, à qua illud cognoscitur. Quod quomodo fiat explicari non potest, nisi dicatur, vtrumque munus ad eamdem facultatem spectare, quæ re vna, formaliter sit duplex: cognoscens scilicet, vt in speciem impressam conuersa actum elicit, appetens vero quatenus in id fertur quod cognitum est esse bonum.

Hic etiam in vulgatem errorem cursim aduertere licet, quo dicitur facultatem vel per spiritus vel per irradiationem, à principibus membris ad minùs principalia transfundi, & illabi. Ea enim lo-

[d] Lib. 1. de gen. tex. 14.

[e] Disp. 19 in fen lib. 1. de. cap. 4.

quendi ratio, nisi impropriè admodum assumpta, ab his qui sacro & puro Philosophiæ latice se fouerint admitti non potest.[f] Facultates enim cùm sint accidentia vni subiecto inhærentia, & quæ de subiecto in subiectum moueri non possunt: minimè poterunt ab vno membro in aliud transfundi. Quòd si ligato aut secto nerno, arteriáue, sensus, motus, & vitalis calor, intercepto veluti vehiculo, pereant in partibus his in quas aut nerui aut arteriæ perueniebant. Id aduenit non quòd facultas qua quodque membrum sentit, mouetur, & calorem innatum tuetur, à primario organo in reliqua diffundatur: sed quòd à principe membro quidpiam influat, quod in inferioribus organis sit ad operandum instrumentarium auxilium, vel fomes, vel materia operationis. Atque ad sensum, motúmque maximè, hic cerebri ad subiecta membra influxus ex eo constitutus est: quòd cùm perennitas horum actuum non sit ad vitam necessaria, non oportuerit absolutam dispositionem ad eos actus exercendos requisitam, inferioribus organis insitam esse. Expediebat enim in microcosmo vt in magno mundo, corpora inferiora, vt ait Aristoteles,[g] à superioribus dependere. Quidnam verò id sit, quod à cerebro influit: num soli spiritus animales, an verò cum vel sine eisdem, aliqua qualitas veluti per irradiationem in organa sensûs & motûs effundatur, infra [h] examinabimus.

Ita verò à summo conditore effectum est, vt anima licèt per totum corpus diffusa, sibi tamen cerebrum quasi in regiam elegerit: quòd illa ad imaginem & similitudinem Dei creata,[i] Deum ad extra operantem proximè imitetur: qui licèt cœlum terrámque impleat,[k] mundi anima ab antiquioribus Philosophis ideò appellatus; in cœlo tamen particulari quadam ratione inest, seu per gloriæ suæ refulgentiam vt inquit Liranus,[l] seu vt idem habet,[m] speciali quodam alio modo.

Cerebrum autem inter principes nostri corporis partes primatum tenere, vt habetur in introductione Galeno ascripta,[n] & asserebant Stoici apud Plutarchum:[o] exinde manifestum euadit, quòd anima in illo principes & nobilissimas actiones, ratiocinandi, memorandi, & sentiendi exerceat.[p] Vnde eidem, natura in corpus reliquum imperium tribuit.[q] Atque in eodem animi principatum constituerunt Hippocrates[r] & Galenus[s] atque Plato.[t] Ab hoc verò secundus dignitatis locus cordi debetur: quòd calorem quasi vitæ vinculum, & commune facultatum instrumentum toti corpori ministret. Hepati tertius & postremus nobilitatis locus assignatur: quòd vniuerso corpori, materiam ad alimoniam suggerat: passum autem, secundùm idem, ignobilius est agente.

Testes verò, licet quatenus ad speciei conseruationem diriguntur, sint primarium generationis organum; quia tamen nihil ad vitam indiuidui necessarium parant, inter primaria organa minimè numerantur. Quòd si Galenus testes inter partes principes recenseurit:[u] ad ea membra attendebat, in quibus substantiali transmutatione interueniente: aliquid ab aliis omnibus diuersum generatur, quod in alicuius facultatis famulitium destinatur.

Verùm non ita existimandum est primatus facultatum cerebro, cordi, & iecori esse tributos, vt suas quodque res agat independenter ab aliis: sed sibi inuicem subseruiunt, alterúmque alterius ope ita indiget, vt hepar alimentum reliquis præparet, cor calorem cæteris communicet: & ambo sensum à cerebro mutuentur. Eáque est singulorum necessitas, vt nullum hominis membrum diu viuere queat, actionibus alicuius illorum in integrum deficientibus. Attamen singulorum, cerebri, iecoris, aut cordis actionibus, diuisim abolitis: corpus reliquum viuere aliquandiu potest. Breuissimè quidem cordis actione deperditâ: longiùs cerebri cessante influxu: omnium longissimè iecore toto nihil præparante.

Quæ, etsi communiter non fiant; sed vnius principis membri actione in integrum abolitâ, aliorum etiam actiones per consensum in defitionem ruant, & animal intereat. Tamen aliquando quod assertum est euenire, multis exemplis à variis authoribus exceptis, apud Schenckium discitur,[x] apud quem rari euentus adnotantur. Atque inter cæteros in auditus ac planè stupendus ille eius est,[y] qui post mortem dissectus, iecore carere est inuentus.

f Videatur cap. 3. lib. 7.
g Lib. 1. meteor. Summa 1. cap. 2.
h Lib. 7. c. 5
i Geneseos 1.
k Ieremiæ 23
l In psalmum 112.
m In psalmū 121.
n Cap 11.
o Lib. 4 de plac. Philos. cap 21.
p Gal. lib. 3. de locis aff. cap. 7.
q Idem lib. 3 de decr. Hipp. & Plat cap 5
r Lib de morbo sacro ad finem.
s Lib 7. apho. comm. 14.
t Passim.
u Lib. artis parua. cap. 5.
x Lib. 1. obseru. medic. obs 29 lib. 2. obs. 180 & lib. 3. sect. 2. obs. 7.
y Cit. obs 7. sect. 2. lib. 3.

De facultatibus naturalibus.

CAPVT IIII.

NATVRALES facultates omni viuenti & vegetanti communes, rectè ex diuersitate finis suam mutuari distinctionem possunt. Quæ cùm eò tandem ferantur, vt vel indiuidui esse integrum conseruent, vel speciem propagare valeant: quàm optimè in nutrientem & generantem diuiduntur. Et quia ad cuiusque viuentis conseruationem requiritur, vt id quod genitum est, primò ad debitam magnitudinem perducatur, tum quàm maximè fieri potest in ea perseueret:

nutrienti, auctrix additur, & tres (tã ab Aristotele,[a] quã à Galeno)[b] facultates naturales cõstituuntur.

Quarum naturam & quæ ad illas spectant, vt quàm optimè fieri potest cognoscamus: primùm cuiusque necessitas est demonstranda; secundò earumdem officium & munus explicandum est; tertiò singularum essentia inquirenda, & qua ratione inter se differant; quartò an aliarũ & quarũ ministerio vtantur; ac tandem quæ sint singularum ministrantium actio, instrumentum & ab aliis distinctio.

Principio ergo discamus, cùm hominis corpus ex substantia elementorũ ad mixtionem coeuntium sit compactum; atque illa, contrarietate quam perpetuò sibi inhærentem retinent, mutuò coagentia, substantiæ mixti exolutionem sensim procurent, & tandem illud ad interitum ducant; viuẽtia autem ex Aristotele[c] ad perpetuam sui conseruationem conspirent: æquum fuisse illis eam inesse vim qua quod ex propria eorum substantia sensim deperit, nouæ alterius additione restaurent. Ac quoniam eâ etiam viâ se ab interitu vindicare non possunt, quæ se in indiuiduo conseruare nequeunt, speciem saltem aliud sibi simile procreando propagare student: aliam illis à summo creatore tribuendam fuisse facultatem qua in quantum possunt sibi simile generarent. Quia verò quod generatur, ex aliquo à generante deciduo generetur oportet, atque id cùm pars sit generantis eodem minus esse decet; vt id quod genitum est propiùs generanti assimiletur, ad parem magnitudinem quæ fuit generantis, genitum etiam peruenire posse rationi consonum est. Quæ, vt viuentium saltem perfectorum quodlibet consequi valeat, oportuit vnicuique tres illas facultates, nutrientem scilicet, auctricem & generatricem inditas à natura fuisse.

Nutritiua, ea ab Aristotele[d] facultas appellatur qua anima conseruat id quod eã habet, quà tale est. Cuius officium est, alimentũ in singularum partium substantiã conuertere. Quoniã vero alimentum vt fiat substantia aliti, debet qualitates modúmque substantiæ alito respõdentes induere, & eadẽ substantiali formâ informari: completa quidem conuersio in ipsa substantialis formæ in alimentum introductione consistit; quod autem reliquum est, ad veram & perfectam nutritionem est præparatio.

Sed quia ea conuersio aliquando fit cum aliti incremento, & maioris quantitatis accessione: vt simplex conuersio nutritionis est, ita eadem si cum viuentis incremento fiat, ad auctricem spectat, cuius officium est corpori augmentum dare. Non vt Aristotelis[e] verba sonant, quòd alimentum vt hoc aliquid est & substantia nutriat; quà verò quantum est quoddam, augeat: & materia circa quam prædictæ facultates occupantur, naturâ differat. Quin potiùs quoniam nec quantitas sine substantia, neque hæc sine illa tam in nutritione quàm in augmento acquiri potest: auctrix facultas quatenus à nutritiua differt plus alimenti in aliti substantiam conuertens, magnitudinis incrementum, atque ita quantitatis, per accidens potiùs quàm per se, pro formali termino habere dicitur, vt mox fusius explicabitur.

Generationis vnus quidem est finis, alterius scilicet à generante productio: sed duo ad illam requiruntur, materia ex qua quod generandum est producatur, & propositæ materiæ conuersio in corpus organizatum & viuens. Quæ duo generatricis facultatis, quæcumque ea dicatur, sunt officia.

Atque hæc officia sunt & munera prædictarum facultatum. Sed quæ earum sit essentia, difficillimum est explicare. In qua quæstione cùm multiplices sint scriptorum sententiæ, neque in illis examinandis immorari expediat, dicam quod sentio.

Nutritio duobus modis consideratur, completiuè & dispositiuè: dispositiuè sumpta multa complectitur, alimenti præperationẽ, attractionem, appositionẽ, & assimilationẽ. Quæ à quibus & quomodo fiant, mox explicabimus: quoniam vnum quatenus vnum, hæc omnia immediatè exequi non potest.

Completiuè verò considerata, quia formaliter nihil aliud est quàm substantialis ipsa transmutatio alimenti in alitum, & introductio formæ viuentis in substantiam alimenti conuenienter ante dispositam: ab anima immediatè procedit, quæ se in noui alimenti materiam insinuans, illam de nouo informat. Non enim ad id facultate ab animæ substantia differente est opus, quæ animam præparato alimento vniat. Sed hac de re alibi. Est autem nutritio hoc sensu particularis quædam generatio, quia ex hoc in hoc transmutatio, quæ generationis ex Aristotele[f] est ratio: quam Suarez[g] aggenerationem appellat. Non quòd per eam aliqua humanæ animæ (quæ indiuisibilis est) pars producatur: sed quòd eadem anima in substantiam reliquo membro assimilatam quasi diffusa, eam in primo non esse sanguinis informans & animans, illi esse partem membri primùm tribuat. Atque ideò nutritionem propriè sumptam, motum esse, & successiuè fieri negamus: quoniam ea substantialis quædam mutatio est, quæ per discreta instantia fit, vt liceat alimento quod membro apponitur per intermedia interualla alterari.

Quare nutritiua facultas prædicto modo sumpta, ab animæ substantia minimè distinguitur quæ toti corpori & singulis eius partibus præsens huic officio per se abundè satisfacere potest. Ad præparationes autem alimento necessarias, vt in aliti substantiam demum conuertatur: anima quidem vt principale agens interuenit;[h] sed per seipsam proximè talia non operans, facultatum mini-

[a] Lib. 2. de anima tex. 34. & 17.
[b] Lib. 1. de nat. facult. c. 4. 5. & 9.
[c] Lib. eodem tex. 34.
[d] Lib. eodem tex. 48.
[e] Cit. tex. 47 lib. 2. de anima.
[f] Lib. 1. de gen. tex. 25.
[g] Disput. 15. metaph. sect. 4. n. 3.
[h] Arist. cit. lib. 2. de anima tex. 48.

strantium operâ vtitur. Neque enim aliâ opus est naturali potentiâ, quæ de genere qualitatis toti corpori coextensa, sit in singulis membris ministrantium directrix. Quoniam nulla eius est necessitas: & nulla potest designari actio, ab actionibus ministrantium distincta, quam suâ actiuitate compleat. Sed anima singulis partibus præsens, & quæ vt ait Aristoteles,[i] principium est viuentis, & causa à qua prodoit motus, singulas singulorum membrorum facultates particulari eorum nutritioni famulantes sufficienter dirigit. Quod clarè idem docuit,[k] cùm duplex esse inquit quo alitur, sicut duplex est quo nauta gubernat nauim, manus ac remo: quorum alterũ est mouens & motum, alterum motum dumtaxat. Id enim quod mouens est & motum, facultas est coctrix: quod autem dumtaxat motum est, non aliud quàm alimentum dici potest. Atque ita nulla alia facultas est quæ inter animam & vim coctricem se his operationibus intermisceat.

Accretio iuxta Galenum,[l] est corporis viuentis secundùm omnes similares partes in omnem dimensionem per intus susceptionem alimenti facta extensio, eâdem continuitate, & externâ formâ perseuerante. In qua duo adnotamus, terminum accretionis, & motum ad terminum. Terminus, est substantiæ in maiori quantitate parti viuenti vitalis agglutinatio, quàm fuerit alterius præcedens deperditio. Quod vt meliùs intelligatur, sciendum est propriè accretionem non alteri conuenire, quàm corpori viuenti. Quod tunc accrescere dicitur, cùm secundùm omnem dimensionem, longitudinis, latitudinis, & profunditatis, priore formâ seruatâ, vitale incrementum capit. Vitale dicimus: quòd flatu distendi valeat, humore nimio imbui, & videri in omnem dimensionem creuisse. Vitalis autem incrementi hic est modus. Viuentibus ex mixtione elementorum insitum est, vt calido in humidum agente, continuum fiat substantiæ viuentis effluuium; quod ad tardandum indiuidui interitum, noui alimenti appositione reparandum. Nouum autem illud alimentum, cùm possit vel pari quantitate qua erat deperditæ substantiæ moles, vel minori, vel maiori apponi: si illud eâ quantitate membris apponatur, & in eorum substantiam conuertatur, quæ molem deperditæ substantiæ superet, membrum verè creuisse dicitur. Et cùm idipsum secundùm omnes viuentes corporis partes fieri accidit, viuẽtis corpus incrementũ accepisse affirmatur. Non enim accretio vt placet Garciæ Carrero,[m] est quæcumque noua acquisitio quantitatis, seu maior seu minor sit deperditâ. Neque vt vult Doctor Fernandez,[n] est productio cuiusdam continuatiui medio quo quantitas alimenti vnitur præexistenti quantitati viuentis. Præterquam enim hæc repugnant communi hominum conceptui, qui cessante corporum incremento secundùm omnem dimensionem, nullam deinceps accretionem fieri existimãt licèt nutriri perseuerent. Præterea classicis omnibus scriptoribus aduersantur, qui quamdam esse incrementi ætatem profitentur, aliam verò consistentiæ, in qua corpus crescere desistat. Euidenter autẽ Aristoteli[o] sunt contrarij qui accretionem inquit, esse magnitudinis quæ in quopiam inest augmentationem. Ac tandem in neutra horum sententia explicari potest quid sit diminutio, & quomodo ab accretione differat: cùm tamen sint motus ad inuicem contrarij, vt ex eodem Stagirita patet.

Motus qui ad terminum accretionis ducit, duplex est: alter alimenti intùs suscepti, alter corporis quod incrementum capit. Ille non alius est quàm & qui in præparatione ad nutritionem aduertitur: præterquam in augmento, maior copia alimenti per membra dispergitur. Hic in extensione singularum partium viuentium vi calidi innati tarefactarum consistit. Cuiuslibet enim sensibilis partis calidum in humidum sibi consociatum agens, siccum etiam terreum illi admixtum, nec adhuc plus debito exsiccatum rarefacit, & rarefaciendo extendit, maioremque locum occupare facit. Vnde Aristoteles,[p] id quod accrescit aut decrescit mutari loco dixit. Per inductam autem rarefactionem & pororum multiplicationem, via patet maiori quantitati alimenti per corporis partes absque penetratione distribuendi. Cuius factâ in substantiam membrorum vitali conuersione, accretio terminatur. A calore autem insito tam secundùm naturam quàm præter naturam aliquando, eam fieri membrorũ rarefactionem: præterquam agentis actiuitati & patientis dispositioni id congruit, exemplis præterea euidenter indicatur. Plurimi enim adolescentes qui cùm per aliquot annos accretionem intermittãt seu studiis vehementiùs intenti, seu iuuenili aliquo mœrore affecti: postmodum ad hilariorem & liberiorem vitam conuersi, calidóque innato vegetiori reddito, breui magnum incrementum capiunt. Ita puellæ vbi nupserint, vel conceperint: cùm antea in augmento per pueritiam accepto consistere viderentur, mox per nouos illos caloris emicatus, in grandiorem molem erumpunt.

Sed & vtriusque sexûs plurimi per morbos ab acutis decidentes, per intensionem illam caloris solidioribus & siccioribus etiam corporis partibus rarefactis, plurimùm creuisse conspiciuntur. Quibus etsi ad molem in omnem dimensionem amplificandam desit alimentum: non tamen deest agens ad solidas partes pro futuro incremento extendendas. Acrior enim ille præter naturam calor qui humidiora nimiùm attenuando partes carneas potuit exoluere, duriores etiam densioresque potuit rarefacere, easdémque rarefaciendo valoit extendere.

Quæ cùm ita sint inferre cum ratione licet, auctricem facultatem à nutriente ratione tantùm di-

[i] Tex. 36. lib. 2. de anima.

[k] Lib. eodem tex. 50.

[l] Lib. 1. de nat. facult. cap. 7.

[m] Disp. 14. in suis c. 4. num. 8.

[n] Tract. 3 de fac. natur. q. 2 in 2 ratione ad probationem conclusionis.

[o] Lib. 1. de gener. tex. 31.

[p] Cit. lib. 1. de gener. tex. 25.

ſtingui:vt cum Ariſtotele,[q] ſentit Valeſius,[r] Garcia Carrero,[ſ] & Philoſophorum pars maxima. Nõ enim hæ ſedibus diſcernuntur;circa idem verſantur,formaliter tantùm Ariſtotele [t] ipſo indicante, diſtinctum;eadem ſunt vtriuſque inſtrumenta; & quod apparet diuerſum id principali actioni per accidens aduenit,quod eius eſſentiam nullatenus euariat. Vtraque enim alimentum in aliti ſubſtantiam conuertit: hæc quidem copioſius,illa verò parcius. At plus & minùs non mutant ſpeciem. Quòd ſi dicatur accretionem ex Ariſtotele,[u] eſſe motum ad quantitatem,nutritionẽ ad ſubſtantiã. Hoc ita intelligendum eſt,vt cùm vtriuſque ſit cõmune ad productionem nouæ ſubſtantiæ per aſſimilationem cum priore terminari:differentia tamen quæ inter vtramque intercedit, in eo conſiſtat,quòd per incrementum accretionis maior quantitas acquiratur,ad quam pro formali ſua ratione(attributiuè magis quàm verè)terminari dicitur. Huius autem inæqualis alimenti in alitum conuerſionis per ſimplicem nutritionem & per augmentationem cauſa;vel eſt inæquale robur agentis vel iuxta Albertum,[x] eius quod nutritur maior minórue reſiſtentia ad introſuſceptionem alimẽti. Quia enim iuuenum corpora ſunt magis ſolida & dura,puerorũ autem molliora:in his alimentum meliùs omnes partes ſubintrat,in illis difficiliùs;vnde maior minórue ſequitur conuerſio. Quæ optimè ſimul & breuiſſimè expreſſit Hippocrates,[y] dum inquit,ſimilia autem facit valenter,cùm abũdat quidem id quod accidit,præualet autem id quod præerat.

Generatrix facultas,quæ viuentibus tributa eſt,vt ſibi ſimile inquantum poſſunt generando,propriæ naturæ corruptibilitatem reſarciant,duplex eſſe ex Auicenna [z] dicitur. Vna quam remotam vocare liceret:cuius actio,eſt ſeminis generatio. Alia quam proximã nominare poſſumus, & quam Galenus [a] abſolutè generatricem appellat: ea eſt cui embryi conformatio tribuitur. Illa in vtroque generante eſt:& nullatenus differt à nutritiua teſtium facultate, & glandularis ſubſtantiæ temperatura. Hæc neque in genito eſt,neque in generante:cùm noſtræ conformationis authorem Deum Optimum Maximum agnoſcamus. [b] Sed cùm tantus noſtri opificij author ita procedere dignetur, vt materiæ quam tractat conditioni ſe accommodet:atque ita maſſam noſtri figmenti diſpenſet, vt ſpiritu eius complantato velut inſtrumẽto vſus,huic vim formatricẽ conceſſiſſe videatur: in eodem poſſumus vim generatricem,ſed inſtrumentariam agnoſcere,quam ab eius temperamento non diſtinguemus. Nam is ſolà ſuæ ſubſtantiæ tenuitate,& ſibi inſitis qualitatibus agens, ſummo plaſmatori miniſtrat. Quo & corpus effingente, & animam creante ac infundente,licet adhuc profiteri hominem generare hominem:quòd parentes ambo & materiam miniſtrãdo partem alteram geniti conferant,& ſpiritu etiam ex ſe deciſo,ad conformationem inſtrumentariè ſaltem concurrant.

Sed occurrit hîc non leuis ſcrupulus,an facultas aliqua generatrix in nato iam infante reperiatur: cùm dentes de nouo generentur:& primò decidentes ſecundò etiam ac tertiò aliquãdo generẽtur, quod obſeruantiſſimo patri meo euenit,qui ſucceſſiuè tres in eodem alueo dentes habuit, quorum tertius ſeneſcenti inter cæteros primus decidit. Cui difficultati reſpondentes dicimus, nullã generatricem ſeu formatricem facultatem abſolutè dictã,in perfecto fœtu & nato iã infante conſeruari. Cùm enim hæc,quo modo explicuimus,in ſeminis ſpiritu complantato reſideat:hic autem ingeniti ſubſtantiam non tranſeat, vt libro ſequenti[c] docebimus:ſequitur eamdem in genito non perdurare. Cuius cùm vnicus ſit ſcopus corpus integrum generãti ſimile conformando,nouum hominẽ generare:fruſtra in genito reſeruaretur ad ſolos dentes conformandos.Præterea in qua parte,aut nati infantis membro vel ſubſtantia reſidere potiùs diceretur quàm in alia. Quæ ſi per vniuerſum corpus eſſet diffuſa:quare abſciſæ partes,ſaltem per ætatem incrementi,non regenerarentur, aut repullularent vt in plantis? Quarum & abſciſi rami hinc inde repullulant,& plurimæ ex inhumata talea in perfectam arborem exurgunt:quòd totum ſubſtantiale humidũ habile ad germinandũ habeant, quod etiam in ſalis modum chymico mangonio concretũ & ſatum,ſeminis vicem gerere ſcribitur. [d] Vis ergo dentium generatrix,aut quorumdam exilium vaſorum dum caua vlcera carne replentur conformatrix,non eſt alia ab auctrice:quæ ex naturæ gubernatricis inſtituto & efficaci præordinatione,ex reſidua & ſuperabundante portione alimenti mandibularũ,vel ex materia in propriis cellulis alueolorum(vt nonnullis placet)[e] à principio reſeruata,quando iam ſolidioribus cibis nutriendus eſt infans,dentes antea inutiles tunc vtiles futuros effingit;& ſemel deciſos,cùm per incrementum alueoli fuerint nimiùm laxati,pari modo reparat. Ex eo verò quod ad exciſarum aut eroſarum venarum vel neruorum etiam extrema affluit,in longũ aliquanto plus ſolito excreſcunt: non aliter atque ex conſimili materia per vniuerſum corpus in omnem dimenſionem incrementum capiunt.

Ex quibus omnibus id tandem colligimus. Inter primarias facultates naturales vnicam nutritiuam ſecundùm effectum per integram vitam perdurare. Cuius formalis actio cùm in finali illa alimenti in alitum conuerſione conſiſtat,quam anima toti corpori & ſingulis eius partibus præſens per ſeipſam complet: multa autem prærequirantur vt alimentum in alitum conuertatur,quæ anima exequi per ſe non poteſt:[f] neceſſum eſt quaſdam nobis ineſſe facultates, quæ animæ vt

q Eodem lib. 1. de gener. tex 41.
r Lib. 2. contr. cap. 20.
ſ Diſp. 11. in Auic. cap 3.
t Lib. 2. de anim tex 47.
u Lib 5. Phyſ. tex. 18.
x Tract. 2. de anim. cap. 6.
y Lib. de alimento.
z Lib. 1. fen 1 doct. 6. c. 2.
a Lib. 1. de fac. nat. c. 5.
b Videatur cap. 3. lib. praeced.
c Cap. 5.
d Vigenerius lib. de ſecretis ſcribendi modis pag. 105. ex Alphide.
e Vrbanus Hemardus libro gallico perquiſit. vera anatomia dentium natura & proprietatis eorum cap. 8.
f Videatur c. 2 huius libri.

principali agenti ministrantes, totum id quod ad prædicti finis consecutionem requiritur exequantur. Ad quod eo famulatu naturæ est opus, quo alimentum conueniens & singulis partibus necessarium trahatur, attractum retineatur ac coquatur, & demum excrementa à coctione residua expellantur. Quare ex communi Medicorum sententia, naturali facultati quatuor hæ famulantur; attractrix, retentrix, coctrix & expultrix. Sed præter has quintam Auerrhoës,[g] post Galenum[h] meritò adiungit: Ea secretiua est seu discretiua; cuius vis & operatio in criticis & quasi criticis excretionibus, atque aliis plerunque excretionem præire annotatur.

Quam tamen longè diuersam ab ea facimus, quam Auicennas[i] introducit; & quam ait, dum medicamentum diuersis viribus præditum (seu illas ex natura partium heterogenearum, seu ex compositione consequatur) reducitur in actum, singulas assumpti aut admoti medicamenti facultates ita discernere, vt quod cuique membro est vtile, id ad illud transmittat, quod verò inutile est, aut operari non patiatur, aut aliò diuertat. Hæc enim planè imaginaria est: neque natura seu per se, seu per adnatas sibi facultates, tam docta est in nobis vt varias medicamentorum facultates discernat, & easdem diuersis membrorũ affectibus accõmodet: neque ita instructa, vt Medicorũ in componendis medicamentis errores, suâ emendet industriâ. Et licèt Creator optimus disponens omnia suauiter, mira plerunque ad humanæ salutis conseruationem operetur: consueuit tamen rebus quibusque ea permittere: quæ pro ratione propriæ naturæ nata sunt operari. Quòd si experiamur plerunque medicamẽta ex disparibus aut contrariis facultatibus à natura aut arte cõstantia, dispària vel etiam contraria non solùm in distinctis & dissitis membris, sed in eodem variè affecto operari. Sciendum est, id præ cæteris pendere ex eo quòd medicamenti assumpti vel admoti actualis calor aut frigus, humiditas aut siccitas primò quod sibi proprium est operentur: mox qualitates quæ in potentia eidem insunt in actum reductæ contrarium quidpiam: & alterutræ per se vel per accidens operẽtur. Seu potiùs quòd heterogenearum eius partium aliæ magis exhalabiles, aliæ minùs aut omninò ad exhalandum ineptæ, tenuiores, aut crassiores promptiùs se à mixtione expedientes aut tardiùs: in diuersas partes, aut in easdem diuersis temporibus latæ: vel in distinctis membris, vel vna post aliam in eodem, pro coiusque temperie differentes aut contrarios etiam producant effectus.

Secretrix verò facultas quæ à nobis admittitur, in his duobus solùm occupatur: scilicet in humoribus noxiis ab vtilibus succis simul intra vasa confusis secernendis, & in diuersis substantiis quæ ad dispares fines destinantur impermixtis per easdem vias simul deducendis. Quarum operationum illæ, frequentes sunt; hæ, etiam familiares: Inter illas agnoscimus eam humorum qualitate peccantium in vasis sanguini confusorum secretionem, quæ excretionem quasi criticam in multis spontaneis & repentinis excretionibus imminentes morbos præcauentibus, necnon in variolis & puerorum morbillis præcedit. In quibus vel lassitudo quædam spontanea, vel ebullitio quædam, & succorum totius corporis commotio, per vnum aut alterum diem ante sentitur quàm excretio fiat. Eiusdem rationis ea est secretio, quæ criticam etiam excretionem antecedit: cuius Galenus,[k] & cum illo cæteri scriptores Medici frequenter meminerunt. In qua, succorum qui in vasis putredinẽ conceperunt & qui à natura ad pepasmum deducti sunt, tam exactam secretionem fieri plerunque aduertimus: vt nihil vitiati relinquatur in corpore, & nihil expellatur incorrupti. Posterioris ordinis est admirabilis ille chyli ab intestinis ad hepar ascensus, & sanguinis ab hepate ad intestina alenda descensus. Qui (naturâ rectè agente, & à graui aliquo vitio corporis œconomiâ non perturbatâ) nec simul confunduntur, nec alter alterius motũ aliâs remoratur, quàm cùm vnius maiorem quàm alterius manuductix natura necessitatem adesse cognouerit. Cùm enim vtrùque succum per eosdem meseraïcarum ramos ferri certum sit: eos tamen in illis confundi, naturæ in aliis minoris momenti sagacissimæ prouidentiam dedeceret. Nam aliâs oporteret & intestina chylo sanguini confuso nutriri; & sanguinem semel coctum, chylo de nouo attracto permixtum, in hepate non recoqui sed assari: & in temperatissimo quocumque etiam infante magnam sanguinis partem superexcoctam & assatam esse. Quæ cùm ex ratione & quotidiano experimento aliter se habere discamus: naturæ admirandum illud artificium nobis esse familiare admittamus oportet. Ita etiam pus dum ex ruptâ thoracis vomicâ per venam sine pari & emulgentem ad vrinæ vias expurgandum fertur; sanguini minimè confunditur, & solitarium cum sero excernitur.

Verùm ne quintam hanc facultatem ministrantem admittant plurimi,[l] affirmant prædicta opera & similia quæ secretrici tribuuntur, retentricis & excretricis simul operantium effectus esse. Quos euidenter ex eo falli censeo, quòd cùm retentrix & expultrix per intermedias fibras loco mouẽdo operentur, & quæ hoc motu mouent se mobili physicè applicate debeant: intelligi non potest quomodo succorum in eisdem vasis confusorum pars, alteri in eodem sensibili minimo consociata, obliquis fibris retineatur; & altera nullâ præparatione præcedẽte, transuersis expellatur. Non enim ante aquam vino confusam sinceram effundere, & merum retinere licet: quàm illam cum gosypio

g Lib. 2. colliget. cap. 7. & 9. necnon lib. 3 cap. 16.

h Lib. 9. de sympt. causis ad finem; & de temp. cap. 1. & infertur ex 2. aphor. com. 2. 3. & 4 aphor. comm. 21.

i Lib. 2. can. tract. 1. cap. 5. in fine lib. 3 fen 13. tract. 2 cap 6. lib. 3 fen 3. tract. 2. cap. 15. lib. 4 fen 1. tract 4 cap. 19. & apertius lib. 5 in præfatione antidotarij.

k Cit. 2. aph com 25. & 4. aph. 22.

l Capiuacius lib. meth. anat. p. 194. col. 1. & Garsia Carrero disp. 59. in Auic. cap. 4. n. 16.

vel hedera separauerimus. Præterea discernere vnum ab alio, facultatis cuiusdam est vtrumque cognoscentis, vel à cognoscente directæ: sed retentio & excretio citra talem sensum fiunt. Quare duæ hæ facultates non poterunt per se secretioni satisfacere. Tandem licet prioris ordinis operationes eâ ratione fieri admitteremus: non videtur eas quæ posterioris sunt posse pari modo absolui.

Sed vt perfectiùs singulæ harum facultatum à nobis cognoscantur, quæ ad vnamquamque pertinent inquiramus.

Attractricis est, alimentum attrahere, seu vt in totius corporis vsum commodè præparetur; seu vt cuiusque partis nutritioni inseruiat: nec non secundum alios ad eamdem pertinet, inutiles substantias secundùm naturam genitas ab vtili succo detrahere; quod non secretrici tribuimus. Ad attractricem verò etiam spectat, quamcumque materiam ad naturæ vsus necessariam, ad ea membra quibus huiusmodi vsibus inseruire impositum est adducere. Ita œsophagus, ipso ventriculo adiuuante, ciborum attractioni ad famis sedationem & chyli confectionem destinatur. Venæ meseraïcæ chylum iam confectum & per intestina cum recrementis illabentem sugunt, & in iecur vt in sanguinem conuertatur deferunt. Venæ ex eâ quaquauersum sparsæ, sanguinem in alimentum singulorum membrorum hinc attrahunt inde pellunt, corpus vniuersum alimentario humore irrigantes. Lien, crassiorem chyli portionem lentiùs portæ ramos permeantem ad se trahit, vt eam attenuando ad hæmatosim præparet. Et tandem partes singulæ vt imminutionem propriæ substantiæ quam vis innati calidi exoluit reparent, conueniens ad se alimentum trahunt. Vesica felli bilem per propria vasa in iecoris cauum dispersa à sanguine extrahit. Renes serum vbi iecur transgressum est à sanguine expurgant. Ac demum vterus, semen in pudoris sinum effusum ad se in spem conceptûs, vt mammæ sanguinem ad lactis confectionem trahunt.

In quibus omnibus membris cùm euidens sit attractio, seu rei cuiuspiam ad illa adductio, quantumuis ab aliorum transmissione ea sæpiùs iuuetur: non tamen ita clarum est, quomodo & qua vi singula operentur. Ad quod explicandum, suppono omnem veram attractionem fieri vel fugâ vacui, vel per realem mouentis ad mobile medio aliquo interueniente applicationem. Quo supposito sciendum est, partium nostri corporis aliquid attrahentium duplicem esse differentiam: aliæ enim officiales sunt, quæ ad totius indiuidui cõseruationem vel speciei propagationem, aliquod officium attrahendo corpori præstant. Aliæ sunt populares seu plebeiæ, quæ sibi solùm & propriæ vtilitati student. Quarum hæ, quoniam quatenus similares, ad peculiarẽ sui nutritionem per minima sensibilia alimentum attrahunt: neque antè, quàm per exolutionem propriæ substantiæ ab insito calido procuratam, quod deperit reparari appetunt: Quia per eam depereuntis substantiæ exolutionem vacuum sequeretur, nisi in depereuntis locum alia succederet, quæ succedit attracta: constare videtur prædictam attractionem alimenti per similarium partium minima sensibilia factam, non aliâ vi fieri quàm fugâ vacui. Etenim si in minimis quibusque instrumentum attractionis quæreremus: vel illud corpus esset & attrahentis pars, quæ nutritione etiam indigens nos ad progressum in infinitum præcipitaret. Vel esset qualitas quæpiam, quæ non sine corpore cui inhæreat ferri potest in distans: ferri autem ad attrahendum oportet, cùm attractio sit distantis ad attrahens adductio. At corpus illud quo ea qualitas veheretur, non sine imminutione substantiæ attrahentis emissum: quoniam in eius defectum alia succederet, ad fugam vacui attractionem procuraret; qua admissâ, quid opus est aliâ? Neque hic magneticæ facultatis quædam introducenda est æmula nobis planè ignota: cùm magna sit vtriusque disparitas. Magnes enim si ferro frui appetit, quia nihil occurrit quod ferrum magneti approximet: necessum est magnetem bituminoso vapore ex se emisso, ferrum modo nobis ignoto ad se trahere. In nobis autem venæ quaquauersum sanguinem effundunt, quem partes etiam solidissimæ sibi admotum per viciniores poros facilè ad fugam vacui ad se adducũt, & ad minima vsque deriuant. Officialia verò membra, quæ dissimilaria sunt, aliquid habent quo se rei attrahendæ realiter applicent, & illam quasi comprehendendo adducant. In quem vsum natura fibras rectas formauit: firmiores & frequentiores quidem in his membris, quæ potentiore attractione indigent, infirmiores verò & rariores aliis, quibus leuiore attractione est opus. Verùm illa attractio alimenti quæ à singulis partibus ad earum nutritionem fit, non vt censent plurimi per electionem heterogeneorum vnicuique magis conuenientium perficitur: sed potiùs vt docuit Galenus[*] id attrahunt membra quod offertur, quod tamen mox alterando quàm proximè possunt sibi assimilant.

[*] Com. 4. in lib. de nutr. com. tex. 1.

Retentrix, attractrici succedit: quòd si quidplam in membri alicuius vsum trahatur, idipsum quamdiu opus est in illo retineri conueniat. Eius effectus, est attracti comprehensio.

Quo partes aliæ aliis plus indigent. Vterus namque, & ventriculus, hac præ cæteris membris facultate pollent. Cuius instrumenta in officialibus quidem partibus sunt fibræ obliquæ præsertim: [m] sed omnes simul membrum in omnem partem contrahentes ex Galeno,[n] potentissimè operatur,

m Gal lib. 3. de facul. nat. cap 11.
n Lib. 14 de vsu part cap. vit.

& arctissimè quod continendum est comprehendunt. Similarium verò retentricis nullum quærendum est particulare instrumentum: sed quod semel attractum est, & porositates membrorum ingressum: ibidem sensim coctione incrassatur, parti viuenti agglutinatur, ac demum assimilatur.

Coctricis facultatis officium, est alimentum alterando sic disponere, & per varias præparationes singulis corporis partibus ita assimilare, vt in earum substantiam proximè conuertatur. Etenim cùm ex Aristotele; [o] & Galeno, [p] quodlibet ex quolibet nutriri non possit, sed singula ex his alantur cum quibus societatem aliquam & cognationem habent: vt varij generis edulia quibus vescimur ad alendum apta reddantur, ea multipliciter immutari antea oportet quàm alendis membris apponantur, vt communem tandem naturam subeuntia in cuiusque partis substantiam faciliùs transmutentur. Quare postquam stomachus à vacuitatis sensu irritatus, per œsophagum cibos attraxit: natura primùm ex illis succum cremorémque conficere procurat, ex quo postmodum sanguinem generans, eumdem in singulas corporis partes, vt commune totius alimentum deriuat, & in singulis membris cuique assimilat. Atque ita natura triplici coctione alimentum ad nutritionem complendam præparat χυλώσει, αἱματώσει, & ὁμοιώσει. [q] Galenus enim quatuor coctiones enumerans: [r] per eam quæ in ventre fit χύλωσιν intelligit; per alteram, quam in venis, vel hepate potiùs fieri ait αἱμάτωσιν notat; & per eam quæ in singulis partibus absoluitur, ὁμοίωσιν dum fit significat. Cuius terminum per assimilationem exprimit, quam quartam coctionem & verè nutritionem appellat: [s] licet eam alibi sæpiùs (motum à termino à quo denominationem capit [*] minimè distinguens) à tertia non seiungat.

χύλωσις est esculentorum & potulentorum in ventriculo concoctio, qua (vt alibi [t] explicuimus) per elixationem ciborum succus extrahitur, quem græcam vocem retinentes chylum appellare consueuimus. Concoctio quidem est, quòd illi definitio communis illius mixtorum passionis quæ coctio appellatur absolutè conueniat. Coctionem autem sic definiendam censemus, vt dicatur alteratio à circumfuso quocumque calore, per quam humidi & sicci mixtorum cum calido natiuo & proprio perfectior cohærentia procuratur. Cùm enim coctio sit communis quædam mixtorum, si non omnium saltem plurimorum passio: & tum lateres ac figulina opera in fornace, tum metalla in terræ visceribus excoqui dicantur; necnon olera & plantarum radices, animaliúmque carnes dum in culinis ad esum præparantur; succi item putrescentes dum interceptâ putredine mitificantur; & fructus dum maturantur; demúmque alimenta dum in nobis per varias alterationes disponuntur ad membrorum nutritionem coqui ferantur: oportet coctionis vnam aliquam esse rationem, quæ his omnibus æqualiter conueniat. Quæ quia excogitari alia non potest, quàm ea quæ communi mixtorum interitui putredini scilicet magis resistit: hæc autem fit proprij calidi ab humido dissolutio, non immeritò existimamus coctionem eam esse alterationem qua perfectior calidi natiui cum humido & sicco cohærentia procuratur. Quod cùm in maturatione & assatione fieri pateat, idem in elixatione contingere certum est. Quæ cum duobus modis possit considerari: vel prout quod præerat mixtum elixatur; vel prout succus ipse excoquitur qui per elixationem in vsum perfectioris mixti parari intenditur: vtroque casu, naturalis calidi eius quod excoquitur cum sibi consociato humido & sicco perfectior cohærentia procuratur. Nam primo casu, cùm elixa ex Aristotele, [t] seipsis sicciora euadant, nimiâ humidi copiâ exhaustâ, calidum natiuum eorum, cum residuo humido & sicco meliùs cohæret, tardiúsque dissoluitur. Posteriore verò, eliquati etiam succi calidum natiuum, humido & sicco, eiusdem pergente elixatione, exquisitiùs adhæret. Esculentorum autem & potulentorum coctionem appellamus; quòd vel vtraque coctioni sint apta, & habeant calidum humido sibi sociato per caloris actiuitatem commensurabile, vt iura & intinctus, aut vinũ ipsum & cereuisia: vel quòd licèt aqua veræ coctionis sit incapax, tam defectu calidi, quàm nimiâ copiâ terminabilis humidi; [u] fit tamen instrumentum elixationis. Quæ definitur [x] coctio indefiniti in humido existentis, ab humido calore facta: Ac tandem in ventriculo fieri dicimus: quòd cum philosopho, [y] ciborum in ore attritionem & cum saliuâ permixtionem coctionem esse negemus: Sed quamdam tantùm ad primam coctionem vtilem præparationem esse censeamus. Nec Galenus ciborum masticationem cùm aliam esse coctionem dixisse videtur, [z] aliud intendit. Aut si velit ab oris tunica internæ tunicæ ventriculi continua, notabilem cibis alterationem imprimi quæ coctionis nomen mereatur: non veremur aliter sentire; & cibos per eum masticationis motum, tantam ab ea tunica à qua leuissimè per breuissimum tempus attinguntur mutationem subire, negamus. In ventriculo inquam fieri asserimus, non tanquam propriæ nutritioni studente, & chyli portionem in se conuertente, vt Galeno [a] visum est, cùm supra [b] ventriculum chylo minimè nutriri docuerimus: sed vt ab officiali parte, indictum sibi à natura munus in commodum totius exequente. Qui totum hoc sibi demandatum onus sibique impositam ingestorum coctionem absoluit, vi propriæ temperaturæ: cui maximè ad operandum inseruit proprius eiusdem substantiæ modus. Carnosior enim quisque & crassior ventriculus copiosiores spiritus ex se in alimenta effundens, ea intimiùs peruadens eadem faciliùs & perfectiùs conficit. Sed eidem præte-

o Lib. 2. de anima tex. 41.
p Lib. 1. de natur. facult. cap. 10.
q Gal lib. 3. de nat fac c. 7. lib. 2. de temp. cap. 1. lib. 3. de symp. causis cap. vlt. Auerrh. lib 2. Collect. cap 9. & lib. 3. cap. 24. & vulgò medici penè omnes.
r Lib. 3. de sympt. causis cap. 2. aliquantò post principium.
* Lib. 8. de compos. med. sec loc. cap 7.
* Arist. 5. physic. tex. 48.
t Lib 4. meteor. cap 3.
u Arist. cit. lib. 4. meteor. cap. 3.
x Idem ibid.
y Lib. 2. de part. animal. cap. 3.
z Lib. 3. de fac. nat. c. 7
a Lib & cap. eodem.
b Lib. 3. c. 2.

rea suppetias ferunt, partes circumstantes, ventriculi calorem vel fouentes, vel remissiorem intendentes.

Αἱμάτωσις, est chyli à meseraïcis ab intestinis aut ventriculo etiam aliquando attracti, & ad iecur delati, ab eiusdem parenchymate in sanguinem conuersio. Nam materia sanguini conficiendo apta, non alia commodior est quàm chylus & succus ille esculentorum in ventriculo debitè confectus. Licèt nonnunquam iura & alia eliquata alimenta, cùm per os ali non possumus, per clysteres in intestina iniecta, & à ramis venæ portæ ad crassiora intestina pertingentibus sucta, in sanguinem sed minùs perfectè elaboratum conuerti posse constet. Sic enim nonnullos per aliquod tempus nutriri, præterquam experimento comprobatur, id præterea quamplurimi viri celeberrimi affirmarunt.[c] Talia autem in sanguinem minùs elaboratum conuerti ideò dicimus: quòd cùm primam coctionem effugerint, nequeant secundam sine vitio subire. Non enim possunt in intestinis coqui, in quibus minimùm immorantur: neque ad ventriculum ascendunt, impedita ab ea valuula quæ crassa intestina à tenuibus disterminat, & recursum eorum quæ ad crassa intestina illapsa sunt prohibet: neque à meseraïcis ad ventriculum eo casu ad attrahendum imbecillum diuertunt. Huius autem coctionis author est solum iecur. Cui ideò facultatis naturalis principatus tribuitur, quòd sit officina sanguinis & membrum in quo cõmune totius corporis alimentũ conficitur, indéque per venas in singulas partes quasi per canales deriuatur. A solo autem iecoris parenchymate chylum in sanguinem conuerti affirmamus, non vt censuit Auicennas[d] à venis: quòd conformitas parenchymatis hepatis cum sanguine sit maxima, venæ autem, temperie & modo substantiæ ab illo plurimùm diffideant. Similia verò à similibus potiùs quàm à dissimilibus produci certissimum est. Quòd si in venis sanguis aliquã à calore nobis insito alterationem subeat: ea nullam sensibilem sanguini mutationem infert, sed solùm aliquanto crassior ille inde euadit. Galenus verò[e] scribens sanguinem in venis quæ ad ventriculum pertingunt primùm generari, nobis minimè aduersatur: quòd velit materiam proximam ex qua fit sanguis, in venis primùm à fœcibus secretam reperiri, atque ibi primùm à calore innato quodammodo alterari. Qui enim illius sententiam de vera chyli in sanguinem conuersione intelligunt, etsi Galeni mentem forsan assequantur, in veritate tamen falluntur, vt ex dictis colligitur. Sed & illi etiam hallucinãtur qui eam sanguinis generationem in meseraïcis fieri aiunt, facultate à iecore venis communicatâ. Ea enim cùm non alia sit quàm indiuidualis primarum hepatis qualitatum temperies eiusdem modo substantiæ sociata, incommunicabilis est alteri nisi ad paritatem substantiæ deducatur, quod venis non accidit. Quare miror scriptum esse à Mercato,[f] dubitare num sanguis generetur in venis esse ignorantiæ signum, cùm id experimento competiamus in meseraïcis. Si enim illud experimentum fecit in viuentis corpore aliquo diaphano, in quo aduerterit chylum à venis suctum ante rubere quàm ad illum sanguis à iecore in alimentum intestinorum transmissus peruenerit, nostram fatebimur ignorantiam. Si verò corpora inspexit nostris similia post interitum dissecta: ignoscat potiùs se admirandam illam ignorasse naturæ solertiam qua per eosdem venarum ramos chylum quidem ab intestinis ad iecur, hinc verò ad intestina sanguinem neutrum alteri confundendo transmittit: at mortuis nobis, rectricéque viuentium naturâ cadauera deserente, succos huiusmodi confundi, & quod album erat alterius rubore infici. Vt autem iecur quatenus officialis est pars sanguinem magnâ copiâ generat, quo toti corpori alendo sit satis: ita quatenus alimento ad sui nutritionem indigens aliarum sortem sequitur, quod sibi ex sanguine necessarium est reseruat, idipsúmque vlteriùs excoquens sibi integrè assimilat. In quibus etsi duplex aduertatur actio, vnicum tamen est agens infra scilicet visceri temperies, quæ breuiore alteratione ex chylo sanguinem dispositiuè generans; longiore, sanguinis portionem sibi ad nutritionem assimilat.

Ὁμοίωσις est sanguinis ab hepate per venas attracti per easdémque in vniuersum corpus distributi, & per singula membra vel per vasorum diapedesim vel per capillarium anostomosim effusi, & explicatâ iam attractione concurrente eisdem appositi, in qualitatibus & substantiæ modo assimilatio, quam cuiusque partis temperies quod appositum est alterando perficit. Atque hæc ea est coctio qua id totum absoluitur, quod ad perfectæ nutritionis dispositionem in alimento requiritur. Cuius terminus est illud vltimum, à quo alimentum per animæ introductionem & nutritionis verum complementum, cessat esse non viuens. Tota enim illius ratio in alteratione consistit. Vnde cum Galenus illi nutritionis nomen aliquando tribueret, nutritionem alterationis speciem esse dixit.[g]

Atque hæ quidem sunt coctiones quas alimentum in nobis subit, antequam in membrorum substantiam conuertatur. Sed cum humores noxij & putres coqui præterea dicantur, quænam ea sit coctio est explicandum. Ad cuius rei cognitionem sciendum est, apud Medicos coctionum quæ in nobis fiunt duplicem esse rationem: alia enim à Græcis πέψις, alia πεπασμὸς, vel πέπανσις etiam aliquando per translationem appellatur. Illam Galenus[h] vocat eius quod concoquitur deductionem in coquentis substantiam: hanc verò, concoctionem eorum quæ præter naturam sunt, & morbi ma-

c Oribas. lib. 1. synops. c. 19 lib. 4. collect. cap. 34. Aetius lib. 9. cap. 1. Celsus lib. 3 cap. 19. Auenzoar lib. 1. Theisir. sect. 10 cap. 18. & recentiorum pars maxima.

d Lib. 1 fen 1 doct. 4 cap. 2. ad finem.

e Lib. 2. de plac. Hipp. & Plat. c. vlt.

f Lib. 1 q. 60 in conclus.

g Lib. 3. de sympt. causis cap. 2.

h Comm. 2. in lib. 1. epid. com. tex. 44.

turationem, vel ad mediocre tempetamentnm deductionem, ac veluti euictionem dixit: quam rectè Duretus[i] mitificationem nominat. Licet autem vtriusque causa effectrix eadem sit, partium scilicet solidarum specialis tempeties: πέψις tamen assimilatione in quantum potest terminatur,[k] πεπασμὸς verò infestantium expugnatione absoluitur.[l] Præterea in illa, vt plurimùm, ob familiaritatem naturæ quæ intercedit inter id quod concoquitur & concoquens, mutatio fit totius concoquendæ materiæ, aut maximæ partis eius, minimùmque superest semicocti: in hac autem quia quod concoquitur à natura immutantis & alterantis plurimùm alienum est, id quod assimilatur paucum aut nullum est, semicoctum verò excrementum multum. Quare id quod ad alendum ineptum est, tunc concoqui ex Galeno[m] dicitur, cùm natura causis fortior fuerit, permutaueritque eas pro suo robore. Sic coctum dicitur, quod viuifici caloris ope vel seipso mitius euadit, vt cùm quod salsum vel amarum est, dulcescit; acre suam deponit acrimoniam; & putre, à putrilagine vindicatur: vel ita ex Auicenna[n] immutatur, vt eius excretio à membro in quo stabulatur, facilior reddatur: seu attenuato eo quod crassum est, & inciso viscido: seu incrassato eo quod tenue est. Quæ posterior succorum coctio, aut præparatio potiùs, non à natura fit sola (vt Auicennæ[o] visum est) ea enim vnum idémque coquens, semper idipsum secundùm aliquid incrassat:[p] sed magis ab arte naturam iuuante perficitur.

Quoniam verò ob heterogeneitatem alimentorum & varietatem substantiæ eorum quæ coctionem subeunt, coctiones eò peruenire non possunt vt quod coquitur secundùm se totum æqualiter alteretur, & intentam à natura mutationem assequatur: in vnaquaque coctione excrementa generantur, quæ ad alendum inutilia expelli excernique necessum est. Ita fœces, primæ coctionis recrementa ab intestinis in anum amandātur. Bilis flaua, à chysti fellea per vas cholidocum in ecphysim: melancholia à liene vel per vas breue in ventriculum, vel per vasis splenici aut mesenterici inferiores ramos in hæmorrhoïdes internas: & serum à renibus per vreteres in vesicam, tanquam secundæ coctionis excrementa pelluntur. Tertiæ demùm quod tenuius est & ichorosum seu serosum, in vaporem per insensilem transpiratum exhalat. Quod verò crassius, in cutem vt totius emūctorium per occultos meatus expulsum, in pilos aut sordes cuti hætentes abit. Ad quorum omnium excretionem moliendam, ea vis nobis indita est quæ expultrix appellatur. Quæ in officialibus membris primæ secundæque coctionis exerementorum expulsioni destinatis, fibrarum transuersarum operâ vtitur: quas circulares etiam Galenus[q] appellat, & quibus membra se per quamdam partium successionem comprimentia, quod importunū est expellunt.[r] Verè autem similares partes, qualis est portio carnea venis arteriisque propria & earumdem fibris permixta, aut caro musculosa nerueis musculorum fibris intersecta: solius caloris operâ quod inutile est attenuantis, & in vaporem aut fuliginem conuertentis, per accidens se à tertiæ coctionis excrementis liberant. Quòd si eædem vel coctricis imbecillitate, vel succorum appellentium vitio, crassiora excrementa generent quæ tam facilè exolui non possint: partes maioris aliquanto molis, & heterogeneitatis etiam sensibilis participes, vt venæ arteriæue frustum, aut musculi pars, se suis cuiuscumque generis fibris, longis, obliquis, aut transuersis comprimentes, quod alienum & infestum est à minimis illis ad sensum planè similaribus ex quibus componuntur exprimunt.

Secretricis tandem, opera quidem admirari licet; organa autem & insttumenta, propriámque eius essent iam noscere non permittitur.

At que ita naturalium facultatum & functionum expedita videtur tractatio, si hoc vnum vltimò definiamus, quomodo ministrantes facultates quas recensuimus tam ab anima quàm ab inuicem distinguantur. Qua in re, ne in examinandis aliorum sententiis nimiùm immoremur: dicimus omnes quidem ab anima re distingui; & coctricem à reliquis; attractricem verò, retentricem, & expultricem formaliter tantùm inter se differre. Omnes inquam re ab anima ideò distingui asserimus: quòd cùm ad coquendum vi alteratrice, & ad reliquarum functiones potentiâ loco motiuâ sit opus neutrum autem anima per suam substantiam operetur, vt ex antea probatis[f] colligi potest; talium actionum immediata principia ab anima re distingui sit necesse. Coctricem à reliquis re distinctam esse in membris officialibus saltem, ex eo constare arbitror, quòd coctrix non alia omninò sit quàm temperies partium cuicumque coctioni addictarum: attractrix verò, retentrix, & expultrix membrorum officialium ad tam diuersos imò contrarios motus exercendos destinata, non possit cum eiusdem naturæ partium temperie vniformiter operante conuenire. Eædem verò in similaribus & homogeneis, ab harum temperie formaliter tantùm differunt. Re quidem easdem esse cum illa ideò dicimus: quòd cùm earum attractio fiat ad fugam vacui, hoc autem à calido humidi sibi consociati substantiam exoluente procuretur: & retentio sit continuatus attractionis terminus, ac demum expulsio sequatur dissolutionem partium alimenti appositi ad vltimam conuersionem inepti, quod membri coquentis temperies præstat: apparet talium partium facultates nutritioni ministrantes re

ab

i Com in tex. 3. lib. 1 aphor.
k Gal com 4. in lib de rat. vict. acut. com. tex 44.
l Idem lib. 3. de crisib. c. 3.
m Com 2 in lib. 1. aphor. com. tex. 44.
n Lib. 1 fen 1 doct 6. c. 3.
o Ibidem.
p Gal in lib. 2. progn. com. tex. 33. & vide autor que dicentur in parte practica tract. 2. lib. 1. cap. 12.
q Lib. 3. de natur facult. cap. 8.
r Gal lib 14. de vsu part. cap. vltimo
f Cap 2. hoc lib.

ab inuicē non differre. Formaliter tamē à coctrice reliquæ distinguūtur: quòd tēperies primò & per se apposita alterādo coquat, reliqua verò secundariò & per accidens exequatur. Demū mēbrorum officialium attractrix retentrix & expultrix, inter se re non differunt sed formaliter tantū. Re quidem conuenire censemus, quòd cùm ex Galeno [c] eorū actiō quæ vel tractuta quid sunt, vel tentura, vel repulsura, cum loci mutatione necessariò fiat: vna eademque facultas diuersis instrumentis vtens, omnes eos motus pro vsus necessitate exercere valeat. Præterea cùm in animantibus vna eademque facultas ad bonum inclinetur, idipsum amplectatur & malum auersetur: grauia item vnicâ vi & ferantur ad centrum, & in eo quiescant: necnon ab eodem calore producatur & conseruetur alius calor, & frigus expellatur: pari ratione videtur, eadem vi, diuersis tamen instrumentis operante, in vegetantibus commodum alimentum attrahi, & retineri: necnon inutile excrementum ab vtili alimento & secerni & excerni. Formaliter autem easdem inter se distingui affirmamus: ob actuum terminorúmque seu à quo seu ad quem diuersitatem, inter attractionem, retentionem, & expulsionem.

De vitali facultate.

Caput V.

Vitalis facultas bifariam dicitur. Primò enim sub ampliore significatu, de ea omni effertur quæ principii vitæ inexistentis actiuum est instrumentum. Sic nutritiua, & sentiens quæcumque, atque intelligens vitalis est. Secundò sub angustiore notione vsurpatur: prout particularem eam potentiam designat: quam θυμοειδῆ seu animosam, vel iracundam vocat Galenus. [a] Ea autem illa est quæ calorem à principiis generationis nobis insitum conseruando vitam tuetur in nobis. Cùm enim omne animantium genus ex Aristotele, [b] caloris sit particeps, imò & eumdem exuperantem habere, ad proprias operationes obeundas necessum sit: hæc autem ad sui generationem, talem elementorum concursum experant, vt prædominio solidiorum indigeant, quæ grauiora sunt & frigidiora: oportebat vim aliquam nobis esse innatam qua calor ille perenni quadam generatione conseruaretur. Quam meritò ex eo vitalem appellarunt, quòd ea calorem primarium animæ actiuum in materiam instrumentum, & dispositionem advitam necessariam tueatur, atque ideò quodammodo vitam, quæ vel est informantis animæ in corpore præsentia, vel ipsum animæ operari.

Huius autem primaria sedes in corde est, tanquam in caloris ac vitalis ignis foco, & vnde calor in vniuersum corpus per arterias vitali spiritu vectore diffunditur. Vnde ex Loierio, [c] Hæbræi qui nominibus retum naturas proximè exprimebant cor appellarunt לב Leb: deriuatum à להב Lebah quod flammam significat, à Syriaco & Chaldaïco primitiuo לבב Lebab quod est inflammare. A quo Africani Lybiæ nomen imposuisse videntur: quòd ea solis ardore quasi inflammetur. Hinc etiam Ægyptij & Chaldæi ex Oro Apollinis testimonio: [d] cor, animæ, quam immortalem quemdam ignem dixisse videtur, περίβολον & septum appellabant,

Calorem autem cor generat, non propriæ temperaturæ vi, atque eius quæ naturalem elementorum miscelam sequitur: sed continuo pulsus motu. Motus enim ad calorem producendum efficacissimus: vt cum Protagora sentit Plato, [e] cui assentitur Aristoteles, [f] ac communiter Philosophi & Medici, quorum nonnulli à Conimbricensibus [g] referuntur. Imo & calor à motu per se secundariò saltem nascitur: licèt idem per accidens aliquando refrigeret, seu frigidius quoddam calenti offerens, seu admixtum natiuum aut aduentitium calidum euaporans. Calefacit autem motus, quod per collisionem corporum inter mouendum sibi occurrentium rarefactionem inducat, & à rarefactione naturali quadam consecutione calor emanet.

Quoniam vero quod motu cordis incaluit, calidum eousque seruari oportet, donec per singulas corporis partes diffusus sit, in quibus viuificus calor huius influentis calidi accessione fouendus est: arterias calidi illius spiritûs canales, cum corde pulsare oportuit, vt consimili motu genitum in corde calorem foueant integrúmque conseruent.

Quæ eadem est & vitalis & pulsifica facultas. [h] Quæ tum illa à fine denominatur: hæc vero à medio quo ad finem itur. Cuius licèt Galenus [i] essentiam se ignorare dixerit: nos tamen existimamus eam esse accidens quoddam, quo anima tanquam instrumento vsa, cor primò ac maximè sinistrum eius ventriculum secundùm omnem dimensionem distendendo, liberum cuspidem euidentiùs eleuat, mox identidem se contrahendo eumdem cuspidem deprimit. Arterias autem per consecutionem quamdam continuitatis, consimili fine excitata, quasi secundariò agitat. [k] Non tam dispari tamen ordine, atque Erasistrato apud Galenum, Auicennæ, Auerthoi, & aliis visum fuit: qui censuerunt & corde dilatato arterias contrahi, & contra. Quin potiùs cor & arteriæ simul diasto-

lem

c Lib. 3. de sympt. causis cap. 4.

a Lib. 9. met. cap. 10.

b Lib. 2. de partib. anim. cap. 7.

c Lib. 5. de spectris cap. 2 & 4.

d In hieroglyphicis.

e In Thæteto pagina mihi 97 volum. 1.

f Lib. 2. de cælo text. 45 lib. 1. meteor summa 1. c. 4 sect. 3. probl. 15

g Lib. 2. de cælo cap. 7. q. 6. art. 2.

h Thomas Rodec. à Veiga comm. ad cap. 12. artis paruæ in fine.

i Lib. 1. de causis puls. cap. 2.

k Insinuatur à Gal. lib. 3. de præsag. ex puls. cap. 3. lib. de fœtuum form. cap. 3 & lib. an sang. in art. cont. c. 8. quo tamen sibi minimè constant lib. vtilitate cap. 7. veniq quădam ait arteriarū tunicas inesse, qua distendantur: idem innuit lib. 3 de præsag. ex puls. cap 4 & lib. 4 eiusdem cap. 12.

lem sistolémque patiuntur: vt Galeni frequenti authoritate [l] confirmatur: & experientia probabit qui in sinistrum latus decumbens manum dextram cordis regioni admouebit, & sinistro pollice arteriam in dextro carpo obseruabit. Cùm enim ex eodem Galeno, [m] arteriæ suas habeant tunicas cum corpore cordis connexas; facultas pulsatilis suum princeps organum cor scilicet primò mouere intendens, arterias etiam consecutione quadam & simul & pari motu mouet. Neque aliter mouentur arteriæ quàm contingit eam cordam moueri quæ parieti vno ex capite affixa, ex alio manu apprehensa sursum deorsúmque mouetur: tota enim simul motum portionis in manu motoris existentis sequitur. Quam similitudinem non iniuriâ vsurpamus, cùm Galenus [n] arterias funibus nassulatum comparet. Atque ea est motûs arteriarum ratio, talísque facultatis à corde in ilias ille influxus quem tam frequenter insinuat Galenus, dum plerunque inquit [o] arterias moueri à corde ob virtutem in tunicas transmissam. Hinc arteriæ maiori ex parte sectæ, quia per sectionem impressi impetûs continuatio interrumpitur: necnon ligatæ, quia ad motum minùs obsequiosæ redduntur, moueri cessant. Vis enim arteriis à corde impressa, quidam est impetus non longè ab eo diuersus qui proiectis imprimitur, neque alia effusa aut propagata à corde facultas.

Quia verò non tantùm calorẽ in animante generari oportebat, sed eũdem temperatũ conseruari; perpetuo autem & continuo illo motu, magis ac magis acui posset ille calor, atque ad summum vsque possibilis intensionis perduci: vt pulsu ad calorẽ generandum natura vtitur: ita ad eumdẽ contemperandum, respirationem vitali facultati famulãtem medirata est. Quare hoc loco, vt quæcumque ad prædictam facultatem pertinent explicemus, non solum de pulsu primaria & principe vitalis facultatis actione; sed de respiratione etiam nobis tractandum erit, cùm eius vsus eidem facultati maximè sit necessarius. Respiratio enim & ad contemperandum calorem, & ad spirituum generationem deseruit. Ac quoniam quæ ad caloris innati naturam, & spirituum vitalium generationem explicandam faciunt commodè in sequentes libros tractanda differentur: alibi verò de respiratione commodiùs agere non possumus, quæ præterea ad naturam & differentias pulsuum intelligendas plurimùm facit, de ea hoc ipso libro etiam tractabimus.

Sed antequam pulsuum naturam & differentias explicare aggrediar aduertendum censeo nemini mirum esse debere si Galenus legatur [p] dicere; non ex attritu spirituum qui sunt in arteriis calorem in animalium corporibus gigni, sicut in lapidibus & lignis: sed è contrario ab insito calore arteriarum, ipsarum motus causari. Id enim consequenter ad sua dogmata asseruit: qui facultatum essentiam & radicem nullam aliam esse existimans, quàm organorum temperiem vel calorem innatum; debuit etiam affirmare ab eodem omnes facultatum actiones proximè emanare. At nos quia animam vt principale agens agnoscimus, facultatibus à temperamento distinctis tanquam primis ad operandum instrumentis vtentem: aliter ratiocinari cogimur, & calorem quem Galenus causam pulsûs appellauit, nos contra hunc illius causam esse asserimus.

De pulsûs natura & differentiis.

CAPVT VI.

PVLSVS antiquioribus planè aut penè incognitus, cuius rarò Hippocrates [a] meminit: à variis variè definitur. vt apud Aristotelem, [b] Galenum, [c] Auicennam, [d] Fernelium, [e] & alios videre licet. Nobis tamen præ cæteris potior visa est hæc definitio, vt dicatur motus distensionis & contractionis cordis & arteriarum, à facultate vitali factus, quo caloris natiui vis in nobis conseruetur. Quæ causalis est definitio. Motus enim distensionis & contractionis, pulsûs formam explicant: cuius materia seu subiectum, dicitur cor & arteriæ: efficiens autem, facultas vitalis: reliqua finem explicant.

Pulsus ergo motus est, non vnus & simplex: sed duplex, ex dilatatione seu diastole, & contractione seu sistole compositus. Inter quos duos motus, quia inter contrarios terminos fiunt, ideóque continui esse non possunt, duplicem quietem intercedere necessum esse. Quarum ea quæ diastolem sequitur, externa seu supera appellatur: ea verò quæ sistolem terminat, interna aut infera dicitur. His autem motibus cor & arterias moueri, & quo modo, iam explicatum est. A quo verò agente hi motus fiant, licèt controuersum sit, & variæ legantur authorum sententiæ apud Saxoniam: [f] asserimus tamen licèt contra Galenum, [g] ab vna eadémque facultate cor & arterias dilatari & contrahi. Frustra enim Saxonia quatuor facultates imaginatur: quarum singulæ ad singulos motus, & singulas vnius pulsationis quietes perficiendas destinentur. Frustra inquam tam multiplex facultatum numerus introducitur, cùm vnica sufficiat: quæ variis fibris cordis corpus intertexentibus, ad oppositos illos motus efficiendos vtatur; longis quidem diastolem faciens, transuersis vero & obliquis sistolem.

l Lib 5. de vsu part. cap. 21. lib. 6. eiusdem cap 2. lib. de pulf ad Tyron cap. 1. lib 4. de diff. pulf cap. 2 lib. 3. de præsag. ex pulf. cap. 3. & lib. an sang in arter. contineatur cap. 7.
m Lib. de vsu pulf. cap. 4 & 5 & lib. 7 de placitis cap. 5
n In Timæum com. tex. 31.
o Vt lib an sang in arter. cont. cap. vlt.
p Lib. 8. de plac. Hipp. & Plat. cap. 7.
a Lib 4. epidem. tex. 31. & 37 ex partitione valesio lib 7 eiusdem tex 3 lib. 2. de morb. tex 7. en doniſ Saly sent 138 conc. ex sedt. Fæsij, & lib. de ali. paulò ante finem.
b Lib. de respir. cap. 20.
c Lib. 4. de differ. pulf. cap 2.
d Lib. 1. fen 2 doct. 3. sum. 1. cap. 1.
e Lib. 3. pathologiæ c. 1.
f Lib. 1. de pulsib. cap. 3.
g Lib. 2. de præsag. ex pulf. cap. 5.

Finis tandem pulsûs, est caloris natiui & contemperati in nobis conseruatio. Quoniam enim calor is qui animantibus ad vitam necessarius, nobis à principiis generationis communicatur, facilè vt demonstratum est [h] disperiret: facultas vitalis primò illum continuo & perenni motu conseruare intendit, vt ab antiquis quibusdam assertum legimus apud Galenum [i] & Capiuaccium. [k] Tum verò, quia non solùm defectu caloris, sed eiusdem etiam excessu vita animalis offenditur: vt eiusdem caloris conformem naturæ vim, debitámque mediocritatẽ ea ipsa facultas tueatur, aërem tum per arteriam venosam respiratione attractum, tum per arteriarum extima ora transpiratione introductum, cor arteriásque dilatando ad caloris temperamentum attrahit: & fuliginosa excrementa quæ in generatione spirituum fiunt, contractione expellit. Ac quoniam hi posteriores vsus seu fines, pulsus plurimum immutant. Galenus ad ea quæ sensibus manifestiora sunt, licèt secundariò fiant, magis attendens, sæpè dixit [l] membra per arterias refrigerari, & ope arteriarum calorem insitum refrigerari. Cui adhærent Rodericus à Veiga, [m] & Capiuaccius. [n] Primarium enim pulsûs finem & à facultate primò intentum, vel tanquam physicæ indagationis negligentes, vel vt per se notum prætermittentes, reliquorum tantùm qui in opere medico sunt vtiliores meminerunt.

Verùm multiplex est & varius cordis arteriarúmque hic motus, & differentiæ pulsuum plurimæ. Aliæ enim sunt simplices aliæ compositæ. Simplicium aliæ absolutæ: aliæ respectiuæ. Absolutæ vel à motûs quantitate, ac qualitate; vel ab intermedia quiete; vel à mouentis vigore; vel demum à corporis moti conditione desumuntur.

A motûs quidem quantitate, quatenus termini dilatationis seu diastoles arteriæ magis vel minus inter se distant, ita vt diameter eiusdem dilatatæ arteriæ maior vel minor sit: pulsus fiunt magni, mediocres, aut parui. Magnus appellatur is, in quo arteria pro sui corporis amplitudine in omnem dimensionem longitudinis, latitudinis, & profunditatis plurimùm distenditur. Mediocris, qui mediocriter. Paruus, qui parùm. Qui si secundùm aliquam ex tribus dimensionibus magis vel minùs præ aliis extendatur, quàm naturaliter soleat: occasio inde datur triplicis adhuc differentiæ constituendæ. Etenim si à carpo ad cubitum per maius spatium quàm antea, vel per minus, aut per æquale planè arteria pulsare sentiatur: fit pulsus longus, breuis, aut mediocris. Quòd si diuersitas in eo appareat, quòd magis aut minùs ad cutem eleuari percipiatur: nascitur differentia pulsûs alti, humilis, & mediocris. Vt si plus aut minùs solito aut debito in latum extendatur, vel decentem mensuram seruet: fit pulsus latus, angustus aut moderatus. Si verò in latum, altúmque magis, quàm in longum extensio fiat: is turgidus à Galeno [o] appellatur: vt gracilis qui angustam & humilem habet diastolem.

Sed antequam vlterius tractatio hæc progrediatur, sciendum est cùm de mediocri pulsu in quacumque differentiarum specie loquimur, ad quem in denominandis vtrimque extremis attendimus, eum dupliciter posse considerari. Vel enim pulsum viri sani consideramus, quem consentire oportet cum pulsu temperatissimi hominis, cuius moderatissimus est pulsus: quem qui aliquantulum excedunt magnitudine, celeritate, aut crebritate, & cætera, magni, celeres, & crebri dicuntur. A quo qui aliquanto plus absunt, maiores, celeriores, & crebriores appellantur. Vt qui maximè ab illo distant, maximè tandem excedentes, maximi, celerrimi, & creberrimi nuncupantur. At contrà ab illo ipso deficientes, parui, minores, minimi; tardi, tardiores, tardissimi & cætera vocantur; quemadmodum in excedentibus explicatum est. Si verò de ægrotantis hominis pulsu ferendum sit iudicium: comparandus is est, cum eiusdem sani pulsu; & ab excessu ad illum, aut defectu ab eodem, illi cuiusque differentiæ applicanda est ratio. Ad iudicandum autem qualis fuerit pulsus cùm secundâ valetudine quispiam frueretur, quando nunquam eumdem tractasse contigerit: ad generales pulsuum rationes recurrendum; meminisséque oportet quales ætatibus singulis, necnon temperamentorum summis generibus, & vtrique sexui pulsus conueniant, & quales pro regionum, ac anni tempestatum varietate quibúsque quadrent, quæ inferiùs docenda sunt.

Secundò ex qualitate motûs, pulsus distinguntur; quatenus scilicet citiùs aut tardiùs, seu breuiori aut longiori tempore eadem absoluitur distensio: vnde celeris, mediocris & tardi pulsûs denominatio exoritur. Ita vt celer is sit qui suæ distensionis spatium citò perttansit, promptéque se expedit: tardus qui ad modicum etiam percuttendum spatium, longum requirit tempus, & lentè admodum se explicat.

Tertiò ab intermedia inter diastolem systolémque quiete, frequentem, mediocrem, aut ratum appellamus. Ita vt frequens seu creber is dicatur, cuius vtrinque quies breuis est. Rarus contra, cuius longa. Quia tamen & systolem exactè persentire non possumus, & intermedias quietes ratione potiùs quàm sensu iudicamus: frequentem pulsum eum vocare solemus, in quo, inter vnius diastoles finem, & sequentis sensibile principium, breue tempus intercedit. Rarum verò illum in quo inter consimiles terminos longum tempus interponitur.

[h] Cap. praeced.
[i] Lib. aduersus Lycum cap. 2.
[k] Lib. 2 praxeos med. c. 8
[l] Lib. 3. de vsu part. c. 9. in fine lib. de vsu pulsf. cap. vlt, lib. 8. de placit. cap. 8. lib 2. de diffe. febr cap 4 & lib 2. de locis aff. cl. c. vlt.
[m] In cap. 3 3. artis medic.
[n] Lib metho. di anatom. pag. 148 col. 1.
[o] Lib. 1. de diff pulsu. 5.

Quartò, à mouentis seu facultatis valido aut debili impulsu: vehemens, moderatus, aut languidus nominatur. Quotum vehemens ille est: qui cum magna contentione distenditur, & Medici arteriam tractantis manuum digitorúmve extrema, validè potentérque ferit. Is autem rectè dignoscitur ex Galeno, [p] cùm digitis subiectam arteriam premimus. Languidus illi est contrarius vt moderatus, inter vtrumque medius.

Quintò à corporis arteriæ constitutione, inquantum illa facilè aut difficilè prementi cedit: pulsus mollis, durus, aut mediocris nuncupatur. Mollis dicitur, cùm pulsans arteria, pulpæ digitorum tangentis cedit: atque eò magis si comprimatur, tum enim arteria integrè aliquando subsidere sentitur; & vt loquitur Halyabbas, [q] digiti in eius sobstantiam mergi videntur. Durus appellatur, cùm contrà, pulpa digitorum pulsum tractantis, arteriæ cedit: hæcque comprimenti etiam renititur, & quamdam nerueam duritiem sub digito repræsentat. Moderatus, inter vtriusque extrema consistit.

Nonnulli [r] ab arteriæ plenitudine & vacuitate aliam pulsûs differentiam astruunt. Quibus iure refragatur Galenus. [s] Nihil enim hic arteriæ habitus ad pulsum facit, cùm per se nihil extensioni aut contractioni addat, vel detrahat. Vnde Saxonia, licèt hac in parte à Galeno deficiat, cogitur tamen [t] fateri, pulsum plenum, ictum non habere, quia neque motum. Etsi verò plenom aut vacuum pulsum, rectè dici negemos: non propterea plenam, aut vacuam, aut mediocriter etiam cõstitutam esse & dici posse arteriã, inficiamur. Cuius habitudinis notitiã habere aliquãdo expedit, ad iudiciũ de plethora sumendũ. Quomodo autem ea plenitudo vacuitásue detegatur, legatur apud Saxoniã.[u]

Aliis [x] prætereà cum Auicenna placuit à maiore aut minore arteriæ calore inter palpandum percepto: calidi, frigidi, & mediocris pulsus differentiam imaginari. Sed talis denominationis ratio, à superextensæ entis qualitate, potiùs desomitur: quàm à particulari aliqua ipsius arteriæ temperatura. [y] Medicus tamen, dum arteriæ aut carpo manum admouet, qualis sit occurrens calor, & qoale calidum quod euaporat, non inutiliter aduertit. Sic enim plerunque, genus febris & caloris præter naturam concepti modum: necnon humoris putrescentis conditionem, detegit.

Respectiuæ pulsûs differentiæ dicuntur, quæ vel ex collatione celeritatis diastoles, cum celeritate subsequentis sistoles: vel ex plurium pulsationum inter se, aut plurium partium eiusdem pulsationis secundùm se: aut secundùm arterias ipsas, arteriarúmue partes, mutuo respectu trahuntur.

A collatione ergo inter qualitatem motûs distensionis, & qualitatem motûs contractionis pulsus rhythmus nascitur. Cuius considerationem Medico vtilem esse, quæ capite sequenti dicentur, indicabunt. Sed aduertendum est rhythmi contemplationem, ad Herophyli & antiquorum quorumdam mentem, musicam planè esse, & inutilem. Quòd nullo sensu ad integram eius cognitionem peruenire liceat, vt probatum à Galeno legimus. [z] Cùm enim illi vellent rhythmum esse proportionem vel temporis diastoles, ad tempus sistoles; seu cuique suâ annexâ quiete, seu nullâ habitâ ratione quietum; vel temporis diastoles, ad tempus reliquum tam sistoles quàm vtriusque quietis: quoniam neque integram diastolem, neque completam sistolem, ac maximè in pulsu languido, sentire valemus, neque earumdem tempora discernere; multò minùs eadem inuicem conferre poterimus. Qui autem volet huius rhythmi rationem clariùs habere perspectam. Struthium [a] adeat & Meteatum, [b] qui rem totam luculentissimè explicant. Vtiliùs ergo à Galeno [c] rhythmus appellatur, proportio quæ inter celeritatem diastoles, & celeritatem sistoles earumdem pulsationum inuenitur. Quam proportionem cognoscere ideò possumus, quòd finientem saltem diastolem percipientes, & incipientem ad minus sistolem sentientes, vtriusque celeritatem partim sentire, partim coniectare valeamus. Cui cognoscibili celeritatum proportioni, si mensuram breuioris aut longioris temporis totius pulsationis singulis ætatibus conuenientem, coniunxerimus: mixtam quamdam speciem rhythmi, vtilem ad temperamentorum differentias pro vsuum proportionali per ætates variatione cognoscendas, statuemus. Cúmque per ætates singulas; pro sexûs, regionis, anni temporum, & proprij cuiusque temperamenti disparitate, eiusmodi proportio euariet. Si ætati, pro regione & tempore debitus rhythmus seruetur: pulsus eurhythmus appellatur, in quo scilicet bona, & ætatem decens proportio innenitur. Quòd si à conuenienti illa proportione pulsus defecerit, is arhythmus nuncupatur: quòd debitam celeritatis proportionem, vel temporis pulsationum mensuram ætati proportionatam non seruet. Qui si mutetur in rhythmum proximæ ætati proprium, pararhythmus nominatur. Si verò alterius ætatis distantioris rhythmum æmuletur, heterorhythmus dicitur. At tandem si nulli ætati conuenientem rhythmum seruauerit, ecrhythmum, quasi extra omnem rhythmũ appellant. Quæ pulsuũ in rhytmo differentiæ, etsi ab Herophyliis sint inuẽtæ, & suis rhythmis accommodatæ: non inconcinnè tamen nostro huic rhythmo miscellaneo tribuẽtur.

Huic differentiæ maximè vicina est febrilis inæqualitas: quæ in ephemeris quidem diastolem sistole, in putridis verò sistolem diastole celeriorem habet; quòd in illis maior sit necessitas refrigerij, in his verò expurgationis fuliginum.

p Lib. 3. de diff. puls. c. 3.

q Lib. 7. theo. cap. 3.

r Paul. lib. 2. cap. 11. Halyabbas lib. 7. theor. cap. 3. Auic. 2. 1. doct. 3. diss. 2 sum 1. cap. 1. Saxonia lib. 1 de puls. cap. 9

s Lib. 4. de dign. puls. c. 2. & 3. necnon lib. 3. de diff. puls. cap. 6.

t Lib. 2. de puls. cap. 18.

u Loco recens citato.

x Paulo & Halyabbati.

y Videatur Capiuaccius lib. de puls. tract. 1. c. 2.

z Lib. 3. de dign. puls. cap. vii.

a Lib. 1. artis sphygmicæ cap. 9.

b Lib. 2. de puls. diff. tract. 2. cap. 11.

c Loco recens cit. paulò post med. capitis.

Ex collatione plurium pulsationum, aut diuersarum partium eiusdem pulsationis inter se: æqualis aut inæqualis pulsus differentia nascitur. Æqualitas enim ex Galeno, [d] est priorum differentiarum continuata paritas: inæqualitas verò eiusdem paritatis corruptela.

d Lib. de pul. ad Tyrones cap. 5.

Et quia inæqualitatem in pluribus pulsationibus obseruatam vel quemdam ordinem seruare cõtingit, vel nullum: ordinati, vel inordinati pulsûs differentia, inde tandem emanat.

Quæ tria respectiuarum differentiarum genera, in absolutarum differentiarum morem, nullam medij inter extrema determinationem habent. Harum enim differentiarum singulæ, per contradictorios terminos explicantur.

Sed ad penultimam differentiam exactiùs persequendam conuertamur. Æqualitas perfecta vna est, inæqualitas multiplex. Bonum enim ex integra causa, malum autem ex quocũque defectu.

Inæqualitas ergo, alia est collectiua quam systematicam appellant: scilicet quæ in pluribus collectis & congregatis pulsationibus deprehenditur, ἀπὸ τῦ συςήματος id est ab aceruo vt ait Galenus [e] appellata. Alia singularis est, quæ in vnica pulsatione adnotatur.

Systematica iterum, vel completa est & omnimoda: quando secundùm priores omnes differentias, magnitudinis, celeritatis, crebritatis, vehementiæ, mollitiei, & rhythmi, vel secundùm plures earum inæqualitas in pulsu adnotatur. Vel eadem, talis est, secundùm quid: in qua iuxta aliquam aut aliquas dictarum differentiarum diuisim, non autem per omnes coniunctim inæqualitas manifestatur.

e Lib. 1. de præsag. ex puls. cap. 4.

Vtraque demum, vel est æqualiter inæqualis, vel inæqualiter inæqualis. Prior ea est, quæ proportionem vel Arithmeticam obseruatu faciliorem, vel Musicam seu harmonicam inobseruabilem refert. Posterior verò quæ nullam. Arithmetica autem proportio, est, comparatorum inuicem numerorum, eadem obseruata differentia, vt inter octonarium, senarium & quaternarium. Nam quemadmodum octonarius superat senarium binario, ita senarius quaternarium. Differentia enim dicitur excessus quo maior numerus minorem superat. Harmonica verò proportio, est, quæ nec in differentiarum, neque in rationum similitudine vt Geometrica consistit: sed efficitur cùm tribus oblatis terminis, quam rationem habet maximus ad minimum, eamdem obseruat differentia maximi supra medium ad differentiam medij supra minimum. Vt inter senarium, quaternarium & ternarium accidit: nam quemadmodum senarius ad ternarium habet rationem duplam: ita binarius differentia senarij & quaternarij, ad vnitatem quæ est differentia quaternarij supra ternarium.

Systematicæ inæqualitatis secundùm quid, tot penè sunt genera, quot præcedentium differentiarum sunt species.

Primum ergo huius inæqualitatis genus, in magnitudinis & paruitatis variata paritate obseruatur. Estque eorum qui à græcis μύουροι, ἀπὸ τῦ μειόω, id est minuo: à Latinis murili aut decurtati appellantur. Quorum magnitudo si paulatim & æqualiter minuatur: ita vt quantum primâ pulsatione, secunda fuerit minor, tantùm ab ea decrescat tertia, & sic deinceps: soricini ab Auicennæ interprete & μύουροι à quibusdam nominantur: quasi in muris caudæ modum sensim imminuti. Qui si eòusque minuantur, vt ad motûs defectionem perueniant: decurtati deficientes nuncupantur. Si verò non integrè defecerint, sed eam paruitatem seruent, ad quam vltimò deuenerunt, simpliciter decurtati vocantur, in aliam deinceps speciem versi, pro ratione constantis paruitatis. At si augeantur denuò, decurtati reciproci nominantur: seu ad parem quam antea magnitudinem redeant, seu ad minorem. Atque hi paribus aliquando excessibus, quibus antea sunt imminuti, ad priorem aut aliquantò minorem magnitudinem redeunt: aliàs imparibus, maioribúsque nonnunquam, aliquando minoribus. Quòd si duorum, trium, vel plurium pulsuum intermissis ictibus: arteria iterum moueri incipiat, deficiens reciprocus vocatur à Galeno. [f] Si verò prædicta magnitudinis imminutio inæqualiter progrediatur: ita vt non quantùm primo pulsu secundus est minor, tantùm tertius secundo, & quartus tertio; sed dispariter procedat: decurtati inæquales dicuntur. Qui si eòusque etiam minuantur vt deficiant, & vel nulla vel insensibilis fiat extensio inæquales deficientes à Galeno [g] vocantur. Verùm licèt decurtatorum denominatio, ex Galeno, [h] principaliter & primò pulsuum secundùm magnitudinem inæqualitati tribuatur: tamen consimili etiam in vehementiæ disparitati, aptissimè quadrat: tum & crebritatis acceleritatis inæqualitatibus accommodari potest, quando pulsus, ab huiusmodi differentiis ad oppositas sensim illabitur.

f Lib. synopseos puls. cap. 23.

g Lib. 1. de diff. puls. cap. 11.

h Ibidem.

Inæquali celeritati aut tarditati plurium pulsationum, nullum particulare tributum est nomen à quo noua pulsuum differentia constituatur. Quando verò ea est raritatis disparitas, vt per aliquot pulsationes raritate aut frequentiâ pares quies producatur; vt tempus in quo vna, duæ, aut plures pulsationes fierent, totum in quietis continuationem absumatur: fit pulsus qui intermittens vnâ, duabus, pluribúsue pulsationibus appellatur. Contra si talis sit crebritatis inæqualitas, vt

inter aliquot pulsationes crebritate vix dispares, vna interueniat diastole breuissimis intermediis quietibus breuique retractione à priori & subsequente distincta, quæ eisdem sua tempora seruantibus quasi interponi videatur: intercurrens pulsus nuncupatur.

Cui non dissimilis est dicrotus non durus, de quo Galenus [i] satis obscurè meminit, quando ait, tandem arteriam manifestò sensi, modò mollem & non vibratam considere aliquantùm, móxque distensionem conficere. Hic enim crebritate inæqualis est, qui breuissimas habet sistoles, aut si mauis retractiones, propter breuitatem penè insensiles, inter duas trésue aut plures diastoles consequenter intercurrentes. Qui dicrotus non durus, ab intercurrente differt: vel quòd intercurrens vnicam præcipitem pulsationem interponat; dicrotus autem plures: vel quòd in intercurrente, diastoles, sistoléque sint integræ, crebritate tamen & celeritate inter se differentes; in dicroto verò hoc non duro, citra vllam celeritatis variationem, aliquãdo nondum completa distensio contractione intercipiatur, à qua mox sequatur distensio altera ictúsque secundus; aliàs incipiens distensio nouo contractionis enixu retrahatur, & pergere impediatur, móxque reliquum spatij in secunda distensione percurri absoluatur. Quas duas dicroti non duri differentias ab Struthio [k] explicatas, Auicennas [l] impropriè sub gazelante comprehendit. Verùm cùm inter hos dicrotos & intercurrentem, vix alia intercedat differentia, quàm quæ à maiore aut minore crebritatis inæqualitate nascitur: cùm magis & minùs non varient speciem, iure hos ad intercurrentes reducemus, quos propriùs recurrentes dixeris. Hinc rectè Galenus, [m] tales non esse verè dicrotos asserit: licèt præterea in eo sit varius, quod eos bis pulsantes dicat. Hi enim omnes tum bis pulsantes, tum verè dicroti iuxta eumdem, [n] propriè sunt singularis inæqualitatis species. At illi dicroti non duri collectiuæ potiùs inæqualitatis rationem sequuntur, cum verè sint plures pulsus crebritate inæquales. Sed obijcient plurimi: inter binas prædictorum dicrotorum pulsationes nullam mediam quietem interponi, vt supponere videtur Galenus: atque ex vtraque vnum continuum & simplicem motum fieri, qui ideo ad bis pulsantis speciem reducatur, sitque singularis inæqualitatis species. Enim vero cùm à Galeno ipso animaduersum sit, in huiusmodi pulsu, arteriam inter binas extensiones aliquantùm considere: inter vtramque pulsationem mediam quamdam retractionem fieri necessum est. Cúmque retractio quantulacumque sit, sistolem imitetur: necessariò sequetur, binas illas pulsationes, non vnicum esse pulsum, sed duos: quorum vterque suam habeat & diastolem & sistolem. Neque præterea potest parua illa retractio, nullà interpositâ quiete cum præcedente & subsequente diastole continuari, vt Valesio [o] placuit, & Galenus censuisse videtur. Quoniam vt docuit Aristoteles, [p] motus contrarij, seu qui in contrarios terminos feruntur, quales sunt eiusdem arteriæ extensio & contractio, continui esse non possunt. Nam motûs continuitas, eiusdem vnitatem infert: motuum autem contrarietas, maximam eorumdem discrepantiam innuit, & eosdem discontinuos arguit, intermediáque quiete dissociatos: Valesij vero instantia de turri cadente, & saxo sursum versus proiecto turrique occurrente: ad veritatem Aristotelicæ propositionis euertendam, nequidquam prodest. Nam eo casu, nec occurrens lapis turrim morabitur, neque saxum relabetur quin illius ascensus & descensus aut per eamdem lineam facti mediâ quiete discernantur; aut per diuersas lineas perfecti, & non verè contrarij medio quodam motu continuentur. Vel enim ingens impetus aëris à turre impulsi, ante lapidem occurrentem regredi coget; quàm is turrim attingat.

Vel à turri cadente ita reuoluetur lapis, vt per diuersam lineam ab ea per quam ascenderit relabatur; & vtriusque motûs lineæ, per mediam curuam quantumcumque breuem continuentur. Imò Valesius ipse, [q] Aristotelicæ propositionis certâ veritate ex parte conuictus: tandem nullam cordis diastolem & sistolem absque media quiete fieri posse fatetur. Sed de his sátis, ad genericas systematicæ inæqualitatis differentias perquirendas reuertamur.

Durities & mollities pulsûs, intra modicum temporis interuallum, nullam possunt collectiuam inæqualitatem admittere: quoniam arteriæ corpus quando molle est, nequit de repente duritiem contrahere: nec contra.

In rhythmo licèt huiusmodi inæqualitas possit obseruari: ita vt pulsationum inuicem comparatarum quædã sint eurhythmæ, & pro ætate sexu, ac tẽperamento boni rhythmi; mox aliæ à repentina vsûs variatione arhythmæ subsequantur, vt causas differentiarum inquirentes apertiùs explicabimus: tamen nullum peculiare nomen huic pulsuum collectiuæ inæqualitati tributum esse inuenitur. Atque hæc pro systematica inæqualitate sufficiant.

Singularis inæqualitas, seu quæ in vnica pulsatione adnotatur: vel in vna arteriæ parte deprehenditur: vel in diuersis eiusdem arteriæ portionibus manifestatur: vel in diuersis tandem arteriis aduertitur. In vna quidem arteriæ parte, nulla aut magnitudinis, aut vehementiæ, aut duritiei inæqualitas accidit: cùm nec eamdem arteriæ partem eodem tempore multùm & parùm extendi, vehementer & languidè tangentis digitos ferire, necnon mollem simúlque duram esse posse

i Lib. 2. de præsag. ex pulsib. cap. 8.

k Lib. 1 artis sphygmica cap. 13.

l Lib. 1 fen 2 doc 3. sum 1. cap. 1. paulò post medium.

m Eodem lib. de præsag. ex puls. cap. 8. ad finem.

n Lib. 1. de diff. puls. c. 14

o Lib. 3. contro. cap. 6 & comm. in cap. 8 lib. 8. physi. p. lib. 8. phys. tex. 65.

q Citato in physic. comm.

intelligatur. Neque enim illi crebritatis disparitas, aut inæqualis rhythmus aduenire potest: cum integrarum plurium pulsationum, vel diuersarum superarum quietum mutuam inter se collationem, talium differentiarum inæqualitas necessariò sequatur.

Celeritatis autem & tarditatis in vna eadémque pulsatione, multiplex disparitatis ratio adnotari potest. Vel enim diastole continua est; ita vt ex quo extendi cœpit arteria, eadem moueri antea non cesset quàm tota compleatur extensio: vel discontinua est diastole, ita scilicet vt postquam arteria ex parte fuerit extensa, quiescat tantulùm, tum reliquum distensionis absoluat. Si ergo illam discontinuam esse contingat, fit pulsus qui intercisus appellatur. Qui in vnica diastole tangentis digitos quasi duplici ictu feriens: feritur primum ictum magis in profundo repræsentare mox verò simul atque moueri destiterit, inde vbi prior desiit, percipitur initium facere alterius motûs qui extrorsum magis feratur.[r]

Huius autem intercisi pulsûs tot sunt differentiæ, quot modis prima distensionis pars cum posteriore potest in celeritate conferri. Vel enim ambæ æquè celeres sunt: vel cùm prior fuerit celer, posterior tarda, aut moderata sentitur: vel priore moderatâ, posterior celer est, aut tarda: vel demùm cùm prior tarda fuerit, posterior moderata, aut celer esse discernitur. Vnde intercisi pulsûs septem differentiæ nascuntur. Inter quas duæ illæ quæ ex prima motûs parte tarda, aut moderata constat, altera verò celere; proprium sortitæ sunt nomen, & pulsum faciunt caprizantem, seu ex Auicenna gazellantem: quòd caprarum, aut gazellarum saltum imitari dicantur.

Quòd si continua sit diastole, & nullâ mediâ quiete interrupta, potest etiam diuersas partes celeritate aut tarditate dispares sortiri: quæ vel à celeritate in tarditatem, vel contra à tarditate in celeritatem transeant. Hincque pulsus is generatur, qui græcis ἀνώμαλος (?), Latinis impar citatus dicitur. Cuius multiplices sunt differentiæ, prout duæ, tres, aut quatuor comprehenduntur pulsûs partes, quæ inter se celeritate & tarditate euarient. Tótque inde nascuntur differentiæ, quot possunt fieri combinationes celeris, tardi, & moderati, bifariam, trifariam, aut quadrifariam commixtis quas fusè à Galeno[s] explicatas legere cuique est liberum. Cùm tamen concipi ratione potiùs valeat, quàm sensu discerni. Præterea eamdem arteriam in vnico pulsu quasi bis pulsantem sentiri, aliquando contingit: vnde is prodit pulsus, quem dicrotum, aut bis pulsantem cum Galeno Medici appellant.

Quem speciem esse singularis inæqualitatis cùm docuerit Galenus,[t] qualis is sit pulsus difficillimum est explicare. Præterquam enim magna est inter classicos scriptores sententiarum diuersitas: præterea Galenus ipse tam varius est à seipso,[u] vt res per se obscura, in examinandis Galeni authoritatibus reddatur obscurior. Quorum Galeni textuum, & variarum opinionum examen omittentes, nostram sufficiet exprimere sententiam: quam viri docti excutientes vel probabunt, vel meliorem proferre nitentur. Bis pulsantem ergo seu dicrotum, eum pulsum appellamus, qui intra vnius diastoles non interruptæ spatium sub palpantis manu bis efferri videtur; & duplicis pulsationis sensum repræsentat. Quod per vnicam eiusdem partis arteriæ diastolem fieri posse asserimus; cum ea tamen inæqualitate, vt prior ictus posteriore sit maior; & ille digitum feriat, hic verò digiti pulpam non attingat, sed profundiùs pulsare sentiatur. Atque is ille est quem Galenus[x] ex Archigene, non tamen appositè satis, docet talem esse quales sunt duo illi ictus mallei ad incudem, quorum primus vi percutientis imprimitur, secundus verò resilientis est mallei; & quorum ille grauior est, hic leuior. Non quòd velit dicroti pulsûs, & iterati illius mallei ictûs, parem esse causam; videlicet duri corporis ad durum aliud collisi & resilientis iterata allisio; vt malè sibi persuasit Struthius,[y] cum Saxonia.[z] Sed quòd huiusmodi pulsûs conditionem nullo alio exemplo commodè explicare posset. Vbi præterea iidem authores falluntur, affirmantes eumdem Galenum,[a] confessum se in eo errasse, quòd Archigenis sententiæ assentiretur. Non enim in eo in quo reprehenditur, allucinatum se dixit Galenus: sed in eo, quòd cùm vnicum dicrotum durum vibratúmque priore illo loco agnosceret, posteriore fateatur se eum arteria molli dicrotum etiam aduertisse, vti ante docuimus. Vt autem modus quo hic pulsus fit intelligatur, sciendum est arteriam non solùm propria in sede firmatam in omnem dimensionem extendi posse; sed extendi simul, & totam loco dimoueri, quod in vibratis pulsibus accidit. Cùm ergo contigerit arteriam vibratam, extrorsúmque eleuatam tangentis digitos ferire, & totam antè deprimi atque in propriam sedem redire quàm inchoatam distensionem absoluerit, eámque dum in naturali situ consistet perficere: per vnius diastoles non intercisæ tempus, arteria bis pulsare videbitur. Semel quidem vibratâ arteriâ extrorsum aut curuatâ aut eleuatâ: postmodum verò profundiùs dum incepta distensio absoluetur.

Quæ Galeni etiam doctrinæ manifestè consentiunt; dum scribit:[b] & breuiter vibrari omninò motum oportet pulsûs dicroti, vt in ipso primo ictu veluti euecta atque ex proprio

loco

[r] Gal. lib. 1 de differ. pulf. cap. 17.

[s] Cit. lib. 1. de differ. pulf. cap. 15. & 16

[t] Cit lib. 1. de diff. pulf. cap. 17.

[u] Citato recens lib. 1. de diff. pulf. cap. 17. lib. 1. de cauf. pulf. cap. 4. lib. 2. de praesag. ex pulf. cap. 6 & lib. 3. eiusdem cap. 4.

[x] Sæpiùs citato lib. 1. de diff. pulf. c. 17

[y] Lib. 2. artis sphyg. cap. 14.

[z] Lib. 2. de pulf. cap. 17. & 18.

[a] Lib. 2. de præsag. ex pul. cap. 8.

[b] Eodem lib. 1. de differ. pulf. cap. 17.

loco arteria demigrans potiùs efferatur quàm distendatur. Neque propterea necesse est, omnem pulsum vibratum simul esse dicrotum. Nam vibratus aliquando longior est aliâs breuior, in illo autem antequam arteria ad propriam sedem redeat integra extensio absoluitur, cùm in hoc solùm ante recidat arteria quàm completa sit diastole. Quod Galenus ipse nos monuit, qui vibratum dicrotum fieri dixit,[c] quando pulsus qui absolutè est vibratus diminuta sit longitudo.

c Lib. 3. de praesag. ex puls. cap. 4.

Secundum singularis inaequalitatis genus illud est, quod secundùm diuersas eiusdem arteriae partes, in eadem pulsatione suam inaequalitatem prodit. Cuius multiplices sunt species: nam diuersae illae partes, vel secundùm latitudinem arteriae intelliguntur, vel secundùm longitudinem. Secundùm latitudinem quidem, primùm si media arteriae pars à tuberculo propè cor nato pressa, dilatari nequeat, quae autem ad latera sunt, liberiores existant, & quasi duarum arteriarum pulsatio sentiatur: quae tertiam dicroti speciem constituit. Licèt enim duo illi ictus sibi inuicem non succedant, sed simul occurrant: nihilominus potest etiam huiusmodi pulsus, dicrotus, appellari. Nam apud Euripidem δικρότοισι κώπαις pro vtrinque pulsantibus remis legitur: & apud Polybium τὰ δίκροτα πλοῖα dicuntur naues hinc inde remis aquam ferientes.

Praeterea si eiusdem arteriae distensionem, hinc inde paruam aut moderatam esse contingat, in medio autem magnam: efficitur is pulsus qui à Galeni interprete;[d] innuens & ab Struthio[e] eminulus vocatur. Quòd si contrà mediae arteriae distensio sit minor, partium verò lateralium diastole sit maior: pulsus fiet qui circumnuens, seu prominulus nuncupatur. Talem autem esse circumnuentem ex Galeno[f] patet qui circumnuentem, vtrinque innuentem esse docet. Ab hoc autem tertia nostri dicroti species ex eo differt, quòd in hoc mediae arteriae motus percipiatur, licèt minor motu partium lateralium; in illo verò dicroto nullus mediae arteriae motus sentiatur; sed duae arteriae contiguae simul moueri videantur.

d Lib. 1. de differ. puls. cap. 10.
e Lib. 3. art. Sphyg. cap. 16
f Lib. 2 de praesag. ex puls. cap. 11.

Secundùm arteriae longitudinem multiplex ea etiam est inaequalitas, quae in eodem pulsu adnotatur. Primùm enim talem magnitudinis inaequalitatem in diuersis eiusdem arteriae partibus adnotari contingit, vt quae cordi sunt propinquiores sensibiliter magìs extendantur, at remotiores sensim & minùs & languidiùs dilatentur. Vnde aliud à superiori μυούρων seu mutilorum aut decurtatorum pulsuum genus efficitur. Cuius Galenus[g] meminit aliquando & à Latino-barbaris cauda soricina dici consueuit. Qui vt in priore μυούρων genere explicatum est, vel aequaliter vel inaequaliter ad eam imminutionem progreditur & consimiles aliquot denominationes cum priore illo sortiri potest. Si enim secundùm aliquam arteriae portionem diastolem sensim minorem esse, tum secundùm subsequentem aliam portionem sensim magìs distendi arteriam percipiamus: quidam quasi decurtatus reciprocus fit pulsus: quem duplicem caudam soricinam dixerunt Latino-barbari & Auicennas[h] mesalium appellauit. Talem verò nunquam à causa aliqua morbifica natum apparere liberè affirmarem: sed à natiua quadam conformatione potiùs prodire, vt de antimyuro censet Galenus.[i] Est autem antimyurus, is in quo distensio arteriae maior circa carpum sentitur, & sensim eiusdem magnitudo in partibus cubitum versùs tendentibus imminui percipitur.

g Lib. synopseos puls. cap. 23. lib. 1. de differ. puls. cap. 11.
h Lib. 1. fen 2. doct. 3. c. 3
i Lib. 2. de praesag. ex puls. cap. 11

In celeritate & tarditate non inconsueta est secundùm diuersas arteriae partes inaequalitas: aequaliter nonnunquam inaequalis, sed saepiùs inaequaliter inaequalis; eáque multiplex, prout sub duobus, tribus, aut quatuor digitis ea adnotatur, variéque in singulis hisce ordinibus, celeritas, tarditas, & mediocritas combinari possunt, vt apud Galenum[k] legi potest.

k Lib. 1. de diff. puls. c. 18

In crebritate celebrior differentia & quam notare oportet ea est, quae ex interruptione motûs sub diuersis digitis percepta nascitur: quae pulsum facit interruptum. Ea autem interruptio ex Galeno[l] sub quatuor digitis quadrifariam aduenire potest. Vel enim sub primo & tertio digito arteria pulsare sentitur, sub secundo verò & quarto eiusdem motus interrumpi percipitur. Vel cùm sub secundo & quarto arteria pulset, sub primo & tertio non mouetur. Vel quae sub primo, tertio & quarto distenditur, sub secundo nullo modo eleuatur. Vel tandem quae sub primô, secundo & quarto mouetur, nullum sub tertio motum manifestat. Quibus Saxonia,[m] quintam addit differentiam, possibilis vt ait, interruptionis: in qua cùm sub primo & quarto digito arteria moueri sentiatur, sub secundo & tertio eiusdem motus minimè percipiatur. Sed vix potest arteria quae sub duobus digitis moueri impeditur, per reliquam sui longitudinem iterum eleuari. Plures autem modi pulsûs interrupti excogitari nequeunt: quoniam illi in quibus sub aliquot continuis digitis arteria pulsare sentitur, vlteriùs verò eiusdem distensio discerni nequit, non interrupti sed breues tantùm dicuntur. At in singulis praedictorum quatuor modorum interruptionis multiplices notari possunt differentiae: prout arteriae partes pulsantes, magnitudine, celeritate, mollitie, aut rhythmo inter se dispares erunt. In quibus tamen explicandis, non est quòd inutiliter immoremur.

l Cit. lib. 1. de diff. puls. c. 19
m Lib. 1. de puls. cap. 20.

Praeterea verò citra interruptionem potest in diuersis arteriae partibus inaequalitas etiam in

crebritate,& rhythmo, vt docet Valesius, [n] aduenire pulsibus. Potest enim arteria sub vno digito mollior,priùs ad sensum incipere dilatari;quàm sub alio,sub quo est durior: sub ambobus autem simul contrahi. Potest etiam longiorem sub vno digito quietem facere,quàm sub alio: facultate scilicet languidâ,& arteriâ inæqualiter durâ.

In duritie item & mollitie,consimilem aduerti posse secundùm diuersas longitudinis arteriæ partes inæqualitatem, nemini dubium esse existimo.

Tandem secundùm longitudinem arteriæ potest per vnius distensionis tempus bina fieri aut saltem apparere pulsatio, & quartum dicroti genus constitui. Quem Galenus dicrotum durum non vibratum appellat. [o] Qui fit cùm partes arteriæ quas attingimus,ad motum liberiores & magìs expeditæ quàm aliæ hinc inde secundùm longitudinem sitæ, quæ vel duriores sunt, vel ab incumbentibus corporibus magìs aggrauantur: expeditiùs ad satisfaciendum vsui aliqualiter aucto, per tardam pulsationem distentæ semel pulsare sentiuntur ; atque iterum, quando simul cum aliis præ duritie aut onere tardiùs suam diastolem absoluentibus secundò eleuantur. Cum aucto verò vsu,pulsum hunc tardum esse Galenum [p] sequuti ideò diximus,quòd huiusmodi vsûs incrementum magnum esse non oporteat:cui dum facultas satisfacere conatur, & nititur magnam distensionem facere : cùm imbecillior id assequi nequeat, ob duritiem aut aggrauationem quæ magnam partem cordis & arteriarum inæqualiter affectarum occupat,tardam diastolem, & diutiùs durantem efficere cogitur.

Postremum singularis Inæqualitatis genus quòd in diuersis arteriis adnotatur, in penè innumeras species distinguitur:pro multiplici primarum omnium differentiarum diuersitate,seu in magnitudine,celeritate, crebritate, vehementia,& mollitie : seu etiam in rhythmo. His tamen speciebus nullum peculiare tributum est nomen,in quibus disquirendis inutiliter immoraremur,cùm omnis talis diuersitas facilè ex his quæ ante explicuimus intelligi queat.

Quare ad composita pulsuum differentias transeamus. Quæ cùm ferè infinitæ excogitari possint,prout tam multiplex differentiarum varietas diuersimodè combinari potest: in illis singulatim referendis perperam occuparemur,expediétque eas tantùm persequi,quæ vel proprias denominationes sunt sortitæ,vel quæ primis temperamentorum generibus,ætatibus,& vtrique sexui particulariùs conueniunt.

Peculiaria compositarum differentiarum nomina sunt,vndosus,vermiculosus,formicans, vibratus,conuulsiuus,serrinus,tremulus,palpitans,strepens,& hecticus : quorum sigillatim exprimendâ est ratio.

Vndosus,sic appellatus quòd reciprocantibus vndis seu maris fluctibus assimiletur : secundùm diuersas arteriæ partes est magnitudine,celeritate,crebritate,& mollitie,singulari inæqualitate inæqualis. In eo enim quædam partes aliis molliores,cùm ante alias quæ minùs molles sunt dilatari incipiant:& magìs & celeriùs distenduntur.

Vermiculosus,vndoso simillimus:in eo differt,quòd hic languidus sit, priore minor, tardior & ex Galeno [q] rarior.

Qui præterea in celeritate & tarditate Inæqualis est inæqualitate singulari, [r] habétque in vno ictu partes quæ vel citiùs vel tardiùs moueri incipiant. Idem verò aliter quàm Pergameno [s] placet; magìs tardus est quàm paruus. Nam vt idem alibi [t] habet, fieri non potest vt prior arteriæ pars priùs moueri videatur,neque vt fiant veluti circumscriptiones in vna distensione multæ, ni tardus simul rarúsque sit motus.

Formicans illos imitatur in vtráque Inæqualitatum differentia sed minimus est, creberrimus, & maximè languidus , ac tantæ crebritatis,vt ex Galeno , [v] & Auicenna [x] velocitatem eximiam aliquando mentiatur,cùm tamen minimè velox sit.

Vibratus,durus est Galeno,[y] & vehemens [z] saltem apparenter.Sed præterea particularem quamdam motus differentiam habet,quoniam in illo totum arteriæ corpus sedem mutat,próprióque dimouetur loco:aut in altum,versus molliorem cutem, vnde arcuatus ab Auerrhoë [a] appellatur:vel ad latera,à pollice & ad pollicem : eodem planè modo ac vibrata iacula moueri conspiciuntur:idque accidit cum cutis quidem arteriæ Incumbens sicca est & tensa , arteriæ autem latera vacua. Necnon secundùm diuersas arteriæ per longitudinem partes,ita est inæqualis : vt dum vna arteriæ pars veluti in arcum eleuatur,altera deprimatur,atque ita per aliquam distantiam alternatim moueantur, vt cum Mercato [b] docuit Saxonia. [c]

Conuulsiuus,quasi fides quædam intenta sentitur,[d] In quo ad vtrumque terminum arteriam tendi putaueris,cum aliquali rectâ non autem curua eleuatione à propria sede euius distensio, seu specialis diastoles,aut nequaquam,aut parum & vt habet Galenus [e] obscurè sentitur. Ideóque Is paruus est,& aliqualiter languidus,licet ob duritiem violenter ex eodem Galeno, [f] ferire videatur.

n In compendio de pulf. cap.9.

o Lib. 2. de causis pulf. cap.6. & lib. 3. de præsag. ex pulf.cap.4.

p Lib. 3. de præsag. ex pulf.cap.4.

q Lib. 1. de diff pulf. cap. 26. & lib. 3. de caus. pulf. cap.vlt.

r Lib de pulf ad Tyron.c.11

s Lib & cap eodem.

t Cit. cap vl. lib.3 de caus. pulf.

v Lib. 1. de diff pulf c.27

x Lib. 1 fen 2 doct.2.sum.1. cap 1.

y Lib. 4. de dignosc. pulf cap.1.

z Lib. 2. de causis pulf. c. 6.& lib 2.de præsag. ex pu f.cap.4.

a Lib. 4. colliget. cap.17.

b Lib de pulf. diff tract 1. cap. 26.

c Lib. 1. de pulsib. c. 27.

d Gal. lib.1. de diff. pu f cap. 28.

e Lib 1. de dignosc. pulf. cap.6.

f Lib. 4 de dignosc. pulf. cap.1.

Serrinus, vel motum habet in diuersis arteriæ partibus interruptum, vel diuersas arteriæ partes secundùm longitudinem inæqualiter eleuatas. Qui serræ dentes partibus motis seu liberè eleuatis, repræsentans, & quiescentibus aut minimùm distentis, medias serræ scissuras referens: inæqualiter durus est, & propriâ sede aliquantulum ad latera tensus vt ab Struthio [g] animaduersum legimus, nonnunquam dimouetur.

Tremulus, nullus verè pulsus esse videtur, quòd tremor partibus voluntariè motis tantùm aduenire soleat. [h] Nihilominùs ita vocari consueuit ille pulsus qui motum membri dum verè tremit causâ & symptomate imitatur. Cuius specialem rationem motûs nullus est quem legerim qui definitè doceat. Galenus enim [i] cùm tremorem formicantis pulsûs motui assimilet, & differentiam inter vibratum ac tremulum pulsum discendam ex his dicat, [k] quæ ab illo explicata fuerunt in libris de symptomatum causis: [l] videtur innuere tremulum parem esse formicanti. Verùm cùm formicans [m] sit mirè paruus, maximè languidus & creberrimus, non autem celer: tremulus verò, [n] nec magnopere paruus nec planè languidus: illos necessariò apud Galenum differre affirmandum est. In re ergo tam intricata, cùm huiusmodi pulsûs species non sit imaginaria; cuius fere omnes scriptores meminerunt, licet eadem Galeno ipso affirmante, [o] sit infrequens: ausim coniectari tremulum eum esse, qui aucto vsu & imbecillâ non prostratâ tamen facultate, fit in corpore gracili, arteriâ ex se molli laxâque (qualia solent esse plurimorum vasa) cuius tunica crassis humoribus imbibita grauior sit. Eum enim necessum est, trementis musculi motum imitari; cùm debilis facultatis conatui, corporis arteriæ humorum copiâ infarcti grauitas renitatur. Duo enim hæc, facultas scilicet, & sarcina corpus arteriæ grauans, reciproco enixu sibi inuicem inæqualiter resistentia, multiplicem inæqualitatem ex magnitudinis, vehementiæ, & crebritatis variatione compositam causant. Est ergo hic pulsus pro corpore arteriæ paruus, aliqualiter languidus (non tamen eòusque quin ferat moderatam applicationem digitorum) inæqualiter frequens & celer. Alij vt Struthius, [p] tremulum pulsum impropriè admodùm eum appellant, circà quem tendines musculorum digitos mouentium carpum perreptantes tremere sentiuntur. Quod in statu febrium apparens; nihil tale ante ægritudinem ex crapula & ebrietate aut naturæ vitio passis, lethale est.

Palpitare, non satis propriè de pulsu dicitur: ideòque neque palpitantis pulsûs vspiam Galenus clarè meminisse videtur. Nec mirum, palpitatio enim motus est omninò præter naturam, [q] à pulsu ex eo præsertim differens, quòd hæc non à facultate vt pulsus, sed à sola causa morbifica prodeat. [r] Attamen arteriæ possunt palpitationem pati, vt cor cæteræque corporis partes quæ dilatari & distendi possunt. [s] Imò arteriam manifestè palpitans quid subinde repræsentantem inueniri, idem Galenus [t] dixit. Quare cùm motus arteriæ à facultate vitali factus, & distensio ab inclusis vaporibus procurata simul concurrent: fiet ille pulsus, qui palpitans appellari consueuit. Quem maiorem quidem solito esse oportet; quòd arteria ab incluso flatuoso spiritu plurimùm distendatur: sed eumdem maximè inæqualem esse necesse est, in magnitudine, vehementia, celeritate, & crebritate, ob inæqualem generationem crassi flatus arteriam distendentis, & inæqualem occursum alterutrius motus à facultate facti, ac distensionis à flatibus excitatæ. Est præterea hic pulsus, inæqualiter arrhythmus: quòd cùm ex vsu sistolem maiorem & celeriorem requirat diastole, inæqualiter tamen vnam alterâ maiorem aut celeriorem habeat, prout inæqualiter facultas & vapores ad mouendam arteriam vicissim plus possunt.

Strepentis pulsûs Galenus [u] meminisse videtur: non vt particularis alicuius speciei pulsûs, sed vt conditionis pulsûs conuulsiui: quem ait veluti asperum quemdam strepitum ad tactum edere. Quoniam verò non omnis conuulsiuus illum veluti strepitum edit, atque eam asperitatem tactu perceptibilem præfert: celeberrimi nonnulli scriptores particularem pulsûs speciem exinde constituerũt, inter quos Saxonia [x] eius rationem optimè expressit. Qui strepentem illum motum, non in distensione sed in contractione aduerti docens, talem arteriæ motum dum contrahitur sub digitis percipi ait, qualis sentitur cùm quis ossa cruris aut brachij fracta simul componit, & partes altiores eum depressis accommodat. Neque tamen strepens dicitur, quòd strepitus is ab auditu sentiatur: sed quòd ex illo motu sub digitis percepto, æstimatiua sonum concipiat talem, qualem corpora consimiliter mota edere consueuerunt.

Hecticus demum pulsus, cuius mentio apud Galenum [y] habetur, nulla est particularis pulsûs species, sed conditio tantùm cuicumque compositæ inæqualitatis differentiæ adueniens. A perseuerantia enim talis motionis ita denominatur: quòd vt in hectica febre solidæ corporis partes habitum febrilis intemperiei contraxerunt, ita & hic pulsus non euariet, sed maneat in perpetuum similis.

Tandem pro varietate temperamentorum, non tam totius corporis, quàm cordis, pulsus ita euariant. [z] Naturâ calidi, magnum habent familiarem pulsum, & in vehementia moderatum: pro incremento verò caloris, tales, quales auctus vsus profert. Frigidi, paruum, tardum, rarum, & languidum

g Lib. 1. art. sphyg. cap. 22.
h Gal. lib. de trem. palpit. &c. cap. 3. 5. & 6.
i Lib. 1. de sympt. caus. cap. 2.
k Lib. 1. de præsag. ex puls. cap. 12.
l Lib. 2.
m Lib. 1. de diff. puls. c. 27.
n Cit. lib. 1. de præsag. ex puls. cap. 12.
o Ibidem.
p Lib. 1. art. sphyg. cap. 26.
q Gal. lib. 6. de plac. Hipp. & Plat. c. 1.
r Idem lib. de trem. palp. &c. c. 5. & lib. 2. de symp. caus. c. 1. & 2.
s Idem eodem cap. 2. lib. 2. de symp. caus.
t Cit. cap. 5. lib. de trem.
u Lib. de puls. ad Tyron. cap. 11. & lib. 4. de causis puls. cap. 17 eam tamen denominationem tribuit 4. de dignoscend. puls. cap. 2.
x Lib. 3. de puls. cap. 9.
y Lib. de puls. ad Tyr. cap. 8.
z Gal. lib. 3. de caus. puls. 3. Auicen. lib. 1. fen 2. doct. 3. doct. 3. cap. 8. Halyabbas lib. 7. theor. cap. 4.

etiam fortiuntur. Humidi, mollem. Sicci, durum. Alias autem differentias, tales, quales pro aucto aut diminuto vsu ab actiuarum qualitatum erasi, mollities aut durities arteriæ ferre potest. Inter eos autem quorum par quidem est primarum qualitatum temperatura ; sed corporis habitus constitutio dispar: graciles pulsus habent maiores & aliquanto vehementiores, sed rariores tamen. [a] At carnosi contrà, minores pulsus habent, crebriores minúsque vehementes.

Ætates, pulsuum differentias sic compositas fortiuntur. [b] Pueri sani & temperati, pulsus habent in magnitudine, & vehementia mediocres, celeres, frequentes, & molles. Iuuenes, magnos, vehementes; in celeritate, frequentia, & mollitie mediocres. Senes verò, paruos, tardos, raros, languidos, & duros.

Sexus tandem ita pulsus enariant ex Galeno. [c] vt viri pulsum habeant mulieribus maiorem, & vehementiorem, paulò etiam tardiorem, & rariorem, necnon minùs mollem ; imò & comparatiuè duriorem.

a Gal. eodem lib. 2. de causis puls. cap. 4.
b Eodem lib. 3. de caus. puls. cap. 5. Gal. Auic. & Halyabbas loc. ante citatis.
c Lib. de puls. ad Tyron cap. 9. & lib. 2. de caus. puls. c. 2.

De pulsûs differentiarum causis,

Capvt VII.

COMMVNES pulsuum causas superiùs explicantes eas quatuor esse docuimus: efficientem, formalem, finalem & materialem. Inter quas formalis ea est, quæ in explicata cordis arteriarúmque motûs ratione & modo speciali consistens, ex eo quòd multifariam euariet omnium pulsuum differentiarum est radix & formalis ratio. Omnis autem huiusmodi diuersitas pulsibus adueniens vel à mouentis seu efficientis diuersa vi, vel à varietate finis, seu vsûs ; vel tandem à dispari materiæ seu instrumenti moti dispositione nascitur. Efficiens, facultas est: quam validam, aut imbecillam, vel medij vigoris esse contingit. Vigor enim facultatis etsi in se sit semper idem: variat tamen pro aptitudine aut ineptitudine primatiæ in principe organo dispositionis. Ea autem temperies est, tam ex qualitatum primatum debita commoderatione, quàm ex conueniente substantiæ modo consurgens. Quæ secundùm qualitates quò magis ad perfectam temperaturam cordi debitam accedit ; & firmior est eiusdem visceris substantia: eò maiorem vigorem facultati secundùm actum conciliat. At quò maior est intemperies, & cordis caro laxior: eò etiam se prodit imbecillitas maior. Finis vt explicatum est, alius primarius est, alius secundarius. Ille nunquam euariat, sed vnus est atque idem perpetuò, caloris scilicet actualis conseruatio: cui motûs seu vniformis seu difformis perennitas satisfacit. Secundarius, qui diuersitatis in motu cordis & arteriarum aduenientis frequens est occasio, & vsus appellatur, duplex est; vnus diastoles, alter verò sistoles. Diastoles finis seu vsus, est caloris contemperatio, & ad spirituum vitalium generationem conuenientis materiæ attractio. [a] Sistoles vero vsus, est fuliginum, aut cuiuscumque noxij cor vel arterias infestantis expulsio. Et vterque vel auctus est, vel imminutus, vel moderatus. Ea vero inter vtrumque est eminentiæ disparitas; vt vulgò per vsum seu auctum seu diminutum, nisi præcisè sistoles exprimatur, vsum diastoles intelligamus. Materia, seu subiectum, & instrumentum motûs in pulsu, etsi sit cor & arteriæ: quia tamen arterias solùm tractamus, & ad earum præsertim constitutionem respicimus, eas absolutâ instrumenti voce vulgò subaudimus. In arteria autem mollitiem, duritiem, aut vtriusque mediocritatem aduertimus. Ex his ergo, facultate scilicet, vsu, & instrumento, variè mutatis & diuersimodè euariatis, omnis pulsuum differentia nascitur. Ac quoniam eædem sunt immediatæ variationis pulsuum causæ, à Galeno [b] continentes, internæ, essentiales, & synecticæ, primariæque à plurimis etiam appellantur. Quas ante mutationem aliquam pati necesse est, quàm variari pulsus queant. Neque enim quæ nobis naturalia sunt, temperamentum, ætas, & sexus; seu non naturalia, aër, cibus, & potus, motus & quies, somnus & vigilia, excretio, & retentio, animíque perturbationes ; aut demum quæ præter naturam existunt, causa morbi, morbus, & symptomata: pulsus priùs immutant, quàm aliquam ex illis tribus peruerterint. Vnde hæ secundariæ, remotæ, & mediatæ pulsuum causæ appellantur.

a Docet id Gal. 2. de caus. puls. cap. 6. dum inquit, atque vsus abundantiâ caloris augetur, vel exhaustio animalis spiritu.
b In principio lib. de caus. puls.

Essentiales autem illæ & primariæ, ita ad hos aut illos pulsus pro suo quæque genere efficiendos concurrunt: vt earum quædam per se & solæ pulsus quosdam semper & infallibiliter producāt, quos illis proprios esse dicimus: alios vero non semper, sed tales faciant, quatenus cum aliis causis aut vna aliarum coniunguntur, & huiusmodi pulsus tali causæ familiares appellamus. Sic facultas valida semper vehementem pulsum facit, debilis languidum, mediocris mediocrem: & necessariò ex pulsu vehementi, robustam esse facultatem sequitur, vt ex contrario contrarium. Magnus autem pulsus, robustæ facultati est familiaris, quem nec languida facit, nec robusta per se, nisi vt habet Galenus, [c] cum aucto vsu & arteria molli. Sed obiicies Galenum sibi hac in parte minimè consentire, qui cùm dixerit [d] pulsum magnum facultati validæ esse particularem, & [e] imbecillam facultatem etiam si vsus postulet vel celeriter vel multum attollere arterias non posse: aliàs [f] tamen dicat pulsum magnum

c Lib. 2. de causis puls. cap. 1.
d Lib. 3. de causis puls. cap. 2.
e Lib. 1. de causis puls. cap. 1.
f Lib. 3. de dignosc. puls. cap. 3. & lib. 4. cap. 13.

cum

cum languido coniungi posse, & [g] mollem arteriam, facultate etiam languida & infirmâ, facilè plurimùm attolli; necnon [h] pulsum vndosum cum magnitudine coniungi, licèt hic vt plurimùm à debili facultate fiat. Verùm ne Galenum aut nobis aut sibi ipsi contrarium esse existimemus: aduertendum est illum aliquando facultatis imminutum robur cum arteria mediocriter molli conferre; aliàs cum arteria quæ præter modum sit mollis, facultatis imbecillitatem tum leuem tum ingentem comparare. Cùm ergo frequentiùs remissum facultatis vigorem, cum priore illa arteriæ mollitudine conferat, negare consueuit, imbecillam facultatem posse arteriam plurimùm attollere & magnum pulsum facere; atque eò minùs quò eadem fuerit imbecillior.

Quando verò ad posteriorem rationem duo illa comparandi respicit, arteriam admodum mollem à facultate aliquantulùm etiam à natiuo robore declinante, plurimùm & faciliùs quàm duram à robusta extendi posse affirmauit: eamdem verò à facultate admodum imbecilla plurimùm eleuari posse nunquam existimauit. Vt autem validæ facultati vehemens pulsus est proprius, & pulsus magnus eidem est familiaris: ita arteria dura, & perpetuò durum pulsum facit, & hic cum illa semper apparet; eadem verò familiarem habet pulsum paruum, quòd arteria quæ dura est, plurimû extendi nequeat. Non tamen quotiescúnque pulsus paruus est arteriam etiâ duram esse inferre licet: quoniam paruus pulsus à pluribus causis nascitur. Similiter arteria mollis mollem pulsum facit; at eadem sibi familiarem habet magnum, quòd illa facilè extendatur: modò nec facultas fuerit plurimùm languida, nec imminutus sit vsus. Vsus nullum pulsum habet proprium, varios autem familiares: prout coniunctim habet facultatem robustam aut languidam, arteriámque mollem aut duram.

Sed vt quis pulsus aucto vsui aut diminuto magìs minúsue sit familiaris intelligatur, luce quærendum est quo primùm pulsu aucto vsui, móxque eidem auctiori satisfacere natura conetur: tum qua primùm viâ diminuto vsu, in immutando pulsu progrediatur. In quo maximè inter se dissentire Galenum & Fernelium inuenio. Galenus [i] enim aucto vsu, primò magnum, tum celerem, tandem frequentem pulsum fieri voluit. Cui astipulantur Auicennas, [k] Halyabbas, [l] Struthius, [m] & Mercatus. [n] At diminuto vsu, ijdem censent primò rarum, tum tardum, ac tandem pulsum paruum fieri. [o] Atque id quidem si facultas robusta fuerit, & arteria mollis: quoniam facultate imbecillâ, aut arteriâ durâ, magnitudinis vicem supplet celeritas; maiore autem subueniente facultatis imbecillitate, aut duritie arteriæ, vtriusque defectus maiore crebritate suppleretur: semperque in diminuto vsu ea differentia anctum vsum sequens, primùm tollitur, quæ vltimò asciscitur. Fernelius [p] contra, tam validâ quàm inualidâ facultate primam pulsûs mutationem non in magnitudinem, sed in celeritatem fieri docet, cui deinde celeritas, ac tandem magnitudo accedat. Vbi præterea Galeno manifestè imponit, quòd dicat, eum velle pulsum omnem vrgente necessitate statim & ipso initio magnum euadere seu valida seu imbecilla sit facultas; & celeritatem nunquam sine magnitudine inueniri: cùm Galenus apertè contrarium doceat. [q] Verùm Galeni sententia ratione & experientiâ omnino est potior.

Certum enim est naturam quod melius est semper moliri; at melius est, multo frigido aut pauciore celeriter attracto ad calorem temperandum vti (quoniam eius vis sic commodiùs obtunditur) quàm pauco, lentè, sed frequenter attracto. Experientiâ item docemur in febribus celeritatem semper crebritatem præcedere: necnon in aliis aucti vsûs occasionibus vt in exercitiis & ira ac similibus cum quibus facultatis robur integrum conseruatur, præter magnitudinem, tum alias aucto vsui familiares differentias sequi aduertimus. Quæ cùm ita sint, & cum aucto vsu facultas frequentiùs imbecilla sit quàm robusta aucto vsui pulsum celerem magìs familiarem esse crediderim quòd facultas aucto vsui satisfactura, frequentiùs in eo sit statu constituta in quo ei faciliùs sit celerem pulsum facere quàm magnum, & possit maius à celeritate quàm à crebritate emolumentum capere. Diminuto vero vsui magìs familiaris pulsus, est paruus: quoniam cùm ad tuitionem caloris, motûs licèt parui perennitas sit satis: ad remissi caloris contemperationem, pauca frigidi aëris attractio satisfacit.

His ergo præmissis ad singulas particularium differentiarum causas explicandas veniamus, à magno pulsu incipientes. Qui ab vsu aucto facultatem robustam prouocante, cum arteria molli, quæ mouenti facultati facilè obedit, nascitur. Ideóque semper indicat non inualidam esse facultatem, arteriam mollem esse, aut saltem non duram, ac liberam & minimè à circumstantibus corporibus pressam: necnon calorem esse temperato maiorem: vel saltem spirituum à labore aut prompta inanitione moderatam factam esse defectionem, & quæ facultatem nondum debilitarit. Vtet autem vsus facultatem excitet, ab alterius ordinis signis petendum est: ab antecedentibus scilicet causis, & corporis colore rubro, vel pallente, ac consimilibus. Eò verò maior semper fit pulsus, quò auctior est vsus: & maximus tandem euadit, si validissima facultas arteriam sufficienter mol-

lem

g Cit. lib. 1. de causis puls. cap. 3.
h Lib. de pulsib. ad Tyrones cap. 8.

i Lib. 1. de caus. puls. cap. 5. & 7. lib. 2. & 3. de præsag. ex puls. vtrobique cap. 2. & lib. 1. de difficu. respi. cap. 10.
k Lib. 1. fen 2. doct. 1. cap. 6.
l Lib. 7. theor. cap. 4.
m Lib. 3. art. sphyg. cap. 2.
n Lib. 2. de puls. tract. 3. cap. 1.
o Gal. lib. 1. de præsag. ex puls. cap. 4.
p Lib. 3. pathol. cap. 5.
q Locis antea cit. toto cap. 3. & 4. cit. lib. 3. de præs. ex pulsibus.

lem nanciscatur, & vsus vsque ad maximum illud incrementum peruenerit, cum quo facultatis vigor integer consistere valeat. Vbi difficultas occurrit, num facultas possit cum vsu plurimùm aucto permanere robusta. Cui respondemus, vsum quidem augeri calorè in nobis superaucto: id autem accidere, vel per impressum cordi calorem, & calidam intemperiem in aliqua eius substantiæ portione contractam, vel per calorem spiritibus ab externa aliqua causa & procatarctica impressum, qui in cor diffundi incipiat, ab eo tamen nondum hoc supercaluerit. Si ergo ob calidam cordis intemperiem in facto esse, vsus augeatur: quia ex Galeno [s] cùm quacumque cordis intemperantia facultas imbecilla redditur, fieri non potest aucto inde vsu facultatem simul esse robustam. Si verò ex intemperie solùm in fieri, vsui incrementum adueniat: nihil vetat robustam simul esse facultatem, & pulsum fieri maximum, quo natura nitatur ad occurrentem infestum calorem obtundendum, frigidum aërem quàm copiosissimum potest attrahere.

[s] Lib. 3. de præsag. ex puls. cap. 2.

Paruus autem pulsus, vel fit à facultate debili, si simul sit languidus; vel ab arteria dura; si item sit durus; vel ab imminuto vsu facultatem minùs ad extensionem instrumenti irritante; vel à pluribus causis ex his simul concurrentibus. Ac tum quidem minor efficitur, cùm vel imminuto vsui, vel duritiei arteriæ, facultatis imbecillitas sociatur. Minimus verò, si maxima fuerit vsûs diminutio, arteriæ summa durities; aut extrema facultatis imbecillitas: sic enim tandem deuenit ad ἀσφυξίαν.

Mediocris ab eisdem causis in medio excessûs & remissionis consistentibus, generatur: & simile in reliquarum differentiarum mediocri pulsu dictum putetur. Verùm aliquando pulsus in arteriis mediocris apparens, minùs diligenti Medico imponit; dum in corde vehementior, maior & celerior iustò sentitur. De cuius inæqualitatis causa infra, cùm de causis singularis inæqualitatis in celeritate agemus. Aliàs tam in corde quàm in arteriis pulsus mediocris esse sentitur, qui ex Galeno [t] vel optimos etiam Medicos aliquando fallit, cùm inæqualis est temperies corporis cordis, & substantiæ in ventriculis contentæ: ac præsertim cùm illud quidem per innati calidi exolutionem frigidius est, contenta verò contra, per feruorem putredinosum iustò calidiora existunt. A tali enim sibi inuicem aduersantium temperierum concursu, vsus seu necessitas distensionis temperatur: cùm interim talis constitutio sit pessimi moris & pestilentis affectûs comes.

[t] Lib. 3. de præs. ex puls. cap. 1.

Quem vel ex eo discernimus, quòd talis tunc populariter grassetur: vel ex prauitate & inæqualitate symptomatum, quæ tum vitalis facultatis tum aliarum, naturalis scilicet & animalis læsionem sequuntur.

Altus à valida aut mediocri saltem facultate fit, quæ ab vsu plurimùm aucto irritata, in altum quidem commodè arteriam eleuat, non item in latum, quòd circumstantes partes arteriam lateraliter comprimant: talisque pulsus ex Galeno, [v] in iratis aduertitur, modò hi non sint macilenti: necnon & in his qui mox in morbis per crisim iudicandi sunt.

[v] Lib. 2. de caus. puls. cap. 13.

Humilem vel profundum, facit facultatis imbecillitas, cum corporis crassitie arteriam in profundo continente, aut crassa & rugosa superextensa cute: seu ea imbecillitas oriatur ab spirituum exolutione, seu ex aggrauatione, vt in principiis accessionum febrilium aduertimus.

Latus, causam habet facultatem aliquantulum à naturali robore deficientem, cum arteria quæ in loco secundùm latera libero moueatur, supernè autem comprimatur, à cute quæ imbuta sit crassis & aggrauantibus succis: vel ab eadem rugosa aut aliundè exsiccata, vt fit in senibus & gracilibus quorum habitus nondum exsiccatus est, itémque in ijs qui recèns maximéque per sudores iudicati sunt, ipsisque etiam hydropicis: vt à Galeno [u] animaduersum est.

[u] Loco recens citato.

Angustus, qui simul est gracilis, si cum angustia sit depressus: fit à languida facultate, & duro tum corporis habitu, tum ipso arteriæ corpore.

Longus corporis gracilitati maximè est familiaris. Is autem vel à debili fit facultate, si angusto vel humili societur: vel solam corporis gracilitatem sequitur, si idem in aliis quantitatis differentiis mediocris extiterit.

Breuis tum aduenit, cùm breuis arteriæ portio sub cute eminet, reliquæ verò eiusdem partes vtrinque in profundum demerguntur: quem si in latum & altum extendi contingat, turgidus fit; qui à gibbosa conformatione arteriæ qualis est in paruo aneurismate; vel à corporis crassitie, aucto vsu, & robusta facultate efficitur.

Celerem non magnum, facit facultas paululùm à natiuo robore recedens, si ab aucto vsu excitata, arteriam ad motum ex mediocri mollitie facilem, distendat.

Tardum verò, vel imbecilla facultas, vel vsus diminutus, vel arteriæ durities, vel aliquot ex his coniuncta efficiunt: ac summa quidem tarditas tum incidit, ait Galenus, [x] cùm calor natiuus extinguitur.

[x] Lib. 1. de præs. ex puls. cap. 5.

Frequentis, nec magni, nec celeris, causa, est vsus auctus, cum imbecilla admodum facultate, aut arteria admodum dura.

Rarum verò, qui nec magnitudini nec celeritati iungitur, languida faculeas facit, cum magna vsûs diminutione: vt maximè rarum ex Galeno, [y] caloris insiti extinctio. Quem si non longè minorem iustò, tardiorem, & languidiorem esse accidat: spiritus aut sanguinem, in finibus cordis aut vicinis partibus contentum, magnâ frigiditate corripi denotat. Sicque affecti [z] è vestigio pereunt. Si verò vt rarissimus, ita languidissimus, tardissimúsque sit, & minimus: ingentem eam frigiditatem corpus cordis occupare indicio est. [a]

y ibidem.
z Gal. lib. eodem. cap. 4.
a Gal. ibidem.

Vehemens omnis, nascitur à robore facultatis: quæ quoniam robustissima est in temperatissimis, hi etiam pulsus habent vehementiores cæteris, & in vehementia perseuerantes. Quòd si contigerit eosdem ad facilè mobilem quamdam calidam intemperiem ex ira aut meri potu incidere, eos ipsos maiorem etiam in pulsu vehementiam edere aduertimus. [b] Quod non ex accrescente nouo robore aduenit. Sed vt docet Valesius [c] cum Galeno, [d] quod eadem facultas prout varium vsûs augmentum expostulat, aliquando maiore conatu, aliàs minore arteriam moueat.

b Gal. lib. 1. de caus. puls. cap. 7.
c Lib. 3. cont. cap. 10.
d Lib. 4. de caus. puls. c. 2.

Languidus contra, à debili facultate oritur: quam vel verè debilem esse contingit ob cordis distemperantiam, magnámue spirituum exolutionem ab animi pathematibus, vigiliis, ieiuniis, immodicis exercitiis, venere, aut aliundè ortam: vel apparenter, quando scilicet à succorum copia facultas opprimitur, & naturalis caloris suffocatio imminet. Sed ea est inter vtramque veram scilicet & apparentem imbecillitatem diuersitas: quòd in vera, pulsus sint æqualiter languidi; In apparente verò inæqualiter, dum facultas per certa interualla se erigere conatur, & eniti in eam succorum copiam qua opprimitur.

Durus, duræ arteriæ est soboles. Durescit autem arteria, vel ob siccitatem, vel ob contractionem à frigore, vel demum à tensione quam tumor præter naturam tam arteriis adnatus quàm in membranis, neruis, aut tendinibus genitus, vel vasorum infarctus excitat. Seu vasa secundùm cauitates ex Galeno, [e] seu secundùm tunicas, tam à pituita viscida & crassa, quàm ab alio humore infarciantur. Licèt ab hac vltima causa, non tam dura quàm renitens dicatur arteria: vt ex eodem Galeno discere possumus in libris de simplicium medicamentorum facultatibus, [f] vbi de exsiccationis causis fusè agit.

e Lib. 4. de praesag. ex puls. cap. 8.
f Lib. 5. c. 5.

At mollis, à mollitie arteriæ seu instrumenti nascitur. Quæ vel naturalis est in molli habitu, vt puerili & muliebri, vel præter naturam, à balneis, ciborum humidorum longiore vsu, & humido morbo hydrope videlicet, contrahitur.

Eurhythmus ex nostra sententia, fit seruatis in pulsu magnitudinis, celeritatis, frequentiæ, vehementiæ & mollitiei, differentiis cuique ætati proportionalis; ex vsûs, facultatis, & instrumenti dispositione præsenti ætati conueniente: cum quibus mensura temporis ad integram pulsationem complendam necessarij, obseruatur. Necnon ex caloris generandorúmque spirituum necessitatis ad ætatem conformitate, ac fuliginum copiâ non maiore, quàm cuique ætati conueniat: vnde celeritatis diastoles ad celeritatem sistoles cuique ætati debita proportio, rhythmum complens, retinetur.

Arrhythmus, nascitur ab altera proportionum non seruata: vel propter alterutrius vsûs excessum, aut defectum: vel ob facultatis robur ætati non proportionatum: vel ob instrumentum aliter quàm per naturalem ætatis constitutionem deceat affectum, vnde & absolutas differentias pulsûs, aliter quàm ætati conueniat euariari contingit; maiúsque aut minus tempus quàm pro ætate deceret in vna pulsatione insumi: & proportionem celeritatis vnius motûs eiusdem pulsationis ad alterum, minimè seruari.

Æqualium pulsuum causa, est æqualis synecticarum causarum concursus: vt inæqualium, inæqualis partium cordis intemperies, disparque vsûs necessitas, & inæqualis facultatis oppressio, necnon impar instrumenti constitutio: seu isthæc diuisim, seu coniunctim occurrant.

Ordinati, fiunt à firma & fixa inæqualitatis causa: vt inordinati, à vaga & non fixa. [g]

g Gal. lib. 2. de caus. pulsuum cap. 15.

Systematica inæqualitas completa ab obstructione arteriarum propè cor, ac frequentiùs leuium arteriarum pulmonum oritur. Ex eo quòd spirituum transitu, vel aëris ad refrigerium attractione vel fuliginum expurgatione minimè liberis: cum maxima inæqualitate augmenti & imminutionis veri vsque vsûs, facultatis conatus ad causas instrumenta vitiantes superandas, fit maximè inæqualis. Euidentiorem autem hanc inæqualitatem, & magis variam esse continget; si cum instrumentorum vitio, facultas etiam inæqualiter sit affecta, & cor vt notauit Galenus, [h] inæquali intemperie laboret.

h Lib. 2. de caus. puls. cap. 2. & lib. 3 de praes. ex puls. cap. 4.

Inter pulsus systematicè secundùm quid inæquales μύουροι causam agnoscunt facultatis imbecillitatem tam veram quàm apparentem. & vsûs diminutionem per sensibiles imminutionis consequentes gradus sensim ad defectum inclinantem. Quòd si vtriusque præsertimque roboris facultatis imminutio sit maxima, fiunt deficientes: sin minor in qua consistant, simpliciter decurtati producuntur. Inæquales, si facultatis vigor per oppressionem à succorum copia debilitatus, in-

æqualiter ad remissionem progrediatur,ob varium conatum facultatis nitentis erigere se aduersus materiam à qua opprimitur. Reciproci verò fiunt, quando per aliquod tempus facultas admodum oppressa vires aliquantisper resumens erigitur : ac tum præsertim cùm materia grauans vel opprimens à naturali facultate secundùm quid euinci,aut aliqua ex parte expelli incipit;quales aliquando natura crisim,aut insensibilem solutionem inchoante aduertimus.

Intermittens,fit vel à facultate seu per spiritûs influentis dissolutionem,seu per essentiam vt loquuntur admodum infirmâ; quæ simul languidos,paruos & tardos facit pulsus : vel à minùs quidem infirmâ;sed cum qua sociatur instrumentorum vel compressio vel obstructio,ad quam tollendam nimio enixu defatigata facultas,cogitur aliquando intermittere. Compressionem pulsûs paruitas indicat:quam à tuberculo aliquo duro,aut ab inflammatione fieri; tum ex celeritate aut tarditate (pro cuiusque affectûs conditione) paruitati coniunctâ; tum ex præsentia aut absentia aliorum signorum inflammationem à tuberculo distinguentium detegemus.

Obstructionem verò ab humoribus quidem fieri,plenitudinis aut cacochymiæ signa indicabunt, & inæqualis vehementia ac magnitudo pulsûs : à vaporibus autem crassis tam melancholicis quàm alterius generis,vehementiæ ac magnitudinis notat æqualitas; & quòd reciprocata illa intermissio præter magnam quam seruat inæqualitatem per multum tempus non duret.

Intercurrens,fit ab aucto vsu,& temperandi caloris,aut generandorum spirituum necessitate increscente: cui cùm facultas aliquantulùm debilior nequeat prout expediret satisfacere , ab instrumentorum scilicet pondere & oppressione impedita,aduersus causas noxias decertans , vnam pulsationem aut plures aliquando crebritate inæquales interponit. Estque tunc hic pulsus futuræ criseos indicium,cùm ea fuerit aliundè indicata.

Dicrotus non durus,fit concertante facultate ad satisfaciendum duplici distensionis & contractionis vrgenti necessitati:quando scilicet & calor qui temperari expostulat magnus est , & nulla adest fuliginum copia expellenda. Quo casu dum ad frigidum aërem attrahendum facultas diastolem facit,eamdem interrumpere cogitur, & arteriam contrahere pro fuliginum expulsione : vincente autem distensionis vsu, breui admissa retractione aut sistole,diastolem repetit; & quasi coincidentem binam pulsationem facit. Vel secundò si contigerit tuberculum in pericardij ea parte nasci quam cordis contracti cuspis attingat:dum per sistolem cor prolongatur sentiens eius facultas allisione ad tuberculum offensa,contractionem absolui non patitur , & pulsatilem vim ad præcipitem alteram distensionem faciendam prouocat.

Rhythmum vt æqualem aliquandò esse contingit,quando internæ & proximæ pulsûs causæ inuicem sunt conformes,& in ea conformitate constantes: necnon cùm celeritas diastoles est æqua celeritati sistoles,ob parem vtriusque vsûs necessitatem. Quæ æqualitas, in pueris temperatis aduerti potest: in quibus non solùm vsus,facultas,& instrumentũ conformiter disponuntur, sed etiam quanta in illis est necessitas refrigerij ad contemperandum calorem quo abundant , tanta indigent fuliginum expulsione , quòd hæ plurimæ in eis generentur , cùm multo indigeant alimento. Ita eumdem aliâs inæqualem esse accidit: seu cùm pro variato vsu , robore facultatis, & instrumenti dispositione;pulsûs magnitudo,celeritas,aut crebritas variatur;vnde tempus illud quod in diuersis pulsationibus complendis absumitur inæquale euadit : seu cum necessitas vsûs diastoles & sistoles dispar est: vnde celeritas vnius,alterius celeritati inæqualis redditur. Vt si quando calor quidem plus solito intendatur,fuliginosa verò excrementa non generentur copiosiora quàm antea,diastole, celerior euadit sistole: aliâs quando fuligines aut putres vapores multo plures quàm solerent spirituum substantiæ permiscentur,calor autem parùm vltra consuetum adauctus est:sistole,celeritate diastolem superat. Est autem ea inæqualitas,naturalis aliquando, aliâs non naturalis : in adolescentibus enim cùm minor fuliginum copia generetur quàm magna sit caloris intensio,solet arteria celeriùs extendi quàm contrahi: in his verò qui ad senium vergunt,contractionis celeritas magìs ac magìs imminuitur,quòd per eam ætatem imbecillus calor parciores fuligines generet. Sic per diuersa temperamenta consimilis variatio adnotatur. Ex causis item præter naturam, par inæqualitas aduenit : in febribus enim ephemeris vlteriùs multò calor intenditur quàm fuligines increscant. Contra in putridis,præ caloris incremento fuligines multò abundantiùs redundant.[i]

Singularis inæqualitatis prima differentia,erat pulsus intercisus : qui ex Galeno[k] quidem fit ab inæquali intemperie diuersarum partium cordis,non tamen magna:quando scilicet aliæ calidæ sunt quæ distensionem ad refrigerium expostulant , aliæ frigidæ quæ tanto refrigerio non indigentes motum in medio cunctantur,quem calidarum necessitas reassumit,vel celeriorem, vel tardiorem, pro maiore aut minore necessitate quàm ab intercepto motu persentiunt. Vel secundò crediderim intercisum fieri,cùm,molli admodum arteriâ,& debili facultate , auctus est vsus : sicut potest contingere in hydropico,sene,irato. Tunc enim arteria mollis plurimùm quidem distendi potest , vsu

i Gal. lib. 2. de diff. feb. cap. 7 & lib. 3 de præsag. ex puls. cap 7.
k Lib. 2. de præs. ex puls. cap. 7.

id expetente: quoniam autem debilis vtcumque facultas, non potest continuo impetu tantam extensionem facere, quantam ferret arteria, quiescit motúmque intermittit in via. Non aliter, atque is qui graue pondus per longum iter deferens, interposità quiete, defessas vires in media via refouere conatur. Præterea ex Saxonia[l] ea intercisi species in qua non tam intercidi quàm intercipi motum accidit, quando scilicet quies mediæ distensioni superueniens nullum habet consequentem motum: tunc fieri videtur, cùm in pericardio ad cordis basim adnatum est tuberculum aliquod flatulentum & per interualla concidens, à quo, quia cor dum diastolem facit eà parte læditur à qua motus incipit, vitalis facultas suo organo carens tunc cogitur ab ea maiore extensione desistere, quam vsus requireret, arteria ferret, & facultas posset absoluere.

Impar citatus, ex Galeno,[m] fit à facultate per oppressionem aliqualiter debili, quæ ab vsu aucto ad magnum pulsum faciendum excitata, plurimùm quidem arteriam cedentem extendit, sed impari & inæquali celeritate: quòd ea humorum copia quæ arteriæ tunicas per earum substantiam affusa grauat, æqualitati motûs resistat, quem tamen non interrumpit vt in interciso, quòd intercisi effectrix facultas imbecillior sit quàm quæ imparem citatum facit.

Dicrotus vibratus, fit à robusta facultate, aucto vsu, & dura arteria, vt apud Galenum legitur:[n] modo partes arteriam circumstantes, sint molles, & laxæ. Valida enim facultas, ab incremento caloris irritata ad arteriam plurimùm distendendam: cùm eam minùs quàm ferat impetus dilatare ob duritiem queat, totam sursum eleuat, & à propria sede dimouet. Quoniam autem vt vsui satisfiat, arteriæ distensio in longius tempus protrahitur, quàm eadem sursum eleuata possit extra propriam sedem consistere bina quasi pulsatio sentitur.

Dicroti seu bis pulsantis tertiæ & quartæ speciei causa, quia cùm differentias explicaremus fuit expressa: illam inde petere, neque hîc eamdem repetere oportet.

Eminulus & prominulus licèt aliquando ex Galeno[o] à naturali conformatione arteriæ fieri dicantur: tamen præter naturam etiam accidunt, in his qui ad marasmum inclinantes, facultate iam imbecillà vt idem Galenus[p] notat, inæqualem arteriarum siccitatem contraxerunt. Nam vt animaduersum est ab Struthio,[q] facultates seu potiùs impetus qui à corde diffunditur, partibus minùs duris, meliùs & expeditiùs ad motum vtitur, durioribus autem deteriùs.

Myuri, secundùm arteriæ longitudinem, fiunt[r] à facultatis imbecillitate, quæ nequit pari vigore mouere & eleuare partes arteriæ à corde remotas, ac propinquas.

Sed quoniam ille sensus remissionis motûs secundùm longitudinem arteriæ, aliquando sequitur diuersam compressionem digitorum palpantis qui molliùs deinceps & æquali digitorum appositione contrectans arteriam, eius motum maiorem, vehementiorem, & magis æqualem esse aduertit: aliàs quomodocumque attingatur arteria seu molliter, seu cum maiore compressione, semper languidè & cum prædicta inæqualitate moueri sentitur; oportet Medicum cum vtraque tangendi ratione arteriæ motum examinare. Qui si talem motum ex compressione digitorum aduenisse notauerit, mollitiem arteriæ, potiùs quàm facultatis imbecillitatem causabitur: sin verò vtcumque attingatur arteria, parem semper mutilationem agnouerit, eam omninò ad facultatis imbecillitatem referet.

Decurtatus reciprocus, & antimyurus, ex arteriæ quadam naturali conformatione nascuntur, si familiares sint: seu media arteriæ portio, aut quæ cordi propinquior est, crassiore sit & duriore tunica seu in profundo magis lateat. Quòd si insolitus sit huiusmodi pulsus, non nisi ab inæquali partium adiacentium compressione, procedit.

Inæqualitas celeritatis sub diuersis digitis percepta, ab inæquali oppressione partium arteriæ, facultate satis robustâ proueniti: tunc enim cùm facultas ex se totam arteriam pari contentione attollere valeat, tamen non æquè celeriter eas partes extendit, quæ crasso humore imbutæ sunt aut aliundè pressæ, ac liberas. Sic ex Galeno,[s] cum arteriæ contrà ac cor affectæ sint: hoc scilicet iusto calidiore, illis verò frigidioribus, ex eo quòd frigidiores humores nondum putrescentes contineāt: ea inter cordis & arteriarum motum interuenit inæqualitas, vt cum ambo vnà contentione distendantur & contrahantur, simul quidem moueri incipiant, cor verò maiore, vehementiore, & celeriore motu moueatur, quàm arteriæ, quas eo casu, moderato & naturali motu moueri contingit. Verùm vnà manu cordi admotâ, alterâ verò arteriæ, disparitas motûs, & affectûs causa innotescet.

Quòd si arteria qua ratione dictum est sit affecta, simul autem adsit imbecillitas facultatis; fiet pulsus sub diuersis digitis interruptus: quòd impetus arteriæ impressus eam quidem partem quæ grauiore onere opprimitur non eleuet, alias vero moueat quæ liberiores sunt: atque has etiam inæqualiter aliquando; quod hæ disparilitet adhuc, sint à leuiore onere impeditæ.

[l] Lib. 5. de puls. cap. 40. & 41.

[m] Lib. 2. de caus. puls. c. 5

[n] Lib. eodem cap. 6.

[o] Lib. 2. de præs. ex puls. cap 11.

[p] Lib 2. de causis puls. cap. 10.

[q] Lib. 3. art. sphyg cap. 14

[r] Gal. lib. 2. de præsag. ex puls. cap. 10.

[s] Lib. 3. de præsag. ex puls. cap 3.

Reliquarum autem simplicium differentiarum causæ, ex his que hucusque docuimus manifestè colligi possunt. Quare ad compositarum differentiarum causas exponendas transeamus.

Ex quibus primo occurrit pulsus vndosus: qui ex inæquali potiùs arteriæ mollitie, quàm à facultatis imbecillitate nascitur. Nam aliquando ex Galeno, [t] & cum facultate non valida apparet, in humidis scilicet & pituitosis morbis, cùm ipsa solida corpora nimio humore imbuta emollita sint: & cum facultate mediocriter firma, quando altitudinem præterea, & mediocritatem in vehementia nanciscitur, decretorium sudorem vt Galenus [u] docuit significans.

Vermicularis, mollitiem etiam arteriæ sequitur: sed simul oportet facultatem esse admodum imbecillam, imbecillitate natâ à dissolutione quam insignis aliqua vacuatio fecerit. [x] Is enim vt testatur Galenus, [y] minimè prauus est. Quod tamen ita accipiendum est, vt vermicularis pulsus virium non extremam dissolutionem à vacuatione ortam significans, per se quidem minimè prauus sit, & nullius cacoethiæ indicium: prout tamen ipsa vacuatio ratione causæ ex qua oritur aut peior aut minùs mala est, ita hic pulsus maioris aut minoris periculi sit index. Non enim par imminet periculum ex imbecillitate consequente hæmorrhagiam ex vulnere; atque aliam quæ antiquâ anastomosim vasorum, aut visceris imbecillitatem sequitur. Nam cùm his mederi difficiliùs sic quàm illi: periculum est quando à prægressa iam vacuatione ad tantam imbecillitatem peruentum est, ne antè pereat æger quàm supprimi vacuatio possit.

Formicans, fit quando cum vsu aucto facultas extremè imbecilla est. Hic autem non necessariò vermiculantem consequitur, vt voluit Auerrhoes: [z] imò vt docet Capiuaccius, [a] ne quidem vnquam. Quoniam facultatis imbecillitas quæ in vtroque agnoscitur, non ab eadem causa secundùm magis & minùs tantùm differente prodit: sed à dissimilibus admodum causis oritur. In vermiculante quidem, à dissolutione vacuationem consequente: in formicante verò vt probat Galenus, [b] à dissolutione quam cachoetes & maligna febris inferat.

Vibratus, ex Galeno [c] causam habet validam facultatem, instrumentum durum, & vsum auctum. Cùm enim robusta facultas ab aucto vsu ad magnam extensionem faciendam excitetur quàm arteriæ durities fieri non patitur: vehementi illo conatu arteriam quam pro vsus necessitate distendere sufficienter nequit, totam extra propriam sedem eleuat, & vibrationem ea ratione facit. Verùm ex Mercato [d] nonnunquam à causa morbosa, & vapore per arterias effuso, corpus quidem arteriæ à propria sede per aliquas sui partes eleuatur: ab imbecilla verò facultate cùm parua fiat totius arteriæ diastole, inæqualitas ea sequitur in qua quædam arteriæ partes veluti in arcum attolluntur, eùm aliæ depressæ percipiantur.

Conuulsiuus ex consensu cerebri & cordis, necnon neruorum & arteriarum nascitur: solétque ex Galeno, [e] & Struthio [f] in epilepticis adnotari: necnon ex Saxonia [g] imminentes conuulsiones cum febre, vel extra febrem, prænunciare.

Serrinus, sequitur inflammationem partium neruosarum, ac maximè vt Galenus [h] notat membranæ costas succingentis: præsertim quando magna est inflammatio, & à bilioso sanguine excitatur. [i] Huiusmodi autem pulsus non quidem ab inæquali arteriæ duritie fit: quòd nulla possit excogitari exhalationis aut vaporis à tumore pleuræ emanantis in corpus arteriæ insinuatio quæ arteriam saltuatim induret. Sed is fit à tensione externæ & communis membranæ cum pleura continuæ: cui tenuis altera arteriæ propria, illi contigua, frequentibus fibris rectis intertexta, compatiens, eà ssiorem internam tunicam liberè dilatari non permittens, eam per intercupta interualla inæqualiter eleuari cogit. Ita ex pari casu, sed dispari causâ, à potu frigidæ serrinus etiam pulsus aliquando efficitur. Et in vehementiore pleuritide aucto per febrem vsu, facultate tamen nec satis firmâ, nec plurimùm imbecillâ, cùm arteria plurimùm dilatari nequeat, nonnunquam propriâ sede mouetur, & à pollice ad pollicem, seu per carpi latitudinem & ad latus aliqualiter contorquetur.

Tremuli causas, ac palpitantis dicti cùm de differentiis ageremus explicare oportuit: quas hîc repetere inutile iudicamus.

Strepentem (qui rarò apparet, & vt plurimùm ad paucum tempus durat) fieri dicimus, Saxoniam [k] ex parte imitari, arteria inæqualiter durâ, & facultate vel robustâ, vel summum impetum extremi conatûs edente, & plurimùm aucto contractionis seu sistoles vsu ob quidpiam naturæ admodum infestum, quòd cordis ventriculis aut grandiorum arteriarum cauo conclusum sit, vel adnatum.

Sic Schenckius meminit, aliquando ex glandulosa carnis substantia in sinistro cordis ventriculo enata: animaduersum fuisse pulsum qui præterquam mirè erat inæqualis & varius, contractionem præterea habebat manifestè sensibilem, & qui in contractionis conatu plurium pulsationum tempus insumebat, naturâ inconsueto molimine rem tam importunam expellere nitente.

[t] Lib. 2. de præsag. ex puls. cap 9.
[u] Loco recens cit. & lib 1. de crisib. cap. vlt.
[x] Gal. lib 3. de caus. puls. cap. vlt.
[y] Lib. de pul. ad Tyrones cap. 11.
[z] Lib 4. colliget cap. 18.
[a] Lib. de pulsib tract. 4. cap. 5.
[b] Lib. 3. de causis puls. cap. 17. & vl.
[c] Gal. lib 2. de caus. puls. cap. 6 & lib. 1. de præsag. ex puls. cap. 5
[d] Lib. 1. de differ. puls. tract. 1. c 26
[e] Lib. 2. de caus. puls. cap. 12.
[f] Lib. 3. art. sphyg. cap. 19.
[g] Lib. 1. de puls. cap. 12.
[h] Lib. de puls. ad Tyr. cap. 11.
[i] Gal. lib. 4. de caus. puls cap. 8.
[k] Lib. 1. de puls. cap. 9 c.
[l] Lib. 2. obs. r. medic obseru. 199.

Sæpius tamen ad solius vaporosi alicuius corporis molesti in corde conclusi expulsionem moliendam natura hoc pulsu vtitur. Nam is ad paucum tempus durare aduertitur, vt à Saxonia adnotatum est in illustri illo Ioanne Bellonio Canonico Parauino, & à præstanti Doctore Medico Domino Tomello nunc Societatis Iesu Religioso, in tabida & moribunda vxore Domini Remundi Muleti Eruditi Chirurgi. Cuius casum mihi per id tempus ægrotanti communicauit prædictus Dominus Tomellus, ipséque maritus confirmauit: quidum sibi primò & casu contigit arteriam raro eo motu agitatam attingere, suspicatus est aliquid in vxoris brachio rumpi. Pulsum autem illum Schenckij ideò hîc retulimus; quòd ad strepentem ratione causæ, non autem ratione motus accedat.

Hecticus tandem à perseuerantia & firmitate causæ quamcumque differentiam facientis oritur. Vtque constans est is affectus, ita illum non tam in spiritibus aut humoribus, quàm in solidis partibus fixum esse, rationi consentaneum censeo.

Ex quibus omnibus, cùm cæterarum compositatum differentiarum causas colligere liceat: qui plura desiderabit ea præsertim apud Galenum [m] quærat. Apud quem causas pulsuum pro varietate sexûs; pro diuersis temperamentis; corporis habitu vario; regionum, & anni tempestatum mutatione; rerum non naturalium somni scilicet, cibi, potûs, exercitiorum, balneorum, animique pathematum multiplici variatione; necnon & pro diuersis morborum generibus explicatas inueniet. Nobis autem hæc ad pulsuum tractationem huic loco accommodatam satis: qui de eorum præsagiis sumus acturi, cùm de iudiciis morborum tractabimus.[n]

De respiratione, eius differentijs & causis.

Caput VIII.

DE respiratione hoc loco agimus, non quòd ea vitalis facultatis verè sit actio: sed quòd huic vt plurimùm obsequiosa, ad eius famulatum destinetur, & quòd respirationis vsus sit vitalis. Vtilitas autem vt docet Galenus, [a] inter respirationis causas principem locum obtineat. Respirationis autem significatum duplex est: vel enim sumitur prout est genus ad respirationem propriè dictam & transpirationem, quo significatu πνεῦσις appellatur à Græcis. Vel præcisè vsurpatur prout à transpiratione seu διαπνοὴ differt, quam ἀναπνοὴ; ἀναπνοίας, & ἀνάπνευσιν Græci vocant. Galenus [b] vtriusque acceptionis meminit, cùm motionem spiritûs intro foràsque non solùm per oris respirationem, sed etiam per difflationem à toto corpore fieri asseruit. Ad amplitudinem autem prioris significatûs respiciens libro de vsu respirationis, [c] moderatam respirationem toti per arterias contingere ait. Hinc à Philistione, & Diocle, apud eumdem Galenum, [d] respiratio innati caloris ventilatio dicebatur. At propriè sumpta respiratio iuxta eiusdem Pergameni [e] doctrinam, definiri potest, aeris per os in pulmones, ac per nares in cerebrum: ad innati caloris commoderationem, & spirituum generationem (seu vt Galenus [f] loquitur nutritionem) attractio: fumidique excrementi per easdem vias expurgatio.

Quæ verò transpiratio dicitur, & perspiratio, aut difflatio etiam appellatur: est attractio externi aeris per cutem in arterias, ac rursus per eosdem meatus fuliginis remissio. [g] Quare cùm sub vniuersali significatu, respirationis vocabulum concipitur: rectè sine respiratione animal non posse viuere: & spirationem à vita, vitamque ab spiratione separari non posse asseritur à Galeno. [h] Quarenus autem respiratio à transpiratione distinguitur, eam omninò ad vitam necessariam esse negat experientia: in fœtu nondum ab vtero matris excluso, in hystericis plurimis, & syncope frigidâ laborantibus: qui solius transpirationis ope vitam continuant, vt ab eodem Galeno [i] docemur, qui etiam modum explicat discernendi, num in prædictis casibus respiratio in integrum sit amissa.

Cùm autem respiratio sit aeris externi per os & nares explicata motio: ea non vnus est & continuus motus, sed ex Galeno, [k] duæ eius sunt partes, scilicet inspiratio seu εἰσπνοὴ, & εἴσπνευσις, tum expiratio quæ græcè ἐκπνοὴ, & ἔκπνευσις nominatur. Per illam spiritus seu aer intrò trahitur: per hanc verò fuliginosum excrementum extrò pellitur. Et quia contrarij illi motus continui esse non possunt, non aliter atque in pulsu, inter vtrumque media interponitur hinc inde quies.

Est enim magna respirationis & pulsûs conformitas: licèt eadem in multis ab illo dissideat. [l] Vtrique enim commune est per dilatationem & constrictionem fieri, & ad caloris naturalis conseruationem & commoderationem facere. Differunt autem primùm quòd communior sit pulsûs vsus, quam respirationis. Fœtus enim arteriæ intra vterum pulsant, vbi ille non respirat. Deinde quòd respiratio ad contemperamentum caloris præsertim deseruiat: [m] pulsus ad eiusdem perennem quasi generationem faciat.

m Lib. 8. & 4. de causis pulsuum.

n Tract. 3. lib 2.

a Lib de vocalium instrumentor. dissect. cap 3. & lib. de caus. respir.

b Comm. 6. in lib. 6 epid. comm. tex. 3.

c Capite 2. lib.

d Lib eodem de vsu respir. cap 5.

e Lib 8. de decret Hipp. & Plat. cap. 8. & in ascripto lib. definition. medic.

f Lib. 1. de diffic. respir. cap. 4 & 5. lib. de vtilit. respir. cap. 5. & alibi.

g Colligitur ex Gal. citat. cap. 8. lib. 8. de decret. & com. in tex 2 lib de sal. diæta Hippoc.

h Lib. 4. de locis aff. cap. 7. paulò ante finem lib 6. eiusd. cap. 5. post princip. lib 1. de diff. respir. cap. 8. & alibi.

i Locis citatis

k Lib. 1. de diffic. respir. cap 2. lib 4. aphor. comm. aphor. 68.

l Gal. lib. 1. de diffic. resp cap 5.

m Idem lib. eod. cap. 9. & lib. de vsu puls. cap. 1.

Tertiò quòd per inſpirationem ſolus aër attrahatur per diaſtolem autem etiam ſanguis à dextro ad ſiniſtrum cordis ventriculum: per expirationem fuliginoſa ſolùm excrementa purgentur; per ſiſtolem verò cum fuliginibus per arteriam venalem ſpiritus in pulmones effundantur, & per arteriam aortam ſpiritus in vniuerſum corpus tranſmittantur. Quartò pulſus à vitali fit facultate, cuius motus voluntatis imperio mutari nequit: at reſpiratio ab animali, quæ voluntatis nutu multifariam euariat. Quintò vtriuſque inſtrumenta diuerſa ſunt ad inuicem: pulſui cor & arteriæ inſeruiunt; reſpirationi, pulmo, trachea arteria, thorax, muſculi plurimi, os, & nares.

Interim cùm magna ſit reſpirationis & pulſûs conformitas, differentiæ reſpirationi in genere conuenientes, pariter fermè ac pulſuum differentiæ diſtingui conſueuerunt. Earum enim aliæ ſimplices, aliæ compoſitæ ſtatuuntur. Ac ſimplicium aliæ abſolutæ, aliæ reſpectiuæ nuncupantur. Inter abſolutas autem, primùm ex quantitate motûs, ſeu ex magnitudine & paruitate ſpatij per quod id quod mouetur fertur,[n] quædam reſpiratio magna dicitur, alia parua, atque alia mediocris. Ac magna quidem vel verè magna eſt, vel apparenter magna. Verè magna ea appellatur, in qua ex Galeno,[o] non ſolùm inſpirando thorax plurimùm diſtenditur, multúmque aeris inſpiratur: ſed præterea expirando thorax plurimùm contrahitur, & multa fuligo expiratur. In qua præterea ſi ea contractio ingens ſit & violenta, quam velox ſpiritûs extra delatio ſequatur: talis expiratio ex Galeno,[p] ἐκφύσησις ſeu efflatio nuncupatur. Apparenter autem magna, ea eſt in qua ingens quidem thoracis fit dilatatio, muſculis omnibus thoraci dilatando dicatis operantibus: ſed pauens inſpiratur aër ob partium ſpiritalium varium infarctum. Quòd ſi inter cæteros muſculos, illi ſpeciatim qui à clauiculis & collo ſe ſuperioribus coſtis inſerunt, cum euidenti enixu ad thoracis dilatationem ſuam operam præſtent: quæ ſequitur reſpiratio, ſublimis à Latinis nuncupatur; & à Græcis μετέωρον πνεῦμα. Si vero ne cum illo quidem ſuperiorum muſculorum conatu reſpirare quis poſſit, niſi rectâ ſit ceruice: ea ὀρθόπνοια ſeu recta reſpiratio appellatur. At ſi alterutri ob magnam inſpirandi difficultatem etiam ſtertor coniungatur, ῥέγχωδες πνεῦμα vocatur ab aliquibus. Quæcumque autem magna ſit, prout ſecundùm magis & minùs euariat: ita eadem ſolet difficilis, violenta, aut coacta nuncupari.

[n] Gal. cit. lib. 1. de diffic. reſpir. cap. 9. [o] Lib. 2. de diffic. reſpirat. cap. 13. [p] Lib. de vſu reſpir. cap. 2. & lib. 8. de anatom. adm. cap 4.

Mediocris ea nominatur in qua tantum aëris inſpiratur & fuliginum expurgatur, thoraxque tantùm dilatatur & contrahitur, quantùm ſano in quo mediocriter omnia ſe habent conuenit. Eadem libera, naturalis, facilis, & placida dicitur: quæ ſolâ diaphragmatis contentione & laxatione perficitur.

Paruam tandem eam appellamus, in qua thorax parùm dilatatur, viciſſimque contrahitur; & cum paruo eo motu parum aëris inſpiratur, ac pauca fuligo expellitur. Quaſi eouſque paruitatis deueniat, vt licèt nondum ex toto deperdita ſenſum tamen effugiat, quaſi iam deſijſſet, ab Heraclite Pontico apud Galenum[q] ἄπνοια nominatur.

Secundò ex qualitate motûs, reſpiratio quædam celer eſt, alia tarda, & mediocris alia. Ac quæ celer admodum eſt ab Hippocrate,[r] ex Galeno[s] ἐπεῖγον πνεῦμα, ſeu vrgens reſpiratio dicitur: vt quæ plurimùm tarda eſt, ἐκτεῖνον πνεῦμα ſeu extendens reſpiratio nuncupatur.

Tertiò ab intermediæ quietis longiore aut breuiore duratione, alia frequens, alia rara, & alia mediocris appellatur.

[q] Lib. 1. de difficult. reſp. cap 8. [r] Lib. 6. epid. ſect. 1. text 10 [s] Lib. 3. de differ. reſpir. cap 5.

Quartò ex vi & robore facultatis mouentis, alia vehemens eſt, alia imbecilla, aut mediocris. Quæ reſpirationis differentia vel ex vehementia & languore vocis cui reſpiratio materiam ſubminiſtrat diſcernitur: & hæc quàm robuſta ſit, auditu percipitur: vel ex eo cognoſcitur, quòd pondus thoraci impoſitum facilè aut difficilè ferri poſſit. Quò enim difficiliùs id fertur quod leuius eſt: eò reſpirandi imbecillitatem maiorem eſſe iudicamus.

Ex duritie verò aut mollitie organorum reſpirationis, vt inſtrumentorum pulſûs, nulla habetur mollis aut dura reſpiratio.

At quia qui expiratur aër, vel admodum calidus, vel frigidus, vel moderatè calens ſequitur: reſpiratio ſynecdochicws ſaltem calida, frigida, aut moderata nuncupatur.[t] Necnon quia expiratus aer, ſeu à qualitate quam intra nos acquirit, ſeu ex natura fuliginum illi permixtarum grauis eſt & fœtens, aliis tantùm aliquando, nonnunquam etiam expiranti; vel ſuaueolens eſt: reſpiratio etiam & ſpiritus fœtens, aut ſuaueolens appellari poteſt.

[t] Ab Hippo. & Gal. lib. 1. prognoſt. tex. & comm. 24. tum 2. in 6. epid. com. tex. 10.

Reſpectiuæ reſpirationis differentiæ pari ratione atque in pulſu docuimus ex rhythmo vel ab æqualitate & inæqualitate, ordinatione aut inordinatione petuntur. Rhythmum in reſpiratione vti in pulſu adnotari, monet Galenus.[u] Similiter reſpirationem aliquam æqualem eſſe, aliam verò inæqualem tam aggregatione plurium motuum quàm in vnico motu: vti quamdam ordinatam eſſe, atque aliam inordinatam docuit. Idem Galenus.[x] Verùm in multiplici inæqualis reſpirationis diuerſitate referenda, non eſt quòd immoremur: partim quòd ad exé-

[u] Lib. 1. de diffi. reſp. cap 10. 16 & 21 [x] Lib eodem cap. 17.

plum eorum quæ de pulsuum inæqualitate dicta sunt, varietas huiusmodi facilè innotescat: partim quòd cùm respiratio (secundùm quid saltem) liberæ voluntatis imperium sequatur irregularis fit, & possibilis respirationis inæqualitas nullis certis & constantibus differentiis comprehendi valeat.

Compositæ tandem respirationis differentiæ, penè sunt innumeræ: quatenus varia simplicium genera multifariam complicari possunt. Frequentiores autem huius ordinis differentiæ, & ad internorum affectuum dignotionem vtiliores, sunt magna & densa, magna & rara, parua & rara, parua & densa, ac tandem inæqualiter combinata. Quarum maximam rationem habendam esse docuit Galenus,[y] & earum præsertim meminit Hippocrates in epidemiis, vt fusè enarratum est à Galeno in libris de difficultate respirationis:[z] & nos de his fusiùs infra[a] agemus.

Causæ respirationis sunt huiusmodi. Formalis quidem, est duplex ille motus inspirationis & expirationis, qui ab inuicem duplici quiete discernuntur. Materialis, est aër inspirandus, & expiranda fuligo. Finalis, quam vsum & vtilitatem appellant Medici, iuxta Galenum[b] est innati caloris commoderatio, & spiritûs animalis nutritio. Inspiratus enim aër suâ qualitate ad contemperandum calorem nobis insitum deseruit, & fuliginis per expirationem expurgatio, calidum quod in nobis inest ne casum suffocationi similem patiatur impedit. Idem præterea aër ad spirituum generationem, aut (vt Galenus sub abusu quodam vocis loquitur) nutritionem, propriam substantiam subministrat. Spiritum inquam non animalium solùm, quemadmodum probari videtur Galeno:[c] sed vitalium etiam: vt idem Pergamenus,[d] fateri cogitur, & nos libro de spiritibus docturi sumus.

Efficiens respirationis causa vel principalis est vel instrumentaria. Illa, facultas est, hæc organa. Verùm quæ facultas ad respirationem concurrat disputatur: Thadæus Dunus peculiari libro respirationem non ex arbitrio pendere, nec liberam esse actionem, sed à natura omni animanti ingenitam, probare conatus est. Galenus verò omnium verissimè, non negans eam ob vsûs necessitatem omni animali in aëre degenti à natura tributam: tamen eam in libero animali liberam esse testatur. Libro enim de causis respirationis, facultatem voluntariam respirationis causam esse affirmat, & aliàs[e] respirationem voluntariam esse profitetur, ac tandem, respirationem ab animali facultate voluntarij motûs interuentu fieri, multis rationibus libro secundo de motu musculorum[f] probat. Illa enim musculorum ope quivoluntarij motûs sunt instrumenta perficitur: & liberum cuique esse aduertimus respirationem (ad breue tempus saltem) & variare & cohibere, imò & eamdem ex integro supprimere vitamque eâ viâ finire: vti à seruo illo barbaro cuius Galenus[g] meminit factum est. Nihilominus tamen palàm est vitalem etiam facultatem ad respirationem promouendam concurrere, quæ iugi diastole aërem exposcens, & systole fuligines exprimens animalem facultatem perenniter prouocat. Vnde Galenus.[h] Etenim nisi ad spirandi functionem inquit ambo principia simul iuncta concurrere oporteret: potuisset aliquis viuere priuatus interdum superno principio. Quod recentiorum plurimi expendentes respirationem partim voluntariam partim naturalem esse dixerunt Sed hoc ita proferendum est, vt pro ratione quidem finis ea naturalis esse intelligatur, quòd vitali facultati quam sub naturali hîc comprehendere fas est inseruiat: ex parte verò efficientis, ad solam animalem & voluntariam referatur. Qua ratione eam rectè Galenus simpliciter voluntariam dixit, quòd licèt necessitate quadam respirare cogamur, nec planè liberum sit (integris rebus animalis) pro arbitrio respirare, tamen ea semper à voluntatis actu aut exercito aut signato pendeat, sitque voluntatis opus. Operum autem quæ motu voluntario absoluuntur, sciêdum est alia esse absolutè libera, alia autem affectibus corporis subseruire: quorum illa semper à nobis liberè fiunt, hæc verò non semper, sed in tempore quodam, & in mensura, vt variis exemplis explicatum & confirmatum à Galeno[i] legimus.

Instrumenta respirationi deseruientia multorum sunt generum. Quorum quædam ad aëris vecturam destinantur, aspera scilicet arteria. Alia in modum alarum follium distenta & contracta eumdem primò excipiunt vt illius intensiorem frigiditatem retundant: huiusmodi est pulmo, qui temperatum aërem per leues arteriæ venosæ ductus in cor effundit. Quædam demum, thoracem, qui ad aëris attractionem distenditur, & ad fuliginum expulsionem contrahitur, mouent: quod munus eorum musculorum est, qui ab anatomicis sexaginta quinque numerantur: quorum vnicus fermè, diaphragma scilicet, ad liberam respirationem sufficit: cùm coactæ, præter illum reliqui inseruiant, triginta duobus inspirationi, & totidem expirationi ministrantibus. Causæ earû omnium differêtiarum quas ante retulimus omninò ex triplici fonte oriuntur: scilicet facultatis, vsûs, & organorum statu atque constitutione. Cùm enim facultas, vsus, & instrumenta, rectè & secundùm naturam se habuerint, bona & facilis sequitur respiratio quam εὔπνοιαν dicunt. Si verò aliquod ex illis viciatû fuerit, pro ratione vitij, respirationem immutari continget, & varias τὰς δυσπνοίας differentias sequi. Cû robusta nâque facultate, & liberis organis, si augeatur vsus; seu refrigerij necessitate increscente

y Lib. 1. de diffic. respir. cap. 12.
z Lib. 2 & 3.
a Lib de medendis morborum.
b Lib. de caus. respir. & lib. de vtilit. resp. cap. 3. 4. & 5
c Lib. 1. de diffic. respir. cap 4. lib. de vtil. resp. cap. 5. lib. de caus. respir & sæpè alibi.
d Ad finem citati lib. de vtil. respir.
e Lib. 1. de diffic respir. cap 9.
f Cap 5. & 6
g Citato cap. 6 lib 2 de motu musculorum
h Lib. 4 de locis aff c. 1.
i Cit. cap 6. lib 2. de motu musculorum.

per ætates, regiones, anni tempora calidiora, aut per morbos in quibus calor iustò intensior euadit; ſeu per labores & exercitia exhausti fuerint ſpiritus: primò magna fit inſpiratio, tum magnitudine non ſufficiente ad ſatisfaciendum vſui, celer etiam efficitur, ac tandem frequens ſeu denſa, neceſſitate plurimùm vrgente, vt in partium reſpirationi dicatarum phlogoſi: cum qua feruidus quaſi ſpiritus expiratur. Copiâ autem fuliginum pulmones infeſtante: primò expiratio non quidem magna fit, quia pulmones non poſſunt vlteriùs contrahi quàm dilatentur: ſed celer, euadit: ea enim ſolùm euariare ab inſpiratione poteſt: idque vt abundantium fuliginum excretioni ſatisfiat. Quòd ſi vtriuſque vſûs neceſſitas æqua ſit, ita vt non ſolùm magno refrigerio magnaque ſpirituum reparatione indigeamus, ſed etiam fuliginum copiâ infeſtemur: tota reſpiratio & magna & celer & creber ſecundùm vtramque partem euadet. Cùmque tam inſpirationis quàm expirationis, par eſt, & ſecundùm naturam, tum magnitudo tum celeritas: ex pari, & naturæ congruenti vſuum neceſſitate, rhythmus & conſonantia in reſpiratione ſeruatur. Eadem verò arrhythma & diſſonans fit: cùm vel inſpiratio expiratione celerior fuerit, auctiore videlicet calore citra fumidorum excrementorum incrementum, aut contra ex contrario vſuum habitu: vel alterutra aut vtraque maior, celerior, aut crebrior extiterit, quàm per ſingulas ætates, pro ſexûs, regionis, anni temporum, & proprij cuiuſque temperamenti diſparitate, conuenit. Demum prout aut inſpirationis aut expirationis neceſſitas magìs vrget: ita quies quæ alterutram magìs vrgentem præcedit breuior redditur: vt contra, quemadmodum explicatum eſt à Galeno[k] quæ minùs vrgentem præit longiùs producitur. Imminuto verò vſu: primùm rara, mox & tarda, tandem etiam parua fit reſpiratio, pro minore aut maiore vſûs imminutione. Qui ſi extremè imminuatur, & reſpiratoria organa refrigerentur frigida etiam ſequitur reſpiratio.[l]

[k] Citato lib. 1. de diff. reſpi. cap. 24.

[l] Gal. lib. 1. de diffic. reſpir. cap. 8

Facultas quandiu robuſta, aucto vſu magnam facit reſpirationem: non neceſſariò tamen vehementem, ſed apta eſt vehementem facere. Vſu verò imminuto, eadem nunquam admodum paruam reſpirationem, Galeno[m] docente, facit: vt cà debili, nunquam vehemens fit reſpiratio. Pro variis autem cauſis imbecillitatis, magna aduenit reſpirationi varietas. Nam ſi facultas imbecilla fuerit, aut potiùs ab officio auerſa, ob alienationem & læſionem principum facultatum, magna fit reſpiratio & rara: vt in delirantibus. Quorum etiam, inæqualis & inordinata eſt: ob inæqualem, & inordinatam facultatis animalis ab alterutro inſpirandi aut expirandi vſu prouocationem. Si verò eadem facultas, per exolutionem aut primarij organi effatu dignam intemperiem, imbecilla extiterit: parua fiet reſpiratio & denſa: imò & ex maxima eiuſdem ordinis imbecillitate reſpiratio ad defectionem & ἄπνοιαν deducetur.

[m] Lib. 1. de difficult. reſpir. cap. 7.

Demum facultate ab oppreſſione debili, pro varia oppreſſionis magnitudine, & vſûs irritatione, inæqualitas multiplex reſpirationi aduenit. Quæ ad ſimilitudinem inæqualitatis in pulſu ex pari cauſa naſcentis, commodè intelligetur. Quòd ſi ad magnam admodum imbecillitatem ex hoc capite facultas prolabatur: ea fit ſublimis & conſpicua reſpiratio, in qua non ſolum ſupernæ thoracis partes inſpirando plurimùm eleuantur: ſed etiam ad ducendum ſpiritum ægri pinnas narium mouent. Quo caſu, ad expirandum thorax non paulatim & ſenſim demittitur atque laxatur: ſed coaceruatè & affatim, nullatenùs renitente facultate, à ſola vi propriæ grauitatis collabitur.

Ab organorum vitio multò maior reſpirationi varietas accidit. Nam ſi thorax, ſeptum aut pulmo, vel coarctentur vel comprimantur: ſeu ex praua aliqua conformatione, ſeu intus collecto pure, ſanie, aut craſſiore pituita: ſeu ab hydrope, vteri geſtatione, pliſmone & ciborum ſatietate, naturalium viſcerum tumore, crudis tuberculis, aut tumore duro, iuxta pulmonem aut pulmoni ipſi adnatis: vel ſi muſculi reſpirationi inſeruientes tumore aliquo afficiantur: vel nerui illis inſerti obſtruantur: cùm ex his omnibus cauſis & earum ſingulis prædicta reſpirationis organa diſtendi & dilatari impediantur, parua fiet & denſa reſpiratio, ac tum etiam celer aliquando ſi vſus plurimùm ſimul fit auctus & facultas nondum euidenter infirma: vt quando pulmo inflammatione tentatur. Inter eos autem qui difficulter reſpirant: illi quorum ſpiritus denſus eſt, & ſimul thoracem plurimùm diſtendunt paucum autem aërem attrahunt, anheloſi à Galeno[n] appellantur, & aſthmatici. Quòd ſi reſpiratoria organa non coarctentur ſolùm ſed etiam doleant, aut quæ illis vicinæ ſunt partes, quas diſtento thorace aut ſepto offendi contingat: non ſolùm parua fiet reſpiratio, verùm etiam tarda, at eò denſior, quò magìs vrgebit vſus.

[n] Lib. 1. de diffic. reſpir. cap. 10.

Eiſdem verò, inæqualis, atque inordinata euadit reſpiratio: quòd quotieſcumque præ facultatis imbecillitate, pulmonum coarctatione, diaphragmatis compreſſione, & cæterorum muſculorum vitiato motu, vſûs neceſſitati ſatisfieri commodè nequit; facultate ſe inæqualiter & inordinatè excitante, ad ſuperanda impedimenta organorum, & ſatisfaciendum vrgenti vſui, inæqualis & inordinata fiat reſpiratio.

At ſi particularim trachea arteria aut larinx comprimantur, à luxata vertebra, angina,

aut consimilibus causis;& non solùm parua & densa fiet respiratio; sed sublimis etiam. In qua pulmone & thorace liberis cùm spiritus ingressui occlusa sit via:sic affecti c oguntur, omnibus prouocatis mosculis,maxima vi thoracem distendere,vt externom aërem attrahant. Quod respirationis genus ab Hippocrate πνεῦμα προχεῖρον & φαινόμενον, id est respiratio ad manum, & conspicua appellatur; vt animaduersum est à Fœsio in oeconomia.

Quòd si contingat ad tantam coarctationem organorum venire, vt ægri soffocationis periculum subeant: aucta densitate seu crebritate respirationis, in ὀρθόπνοιαν incidunt, quemadmodum peripneumonici,empyj,& pleuritici multi:qui vt respirent,rectâ ceruice decombere coguntur. Eo enim situ pulmones faciliùs minoréque labore distenduntur, & facilior tunc est respiratio, quàm demissâ ceruice,& corpore integrè decumbente. Præterea si organa aërem deferentia, flatuoso spiritu, aut spumante pituitâ, succóue aliquo qoi quasi in gutture ferueat repleantur: sonora illa respiratio excitatur in qua vt apud Galenum,[o] & Valesium[p] legitur, stertere dicuntur. Est autem stertor, is sonus quem Hippocrates ῥέγχον aot ῥέξιν appellat: vnde & ronchus à Martiali dicitur, & apud Plautum ronchiso legitur. Sed stertor duplex est:alios enim cum robore facultatis coniungitur plurimis inter dormiendum familiaris, qui nomen generis retinet: alius verò, qui cum maxima vitium prostratione sociatur, ægris etiam vigilantibus adueniens,& oregmone à plurimis nuncopatur.

o Lib. 6. aph. comm. 52.
p In lib. 5. epid comm. in ægr. 14.

De facultatibus animalibus.

Capvt IX.

Facvltates quæ animales dicuntur, quòd & solis animalibus competant, & primarium locum teneant in animali vel sunt cognoscitiuæ, vel appetitiuæ, vel loco motiuæ. Priorum quædam sunt corporeæ,aliæ spiritales. Corporeæ dicuntur, quæ organo & materiali instrumento indigent ad agendum,eidémque vt subiecto inhærent. Spiritales verò, quæ nulli addictæ sunt organo, sed ipsi animæ substantiæ inhærẽtes,suas actiones animâ etiam à corpore separata exercent. Cognoscitiuæ corporeæ seu organicæ,sensus appellantur: quorum alij externi sunt,alij interni. Externi dicuntur qoorum organa extra cerebrum natura constituit, & quibus primò vt excubitoribus externa obiecta repræsentantur. Hi autem suot quinque; obiecto, organo, & immutationis modo differentes: visus,auditus, olfactus, gustus & tactus.

Qui,quæ exteriùs obijciuntur cognoscibilia omnia materialia agnoscũt. Neque ante tamen quàm illa per se aut per accidens, seu realiter seu intentionaliter in organo recepta, facultati coniungantur. Sensibilia autem aliquando in organo intentionaliter tantùm recipi, præterquam Aristoteli & Peripateticis probatum est: id etiam Galeno[a] placet, & Platoni,[b] cùm flammam à corporibus emanare ait, quæ in sensus feratur. Ea verò intentionalis obiecti eum facultate coniunctio, fit per certas quasdam paruæ entitatis qualitates,quæ sunt formales obiectorum similitudines,& species intentionales appellantur: intentioni scilicet seu notioni deseruientes. Quas ex rebus visui obiectis effluere, cùm repræsentatio imaginum quæ in aqua & politis corporibus fit euidenter comprobet: consimiles aliquas aliorum sensibilium dari vulgò existimatum est, quæ sonos & odores præsertim referant, quando hæc realiter ad nos (præ celeritate sensationis, aut distantia obiecti) peruenire non posse coniectabantot, Verùm non sunt hæ perperam admittendæ: cùm aliorum sensuum obiecta se illis non per imagines sed realiter vt mox probabimus repræsentent. Species autem quas impressas appellant à visibili obiecto,aut alio sensibili emanantes,& eiusdem repræsentatiuæ in organo recipiuntur,facultatem seu externam seu internam ad eam vitalem actionem eliciendam excitantes,quæ sensatio dicitur. Est aotem sensatio animaduersio quædam ac quasi penetratio obiecti; per quam facultas rei cognitæ imagine,quam speciem expressam nominant,iofecta imò & informata remanet. Non aliter ac si ceram se apposito sigillo applicantem;& expressam ex annulo imaginem referentem concipiamos. In sensatione enim tria hæc se consequentia aduertuntur: primùm speciei, in organo receptio,vel ipsius obiecti, realis applicatio organum immutans. Secundò vitalis inclinatio facultatis ad repræsentatum obiectum,per quam proprium actum elicit. Ac tandem eliciti actûs in facultate receptio formaliter ab eius productione distincta. Quorum qnia duo in passione consistunt; licèt id quod propriè sensatio est,verè sit actio: Aristoteles[c] tamen sentire esse quoddam pati asseruit. Verùm his generatim enunciatis,quæ ad singulos sensus spectant particulatim explicemus, aliâs forsam accuratiùs examinanda.

a Lib. 7. de placit. Hipp. & Plat. c. 7.
b In Timæo.
c Lib. 2. de anima tex. 118.

Visûs,organum est oculus:primarium autem princépsque instromentum humor crystallinus. Lucem,lumen,& colores habet pro obiecto proprio & per se. Ita tamen vt lux & lomen sine alterius interuentu,videri queant: colores autem non nisi illuminati videantur. Lucem appellamus accidentalem actum corpori lucido innatum à quo apparens redditur. Lumen verò est actos tum diaphani

tum terminantis opacum prout apparentis,à corpore lucido propagatus & ab einfdem præfentia dependens. Per colores autem tam veros quàm apparentes intelligimus. Quorum qui verus eſt, definiri poteſt viſibilis qualitas ex vario elementorum concurſu & luce mixtis corporibus congenita emergens. Apparens verò eſt viſibilis qualitas,quæ tam ex varia refractione externi luminis in diuerſas ſuperficies aut diaphanas aut politas multifariam incidentis naſcitur,quàm à lumine per diaphanum coloratum tranſfuſo in aliud quoduis tranſmittitur. Hæc autem omnia non niſi per medium diaphanum,licèt non neceſſariò illuminatum [d] conſpiciuntur. Certiſſimum enim eſt & experientiâ comprobatum,nos in loco obſcuro noctu conſtitutos ignem admodum diſtantem videre. Dicere verò cum Caietano, [e] Ferrarienſi, [f] & Conimbricenſibus, [g] eo caſu aliquod eſſe lumen etiam iuxta oculum:planè nugari eſt,& ſenſui aduerſari. Qui enim videnti tunc adhærebit & oculum ad latus oculi intuentis quàm proximè liceat admouerit, nec lumen aduertet, nec intuentis oculum abſente lumine diſcernet. Suppoſito autem obiecto, & facultate ad operandum ex ſe diſpoſitâ; cùm ad viſionem eliciendam oporteat vel obiectum facultati,vel hanc illi coniungi: ad id neque vlla ſubſtantiæ ab oculo ad obiectum, vt cenſuerunt Stoici,neceſſaria eſt effuſio: quæ non viuens viuentis actionem exercetet. Neque vlla inexplicabilis qualitatis viſioni famulantis, ad viſile aut medium interuenit emiſſio: quòd ea planè inutilis foret,neque ad referendum quod obijcitur efficax, neque ad percipiendum idipſum,cùm hoc vitalis facultatis ſit proprium. Sed ſola prærequiritur ſpeciei ab obiecto tranſmiſſæ in cryſtallino receptio: vt Ariſtoteli tribuit & approbat Galenus. [h] Nihilominus tamen per viſionem magna fit animalium ſpirituum diſſipatio,& cum illis vaporum etiam non parua aliquando effuſio.

d Egnatius Dantes com. in regul. perſpectiuæ practicæ Iacobi Barozzi ſuppoſit. 3. & 6.
e In cap. 7. lib. 2. de anim.
f In eumdem loc.
g Quæſt. 4. art. 2. in eumdem Ariſt. locum.
h Lib. 7. de decret. Hipp. & Plat. c. 7.

Ea verò ſpecies viſibilis,per ſe quidem & primò eſt proprij obiecti repræſentatiua; idipſum perfectiùs aut imperfectiùs referens,pro debitâ aut indebitâ obiecti illuminatione, & ad oculum proportionata; aut prout magis vel minùs in diſtans effunditur. Secundariò autem eadem, communia repræſentat obiecta, magnitudinem, numerum, figuram & cætera. Quia verò ſpecies perenni effluxu producitur,ideò aëre etiam agitato conſtanter viſui obijcitur: quicumque enim ſuccedat aër, pari ſemper informatur ſpecie. Quæ prætetea non aliter afficere oculum poteſt eique repræſentari,quàm ſi per rectam lineam ad corneam vſque pupillæ ſuperſtratam producatur à qua ad cryſtallinum ad perpendicularem refrangitur. Atque ita ea omnia eliduntur: quæ ab Scaligero [i] aduerſus Fracaſtorii [k] ſimulacra proponuntur,ſi ad ſpecies intentionales à quoquam detorqueentur.

i Exerc. 125. n. 5.
k Lib. de ſympathia & antipathia cap. 5.

Auditûs organum eſt auris. Primarium inſtrumentum,non eſt aër ille quem congenitum dicunt, & intra concham (oſſis petroſi cauitatem) continetur. Hic enim cùm nulli parti viuenti ſit continuus,atque ideò inanimis; non poteſt facultatis vitalis organum eſſe. Sed hoc munus tympano tributum eſt,ſeu membranæ quam myringem vocant. Quæ à tribus illis mirandis oſſiculis,malleo, incude,& ſtapede,ac propriâ cordâ diſtenta; & ſoni recipiendi eſt capax, & eumdem animata cùm ſit percipere poteſt. Imò & euidenter ſola percipit,cùm trago ab indice vt auris meatum obturet compreſſo,aëris intra concham per vapores hùc à cerebro effluentes moti & ad tympanum colliſi ſonus exauditur. Obiectum enim auditûs ſonus eſt. Quem ſenſibilem qualitatem eſſe agnoſcimus, à violenta aëris à quocumque & ad quodcumque colliſione productam & in colliſo aëre impreſſam; atque inde in orbem variè propagatam pro diuerſitate impetûs colliſionis,& einſdem maiore in hanc aut illam partem inclinatione; Sonus autem non per ſpecies,ſed realiter facultati repræſentatur. Si enim ſonus aliquam ſui ſpeciem produceret, illa eo poſito in eſſe ſtatim produceretur: & contrario carens, nullamque maiorem habens in medio repugnantiam quàm habeat ſpecies viſilis aut lumen, pari celeritate cum hac effunderetur:quod tamen minimè fieri experimur. Secundò,certum eſt, noctu aure ad terram admotâ, equitum per liberum campum iter facientium greſſus ad magnam diſtantiam audiri,quorum ſtrepitum erecti vix poſt longum interuallum perciperemus. Nec non experimur eum qui longiſſimæ trabis extremitati aurem applicabit, alterius voces percipere qui in altera eiuſdem trabis extremitate ita fuerit ſubmiſſè loquutus, vt ab eumdem contingentibus non exaudiatur. Quæ quomodo accidant ſono ſpeciem ex ſe quaquauerſum per aërem effundente; non tam facilè intelligitur,atque ſi dicamus aërem certo modo colliſum & per planum ſolidum in maiorem diſtantiam colliſionis impulſu gliſcentem,ſonum ſibi inhærentem deferre qui ad aurem appellens exaudiatur. Ex vehementia autem,aut imbecillitate, & modo alliſionis ſonori aëris ad aurem,diſcerni,vnde,& à quàm diſtanti prodeat ſonus. Hinc eliſus aer & ſono informatus,alium aerem cauis aut fornicatis locis concluſum pari eliſu feriens,parem ſonum edit:vnde formatur echo, toties aliquando repetens, quoties hinc inde repulſus aer, conſimili eliſu concluſum aerem ferire poteſt. Tertiò,ſpecies,lumen,& ſi quæ aliæ ſint qualitates quæ in fieri & in conſeruari ab efficiente dependeant,per medium quomodocumque motum,immotæ continuâ effuſione propagantur: ſed ſonus per ventos & magnum aeris motum huc illùcque diſtrahitur, nec pariter auditui repræſentatur.

Quare idem non per speciem, sed realiter per medium ad aures propagatur.

Olfactûs organum sunt nares: princeps autem instrumentum, processus illi mammillares qui ossi ethmoidi adiacentes principium habent à neruis odorariis, qui à parte posteriore medullæ cerebri vbi quartus est ventriculus, cum aliis ad sensiteria deputatis oriuntur, & visoriis subiecti ad processus mammillares terminantur. Quod Ruffus Ephesius antiquus scriptor insinuauit, dum ait,[l] meatuum verò processus sunt à cerebro neruosi, ad singula sensoria, vt ad aures naresque & huiusmodi alia propagati: Huius sensûs obiectum sunt odores, qui realiter & simul cum vaporibus odorabilium ad sensiterium delati sentiuntur.[m] Quid tamen odores sint vix balburiendo designare potest[n] ignorantiæ nostræ fœcunditas: etsi dicamus odorem esse qualitatem, quæ in tenui corporum mixtorum exhalante substantia consistens, olfactum ferit.

Gustûs organum est lingua: & primarium instrumentum, propria illius caro laxa & spongiosa. Obiectum verò sapores: quos oportet realiter repræsentari. Vnde nihil vnquam gustamus quod non vel atteratur, vel dissoluatur, & aliquid aut tenue aut liquidum decedat à gustato quod ad linguæ substantiam perueniat. Ad quod salina plurimùm iuuat, tum laxiorem linguam conseruans, tum gustanda aut emolliens aut dissoluens. Est autem sapor qualitas ex particulari mixtione humidæ siccæque elementorum substantiæ variè excoctæ, & primarum qualitatum speciali concursu orta, in liquabili mixtorum substantia consistens, gustu perceptibilis.

Tactus vt maximè ad vitam necessarius, per vniuersum corpus diffusus, omnibus viuentibus corporis partibus vnus insitus est: acutissimus tamen in his quæ neruez sunt substantiæ, in osse obtusissimus. Pro obiecto habet quatuor qualitates primas, leue item & graue, molle & durum, asperum & læue, crassum & tenue, lentum & friabile. Quæ omnia realiter organum immutando, quatenus immutant sentiuntur. Impressa autem qualitas, à proprio subiecto; aut impressæ æqualis, licèt subiecto differat non sentitur: quoniam cùm simile non agat in simile: quod calidum aut frigidum est vt quatuor non potest à simili calido aut frigido immutari.

Verùm cùm ea quæ recensuimus sint propria sensuum singulorum obiecta: sex præterea sunt pluribus non tamen omnibus sensibus communia, motus scilicet, quies, numerus, figura, distantia & magnitudo. Horum enim singula, non ab vnico, sed à pluribus sensibus, si non per se primò, saltem vt rectè docuit Scaliger[o] secundariò percipiuntur. Quoniam licèt ea nullam sui effundant speciem eam tamen certâ ratione modificant qua se sensibilia reddunt.

In communi tandem externorum sensuum operandi ratione aduertendum est, omnes præter visum sine medio operari. Visui quidem medio est opus, quia is obiecti illuminatione indiget, & speciei transmissione. Cæteris verò minimè: cum à reali obiecti ad organum applicatione moueantur. Non quòd necessariò ea ipsa quæ edunt sonum, eáue ex quibus exhalat vapor, aut à quibus calor aut frigus & similia prodeunt organo immediatè admoueri oporteat, à quibus sensuum instrumenta aut lædi aut destrui possent. Sed quod qualitates ipsæ sensibiles, sonus videlicet aeri impressus, & per eumdem delatus; odor vapori, aut exhalationi potiùs inhærens; sapor cum humido quocumque se in organum insinuans; & qualitates tactiles, vel primario subiecto, vel tenui substantiæ ab eodem effluenti inhærentes, organo impressæ, sensum moueant. Ac licèt Aristotelem nobis aduersantem habeamus:[p] rationibus tamen & experimentis magìs mouemur, quàm tanti etiam viri opinione. Quid enim cùm aërem inspirantes, aut gelidam potantes, alterutrius frigus sentimus inter aerem aut aquam & fauces medium interuenit? Quid, quando colon à flatibus distentum dolet; aut quando neruus ab ichore quo imbuitur importunè pungitur & vellicatur: inter colon & flatus, neruum & ichorem intercedit? Quid cùm per inæqualem intemperiem semel ab externo alterante impressam eòque postmodum femoro dolemus, inter heterogeneas membri dolentis substantias se alterantes est medium? Quid muriam gustanti inter muriam & linguam se immiscet? Quid tandem inter thymiama thuris nares implentis, & mammillares processus thuris odorem percipientes se interponit? Neque tenemur summorum virorum placitis semper adhærere: quos falli potuisse, vt & falli possumus, certum est. Placetque Galenum hac in re sequi,[q] qui se Hippocrati fidem adhibere ait, non tanquam testi, sed quòd eius rationes firmas inueniat.

Interni sensus, quorum organa intra caluariam in cerebro natura collocauit; à nonnullis septem esse dicuntur: sensus communis, imaginatiua, æstimatiua, phantasia, cogitatiua, memoria, & reminiscentia. Nos autem duos tantùm organis distinctos esse, eósque sufficere asserimus; sensum communem & imaginatiuam: quos non formaliter tantùm, sed re ab inuicem distingui affirmamus.

Sensum communem illum appellamus, qui actus sensuum externorum & singularim cognoscit, & inuicem discernit. Quem admittendum esse multis probat Aristoteles in libris de anima,[r] eumdémque frequentissimè alibi[s] supponit. Atque id quidem ex eo præsertim probatur, quòd quæ singulis sensibus sentimus nos sentire cognoscamus, atque ipsos diuersorum sensuum actus inter se

distin-

[l] Lib. 1. de appell. part. corp. humani.

[m] Arist. lib. de sens. & sensili. cap. 7. Alex. Aphrodiseus & alij in com. eiusd. cap. Dandinus comm. in lib. 2. de anima digress. 51.

[n] Arist. lib. 2. de anima tex. 92.

[o] Exercit. 115. n. 15.

[p] Lib. 2. de anim. tex. 75. 98. 114. & 116.

[q] Lib. quòd animi mores &c. cap. 9.

[r] Lib. 2. à tex. 136 ad textũ 149.

[s] Lib. de iuuent. & senect. cap. 3. lib. de sens. & sensil. ad finem necnon lib. de somno & vigil. cap. 2.

distinguamus. Fieri autem non potest seu visum seu auditum, se supra proprios actus reflectere, cùm sint facultates materiæ planè immersæ, & ad solum intellectum pertineat cognitionem reflexiuam facere. [t] Sed nec distinguere diuersorum sensuum actus possumus, nisi alio sensu qui singulorum sensationes agnoscens, singulas ab inuicem discernat. Qui ideò communis appellatur, quòd vt aiebat Themistius [u] sit veluti iudex ad quem pro tribunali sedentem, externi quinque sensus sua quique referant. Alij illum rectè circuli centro comparant: quod cùm vnum sit & indiuiduum, communis tamen est terminus omnium linearum quæ à circumferentia intrò ducuntur. Hunc verò sensum non Aristoteles modò agnouit: sed eumdem Plato [x] & Galenus [y] admittunt. Neque Sanctorius, [z] suam cum ratione tueri potest sententiam: cùm ait communem sensum in quinque externorum sensiteria esse dispersum, imò nullum esse internum sensum qui communis debeat nominari, sed eos actus quos communi sensui tribuimus ad imaginatiuam pertinere. Si enim sensum communem admittit, vnū agnoscat necessum est: qui si vnus est, per quinque externorum sensiteria dispergi nō potest, cùm vnius numero accidentis plura non possint esse subiecta loco distincta. At si nullum velit appellare communem, agnoscat tamen sensum aliquem internum qui singulorum externorum sensationea & aduertat & inter se discernat: nos talem communem appellamus, vocet ille A, aut B, vt volet.

t Dandinus in lib. 3. de ani. digr. 4. multis probat nullum sensum sensionē suam sentire.
u Com. in tex. 149. lib. 2. de anima.
x In Theato.
y Lib. 7. de plac. Hipp. & Plat. cap. 6.
z Quæst. 44. in artem par.

Præter hunc tamen internum sensum iam descriptum, aliam præterea dari cum Aristotele, [a] censemus, qui quæ à sensu communi in præsentia sunt agnita, etiam in absentia cognoscat: & qui ex obiectis sibi à sensu communi imaginibus, vt mox explicabitur, varia componat & fingat; ipsóque dormiente animali ea quæ in somniis apparent cognoscat. Etenim cùm certum sit bruta animalia plurima inter dormiendum somniare; neque vllum illis ab extra obiectum communicari, neque à sensibus ipsis externis tunc præsertim feriantibus, & proprios actus in tãtum tēpus nō reseruantibus, quidquam internis sensibus obijci: alterum fieri necessum est; aut sensum communem quamuis organicum & materialem reflectere se supra se, & imagines sibi ipsi insculptas intueri, quod solius est intellectus; aut sensum internum dari communi superiorem, cui quæ in sensu communi sunt impressa, externo absente obiecto, & inter dormiendum repræsententur. Quem sensum phantasiam & imaginationem appellamus; cùm vtriusque vocis idem sit significatum.

a Lib. 2. de anima tex. 155. & 156.

Obiectum sensûs communis, sunt externorum omnium sensuum actus: à quibus solis species quæ sensui communi imprimuntur emanant. Neque enim species ab externo obiecto propagatæ intrò permeant: cùm suo officio iam functæ sint, nec possint repræsentare quod deinceps repræsentandum est, ac demum quòd ab obiecto tantùm visili efferantur species, aliorum autem sensuum obiecta realiter facultati vt probatum est obijciantur. Neque sensus ipse cōmunis ex speciebus organis sensuum impressis sibi accommodatas species præparat: cùm nulla sit occasio recurrendi ad tale effectiuum principiū, ne in intellectu quidē (vt mox probabitur) multo verò minùs in sensibus. Quod vt intelligatur sciendū est actionē omnē in duplici statu concipi, vt scilicet est in fieri & vt est in facto esse. In fieri ad categoriā actionis spectat: in facto esse verò ad tertiā qualitatis refertur speciē, & actus appellatur. Qui similitudo quædā est obiecti, & velut expressa eiusdē imago. Cūque qualitatis omnis vt cæterorū accidentiū sit in subiecto recipi; actus autem immanentes (quales sunt actus omnes facultatū cognoscitiuarum) in ea ipsa facultate recipiantur à qua producuntur: eamdē vt seipsis ita etiam similitudine obiecti informantes, quodāmodo obiecto similē reddunt. Ea verò ipsa expressa imago & sensationis actus, cùm sit vera qualitas, hoc etiam habet omni vero enti commune vt apta sit cognosci.

Quod vero fieri tunc aduertimus, cùm nos videre, audire, odorari, gustare, & tangere cognoscimus. Ac quoniam actus huiusmodi se per seipsos sensui communi repræsentare nequeunt, cùm accidentia non possint de subiecto in subiectum moueri; nec se per medium propagare, quia non sunt sibi similium productiui: necessum est illos in modum obiectorum visûs sui speciem effundere, quæ totam illorum naturam superiori facultati repræsentet.

Sic visionis actus verbi gratia quo primùm instanti productus est, sui speciem diffundit; quæ per conueniens medium scilicet per spiritus animales in nerui optici cauitate contentos in sensûs communis organum lata: & obiecti imaginem quam refert, & idipsum à visu cognitum prædictæ facultati repræsentat. Obiecti quidem imaginem, quia cum externa species prima sit imago rei visæ, ex qua facultas visiua vitali in eam factâ conuersione secundam efformat imaginem quæ visionis est actus: species ab hoc emanans cùm eiusdem imaginis alia sit imago, obiecti etiam imago est. Sicque obiectum referens, præterea illud visum significat: quia præterquam imaginis obiecti est species: eiusdem etiam vt actus est, species est. In hanc autem visionis speciem sibi impressam, sensus communis vitaliter conuersus, proprium actum, non aliter ac de visiua facultate dictum est elicit, quod primò obiectum est itidem referentem. Inter actus autem sensûs communis & externorum sensuum ea est differentia: quòd hi quidem in paucum tempus durent, ne illis diu in facultate perseuerantibus, internus sensus, externa obiecta præsentia arbitratus eluderetur. Qui præterea cùm ad præsen-

tiam

tiam tantum obiecti conseruentur & per species ab illis emanantes sensus communis ad operandum excitetur, eidem non nisi præsente obiecto operari conceditur: externorum actuum speciebus propagatis per spiritus qui per nerui corpus diffunduntur, siue in illis manifesta sit cauitas siue latens; tenuitate, puritate, & quiete eorumdem spirituum plurimùm ad commodiorem prædictarum specierum propagationem inseruiente, nullo tamen interno lumine necessario. Contrà sensûs communis actus qui sunt expressæ rerum cognitarum imagines, in longum tempus conseruantur & durant. Vnde eadem facultas velut horreum est & theca imaginum omnium rerum ante per sensus cognitarum.

Organum tandem sensûs communis in ea cerebri parte constituimus, ad quam conueniunt nerui omnes qui ab externorum sensuum organis ad cerebrum tanquam lineæ à circumferentia ad centrum ducuntur. Talem autem ex anatome eam esse deprehendimus cerebelli substantiam quæ quarto postremóque & principi cerebri ventriculo in speculi concaui modum obiicitur, & illius posteriorem faciem complet: ad quam neruorum omnium principium rectà dirigitur, & vnde animales spiritus deportati in omnes nostri corporis neruos diffunduntur. Ad perfectam autem cognitionem eorum quæ ad hanc facultatem spectant, explicandum hoc loco occurreret quomodo illi sensûs communis actus & rerum cognitarum expressæ imagines eam facultatem informent, quæ sint tabellæ in quibus pingantur, quóque ordine disponantur: ac demùm quomodo lateant aliquando cùm requiruntur, aliàs ad fastidium vsque importunè se prodant. Sed in neminem vnquam incidi qui me hæc docere potuerit. Effectus experiri plerunque licuit: causæ autem in humanæ (aut saltem meæ) ignorantiæ thesauro sunt absconditæ. Cùm enim scientiæ supellex sit admodum pauper: contrà ignorantiæ immensi sunt thesauri. Hoc vnum tamen frequenti experientiâ comprobatur, cerebro incalescente faciliùs species ex prædictis imaginibus effundi, easdémque cum maiori impetu (præsertim si illud siccius etiam euaserit) phantasiæ obijci: eodem verò aut refrigerato, aut importuniùs humescente, non aliter ac visibilium species per crassioris aëris caliginem minùs apparent, easdem vix se manifestare.

Phantasia quam à sensu communi te distingui docuimus, non solùm in præsentia obiecti operatur animalium cognitione cum ea facultatum subordinatione progrediente, vt externi primùm sensus quæ ab extra obijciuntur agnoscant, exinde quæ agnita fuerunt ad sensum communem referantur, ac tandem eadem vt principi phantasiæ communicentur: sed etiam obiectis absentibus, & post longum tempus quæ semel agnouit recognoscit iterum.

Quam visum & visionem appellat Cicero, quòd ea imagines rerum absentium ita intueatur, vt eas oculis cernere ac præsentes habere videamur. Eamdem Latini posteriores imaginariuam dixerunt, quòd habeat pro obiecto rerum à sensu communi cognitarum imagines quæ non aliud sunt quàm eiusdem sensûs permanentes actus, qui res vt cognitæ fuerunt perfectè exprimunt. Perperam verò nonnulli imaginatiuam à phantasia distingunt, cum idem Græcâ phantasiæ voce significetur, & imaginatiuæ Latinâ

Huius autem vt diximus obiectum cùm sint actus sensûs communis, qui semel eliciti in multum tempus conseruantur; atque hi, vt cætera entia realia sint cognoscibiles per species à se emanantes, quas tam præsente obiecto externo quàm eodem absente effundunt: cum phantasia se his vitali conuersione [vt in aliis dictum est] applicat, suum actum elicit, visionis quidem præsente obiecto, memoriæ autem & recordationis eodem absente. Etenim cum memoriæ duo officia esse dicantur, scilicet species in longum tempus reseruare, & rerum aliàs cognitarum recordari: ambo hæc, non vnius sunt facultatis munera; sed species quidem in sensu communi vt dictum est reseruantur, imaginatiua autem quæ aliàs cognita sunt, iterum & tertiò absente obiecto per species ab imaginibus in sensu communi expressis emanantes cognoscens, eorumdem recordatur.

Quæ non ita à principum Philosophorum sententia absunt, quin Aristotelis [b] & Galeni [c] doctrinæ consentiant. Eadem verò facultas, solita nobis vigilantibus vix alia cognoscere quàm externa obiecta quæ ab externis sensibus per intermedium communem sensum excipit: si aliquando (mente reflexioni per morbos, aut inter dormiendum non attendente, & phantasiæ visa non emendante) quidpiam intra nos fiat quòd illi internus tactus suggerat, illud ad externa obiecta proximè ad id quod obijcitur accedentia refert. Ita ille apud Galenum [d] ob sonum intra auris concham editum tibicines tibiis in cubiculo canere imaginabatur, quos excludi requirebat. Neque aliter inter dormiendum alius leuiore colico dolore vexatus, somniabat se turbatum mare contemplari. Eidem præterea facultati accidit inter dormiendum ex plurium imaginum æqua vi simul apparentium concursu, varia fingere, quæ numquam eâ formâ sensibus apparuerunt. Vnde constat εἰδωλοποιητικὴν facultatem eamdem esse cum imaginatiua: atque ad hanc pertinere Hippocentaurum, Chimæram, montem aureum, & similia fingere. A qua etiam æstimatiua re non distinguitur:

b *Lib. de memoria & reminiscentia cap. 1. & 2.*
c *Lib. 2. de motu muscul. cap 6.*
d *Lib. de diff. sympt. cap. 3.*

cùm

cùm eiuſdem ſit res obiectas intueri & eaſdem vt conuenientes vel inconuenientes æſtimare. Quod cùm dicitur fieri, ſpecies inſenſatas ex ſenſatis eliciendo: ita intelligatur, id ab ſpecie ab obiecto emanante non primò ſignificari, ſed ſecundariò; ſcilicet per quamdam ſpeciei modificationē, ei per quam communia externorum ſenſuum obiecta innoteſcunt reſpondentem, à qua ex naturali inſtinctu brutis indito & à quo ex præſcripto Creatoris diriguntur, aut citra hunc in nobis, quidpiam vtile aut noxium eſſe ſignificatur. Non enim ad ſenſus pertinet ſpecies ex obiectis elicere, imò ne ad intellectum quidem: ſed vtriuſque eſt per obiectas ſpecies moueri. Verùm de hac difficultate & controuerſiâ aliàs. Quare facultas hæc ea omnia cognoſcit quæ per ſpecies ab actibus ſenſûs communis emiſſas illi obijciuntur; ſeu præſente obiecto, ſeu eodem abſente, ſimpliciter intuendo, componendo, æſtimando, aut memorando. Cognitorum tamen nullum in brutis reſeruat exemplar, nec proprios actus in longum tempus conſeruat. Quoniam in his id foret inutile; cùm ea reflexionis incapax non poſſit in proprios actus conuerſa illos iterum examinare. Ideoque bruta etſi præteritorum meminerint, ſe tamen memorari non cognoſcunt. Neque vnquam imperus internarum cognitionum emendant: ſed cùm alicuius memorantur, in conſimiles inſultus feruntur quales fuerant primâ vice paſſa (vt Equi Darij ſecundò hinnientis vbi pridiè equam inierat hiſtoria confirmatur) niſi fuerint caſtigata. Etenim quia in parem aut ſimilem caſum incidentia, omnium quæ aliàs occurrerant recordantur, niſi ſint admodum ſtupida; quodam quaſi diſcurſu vti videntur, vt vel ea vitent quæ ſibi nocitura apparent vel ea proſequantur quæ placent. In homine verò, cùm imaginatiua præter officia quæ in brutis exercet, ordinetur etiam ad phantaſmata intellectui ſuggerenda; illam in nobis ſuos actus in multum tempus reſeruare cenſeo, quòd multorum ſimplici apprehenſione memoriâ intellectiuâ memoremur, quæ intellectui à phantaſia ſuggeſta eſſe probabiliſſimum eſt; cùm reflexio in iudicio aut diſcurſu magis quàm in prima operatione mentis aduertatur.

Organum phantaſiæ, ab organo quidem ſenſûs communis diuerſum eſſe ex eo conuincitur, quòd primùm has facultates eſſe inter ſe re diſtinctas probatum ſit: tum quòd ſenſu communi rectè operante & ſingula qualia ſunt aduertente, phantaſia prout æſtimatiua eſt erret, omnia deteriora quàm ſint concipiens, vt plurimis melancholicis accidere comprobamus. Verùm qua in parte ſit conſtituendum non ſatis patet. Probabiliter tamen dicerem eſſe poſtremos illos cerebri veluti colles qui in eminentiori quarti ventriculi ſede conſtituti, nates infantium quodammodo imitantur: qui in ſpeculorum connexorum morem imaginum expreſſarum ſpecies ex præſignato ſenſûs communis organo excipere commodiſſimè poſſunt: & tori quarto ventriculo imminentes, quò lubuerit ſpiritus imperij ad motum delatores impellere, ad motionem quibuſuis partibus pro arbitrio indicendam.

Cogitatiuam nullam dari, certum eſt: tum quòd qui illam introducunt eamdem eſſe ſtatuant in homine cum æſtimatiua brutorum: tum quòd affirmatio alicuius de aliquo quæ huic conceditur facultati, ad potentiam altioris ordinis ſpectet, & ad ſecundam mentis operationem pertineat, cuius eſt aliquid de aliquo affirmare aut negare.

Reminiſcentia demùm quæ eſt præteritorum non facilè occurrentium recordatio, cum diſcurſu & ratiocinatione quæſita: inter facultates organicas non eſt recenſenda, ſed ſpiritalibus annumeranda.

Spiritalis facultas cognoſcitiua, intellectus appellatur, mens, & ratio aliquando: à Græcis verò νοῦς, λογικὴ δύναμις, νόησις, & διάνοια nuncupatur. Cuius organum nullum eſt, & immateriali ratiocinantis animæ ſubſtantiæ immediatè inhæret. Eius autem obiectum, eſt id omne quod aliquam entitatem habet, aut habere fingitur. Eiuſdem tres ſunt operationes; ſimplex apprehēſio, iudicium, & diſcurſus. Atque huic ſoli datum eſt poſſe ſe reflectere ſupra ſe, & ad proprios actus examinandos iterum ſe conuertere: necnon quæ aliquando cognouit iterum in ſeipſo intueri. Quæ omnibus aliis facultatibus denegantur: quemadmodum & formales rationes rerum ab inuicem abſtrahere, vt eſſentiam à proprietatibus, & naturæ communis diuerſos gradus ſingulatim apprehendere, rationémque ſpecificam à conditionibus indiuiduantibus, aut contra. Is autem etſi vnica ſit & ſingularis facultas, prout tamen quæ apprehendit non ordinat ad opus, ſed ad ſolam veritatis cognitionem ſpeculatiuus appellatur: quatenus autem quæ apprehendit ordinat ad opus practicus nominatur, dicitúrque motiuus voluntatis, non vt exequens motum, ſed vt dirigens ad motum.

Sed difficultas eſt quomodo quæ ab intellectu cognitione directâ cognoſcuntur illi obijciantur. Quoniam cùm intellectus ſit purè ſpiritalis phantaſmata autem ſeu ſpecies emanantes ab actibus imaginatiuæ ſint vtcumque materiales, non videntur poſſe mouere intellectum, cùm materiale non poſſit agere in ſpiritale. Hinc Peripateticorum ſchola intellectum agētem introduxit, qui ex phantaſmatibus ſpecies ſpiritales eliciat, quæ in intellectu patibili ſeu poſſibili exceptæ, ad intellectio-

nem

nem faciendam obiectiuè concurrant. Verùm cùm entia non sint multiplicanda sine necessitate, vt spiritalis anima, quæ est radicale principium omnium facultatum, informat materiale hoc nostrum corpus, illique vnitur, ita nihil vetat ex supposita præordinatione Creatoris in his quæ vnionem duplicis illius substantiæ in homine consequuntur, species eas quæ ab imaginationis materialibus actibus emanant, posse in intellectu recipi. Præsertim cùm materiale aut immateriale in accidentibus, non aliunde pendeat quàm ex subiecto cui accidentia inhærent: quod si materiale sit, accidentia sibi inhærentia facit esse materialia; at si id spiritale fuerit, spiritalia. Præterea quod ad intellectum agentem negandum nos plurimùm mouet id est, quòd cùm certum sit intellectum nec perpetuò intelligere, neque perpetuò ad intelligendum ferri, sed à præsentia phantasmatum excitari: concipi non potest quomodo à phantasmatibus excitetur, nisi dicatur ab eisdem immutationem aliquam pati, quæ non alia esse potest, quàm speciei à phantasiæ actibus emanantis repræsentatio. Adde indiuidua ab intellectu intuitiuè cognosci; non solum quæ singularia sunt in vna specie sed & alia: necnon eumdem per prudentiam non solùm in vniuersalibus sed etiam in singularibus authore Diuo Thoma[e] occupari. Prudentia enim ex eodem[f] in intellectu est subiectiuè, & intellectualis virtus saltem secúdùm essentiam.[g] Quare eiusdem actus intellectûs etiam erunt actus. Confirmatur ex eo quod Theologi num talis humanus actus Petri sub enunciatis conditionibus induidnantibus sit peccatum mortale aut veniale ratiocinando determinant. Iurisconsulti an Sticus ex verbis sub tali forma conceptis censeatur à Patrono manumissus, varia per discursum examinantes decernant. At medici non Sorti aut Calliæ tali febre cum tali symptomatum particulari syndrome, & tali virium consociato robore aut imbecillitate, tali die & horâ, mittendus sit sanguis aut exhibendum pharmacum non absque rationali perquisitione excutiunt. Sed talia intellectus examinare, & quid in singulis decernédum sit definite non potest; nisi singularia ipsa de quibus ferendum iudicium est ante cognoscat. Quare horum singula intellectui obijci, & ab eodem excuti necessum est, citra vllam vniuersalis speciei à phantasmate indiuiduorum repræsentatiuo abstractionem quam intellectus agens fecerit. Quod si verum est, vt constat, neque in alijs directis intellectionibus, huius operâ indigebimus. Vnde non immeritò Angeli ipsi à plurimis Theologorum dicuntur res singulares agnoscere, non per species genericas aut specificas sibi concreatas: sed per species ab ipsis rebus emanantes; quod probabilissimum esse censerem.

e 1. 2. q. 47. art 3. in resp. q. 49. art 2. ad 1. art 5. ad 2. art 7. in corp. ... art. 1. ad ... 2. q. 65. art. 3. in corp. & 1. 2. ... art 3. in corp. ... g 1. 2. q. 58. art 5. ad 1. & 2. 2. q. 181. art. 2. ad 3.

Reflexiua autem cognitio non fit per nouam speciem à verbo mentis emanantem, & intellectui obiectam; quoniam nulla facienda est transmissio imaginis rei obiectæ à potentia in potentiam: sed per inexplicabilem planè modum quo intellectus eos ipsos actus speculatur, quibus iam antea fuit informatus. Vnde Auerrhoës[h] inquit intellectum adeptum (idest plurimarum rerum cognitionem consequutum) eùm habemus, ex nostra voluntate pendere intelligere quodcumque intelligibile valuerimus, ex præintellectis supple. Cùm autem intellectûs reflexionem fieri experiamur: quomodo tamen eadem fiat, cùm anima à corpore separata, intellectûs sui iuris erit noscere concedetur.

h In lib. 3 de anima com. tex. 36.

Demùm quoniam intellectio in facto esse verbum mentis appellata, species, & rerum intellectarum expressa imago, in ipso intellectu recipitur; neque de subiecto in subiectum mutari potest, atque ideò eamdem in eodem reseruari necessum est: sequitur memoriam intellectiuam, quæ est intellectionum omnium penu, ab intellectu non nisi formaliter esse diuersam. Hinc Iosephus Angles in quæstionum theologicarum floribus,[i] memoria inquit idem quod intellectus cum specie. Et recordatio intellectiua nihil aliud est, quàm mentis in intellectionem iamdudum conceptá intuitiua reflexio. Reminiscentia verò, quædam est cum discursu facta recordatio, quæ homini propria, non alterius est facultatis actus, quàm intellectûs, præcognita cum aliquo discursu requirentis.

i Dist. 8 q. 1. diffic. 13. concl. 1.

Appetitiuæ facultates aliæ cognitionem sequuntur, aliæ non. Hæc appetitus naturalis dicitur, tam animatis quàm inanimatis rebus communis; appetitus per similitudinem & analogiam appellatus. Estque inclinatio quædam qua vnumquodque nullâ præeunte notitiâ fertur in id quod sibi conueniens est. Qualis est propensio elementorum in locum naturalem, & appetitus congrui alimenti in plantis. Is autem inter facultates animales minimè recensetur. Cognitioné sequuntur duo alij appetitus. Ac sensitiuá quidé, is sequitur qui sensitiuus appellatur, & omnibus animalib⁹ cõmunis est. Intellectiuá verò, voluntas homini inter animalia peculiaris. Qui ambo, eliciti etiá appetitus appellãtur, quòd suos actus eliciãt: vnde & ipsi actus appetitûs interiores, vt loquitur D. Thomas[k] seu per quos in id quod obijcitur inclinatur, vel idé auersatur, eliciti nuncupãtur: exteriores verò, qui scilicet executioné respiciunt inclinationis appetitûs, imperati nominãtur. Vtriusq; autē tã sensitiui quã rationalis appetitûs obiectũ est bonũ seu verũ seu apparēs. In quod ferũtur, nõ quòd nouã specie sibi repræsentatã moueantur: sed per subordinationē actuũ eiusdē re facultatis, formaliter autē diuersæ. Quæ inter sensus, rem obiectã vltimatè cognoscens, imaginatio aut phantasia, in mente verò intellectus appellatur: prout autem altetutra in id fertur quod sub ratione boni obiectum

k 1. 2. q. 18. art. 6. in corp.

est, appetitus aut voluntas nuncupatur. Nam vt habet Aristoteles, [l] neque diuersum appetens, & fugiens; neque inter se, neque à sentiente: sed esse aliud. In appetitu autem sensitiuo (nobis cum cæteris animalibus communi) nulla per se libertas inest: sed pro conceptu imaginatiuæ, ad prosequutionem aut fugam necessariò inclinatur, tam secundùm exercitium quàm secundùm specificationem. In homine tamen, qnia is rationi & voluntati subiacet, cohiberi, flecti, & vinci potest: sed cum labore, & renitentia. Quoniam vt dicebat Diuus Paulus, [m] caro concupiscit aduersus spiritum. Huius præterea operatio, non tantùm est appetere & prosequi quod apprehenditur vt conueniens; sed etiam fugere & auersari quod vt noxium & contrarium concipitur: ab appetitione tamen quæ potior est illius operatio denominatur. Quia verò non solùm boni & conuenientis in quod appetitus fertur, sed & mali etiam quod idem auersatur, diuersa est ratio, quod scilicet alterutrum vel est simpliciter tale, vel arduum: idem appetitus in concupiscibilem & irascibilem formaliter distinguitur. Concupiscibilis in ea absolutè ferri dicitur, quæ nobis conueniunt aut conuenire videntur; contraria autem recusare & fugere. Cuius inclinationi si quædam resistant, & obstent: quia ad hæc tollenda & superanda media, vehementiore conatu mouetur & inclinatur, irascibilis nomen assumit. Estque inter hos necessaria actuum subordinatio. Sed de his fusiùs cùm de animi passionibus commodiore loco agemus. Voluntas demùm est appetitus rationalis, quo actu elicito, ferimur in bonum vt bonum est. [n] Atque idex Diuo Thoma [o] bifariam, vel simplici appetitu alicuius rei, quo dicitur velle; vnde vulgò asseritur voluntatem esse de fine qui propter se appetitur: vel appetendo aliquid propter alterum consequendnm, quod eligere nuncupatur: & propriè est eorum quæ sunt ad finem, aut inter plura dissimilia aut contraria ad vnum potiùs quàm ad aliud inclinatio. In obiecta autem ita voluntas fertur, vt liberè possit secundùm exercitium ferri aut non ferri in id quod obijcitur; & hoc aut illud medium ad finem eligere, libero agendi arbitrio dotata, & tantæ libertatis vt in his cogi minime valeat. Quæ tamen aliquando necessariò secundùm specificationem operatur: ita vt circa talem obiecti comprehensi rationem, talem actûs speciem elicere cogatur: vt bonum in communi cùm obijcitur non potest auersari, sed appetere cogitur.

Vltima animalis facultas est loco motiua, progressiui motûs, apprehensionis, & cuiuscumque alterius voluntarij motûs author. Quæ nobis vt cæteris perfectis animalibus tributa est, vt inclinationi appetitûs efficaciter satisfiat, & quod cupitum est bonum, vel quæramus vel amplectamur: malum autem quod abhorremus, vel expellamus vel fugiamus. Ea verò duplex est, imperans, & exequens. Illa quidem licèt ab anima re distinguatur, ab appetitu tamen animali formaliter tantùm differt. At eius actus imperatus quo obedientialis membrorum potentia prosequutionem aut fugam explere iubetur, ab ipso actu elicito prosequutionis aut fugæ realiter distinguitur. Realem prædictarum facultatum vnitatem ex eo infertimus, quòd tam parùm ab inuicem diffideant rem agnitam nobis placere, & in rem nobis placentem inclinari & ferri; vt facilè ambo ab eadem facultate fiant: vnum quidem actu elicito, aliud verò imperato. Ac maximè cùm ea sit inter prædictos actus naturalis subordinatio: vt à cognitione ad appetendum moueamur, & ab appetitione ad motum conceitemur. Motus enim omnis qui secundùm naturam est, appetitûs inclinationem & impetium sequitur: seu in actu exercito, scilicet tacitâ voluntate præcedente, & καθ' ὁρμὴν, idest, ab instinctu, vt nobis dormientibus: seu in actu signato, quando expressum est voluntatis imperium, aut vt ex Scaligero loquitur Laurentius, [p] κατὰ προαίρεσιν, idest, ab electione, vigilantibus & cogitantibus nobis. Atque ideò meritò à Medicis is motus voluntarius appellatur, necnon animalis: quòd solis animantibus insit.

Sed ad appetitûs impetium exequendum in corpore, aliam necessariam esse facultatem censemus, quæ proximis atque immediatis motûs instrumentis annexa, te à priore distinguatur. Quæ vt suos actus exerceat, tria requirit in organis. Primùm quidem, vt in parte mouenda debita sit articulorum ad flexionem dispositio: tum vt flectentium organorum decens sit aptitudo: tandem vt necessarius influxus à principe membro in partes mouendas feratur.

Organum prioris illius facultatis quam imperantem appellauimus, vel est inhæsionis, vel transmissionis imperij. Inhæsionis vel nullnm est, si illa sit spiritalis: vel cerebrnm, si sit organica. Transmissionis autem instrumentum, sunt spiritus animales: quià cerebro in singulas partes mouendas, per neruos quasi per canales & tubulos transfusi, appetitûs imperinm deferunt. At posterioris facultatis quam exequentem diximus organa singulis partibus mouendis particulatim destinata, sunt musculi. [q] Qui cum dissimilares ex multis similaribus partibus componantur; ad flexionem tamen, aut tensionem, & partium huc aut illuc adductionem, quæ familiarior est musculorum actio, quam se contrahendo perficiunt; tum ad impulsionem & vibrationem, qua vehementiores membrorum extẽsiones, saltus, & similes expulsiuos motus exequuntur, vnam inter cæteras habent

homo-

l Lib. 3. de anima sex. 49.

m Ad Galathas cap. 5.

n D. Thomas 1. p. q. 59. art. 4. in corpore.

o 1 p. q. 84. art 4. in corpore.

p Lib. 9. Ana. q. 19.

q Gal. lib 1. de motu muscul. cap 1. lib. 1 de symp caus. cap 1. lib. 1. de loc affect. cap. 6. & lib. de cons. art. cap 4.

homogeneã substantiã, quæ primariũ est actionis instrumentũ. Quã dicimus esse nerueã illã fibrosã substantiã, quæ per musculi corpus disseminata abit in tendinẽ, aliquãdo longũ, aliàs latũ nounnunquam manifestum, aliàs obscurum. Quippe ex Galeno, [r] neruorum fibræ per musculum dispersæ, primæ sunt quæ mouent: necnon ex eodem, [f] singulorum quæ mouentur instrumentorum corpora; pro fibrarum positurã motus habent. Quod non solùm verum est in partibus quæ motu naturali mouentur; sed in ipsis etiam musculis, qui secundùm propriarum fibrarum situm suos motus absoluunt. Estque ea substantia fibrosa ad nixum in mouendo necessarium maximè idonea, & ad contractionem reciprocámque laxationem mirum in modum apta. Caro verò musculosa quæ ex sanguine circum illam seminalem substantiam effuso generatur, minùs apta est ad nixum illum in mouendo necessarium, commoda verò ad contractionem prædictarum fibrarum iuuandam: tum sua mollitudine, tum inductâ in musculo crassitie. Mercatus verò, [t] dum carnem principem esse musculi partem probare nititur, nihil aliud conuincit quàm quod à nobis de fibrosa musculorum substantia per earnem dispersã assertum est.

Motricis autem huius facultatis etsi multiplices sint actiones iam antè insinuatæ, quæ suám distinctionem capiunt tum à partium motarum varietate, tum maximè à fine in quem singuli motus destinantur: non tamen hic opus est in singularum explicatione occupari, & modum exprimere quo seu comprehensio per brachia & manus; seu progressio tibiarum pedúmque beneficio, seu totius flexio aut tensio per spinæ vertebras, his musculis operantibus, quos singulis prædictis atque aliis membris natura attexuit, perficiantur. Facilè enim hæc omnia in anatomicis demonstrationibus discuntur: & longiore oratione quàm hic locus patiatur; essent explicanda. Verùm cùm iam ante docuerimus quomodo & quorum organorum operâ fiat respiratio, opportunum videbitur hic explicare, quomodo vocem & loquutionem formemus, quas facultatis animalis & loco-motricis imperio ad arbitrium fingimus. Sed his singulare debetur caput.

Antequam verò hoc ipsum finiamus, explicandum est, quomodo facultate animali eisdem neruis spirituum sibi subseruientium delatoribus vsã, ad sensum totius & motum: accidat aliquando sensum perire manente motu, alias motum deperdi sensu integro. Galenus, [u] bellè sic hanc quæstionem soluit, vt si cute ablatã subiectus ei nudus musculus immobilis appareat, tangentem tamen sentiat, paruam ei noxam incidisse putandum sit: vtpote qui tantùm animalis virtutis acceperit; quantùm ad sentiendum quidem est satis, ad musculum autem mouendum minimè sufficiat. Scilicet quod cùm neruos liberiores esse oporteat ad eos continendos spiritus qui ad ferendum imperium facultatis motricis principis sint satis: leuiter obstructi eos adhuc spiritus contineant qui ad delationem specierum actnum tactûs abundè sufficiant. Nunquam autem contingit musculum quempiam moueri qui item non sentiat. Quod si acciderit cutem musculo superiacentem sensum amittere, cùm interim ipse moueatur: nihil est quod miremur. Quoniam tunc neruus qui in cutem dispergitur initiã aliquã affici potuit, dum ramus qui in musculum diffunditur, nullam sit læsionem passus.

r Lib. de plenit. cap. 5.
f Lib. 3. de facult. natur. cap. 8.
t Lib. 1. tom. 1. q. 1. 10. n. 9
u Lib. 1. de sympt. caus. cap. 5.

De voce & locutione.

Capvt IX.

CVm perfecta animalia in multiplices appetitûs motus incidentia, aliquo indigerent; quo internos affectus sibi inuicem manifestarent; natura his quæ respirant, vocem concessit, quæ seu longè latéque effusa, seu tacitè susurrata, & in distans & in propinquum aliorum auribus accepta, potest pro multiplici varietate quam subit, & propè & procul diuersa singulorum pathemata enunciare. Vocem quidem à Græcis φωνὴν appellatam illis omnibus largita est, quæ cùm pulmonem habeant, aërem inspirando trahunt, expirandóque expellunt: cæteris vero seu piscibus seu insectis quæ eo viscere carent, pro voce nutus quosdam aut motus edere dedit, quibus illius defectum compensent At homini vt reliquorum principi, politico, societatisque amanti, & omnium excellentissimam conditionem Optimi Creatoris largitate nacto, locutionem etiam Græcis αὐδὴν καὶ διάλεκτον, dictam qua & Adorandi Plasmatoris grataas laudes efferret cum iubilo, & in ciuili conuersatione quæ mente conciperet, aliis explicaret. Vocis autem nomen nonnulli sub latiore significatu quàm par sit assumentes. vt Ammonius [a] & alij, dixerunt vocum aliam esse significatiuam & articularam vt hominis: aliam significatiuam & illiteratam seu inarticulatam vt latratus canum; aliam significatu carẽtem & literatam, vt blitiri: aliam demum nec literatam nec significatiuam, vt sibilus: cùm tamen vox propriè dicta sit sonus in larynge per efflationem cum significandi proposito editus. Nam ex Aristotele, [b] non omnis animalis sonus, vox: & textu 90. Sed oportet & animatũ esse verberans, & cum imaginatione aliqua: significatiuus enim quidã sonus vox; & (vt Boëthus scribit [c])

a In librum περὶ ἑρμηνείας.
b Lib. 2. de anima.
c In lib. de interpretatione.

 vox

Vox omnis animalis aut ex animæ passione, aut propter animi passionem profertur. Necnon vt habet idem Aristoteles, [d] vox est molesti & iucundi significatiua.

At sermo seu loquutio ex Alberto Magno [e] est vox articulata, quæ mentis conceptum enunciet. Vnde Trismegistus [f] scribit intelligentiam sermonis esse sororem: & à Platone [g] vox organum Philosophi appellatur. Atque hanc vocem quidem esse dicimus, quòd quemquam sine voce loqui non contingat: atque ideò minùs accuratè Auerrhoes [h] nutum qui sine voce fit, sub locutione comprehendit: & angelorum locutio non nisi per analogiam quamdam finis, hoc sibi nomen vendicat. Quæ vt colligitur ex D. Thoma, [i] est communicatio quædam propriorum conceptuum alteri facta, per species voluntariè ab angelo loquente effusas. Vocem inquam, ideo locutionis genus constituimus, quòd illius quàm huius vniuersalior sit notio: & vox proximè in articulatam & inarticulatam distinguatur. Articulatam prætereà apposuimus vt differentiæ partem: quòd locutio cùm alia à vocis organis instrumenta requirat: per hæc, illà vario ad inuicem concursu multifariam quodammodo articulatâ, diuersus literarum sonus efformetur, ex quibus verba, & ex his locutio componitur. Ac postremò ad integram eius naturam explicandam, eâ mentis conceptus enunciari, addimus: quòd quantumuis articulata sit vox, nisi ea sit conceptûs aliouius significatiua, sermonis aut locutionis nomen minimè mereatur. Quare his vox à locutione discernitur: primò, quòd illa, latiùs hac pateat. Secundò quòd ex Aristotele [l] cùm vocem habeamus à natura, locutionem discamus. Vnde non vnus est omnium hominum sermo: & qui à natiuitate sunt surdi, iidem sunt muti. Tertiò quòd cùm omnibus, vt diximus, animalibus pulmonem habentibus vox sit concessa, ad sensum molesti & iucundi significandum: homini soli sermo conueniat, ad vtilitatem aut damnum iudicandum; ad id quod honestum est aut turpe, iustum vel iniustum exprimendum: & ad id quod verum aut falsum est docendum. Licèt enim psittaci, picæ, corui, atque alia huius ordinis animalia articulatas voces edant, quas aliquando didicerunt; non loquuntur tamen, sed voces imitantur humanas: & aues reliquæ quæ ex Aristotele [m] voces quodammodo dearticulare dicuntur, vt perdices caccabare, atque aliæ trissare; non nisi per analogiam quamdam vocem articulare feruntur.

Et quamuis luscinia ad harmonici sui cantûs imitationem proprios pullos instruat; ac quodammodo vocem articulare vario flexu doceat: quia tamen quæcumque ea sit articulatio multò minor obscuriórque humanâ est, nec ad diuersos mentis conceptus humano more exprimendos destinatur; sed ad solam Creatoris summam potentiam sapientiámque homini significandam, admirabili gratiâ efformatur, locutionis nomine non comprehenditur. Vocis autem non vnum est & simplex genus, sed differentiæ multæ: quarum primà à quantitate non molis, sed virtutis petitur; quatenus scilicet ea in longum & latum atque omnino & multum, vel in breue & angustum planéque paruum spatium effundi potest. Atque inde vox magna vel parua appellatur, quam Quintilianus [n] grandem & exiguam vocat. Inter cuius differentiæ extrema, mediæ sunt plures species, & ab ima ad summam, ac retrò multi sunt gradus. Magnitudinis enim varietates aliquot exprimunt, ingens, erecta, boans, plena, teres, & contenta: vt patnitatis, pusilla, tenuis, exilis, tenera, mollis, summissa, inclinata, inflexa, & languens. Secundò à soni acuto aut graui tono, notissima, vt ait Aristoteles, [o] ea sumitur differentia, ex qua vox alia acuta seu excitata; alia grauis vel obtusa appellatur. Quæ denominationes, aduertente Rhodigino, [p] ab his quæ tanguntur translatæ, sonis accommodantur. Vt enim quod in mucronem fastigiatum est, momento penetrat; quod verò hebetius retusiúsque est; non ita, sed morâ & segniter: consimiliter acuta vox auditum peruellit ac fodicat; grauis obtundit veluti trudendo. Tertiò ex eo quòd vox secundùm omnes vel minimas contentionis & remissionis differentias, facilè aut difficilè percipiatur, ea differentia desumitur, à qua illa vel clara, argentea, puta, candida, limpida, nitida, splendida, lenis, suauis, canora, & resona dicitur: vel contrà, obscura, fusca, aspera, rauca, subrauca, subsurda, & dissona nuncupatur. Quæ cùm vix aliquod nomen sortiatur, quo proximè talis differentiæ natura exprimatur, varias appellationes accepit, quæ per metaphoram desumptam à rerum visibilium aut tactilium vt plurimùm varia dispositione, voci tribuuntur. Quartò, ex maiore aut minore celeritate & frequentia, tarditate aut raritate exsufflationis ad vocem efformandam necessaria, vòx alia libera, fusa, liquida, & concitata appellatur: alia verò lenta, contracta, angusta, impedita, & anhela nuncupatur. Ac quintò demùm, ex eo quòd facilè aut difficilè vox in diuersos tonos, differentésque intensiones & remissiones vertatur, alia facilis & flexibilis: alia dura & à Græcis σκληρά, atque à Plutarcho [q] ἄπλαστος appellatur: quam Timæus Locrus [r] inconcinnam & dissonam nominauit.

Locutionis differentiæ plurimæ eædem sunt quæ & vocis: quòd cùm ad locutionem vox omnino sit necessaria: imò & hæc, illius sit veluti genus, quæ voci adueniunt, eadem & locutioni accidant. At quæ sermonis sunt propriæ, illi conueniunt vel prout locutio à Gram-

ma-

d Lib. 1. politic. cap. 2.
e Lib. de anima tract. 1. cap. 2.
f In Pimandro cap. 4.
g Lib. 9. de Republica.
h Lib. 1. Rhetoric. tract. 2. cap. 2.
i Prima part. quæst. 107. art. 1. in corp. & in sine resp. ad 3.
l Lib. 4. de histor. anima. cap. 9.
m 4. de hist. animal. ad finem cap. 9.
n Institution. orator. cap. 3.
o 4. de hist. animal. c. 9.
p Lib. 19. lection. antiq. cap. 13.
r In Cicerone Lib. de anima & natura.

matico & Rhetore, vel quatenus eadem à Medico consideratur. Etenim locutio prout ad Grammaticum vel Rhetorem pertinet, vulgò dicitur congrua vel incongrua, à Quintiliano [f] recta, à Cicerone [t] pura & polita, [u] emendata, necnon lenis, vel agrestis appellatur, aut contrariis donatur epithetis. Prout autem ad Medicum spectat, ea sola locutionis differentia spectabilis est, secundùm quam locutio alia sine vitio est, alia vitiosa. Vitio carere dicitur, quæ cùm clara, lenis, sit & libera quascumque literas perfectè articulatas effert.

Vitiosam autem hîc appellamus, non deperditam aut imminutam, sed deprauatam tantum. Imminutionis enim vitium cùm voci accidat, locutioni tamen vt tali nequaquam aduenit. Deperdi verò & locutio potest, & vox. Illa quidem, hac manente; quod vitium κώφωσις appellatur; & ἀναυδία: in qua, ex Galeno, [x] saluâ voce amittitur sermo. Quæ si ad tempus tantùm intercipiatur, ἀφασία nuncupatur, Lælio Bisciola monente. [y] At vox deperdita, quæ ἀφωνία dicitur sermonem etiam tollit. Deprauatur autem locutio variis modis. Primò quidem, cùm ægrè loquimur, hærentes in syllabarum prolatione, eamdem ac primam maximè, repetere coacti. Tum secundò, quando citra hæsitantiam literas aliquas difficilioris prolationis vt K. L. Q. & R. efferre non nisi peruersè valemus. Ac tertiò demum cùm ex nimia præcipitatione loquendi syllabam aliquam omittimus, & primas vltimis connectentes, medias elidimus. Quibus vitiis etiam disiunctim affecti, communi voce μογίλαλοι à Græcis appellari consueuerunt, vt testatur Aetius, [z] atque ideo ægra omnis & vitiosa locutio μογιλαλία vocatur. Quòd si huiusmodi vitia ex eo nascantur, quòd liberè curuari lingua non possit: seu ob immodicam fræni illi suppositi & fili vulgò dicti duritiem aut productionem: seu ob aliquam cicatricem quæ linguæ ex vlcere aut vulnere acciderit: ab eodem Aetio ibidem, ἀγκυλόγλωσσοι voce comprehenduntur. Singula verò ab Aristotele [a] propriis nominibus exprimuntur. Linguæ enim hæsitantia ἰσχνοφωνία appellatur, vt luculenter explicat Fœsius, [b] licèt eodem nomine tenuis vox plerunque significetur, & penè eiusdem sit significati cum λεπτοφωνία, vt ex Galeno [c] & Hesychio docet Mercurialis. [d] Eam tamen ibi Galenus inter ἰσχνοφωνίαν & λεπτοφωνίαν differentiam intercedere statuit, vt illa, ab angustia asperæ arteriæ & gutturis accidat: hæc verò à musculorum guttur mouentium innato vitio.

At illa aliquot literarum difficilis enunciatio τραυλότης & τραυλισμός Latinè balbuties nominatur. Præcipitata demum syllabarum elisio ψελλότης, Latinè blæsitas solet appellari. Verumtamen apud plerosque τραυλότης καὶ ψελλότης pro eodem vsurpari consueuerunt, vt idem Bisciola monet. Nam Galenus [e] ψελλίζεσθαι prolationis vitium est, inquit, non vocis. Sic & τραυλίζειν eiusdem significationis verbum, nequeunte linguâ exquisitè eas dearticulare voces quæ per T. & R. proferuntur.

Causa vocis materialis, est aer qui per os & palatum ad cordis refrigerium attractus, postquam eius portio ad generationem spirituum vitalium consumpta est, cum fuliginosis cordis excrementis per tracheam arteriam & laryngem exsufflando excernitur. Etenim cùm vox sonus sit aliquis, atque is, aere ad durum quidpiam aut duri naturam subiens colliso elisóue producatur: non potest vocalis soni accommodatius subiectum excogitari, quàm fumidus ille aer non molli expiratione, sed violenta exsufflatione à pulmonibus emissus, & ad lingulam laryngémque collisus. Formalis eiusdem causa, est ipsa sonora prædicti aeris ex thorace foras expulsi ad glottidem & cauum gutturis facta collisio. Finalis autem est passionum seu affectuum animæ expressio: in quem vsum, vt diximus, animalibus aerem spirantibus vox fuit ab Optimo Creatore concessa. Efficientis rationem subeunt ea omnia organa, quæ vel ad dicti aeris violentam expulsionem, vel ad illius collisionem elisionemque multifariam euariantem, inseruiunt.

Ad expulsionem faciunt pulmones, qui per thoracis violentam depressionem & contractionem partim à diaphragmate, maximè verò ab internis musculis intercostalibus procuratam, prædictum aerem violenter expellunt. Trachea arteria, via est per quam fertur impulsus aer ad laryngem cartilagineum, politum, & concauum; vbi elisus, inde vuulæ, quam vocis plectrum appellant, occurrens, vocalem sonum absoluit. Sed quoniam vt dicebat Galenus, [f] quinque hæc se necessariò consequuntur, expiratio, exsufflatio citra strepitum, strepens exsufflatio, vox, & loquela: quæcumque prioribus actionibus edendis necessaria sunt, eadem posterioribus inseruiunt: & deficiente priorum aliqua, statim cessant quæ eamdem consequuntur: vt notabili historia docuit Galenus. [g] Singulis autem hæc speciatim famulantur: expirationi quidem diaphragma cum pulmone: exsufflationi citra strepitum, musculi intercostales, strepenti exsufflationi trachea arteria, at proprium vocis organum est larynx. Verùm quia in larynge variæ reperiuntur partes, quæ ad formandam vocem singulæ diuersimodè concurrũt: quæ in eo sit princeps &

[f] Lib. 1. instit. oratoria c. 6.
[t] Lib. 4. ad Herennium.
[u] Lib. de claris oratoribus.
[x] Lib. 4. de locis aff. c. 6.
[y] Tom. 1. horarum subsecivarum lib. 8. cap. 18.
[z] Lib. 8. c. 36.
[a] Sect. xi. problem. 30.
[b] In œconom. Hipp. in voce ἰσχνόφωνοι.
[c] 1. in 1. epid. com. text. 7.
[d] Lib. 6. variar. lect. c. 4.
[e] 6. aphor. 32.
[f] Lib. 4. de loc. aff. cap. 6. alias 7.
[g] Lib. 1. de loc. aff. cap. 6.

Primarium vocis organum est inquirendum. Laryngem complent tres cartilagines, θυρεοειδὴς seu scutiformis; innominata seu χρικοειδὴς in annuli Turcici speciem efficta; & ἀρυταινοειδὴς seu in gutturnij arytænæue vasis figuram efformata: tum musculi passim illi adnascentes; glottis seu lingula; ac demum nerui qui his omnibus inseruntur à sexto pari, ac qui particulatim in sex musculos aperiendo claudendóque laryngi deputatos distribuuntur, ex Galeno [h] à recurrente dicto exorti. Inter quas omnes partes illi principatus deberi videtur, quæ nusquam alibi reperta & huic membro propria, ideo illi à natura tributa censetur, vt functionem sibi à Creatore impositam, eâdem principaliter exequatur. Ac quoniam ea in larynge glottis est, eamdem cum Galeno, [i] & Clarissimo Fabricio ab Aquapendente, [k] præcipuum esse vocis instrumentum asserimus: in qua omnis ea varietas sonoræ elisionis aëris, quæ rationem formalem vocis complet, accommodatè efformatur. Etenim cùm aëris elisio fieri non possit, nisi is per angustam viam extrusus exiliat: neque ad placitum euariari elisio queat, nisi eadem viæ angustia voluntario partis motu varietatem admittat: non est alia in larynge pars quæ ad prædicta sit magìs accommodata quàm lingula, quæ in medio larynge sub epiglottide sita, & ex interno musculorum pari membranâque ab vtroque arytænoidis processu vsque ad oppositam scutiformem hinc inde protensa, prædictósque musculos inuestiens, in modum lingulæ Musicis fistulis appositæ conformata; se ad libitum voluntatis variè arctando laxandóque, & aëris elisionem causat, & eamdem multifariam euariat. Vnde Aristoteles [l] non posse vocem edere inspirantem ait, neque expirantem (supple libero hiatu) sed detinentem: mouet enim hoc, retinens, per angustias scilicet glottidis. Atque ea est cuius operâ fiunt harmonieæ illæ spiritûs productiones, quæ maxima suauitate & gratia aures titillantes, animum extatica penè voluptate demulcent. Quæ etsi sola elisionem aëris non faciat, & vocalis soni non sit sola, autor: ea tamen vna est quæ ita sonorum aërem modulatur, vt sola sit causa omnis illius varietatis vocis, per quam varia animi pathemata significantur, & quæ voci formam tribuit. Glottidem autem principes vocis organum esse, id maximè conuincit, quòd si lingulæ motus cesset, neruis recurrentibus, & qui in musculos eam laryngémque ipsum aperientibus & claudentibus inseruntur, sectis, aut obstructis, vox integrè deperdatur. Cúmque hæ sint vniuersales vocis causæ; quæ eiusdem designatas iam ante differentias causant sunt huiusmodi.

h 7. de vsu part. cap. 14.
i Cit. lib. 7 de vsu part. cap. 11. & lib. 1. de loc. aff. cap. 6.
k Lib. de voce part. 2. c. 4.
l Cit. sec. 11. 50. lib. 2. de anima.

Magnam quidem vocem facit, facultatis animalis thoraceam mouentis, pulmonúmque vigor, & aëris efflati copia: multus enim aër nunquam magnâ vi emittitur, quin magnam vocem edat, argumento problematis 5 j. sect. xj. contra paucus aër, pulmonum vitio, aut ob facultatis animalis imbecillitatem, neruorum intercostalium torporem, aut neruorum recurrentium perfrigerationem, languidè emissus, paruam vocem facit. Neque à Galeno [m] nos quisquam dissentire existimet, cùm ille magnitudinem vocis scribit asperæ arteriæ latitudinem & excrementem efflatum sequi. Namque nos vehementem efflatum, qui parum à magna voce differt, per illius causam facultatísque vigorem exprimimus; & pro arteriæ latitudine, aëris efflati copiam dicimus: quòd multus aër per angustam viam non facilè emitti affatim possit. Quia tamen accidit aliquando vocem & magnam & simul acutam esse, fierique potest vt cum magno impulsu multus aër per angustiorem arteriam emittatur: ideo censemus, meliùs per multi aëris efflationem, quàm per amplitudinem arteriæ, causam magnæ vocis exprimi. Quomodo autem, vt eodem loco docet Galenus, magna vox secundariò à calida naturali temperie cordis ac partium pectoralium prodeat; explicat abundè Aristoteles, [n] quòd qui prædicta membra calida habent, cogantur multum aërem ad opportunum refrigerium inspirare & consequenter expirare: quod vt commodè fiat, arteriam per quam aër ingreditur & regreditur amplam esse necessum est. Atque ideo natura nostræ compaginis opifex omnia sapientissimè dispensans, prout principi membro temperiem hancaut illam largitur: ita & membra eidem subseruientia ex ratione conformat, quâ commodissimè possunt indicto sibi officio satisfacere.

m Cap. 67. artis paruæ.
n Cit. sect. 11. problemat. non problem. 30.

Acutæ vocis causa, est asperæ arteriæ, laryngis, ac præsertim glottidis, fauciúmque angustia, vt fusè & accuratè à Clarissimo Fabricio ab Aquapendente fuit explicatum. [o] Hinc pueris, mulieribus, decrepitis, & spadonibus vox acutior est: [p] horum enim spiritalia membra ob calorem remissiorem angustiora sunt. Quæ si præterea acuta & magna fuerit, cum prædictarum partium angustia, vim aerem expellendi robustam arguit; atque inde [q] vocem acutiorem longiùs audiri contingit: quòd qui vocem acutam habent, modò & magnam (seu si quis ita malit, vehementem) aerem minùs effusum, vehementiùs impellant. Sic [r] aqua frigida ex eodem vase profluens, acutiùs quàm calida obstrepit: quia vt densior & grauior; ita maiore vi & celeriùs illabitur.

o Lib. de voce parte 3. cap. 11.
p Ex probl. 16 13 & 63 cit. sect. 11.
q Ex probl. 47.
r Problem. 10 i Problem. 3. & 16 cit. sect.

Potest autem vox acuta simul & parua esse, quam exilem appellamus: cuius acuties, non vt Aristoteli placet [s] à pauci aeris veloci motu prodit: qui enim impulsum habent imbecilliorem, nec vehementer, nec celeriter mouere quidquam possunt, vt in pulsuum tractatione explicatũ est:

sed à sola tenuitate emissi spiritûs procedit, etsi languidè impulsi, à tenuitate quidem, quia [t] quæ tenuia sunt, cùm in modum lineæ vnam tantùm habeant dimensionem: ab angustia suæ secundùm latitudinem extensionis, acutiem consequuntur. Hinc [u] vocis acumen, non solùm in velocitate mouendi, sed in obstrependi etiam nimia tenuitate consistit. At languidè etiam aliquando spiritum impelli ab his quorum acuta est vox, ex eo patet, quòd ex eodem Aristotele, [x] flentes, languidiùs expirantes, vocem habeant acutam: & metuentes, [y] & pueri imbecilliores adultis, [z] & debiles vt legitur problemate vigesimo primo. Atque inde præterea constat, quæsito Aristotelis problemate sexto, optimè responderi, voces è longinquo ideo acutiores videri, quòd spiritûs impulsi vis iam marcescens, aures tenuiter feriat.

Grauis autem vox redditur, vel ob longitudinem arteriæ, vt in cygnis & gruibus experimur: vel ob amplitudinem eiusdem, seu à calore procuratam, vt in adultis respectu ad pueros, [a] & in ridentibus respectu ad flentes aduertimus; [b] necnon in his comprobamus, quos ἀγωνιῶντες appellat Aristoteles, [c] qui animi sollicitudine pressi, timore, irâque, aut saltem appetitûs irascibilis impetu concurrentibus, vt est apud Galenum [d] post retractionem caloris ad intima, vt habetur [e] mox spiritus in partes superiores effundentes, vt erubescentibus mos est, vocis instrumenta dilatant: [f] seu eamdem asperæ arteriæ amplitudinem causet humoris copia laxans, vt vaccis & vitulis respectu ad tauros accidere notat Stagirita [g] & ebriis si eum sobriis conferantur, vt habetur problemate quinquagesimo sexto.

Ac demum vocem grauem reddit efflati aëris crassities; tùm quòd is molliùs impellatur, tum quòd præ crassitie plurimùm lingulam exeundo dilatet. Vnde hyeme vox cuiusque est grauior, [h] quæ pro ratione maioris angustiæ arteriæ per hyemem quàm æstate, futura erat acutior, vt habetur [i] citato problemate quinquagesimo sexto, quod prioribus aduersari videbatur.

Vox clara, canora & candida, partim vt explicat Clarissimus Fabricius, [k] à libero vtriusque meatûs, narium & oris, ductu procedit: partim læuitatem arteriæ, laryngis, & glottidis; partim puritatem & tenuitatem exsufflati aëris sequitur. Fusca verò, rauca, & clangosa, qualis gruum est, vel ab impedito narium ductu, vel ab asperitate arteriæ & laryngis, seu nimiam siccitatem (vt in clangosa quam causo laborantes plerunque edunt) seu humectationem immodicam, seu vlcus consequente; [l] vel ab vuluæ erosione procedit.

Libera & expedita vox, spiritûs tenuitatem & puritatem, facilemque motum partium omnium spiritalium & voci inseruientium sequitur: vt lenta & anhela à spiritûs crassitie, & multò magis à pulmonum, vel etiam à musculorum laryngis infartu nascitur.

Flexibilis vox & ad quoscumque tonos facilè vertibilis, prodit, cùm ab ea partium spiritalium constitutione, quæ fit ab omni vitio libera; tum maximè ab expedita cartilaginis arytænoidis articulatione cum innominata: necnon à facili contractione & laxatione musculorum arytænoidem & lingulam mouentium, quam illis proprij corporis tenuitas & εὐφορία conciliat. Inflexilis verò & dura à contrariis causis nascitur.

Atque hæc de vocis eiusdémque differentiarum causis satis. Nam quæ ad aphoniæ causas spectant in praxi proprio capite perquiremus. Iam ad sermonis seu locutionis eiusdémque differentiarum causas explicandas transeamus.

Locutionis ergo materialis causa eadem quæ & vocis, spiritus scilicet efflatus, qui à pulmonibus per laryngem, fauces, ductum palato superiorem, & os cum impetu emittitur. Formalis est ipsa vocalis articulatio, quia diuersi literarum coalescentium soni consequenter exprimuntur. Finalis est explicatio verbi mentis & cuiuscumque interni conceptûs. Efficiens tandem sunt organa articulandæ voci à natura dicata. Quæ etsi varia sint, vt docuit Galenus, [m] ad eámque non parum conferant gurgulio, palatum, narium foramina, dentes, & labra: lingua tamen principatum obtinet, vt idem Galenus [n] non rarò docuit. Vario enim linguæ motu, eiúsque ad dentes & palatum multiplici allisione diuersas proferri literas, vti & labiorum differente motu, inter loquendum probamus: & palato ex vlcere perforato, locutionem amitti experimento nouimus in Nobili D. Franciæ Feciali, & in aliis animaduersum fuit ab Amato Lusitano, [o] & Foresto. [p] Qualis autem ad singulas literas efferendas, linguæ laboriúmque motus requiratur, quisque per se ipsum illas concinnè pronunciando meliùs aduertet, quàm possit calamo aut oratione explicari.

Perfecta locutio & quæ sine vitio est, à singulorum organorum debita temperie & absoluta conformatione dependet: vitiata verò, temperaturæ aut conformationis peccata sequitur. Ac quidem Aristoteles [q] causam omnis deprauatæ locutionis, hæsitantiæ, balbutiei, & blæsitatis, ad linguæ imbecillitatem refert; quæ non valeat mentis conceptus qua suggeruntur celeritate exprimere: & [r] ad perfrigerationem membri quo loquimur: nam & [s] ἀγωνιῶντες inquit (initio quidem suæ anxietatis quando pauor iræ præualet) violentiis magis hærere linguâ; quòd quodam quasi stupore

t Ex eodem problem. 16.
u Probl. 20.
x Probl. 50.
y Problem. 32
z Problem. 14
a Probl. 14.
b Probl. 13. 15. & 50.
c Probl. 31. 32. & 53. eiusd. sect. 11.
d 2. de sympt. caus. cap. 5.
e Probl. 36.
f Ex problem. 32. & 53. eiusd. sect.
g Probl. 14.
h Probl. 37. & 61. citatæ sect.
i Cit. probl. 56.
k Loco suprà citat.
l Argumento probl. 11. 12. & 22. sect. eiusdem.
m Lib. 4. de loc. affect. cit. cap. 6.
n Ibidem. & 2. in 1. epid. com. text. 78. atque alibi.
o Centuria 5 curatione 14.
p Lib. 12. obseruationum obseruat. 23.
q Sect. 11. problem. iam sæpius citato problem. 30.
r Probl. 54.
s Probl. 36.

[t] Probl. 30. sect. 6. [u] Ex probl. 30 sect. 1. [x] Comm. in aphor. 32. sect. 6. [y] 1. in 2. epid. com. text. 78. [z] Libro de medicationib. & 2 epid. sect. 1. [a] 1. prorrhet. & lib. de morbo sacro.

affecti, refrigeratam linguam, atque inde impeditam mouere nequeant. & [t] rigentium lingua hæsitare dicitur, seu quòd rigore concrescat ac indurescat, seu quòd humore introrsum pulso, vt in vinolentis, [u] madescens, suo fungi officio non possit. Galenus item [x] solius humiditatis immodicæ in his, qui naturâ balbutiunt, id prolationis detrimentum symptoma esse scribit, cùm linguæ musculi nequeant firmiter stabiliri: atque hoc ei accidere, vel propter suam, vel propter neruorum quos à cerebro suscipit, imbecillitatem. Idem [y] ἰσχνοφώνους καὶ τραυλοὺς in prima conformatione ait, ea vitia contrahere, ob caloris innati infirmitatem. Ante hos verò Hippocrates, [z] qui inter loquendum hæsitant, vt nec labris moderari queant (vel vt Valesius legit, & manuum non sunt potentes) si hæc cessent, purulenti euadunt: materiâ scilicet vocis organa emolliente, & labiorum aut manuum tremorem inferente, in thoracem illabente: vt contrà [a] pueros epilepsia laborantes ab ea liberari aliquando scribit, si ἰσχνόφωνοι fiant depulsâ materiâ epilepsiam faciente, in musculos linguam mouentes, parte in quam materia decumbit desectuosiora redditâ.

Verùm vt prædicta symptomata varia sunt & inter se plurimùm differunt; ita non vnam esse omnium causam existimo. Quare saluo meliore iudicio, hæsitantiam linguæ seu ἰσχνοφωνίαν, à linguæ magnitudine & crassitie, musculorúmve eam mouentium imbecillitate; aut à semiobstructis neruis qui hisce partibus inseruntur, potiùs quàm aliunde pendere censerem. Huiusmodi enim vitia ad expeditè loquendum magno sunt impedimento, & remorantur loquentes donec conciatiore impetu lingua excitata inchoatam orationem expleat. Tales enim maiore conatu ad lo-

[b] Probl. 35. cit. tam sæpius sect. 11.

quendum moueri docet Aristoteles, [b] dum explicat cur linguâ hæsitantes summissè loqui nequeant.

[c] Tom. 2 lib. 18. cap. 18.

Balbutiem & τραυλότητα facit nimia linguæ humiditas, quæ ad duriores & difficiliores literarum articulationes eam minùs habilem reddit: vnde per ætates siccescentibus nobis remittitur hoc vitium: nam Cuspiniano apud Bisciolam [c] referente, Maximilianus Imperator Friderici III. filius ad nonum annum vix potens fari, euasit eloquentissimus. Imò idipsum exercitatio ie improba exsiccante, etiam in integrum emendatur, vt Demosthenes accidisse scribunt classici authores varij.

Secunda balbutiei causa est linguæ breuitas, ob quam ea nequit se dentibus tanta firmitate applicare, quantâ ad quasdam literas proferendas requireretur. Ac demum τραυλοὶ fiunt, ob nimiam fræni quod filum vocant, longitudinem, aut duriorem cicatricem, à quibus impeditur lingua se versus palatum sic eleuare & inflectere vt in quarumdam syllabarum prolatione expedit.

Tandem blæsitatis seu ψελλότητος causa, nimia est mentis celeritas; ad cuius conceptus exprimendos cùm lingua non sufficiat, nitens velocem mentis motum assequi; cogitur verba dimidiata aut intersecta proferre quòd Gallicè dicitur; *bredoüiller.*

[d] 2. epidem. sect. [e] 11. probl. 38. & 60. [f] Lib. 3 fen. 6. tract. 4 c. 18. [g] 7 aphor. com. aph. 40. [h] Ex aph. 32 sect. 6.

Quæ si vera sunt, quomodo fieri potest, vt scribit Hippocrates, [d] balbos & qui inter loquendum hærent morbis conflictari admodum melancholicis? & vt habet Aristoteles, [e] hæsitantes linguâ, habitu esse melancholico? necnon vt eisdem consentiens Auicennas notat [f] traulos & syllabam multoties repetentes antequam dictionem proferant, ad melancholiam esse præparatos? Hæc enim ex eo non leuem faciunt difficultatem, quòd & τραυλοὶ & ἰσχνόφωνοι, ea vitia vt plurimùm à pituita linguam eiusque neruos laxante & emolliente contrahunt. Dubium auget, quòd cùm melancholici morbi ex Galeno, [g] sint vel melancholia morbus, vel cancer, elephas, scabies, lepra, vitiligo nigra: & quartana febris: aduertamus balbos plurimos ad senectutem vsque peruenire, nullos ex prædictis morbis passos. Quinimò ob nimiam humoris pituitosi copiam à cerebro in ventriculum decurrentem, [h] balbi longo alui profluuio maximè corripiantur. Quæ difficultas vt diluatur, sciendum est, prædicta ab Hippocrate, Aristotele & Auicenna, non esse sub tam vniuersali propositione enunciata, vt singulis generum conueniant; atque ideo verum sit dicere, μογιλάλος est, vitióque aliquo in articulando sermone detinetur; ergo melancholicus est; sed de generibus singulorum esse intelligenda, ita vt verum sit aliquos tam τῶν ἰσχνοφώνων quàm τῶν τραυλῶν καὶ τῶν ψελλῶν, melancholicos esse: ψελλοὺς autem maximè ad huiusmodi morbos esse procliues.

Quod vltimum ex eo constare maximè reor, quòd qui psellotide seu blæsitate laborant, cùm celeres admodum habeant animi motos, cerebroque propterea sint calido, ijdemque plurimùm sint biliosi ob coniunctum hepatis calorem: nihil mirum si succedente ætate euadant melancholici imò & atrabilarij. De quibus præsertim loquutum esse Hippocratem patet, [i] cùm inquit, balbu-

[i] 2. epid. sect. 6

tientes & volubilitate linguæ præditos, melancholicos & plurimùm biliosos esse. Licèt enim hos traulos vocet, eum tamen de illis loquutum, quos speciatim ψελλοὺς appellauimus (cum huiusmodi vocum significata plerunque confundi ex Galeno suprà docuerimus) id indicat, quòd

eosdem

eosdem ταχυγλώσσους appellet, vt balbutiem cum linguæ celeritate coniunctam, quam nos cum Aristotele ψελλότητα seu blæsitatem nuncupauimus, significaret. Inter ἰσχνοφώνους autem & τραυλοὺς propriè dictos, quidam merè sunt pituitosi, quidam etiam melancholici. Planè quidem pituitosi sunt illi, qui albi, molles, tardi, somnolenti & hebetes; vel crassam simul & mollem linguam, vel lentos ad motum musculos, vel neruos laryngis & linguæ pituitâ emollitos habent. At qui cum vel crassiore linguâ, vel aliter quomodocumque impeditâ, celeres habent animi motus, suntque ad concipiendum prompti omnes, melancholici aut sunt, aut per ætatem euadunt. Etenim cùm huiusmodi calido sint cerebro tenuisque substantiæ, atque ideo in passiuis saltem temperato: fieri non potest illis, vocis sermonisque organa tantâ humiditate aliunde perfundi, quàm à copiosa illa pituita quæ intra cranium concrescit ex vaporibus vi intensioris caloris iecoris, à membris naturali facultati primariò subseruientibus sursum eleuatis, & à capite in subiectas partes illabitur. Certissimum autem est in his qui calidiore sunt hepate primùm multam flauam bilem generari, per ætatis verò progressum & sicciorem corporis constitutionem calore acriore reddito, nigram etiam plurimùm abundare. Quibus præterea melancholiam ingenerari procurat frequens illud tædium, quo capi consueuerunt cùm expeditè, & articulatè loqui non possunt; ad inuoluntariam & coactam taciturnitatem plerunque adacti.



De calido innato & humido primigenio.

LIBER SEXTVS.

POSTQVAM de facultatibus animæ ad nobiliorem humani corporis viuentis partem cognoscendam facientibus egimus: vt nobis integrè quæ hominem complent, innotescant: quæ & qualia sint communia instrumenta, quibus facultates animæ ad operandum vti consueuerunt, operæ pretium est explicemus. Quæ cùm nullo probatæ famæ scriptore ambigente, duo esse dicantur, calidum innatum humido tum primigenio tum radicali consociatum, & spiritus: vtriusque natura & proprietates inquirendæ veniunt. Ac primò quidem de innato calido tractandum est nobis: quòd cùm illud animæ cum corpore vinculum esse non pauci profiteantur, nescientes qualis & quanta sit formarum cum corporibus informatis vnio, non aliud ab eo dici possit prius animæ corpus nostrum informantis instrumentum. De cuius natura cùm tam variè scriptum sit à classicis etiam viris, vt quò plures legantur, eò magis ambigant ingenia in eo definiendo eiúsque internoscendâ substantiâ: difficillimum esse agnoscimus, tam paucis admodum cognitam, quænam sit posse exprimere. Ea tamen nos Dei fauore adspirante, confidentia tenet, vt si quis omni maleuolentia destitutus, vel leui veritatem agnoscendi desiderio teneatur, hanc tractationem legens fateatur, nos innato calido obscuritatis merè inuoluto lucem aliquam intulisse, quam qui sequentur illustriorem reddent. Quoniam verò illud à plerisque principium & fons vitæ dicitur: vt quid ea de re sentiendum sit discamus, quid vita sit primò inuestigemus.

Quid vita; & quanta sit ad illam tuendam caloris necessitas.

CAPVT I.

VIVERE id omnes censent, quod, vt habet D. Thomas, [a] in naturali dispositione constitutum, seipsum secundùm aliquam speciem motûs mouet: seu vt docet Aristoteles [b] intelligendo, sentiendo, localiter mouendo, seu veget ndo id fiat. At vitam, vel ipsum operandi essentiale principium: vel eiusdem operationem, esse, necessarium videtur. Quare in alterutram partem varij inclinant. Aristoteles ipse non semper eamdem sequitur sententiam: is enim aliquando [c] vitam in anima esse profitetur: quam etiam [d] nutritiuæ animæ mansionem esse definit. Vti apud eumdem [e] antiquiores nonnulli, coniunctionem animæ cum corpore, ipsum viuere esse dicebant. Speciatim autem nutritiuæ seu vegetantis animæ mansionem dixit: quòd cùm inter viuentia, vegetantium infimus sit gradus, & superiores (in mortalibus saltem [f]) eminenter inferiores includant in quocumque viuente vegetandi principium inesse necesse sit. [g] Aliàs [h] contrà, vitam autem, inquit, dicimus nutritionem, accretionem atque decretionem, quæ quidem per ipsum fit, quod viuere dicitur.

Vbi non vt Dandino [i] placuit, per vitalem operationem actum primum substantialis vitæ subindicat. Sed in actu secundo vitæ rationem constituit. Mox enim [k] vltimam definitionis animæ particulam explicans, non est autem inquit, quod abiecit animam potentia existens vt viuat, sed quod habet: semen autem ex fructus potentiâ huiusmodi corpus est. Vt doceat, ad essentiam animæ spectare esse actum primum corporis organici quod in potentia sit ad vitam: scilicet ad actum secundum & operationem, quam illic vitam appellat. Ad quam varietatem conciliandam dicamus: vitam vel essentialiter, vel accidentaliter considerari. Essentialiter; vita, est ipsa animæ informatio. [l] Quodcumque enim vbi animâ informatum est: hoc ipsum, ex eo viuens est. Et ipsum viuere, inquit Aristoteles, [m] viuentibus est esse. Quo sensu viuere, ex D. Thoma [n] nihil aliud est quàm in ea natura constitui, quæ quomodocumque mouere seipsam possit. Et vita hoc ipsum esse, sed in abstracto: vt cursus, ipsum currere in abstracto significat. Atque sub hoc conceptu Aristoteles libro de vita & morte, vitam definit, & inde plantarum semina quandiu in se vegetandi principium habent, etsi actu non vegetent, viuere à plurimis conceduntur. Eadem ratione cum primùm

a Prima p. q. 18. art. 1. in corp. & in respons. ad 2.
b Lib. 2. de anim. tex. 13.
c 9 Metaph. tex. 16.
d Lib de iuuent. senect. vita & morte cap 14.
e 8 Metaph. tex. 16.
f Aristoteles 2 de anima tex. 15.
g Arist. 2. de anim tex. 13. 14. & 15.
h Cit. 2. de anima tex 3
i Lib. 1. de corp. human temp nc. 53.
k Tex. 10
l Alexand. Aphrodis. lib 2 de anima cap 10. vita autem pro[pria] nisi anima.
m Lib. 2. de anima citat. tex. 37.
n 1. p. q. 18. art. 2. in corp.

fœtus essentialiter viuere censendum est; cùm alimentum suscipere, atque ideo vegetare incipiunt. Quod quàm proximè à conceptu accidat: alibi docuimus. [o] Id autem nouisse maximi momenti est: tum cùm de pœna in eos decernenda agitur qui abortum prouocarunt, tum vt in multis casibus sacrum baptisma sub conditione liberiùs concedatur. Accidentaliter autem: vita, est quæcumque informantis animæ in corpore manifesta operatio. Ea enim viuenti iam in esse constituto superuenit. Quæ quoniam priore nobis est notior: ideo à pluribus vitæ nomine exprimitur. Sic Galenus, [p] actio animæ vita est inquit, & D. Bernardus [q], vitam, internum & naturalem motum appellat. Quos sequuntur plurimi, atque inter cæteros Turisanus, [r] & Fernelius, [s] qui tamen fallitur, cùm animantium vitam, facultatum actionúmque omnium conseruationem esse docet. [t] Siquidem in apoplecticis, paralyticis, cæcis, syncope, & hysterica suffocatione laborantibus: actiones plurimas, & facultates aliquas vita superstite abolitas esse, certissimum est.

Quæ cùm ita sint: eorum omninò expugnanda mihi videtur esse sententia, qui vitam neque sub essentiali, neque sub accidentali ratione conceptam definiunt. Vitam esse dicentes, permanentiam siue durationem calidi innati in humido radicali: seu vt loquitur Mercatus, [u] primam participationem calidi in humido, qui ad mentem Aristotelis [x] sibi loqui videntur: cùm postquam generationem definiuit esse primam participationem cum calido nutritiuæ animæ; addit statim, vitam autem huius mansionem esse. Sed neque Aristotelis mentem, neque veritatem attigerunt. Philosophus enim, vel solius nutritiuæ animæ, vel huius cum calido mansionem vitam appellauit. Solam verò primam calidi in humido participationem, vel permanentiam calidi innati in humido radicali, vitam nuncupare, omninò alienum est à ratione. Primùm enim, cùm Mercatus [y] vitam & viuere sic distinguat: vt vitam primam participationem, viuere verò continuationem illius participationis esse dicat. Viderit, num qui viuit citra vitam viuat: & vt motus in moto est, & cursus in currente, num vita etiam sit in viuente quæ si in iamdudum viuente est: definiri non potest, prima calidi in humido participatio. At nec calidi etiam innati in humido radicali duratio est. Siquidem cùm oporteat definitiones, solis definitis & semper conuenire. An hectici non viuunt? Qui tamen, cùm æquali calidâ intemperie laborent; atque ideò nullam habeant partem viuentem cuius calor temperaturæ cancellos non sit egressus: calidum habent innatum conuersum in aduentitium & igneum. Et contrà: an forsan viuunt, qui ex malignæ febris vehementia cùm iam animam exhalarint, motu omni, pulsu, & respiratione priuati; post alteram horam etiam calent, & pingue humidum quod in illis præerat copiosius retinent, quàm habeant marasmo laborantes?

Etsi verò neque in caloris permanentia, neque in illius participatione vita consistat: calorem tamen naturalem, calidúmque innatum, & humidum radicale, inter dispositiones ad vitam necessarias atque inter fomenta vitæ numeramus. Etenim cùm ad animæ introductionem, atque ad eius in operando famulatum; non congrua solùm organorum conformatione, sed commodâ etiam eorumdem temperaturâ sit opus; calidum humidúmque cæteris ad corporum viuentium crasim concurrentibus, prævalere necessum est. Quod sine caloris humorisque interuentu, viuentia nec generari, nec ali quidem possint.

Quæ docere volens Hippocrates, [z] tum animantia alia tum hominem ipsum, ex duobus differentibus quidem facultate, vsu autem concordibus igne scilicet & aquâ, constare asseruit. Igne, seu calore, omnia per omnia mouente: aquâ verò, seu humidâ substantiâ, omnia per omnia nutriente. Non quòd ea sola esse censeret quæ hominis compositionem ingrederentur, qui humani corporis elementa quatuor semper agnouit, [a] sed quòd hæc præcipua existimaret; aërem verò quasi ad contemperamentum ignis, & terram ad soliditatem aquæ tribuendam concurrere opinaretur. Qui prætereà elementa non remanere formaliter in mixtis frequenter [b] insinuans: igne tamen & aquâ animantia constare dixit, quòd qualitates singulas quarum operâ & ministerio sustentamur, primariis subiectis denominatiuè tribuens; ignis nomine, calorem calidámque omnem substantiam cuius ope vegetamus intellexerit; aquæ vero appellatione, humiditatem aut humidum quodcumque quo membrorum soliditas continuatur, eorumque omnis substantia alitur & augetur subaudiuerit.

Caloris autem quanta sit ad animantium vitam tuendam necessitas; id abundè demonstrat, quod ea calore destituta, priuentur & vitâ. Omne enim quod viuit, inquit Cicero, [c] siue animal, siue terra editum: id viuit propter inclusum in eo calorem. Quoniam is facultatum animæ primarium est instrumentum [d] & necessaria ad vitam dispositio: quo ad omnia naturæ munia obeunda, attractionem, retentionem, expulsionem, coctionémque maximè vtimur. Non solùm enim caloris concoctio est [e] quæ alimentum animalibus præparans, nec sine anima, nec sine calore fit. [f] Sed ad cætera etiam naturæ opera, efficax est & necessarius caloris concursus: qui ex Aristotele, [g] ad exequenda animæ officia, omnium maximè administrandi vim obtinet. Atque ideò animalia, inquit, [h] igne operantur omnia πυρὶ ἐργάζεται πάντα.

o Lib. 4. praced. cap. 5.
p Lib. de vtilitate respira. cap. 1.
q Lib. de libero arbitrio & gratia.
r Comm. 32. in lib. 2. artis parua.
s Lib. 5. phys. cap. 2.
t Lib. eodem cap. 36.
u Lib. 1. de puls. tract. 3. part 542. E. & 541. A.
x Cat. lib. de iuuent. senect. vita & mor. cap 14.
y Supra pag. 541. E.
z Lib. 1. de diata.
a Lib. de nat. hum. parte 1 tex. 11 & 14
b Citatis textib. libri de nat. humana
c Lib. 2. de nat Deorum.
d Gal. 14. de vsu part. c 6.
e Arist. 4. meteor cap. 2
f Idem lib. de iuuent. sen. vita & mor. cap. 8. & 2. de part. anim. c p 3.
g Lib. 2. de part. anim. cap 7.
h Lib. de resp. rat. cap 8.

Qui

Per viuentium corpora & calorem diffusum esse, & quidpiam quod calidi nomen mereatur.

Capvt III.

Cvm Aristoteles (ad quem sæpè vt ad Philosophorum principem,& sanioris doctrinæ authorem recurrimus) tam animalia omnia, quàm stirpes,principium caloris naturale habere dixisset: [a] id ipsum partibus pluribus accommodatum esse, quemadmodum cibi conficiendi administrationes asseruit. Quòd minimè sufficiat ad vitam,calorem in nobis κατὰ τὴν δύναμιν ac potestate tantùm consistere & latere: sed eumdem κατὰ τὴν ἐνέργειαν & actu per singulas viuentis corporis partes diffusum,& explicatum esse oporteat. Omnes enim nutritione indigent: quæ, calore supra eiusdem generis qualitates eminente, tanquam proprio instrumento vtitur. Qui si in aliqua parte aliquando à frigore superetur facultates in eadem operari desinunt, & emoritur membrum huiusmodi, νέκρωσιν que incurrit. Verùm cùm accidentis cuiuscumque sit inesse;eum etiam calorem qui in nobis est,in aliquo subiecto consistere necessum est. Quod licèt sit omnis substantia viuens; imò & quæcumque in ministerium partium viuentium cedit: tamen vt inter cætera quæ ἐν τῷ μεγακόσμῳ calorem participant, vnum est quod, cùm in eo calor præ reliquis eminentiùs insit, primum calidum appellatur, illique præsertim calidi denominatio tribuitur: atque id, ignis est. Ita in nobis & μικροκόσμῳ hoc,quidpiam inesse necessum est: quod præ cæteris maiorem habeat cum calore familiaritatem,& per excellentiam calidum nuncupetur. Præterquam enim quatuor elementis ad sublunarium compositionem concurrentibus, in quibusque mixtis quidpiam inest, quod ignis naturam redolens maximum habet cum calore commercium. Præterea quia crassa hæc & terrestris massa, ex prædominio frigidorum elementorum ad frigus magis inclinat,ideoque inepta est actualem in se calorem sponte conseruare:vt in minimis corporis nostri particulis ad vitæ munia obeunda necessarius calor perseueret, substantiam quampiam quæ sit quasi sedes, & fomentum caloris,per vniuersum corpus diffundi debere,certâ ratiocinatione colligitur.

a Lib. 2. de part. anim. cap. 3.

Quid innatus calor, calidúmque innatum antiquis esse dicatur: quantúmque illis tribuatur.

Capvt IV.

Antiqviores non Medici solùm, sed & Philosophi,quod à Latinis innatus calor, & quod calidum natiuum appellatur, vnica τοῦ θερμοῦ appellatione significantes, illud substantiam quamdam, & quodpiam nobis innatum corpus esse semper existimarunt. Quod euidenter passim [a] explicatum est à Galeno. Qui ideò calidum innatum non solùm moderatè calidum, sed præterea humidum esse dixit [b] & nostram caliditatem præterquam crassæ sit substantiæ,& halituusæ:insuper infirmam esse scripsit, [c] quòd non facilè mutet quod contingit. Ac demum calidum innatum substantiam seipsam mouentem,sempérque mobilem esse professus est. [d] Sed quænam ea & qualis sit substantia,minùs definitum legimus. Galenus enim sæpiùs in tanta librorum mole in calidi innati mentionem incidens,tam varius est:vt nihil ex eius scriptis ratum,firmúmque excipere valeamus. Qui aliquando [e] innati caloris (aut calidi potiùs) substantiam,aëream inquit esse,& aqueam:quam in bono sanguine consistere profitetur. [f] Aliàs [g] corpus quod calidum innatum est, sanguinem esse scribit:necnon [h] quod ingenitum ab Hippocrate calidum appellatur, essentiam in sanguine, sanguineísque visceribus repositam habere. Vnde si fieri posset inquit, [i] vt totum aliquando animal ex ossibus aut neruis constaret: hoc sanè modo innatus deperderetur calor. Quasi eo nerui, ossa, partésque his respondentes destituantur: quem in omnibus animantis partibus contineri, alibi [k] dixit. Cuius substantiam ex eo corpore excipi docuit, [l] quod primitus generandis adsit, semine scilicet & sanguine menstruo: necnon [m] vniuersis nobis calidum inesse elementum, à prima statim origine quam ex semine & sanguine menstruo sortiti sumus innatum. Libris verò de decretis Hippocratis & Platonis, [n] insiti caloris seu calidi substantiam,in sanguine & spiritu (non pituita, vt in vulgaribus codicibus legitur) subsistere scribit. Demumalibi [o] nihil prohibet, inquit,sanguineam substantiam simúlque seminalem,vnà cum spiritu,calidum inaudire innatum. Hippocrates autem cùm videatur per calidum innatum solum spiritum vitalem intelligere: illud non in dextro, sed in sinistro cordis ventriculo contineri docuit. [p] Sed qualemcumque eius substantiam esse existimauerint veteres: miras illi tribuisse dotes aduertimus. Galenus enim, natura inquit, [q] quæ solida corpora regit, secundùm Hippocratem est calidum innatum, τὸ ἔμφυτον θερμόν. Quod cùm in Hippocratem referat, alibi [r] ex propria sententia idem affirmauit:& naturam,atque animam nihil aliud quàm hoc ipsum existere scripsit.

a Lib. 1. de temp. cap. 7. lib. adu. Lycū. cap. 7. & 1. aph. 14
b Comm. 2. in lib. de nat. hum. comm. tex. 13.
c Lib. 1. de simpl medic. facul cap 18.
d Lib. de tremore palpit. &c. cap 6.
e Comm in aph. 14 l. 1.
f Com. in 7. lib. de salubri diæta.
g Lib. adu. Lycum cap 7
h Comm. 4 in 6. epid. comm. tex. 21.
i Cit. lib. adu. Lyc. cap. 7.
k Lib. 1 simplic. cap 9.
l Eodem adu. Lycum cap. 7.
m Cit. lib. ad Lycum cap. 8.
n Lib 8 c. 7
o Lib. 5. de simpl. medic. facult. cap. 9.
p Lib. de cor.
q In 4. apho. 17.
r Lib. ... aph 22, lib. d... m... more cap. ...

[s] Quod omnium in corpore coeoctionum præcipuum opificem esse: [t] & vitalis potentiæ essentiam, ingenitum calidum esse dixit, [u] cui sententiæ sic assentitur Fernelius, vt etiam plus cæteris calido innato tribuisse videatur. Is enim, [x] calidum innatum, quod humidum primigenium, spiritum, calorémque comptehendat; verè naturam esse, inquit: quæ tota ex semine nascens animal effinxerit, huiusque totius vitæ cursu moderetur. Quæ ab Aristotele desumpta videntur: qui, generantur autem inquit, [y] in terra, humoréque, animalia, & plantæ: quoniam humor in terra, spiritus in humore, calor animalis in vniuerso inest; ita vt quodammodo plena sint animæ omnia. Idem tamen aliquantulum ab eadem sententia defecisse iudicatur, cùm eos reprehendens qui animam ignem aut aliquam huiusmodi vim esse statuebant; meliùs fortassè dixeris inquit, [z] in quodam eiusmodi corpore consistere.

Qui alibi [a] (tanta huius etiam est varietas) scripsit τὸ θερμὸν τὸ ἐν ἡμῖν, ἐστιν ὥσπερ ζῶον. id est, calidum quod in nobis, est velut animal. Accedit ad Aristotelem Aphrodisæus, qui quæcumque autem in se plus habent, ait, [b] igneæ & calidæ naturæ, ea perfectiorem quoque animam habent: quòd igne magis abundans corpus, sit quoque diuinæ facultatis magis particeps At Zeno, Antipater, & Possidonius, paulò audentiores apud Laertium [c] dixerunt πνεῦμα ἔνθερμον εἶναι τὴν ψυχὴν spiritum innatum calidum, esse animam. Sic Varro apud Lactantium, [d] anima est inquit, aër conceptus ore, deferuefactus in pulmone, tepefactus in corde, & diffusus in corpus. Et Zenon Citticus apud Varronem, [e] animalium semen ignis, qui anima & mens. Ennius item.

Istic est, inquit. *de cælo sumptus ignis, isque*
Mentis est.

Post quem Pacuuius [g]

Mater est terra, ea parit corpus, animam æther adiugat.*

At Galenus aliàs de animæ substantia quid efferret planè dubius, se calido innato nimiùm tribuisse suspicatus, quando illud animam dixerat: innatum calidum inquit, [h] fortassis vt nonnulli arbitrantur Philosophi ac Medici summi substantia virtutum existit; & si non hoc, saltem primum & maximè necessarium ipsarum est instrumentum. Quo sensu interpretari Scaligerum oportet, scribentem, [i] calorem partium omnium fabricatorem esse, rectorem, conseruatorem, δημιουργὸν, νομέα, σωτῆρα, οἰκόνομον: & omnium motuum in corpore authorem. Is enim se ipsum explicat, dum inquit, quippe secretricis atque expultricis minister est facultatis. Hippocrates verò multò augustiora quàm cæteri calido defert. Qui, quod calidum vocamus, inquit, [k] id mihi immortale esse videtur, cunctáque intelligere, videre, & audire, sentiréque omnia tum præsentia tum futura. Quò accedit Stoïcorum sententia: qui apud Ciceronem, [l] & Laertium; [m] naturam mundi opificem sic definiunt, vt eam censeant ignem esse artificialem viâ progredientem ad generationem. [n]

Qui prætetea dixerunt, mundi animam esse ardorem in æthere tenuem, nullaque admixtione concretum.

Verùm & hi, & alij plurimi; vel plus quàm par sit innato nobis calori & calido tribuunt: vel multa de eodem præter rationem, aut dissentanea referunt. Nonnulli enim spiritalem animæ nostræ naturam ignorantes, &

Corpoream natura animum constare, animamque, [o]

rati: cùm aliquid in nobis inesse aduerterent, quod omni elementari concretione excellentius, vitalium actionum esset principium: imaginati sunt calidam quampiam substantiam à cœlo decisam esse, quæ per viuentium corpora diffusa, vitam tribuat, & vitalia omnia operetur in nobis. Hinc Lucretius [p]

Est igitur calor, inquit, *ac ventus vitalis in ipso*
Corpore, qui nobis moribundos deserit artus.

Alij Academicorum fabulis assentientes, & rationalem animā elementari corporis crassamento immediatè vniri negantes: eam à cœlo delapsam, ætherea siderum substantiâ primùm indui, tum ex tenuiorum elementorum mixtione confecto spiritu circumuestiri: ac demum intermediis his tegumentis corpori alligari consueuerunt; vbi velut auriga, habenas appetitricis: & irascibilis moderetur.

Qui forsan etiam appetitricem vim ab elementari illo spiritu polymorpho suggeri; & Irascibilem ab æthetea illa polyergane, siderum portione subministrari existimarunt: cùm earum animarum substantiam, quam corpoream ex Cicerone [q] affirmabant, aliunde quàm ab elementorum crassamento emergere necessariò statuerent. Quorum errores quoniam communi Philosophorum & Theologorum voto sunt explosi: non est quòd in illis refellendis immoremur, quæ de calido innato consequenter efferuntur. Vtilius autem erit ad eos conuerti, qui de natura animæ meliùs sentientes, tamen cùm non distinguant quænam in nobis anima ipsa per se

exe-

s Lib. de tre. & palpit. & c cap. 6.
t Comm. 4. in 6. epid. comm. tex 94.
u Com. 3. in 6. epid. com. tex. 18.
x Lib. 4 physiol cap 7.
y Lib. 3. de gen anim. cap vlt.
z Lib. 2. de part. anim. cap. 7.
a sect. 20. prob. 10.
b Lib. 2. quæst. natur. cap 1.
c De vita philos lib 7. in Zenone.
d Lib. de opific. Dei c. 17.
e Lib. 4. de lingua Latina.
f In Epicharmo
g In Chryse.
* Sic legit Turnebus in comm. ad lib. 4. Varr. de ling. Latinæ cum vulgati codices pro æther legunt mater.
h Lib. 5 simpl. cap 9. & 4 ad Glauc cap. 2. aliquantò ante finem.
i In cap. 4. lib. 1. de caus. plant. Theop. k Lib de carnib. in principio.
l Lib. 2. de nat. Deorum.
m In Zenone
n Videatur de his Lipsius libro 1. physiol Stoic. dissert 6
o Lucretius lib. 1
p Ibidem.
q Lib. 1. acad quæst.

exequatur, quæ verò innatum calidum vt instrumentum animæ operetur, & quæ hoc ipsum ex se vt naturale est agens efficiat: multa calido innato perperam tribuisse, multa de illo peruersè scripsisse leguntur. Quare vt tractationem, hanc maximè intricatam, pro viribus explicemus: sigillatim caloris, calidique innati naturam, vires & dotes excutiamus.

Quotuplex in nobis calor esse dicatur, & quomodo ab inuicem differant.

Capvt V.

Tanta est caloris per corpus nostrum effusi dum valemus, aut ægrotamus; imò per ætates varias in operando diuersitas: vt aliquando velut princeps primariúmque naturæ instrumentum, [a] singula ad vitæ tuitionem conspirantia operetur: aliàs verò per inflammationes & febres, multiplices noxas, putredines, mortésque inferat. Quare illum Medici omnes duplicem agnoscũt: vnum naturalem, alterum præter naturam appellarunt. Quorum ille vitam conseruet, alimenta concoquat, & membris apposita assimilet: atque ad ea omnia exequenda quodammodo concurrat, quæ in animali pro cuiusque naturæ ratione perficiuntur. Posterior verò priori planè aduersus, singula naturæ opera labefactet, vitæque ipsi insidietur & obsit. Quæ cùm magnam inter vtrumque differentiam insinuent: inter clarissimos viros disputatur, num vel vterque in varias species distinguatur, vel hi saltem specie inter se differant. Seu num calor ille cuius ope plantæ atque animalia viuunt, alius sit ab eo, quem eadem ab elementorum mixtione ignísque commercio adepta sunt: an potiùs vnicus sit in nobis calor, qui secundùm diuersos respectus varias denominationes admittat. Mercatus [b] ad omnes caloris, in nobis secundùm naturam insiti habitudines attendens, sex caloris differentias annumerat: forsan plures præter naturalis numeraturus, si huius etiam meminisset. Illarum autem primam statuit elementalis, mixtis omnibus communis. Secundam caloris innati, & viuentibus proprij, ex semine, & sanguine menstruo in perfectis animalibus accepti. Tertiam caloris gennini, temperamentum cuiusque partis constituentis, & ex vtroque priorum mixti. Quartam illius, qui prioribus per ætates succrescit, & acquisitus, aduentitius, atque extraneus appellatur. Quintam facit influentis. Sextam demùm dicit esse actuati, vegeti, & viuidi: quem appellat temperiem ex influente & innato conflatam, toti corpori communem. Sed nimia est calorum hæc varietas. Non enim accidens eiusdem speciei, potest in eodem subiecto tam multiplicem numeralem subire differentiam. Quòd si singulos illos calores, velit specie inter se differre: non possunt duo accidentia totalia * specie differentia, In vnum numero accidens coitione transire. Quare neque placet Langij sententia, [c] qui triplicem calorem constituit: elementarem vnum, alterum cœlestem, tertium ex vtroque compositum, quem naturalem & cum Montano [d] complexionalem appellat: Fernelius [e] in tanta calorum naturalium varietate asserenda parcior, vnicum animæ famulantem & vitæ fautorem asserit: sed antiquiores quosdam sequutus quos citant Conimbricenses, [f] illum inquit neque igneum, neque elementarem esse, sed origine & essentiâ cœlestem, vt loquitur Riolanus, [g] & aliunde quàm ex prima elementorum mixtione ortu recondito fluxisse.

a Gal. 14. de vsu part. c. 6

b Lib. 2. de puls. tract. 2. cap. de pulsuum vsu.

* Id additur vt diuersi intensam qualitatis gradus per intensionem & acquisitis excludantur.

c Lib 1. epist. med epist. 19

d Part 3. medic part 144

e Lib 4 physi. cap. 1.

f In cap. 2. lib 2. de gen. q. 7. art. 1.

g Com in tra. Fernelij text.

Quorum rationes exs sunt præcipuæ. Plantæ & animalia quædam temperamento frigida, caloris ope viuunt. Ergo alterius quàm illius qui ad temperiem concurrit, quoniam omnis principalis actio nascitur à prædominante qualitate. Adde Aristotelem insito & naturali calori nullum positiuum contrarium opponere, sed extinctionem tantùm, quando vitam, mortémque definit. Tertiò calidissima medicamenta, qualia sulphur & arsenicum, etsi plurimo calore abundent, vt etiam nos vtant aliquando: tamen viuifico illo destituta, iacent. Præterea animantis demortui cadauer, partium, totiúsque structuram retinens, & calorem quempiam qui quatuor elementorum mixtionem sequitur: viduatur tamen vitali altero, quo non omninò careret si vnius eiusdémque rationis ambo existerent. Quas rationes præsentiens Aristoteles, [h] omnium inquit, in semine inest quod facit fœcunda esse semina, vocatum calidum. Hoc verò non ignis, neque talis facultas est, sed qui continetur in semine & in spumoso spiritu, & in spiritu natura, respondens stellarum elemento. Tum paucis interiectis: cæterum calorem in animalibus contentum, nec ignem esse, neque ab igne originem ducere, apertum ex his est. Theophrastus. [i] διὰ Φύσει inquit ἡ τε φθαρτικὴ καὶ ἡ γένεσις θερμότης differt à corruptiuo, generatiuus calor. Galenus item frequentissimè calorem natiuum, ab igneo diuersum: atque ex Hippocratis sententia, non vnius generis calorem in animantibus existere docet, [k] Angenius [l] cum Aphrodisæo, [m] addit prædictorum calorum alterum, alteri contrarium esse: cùm alter alterius sit corruptiuus, contrarióque producant effectus: atque ideò specie inter se etiam esse differentes.

h Lib. 2. de gen. anim. cap. 3. paulò post medium

i Lib. 4. de caus. plant. cap. vii.

k Com. 4. in a. pid comm. tex 35.

l Lib. 1. de febrib. cap. 2.

m Lib de feb.

n Lib. 7. collig. cap. 2.
o In sen. 1. lib. 4. Auic. cap. 1.
p Lib. 2. salubr. cap. 6.
q Lib. 5. cont. cap. 24.
r In lib. 1. de diff. febr. pag. 426.
s Lect. 47. in aphor.
t Lib. de calore cælesti cap. vlt.
u In annot. in lib. 2. de facult. natur. pag. 146.
x Lib. 1. de cœlo text. 10.

Nihilominus tamen cum Auerrhoë,[n] Herculano,[o] Alexandrino,[p] Valesio,[q] Roderico à Veiga,[r] Capiuaccio,[s] Zabarella,[t] Iouberto,[u] & aliis: asserimus calorem omnem in sublunaribus existentem eiusdem esse speciei infimæ. Quod multifariam confirmare licet. Ac primùm quidem, quòd cùm vulgatum sit ex Aristotele,[x] vnum vni esse contrarium; frigus autem specie vnum, omni calori sublunari contrarium sit, illum vel remittens, vel à subiecto integrè expellens: necessariò & calorem sublunarem omnem specie vnum esse oportebit. Præterea cùm qualitas quæcumque, intendi tantùm possit ab eiusdem naturæ & speciei qualitate: nobis autem insitus calor à calore ignis intendatur; vtrumque eiusdem esse naturæ necessum est. Adde calorem qui in nobis cæterisque animantibus inest, actu inesse: sed nullus in cœlis actu inest calor, saltem ex antiqua Peripateticorum doctrina; ergo qui in nobis est non potest dici eiusdem esse speciei cum cœlesti. Nec proderit aduersariis, respondere calorem cœlestem eum appellari, qui à cœlis per lumen; motum & influentias in hæc inferiora diffunditur: quoniam & hic iam elementaris erit, cùm sit elementis impressus. Qui præterea cùm pro diuersa recipientis aptitudine tam variè operetur, vt plantis quidem incrementum procuret; contra verò mactatas carnes corrumpat: cum solaribus radiis per speculum concauum transmissis comburat, & cum marcido lunæ influxu paralyses, multiplicésque distillationes prouocet: non specie vnus, sed pro agendi varietate, natura etiam multiplex dicendus esset.

y Exerc. 29. in Cardan. nu. 1.
z Lib. de iuu. sen. &c. cap. 8.
a Lib. 8. de decr. Hipp. & Plat. cap. 7.
b Ad finem.
c Lib. 1. de diæta.
d Lib. de arte ad finem.
e Lib. de cor. de in medio.
f In cap. 12. lib. 1 Theoph. de caus. plan.

Quartò cùm eiusdem naturæ effectus per se, ab eiusdem naturæ agentibus producantur: calor autem cœlestis atque igneus, & qui in animantibus viget, pares producant effectus: iidem etiam inter se, naturâ, essentiâque pares erunt. His enim omnibus commune est attenuare, rarefacere, per accidens exsiccare, frigiditatem expellere, aut saltem retundere. Præterea solis æstus, non aliter ac ignis ardor, aut concepta in nobis putredo, febrem excitat, & naturalem animantis calorem labefactat. Contrà Chinenses & Ægyptij, vt apud Scaligerum legitur,[y] furnos eâ arte construunt vt in illis oua ignis calore fota, pullos excludant, non aliter ac si à gallinis incubarentur. Demum Aristoteles,[z] animam & vitam calore contineri confirmat, quòd concoctio sine qua animantia non viuunt, sine calore absolui non possit: quia omnia, inquit, igni cibum conficiunt. Quod non appositè dictum intelligetur: nisi per ignem, calorem natura, non autem gradu igneum explicemus. Plato item vt apud Galenum legimus,[a] calorem nostrum semper ignem appellat. Et Aristoteles, seu mauis Strato Lampsacenus libro de spiritu,[b] calidum innatum τὸ τῆς φύσεως πῦρ, id est, naturæ ignem nominat: quòd par sit nostri, igneique caloris essentia. Antiquior Hippocrates,[c] calorem in nobis existentem ignem vocat: quem omnia, per omnia mouere ait. Eumdem verò aliâs[d] πῦρ τὸ σύντροφον, seu ignem connutritum appellat: necnon & τὸ ἔμφυτον πῦρ, id est, innatum ignem nuncupat.[e] Hinc rectè Scaliger,[f] calorem inquit, elementarem esse formæ instrumentum, & motum & generationem. Non propterea tamen vnus planè, idémque esse credatur, qui naturalis est calor, & qui præter naturam appellatur. Vna quidem est vtriusque essentia; ab hoc ille intenditur, vterque ab eodem frigore remittitur; sed inter se intensione, efficientia, & fine distinguntur. Naturalis enim intra certæ & definitæ intensionis cancellos pro cuiusque indiuidui natura coercitus, naturæ & vitæ conuenientes producit effectus, naturæ est instrumentum atque in illius obsequium operatur & agit. Qui verò præter naturam est, præfinitos sibi à natura limites vltrà citraue prætergreditur, atque ad naturæ opera illiúsque famulitium ineptus est. Quare cùm naturale seu secundùm naturam id dicatur: quod alicui per se & naturaliter competit,[g] aut quod cuique charum, suaueque est.[h] Præter naturam autem appelletur quod illi oppositum est,[i] quódque laborem & dolorem mouere fertur.[k] Non iniuriâ calor is qui homini naturaliter competit, & ad operandum animæ commodissimè inseruit naturalis nuncupatur: præter naturam autem, ille qui laborem infert, operandi natiuam vim peruertit, & aliena formæ dispositio, eam à materia tandem excutit. Ac cùm forma quælibet certas in materia dispositiones requirat, quibus hæc ad talem formam excipiendam determinetur: dispositiones autem materiæ, per variam eiusdem naturæ qualitatum, intensionem, aut remissionem euarient: sufficiet ad id vt calor, naturalis appelletur, aut præter naturam esse dicatur; vnum ab alio intensione, non item essentiâ differre.

g Lib. 1. phys. tex. 5.
h Idem lib. 8 de hist. anim. cap. 1 & 2.
i Gal. 11. meth. cap. 12.
k Arist. 5. probl. 19.

l Lib. 4. de simpl. medic. facult. cap. 14.

Quod ita visum Galeno legimus,[l] quando ita comparatum est inquit, vt res quælibet, in propria consetuetur natura, calore proprio: corrumpatur autem ab immoderatione extrinseca, nempè caloris alieni aut frigoris abundantia.

m Lib. de febr.
n Gal. lib. 1. de temp. cap. 6.

Id ipsum Aphrodisæum censuisse indicatur eùm[m] febrilem & præter naturam calorem, à naturali differre ait, tanquam extremum à medio. Quare cùm homo omnium sit animalium temperatissimus,[n] & vt aiebat Pythagoras omnium sic mensura rerum: temperatissimum calorem, homini naturalē esse oportebat, intēperatum autem, per excessum, æquè ac per defectū, præter na-

naturam diei. Verùm ne quispiam temperatissimi appellationem controuertat: talem non ad pondus, seu ad frigoris æquilibrium temperatum intelligimus: sed illum, qui inter intensissimum actualem quorumdam animalium calorem, & maximè remissum aliorum, est medius. Eam autem esse Galeni sententiam, tum ex eo patet, quòd natiuum calorem, quem etiam genuinum vocat, [o] temperatum appellet, [p] atque eumdem à febrili distinguat, [q] quem acquisititium, intemperatum, & quasi igneum [r] appellare consueuit. Apertiùs autem eamdem sententiam explicat, cùm inquit, [s] itaque temperatura à nulla re tam celeriter corrumpitur, quàm ab immoderato calore: sicut non exigua vtilitas est, cùm naturalis calor est Quasi diceret, pro natura cuiusque moderatus: vt ex his quæ consequenter leguntur appatet, cùm ait magnam autem vtilitatem affert animantibus calor moderatus.

Quæ cùm ita sint, magis autem & minùs non varient speciem, & per hæc naturalis calor ab igneo distinguatur: qui nobis naturalis ast, ab igneo essentiâ non differet: sed ita distinguentur, vt prior vt plurimùm, sit posteriore remissior. Atque ideò Galenus naturalem dixit, [t] frigoris aliquatenus esse participem. Siquidem vt apud Aristotelem legitur, [u] quod est minus, commixtio semper contrarij est. Ac quoniam in quibusdam à principijs generationis, atque ideò secundùm particularem naturam, vehementior quidam aliquando aduertitur: talem Galenus & naturalem, & igneum appellare non veretur; cùm [x] hominibus quibusdam qui calorem natiuum habent non humidum, neque benè temperatum, sed squalidum atque igneum accidere ait, vt quæ alij facillimè concoquunt, facilè alterata corrumpant.

o Lib. 1. de diffic. respir. cap. 21.
p In lib. de salub. diæta comm. text. 7. lib. 5. de decr. cap. 7. lib. 3. de cauf. pulf. cap. 6. & alibi.
q Lib. 1. de cris. cap. 18.
r Cot. lib. 3. de cauf. pulf. c. 6.
s Com. in lib. de alim. pag. 17.
t Lib. de trem. palpit. &c. cap. 6.
u Lib. 5. phys. tex. 45.
x Lib. 2. de alim. facult. cap. 6.

Verùm si hos calores, solâ intensionis diuersitate inter se distingui asseramus: quomodo in febriente, calore quaquauersum superaucto, & naturali in præter naturalem atque igneum verso, coctiones adhuc & crises fiunt: quæ à naturali calore fieri dicuntur? Respondeo, calore præter naturam in succis putrescentibus concepto, & eodem cum exhalatione putri per vniuersum corpus effuso, sed nondum membris sic impresso vt hæc in calefacto esse constituantur: restare adhuc in partibus solidis, calorem, temperiem naturæ congruam retinentem, qui in materiam putrem contranitendo, eam ad pepasmum deducat: & quam domitam, mox natura salutari exeretione depellat. Quòd si quispiam instet, in hectica corpus vniuersum æqualem intemperiem pati, eiúsque partes singulas calorem præter naturam contraxisse: in his tamen, suppurari tumores, & primæ coctionis excrementa, ipsásque vrinas coctas apparere. Fateor hóc maximum illis negotium facere, qui duplicem calorem specie differentem in nobis astruunt; quorum natura & facultates sic differant; vt vnus quidem naturæ operanti ministret, alter verò illam corrumpat & destruat. Hinc enim necessariò sequitur, nullas in hecticis fieri suppurationes posse: cùm hæ fiant à concursu putridi caloris in materia suppurante concepti, & naturalis caloris partium putrem materiam continentium. Tum quia chylosis, coctio exerementorum, eorumdémque expulsio, mediante calore naturali fiunt: oporteret contra omnem sensum, nihil horum, in eisdem fieri. Sed nos, isthæc minùs perturbant. Dicimus enim eodem specie calore in hecticis atque in sanis perseuerante: facultates animæ hoc etiam superaucto vt instrumento vti, pergeréque in operando: sed singula deteriùs agere, ob instrumenti deprauationem. Videri tamen quædam æqualitet atque antea præstare: quòd ad illa nonomninò moderatus calor sit necessarius; sed aliquantò etiam intensior sufficiat, præsertim si siccitati coniungatur.

Quibus ita constitutis rationes principio capitis insertas, quæ nostræ conclusioni aduersantur diluamus Ad primam ergo dicimus, plantas & animalia nonnulla, licèt in sui corporis maiore mole frigiditatem habeant exeedentem: tamen cum heterogenea sint, quamdam habere tenuem substantiam reliquæ moli affusam, in qua supereminear calor, quo ad vitæ muma sibi necessaria, vtuntur. Soléteque ea substantia, à corde, aut parte cordi respondente; vel ab ambientis siderúmque tepore foueri. His autem emortuis, ea deperit calida substantia: solísque his partibus residuis in quibus algor viget: ea inter absolutè frigida connumerantur, quæ cum vita fruerentur, frigida comparatiuè tantum dicenda erant. Ad secundam respondemus, falsum esse nihil positiuum calori nobis innato aduersari: frigus enim illi contrarium est, à quo & remittitur, & omninò etiam aliquando extinguitur. Aristoteles autem, [y] vitam & mortem definiens, per præsentiam & extinctionem natiui calidi, potius quàm caloris: non propterea calorem contrario carere asseruit, sed id non attingens, per nobis notiora, informantis animæ in corpore existentiam, & actualis eorumdem nexûs dissolutionem explicuit.

y Cit. supra lib. de vita & morte.

Ad tertiam dicimus, licèt calor qui in calidissimis medicamentis & temperatissimis animalibus inest, eiusdem sit speciei, & inter se solâ intensione differant, non propterea posse calidissima ea inanimata viuere: quoniam non à calore vita, sed ab anima informante prodit. Ad quartam respondemus, calorem in cadauere residuum eumdem esse

ſpecie, imò & numero cum calore viuentis: non tamen viuificum eſſe, quia talis eſt non qui calor eſt, ſed quatenus præſentis animæ inſtrumentum; qua ſeparatâ, qui reſiduus eſt calor tueri vitam non poteſt. Ariſtoteles autem,[z] videtur Platonis doctrinæ aſſentiri, qui ſpiritum animæ cum corpore vinculum eſſe dicebat, cuius quaſi cœleſtis natura exiſteret, vt in Phædro legitur.

z Cit. lib. 2. de part. anim. cap. 3.

Quo conceſſo, non propterea ſequeretur calorem viuentium alterius eſſe naturæ à calore ignis & mixtorum: ſed noſtri caloris vehiculum, aliunde quàm ab igne ſuam ſubſtantiam eſſe mutuatum. Licèt verè præter animam nihil in nobis inſit, quod non ab elementorum miſcela naſcatur: nec quidquam ſit, quo anima corpori, quàm ſeipſa,[a] Creatore infundente alligetur. At cùm Ariſtoteles air naturam prolifici ſpiritûs in ſemine, proportione reſpondere elemento ſtellarum: id dictum putetur, quòd ille prout animæ inſtrumentum eſt, huic dignitate efficientiæ reſpondeat; non quòd cœleſtis ſubſtantiæ ſit portio. Quod addit, calorem in animalibus contentum, nec ignem eſſe, nec ab igne originem ducere: ita explicandum cenſeo, vt velit eum calorem qui in nobis eſt, mitem eſſe, & vrentem ignis naturam nullatenus retinere: neque immediatè ex igne ſui ortûs principium capere, ſed ex traduce acceptum, à prima mixtione per varias & alterationes & generationes in nobis eſſe propagatum. Theophraſtus, ſi quæ in eo ſequuntur aduertantur, facilè intelligitur velle eos calores temperie potiùs quàm naturâ differre. Atque id ab eodem inſinnatum eſt,[b] cùm de calore ad animalium partum fructuúmque prouentum apto, atque inepto loquitur. Galenus demùm, cùm calorem non vnius generis in animantibus ineſſe ait: non calorem ſeu θερμασίαν, ſed τὸ θερμὸν & calidum dixit.

a Diuus Tho. in quæſt. diſp. quæſt. vnica de anim. art. 9.

b Lib. 1. de cauſis plant. cap. 28.

Qui ſi de calore loquutus intelligatur: neque is etiam vnus eſt: quatenus temperatus quidem ſecundùm naturam ineſt, intemperatus verò plerunque ab his quæ deforis occurrunt inducitur. Quorum ille cùm obſequioſus, vtiliter naturæ famuletur: hic verò eiuſdem operas perturbet & deprauet: quamuis eiuſdem ſint ſpeciei, & ſolâ intenſione inter ſe differant; tamen pro diuerſa agendi ratione, quàm à varia intenſione conſequuntur, diuerſi planè ſunt generis in operando. Vel etiam non vnus eſt, ſed multiplex calor: prout diuerſis membris ſub diſpari intenſione aut remiſſione communicatus, & diuerſorum membrorum temperamenta euariat, & diuerſarum facultatum differens eſt inſtrumentum. Ex quibus ſatisfactum etiam Augenio credimus. Non enim Galeno ipſo auctore,[c] prædicti calores ſibi inuicem ſunt contrarij. Sed cum diuerſa caloris intenſione definiri intelligantur, nec poſſit idem numero calor ſub diuerſa intenſione ſimul conſiſtere; alter alterum deſtruere quodammodo dicitur: non contrarietate naturæ, ſed diſparitate intenſionis. Et quia ſub varia illa intenſione, nō apti ſunt naturæ æqualiter ſubſeruire: ſit vt alter ſit aptum, alter ineptum naturæ principaliter operantis inſtrumentum. Ac quoniam eo nomine, operationes edunt non ſolùm differentes, ſed ſibi inuicem maximè repugnantes; inde contrarietatem quamdam præ ſe ferre, dicuntur.

c Lib. aduer. ſus Lycum c. 4. ad finem.

Quotuplex ſit in nobis calidum, & qua ratione inter ſe diſtinguantur.

Capvt VI.

Postqvam non ſolùm hominem, ſed animalia etiam, imò & viuentia cætera ad alimenti coctionem, digeſtionem, & aſſimilationem, calore, & caloris fomento indigere probatum fuit, caloriſque nobis inſiti explicata natura eſt: deinceps quale ſit in nobis familiarius caloris ſubiectum, diſquiramus oportet. Antiqui vt apud Scaligerum legimus,[a] in genitali humore (atque ideo in animalibus ipſis) cum liquore qui ſit materia, ineſſe cenſebant duo calidæ ſubſtantiæ genera; cœleſtem ſcilicet animam ipſam formam, & elementarem inſtrumentum formæ. Vnde apud Varronem,[b] ignis quem Zenon animam mentémque vocabat, è cœlo manaſſe dicebatur: quòd illic ſint innumerabiles & immortales ignes. Verùm cùm illa calorum varietas iam expugnata ſit, calidarum ſubſtantiarum iſta diuerſitas ex eo præterea expugnanda eſt: quòd corpus quodpiam à cœlo deciſum, & ab omni elementari natura ſecretum aſtruat, quod elementarem corporis maſſam informet, eiúſque ſit anima. Quæ à ratione aliena quiſque iudicabit, ſi aduertat, incorruptibilem ſiderum cœlorúmque ſubſtantiam non poſſe in varias partes diſcindi, quæ inferiorum corporum ſint formæ.

a In cap. 6. lib. 1. de cauſ. plant. Theop.

b Lib. 4. de lingua Latina

Nam quodcumque ſuis mutatum finibus exit,
Continuò hoc mors eſt illius, quod fuit ante.[c]

Quòd ſi forſan quiſpiam corrumpi cœlos arbitretur: cùm nullum corpus poſſit ab alio corpore informari, quòd corpora ſe mutuò penetrare nequeant:[d] neque cœleſtis corporis vlla portio, poterit inferiora hæc informare. Maximè cùm cœli materiâ conſtent: materia autem quæ pura potentia eſt, non ſit alterius materiæ forma, & actus. Et quamuis aliæ animæ à rationali, corporeæ ſint;

c Lucretius lib. 1.

d Ariſt. lib. 2. de anim. text. 74.

quia

quia ita corpori alligantur, vt ab illo in esse dependeant, neque possint separatæ conseruari: non tamen sunt corpus. Rationalis autem, & infusum nobis à Deo spiraculum vitæ, non solùm non est corpus: sed neque ita corpori addicta est, quin ab eo separata per se ipsam subsistat. Quare cùm anima minime corpus sit: neque illi vt subiecto adhærere potest, qui in nobis viget calor. Sed oportet quod in homine actiuis qualitatibus subiacet, eásque formaliter continet; vt contrariis substat, & corruptioni obnoxium est: ita idipsum elementorum sibi mutuò aduersantium mixtionem sapere.

Calidum ergo quod quærimus, corpus quoddam sit necessum est: quod ab elementorum mixtione ortum, naturæ animæque ministrans, pro ratione propriæ conditionis; & particularis substantiæ modi, præ cæteris in nobis existentibus maximum habeat cum calore commercium. Id autem calidum, innatum appellamus: non solùm nobis connatum, & à primordiis generationis insitum, intelligentes: sed fusiore etiam significatu, sic appellantes, illud omne tale quod intra nos genitum est. Cuius substantiam, tenuem spirituosamque esse necessum est: cùm tenuitati calor maximè consocietur. Vnde quod primum est in sublunaribus calidum τὸ πῦρ, hoc ipsum substantiæ est λεπτομερεστάτης, & tenuissimæ. Atque ideò Galenus, calidi innati substantiam spirituosam esse frequentissimè asserit.

Qua neque mobilius quicquam, neque tenuius extat,
Nec magis è paruis, aut leuibus ex elementis. [e]

Hinc rectè Fernelius, [f] neque enim inquit, calor ipse solitarius, neque substantia tenuis quam seorsum cogitatione comprehendimus: sed quod ex amborum societate, nexúque conditum est, verè ac propriè spiritus dicitur.

Verùm spirituosa hæc calidáque nobis insita substantia, non vna est, sed multiplex. Quædam enim singulis infixa membris, quòd eorumdem sit portio, calidum fixum appellatur.

Alia verò à corde quasi ex foco per vniuersum corpus perenniter effusa, calidum influens nominatur. Fixum nuncupamus, non cum Argenterio, [g] semen & sanguinem menstruum: ex quibus licèt nostri corporis membra efformentur, non tamen ea in nobis integra sunt; nec propriam naturam retinent. Sed calidum fixum vocamus eam substantiæ partium viuentium portionem: quæ in confecto iam opere & conformato corpore, ex vtroque materiali nostræ conformationis principio, vi facultatis formatricis spirituosam naturam induit. Quæ ad elementorum etasim relata, ignis reliquias propiùs redolet: & eiusdem qualitates, modúmque substantiæ præ cæteris imitatur.

Quia verò eamdem nequaquam ex elementorum mixtione proximè accepimus: sed illam vtriusque parentis semini primùm, tum materno sanguini materialibus nostræ formationis principiis acceptam debemus: ea ab ignis conditionibus, caloris scilicet vehementia, acritudine; & consociata siccitate plurimùm abest, habétque cum temperato calore; humidam & halituosam substantiam. Hinc Aristoteles, [h] calidum quod in semine inest, & semina facit esse fœcunda eum spiritum esse ait, qui in seminis spumosa substantia continetur cuiúsque natura (vis scilicet & temperies) stellarum elemento respondet: quod mitem benignúmque calorem sortiatur, vim habeat viuificam, & sibi consociatæ substantiæ incrementum procurantem. Cuius dum meminit Galenus, [i] vniuersis nobis calidum inquit, inesse elementum à prima statim origine innatum, quam ex semine & sanguine menstruo sortiti sumus. Eiusdem substantiam per omnes viuentis partes diffusam esse, [*] non tamen vndequaque sui similem: quòd pro cuiusque partis natura, aliquantum in singulis membris variet. Ac demùm nullum dari tempus scribit, [k] quo innatus calor, τὸ ἔμφυτον θερμὸν, per vniuersam materiam ipsam non sit extensus.

Cæterùm calidum hunc spiritum connatum, & quibusque membris insitum, ex semine & corpulenta eius substantia [l] primùm haurimus: cùm primum nostri corporis figmentum; primáque stamina, ex seminali vtriusque parentis confusa massa, eiúsque crassiore portione, mirâ formatricis facultatis arte concinnata absoluuntur. Ex corpulenta inquam, seminis substantia: non vt Galeno placuit [m] ex eo ipso spiritu cui in semine corporis fingendi facultas inerat, quem animalia sortita sint eadem augenda & gubernanda. Cùm enim fieri nequeat idem ad alicuius rei fabricam vt instrumentum concurrere, simúlque materiam esse: spiritus qui semini est complantatus, & facultatis, aut Plasmatoris ipsius [n] est instrumentum; nequaquam in effecti corporis materiam cedet. Oporteret enim idem, eodem tempore, secundùm idem, & agere, & pati: quæ contingere natura non permittit. Sed spiritus ille, vbi vniuersum completum est plasma, suo officio functus exhalat: & tota corporis moles, omnisque illius heterogenea portio, ex reliqua seminis substãtia perficitur. Prætetea verò cùm eidem corpori, & complementum, & primarium incrementum ex materno sanguine adueniat, ex quo parenchymata, carnésque finguntur & singula quamdiù in vtero sumus aluntur, & crescunt: hinc etiam nobis connati calidi portio altera accrescit. De quo ex vtraque materia genito loquitur Hippocrates [o] cùm ait: qui crescunt, plurimùm habent calidi innati. Quia

e Lucretius lib. 3.
f Lib. de spiritu & calido cap. 4.
g Lib. 1. de somno & vigilia cap. 6.
h Lib. 2 de gen. anim. c. 3
i Lib. aduersus Lycum cap. 2.
* Idem lib. 5. de simpl. med. facult. cap. 9
k Lib. 2. de marc. cap. 3.
l Daudinus lib. 1 de animali corporis temper. c. 19.
m Citato libro de marcore cap. 3.
n De quo actum est lib. 4. cap. 3.
o Lib. 1. aph. 14.

cùm humidiore & molliore fint corpore,plus habent fubftantiæ tenuis & fpirituofæ, quàm quibus corpus ficcius & durius eft:& quia generationi proximi maiorem habent cæteris portionem calidæ illius fubftantiæ quam à principiis generationis accepimus, quæ veluti fermentum eft reliquæ molis.

Quoniam verò per ætatum incrementa,ea fubftantia quæ nobis ex alimentis accedit, priori illi fpirituofæ anologa, à fuaui alterius temperie fenfim deficit:ea exinde calidum acquifititium appellatur; à quo quæ prodit exhalatio non tam halituofa eft atque in pueris,fed iam aliquantò ficcior, & quadantenus acris & pungens effe perfentitur.

Vtrumque verò fixum huiufmodi calidum,tam connatum,quàm acquifititium: fi aliquando vel ex deprauata feminis, maternìue fanguinis temperatura, vel à morbofis caufis per ætatis decurfum fuperuenientibus,eam patiatur caloris & ficcitatis incommenfurationem quæ vel morbos,vel folitas in morbos propenfiones inferat: iam non ingenitum & naturale,fed acre, mordax, & igneum iuxta Hippocratem appellandum cenfet Galenus;[p] quòd tunc præfertim cùm per morbos generatur, aduentitium nuncupat, [q] quando qui calorem (feu calidum potiùs) natiuum,inquit, habent non humidum neque benè temperatum,fed fqualidum atque igneum: hi quæ alij facillimè concoquunt, facilè alterata corrumpunt,ructúfque eis accidunt omninò nidorulenti. Quorum tum etiam Hippocrates meminit,cùm [r] ventriculo calidi air, frigidi carne, & graciles: ifti venofi & iracundiores. Pofterioris autem & per morbos geniti,idem meminit Galenus [s] quando, benè enim temperata eft inquit,caloris innati fubftantia,ignea autem aduentitij. Effluuium præterea quod ex calido aduentitio exhalat,fumeum eft,fuliginofum,aridum & acre. Febrientium enim effluxus, præcipuéque hecticorum,aut eorum qui ab humorum putredine in febrem inciderunt; infuauis eft, acris, mordax, & noftrum vellicans [t] tactum.

p Comm. 4. in 6. epid. cõ tex. 25.
q Comm. in aphor. 14. lib 1.
r Lib. 2. de alim facult. cap 6.
s Lib 6. epid. fect 4 tex. 25
t Lib 1. aph. 14.

Verùm quia calidum fingulis partibus infitum & fixum,permixtum copiofiori & frigidiori reliquo craffamento elementariæ crafis: facilè à circumftantibus frigidis heterogeneis membrorum portionibus obrueretur, & breui fuffocaretur. Natura ve tributum membris calidum, caloréinque foueret & tueretur: aliam in nobis effinxit tenuem fubftantiam,fpirituofam, non infixam membris; fed perpetuò mobilem,& per canales ac tubulos fibi deftinatos facilè quaquauerfum à propriis fatibus influentem;cui exinde calidi influentis impofitum eft nomen. Quod cum Hippocrate, Ariftotele,Galeno,& cæteris fummis viris nos aliud agnofcimus, quàm vitales fpiritos: qui à corde per arterias deriuati, in corpus vniuerfum diffundũtur. De quibus intelligendus eft Hippocrates,cùm anima hominis inquit, [u] ignis & aquæ temperamentum habens, parte hominis irrepit in omne quod fauè fpirat: itémque in omnem hominem,& iuniorem,& feniorem. De eodem is loquitur [x] cùm ventres hyeme & vere ait, naturâ effe calidiffimos. Per eas fiquidem anni tempeftates, fpirituum effluxu ab ambientis frigore cutem conftipante impedito: copiofiffimi fpiritus à corde diffufi intra nos & in manifeftis corporis cauitatibus conferuantur, temperato & miti calore omnes internas partes efficaciffimè perfundentes. Atque eam effe Diui Senis fententiam, ex eo euidentiffimum eft quòd dicat: [y] calidum innatum, non in dextro,fed in finiftro cordis ventriculo contineri. In eo enim certum eft,vitales fpiritus generari,atque inde per arterias quaquauerfum diffundi. Ariftoteles [z] agnofcens cor in eum finem effe à natura formatum vt perenni quadam generatione feruidos illos efformaret fpiritus. qui calorem in vniuerfo corpore conferuarent: cor caloris natiui quo animal regitur, principium appellat. A Galeno verò,[a] idem,caloris natiui quo animal regitur,quafi fons quidam ,& focus nuncupatur: quòd aliâs [b] quafi quemdam ignis focum, animalia fortita effe dixit. Quod iterum, [c] veluti focum & lares ingeniti caloris appellat. Atque ideò clarè is ipfe [d] ingenitam caliditatem,ex corde originem habere profitetur. Licèt verò Galenus per infitum calorem aut calidum, hunc influentem fpiritum frequentiffimè intelligat, vt ex libro primo de tuenda fanitate [e] colligi poteft. Tamen nifi ingenitum natiuúmque calorem,aut calidum potiùs,in fixum,& influentem diftinxerimus: nunquam poterimus varios Hippocratis & Galeni de calido innato textus, diffentanea fapientes,conciliare.

u Lib. 5. de diæta.
x Lib. 1. aph 15.
y Lib. de corde
z Lib. de iuuen. & fenec. cap. 2.
a Lib. 6. de vfu part. cap. 7. & 5 de loc. aff. cap. 1.
b Lib. de fœtuum form. cap 3.
c Comm. 4. in epid. comm. tex 24.
d Lib. de vitiofo'pir cap. 5 & 3. in 6. epid. comm. tex. 18.
e Cap. 2.
f Gal. 1. aph. com. 14.

Quoties enim de calido à corde in corpus reliquum influente loquitur: non poteft de eo explicari,quod ex femine & fanguine menftruo ortum habere fæpiùs fcripfit. Illic enim de influente: hîc verò de congenito & fixo interpretandus.

Taudem aduertendum etiam eft,hoc ipfum calidum influens: vel natiuum, vel præter naturam appellari. [f] Natiuum quidem, cùm benè temperatum eft, halituofum & mite: præter naturam autem, fumidumque & igneum; quando vel propter natiuas cordis intemperies,vel per febriles feruores,putrilagines,& fuccorum affationes,acre,mordax,& corruptiuum generatur.

Demùm quia calida vtraque fubftantia. fixa & influente debitè perfufi; vigemus, actiones quafcumque commodè obimus, & nociuis caufis occurfantibus efficaciùs obfiftimus; vtriufque calidi complexum,non præter rationem calidum vegetum appellari, & proximum animæ inftrumentum

dici concedimus. Atque hoc illud est, de quo authores penè omnes loquutos esse censendum est: quando natiui caloris, aut calidi passiones, & dotes exprimunt.

Quæ sint caloris, calidique innati legitimæ dotes.

CAPVT VII.

CALORIS vires vt elementaris, & in mixtis inanimatis consideratur libro de temperamentis, [a] satis supérque explicuimus. Quatenus verò idem viuentibus & animantibus inest, éstque animæ principaliter agentis instrumentum: ad eos producendos actus instrumentaliter eleuatur, qui vim primarij agentis redolentes excellentiores sunt multò quàm calorem per se decere videantur. Ad generationem enim, coctionem, alimentique conuersionem in substantiam aliti, & viuentium incrementum concurrens: imò & sentientis animæ organis ad operandum apprimè necessarius, vitalia multa operatur, & quidpiam seipso longè nobilius demùm exequitur. Non quòd is per se aliquid agat, quòd caloris sub propriis viribus considerati efficientiam excedat: sed quòd instrumentariè disponendo concurrat ad nobilissimorum actuum vitæ efficientiam. Neque verò hæc agit sub vna ratione caloris: sed vt cæteris primis qualitatibus ad temperamentum concurrentibus sociatus, intensione vigoréque præeminet, & tali modo substantiæ, pro cuiusque membri natura connectitur. Qui si in singulis nostri corporis partibus eam contemperationem cum reliquis seruauerit, quæ singula membra maximè decet: is exactissimè temperatus, & maximè naturalis appellatur, quòd pro subiecti exigentia, ad perfectissimè operandum sit aptissimus. At contrà, qui ita distemperatus est, vt quæ occurrunt omnia, vltra citráue quàm par sit alteret, & immutet: præter naturam nuncupatur. Qui etiam debilis in agendo dicitur, non quatenus calor est (præsertim cum temperamento est intensior) sed prout huius aut alterius facultatis est instrumentum, cui minùs aptè famulatur.

a Cap. 13.

Calidi autem quia magna est varietas, & cuique sua est conditio, ad singulorum peculiares quædam sunt dotes singula percurramus. Calidum quod fixum appellauimus, caloris in singulis membris familiare subiectum, & corporis viuentis portio viuens: proximum est & princeps animæ vegetantis instrumentum. Quod, vt ex substantiæ tenuitate, & caloris excellentia, efficacissimum est ad operandum: ita ad naturales quascumque actiones, pro singularum partium conditione edendas aptissimum est. Quod vt in quibusque membris idoneum & conueniens instrumentum agendi eua deret: inexplicabilem eam varietatem tam substantiæ quàm temperamenti admittit, quæ cuique membro maximè concinna est. Non enim vt aiebat Lycos apud Galenum, [b] quod intensum magis, sed quod maximè commensuratum vt proprium nobis opus præstet: id validius est, & adde, maximè idoneum facultatum animæ instrumentum. At licèt membrorum naturales actiones, non ab vna aliqua eorumdem heterogenea portione edantur, sed sint totius membri principaliter operantis: tamen quia innatus ille spiritus, & calidum quibusque infixum, maioris est actiuitatis quàm cæteræ portiones craseos elementaris, atque idem cæteras in actum operandi deducit: ideò eidem tota agendi membrorum vis, denominatiuè tribuitur. Neque verò illi quidquam vlterius concedendum videtur, vt nonnullis placuit: qui illi vni totam appositi alimenti alterationem, & conuersionem in membrorum substantiam committunt. Quod ideò minimè admittendum censeo: quia cùm insitum cuique sit à natura, sibi simile generare: si spiritus ille membris infixus solus in nutritione operaretur, is alimentum omne in spiritum verteret. Cùm tamen nutritio, fiat per alimenti membro appositi conuersionem, in substantiam præexistenti secundùm omnes eius heterogeneas partes respondentem. Vel ita saltem, vt pro maiore aut minore alimenti ad singulas heterogeneas aliti partes analogia, maior aut minor fiat accessio ad partem solidam, humorosam, aut spirituosam mẽbri quod alitur. Huic enim ipsi calido, & spirituosæ substantiæ membris infixæ, nutritio etiam conuenit: vt significatum est ab Hippocrate cum anima hominis inquit, [c] semper producitur vsque ad mortem. Alitur autem eo planè modo, quo reliqua omnis substantia viuens: vti scriptum est ab Aristotele, seu potiùs Stratone Lampsaceno libro de spiritu, [d] alitur inquam ex sibi consimili alimento: qualis est spirituosa & halituosa alimentorum portio; vel proximè ipsa calidi influentis substantia. [e] Nam iuxta Hippocratem, [f] alimentum etiam spiritus. Quod licet de aëre intelligi queat: potest etiam appositè de calido influente explicari.

b Lib. aduers. Lycum cap. 7.

c Lib. 6. epid. 5 tex. 3.
d Cap. 1.
e Stephanus Athenensis in lib. 1. ad Glauc. com. tex. 813.
f Lib. de ali. ad finem.

Præ reliqua autem calidi fixi substantia, ea quæ nobis à principio generationis connata est: vt ex materia magis elaborata, & longiore coctione perfecta, genita est: ita ad agendum, multò est superueniente efficacior.

Acquisititium verò calidum, priori per ætatis decursum respondens: illius etiam dotes æmulatur. Sed in eo differunt: quod prius illud natitium, & vt Galenus [g] loquitur, ἀρχέγονον θερμὸν halituosius sit & mitius. Cuius qui crescunt plurimùm habent: tam secundùm substantiam, eo tunc vel

g Lib. aduersus Lycum cap. 7.

minimùm consumpto: quàm secundùm temperamenti paritatem, quòd natiuum corporis temperamentum aut nihil, aut minimùm adhuc in acquisita elementari substantia sit euariatum. Quod verò per vlteriorem ætatem acquiritur, siccius est, minúsque halituosum priore. Vt enim totum corpus sensim exsiccatur vti mox docturi sumus: ita & quarumcumque eiusdem partium humiditas imminuitur.

Vtrique autem hæc adhuc communia sunt. Primùm à debita temperie posse recedere seu quòd illis inhærens calor remittatur, vnde καχέξιαι & mali habitus enascuntur: seu quòd eorum calor superintendatur. Quod cùm accidit, & ex Hippocrate[h] ignescit: simul cum morbo, & anima corpus depascitur, vt in hecticis aduenire aduertimus. Secundò vtrique commune est fixum esse, & cæteris heterogeneis membrorum substantiis (humorosæ scilicet & solidæ) sibi sociatis cohærere. Cui si aliquando per excellentem quamdam putredinem membrorum etiam soliditatem attingentem, ebullitio & feruor adueniat: hinc non repentini solùm interitus, sed horrendæ etiam putrilagines excitantur. Sic Clarissimi Domini Dionysij de Bonsils Generalis in hac Prouincia Prosenescalli à syncope & casu consequente extincti, cadauer vidimus intra paucas horas mirum in modum intumuisse, & cuticulâ variis in locis lacerâ, atque ab elatis vaporibus palpitante, mirum fœtorem exhalare. Vtrumque præterea dissolui ac dissipari contingit. Idque vel consequenter cum humido sibi annexo, dum hoc à calidi & connati & circumstantis vi rarefactum exhalat; vel per putredinem, quæ ad heterogenearum partium mixti integram dissolutionem conspirat. Quomodocumque autem abundantiùs exoluatur, quia primarium est & princeps naturæ instrumentum, maxima inde membris aduenit imbecillitas: quæ paululùm progressa proximè ad νέκρωσιν deducit. Demùm vtrumque per quamdam cum igne analogiam: ventilari extingui, & suffocari dicitur. Ventilari quidem, quia cùm vtrumque perpetuò in sibi coniunctum humidum attenuando agat: oporteat per transpirationem quasi flabello halituosas fuligines ab humido exhalantes expurgari. Extingui verò, vtrique aduenit, vel à contrarij frigoris occursu; per hyemis, niuium, medicaminúmque algores: vel ex defectu influxûs alterius calidi, quod à corde in cætera membra ad caloris fomentum effunditur. Suffocari tandem contingit; à fuliginum & humorum per membra extra vasa effusorum copiâ, euentilationem prohibente.

Calidi autem influentis (quod inanimatum est) munia sunt: calorem in singulis corporis partibus, perenniter à corde influendo, fouere: occursanti frigori resistere: & exinde vitam dispositiuè tueri: ac demum seu in auxilium partium læsarum, seu ad imperium appetitûs, pro vario eiusdem impetu diuersimodè moueri. Huius enim substantia licèt proprio & spontaneo motu in leuium tenuiumque morem sursum feratur: ex naturæ tamen imperio, & formatoris præordinatione, deorsum æquè ac sursum per quascumque nostri corporis partes diffunditur. Cuius præterea cùm perpetua sit necessitas & perennis vsus, quia continuò exhalat, & insensiliter per poros facillimè dissipatur: ideò continuatâ generatione perenniter renouatur. Cuius effluuium si quando vberius fit, per affectus calidam intemperiem consequentes, per animi pathemata feruorem spiritibus concitantia, necnon per calidiores anni tempestates: corpora seipsis frigidiora reddi dicuntur, quòd parciùs intro consistat id quod familiarius est caloris subiectum, quod quò copiosius est, eò corpora secundùm naturam calidiora reddit.[i] Hoc autem per metaphoram tantùm, nutriri dicitur: non aliter atque ignis. Vti enim hunc ali dicunt, ex nouæ materiæ accessione quam vrendo in nouum ignem conuertit: sic calidum influens ex sanguineo vapore, aere, aut suaui quocumque halitu, nouis generatis spiritibus, non verè alitur; sed potius per iuxtapositionem quamdam increscit. Quæ docere volens Galenus, calor quoque naturalis inquit,[k] perseuerantiam ex sanguine obtinet, quemadmodum ex lignis comburi idoneis qui in foco est ignis, à quo ædes totas calescere conspicimus.

Verùm cùm influenti huic calido conueniat, ad caloris naturalis fomentum perenni influxu continuandum, à corde per arterias in singula membra continuò deriuari. An non etiam vt Galeno visum est,[l] eidem accidit per se intrò foras, & foras intrò, continuatâ quasi reciprocatione moueri? Censuit id Galenus fateor: ratúmque est apud plurimos[m] calidi innati substantiam per se & semper mobilem esse ita vt neque intrò solum, neque extra feratur: sed alterum ipsius motum, alter semper excipiat: ne si intus calor semper maneret, in immobilitatem cessaret: si vero foras continuò efferretur, illum is motus dissiparet ac perderet. Quo motu Galenus[n] ex Heraclito, calidum inquit, modicè extinctum, & modicè accensum conseruari. Incensum quidem, cùm ad intima inclinat alimenti appetens: extinctum vero cùm ab intimis elatus vndequaque disperditur. Præterea idem à suo principio ad superiora & exteriora diffundi ait, propter calorem: ad suum autem principium regredi, intróque ac deorsum ferri, quod frigidi sit aliquatenus particeps. Verùm perennis ista calidi innati reciprocata motio fictitia est.

h Lib 6. epid. sect. 5. tex. 5.

i Hipp. 1. aphor. 15.

k Lib de curandi ratione per sang. missionem cap. 5

l Lib de trem palp. &c c. 6.

m Altimar. opusc. de calido inn. Fernelium in œcon. Hipp. in voce θερμὸν & alios.

n Eodem lib. de tremore.

Quam ideò imaginati sunt antiqui: quòd cùm innatum calidum animam esse existimarent, ad calidæ illius substantiæ conseruationem, prædicti motus reciprocationem necessariam esse censerent. Vtque falsa est illa hypothesis: ita etiam imaginaria est consequentia quæ inde infertur. Nam seu calido fixo: seu influenti reciprocatus ille motus tribuatur neutri conuenire potest.

Non fixo quod si fixum est, & membrorum viuentium pars viuens, non potest continuâ reciprocatione moueri. Atne influenti quidem, quod cùm ex se pro ratione insitæ caliditatis, tenuitaris, & leuitatis, non aliò quàm sursum feratur: non potest idem, ex vi consociatæ remissioris frigiditatis, deorsum agi. Tum quia frigiditas, inter qualitates loco motiuas à nullo recensetur: tum quòd cuiusuis substantiæ actio, non alteri qualitati quàm prædominanti debeatur. Veruntamen cùm & verum sit, calidum influens perpetuò moueri: paulò aliter nobis quàm Galeno de eius motu ratiocinandum esse putamus. Quod dicimus in consuetum & maximè familiarem naturæ vsum, à corde quasi à centro quaquauersum per totum corpus ad eius circumferentiam vsque diffundi. Citiùs verò aut lentiùs: prout plus aut minus vrget, vel vsus, vel spiritus ex continuata generatione aut ex insolito feruore succedentis impetus.

A circumferentia autem cùm magna est habitûs laxitas, id totum exhalat: quòd à portione quæ in calidi fixi alimentum cedit residuum est. Vel impedito per cutem effluuio (quod ea seu ex natiua textura, seu ab ambientis frigore sit densior) intrò refluit, & latentes æquè ac manifestas corporis cauitates abundantiùs implet. Ad exigentiam verò naturalis appetitûs & animalis imperium, seu exercitum, seu signatum pro diuersarum partium dolorosis affectibus quibus natura subuenire studet, aut pro variis animi pathematibus: illud & in varias partes, & variâ celeritate mouetur; scilicet pro diuersa conditione imperij appetitûs animalis, aut pro magis minúsue vrgente fine, naturalis. Ita quò pars quæpiam vehementiùs doluerit, eò in illam spiritus influens imò & sanguis; abundantiùs, & promptiùs irruit: per diuersas autem animi passiones, gaudium, iram, tristitiam, verecundiam, & similes, variámque illarum vehementiam; influens calidum, nec pari motu, nec æquâ celeritate mouetur. Eam autem motûs varietatem tum particulariùs explicabimus, cùm de passionibus animi tractabimus. o

Præterea verò & Influenti huic calido æquè ac fixo contienit: exolui, ventilari, extingui, & suffocari. Exolui quidem contingit sensim per ordinariam transpirationem: affatim verò per repentinum & immodicum gaudium, vehementiorem iram, & feruidiores febres. Ventilatur autem & & per respirationem, & per transpirationem ipsam. Transpiratione enim extrema arteriarum ora per habitum corporis aërem in refrigerium attrahunt, & fuligines ad expurgationem spirituum exprimunt: per respirationem verò cor per arteriam venosam aërem ad caloris temperamentum dum distenditur attrahit, & fuligines dum contrahitur expurgat. Extinguitur vel à pharmacis summè refrigerantibus, vel à vehementi ambientis frigore, quod rarum corporis habitum, præsertim post immodicum totius corporis feruorem, affatim pernadat. Suffocatur tandem cùm sibi exhalare non licet, & conuenientem tenuitatem seruare denegatur. Quod trifariam fit: Ac primò quidem nimiâ copiâ quarumcumque fuliginum, & malignarum maximè, seu excellenter putrium, arterias occupante. Hæ verò aut ab extra in vicem aëris inspiratæ attrahuntur: vel intrò genitæ, & propter constipationem cutis non expurgatæ colliguntur. Secundò humorum multitudine, aut crassitie, facilem spirituum per vasa transcursum impediente. Ac demum immodico & repentino spirituum à circumferentia ad centrum recursu, eosdem opprimente: vt in vehementissimo dolore, & extrema tristitia nonnunquam accidit.

Demùm calidum quod à corde influit, si in corpore probè temperato & rebus non naturalibus pro ratione vtente generetur: omnino secundùm naturam dicitur, & suauem halitum transpirando euaporat, mitémque vniuerso corpori calorem communicat. Si vero in corpore notatu dignam intemperiem passo, aut in rerum non naturalium vsu grauiùs peccante gignatur: inde præternaturalem statum acquirit. Quod vitium, si illi vel per caloris cordis incrementum adueniat, vel per fuliginum seu putrium seu exustarum permixtionem: tunc molestum, igneúmque, & corruptiuum calorem per vniuersum corpus effundit; & id quod per cutem exhalat acre est & mordax, tangentis cutem in aculeorum occurrentium morem feriens.

Tandem fixi & influentis calidi complexus, cui vegeti nomen est inditum; etsi vnum sit per accidens, sub communi tamen illa ratione tenuis & spirituosæ calidæ substantiæ consideratum, meritò dici potest primum animæ instrumentum: quòd vel altero, vel vtroque, omnes organicæ facultates, tum maximè naturales vtantur. Huius enim ope natura succos à putredine præseruat; totius habitûs excrementa insensiliter expurgat; partium singularum robur integrum vitámque tuetur; causis omnibus noxiis deforis aduenientibus resistit; & medicamenta sibi in auxilium ministrata reducit in actum.

o Tract. 1. praxeos lib. 6 cap. 2.

Quanta ſit humidi ad vitam neceſsitas.

Capvt VIII.

ARistoteles explicaturus quanta ſit humidi ad vitam neceſſitas: oportet enim accipere inquit,[a] quod animal eſt naturâ humidum & calidum, & ipſum viuere tale. Vt enim ipſum ideò naturâ calidum eſt, quòd calori prima concoquendi vis inſit, citra coctionem autem natura vitam conſeruare non poſſit. Ita humidum idipſum etiam eſſe oportet: quòd cùm omnis natiui caloris calidæque ſubſtantiæ nobis inſitæ actio, ad animantis incrementum vitámque nutritione tuendam conſpirans, in materiam aliquam ſibi obiectam dirigatur; eamdem humidam eſſe neceſſum ſit, ſeu ad alimentum attendamus, ſeu partem ipſam alendam conſideremus. Alimentum enim vt facilè diſtribuatur, liquidum, atque ideò humidum ſit oportet. Pars autem quæ alenda eſt, niſi mollis eſſet: non poſſet ſecundùm omnem dimenſionem ab intrò diſtendi, & vitale augmentum ſuſcipere. Hinc quia alimentum vix poteſt ſicciora ſenum membra peruadere, neque eadem tareſcere & extendi valent: eadem etiam minimùm aluntur. Contra pueri: quia humidiſſimi ſunt: non aluntur ſolùm, ſed plurimùm etiam incrementi accipiunt.

Quare rectè Ariſtoteles[b] augmenti (inquit) calida humiditas cauſa eſt, & vitæ. Vitæ equidem materialis eſt cauſa, vt augmenti: quòd ſubſtantia calore humoréque perfuſa, ſola ſit informationis animæque capax, ſola vegetare apta; ſola nata vitale augmentum capere: vt ex aduerſo, frigida ſiccitas & ad vitale incrementum inepta eſt, & ad vitam continuandam inhabilis: ea enim ſenectutem infert, quam mors mox etiam conſequitur.

Demùm tanta eſt humidi in animalibus neceſſitas, vt non ſolùm illo indigeant ad ſolidas partes continuandas, aut ad continuum ſubſtantiæ membrorum effluuium reparandum: ſed ad innati etiam calidi [quod primarium eſt naturæ inſtrumentum] conſeruationem, illud ipſum requiratur. Siquidem ſpirituoſa illa ſubſtantia, præ tenuitate citiſſimè exhalaret: niſi alicuius ſubſtantiæ humidæ, & ſibi familiaris permixtione detineretur. Quocircà, quanta eſt calidi ad agendum vtilitas: tanta eſt humidi tum ad patiendum: tum ad calidum ipſum conſeruandũ neceſſitas. Vtque illo carere, & ſimul viuere non poſſumus: ita neque hoc deſtituti, vitam protogare valemus.

Nec miretur quiſquam, nos præter vulgarem aliquorum ſententiam, cenſere cum Dino,[c] aliam eſſe in nobis calidi, aliam verò humidi ſubſtantiam. Quamuis enim admittamus, nullam ſenſibilem partem viuentis, aſſignari poſſe: quæ calorem, humorémque quodammodo non participet. Addimus tamen, nullam ſenſibilem partem viuentis reperiri, quæ prima mixtionis elementa materialiter non contineat: & heterogenea ſimul nõn ſit: atque eas ſaltem diuerſas ſubſtantiæ portiones in ſe non retineat,[d] quæ licèt formaliter elementa non ſint, & mixtionis quamdam etiam rationem redoleant, diſparis tamen admodum ſint conditionis. Quarum alia, ſpirituoſa eſt: alia, quòd intenſiorem humiditatem cæteris, à natura ſortiatur, & cum eadem maiorem familiaritatem contraxerit, humida, aut minùs Latinâ voce, humoroſa appellatur: & tertia demùm ſolida nuncupatur. Quas cuicumque proteruiùs ab inuicem differentes eſſe neganti, Spagirica pauco labore ſeparatas monſtrabit, atque ideò & priùs inexiſtentes & ſimul commixtas fuiſſe conuincet. Quinimo, mixtis omnibus, ac viuentibus maximè commune eſt; vt cùm vel à natura, vel arte diſſoluuntur, tenuem & ſpirituoſam quamdam ſubſtantiam primùm exhalent: tum humidam adhuc, aut liquabilem ſaltem ſuæ molis portionem contineant; qua ſecreta, terream demum & inane quoddam teſtet craſſamentum.

Quarum prior illa, tum vaporum materia, effuſorúmque odorum ſubiectum: tum in quibuſque medicamentis, maioris actiuitatis ſubſtantia,[e] tum in viuentibus, inſitus membris ſpiritus, & caloris primarium principiúmque ſubiectum. Poſterior vero ſoliditatis omnis & firmitatis membrorum eſt baſis. Vtriuſque autem vinculum eſt, media illa humida ſubſtantia: quæ ſpirituoſam quidem portionem ſuo amplexu continet, & ne affatim exhalet remoratur: terreſtre vero craſſamentum ex ſe ſolutum, miniméque cohærens continuat: atque ab alterutro, re, & ratione diſtinguitur. Quod Lucretius,[f] quodammodo agnouiſſe videtur, cùm ait.

---- In quouis animantum viſcere vulgò,
Eſt odor, & quidam calor, & ſapor: & tamen ex his
Omnibus, eſt vnum perfectum corporis augmen.

a *Lib. de longit. & breuit. vitæ cap. 3.*

b *Ibidem.*

c *Quem refert Dandinus lib. 1. de corp. hum. temper. cap. 24.*

d *Vnde Hipp. lib. de locis in hom. in princ. minima corporis pars inquit, omnia habet quæcumque & maxima.*

e *Damaſcenus in aphoriſmis, illud quippè quo medicamen agit, inquit, ſubtilis ſubſtantia eſt.*

f *Lib. 3.*

Quotuplex ſit in nobis humidum.

Capvt IX.

NON ſolùm per vaſa, pérque membrorum poros, tam alimentariis, quàm excrementitius etiam aliquando multiplex humor diſpergitur: ſed ſingulis etiam partibus vita fruentibus ſua eſt innata humiditas. Quam nonnulli [a] eam eſſe cenſuerunt, quæ ab Adamo accepta & in poſteros inexplicabili ſectione propagata, ſola à cuiuſcumque hominis anima informetur. Alij vero [b] duplicem eſſe dixerunt: vnam alimentalem, continuo influuio & reciprocâ nutritione mutabilem: aliam radicalem à ſemine acceptam, quæ à principio generationis ad interitum vſque perduret. Nobis autem paulò aliter ingenitæ huius humidæ ſubſtantiæ conditio, explicanda videtur. Ea enim viuentium membrorum portio, quæ inter heterogeneas ſingulorum partes humida per excellentiam appellatur; etſi id habeat, vt tota, ſit membri viuentis animata portio: quia tamen perenni actione calidi ſibi conſociati inæqualiter alteratur, non vnius eſt ſortis, ſed multiplicem conditionem induit. Illa ſiquidem eam in ſe varietatem ſortitur: vt pars aqueam conſiſtentiam imitata, aqueus humor appelletur, quem alij [c] alimentarium nominant: pars verò eiuſdem pinguior, oleagineus humor nuncupetur: pars demùm cuius ope, exſiccati etiam corporis reliquiæ cohæreſcunt, ſibi chymicam ſalis vocem vſurpet, cui alij [d] humoris aquei nomen indiderunt. Quorum primus ille vt per morbos tam acutos, quàm diuturnos, facilè abſumitur: ſic poſtmodum in conualeſcentibus non difficilè reparatur. Secundus per febres ardentes, & malignas plurimas, colliquatur: vel pingues reddens excretiones, vel in olei modum vrinis innatans. Tertius, vel extrema putrilagine diſſoluitur: vel ſummè exſiccatis, aut denſis corporibus, affuſione aquæ in lixiuii modum eliquatur. Tota verò ea humida ſubſtantia, ſi ad elementarem craſim reſpiciamus, etſi maximè aquæ & aëris participet: aliorum tamen etiam redolet permixtionem. Noſtra enim corpora in nullum ſenſibile primùm reſoluuntur, quod purum ſit elementum. Singulæ autem eius differentiæ eâ varietate aquæ aëriſque participant: vt prior quidem à ſibi conſociati calidi breuiore alteratione excocta, maximum habeat cum aqua commercium, vnde nomen accepit. Poſterior verò à diuturniore coctione, & attenuatæ terreæ ſubſtantiæ aliquantò maiore permixtione, craſſitiem & lentorem cæteris maiorem acquirat. Media demum, ex vberiore aëris miſcela, & abſolutiſſimæ coctionis mediocritate, pinguis euadat. Quòd ſi præterea totius huius inſitæ nobis humidæ ſubſtantiæ ortum perquiramus, ea eſt illius diuerſitas: vt pars ex primis generationis noſtræ principiis initium duxerit, pars verò ex alimentis ſit genita. Aquea quidem tota alimentis debetur accepta, vltimò acquiſita, ad cõſumptionem æquè atque ad reparationem aptiſſima. Oleaginea autem, & ea quæ ſalis nomen mutuatur, ab vtriuſque principiis orta, nec tam promptè abſumitur, nec tam facilè reparatur. Verùm qualiſcumque ea ſit varietas, totius humidi confuſa eſt & indiſcreta in viuente congeries, qua noſtri corporis membra intimè perfunduntur. Et vndecumque ea originem duxerit, his omnibus muneribus fungitur, quæ à nonnullis variis eius portionibus ſpeciatim aſſignantur. Non enim vt perperam cenſuit Villonouanus, [e] alia eſt ſpecies humidi quo primordialis maſſæ elementa continuãtur: alia verò alterius, quod nobis vt viuentibus & animatis ineſt. Sed idem & continuationem vt mixto tribuit, & vitæ pabulum (ſi metaphoræ cum Rhodigino [f] permittatur) vt animanti ſuggerit. Neque viſcidus ille & tenax humor, ſalis voce expreſſus, licèt ſit firmius continuitatis vinculum; is ſolus eſt quo terrenæ corporum partes iunctæ cohærent, vt Fernelio placuit: [g] ſed ſingulæ ſelectæ humoris ſpecies, ad debitam humano corpori continuitatem tribuendam, ſuum conducunt ſymbolum. [h]

a Petrus Lõb. lib. 2. diſt. 30. N O. Petrus Comeſtor cap. 71. hiſtor. ſcholaſt. Hugo de Sancto victore lib. de ſacram. pag. 6. cap. penult. b Aphrodiſaus in cap. 5. lib. 2. de gen. Niphus in eund. libr. com. 111 & 120. atque alij. c Fernelius lib. 4. phyſiol. cap. 3. d Idem ibid.

e Lib. 1. de hum. radic. cap. vlt. f Lib. 21. lect. antiq. cap. 31. g Cit. lib. 4. phyſ. cap. 3. h Iulius Ale. lib. 2. ſalubr. 3. & 4.

Quale ſit in nobis humidum quod primigenium & radicale appellatur.

Capvt X.

HVMIDVM quod ſub explicata varietate ſic noſtris corporibus ineſt, vt ſubſtantiæ membrorum ſit portio, ſolidarum partium integritatem compleat, atque animatum ſit & viuens: partim nobis ex materialibus noſtræ generationis principiis, ſemine, & materno ſanguine acquiſitum, ingeneratur; partim per ætates ſenſim ex alimentis membris adnaſcitur. Illud vulgò πρωτόγονον καὶ ἀρχήγονον τὸ ὑγρὸν, ſeu primigenium & radicale humidum appellatur: hoc vero cibale, & alimentale nuncupatur. Neque immeritò priori primigenij nomen eſt inditum: quòd vt ex ſemine & materno ſanguine primùm efformari ſumus, ita humidum quod ab hiſce nobis communicatum eſt, verè priùs in nobis ſit genitum: quod autem deinceps ex ſubſtantia alimentorum ſuperadditur, illi poſtmodum accedat. Cùm autem vtrique commune ſit, ex pingui viſcidóque humore conſtare: non totus tamen ille humor qui ſemini & materno ſanguini debetur acceptus, ſed pinguis tantùm eius portio, apud

plurimos κατ' ἐξοχὴν radicalis humidi nomen meruit. Radicalis inquam: quod velut vitæ radix ideò crederetur, quia connatum nobis & fixum calidum ab antiquioribus anima repuratum, huic tanquam fulcro primùm inſidens, ex hoc veluti lare & foco in reliquam ſubſtantiam à principio influeret. Radicale iterum eſt appellatum, quòd ex aliorum ſententia, vt radix plantas terræ alligat ita humidum hoc, animam ſpiritui fixo inſidentem corpori agglutinare & alligare diceretur. Inde aliqui [a] hoc ipſum δέμας nominatum volunt: quaſi τὴν ψυχὴν τῷ σώματι δεόμενον, animam corpori alligans. Nonnulli tamen artificioſiùs puto, radicale à primigenio diſtinguentes: radicale totum illud pingue & oleaginoſum appellant, quod in nobis ineſt; ſeu à prima origine connatum, ſeu ex cibis ſit acquiſitum, cui alterutrum calidum membris infixum familiariùs adhæret. Illi verò pingui humido, calida ſpiritûs fixi ſubſtantia; ideò familiariùs aſſidet: quòd cùm pinguia omnia aëreæ ſubſtantiæ plurimùm participent, eiſdem tenues ſpirituoſæque ſubſtantiæ facilè permiſceantur. Animatum autem illud calidum, humido radicali permiſceri diximus: quod vt iam ſatis explicatum eſt, non eadem ſit vtriuſque ſubſtantia: quamuis alij [b] aliter cenſeant, & ſæpè apud antiquos [c] vnius voce ambo comprehendantur. Licèt autem hæc inter ſe diſtinguantur: ideò tamen ſimul conſociantur, quòd per explicatam ſubſtantiæ ſimilitudinem, in animantis perennitatem ſe mutuò commodiſſimè tueantur. Humidum enim, [d] ſpiritum remoratur ne exhalet: ſpiritus verò humido calorem vitæ fautorem communicat.

a Zvingerus Physiol. Medic. cap. 2.

b Fernel. lib. 4. Physio. cap. 6. ad finē Ioubertus in annot. natur. pag. 7.

c Gal. 2. in lib. de natur. hum. comm. text. 2 & 3. fine cap. 21.

d Auicenn. lib. 1 fen 2. doct. 3. cap. 3. & 12. de anim. cap 4.

An calidum innatum humidum radicale & primigenium depopuletur?

Capvt XI.

Etsi Galenus ex communi & Peripateticorum doctrina, profeſſus eſſet [a] calidum maximè actiuum eſſe: quod, quæ ſibi proxima ſunt attenuando & rarefaciendo, quantùm poteſt diſſoluit, ac diſſipat. Alias tamen à proprio calore nihil corrumpi ſcripſit: [b] Imò contrà quidquid in rebus ſubſiſtit, id gliſcere, roborari, ſanum eſſe, ac viuere dum à proprio calore regitur. A quo ſolo præterea omnium operum naturalium cauſa, corpus ab initio efformari dixit, deinceps augeri, atque ad mortem vſque enutriri. Eorum item ſententiam improbans, qui à calore nobis inſito humidum ſenſim abſumi exiſtimabant; animalium calorem ignis flammæ comparandum negat: [c] quòd flamma quidem, ex corruptione eiuſdem materiæ ex qua ſuccenditur ortum habeat; animalia verò, innatum calidum ſortita ſint, vt ab illo augenda & gubernanda quod præterea varias machinationes inuenire ait, vt materiam cui aſſidet tueatur. Cuius ſententiam explicans Scaliger, [e] non à calore genitali diuinitùs accedente, & noſtri corporis opifice, reſolui inquit humidum, ſuámque materiam conſumi: ſed ab elementari interno, cuius ſubiectum ait, ſit ignis, vnum ex elementis quibus conſtat omne compoſitum.

a Lib. 2. de nat. facult. cap. 2.

b Lib. 11. met. cap. 8.

c Comm. in aph. 14. lib. 1.

d Lib. de mar. core cap. 3.

e In cap. 9. lib. 2. de cauſ. Plant. Theop.

Ex quibus duplex emergit controuerſia. Quarum prima eſt, an humidum quod radicale appellamus, vi caloris nobis innati diſſipetur. Altera verò, à quonam calore illud exoluatur. Poſterioris, ſolutus eſt nodus: quando vnicum ſpecie calorem nobis ineſſe: multis rationibus ſupra [f] confecimus. Quare ſola prior quæſtio diſcutienda manet: an qui in nobis eſt calor, ab elementorum mixtione ortum ducens radicale humidum depopuletur.

f Cap. 5.

Plurimis pars negatiua placet, qui vitam in eo primordiali humido cum recentioribus Philoſophis & Medicis conſiſtere affirmantes: illud tandiu conſeruari profitentur, quamdiu vita durat. Quibus, huius primigenij humidi conſumptio ex eo abſurdior eſſe cenſetur: quòd ſi calidum nobis inſitum, illud attenuendo diſſipet, oporteat nos eorum quæ à parentibus accepimus ſeneſcentes nihil retinere, ſed paulatim per ætatem in alium hominem degenerare.

Quibus nihil obſtantibus, cum inſitum ſit à natura cuicumque naturali agenti in materiam diſpoſitam agere quantũ poteſt: pro ratione videtur; calidam ſpirituoſam ſubſtantiam tum membris inſitam, tum influentem, in reliquam corporis molem atque ipſum etiam qualecumque humidum, cui vel adhæret, vel permiſcetur, ſic agere; vt quæ contingit ſenſim attenuet, & attenuata in halitum diſſoluat ac diſſipet.

Alia tamen aliis, magis aut minùs, promptiúſque aut lentiùs exoluuntur prout quæque in vaporem citiùs aut tardiùs apta ſunt ſolui. Vnde humidum roridum, priùs quàm ſubſtantiale diſſipatur: & ex ſubſtantiali, humidum aqueum, prius oleagineo: ac demum quod carnoſis partibus ineſt, promptiùs eo digeritur quod ſpermaticarum eſt partium. Perpetuò tamen cuiuſque humidi aliquid abſumi, nihil vetat: atque ideò partes ſingulæ nouâ ſemper alimenti acceſſione indigent; vt in quibuſcumque & reſarciatur quod deperit, & quod ad incrementum neceſſarium eſt, illis opportunè ſuggeratur. Vt autem in eodem homine, diuerſarum portionum humidi inæqualis ſit diſſolutio: ita totius etiam confuſæ humidæ molis, in diuerſis hominibus non æqua ſit per idem tẽpus conſumptio.

Vnde

Vnde plurimi refectionis per alimenta disparem necessitatem experiuntur.

Nonnulli enim qui acriore calore & humidum impensiùs digerente sunt præditi, si ad inediam per diem integrum ferendam compellantur, in syncopem incidunt. Alij ad septimum diem vsque, ab omni cibo citra noxam abstinent: vltra quem terminum vitam cum inedia produci non posse censuit Hippocrates.[g] Aliqui tamen sine miraculo, diuturniora ieiunia pertulerunt: vti passim apud authores[h] legisse licuit. Est in hac ciuitate duodecim annorum puer Francisci Icardi Pharmacopolæ filius, qui antea pro ætate satis edax, & admodum macilentus, iam ferè à quinque mensibus omnem penè cibum renuens; aliquantò carnosior solito est redditus, ad cætera pro more constitutus. Nobilem quemdam item hic nouimus, qui cùm lubet per dies quindecim & plures absque omni, & cibo & potu se tuetur incolumem. Nec mirum, tanta enim in aliquibus pueris, adultioribus melancholicis, & mulieribus præsertim caloris remissio inuenitur; ac simul tam tenax est eorum humidum & roridum & substantiale: vt cum hoc, ab illo minimùm dissipetur; si aliquando contigerit tales ex concepto mœrore aut morbo ab alimentis per vnum aut alterum diem abstinere, mox succedente ἀνορεξία, ad ἀσιτίαν postmodum deducantur, & diu sine cibo perdurent. Quod iam sæpius euenisse, variis historiis comprobatum legitur apud Aponensem,[i] Ioubertum,[k] Citæum Medicum Patauinum,[l] & alios. Memini etiam me præsente, à Domino de Commam nobili Flandro recitatum fuisse Illustrissimo Domino du Vair, Senatûs huius Prouinciæ Protopræsidi æquissimo & Galliarum ornamento in ea Gueldriæ vrbe quam à flumine circumfluente Musam appellant, mulierem quamdam viuere, quæ consueta famularûs munia exercens, per nouem annos ab omni & potu & cibo abstinuisse dicatur. Fidem omnem excedere videtur quod à Francisco Pico Mirandulano relatum est:[m] quemdam Heremitam non longè à Colonia Agrippina per annos nouendecim quicquam non gustasse. Quibus historiis, vt non est temerè credendum cùm humana & diabolica etiam fraus, in tam diuturnis ieiuniis possit esse suspecta; ita neque illis planè est detrahenda fides, cùm angues diu sine cibo durent, Peruuianum animal quod Hay nominant cibum capere nunquam aduertatur, & aues pluuiales in Flandriæ finibus degentes nec cibum quærere dicantur, nec dissectæ quidpiam vnquam alimenti in ventre continere reperiantur.[n]

Verùm vt ad id vnde digressi videmur redeamus: tum authoritate, tum ratione probandum est, humidum quod in nobis est (non æqualiter tamen quodcumque) ab innato calore sensim & insensibiliter digeri. Quod non obscurè ab Hippocrate enunciatum legimus, quando & in humidis inquit,[o] & in siccis detrahit & apponit idem. Hoc est, idem calidum natiuum à partibus tam carneis quàm solidis, & detrahit, humidam earum substantiam exoluendo, quatenus calidum est, & attenuans: & eisdem apponit idem, dum alimentum in substantiam membrorum conuertit, prout naturalis facultatis proximum est instrumentum. Aristoteles idipsum sic expressit,[p] naturale calidum, primum concoctiuum, consumit materiam in qua est. Quod Galenus profusiùs aliquantò explicans: quæ nostrum corpus lædunt corrumpùntque, generè duplicia esse scribit;[q] alia quæ & declinare liceat & orta à nobis non sint; alia nobiscum genita, quæ ex ipsis generationis principiis veluti radice orta vitare nequeamus: siquidem ex vi inquit sicci elementi in mixtione supereminentis ita sensim vndequaque exsiccamur, vt inde senium adueniat, affectioni quæ in stirpibus αὔανσις dicitur proportione respondens. Diuersæ autem humidæ substantiæ differentem exolutionem, ipsámque exolutionis originem, tum vberrimè recensuit: cùm liquet enim inquit,[r] quod in cuiusque animalis corpore priùs illæ partes absumuntur quæ sunt humidiores; quando & ipse defluxus idcircò fiat, quia corpus extenuatur, atque in vapores resoluitur: idque duplici de causa, extrinsecus quidem ab aëre ambiente; intus verò à calore natiuo. Quorum sententiæ Auicennas,[f] Fernelius,[t] & recentiorum plurimi subscripserunt. Id autem primariis & Medicis, & Philosophis ideò probatur: quòd ea sit naturalium agentium conditio, vt agant singula quantum possunt, & in ea suam vim efficaciùs exerceant quorum minor est resistentia, imbecilliùs verò aduersum cætera operentur, quæ potentiùs resistere nata sunt. Ita si quando oleum cum aqueo aliquo liquore ferueat, etsi quidpiam olei semper depereat: minimùm tamen est quod ex eo deperditur, quamdiu aqueus illi permixtus humor durat. Sed quod magis controuersum est, humidi radicalis aliquid etiam dissipari, dum alimentalis humidi reciprocata refectione reparati perennis fit dissolutio; inde verum esse probamus: quod cum substantiis omnibus heterogeneis simul mixtis commune sit se vicissim alterare, oporteat calidum quod humido primigenio consociatum est in illud etiam agere.

Cùmque omnis calidi alteratio in rarefactionem, attenuationem, & aliqualem demum attenuatæ substantiæ exolutionem terminetur: humidum etiam illud primigenium, aliquam sui dissolutionem pari necessum est.

Non enim tantæ est resistentiæ, quin à calido illo spiritu omnium quæ in nobis insunt maximè actiuo,

g Lib. de carnibus.

h Antiqui aliqui referuntur à Mercuriali lib. 6. variar. lection. cap. 12. & Rondel. lib. 1. de pisc. cap. 13.

i Differentia 112 ad finem.

k Paradoxo 2. decadis ad finem.

l Lib. 1. de triennali abstinentia virginis Consolantana.

m Lib. 4. examinis doctrinæ vanitatis gentium c. 23.

n Torquemada dialogo 6. examerun seu hortis floridi.

o Lib. de alimen. 31.

p Lib. de longit. & breu. vitæ cap. 3.

q Lib. 1. de sanit. tuenda cap. 2. & 4. & epid. com. tex. 28.

r Comm. in aph. 59. lib. 7.

f Lib. 1. fen 1. doct. 3. & 12. de animalib. cap. 4.

t Lib. 4. physiol. cap. 8.

pati & alterari queat. Hinc apud Hippocratem (qui calidi innati voce humidum etiã primigenium subintelligit [u]) pueros calido innato plurimùm abundare scribitur: [x] quòd per ætatem eius substantia sensim depereunte, minimùm eiusdem reliquum sit in senibus. Et Fernelius humidi primigenij per integram vitam perseuerantiæ inter recentiores assertor maximus, hæc nonnihil inter se pugnantia proferre cogitur. [y] Quamcumque autem solidior illa substantia ab ortu conditionem acceperit, eamdem totius vitæ cursu retinet. Nam stamina ex humido liquidóque semine creata, quamquam diuturnitate magis magisque siccescunt, dum ad extremum senium [quod aridissimum est] veniant; semper tamen eius humidi quod à semine contraxerunt, aliquid sibi in omnem vitam recondunt: quod vt recens natis & infantibus plurimum est, senibus exiguum, ita interiectis ætatibus mediocre. Quod non solùm de humido secundùm temperiem, sed de eodem secundùm substantiam intellectum, cùm illud infantibus plurimum, in senibus autem exiguum insit: eius plurimùm per ætatem dissolutum esse necessum est. Si verò illius substantiam ex parte deperire concedatur: nihil inconuenit totam etiam aliquando absumi. Nullus enim tam parùm sanæ mentis est, qui illius humidi primigenij substantiam animæ sedem esse existimet, vt hanc, illam solam informare censeat: ita vt ad illius humidi consumptionẽ, quasi animæ subiecto pereũte, & ipsam à corpore exilire oporteat. Sed cùm ea tota in toto & tota in qualibet parte viuente consistat, nec vni magis quàm alteri parti informando adhæreat: vbi semel ea deperdita fuerit substantia quæ à semine fuerat accepta; ea semper in illius vicem animæ substabit quæ ex alimentario succo per ætatem fuerit acquisita.

u Ita docent à Vega com. in aphor. 13. Lib. 1. Iul. Alexand. lib. 21 salub cap. 6. & Vales. in aph. 14. lib. 1.
x Lib 1. aph. 14.
y Lib. 4 physiol. cap. 6.

Verum quò nostra hæc sententia pleniùs confirmata, tata stabilisque consistat: quæ principio in contrarium obiecta fuere diluamus. Galenus quidem nihil à proprio calore, imò neque à proprio calido corrumpi scribens, [z] bifariam intelligitur: vel non per se & ex naturæ instituto, sed per accidens ex vi propriæ & necessariæ actiuitatis. Vel non corrumpi, eã corruptione quæ per putredinem aduenit. Calidum enim quod alicui secundùm naturam insitum est, & eiusdem vt mixti heterogenea est portio: licèt maxima ex parte sit causa continuæ dissolutionis humidi sibi consociati, nunquam tamen in eo corpore cuius mixtionem ingreditur putredinis est author. Namque ex Aristotele [a] calor qui est putredinis causa, externus est & τοῦ περιέχοντος. Cùm autem idem Galenus [b] calido innato vt facultatum naturalium primario instrumento, varias attribuit dotes: nihil aduersùm nos profert. Non enim illi propterea denegat, paulatinam eam humidi consumptionem quæ nos ad senectam ducit, aut rapit aliquando. Libro verò de marasmo, [c] iure Galenus illis succenset, qui asserunt calidum innatum in modum flammæ humidum quod in nobis est depopulari: quoniam illud non ex materia humidi, vt flamma ex materia combustibili increscit. Sed cùm ex consequentia propriæ actiuitatis, humidum sibi sociatum insensibiliter dissipet: non exinde incrementum capit, sed ipsum potiùs simul exhalando minuitur. Quòd verò ad vitam & ætatum distinctionem pertinet. Humidum primigenium neque illius necessarium fomentum est, neque huius fundamentum & radix: sed eas potius dispertimur, ab exsiccatione quæ nobis per gradus secundùm qualitatem aduenit, quàm ex varia consumptione substantiæ humidi primigenij: vt alibi [d] à nobis fuit explicatũ. Ad illud verò absurdum, quod admissã humidi primigenii dissolutione sequi obiicitur: dicimus licet nihil aliquando remanear primigeniæ illius substantiæ, & metaphysicè non eadem sit materia corporis octuagenarii quæ fuerat bimuli: est tamen semper idem homo, tum ob formæ & animæ identitatem, tum ob materiæ sensim per partes commutatæ perseuerantiam, sub consimili totius corporis figura & conformatione.

z Lib 11. methodi cap 8.
a Lib. 4. meteor cap. 1. aut apud alios 2.
b Comm in aph. 14 lib. 1.
c Cap. 3.
d Lib de tem. cap. 6.

An ex alimentis humidum aliquod primigenio æquale restauretur.

Caput XII.

Calido innato in vniuersam humidi nobis insiti molem agente; certissimum est dum quod aqueum est continenter absumitur: pinguis etiam, substantiæ, & carneæ, & seminalis, aliquid aliquando deperire. Non enim aliter per ætatem humida corporis nostri substantia exsiccatur: quàm quòd paulatim extenuetur, & quidpiam eius insensibiliter semper exhalet. Quod cum inter plerosque omnes, tam Philosophos quàm Medicos, ratum habeatur: maxima tamen cum contentione disputatur, num id quod ex primordiali illo humido deperit, sic aliquando reparetur, vt ex alimentis humidum aliquod primigenio æquale, aut melius etiam nonnunquam generetur. A nemine enim hac ætate affirmatum existimo partes à semine acceptas nec nutriri, nec humectari: vt aliquos censuisse refert Aponensis. [e] Euidens enim est, eas [saltem mox à formatione embryonis] alimentarium humorem toridum sibi appositum sic alterare: vt illum in substantiam

e Differentia 112. Conciliatoris.

sibi similem agglutinando conuertant. Vnde fœtui incrementum secundùm omnem circumscriptionem aduenit: quod citra nutritionem fieri nullâ ratione potest. Verùm ex alimentario succo alium primogenio similem nunquam generari, sed deteriorem semper succrescere: & quod semel exsiccatum est nunquam rehumescere, tuentur plurimi. Quæ vulgatior est tum Philosophorum, tum Medicorum sententia. Aliàs enim inquiunt, si posset aliquando melius humidum restaurari quàm esset antea: vitam etiam in multa sæcula prorogare liceret: cùm ex sola successiua insiti nobis humidi exsiccatione, ad senium mortémque ducamur. Aut saltem possent senes, ad iuuentam ea industria reuocari. Quæ, vanitatis & inanis conceptûs plena esse, quisque suspicabitur. Præterea cùm per perennem corporis nutricatum, & alimentum in aiiti substantiam conuertatur, & ipsum quod altum est ab alimenro quadantenus repatiatur: necessum est idipsum quod à principio est altum, à primordiali illa constitutione & temperatura decessisse. Quod postmodum nusquam poterit, sibi appositū qualecumque alimentum, in substantiam secundùm primigeniam illam naturam, sed pro præsenti tantùm statu sibi similem conuertere.

Verùm vt quid de hac quæstione sentiendum videatur accuratè exprimamus: principiò quasdam hypotheses præmittamus, mox rem totam per conclusiones definiamus. Quare aduertendum est primò, duplicem concipiendum esse nostri corporis statum, quorum prior sit primæ formationis quando scilicet facultas formatrix nostri figmenti stamina ex semine & sanguine materno citra vllius alimentariæ substantiæ accessionem miro artificio net, aut recèns neuit. Posterior verò, totam reliquam durationem ab absoluta formatione ad interitum vsque complectatur. Cuius posterioris statûs tria præterea sunt tempora: incrementi, per quod plus alimenti in corporis substantiam conuertitur, quàm caloris operâ dissoluatur: consistentiæ, cuius vigor tantum reparat, quantum deperit: & decrementi, in quo plus nostræ substantiæ dissipatur, quàm resarciatur.

Secundò notandum est, corporum nostrorum, substantiam tam ex semine & materno sanguine acceptam, quàm ex alimentis reparatam: si metaphysicè consideretur & vt mera substantia est, non posse vnam aliâ meliorem aut deteriorem dici: sed parem esse vtriusque rationem, suísque accidentibus vtramque æqualiter substare. Si verò medicè consideretur, scilicet quatenus totum illud sensibile significat, quod ex particulari hac aut illa crasi materialis elementorum substantiæ constans, & tali primarum qualitatum temperamento donatum, nostri corporis molem, & facultatum animæ organa constituit; quamdam meliorem, aut deteriorem dici posse. Siquidem cùm non quæcumque ignis, aëris, & terræ mixtio ad humani corporis fabricam sit vtilis, sed prædictorum corporum proportionatus quidam concursus requiratur: præterea eorumdem hanc crasim illâ meliorem aut deteriorem esse, & in quibusque organis hanc aptiùs aut ineptiùs aliâ, animæ subseruire accidit. Vnde huic molliores & imbecilliores, illi duriores & robustiores sunt tendines: huic tenuior atque ad spirituum receptionem aptior, illi crassior est cerebri substantia: huic densior, illi rarior est à prima conformatione cutis. Quæ his etiam aduenire notantur, qui sint ab eisdem parentibus geniti, & vno partu nati: ne tota ea diuersitas, in variam intensionem ministri caloris inæqualiter temperati referatur. Ita in latitudine humani temperamenti, potest hæc substantia, aliâ, meliorem aut deteriorem primarum qualitatum temperiem obtinere: quòd vna, facultatibus animæ meliùs aut deteriùs altera famuletur.

Aduertendum est tertiò, eamdem corporis substantiam hoc posteriore modo consideratam: vel meliorem, vel deteriorem esse bifariam. Seu videlicet vt ad vitæ longiorem durationem aptior est, aut ineptior: seu vt ad naturæ & animæ operationes edendas, magis est aut minùs accommodata.

Quibus suppositis, sit prima conclusio. In primo posterioris statûs tempore posse humidam in nobis substantiam ex materno sanguine, lacte, aliísque alimentis generari, quæ quocumque modò ea sit melior quàm in primo statu accepimus. Quod facilè admittent minùs proterui, si aduerterint paternos affectus à principalium membrorum intemperie ortos: tunc non transire iure hæreditario in prolem, quando mater in contrarium sit affecta aut benè temperata. Eo enim casu, non solùm materni seminis cum paterno permixtio, huius discrasias emendat: sed præterea maternus sanguis qui in fœtûs alimentum per integros nouem menses impenditur, quod reliquum est intemperiei ab spermate paterno acceptæ, in integrum corrigit. Præterea frequenti experientiâ comprobatum est, infantes ex calidioribus & siccioribus parentibus genitos, aut aliter quomodocumque prauè temperatos: conductitiæ nutricis lacte benè temperato altos, à natiua temperie in meliorem transire: quæ ad producendam vitam, animæque operationes obeundas, præcedente discrasia multò sit aptior.

Vlteriùs autem progressus, dico secundò: quamdiu increscimus, substantia quæ in nobis per nutritionem & augmentum acquiritur, ad naturæ animæque operationes edendas, melior est & accommodatior, ea qua in priore nostræ formationis statu constabamus. Mollior enim illa, nec satis

adhuc firmata textura: ad nixum, naturalibus, animalibúsque motibus necessarium, est imbecillior. Calor verò eiusdem, à nimio humore retusus: ad coquendum multò est infirmior, quàm deinceps à superfluo humore liber. Atque vt pateat naturales etiam facultates primâ ætate & vitæ principio esse imbecilliores (cùm de animalibus, id sit quibusque notum) ad principem naturæ facultatem mentis aciem conuertamus. Ea enim principio, solum sanguinem (cuius substantia, membris est maximè familiaris) conficere potest: mox lac, sanguini maximè analogum: alia verò coquere commodè nequit, ne quidem cremores & iura carnium. Quæ deinceps in adultioribus, carnes ipsas, ac solidiora, in membrorum substantiam facillimè conuertit. Ad quæ collimans Galenus, non pueritiam, sed adolescentiam ætatum temperatissimam esse censuit: vt commodiore loco docuimus.[b]

b Lib. 1. c. 6.

Præterea, dico tertiò non solùm humidum per nutritionem acquisitum, priori æquiualere, vtrísque reciprocâ actione æquatis, & ad vniformem totius membri substantiam reductis: sed præterea aliquando quod in nobis est humidum, quodque post acquiritur, in cõditionem omninò meliorem transire. Cuius affectionis prima pars, explicatione magìs indiget quàm probatione. Non enim asserentes humidum quod per nutritionem acquisitum est, priori æquiualere, vtrísque reciprocâ actione æquatis; intendimus id quod membris ex alimentis accedit, ad eamdem temperiem deduci quam id quod nutritur vel à principio nostræ formationis vel proximè antequam nutriretur habuit. Sed tantùm volumus, alimentum quod partibus per nutritionem apponitur (seu id iunioribus nobis, seu senioribus accidat) sic alterari, vt in substantiam partibus nutritis similem conuertatur: & viciſſim in partes quæ eo aluntur sic reagere, vt illatum temperie quadantenus euariata; ambo ex mutua sed dispari actione, ad æqualitatem substantiæ, & temperiei paritatem, sub vniformis membri conditione tandem perducantur. Quod omni alterationi eorum quæ intra sphæram mutuæ actiuitatis sunt posita, commune est vt alibi: dum de reactione egimus,[c] satis súperque probatum supponimus.

c Lib. 1. cap. penultimo.

Posterior verò conclusionis pars, sic probatur. Primùm quòd cùm naturalis corporum intemperies, causarum salubrium vsu, ex Galeno,[d] immutari queat in melius: euidentissimum est, humidum quod in nobis est quódque post acquiritur, in conditionem omninò meliorem aliquando transire. Præterea plurimæ æquales totius corporis acquisititiæ intemperies quæ singulas nostri corporis partes occupant, medicamentis & ratione victûs emendari possunt; vt hectica primi & secundi gradûs, cachexia, & similes: quare potest & corpus redire in melius. Demùm qui diuturnis morbis lacessiti deteriùs sunt aliti, & præternaturalem totius corporis habitum contraxerunt: mox conualescentes & euchymis cibis vsi, in multò meliorem statum restituuntur.

d Lib. artis med. cap. 84. seu lib. 3. tex. 81. & lib. 6. de san. tuenda cap. 3.

Verùm vt vulgari sententiæ, qua ex parte licèt, assentiamur: dico quartò: ex consueta naturæ lege, humidum ad vitæ durationem producendam aptissimum, illud est quod in primo nostræ formationis statu acquiritur: quo nullum vnquàm deinceps potest, ad hoc accommodatius generari. Atque ea est communis opinio: quam rectè expressit Dandinus, cùm in ordine ad vitæ durationem inquit,[e] nullo vnquam tempore posse melius humidum restaurari, quàm esset antea: imò neque æquè bonum, sed deterius semper. Non enim potest deinceps quodquam aliud ex alimentis generari, quod in ventriculo, hepate, & venis tam affabrè elaboretur, támque solerter excoquatur: atque illud seminale humidum, in varicoso pyramidali corpore, testibus & parastatibus elaboratum fuit, atque excoctum. Quod vti temperiem, & totius substantiæ modum nostræ naturæ conuenientissimum, diuturniore præparatione, & maiore arte acquisiuit: ita difficiliùs multò quàm humidum aliud quodcumque conditionem naturæ & vitæ aduersam subit. Tardiùs enim exsiccatur. Propter quas dotes, ad producendam vitam (quæ calidi, & humidi temperatura perseuerante fouetur) aptissimum euasit.

e Lib. 1. de anim. corporis temperatione cap. 16.

Demum verò ad totius huius quæstionis absolutam explicationem: Dico; ex naturalibus principiis, & sine miraculo; corpus cuius solidæ omnes partes sensim aruerunt, & iam ad decrementi statum peruenit: posse aliquando rehumescere, & ad meliorem constitutionem statui consistentiæ respondentem, quasi retrogrediendo reuerti. Id tamen nullum medicis auxiliis aut consequutum, aut consequuturum. Sed veritas huius assertionis, quam plurimi cachinno magìs quàm ratione expugnabunt: & exemplis, & rationibus, confirmanda est. Et ne ad fabulas nutricum Bacchi quæ senectam in motem anguium deposuisse finguntur; aut Iasonis, seu Æsonis potiùs à Medea recocti recurramus: historias ab authoribus non contemnendi nominis acceptas proferemus. Valescus de Tarantia, illustris sua ætate Medicus, sibi relatum scribit:[f] in quodam Monasterio in loco qui dicitur Monuerus [Delrio Monuedrum legit,[g] & Regni Valentini oppidum esse ait, cui olim Saguntus nomen erat] fuisse Priorissam quæ vbi ad extremam senectam peruenisset: floribus menstruis renouatis, renatis dentibus, denigrata coma, cutis rugis adæquatis, pannosis, & pendulis mam-

f Lib. 6. Philonij cap. 12.
g Lib. 2. disquis. magic. q. 23.

mis adinſtar virgunculæ ſororiantibus; toto corporis habitu in iuuenculam ſit transformata. Torquemada,[h] duas non diſſimiles refert hiſtorias. Quarum prima eſt Tarentini i qui circiter annum trigeſimum ſupra milleſimum & quingenteſimum, cùm iam centenarius eſſet, cute, vnguibûſque renouatis, ad tantam iuuentam rediit; vt à ſuis conciuibus non agnoſceretur. Altera eſt Hiſpani in Caſtellæ oppido Rioya: qui à Thalaſiarca Dom Fradique centenarius comprobatus, vix quinquagenarios apparebat: quòd ab aliquot annis, depoſitis ſenectutis exuuiis, quaſi ad virilitatem eſſet retrogreſſus. At maiorem multò admirationem meretur, quod idem ex Fernando Lopez Regis Luſitaniæ hiſtoriographo, varijs Luſitanorum, & Hiſpanorum qui in Indias Orientales nauigauerant, teſtimoniis confirmatum refert; anno 1536. Nugno de Acugna Indiarum Prorege, in Bengala inuentum fuiſſe ſenem quemdam annos tercentos & quadraginta natum; qui cùm decrepitum marcorem quater attigiſſet, toties renirentem iuuentam deguſtarat: & tunc ſine rugis, minimè canus, inter cætera ſe ſeptingentarum vxorum connubia expertum referebat: quarum pars, apud illum interierat, pars, repudio fuerat à familia ablegata.

Quæ ne moroſus quiſpiam incredulus fabuloſa cenſeat, & anilia deliramenta eſſe cauſetur: talia à naturæ legibus minimè aliena eſſe demonſtremus. Nulli non manifeſtum eſt, ipſorum etiam capularium ſenum corpora verè nutriri; licèt minùs quàm vt ad id quod deperit reſarciendum ſufficiat. Atque id quidem, præſertim quod alimentaris ſuccus ſicciora iam membra, & minimè peruia difficiliùs peruadat: caloris etiam natiui imbecillitate ad id occurrente. Quòd ſi probare valeamus; talium corpora poſſe cuiuſpiam naturalis agentis vi ita immutari; vt tum remiſſo eorum calori incrementum addatur, tum accidentaliter ſic rehumeſcant & laxentur, vt aſſumptum alimentum deinceps poſſit liberiùs per membra diffundi, & partes vndequaque ſuaui rore perfundere: confectum probatúmque videbitur, eadem perfectiùs ali poſſe & refoueri; atque inde in potiorem ſtatum reſtitui, & quaſi ad iuuentam retrogredi. Poſſe verò ea ſenum corpora ſilicernium iam etiam olentia, ex ſe prædictam alterationem pati: ex eo compertum eſt, quòd omnis primarum qualitatum cuicumque ſubiecto impreſſa temperatura, ex ſe poſſit in aliam atque aliam temperiem verti; ſi efficax vis occurrat agentis. Nihil enim eſt quo repugnet, & frigida plus minúſue caleſcere poſſe, calidáque refrigerari, & ſicca humeſcere, humidáque exſiccari. Sic terra omnium elementorum ſicciſſima, in aquam tandem humectata tranſit. Adamas gemmarum duriſſimus, ignibuſque inuictus (ſi vera ferant veteres) hircino ſanguine molleſcit. Oſſa partium omnium noſtri corporis ſolidiſſima, & ſæuâ veneris lue in tumorem abſcedunt, & ab acrium ichorum defluxu cariem contrahunt. Quinimò apoſtaſiæ illi caracteres à Dæmone Sagis impreſſi, humore, inſitóque calore deſtituti [vt à Clariſſimis Medicis, & Chirurgis nobiſcum Ampliſſimi Senatûs præſcripto ſatisfacientibus apparuit] humorem & calorem naturæ conuenientem reaſſumunt. Nihil ergo vetat; decrepitorum corpora ſecundùm omnes ſui partes, poſſe aliquando & calidiora & molliora ſimul euadere.

Agens autem tantæ energiæ, & tam efficacis metamorphoſeos author: non aliud à nobis aſtruitur, quàm cœlum & ſidera. A quorum influxu penitiſſima quæque peruadente; cùm aliquando tanta, & tam repentina intima humectatione capiamur; vt coniugali elementariæ compaginis humido eliquato, inſignis putredo nobis excitetur quæ vniuerſum corpus in peſtilentem rabem reſoluat, & ſolidas ipſas partes attingens hecticam peſtilentem inferat. Cur non poterunt eadem quantumuis rarò: ſeu Ioue, & Venere, cum Sole & Luna ſe mutuò amicè aſpicientibus, & cum felici aliqua ſtella, in huius aut alterius horoſcopo conſtituta, fortunatè ſimul concurrentibus; ſeu ſub quacumque alia fauſta magìs configuratione: tam ſuauem nobis iam exſiccatis humectationem, talémque pororum laxitatem, & caloris fomentum conciliare; vt ſolidiora quæque membra inde occurrens alimentum liberiùs admittant, idem perfectiùs conficiant, atque inde totus ſimul reſurgeat habitus, & qui præ ſiccitate emarcuerat vigor renouetur. Ne verò à rei difficultate occaſione accepta, vulgaribus ingeniis ſubblandiens quiſpiam: hæc ſubtiliùs, quàm veriùs inuenta ſubmurmuret. Aduertant veritatis ſtudioſi & ingenui viri, fructum illum vitarum horti Eden ex plurimorum ſententia,[i] vi naturali corpora ad ſenium inclinantia ita reparare potuiſſe, vt ab interitu vendicarentur: non alimentum tantùm ſuggerendo, quod illi cum cæteris commune erat; ſed calidum etiam innatum refouendo, humidumque reparando. Quæ ſi peculiari illius fructus naturæ conceſſa fuere: an audebit quiſquam abſurdum cenſere, cœlos facultatum omnium naturalium ſcaturigines, ſpeciali aliquando influxu idipſum operari poſſe, quod variis hiſtoriis citra miraculi ſpeciem iam pluries factum conſtat. Quod licèt hac via fieri aliquando concipiamus: medicam tamen induſtriam, id nunquam aſſequi poſſe, ideò coniectamur: quòd nullus vnquam id præſtitiſſe legatur. Non Sophiſta cuius Galenus[k] meminit, qui cùm librum edidiſſet quem de admirabili ἀγηρασίᾳ inſcripſerat, & in quo profitebatur ſe modum ſcire quo quis poſſet ſenium effugere: omnibus tamen fuit riſui, quòd ad octuageſimum annum perueniens ita ſit exſiccatus, vt verus Hippocraticæ faciei typus videretur. Non celebris ille

h Dialogo 1. hortis floridi.

i Ita Strabus hugo de sancto vict. in Gen D Tho. 1 p. q. 7. art. 4. Caiet. ibidem Scotus 2. sent. dist 19. q. 1. Durandus ibidem art. 1. Perer. lib. 9 in Genes disp. de arbore vitæ q. 4 Delrio lib. 2. disqu. magic. q 32.

k Lib. de marcore cap. 2.

magus Paracelsus qui libro de restauratione,[l] professus ens primum auri, hoc est primum eius liquorem qui nondum in metallum concreuit: non solùm hominem, verùm & omnes pecudes, fructus, herbas, & arbores renouare. Et primum ens antimonij, sulphuris, gemmarum, vitrioli, ac melissæ eas in corpus hominis vires habere, vt humores in eo radicales omnes renouet: & qui libro de tribus primis essentiis[m] scribens tincturam regenerare, & efficere vt senium iuuenescat: neque ad prouectam ætatem peruenit, neque ad iuuentam rediit. Non illi dementati, fagacis improbitatis cultores, qui sub spe repuerascendi, propria corpora infidè fidis Chirurgis dissecanda committentes: ea cum malè feriatis quibusdam pharmacis miscenda dederunt, & calore fimi regeneranda, aut noua arte corrumpenda destinarunt. Non cæteri Chymici, cum suo lapide Philosophico, & summa Medicina: cui tantum tribuit Robertus Vallensis,[n] vt videatur velle, nos etiam inde posse immortalitatem consequi: quam Geber[o] restauratricem & reformatricem dixit, tam metallorum imperfectorum, quàm animalium ægrorum & infirmorum: & quam Villonouanus[p] de sene iuuenem facere, omnémquè tollere ægritudinem iactat. Præterquam enim omnes huius generis cinifiones à terris metallorum vaporibus quos continuò penè inspirant offensi, immaturè aut senescunt, aut pereunt: præterea in quærendo illo suo magni magisterij puluere, & miraculorum penu elixire, oleum & operam perdentes, à vana spe, ad inanitem ducuntur. Neque adhuc compertum est, vel Regem Insulæ Zeilam (quam Taprobanam censet Ortelius)[q] vel Calecuti celebris Indiarum emporij incolas, vsu magnetis iuuentam prorogasse: vti creditum illis fuisse Garcias ab horto retulit.[r] Nec demùm constat, quemquam pilulis policitatoris illius Alexij Pedemontani principio suorum secretorum descriptis, adolescentiæ restitutum.

Verùm si ne hoc quidem sufficiat, vt quod à nemine factum est adhuc, à nullo deinceps fieri posse conuincamus: ex eo tamen dicti veritatem conijcimus; quòd illud neque alimentis, neque medicamentis absolui posse persuadeamur. Non alimentis; quòd cùm ea in aliti substantiam conuertantur, non possint euicta tantam mutationem victori substantiæ imprimere, vt eius substantiæ modum iamdudum acquisitum conuertant in contrarium. Ac maximè cùm præ siccitate partium solidarum, alimenta minùs possint intima membrorum peruadere. Sed ne medicamentis quidem id quemquam assequi posse speramus: quòd cùm illa vt ad cupitum finem peruenant, suaui calore, & laxante humectatione plurimùm valere oporteat: vel antè sua emolliente vi ventriculi robur exoluerent, quàm cæteras partes ad quæsitam temperaturam adducerent: vel eorumdem vis, excrementorum in senibus passim superabundantium occursu, tam importunè retunderetur, vt nunquam opportunè administrarentur.

Omninò verò fabulosum est, quod ex Theopompo & Æliano refert Rhodiginus,[f] In terris extra hunc nostrum orbem sitis, Meropùm γῆν duo flumina circumluere, vnum voluptatis, tristitiæ ac mœroris alterum: quibus adnascantur arbores procerïores platanos magnitudine æquantes, quæ tales proferant fructus, vt qui pomo voluptariarum arbornm vescantur, omni mœrore deposito anteactas quoque ætates denuò repetant, & senectâ primùm exutâ vigorem induant; pérque quosdam velut gradus, effecti iuuenes, mox ad pueriles annos transeant, ac demùm infantiliter commoriantur. Eiusdem ordinis esse indicantur miracula illa fontiû in Bonica & Lucaia: quorum aquam potam, Delrio ex Cardano, & Chièza, inquit,[t] senium cum iuuenta commutare. Et fictitia demùm est illa Strigis Medeæ succorum commixtio apud Ouidium.[u]

--- Quos postquam combibit Æson,
Aut ore acceptos, aut vulnere, barba comæque
Canitie posita, nigrum rapuere colorem:
Pulsa fugit macies; abeunt pallorque, situsque,
Adiectoque caua supplentur corpore rugæ;
Membráque luxuriant.

Ac ne quisquam suâ industriâ speraret aliquando, se, remediis aut multâ arte compositis, aut à temperatissimis regionibus conquisitis, à senecta ad iuuentam posse retrogredi, aut fluentis ætatis cursum sistere. Deus[x] ne fortè Adam, aut eius posteri, mitterent manum suam, & sumerent de ligno vitæ; ac comedentes, in æternum, aut dinturniùs quàm par esset viuerent: collocauit ante paradisum voluptatis Cherubin. & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ Seu ex Diuo Bernardo,[y] vt à ligno vitæ incisio pariter & incensio, quibus nihil carni terribilius, manum prohiberent corporalem. Seu vt habet Aloïsius Lippomanus,[z] paradisum firmissimè muniendo quò facultatem ac spem omnibus hominibus adimeret fœliciter & perpetuò viuendi, & mortem euadendi in hoc sæculo.

Ac licèt quæ de horto Eden & fructu vitæ scripta sunt, mysticè potiùs quàm historicè dicta con-

cederem

l Tomo 6. suorum oper. francof. edi. 160 pag. 101 102. 103.
m Cap. 6.
n Lib. de vero, & antiq. art. chym. c. 3.
o Lib. 1. cap. 33 apud Vallensem
p Cap. penultimo rosarij.
q In Thesauro geographico
r Lib. 1. c. 56
f Lib. 17. lect. antiq. c. vlt.
t Lib. 1. disquis. magic. q. 23.
u Lib. 7. metam. vers. 187
x Genes. cap. 3. vers. 7.
y Sermone 3. de verb. Esa.
z In catena in Genesim.

cederemus,vt plurimis Patribus visum est.[a] Seu etiam aliis[b] contrarium sentientibus assentiamur: hoc semper constabit, vel spem omnem remedii q od pro fouendo aut renouando vigore iuuentæ creatum fuerat,in integrum hominibus ademptam esse; vel saltem mysterium fructus vitæ, & renouationem iuuentæ, medicam omnem humanamque industriam superare.

Quid mors: & quomodo hominem ab interno principio mori contingat.

CAPVT XIII.

CVM initiò docuerimus vitam primò & principaliter dici animæ informationem , secundò verò informantis animæ in corpore operationem : ex oppositorum lege consequens est , mortem primariò significare animæ à corpore separationem per informandi desitionem , secundariò verò operum omnium animæ in corpore cessationem. Priore sensu,Plato,[a] mors nihil est aliud inquit,quàm animæ,& corporis à se inuicem dissolutio Posteriore verò , Galenus ,[b] nihil aliud mors est ait, nisi omnimoda naturæ prostratio. Frequentiùs t men ex Aristotele,[c] & Pergameno nostro,[d] mors definiri solet caloris (seu potiùs ea'idi τοῦ θερμοῦ) extinctio,aut marcor. Quòd priuationem causaliter potiùs quàm formaliter definiendam censeant & priuationis vitæ causas omnes, ad hanc vnam reduci posse existiment. Licèt enim minimè oporteat innatum nobis calidum vniuersim extingui , vt mors sequatur : sed omnino tunc animalia mori contingat quando vel partium vnitati, vel organorum conformationi tantus defectus aduenit,vel ita partium solidarum temperamētum euertitur : vt propter aliqu d horum anima in corpore operari non amplius possit. Nihilominus tamen quia singula illa & solutæ vnitatis & conformationis vitia,non antè omnimodam actionum cessationem inferunt:quàm simul totiu corporis temperamento tantum vitium sit illatum, vt non cæterarum solùm facultatum , sed vegetandi etiam energia in integrum deperdatur. Hoc autem non prius aduenit , quàm cor (quatenus veluti fons est calidi influentis , [e] quod actualis temperamenti singularum partium fomentum est) afficiatur : omnia demùm illa, ad calidi (naturæ operibus necessarij) vitium,extinctionem scilicet,aut marcorem terminantur. Ex cuius defectu, cum omnium vegetantis animæ operationum cessatio, atque inde mors necessariò consequatur : cum tatione,causalis definitio mortis per calidi extinctionem assignata videtur. Omnium tamen optimè Conimbricenses vnica descriptione quæ essentialem & causalem definitionem complectitur, mortis rationem explicasse indicantur : cùm [f] aiunt,mortem esse discessum animæ à corpore, ob defectum innati caloris. Qui ex Aristotele, [g] si extinctus defectum patiatur , violentæ mortis est causa : si verò marcescens defecerit,mortem naturalem infert. Naturalem inquam : non quidem nostræ naturæ conuenientem, ab eàque intentam : sed vt rectè Hugo Senensis explicuit , [h] quæ actionem naturalium principiorum merè naturaliter agentium consequatur.

Extinguitur autem innatum calidum,vel à contrario frigido (seu ambiente, seu assumpto) frigore calorem exp llente:vel à quocumque calidum i fluens affatim exoluente; vt per magna vulnera,febrium ardores,& immodicam lætitiam aduenit: vel à dissoluente ca'idum membris infixum: vti fi per excellentem putredinem solidas partes quomodocumque attingentem : vel demùm ab alterutrum suffocante : seu per prohibitam transpirationem, seu per subitam & vehementem calidi influentis ad intima reuocationem. Idem verò marcescit,per lentam humidi solidarum partium consumptionem & exsiccationem. Atque huius quidem consumptio,illius autem inde consequens marcor naturalis interitùs,& ab interno principio nascentis sunt causa.

Per humidi verò consumptionem,non illius solùm radicalis & primigenij deperditionem , subaudire oportet: quod in integrum absumi posse vita adhuc perseuerante docuimus : sed illius omnis humidi tum primordialis tum alimentalis,quod cum substantiæ partium solidarum sit portio, eas intra limites eius temperaturæ conseruat,quæ ad qualemcumque alimenti per membra digestionem, eiúsque conuersionem in alitı substantiam est necessaria Quo ab ipso generationis primordio perennè exoluto,corpus sensim exsiccatur. Illud autem insitum nobis humidum , licèt ab ambiente ex parte dissipetur:maximè tamen à calid sibi consociato,non autem à calore sibi inhærente,continuò absumitur. Calidum enim per vniuersum corpus diffusum , cùm in reliquam molem suas vires iugiter explicet : semper aliquid illius attenuando,& exoluendo ; corpus vniuersum lentè exsiccat. Neque verò eam exsiccationem emendat,perpetua illa rotidi alimenti per membra effusio:ex qua & reparatur quod deperit,& corpori incrementum etiam additur aliquando. Quamuis enim humor qui continuò membris affunditur,vim calidi præexistens humidum exoluentis remoretur: quòd id in humido recens accedēte alterando ex parte occupatum,in præexistentem,molem remissiùs agat. Non tamen ea alimentaris humidi affusio,siccitatem , ab innato calido corpori semel inductam,corrigit. Quoniam quod iam semel exsiccatum est,idipsum est, quod innato cali-

do

a Ita Philo Iudæus ad fin. libri de opif Dei, & lib . allegor. legis Mosaica D. Ambrosius lib de parad. & lib.6.epist. 41. ad Sabinum Augustinus Eugubinus in Cosmopœia , & alij inter quos refertur Origenes.

b vt Perer us lib 3. in gen. disp. 1 q. 1. Cardinalis Bell tomo 3. contr. genera. libr vnico cap 10

a l. Gorgia pag 250 & in Phædone pag 416.

b lib 3 de consib. cap. 3.

c Lib de respir. vita & morte cap.18

d lib. 2 de temp cap 2. & lib de diff. febr cap 2.

e Gal lib 5. de locis affectis.

f In lib de vita & morte cap 3.

g Lib. de iuuen sen. vita & morte cap 18.

h In cap 3. doct 3 fen 1. lib. 1. Auic.

do coagente,affusum humidum sibi assimilat: quod quamuis ab euicti humidi reactione, aliquantulùm rehumescat:vincens tamen quod apponitur, minùs rehumescit,quàm iam esset exsiccatum atque eò minùs,quòd calidum per illud ipsum assimilationis tempus, & in membrum quod alitur, & in alimentum quod conuertitur continuò agendo,iam introductæ siccitatis emendationem impediat. Sicque corpus sensim magìs ac magìs exsiccari pergit: quòd exsiccatio quæ exolutionem à calido procuratam sequitur, alimentarij totius affusionem semper præcedat. Cùm enim alimentum non nisi attractum per membra diffundatur: attractio autem, appetitum exoluram substantiam reparandi consequatur: necessum est, exolutionem propriæ substantiæ membrorum atque ideò eorumdem exsiccationem, præcedere alimenti attractionem, & rehumescendi spem. Quæ sic lentè progressa exsiccatio,eò tandem peruenit: vt membra sicciora reddita, alimentum parciùs admittant:cuius defectu tabescit demùm & emoritur animal.

Ab ea autem exsiccatione,speciatim innatum nobis calidum ideò marcorem contrahit: non solùm quòd vitali humido permixtum,ad huius exolutionem & ipsum exoluatur.Sed præterea quòd cùm ad fomentum caloris,& calidi influentis generationem,oporteat cor perennè moueri:id autem quò magìs exsiccatur eò difficiliùs moueatur, & quò segniùs agitur eo imbecilliùs calorem nobis insitum foueat: quo semel hoc ipsum siccius euaserit, eo magìs calorem nobis innatum remitti,& calidum ipsum marcescere necessum sit. Demùm infixo nobis calido inde marcor adh enit: quod cùm id sit primarium vegetantis animæ instrumentum,dum agit in alimentum quod conficit, ab eodem etiam communi reactionis lege repariatur. A continuata verò illa propriarum virium refractione,sic paulatim infirmatur.vt tandem inutile reddatur instrumentum.

Quoniam verò & hoc ipsum, humidi à calido exolutionem sequitur.ad quam resarciendam alimentis indigemus concludamus totam moriendi necessitatem nobis ab interno principio impendentem,ex vno fonte nasci; quòd corpus hoc nostrum ex contrariis componatur, quæ se mutua actione corrumpentia,corpus tandem ad dissolutionem perducunt. Cùm enim ex calido,humido, frigido,& sicco componamur, [i] quæ amissis formis & retusis qualitatibus natiuam adhuc contrarietatem post mixtionem retinent: quia id contrariis insitum est vt in se vicissim agant [k] eadem se mutuò oppugnare nata, diu consociata perseuerare nequeunt. Quoniam vt apud Aristotelem est, [l] quando actiuum & patibile sunt simul: quia semper vnum agit, alterum patitur; fieri non potest quin fiat mutatio. Quare rectè Diuus Thomas [m] mortem ideò homini naturalem esse ait, quod corpus eius sit ex contrariis compositum, ad quod ex necessitate corruptibilitas sequitur. Perperam autem Montanus [n] innatam nobis moriendi necessitatem, in materiæ primæ appetitum ad nouam formam,& in finitam vim facultatum refert. Siquidem appetitus ille materiæ, ad expulsionem animæ informantis nihil operatur. Ea enim ex Aristotele [o] nihil aliud appetit, quàm vt constituatur in actu: quod quia semel informata cousequitur, iam expleto eo appetitu conquiescit. Sic vas vacui impatiens, vbi semel aëre aut quouis alio corpore plenum est: licèt sit in potentia continendi quodcumque eius capacitati proportionatum in illud infunderetur, nihil tamen præterea expetit; neque vt ad vitandum vacuum, ita ad effundendum id quod continet, per se disrumpitur. Facultates verò quamuis sint finitæ virtutis, quod non possint actum infinitum producere: quia tamen immortali animæ insunt, cuius sunt instrumenta operandi; si quæ in corpore illarum sunt organa non aliunde deficerent, illæ ex se tandiu operarentur quamdiu duraret anima,neque vlla inde homini dissolutio vnquam accideret. Ita finitæ cœlorum facultates nullam illis imponunt pereundi necessitatem: neque finita vis intellectus, facit animam esse mortalem.

Cæterùm vt nihil ad hanc disputationem pertinens, discutiendum restet: illud tandem quod paulo antè protulimus,curiosiùs examinemus: humidum scilicet quod in nobis est, non exolui à calore sibi inhærente. Quod non solùm vulgati Medicorum loquendi modo aduersatur: sed à principum etiam Philosophorum doctrina recedere videtur. Aristoteles enim [p] ex quorumdam interpretatione: calorem naturalem inquit, cui primaria coquendi vis inest, materiam in qua est consumere. Nihilominus tamen placere non potest ea loquendi ratio cuius præcisus conceptus à ratione dissentit. Quis enim ille est qui rem cogitans, asseueret qualitatem vllam quantumuis actiuam,& operatricem, in proprium & sibi naturale subiectum, ac maximè illud destruendo agere. Etenim cùm accidentia omnia in vi subiecti operentur: quomodo in proprium subiectum agent, nisi subiecto vim suam in se conuertente. At nihil agit in seipsum. Quod licèt per accidens tunc aliquando adueniat: cùm eiusdem variæ sunt partes, quarum alia in alteram agente, per accidens totum corrumpitur: eamdem tamen numero partem & indiuisam in se, aut accidens aliquod in proprium subiectum seu per se seu per accidens agere, nullus est qui concipiat. Cùm enim caloris per accidens sit exsiccare: quis est Peripateticorum, qui aerem propè summum calidum esse affirmans: dicat eumdem per accidens à proprio calore exsiccari. Quis præterea sibi vnquam

ignem

i. Hipp. libro de nat. hum.
k Arist. lib. de longit. & bre. uit. vitæ c. 3.
l Loco proximè citato.
m in 2. 2. q. 164. art. 1. ad 1.
n Parte 1. Medicinæ pag. 115.
o Lib. 1. phys. sic. tex. 81.
p Lib. de lon. & breu. vitæ cap. 4.

ignem ſummè calidum, à proprio calore quidquam pati. Quod ſi vbi ſecundùm naturam ſummè intenſus eſt calor, ſumméque actiuus, nihil in materiam quam informat agit: quomodo remiſſior, ſubiecto cui inſidet naruralis, eidem erit inimicus & infeſtus. Non igirur calor eſt, qui humidum cui inhæret abſumit: ſed calidum, humido conſociatum. Id enim hererogeneis eiuſdem mixti partibus variè temperatis conceſſum eſt, in ſe mutuò agere, & ſe reeiproca actione corrumpere. Quod ad Ariſtorelem autem nobis obiectum pertinet: licet ſic illum nonnulli interpretes reddant, alij tamen textum Græcum, propiùs inſequuri, natiuum calidum, legunt, primum concoctiuum, conſumit materiam in qua eſt: cùm habearnr in Græco, τὸ φυσικὸν θερμὸν, τὸ πρῶτον πεπτικὸν, ἀναλίσκει τὴν ὕλην ἐν ᾗ ἔστι. Quanta verò prædictarum locutionum ſit varietas: ex his abundè patet; quæ iam antè docuimus.

Quare cùm anima cuius adhæſio in nobis vita eſt, ad varias functiones in corpore exercendas multiplici genere inſtrumentorum vſa, ſibi inuicem aduerſantibus eriam indiguerit; Ac maximè calido ad operandum humido verò ad patiendum apriſſimo: quoniam illud, hoc perennè attenuando, idem ſemper exoluit; & ab huius exolutione, illud ipſum ſenſim marceſſit: eo demùm ex narurali conſecutione res peruenit: vt altero exoluto, altero marceſcente, corpus, inutile animæ inſtrumentum euadat: & inde eiuſdem à corpore ſeparatio ſequarur, & mors.



De spiritibus.

LIBER SEPTIMVS.



NIMAM, actionum omnium quæ homini vt viuenti tribuuntur, esse radicale principium, ex his quæ superioribus libris explicata sunt, omnibus constare arbitror. Quæ cùm sic operetur in corpore, vt in principe quoque organo quasi in regia eminens, indè cæteris membris ea quæ cuique ad proprias functiones complendas necessaria sunt manifesto quodam influxu impartiatur. Necessum est illam, vel per irradiationem quamdam accommodatæ qualitatis; vel per effusionem conuenientis alicuius substantiæ, quod opus est influere. Quoniam verò illa qualitas, quæ veluti per irradiationem à primariis organis effundi dicitur, inexplicabilis est: & qui eam viam tentarunt, nec aliis, nec sibi satisfecisse competiuntur: potior Medicorum pars, & rationibus, & variis artis experimentis innixa, tenuem quamdam substantiam spirituosam à principibus membris in reliqua diffundi asseruit. Quæ seu vna sit omnibus subseruiens organis, seu sua vnicuique principi membro in famulatum tributa dicatur; spiritus solet appellari. Qui cùm vel idem sit cum innato calido, vel proximè ad illius naturam accedat, alterum est facultatum instrumentum. Quare vbi de calidi innati substantia & proprietatibus egimus, nostri instituti methodus expostulat vt de spirituum natura, differentiis, generatione & vsu, hoc loco differamus: & rei veritatem plurimorum figmentis obscuratam, quantum licebit suo nitori restituamus.

Quid id sit, quod spiritus in nobis appellatur.

CAPVT I.

QVAMVIS æquiuocum sit spiritûs nomen, atque eâ voce authore Diuo Thoma,[a] & insinuante Aristotele,[b] primò ventus significetur: tum aër: tertiò respiratio, quartò corpus quod præ tenuitate visum & tactum effugit, ac tandem de omni substantia à materiæ compositione libera dicatur. Particulatim tamen Medici, per spiritus in plurali, tenuem eam substantiam significant, animantibus communem, qua primariæ facultates velut instrumento vsæ, vel proximè singulæ operantur, vel suam vim in membra à principe cuiusque organo diffita effundunt. Cùmque huius sortis, varia in nobis esse dicantur à variis: quæcumque talis sunt conditionis vt suâ tenuitate promptissimè, celerrimèque in naturæ & facultatum animæ obsequium moueantur; solent ab Hippocrate[c] τὰ ὁρμῶντα σώματα, id est corpora impetum facientia appellari. Quorum naturam maximè ignorasse competiuntur Heraclitus, Anaxagoras, & Stoicorum illi qui apud Plutarchum,[d] spiritus huiusmodi animam esse dicebant. Ad quorum sententiam inclinare videtur Aristoteles,[e] cùm corpus quidem inquit, ex fœmina esse, animam verò ex mare: anima enim addit substantia corporis alicuius est.

Fernelius[f] existimauit spiritûs, cœlestem quamdam esse substantiam nostro immixtam corpori, quæ animæ sit & corporis vinculum. Alexandrinus[g] verò animam ait, ex cœlo illabi sidereo spiritu vestitam: in corpore autem elementarium alium inesse spiritum, quorum duorum interuentu anima corpori alligetur, Ficinus demum,[h] spiritus animæ currus appellauit. Verùm quantum à vero deuient priores illi, facilè quisque intelliget, qui animam rationalem, veram hominis formam informantem esse admittens, neque adsistentem quampiam esse intelligentiam, nec communem mentem cum Auerrhoë fingens: sciet formam cuiusque corporis, nullius glutinis aut vinculi interuentu, sed seipsa immediatè materiæ dispositæ & conformato corpori vniri. Quòd si spirituales substantiæ, nullam talem cum materia societatem habere posse dicantur, id de completis spiritalibus entibus intelligendum est: quæ ne vinculo quidem vllo interueniente cum materia possunt alligari, & cum illa vnum facere. Sed spiritalis ea substantia quæ licèt à materia in fieri & conseruari minimè dependens, non tamen completa, sed à rerum omnium Creatore in formam

corporis

a 1. p. q. 35. art. 1. in cor.
b Lib de mundo cap. 3.
c Lib 6 epid. sect. 3. tex. 19
d Lib. 4. de plac. cap. 3.
e Lib. 2. de gen anim. c 4
f Lib. 4. physi. cap 2.
g Lib 20 salub. cap 2.
h Comm. in conuiuium Plat. cap. 9.

corporis deſtinata, vt ſpiritalia materialibus in homine rerum omnium creatarum quaſi orizonte hemiſpheria ſpiritalium & materialium terminante, coniungantur: ſola potuit ex Creatoris præordinatione vniri corpori, & nullius intermedij glutinis concurſu, vt forma informatæ materiæ copulari. Neque oportet ad corpus aliquod tenuiſſimum confugere, quod medium ſit inter ſpiritalem animam & craſſius hoc humanitatis figmentum. Cùm quantacumque ſit materiæ quantæ tenuitas, nullum habeat cum ſubſtantia ſpiritali commercium: quoniam illa ex ſe, ab omni materia ſecretionem dicit. Alexandrinus præterea, in eorum errorem incidit, qui animas omnes à principio ſimul creatas exiſtimantes, eaſdem per varias generationes in corpora illabi cenſuerunt: cum tamen ſingulæ infundendo creentur, & creando infundantur. Ficinus Platonicos ſequutus, multa metaphoricè aſſumpta ſcripſit: & ſpiritus animæ currus appellauit: quòd illi imperia influxúſque principum facultatum, prout cuiuſque naturæ & conditioni competit, à primariis earum ſedibus cæteris membris impertiantur & ab his cognita illis referant & enuncient. Quare ſpiritus, de quibus hîc agimus, nec anima ſunt, nec animæ vinculum: ſed tenuis quædam ſubſtantia ad facultatum famulatum in nobis deſtinata. Quorum naturam vt commodè explicemus, antè quærendum eſt, num vnus ſit in nobis ſpiritus qui omnibus facultatibus inſeruiat: an verò plures quorum ſinguli à ſingulis principibus membris in cætera illis inſeruientia influant: & ſi plures ſtatuere oporteat, quæ ſit cuiuſque natura docendum.

Quotuplices ſint in nobis ſpiritus.

CAPVT II.

VT in cæteris pleriſque, ita in hac quæſtione, non vna eſt ſcriptorum ſententia. Argenterius [a] enim, vnicum eſſe in nobis ſpiritum ait: qui prout vitali facultati, animali, aut naturali inſeruit, vitalis, animalis, aut naturalis appelletur. Quod his rationibus conuincere conatur. Ac primùm quòd ſpiritus, ſit idem cum innato calido: quod cùm vnum ſit, & ſpiritum vnum eſſe oporteat. Secundò actionibus noſtri corporis variis, vnum ait, deberi inſtrumentum; quod eas inuicem alicuius interuentu ſuam vim communicare neceſſum ſit, plura verò inſtrumenta ſe mutuò impedirent. Quare cùm ſpiritus ſit facultatum inſtrumentorum: is etiam vnus erit. Qui, vt docuit Ariſtoteles, [b] in morem quorumdam artificialium inſtrumentorum quæ ad plura vtilia ſunt, in rebus à natura, inſtitutis varium exhibet vſum. Tertiò vt vnum eſt totius alimentum, ita vnum erit operantis animæ inſtrumentum: quod ex communis alimenti maſſa generetur. Ac tandem vt ſpiritus membris inſitus vnus eſt, inquit: ita & influentem vnum eſſe oportet, qui inſitum tueatur, & augeat. Contra verò plerique omnes, cum Galeno, multiplicem eſſe in nobis ſpiritum profitentur.

Qui tamen in aſſignandis ſpirituum differentiis euariant. Is enim [c] fixum quemdam membris ingenitum alicubi inſinuare videtur: qui alibi, [d] influentem animalem vnum, & vitalem alium aſſignat: dubitans an tertius ab illis diuerſus reperiatur, qui ſit facultatis naturalis miniſter; quem ſi admittere liceat, eumdem in hepate & venis contineri oportere affirmat. Recentiorum pars maxima, ſpirituum alios animales, alios vitales, atque alios aſſerit eſſe naturales. Sed naturalem aliqui, eum tantùm eſſe profitentur, [e] qui ſeminali ſubſtantiæ perfuſus, prolificam vim continere dicitur. Nonnulli verò [f] quemdam ab hepate influentem concipiunt, qui ſpeciatim vim à iecore in cætera membra diffundat. At alij non alium naturalem norunt, quàm quibuſque membris infixum: quem etiam Stoïci ἑκτικὸν, ſeu habitualem appellarunt, vt ab authore introductionis [g] inter iſagogica Galeni annotatur. In qua variè ſententium diuerſitate exiſtimamus ſpirituum eam eſſe in nobis differentiam, vt alij ſint fixi, alij influentes. Fixos, quos & naturales appellare cuique eſt liberum, non alios agnoſcimus, quàm ſpirituoſam eam ſubſtantiam quibuſque membris inſitam, quam innatum calidum fixum libro præcedenti appellauimus. Quæ, quomodo in ſingulis corporis partibus princeps ſit animæ facultatum inſtrumentum, ibidem fuit explicatum. Influentes, duorum generum facimus: vitalem & animalem. Quos neceſſariò admittendos eſſe, ſequentia demonſtrant. Vitalem quidem, tum repentini illi influxus, qui ad caloris diffuſionem in ſingula membra fiunt. Tum ſubiti illi motus, qui in variis animi pathematibus, & foras intrò & intrò foras, multiplici reciprocatione fieri aduertuntur. Animalem etiam eſſe admittendum conuincunt primò expeditum illud membrorum ad motum obſequium. Tum illa totius penè inſtantanea cum quacumque parte dolente ſympathia.

Necnon externarum & internarum ſenſationum ſubordinatio, quarum actus ſe quàm celerrimè conſequuntur. Ac demùm, manifeſtus ille celérique tranſcurſus, ab oculo in oculum factus:

a Com. 2. in lib. de par. parua.
b In fine lib. de generat. animal.
c Lib. 5. de ſimpl. medic. facult. cap. 9.
d Lib. 14. method. cap. 5.
e Valeſ. lib. 2. cont. cap. 16.
f Fuchſius lib. 1. inſtit. ſect. 8. cap. 4.
g Cap. 9.

qui vno clauso, alterius vueam plus solito distendens eiusdem pupillam euidenter dilatat. Non per arterias effusus, vt placuit Argenterio: quum arteriarum ad vtrumque oculum pertingentium concursus, inde quàm longissimè distat: opticorum autem vnio quæ per chyasmum fit oculos penè attingit. Animalem verò alium esse à vitali probat ventriculorum in corde & cerebro disparitas. Qui cùm in corde, ad calidi influentis & vitalis generationem effecti concedantur: in cerebro non in alios fines, cum plexu illo choroide, & foraminibus ad nares peruiis, efformati intelliguntur; quàm vt ex arteriosi sanguinis vapore, & aëre sursum inspirato, spiritus animales generentur. Præterea longè expeditior est motus, tenuiórque substantia spirituum facultati animali inseruientium, quam vitali famulantium: ita vt amborum eamdem esse naturam, nullus possit, re excussa affirmare. Tandem, Galenus [h] expertum se profitetur, ligatis arteriis carotidibus, per diem integrum animal motu & sensu integro perdurasse. Quare cùm ita spirituum vitalium transcursus ad cerebrum interciperetur, oportebat alterius conditionis spiritus à cerebro influere, qui ad motum & sensum animalis inseruirent. Spiritus autem ille naturalis semini complantatus, qui non homini iam genito, sed semini inest, & perfecta embrij conformatione, insensibiliter dissipatur: non est his spiritibus de quibus hic tractamus annumerandus.

Anteriores cerebri ventriculos in homine perforatos esse qui negant, sunt parùm exacti conformationis humanæ inquisitores.

h Lib. 2. de decretis. c 6. lib. de vtilit resp cap. 5 & lib de vsu puls. cap. 2.

Demùm nullum naturalem spiritum influentem debere admitti, ex eo probamus. Primùm quòd cùm spiritus influentes in eum finem geniti esse intelligantur, vt id singulis membris subministrent quod à principe primatiæ facultatis organo ad operandum transfundi oportet: nihil autem ab hepate in cæteras nostri corporis partes effundi necessum sit, præter alimentum, quod veluti ex communi fonte per multiplices riuos in singula membra deriuandum est: nullius spiritûs ope, ad hoc natura indigeat. Nihil quidem ab hepate præter alimentum, in cæteras partes debere transmitti, id indicat: quòd quibusque membris insitum sit, proprij temperamenti vi appositum alimentum conuenienti alteratione sibi assimilare & in suam substantiam conuertere, atque ideò se nutrire & alere. Vnde Galenus naturalē vim omni ætati familiarem, & vegetationis authorem singulis membris insitam esse docuit, [i] cui etiam assentitur Auicenna. [k] Ad alimenti verò distributionem nullus præter ea spiritum ab hepate influxus requiritur, quorū ope illud in partes alendas impellatur: cùm vis membrorum attractrix, & venarum facultas expultrix, ad id exequendum abundè sufficiant. Nec demùm fixos membrorum spiritus, ab influente ad operandum excitari oportet. Illi enim cum reliqua membrorum substantia, alimentari succo præsente, citra aliam omnem excitationem, in cæterarum rerum naturalium morem, velut in obiectam materiam agunt quantùm possunt. Præterea ad spirituum generationem & conuersionem crassioris materiæ in tenuiorem substantiam: conueniens locus & sinuum quædam excauatio requiritur: vt illi sua amplitudine, quod coctione attenuandum & rarefaciendum est, debitè contineant. Sed in iecore nulli sunt ventriculi, nec manifestæ cauitates vllæ, quales in cerebro & corde efformatas esse docet anatome & αὐτοψία Neque obstat Clarissimum Laurentium [l] respondere, spiritum naturalem νεφελώδη, & caliginosum, ad fugacem partium singularum calorem excitar dum inseruire: qui nullos requirat sinus vbi generatur, quòd paucus sensim, neque vt alij, multus & affatim in reliquum corpus transfundatur. Etenim qualiscumque ille esse dicatur, perperam ideò introducitur, quòd nullus illius sit vsus. Ad calorem enim partium actu non potentiâ membris viuentibus inexistentem fouendum, aut vt loquitur excitandum: non alio spiritu est opus, quàm vitali: qui per arterias in singula membra in prædictum vsum diffunditur. Quantuluscumque autem ille foret qui in hepate generaretur: cum ex attenuato sanguine, & illi permixto aëre fieri admittatur: vt sanguinis ea fieret attenuatio, vtque cum aere permisceretur, sinu aliquo esset opus, in quo excoctus spiritus, inde in membra deriuaretur. At tantùm abest, talem aliquem in iecore sinum aduerti: quin potiùs & venam portam, in capillares ramos intra hepatis sinum diuaricari: & cauam, per eiusdem gibbum in tenuissimas radices dispergi conspicimus: quò illæ quidem, chylum in parenchyma per minima effundant: hæ verò, sanguinem à propria iecoris substantia abundè elaboratum, ad minima vsque exsugant, & in communem caudicem transferant.

i Lib. artis med. cap. 9. lib. 8 de comp med. sec. loc. cap. 7 lib. 3. de nat facul. cap 8 & lib 2. de loc. aff. cap. 7

k Lib. 1 fen 1 doct 5. cap. 1

l Lib. 6 sua anat q. 22.

Tandem verò, vt quæ afferta sunt, ab omni controuersia liberentur Argenterij rationibus principio capitis allatis, satisfaciendum est. Quare ad primam dicimus libro præcedenti à nobis fuisse explicatum, spiritum quidem à corde influentem, idem esse cum innato calido influente: sed vt calidum innatum multiplex esse diximus, ita spiritus varios esse affirmamus Qui multiplici calido innato sic respondent, vt alij sint fixi, alij influentes. Verùm spiritus influentes, plures esse asserimus quorum qui à corde influit, apud Galenum & nos ab innato calido influente nihil differt à quo tamen plurimùm distat qui à cerebro transfunditur & animalis appellatur.

Ad secundam respondeo actiones nostri corporis diuersas, eas tamen quæ sub vno primario genere continentur, communis instrumenti operâ perfici, vt libro de flatibus [m] probatum est: aliàs

m Cap. 3.

verò

verò quæ à diuerſi gradûs facultatibus emanant, per diuerſa inſtrumenta commodiùs abſolui. Neque illa, in exequendis ſuis functionibus, ſe vel minimùm perturbare; cùm ſingula ſuos habeant canales & ductus, per quos in ſingulas corporis partes deriuantur. Præterea id in quo facultates communicare oportet, non eſt inſtrumenti vnitas: ſed principalis agentis identitas, & par finis. Illæ enim mutuas ſibi operas præſtando, ad viuentis tuitionem miro conſenſu conſpirant. Neque nobis aduerſatur Ariſtoteles, cum quo fatemur, ſingulas ſpiritûs differentias, multiplicem vſum viuentibus præſtare, in modum artificialium inſtrumentorum: ſed præterea vt Faber non ſolo malleo & incude vtitur, ſic natura pluribus etiam inſtrumentis vſa, ſingula in varios vſus conuertit. Ad tertiam licèt vnum ſit alimentum, quod multiplicem alterationem ſubiens, ad varias partes alendas eſt vtile: non tamen licet inde inferre, vnum ſpiritum poſſe ſufficere tam differentibus vſibus quibus animales vitaléſque ſpiritus ſatisfaciunt. [m] Ad quartam demum, dico ſpiritum membris infixum genere quidem vnum eſſe, ſed ad ſingularum partium differentiam maximè euariati; vti præcedenti libro [o] fuit explicatum. Quod licèt vnum omninò eſſe concederemus, quòd ab vnius etiam rationis influente foueretur: non tamen ſpiritus, tam à cerebro, quàm à corde per diuerſos ductus influẽtes, & in vſus admodũ differẽtes deſtinatos, inter ſe minimè differre ſequeretur

m Cap. 3.

n Cap. 5.

o Cap. 7.

Num ſpiritus influentes ſint animati & luminoſi.

Caput III.

TANTA fuit apud antiquiores, animæ humanæ, & eorum quæ ad illam pertinent ignoratio: vt plurimi quidem, ſpiritus calorem in nobis fouentes, animam eſſe exiſtimarent, quemadmodum præcedenti libro annotauimus; alij verò eoſdem primum animæ inſtrumentum dixerint, vt frequenter apud Galenum legimus. Quos præterea recentiores nonnulli, animæ, facultatúmque vectores eſſe profitentur; atque eoſdem animatos exiſtimarunt. Quam ſententiam Scaliger [a] his argumentis confirmat. Spiritus inquit, ſunt animæ corpus mouentis inſtrumentum, atque ideò medium inter mouens & motum. Sed inter animam informantem, & corpus informatum, nihil poteſt eſſe medium quod non ſit informatum, & animatum. Quare ſpiritus ſunt animati. Præterea, membra ab ſpiritibus mouentur: ſed principium quod membra viuentia mouet, eiſdem internum eſt, & quod internum eſt alicui, eiuſdem eſt pars. Quapropter ſpiritus partes eſſe membrorũ viuentium, ſimúlque animatos eſſe ſequetur. Verùm placere nobis non poteſt horum ſententia: qui naturam vſúſque ſpirituum minùs intellexiſſe videntur. Etenim quamuis impropriè, & latè aliquando ea omnia partes alicuius eſſe dicantur, quæ ad eius conſeruationem aut operationem iuuandam faciunt: tamen propriè partes illæ appellantur, quæ toti cohærentes communi formâ informantur, & integrantes appellantur. Sic Fernelius [b] cum plurima habeat humanum corpus, continéatque, ſine quibus neque diu neque conuenienter conſeruari poteſt: non omnibus tamen ex æquo partis appellatio attribui poteſt. Pars enim, eſt corpus toti cohærens, communíque vita coniunctum, & ad illius functionem vſúmve comparatum. Spiritus autem, ſeu à cerebro, ſeu à corde in corpus reliquum influentes, nulli cohærentes membro, ſemper vagi, perpetuò mobiles, perennique effluuio diſſoluti, & continuata generatione reparati: nec partes noſtri corporis cenſeri poſſunt, nec animati. Licèt enim magna ſit membrorum diuerſitas, omnia tamen ſibi inuicem cohærent, & ſingula ſui ſitûs firmitatem obſeruant. Ipſaque triplicis ſubſtantiæ in ſingulis permixtio, conſtans eſt. Et diſſolutio quæ illis aduenit, ex mutuo inter illas conflictu emergit: non autem ex perenni effuſione, tanquam præterfluentis ſubſtantiæ naſcitur. Quare, vti nec riuum à proximo fonte deriuatum, & fundum aliquem præterfluentem; fundi partem appellamus. Nec ventum per apertam domum diſcurrentem, domûs partem eſſe dicimus: ita neque ſpiritus per corpus vagantes, corporis partes appellare licebit. Scaliger his non mouetur, & quòd ſpiritus per corpus diſcurrant, non ſufficere ait, vt partis nomen illis denegetur: cùm ſanguis in venis inquit, ſit pars brachij viuentis. Sed fallitur: non enim alendi membri alimentum, eiuſdem eſt pars. Neque id quod mox in alterius ſubſtãtiam eſt conuertendum, eiuſdem eſt portio, cùm nondum conuerſum eſt. Ac demùm vt eiuſdem Scaligeri argumenta nobis aduerſantia ſoluamus. Ad prioris quidem maiorem dicimus; ſpiritus, non eſſe proxima inſtrumenta per quæ anima animalis membra moueat: ſed facultatem ſingulis membris inſitam, proximè illa mouere: neque enim ſpiritus, vt Galeno placere videtur, [c] neruos mouent, nerui muſculos, ac demùm muſculi ipſa membra.

a Exerc. 280. num. 2.

b Lib. 1. phyſi. cap. 2.

c Lib. de plac. cap. 5.

Quin potiùs facultas membris inſita; ſibi communicato appetitûs imperio, per ſpiritus qui à cere-

bro in singula membra per neruos influunt, musculos voluntario motui exercendo deputatos mouet, & per hos membra, vt infra fusiùs explicabimus. Cùm interim spiritus, membrorum motum, nec principali, nec instrumentali efficientiâ attingant: sed tantùm delatores sint conditionis, sine qua, partes moueri non contingit. Præterea minorem sub præcisis illis vocibus conceptam falsam esse asserimus: quod facultas, quæ animæ operantis nullo negante est instrumentum, cùm media sit inter animam & membrum animatum, minimè tamen animetur; sed organo animato inhæreat. Ad secundum, negamus mēbra ab spiritibus moueri, eósque vt diximus esse tantùm delatores imperij: principium autem quod primò membra viuentia mouet, concedimus esse intrinsecum illis; atque id esse animam, quæ omnium functionum & facultatum viuentis est radix.

Quod ad secundam verò huius capitis partem spectat, neotericorum plurimi, cum Galeno [d] spiritus præsertímque animales lucidos esse tuentur. Quòd cùm nulla sit spirituum animalium diuersitas, & qui ad oculos feruntur innatum habeant lumen: cæteros etiam lucidos esse oportear. Minorem probant, quia non solùm feles noctu vident, eorúmque oculi lucent: sed præterea, homines varij, in tenebris mox vbi expergiscuntur, circumstantia, lumine quod cum visuali spiritu effundunt, illustrata, contuentur. Vt de Tiberio scripsit Plinius, [e] de quibusdam aliis Galenus, [f] & de seipso refert Cardanus. [g] Diuus item Augustinus authore Ficino, [h] si quempiam acriùs intuererur, eum quasi ad solis splendorem vultum demittere cogebat: vti de Mario apud Plutarchum [i] notatum aduertimus. Adde pressum & confricatum oculum emittere fulgorem vt experientiâ probatur, & apud Aristotelem [k] habetur.

Tandem Ioannes Leraud eruditus Pharmacopola qui Saloni petreæ commoratur, mihi testatus est se ante aliquot annos per alterum mensem singulis noctibus talem passum esse affectum, vt ab hora penè vndecima ad primam post mediam noctem aut circiter, citiùs aliquando aliàs tardiùs lumen ex propriis oculis effunderet, à quo totum cubiculum ita illuminaretur, vt ipse quæcumque in cubiculo continerentur liberè posset intueri. Quo casu principio perterritus, cùm præceps ad lectum confugeret & se totum sub stragulis occultaret: non solum ibi eodem lumine proprium corpus & lintea illustrata aduertebat; sed aliquando libros secum etiam includens, illos legebat. Atque id tum euidentiùs & in longius tempus patiebatur, cùm in latus sinistrum lienem comprimendo decumberet, minùs verò quando in dextrum.

Quibus non obstantibus licet spiritus præsertímque animales tenuissimos esse profiteamur eosdem tamen lucidos esse negamus. Quod vt faciliùs intelligatur.

Sciendum est lucem sic à lumine distingui ex opticorum doctrina & Aponensi [l] vt lux quidem, quæ à Græcis φῶς appellatur, sit ea qualitas quæ in corpore opaco & visum terminante est actu, illud lucidum reddens, atque eidem vim alia à se illuminandi tribuens. Lumen verò cui apud Græcos τῆς αὐγῆς nomen est, sit consimilis naturæ qualitas, quatenus non quidem lucido corpori adhæret sed à lucido deriuata in perspicuum & diaphanum corpus propagatur. Quod si à læui & poliro opaco aliquo corpore reflectatur splendor nuncupatur. Ita lucere intelliguntur astra, ignis hic noster, & alia quæ lumen ex se effundunt: vt piscium quorumdam capita, squāmæ, & spinæ, cicindelæ, putria quædam ligna, & similia, vt apud Aristotelem legimus, [m] Cardanum [n] atque alios. Illuminari autem dicuntur æther, aër, aqua, vitrum & similia. Ac demum splendent gemmæ, ferrum, marmorque politum. Quo supposito; cùm spiritus non sint opaci, sed ita diaphani & tantæ tenuitatis vt visum terminare non possint: nulla est ratio quæ illos lucidos censendos esse nobis persuadeat. Quare Aquilonium demiror qui cùm propositione trigesima prima libri primi opticorum nihil lucidum esse tuetur, quod non sit opacum, dicatque lucidum & coloratum eum opaco reciprocati; dixerit tamen propositione vndecima eiusdem libri, spiritus animales, quorum nulla concipi opacitas potest, lucidos esse. Sed neque eosdem luminosos dicere possumus, quòd oporteret illos in ea cerebri parte generari, quæ cùm foret lucida, in spiritus lumen effunderet. At nullam possumus talem substantiam assignare, seu ad cerebri medullam conuertamur, seu ad membranas aut quidquam aliud intra caluariam conclusum. Præterea cùm natura nihil frustra operetur, insitum illud spiritibus lumen, nulli esset vsui: quod neque auditui, olfactui, gustui, vel tactui; neque mouendis partibus inseruiret. Quòd si internorum sensuum species & phantasmata illustrari dicantur id per metaphoram dictum censendum est. Cùm neque ab intellectu materiale lumen emanare, neque in phantasia aut eius elicitis actibus & expressis imaginibus recipi posse concipiatur. Sed vrget allata ratio multis experimentis comprobans spiritus oculo famulantes lucidos aut saltem luminosos esse. Ad quam dicimus, etsi spiritus animales inter se naturâ minimè differant, sed vnius eiusdémque rationis, à communi fonte tum per cerebri substantiam tum in sensiteria omnia diffundantur: posse tamen illos cum diaphani sint in particulari aliquo organo densari, & fieri luminosos lumine ab aliquo corpore lucido in illos deriuato.

d Lib. 16. de vsu part. cap. 3. lib. 7. de decret. cap. 4. & 7. necnon lib. 1. progn. com. tex. 23.
e Lib. 11. cap 17.
f Cit. lib. 7. de decretis cap. 4.
g Lib. 8. de rerum var. cap. 41.
h Comm. in conui. Plat. orat. 7 cap. 4
i In vita Marij
k Lib. de sensu & sensili cap. 24
l Comm. in probl. 33. sect 11.
m Cit. lib. de sensu & sensile cap 2.
n Lib. de rerum variet. cap. 63.

Namque licèt ſpiritus animales neque lucidi ſint nec luminoſi in proprio fonte, vt probatum eſt. Tamen nihil impedit,eoſdem in ſenſiteriorum aliquo luminoſos reddi: cùm illos ad talis ſenſûs vſum huiuſmodi eſſe oporteat. Quare fateor ſpiritus viſuales in oculo luminoſos eſſe atque eos plus aut minùs luminis habere in diuerſis: pro cuiuſque calidiore cerebri temperatura, & tunicarum oculi denſitate. Quod quæ in principio allata ſunt ſatis comprobant: & idipſum aſſertum ab Ariſtotele legimus, [o] ſæpiúſque à Galeno [p] affirmatum, à Thoma de Garbo, [q] Caſſerióque [r] comprobatum. Sed lumen illud ab oculo accipiunt, quem intra ſe lucidum eſſe cenſeo; & particulari experimento confirmauit Clariſſimus Fabricius ab Aquapendente. [s] Seu humor ipſe cryſtallinus lucem illam habeat vt videtur placere Pergameno, [t] quod minùs probatur, cùm organum cuiuſque ſenſûs nullà proprij obiecti differentià informatum eſſe oporteat, vt ad omnes illius varietates percipiendas ſit accommodatum. Seu quod magìs placet, vueæ tunicæ ſuperficies concaua, fuſco, cœruleo, & viridi colore miro ornatu variegata, luceat: quemadmodum verſicolores aliquot piſcium ſquãmas, & cicindelas, pari ferè modo variegatas, noctu lucere experimur. Ipſúmque etiam nigrum ſæpiæ fuceum lucere apud Stagiritam legimus. [t] Neque lentus ille multicolor humor qui intimæ vueæ tunicæ ſuperficiei adhæret, lucis incapax à quoquam exiſtimabitur: qui præter ea quæ relata ſunt, ſequentia ex Plinio [u] excepta aduertetit. Coneharum è genere dactyli ſunt, inquit, ab humanorum vnguium ſimilitudine appellati his natura, in tenebris fulgore clarere quanto magìs humorem habeant, lucere in ore mandentium, lucere in manibus, atque etiam in ſolo ac veſte, decidentibus guttis: vt procul dubiò pateat fucci illam naturam eſſe, quam miremur in corpore. Hoc autem oculi lumen Cantuarenſis, [x] naturali ſuâ radioſitate, vt loquitur, viſui conferre cum ratione affirmauit. Vti enim ſpecies non poſſunt à rebus coloratis effundi, niſi interueniat lumen: ita eædem probabiliter, nequeunt in organo viſiuæ facultatis, vti neque in polito corpore imprimi; quin illud quodammodo illuminetur. Quod ex eo verum eſſe experimur; quòd cùm parua pruna in tenebricoſo loco poſita, ad tantam diſtantiam poſſit apparere in ſpeculo, ad quantam illa poteſt tantillum luminis effundere: à loco tamen diſtantiore in quo nequit. In ſpeculo repræſentari, diſcerni adhuc ab intuente poſſit: quòd ſpecies ad maiorem diſtantiam propagata quàm effundi lumen poſſit, in ſpeculo quidem nullatenus illuminato repræſentari nequeat, oculo tamen lumen innatum habente imprimatur.

Verùm vt quæ à nobis afferuntur vera eſſe euidentiùs conſtet: his quæ obijci in contrarium poſſunt reſpõdeamus. Ac primùm probare conantur aliqui nullo lumine ad ſpeciei receptionem opus eſſe, ex eo quòd cum ſpecies per medium non illuminatum diffundatur, eandem in organo non illuminato ſimiliter recipi poſſe ſequatur. Ad quod reſpondemus, magnam eſſe diſparitatem. In organo enim & in ſpeculo ſic recipi debet vt queat videri: per medium autem eam effundi ſufficit, non videri: vtque ad ſpeciei effuſionem medij ἀφανία ſufficit: ita quò viſioni cauſandæ inſeruiat eamdem illuminari eſt opus. Secundò Aueirhoi, [y] nullum in oculis innatum eſſe lumen probanti: tum quòd lucidus non poſſit videre lucem; tum quòd noctu videret, ac demùm quòd ipſum eius lumen videretur: Reſpondeo remiſſum admodum eſſe huiuſmodi lumen, quod non impediat oculum aliud videre ſuo intenſius. Illud verò non ſufficere ad videndum noctu dicimus, quòd non poſſit obiecta illuminare, vt ſpecies ſui effundant in oculum: præterquam in his quorum intenſius eſt lumen, vt in felibus, Tiberio, Cardano, Leraudo & aliis. Atque horùm etiam lumen ſe extra diffundens, videri admittimus: vt de Diuo Auguſtino, & Mario relatum fuit. Atque id præſertim, ſi anguſtos radios contractum intendatur: vti felibus aduenit. Qui cùm oualem ſuam pupillam mobilem habeant: dum eam contrahunt, eorumdem oculi ardentiùs fulgent. Quod vero Leraudo Pharmacopolæ accidit, particulari exercitatione inquiri, & explicari meretur.

Ex quibus & quomodo ſpiritus generentur.

Capvt IV.

Tres ſpirituum differentias conſtituimus: fixum vnum, & duos influentes: vitalem ſcilicet, & animalem. Fixi naturam & generationis modum apertè ſatis præcedenti libro explicuimus quando calidi innati fixi naturam & generationis modum expreſſimus. Duo enim hæc nihil ab inuicem differunt ſed vnum atque idem, duplici eâ denominatione ſignificatur.

Vitalis immediatè ex ſanguine & aëre fit. Quod licèt plurimis diligentiſſimis tam Philoſophis quàm Medicis vt ait Galenus, [a] minimè placeat: à quibus totus aër qui reſpirando admittitur, foras etiam remitti dicitur: & cor non aëris ſubſtantiam expoſcere, ſed frigiditatem ſollummodo qua recreatur deſiderare. Imò Pergamenus ipſe [b] dum aſſerit aërem inſpiratum nobis magìs ob

o Cit. lib. de ſenſu & ſenſ.
p Locis ſupra citatis in d.
q In ſumma med quæſ. 14
r Lib. de oculi fabrica ſect. a. cap. 41.
s Lib. de viſione parte 3. cap. 6. pag 90
t Lib. 10 de vſu part. c. 3.
t Iam ſæpius cit lib. de ſenſu & ſenſili cap 2.
u Lib. 9 cap. 61.
x Lib 1. com. perſpectiua propoſ 46.
y Lib. 3. colliget cap. 38.
a Lib. an ſanguis in art. naturâ contineatur c6.
b Lib de vet. reſp. cap. 5.

adhuc firmata textura: ad nixum,naturalibus,animalibúsque motibus necessarium, est imbecillior. Calor verò eiusdem,à nimio humore retusus: ad coquendum multò est infirmior, quàm deinceps à superfluo humore liber. Atque vt pateat naturales etiam facultates primâ ætate & vitæ principio esse imbecilliores (cùm de animalibus,id sit quibusque notum) ad principem naturæ facultatem mentis aciem conuertamus. Ea enim principio,solum sanguinem (cuius substantia,membris est maximè familiaris) conficere potest; mox lac,sanguini maximè analogum: alia verò coquere commodè nequit,ne quidem cremores & iura carnium. Quæ deinceps in adultioribus, carnes ipsas,ac solidiora,in membrorum substantiam facillimè conuertit. Ad quæ collimans Galenus,non pueritiam, sed adolescentiam ætatum temperatissimam esse censuit: vt commodiore loco docuimus.[b]

b Lib. 1. c. 6.

Præterea,dico tertiò non solùm humidum per nutritionem acquisitum,priori æquiualere, vtrisque reciprocâ actione æquatis, & ad vniformem totius membri substantiam reductis:sed præterea aliquando quod in nobis est humidum,quodque post acquiritur,in conditionem omninò meliorem transire. Cuius assertionis prima pars,explicatione magìs indiget quàm probatione. Non enim asserentes humidum quod per nutritionem acquisitum est,priori æquiualere, vtrisque reciprocâ actione æquatis; intendimus id quod membris ex alimentis accedit, ad eamdem temperiem deduci quàm id quod nutritur vel à principio nostræ formationis vel proximè antequam nutriretur habuit. Sed tantùm volumus,alimentum quod partibus per nutritionem apponitur (seu id iunioribus nobis,seu senioribus accidat) sic alterari, vt in substantiam partibus nutritis similem conuertatur: & vicissim in partes quæ eo aluntur sic reagere, vt illarum temperie quadantenus euariata; ambo ex mutua sed dispari actione,ad æqualitatem substantiæ,& temperiei paritatem, sub vniformis membri conditione tandem perducantur. Quod omni alterationi eorum quæ intra sphæram mutuæ actiuitatis sunt posita, commune est vt alibi: dum de reactione egimus,[c] satis supérque probatum supponimus.

c Lib. 1. cap. penultimo.

Posterior verò conclusionis pars,sic probatur. Primùm quòd cùm naturalis corporum intemperies,causarum salubrium vsu,ex Galeno,[d] immutari queat in melius: euidentissimum est, humidum quod in nobis est quódque post acquiritur, in conditionem omninò meliorem aliquando transire. Præterea plurimæ æquales totius corporis acquisititiæ intemperies quæ singulas nostri corporis partes occupant, medicamentis & ratione victûs emendari possunt; vt hectica primi & secundi gradûs,cachexia,& similes: quare potest & corpus redire in melius. Demùm qui diuturnis morbis lacessiti deteriùs sunt aliti,& præternaturalem totius corporis habitum contraxerunt:mox conualescentes & euchymis cibis vsi,in multò meliorem statum restituuntur.

d Lib. artis med. cap 86. seu lib. 3. tex. 22. & lib. 6. de san. tuenda cap. 3.

Verùm vt vulgari sententiæ,qua ex parte licèt, assentiamur: dico quartò: ex consueta naturæ lege,humidum ad vitæ durationem producendam aptissimum, illud est quod in primo nostræ formationis statu acquiritur: quo nullum vnquam deinceps potest,ad hoc accommodatius generari. Atque ea est communis opinio: quam rectè expressit Dandinus,cùm in ordine ad vitæ durationem inquit,[e] nullo vnquam tempore posse melius humidum restaurari, quàm esset antea: imò neque æquè bonum, sed deterius semper. Non enim potest deinceps quodquam aliud ex alimentis generari,quod in ventriculo,hepate,& venis tam affabrè elaboretur,tàmque solerter excoquatur: atque illud seminale humidum,in varicoso pyramidali corpore, testibus & parastatibus elaboratum fuit, atque excoctum. Quod vti temperiem, & totius substantiæ modum nostræ naturæ conuenientissimum,diuturniore præparatione, & maiore arte acquisiuit: ita difficiliùs multò quàm humidum aliud quodcumque conditionem naturæ & vitæ aduersam subit. Tardiùs enim exsiccatur. Propter quas dotes,ad producendam vitam (quæ calidi, & humidi temperatura perseuerante fouetur) aptissimum euasit.

e Lib. 1. de anim corporis temperatione cap. 16.

Demùm verò ad totius huius quæstionis absolutam explicationem: Dico; ex naturalibus principiis,& sine miraculo; corpus cuius solidæ omnes partes sensim aruerunt, & iam ad decrementi statum peruenit: posse aliquando rehumescere, & ad meliorem constitutionem statui consistentiæ respondentem,quasi retrogrediendo reuerti. Id tamen nullum medicis auxiliis aut consequutum,aut consequuturum. Sed veritas huius assertionis, quam plurimi cachinno magìs quàm ratione expugnabunt:& exemplis,& rationibus,confirmanda est. Et ne ad fabulas nutricum Bacchi quæ senectam in morem anguium deposuisse finguntur; aut Iasonis, seu Æsonis potius à Medea recocti recurramus: historias ab authoribus non contemnendi nominis acceptas proferemus. Valescus de Tarantia, illustris sua ætate Medicus, sibi relatum scribit:[f] in quodam Monasterio in loco qui dicitur Monuerus [Delrio Monuedrum legit,[g] & Regni Valentini oppidum esse ait, cui olim Saguntus nomen erat] fuisse Priotissam quæ vbi ad extremam senectam peruenisset: floribus menstruis renouatis,renatis dentibus,denigrata coma,cutis rugis adæquatis,pannosis,& pendulis mam-

f Lib. 6. Philonij cap. 12.
g Lib. 2. disquis. magic. q. 23.

mis adinstar virgunculæ sororiantibus; toto corporis habitu in iuuenculam fit transformata. Torquemada,[h] duas non dissimiles refert historias. Quarum prima est Tareutini; qui circiter annum trigesimum supra millesimum & quingentesimum, cùm iam centenarius esset, cute, vnguibúsque renouatis, ad tantam iuuentam rediit; vt à suis conciuibus non agnosceretur. Altera est Hispani in Castellæ oppido Rioya: qui à Thalasiarca Dom Fradique centenarius comprobatus, vix quinquagenarius apparebat: quòd ab aliquot annis, depositis senectutis exuuiis, quasi ad virilitatem esset retrogressus. At maiorem multò admirationem meretur, quod idem ex Fernando Lopez Regis Lusitaniæ historiographo, varijs Lusitanorum, & Hispanorum qui in Indias Orientales nauigauerant, testimoniis confirmatum refert; anno 1536. Nugno de Acugna Indiarum Prorege, in Bengala inuentum fuisse senem quemdam annos trecentos & quadraginta natum; qui cùm decrepitum marcorem quater attigisset, toties reuirentem iuuentam degustarat: & tunc sine rugis, minimè canus, inter cætera se septingentarum vxorum connubia expertum referebat: quarum pars, apud illum interierat, pars, repudio fuerat à familia ablegata.

Quæ ne morosus quispiam incredulus fabulosa censeat, & anilia deliramenta esse causetur: talia à naturæ legibus minimè aliena esse demonstremus. Nulli non manifestum est, ipsorum etiam capularium senum corpora verè nutriri; licèt minùs quàm vt ad id quod deperit resarciendum sufficiat. Atque id quidem, præsertim quod alimentaris succus sicciora iam membra, & minimè peruia difficiliùs penetrat: caloris etiam natiui imbecillitate ad id occurrente. Quòd si probare valeamus; talium corpora posse cuiuspiam naturalis agentis vi ita immutari; vt tum remisso eorum calori incrementum addatur, tum accidentaliter sic rehumescant & laxentur, vt assumptum alimentum deinceps possit liberiùs per membra diffundi, & partes vndequaque suaui rore perfundere: consectum probatúmque videbitur, eadem perfectiùs ali posse & refoueri; atque inde in potiorem statum restitui, & quasi ad iuuentam retrogredi. Posse verò ea senum corpora silicernium iam etiam olentia, ex se prædictam alterationem pati: ex eo compertum est, quòd omnis primarum qualitatum cuicumque subiecto impressa temperatura, ex se possit in aliam atque aliam temperiem verti; si efficax vis occurrat agentis. Nihil enim est quo repugnet, & frigida plus minúsue calescere posse, calidáque refrigerari, & sicca humescere, humidáque exsiccari. Sic terra omnium elementorum siccissima, in aquam tandem humectata transit. Adamas gemmarum durissimus, ignibusque inuictus (si vera ferant veteres) hircino sanguine mollescit. Ossa partium omnium nostri corporis solidissima, & sæuâ veneris lue in tumorem abscedunt, & ab acrium ichorum defluxu cariem contrahunt. Quinimò apostasiæ illi caracteres à Dæmone Sagis impressi, humore, intróque calore destituti [vt à Clarissimis Medicis, & Chirurgis nobiscum Amplissimi Senatûs præscripto satisfacientibus apparuit] humorem & calorem naturæ conuenientem reassumunt. Nihil ergo vetat; decrepitorum corpora secundùm omnes sui partes, posse aliquando & calidiora & molliora simul euadere.

Agens autem tantæ energiæ, & tam efficacis metamorphoseos author: non aliud à nobis astruitur, quàm cœlum & sidera. A quorum influxu penitissima quæque peruadente; cùm aliquando tanta, & tam repentina intima humectatione capiamur: vt coniugali elementariæ compaginis humido eliquato, insignis putredo nobis excitetur quæ vniuersum corpus in pestilentem tabem resoluat, & solidas ipsas partes attingens hecticam pestilentem inferat. Cur non poterunt eadem quantumuis rarò: seu Ioue, & Venere, cum Sole & Luna se mutuò amicè aspicientibus, & cum felici aliqua stella, in huius aut alterius horoscopo constituta, fortunatè simul concurrentibus; seu sub quacumque alia fausta magis configuratione: tam suauem nobis iam exsiccatis humectationem, talémque pororum laxitatem, & caloris fomentum conciliare; vt solidiora quæque membra inde occurrens alimentum liberiùs admittant, idem perfectiùs conficiant, atque inde totus simul resurgeat habitus, & qui præ siccitate emarcuerat vigor renouetur. Ne verò à rei difficultate occasione accepta, vulgaribus ingeniis subblandiens quispiam: hæc subtiliùs, quàm veriùs inuenta submurmuret. Aduertant veritatis studiosi & ingenui viri, fructum illum vitarum horti Eden ex plurimorum sententia,[i] vi naturali corpora ad senium inclinantia ita reparare potuisse, vt ab interitu vendicarentur: non alimentum tantùm suggerendo, quod illi cum cæteris commune erat; sed calidum etiam innatum refouendo, humidumque reparando. Quæ si peculiari illius fructus naturæ concessa fuere: an audebit quisquam absurdum censere, cœlos facultatum omnium naturalium scaturigines, speciali aliquando influxu idipsum operari posse, quod variis historiis citra miraculi speciem iam pluries factum constat. Quod licèt hac vià fieri aliquando concipiamus: medicam tamen industriam, id numquam assequi posse, ideò coniectamur: quòd nullus vnquam id præstitisse legatur. Non Sophista cuius Galenus[k] meminit, qui cùm librum edidisset quem de admirabili *ἀγηρασίᾳ* inscripserat, & in quo profitebatur se modum scire quo quis posset senium effugere: omnibus tamen fuit risui, quòd ad octuagesimum annum perueniens ita sit exsiccatus, vt verus Hippocraticæ faciei typus videretur. Non celebris ille

h *Dialogo 1. horti florid.*

i *Ita Strabus hugo de sancto vict. in Gen D. Tho. 1 p. q. 7. art. 4. Caiet. ibidem Scotus 2. sent. dist 19 q. 1. Durandus ibidem art. 2. Perer. lib. 9 in Genes disp. de arbore vitæ q. 4. Delrio lib. 2. disqu. magic. q. 32*

k *Lib. de marcore cap. 2.*

magus Paracelſus qui libro de reſtauratione,[l] profeſſus ens primum auri, hoc eſt primum eius liquorem qui nondum in metallum concreuit: non ſolùm hominem, verùm & omnes pecudes, fructus, herbas, & arbores renouare. Et primum ens antimonij, ſulphuris, gemmarum, vitrioli, ac meliſſæ eas in corpus hominis vires habere, vt humores in eo radicales omnes renouet: & qui libro de tribus primis eſſentiis[m] ſcribens tincturam regenerare, & efficere vt ſenium iuueneſcat: neque ad prouectam ætatem peruenit, neque ad iuuentam rediit. Non illi dementati, ſagacis improbitatis cultores, qui ſub ſpe repuerascendi, propria corpora infidè fidis Chirurgis diſſecanda committentes, ea cum malè feriatis quibuſdam pharmacis miſcenda dederunt, & calore fimi regeneranda, aut nouâ arte corrumpenda deſtinarunt. Non cæteri Chymici, cum ſuo lapide Philoſophico, & ſumma Medicina: cui tantum tribuit Robertus Vallenſis,[n] vt videatur velle, nos etiam inde poſſe immortalitatem conſequi: quam Gebet[o] reſtauratricem & reformatricem dixit, tam metallorum imperfectorum, quàm animalium ægrorum & infirmorum: & quam Villonouanus[p] de ſene iuuenem facere, omnémquè tollere ægritudinem iactat. Præterquam enim omnes huius generis cinifiones à terris metallorum vaporibus quos continuò penè inſpirant offenſi immaturè aut ſeneſcunt, aut pereunt: præterea in quærendo illo ſuo magni magiſterij puluere, & miraculoſo‍rum penu elixire, oleum & operam perdentes, à vana ſpe, ad inanitem ducuntur. Neque adhuc compertum eſt, vel Regem Inſulæ Zeilam (quam Taprobanam cenſet Ortelius)[q] vel Calecuti celebris Indiarum emporij incolas, vſu magnetis iuuentam protogaſſe: vti creditum illis fuiſſe Garcias ab horto retulit.[r] Nec demùm conſtat, quemquam pilulis policitatoris illius Alexij Pedemontani principio ſuorum ſecretorum deſcriptis, adoleſcentiæ reſtitutum.

Verùm ſi ne hoc quidem ſufficiat, vt quod à nemine factum eſt adhuc, à nullo deinceps fieri poſſe conuincamus: ex eo tamen dicti veritatem conijcimus; quòd illud neque alimentis, neque medicamentis abſolui poſſe perſuadeamur. Non alimentis; quòd cùm ea in aliti ſubſtantiam conuertantur, non poſſint euicta tantam mutationem victori ſubſtantiæ imprimere, vt eius ſubſtantiæ modum iamdudum acquiſitum conuertant in contrarium. Ac maximè cùm præ ſiccitate partium ſolidarum, alimenta minùs poſſint intima membrorum peruadere. Sed ne medicamentis quidem id quemquam aſſequi poſſe ſperamus: quòd cùm illa vt ad cupitum finem perueniant, ſuaui calore, & laxante humectatione plurimùm valere oporteat: vel antè ſua emolliente vi ventriculi robur exoluerent, quàm cæteras partes ad quæſitam temperaturam adducerent: vel eorumdem vis, excrementorum in ſenibus paſſim ſuperabundantium occurſu, tam importunè retunderetur, vt nunquam opportunè adminiſtrarentur.

Omninò verò fabuloſum eſt, quod ex Theopompo & Æliano refert Rhodiginus,[ſ] in terris extra hunc noſtrum orbem ſitis, Meropùm ἄνοστον duo flumina circumluere, vnum voluptatis, triſtitiæ ac mœroris alterum: quibus adnaſcantur arbores prociores platanos magnitudine æquantes, quæ tales proferant fructus, vt qui pomo voluptariarum arborum veſcantur, omni mœrore depoſito anteactas quoque ætates denuò repetant, & ſenectâ primùm exutâ vigorem induant; pérque quoſdam velut gradus, effecti iuuenes, mox ad pueriles annos tranſeant, ac demùm infantiliter commoriantur. Eiuſdem ordinis eſſe indicantur miracula illa fontiû in Bonica & Lucaia: quorum aquam potam, Delrio ex Cardano, & Chieza, inquit,[t] ſenium cum iuuenta commutare. Et fictitia demùm eſt illa Strigis Medeæ ſuccorum commixtio apud Ouidium.[u]

--- Quos poſtquam combibit Aeſon,
Aut ore acceptos, aut vulnere, barba comaque
Canitie poſita, nigrum rapuere colorem:
Pulſa fugit macies; abeunt palloŕque, ſitúſque,
Adiectóque caua ſupplentur corpore ruga;
Membráque luxuriant.

Ac ne quiſquam ſuâ induſtriâ ſperaret aliquando, ſe, remediis aut multâ arte compoſitis, aut à temperatiſſimis regionibus conquiſitis, à ſenecta ad iuuentam poſſe retrogredi, aut fluentis ætatis curſum ſiſtere. Deus[x] ne fortè Adam, aut eius poſteri, mitterent manum ſuam, & ſumerent de ligno vitæ; ac comedentes, in æternum aut diuturniùs quàm par eſſet viuerent: collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubin. & flammeum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. Seu ex Diuo Bernardo,[y] vt à ligno vitæ inciſio pariter & incenſio, quibus nihil carni terribilius, manum prohiberent corporalem. Seu vt habet Aloiſius Lippomanus,[z] paradiſum firmiſſimè muniendo quò facultatem ac ſpem omnibus hominibus adimeret fœliciter & perpetuò viuendi, & mortem euadendi in hoc ſæculo.

Ac licèt quæ de horto Eden & fructu vitæ ſcripta ſunt, myſticè potiùs quàm hiſtoricè dicta con-

cederem

l Tomo 6. ſcorum oper. francoſ. edi. 160 pag. 101 102. 103.
m Cap. 6.
n Lib. de vero, & antiq. art chym. c. 3.
o Lib. 1. cap. 31 apud Vallenſem
p Cap. penultimo roſarij.
q In Theſauro geographico
r Lib. 1. c. 36
ſ Lib. 17. lect. antiq. c. vlt.
t Lib. 2. diſquiſ. magic. q. 23.
u Lib. 7. metam. verſ. 187
x Geneſ. cap. 3. verſ. 7.
y Sermone 5. de verb. Eſa.
z In catena in Geneſim.

cederemus,vt plurimis Patribus visum est.[a] Seu etiam aliis[b] contrarium sentientibus assentiamur: hoc semper constabit, vel spem omnem remedij q od pro fouendo aut renouando vigore iuuentæ creatum fuerat,in integrum hominibus ademptam esse; vel saltem mysterium fructus vitæ, & renouationem iuuentæ, medicam omnem humanamque industriam superare.

Quid mors: & quomodo hominem ab interno principio mori contingat.

CAPVT XIII.

CVM initiò docuerimus vitam primò & principaliter dici animæ informationem, secundò verò informantis animæ in corpore operationem: ex oppositorum lege consequens est, mortem primariò significare animæ à corpore separationem per informandi desitionem, secundariò verò operum omnium animæ in corpore cessationem. Priore sensu,Plato,[a] mors nihil est aliud inquit,quàm animæ,& corporis à se inuicem dissolutio. Posteriore verò, Galenus,[b] nihil aliud mors est ait, nisi omnimoda naturæ prostratio. Frequentiùs tamen ex Aristotele,[c] & Pergameno nostro,[d] mors definiri solet caloris (seu potiùs calidi τοῦ θερμοῦ) extinctio,aut marcor. Quòd priuationem causaliter potiùs quàm formaliter definiendam censeant & priuationis vitæ causas omnes, ad hanc vnam reduci posse existiment. Licèt enim minimè oporteat innatum nobis calidum vniuersim extingui, vt mors sequatur: sed omnino tunc animalia mori contingat quando vel partium vnitati, vel organorum conformationi tantus defectus aduenit,vel ita partium solidarum temperamentum euertitur: vt propter aliquod horum anima in corpore operari non amplius possit. Nihilominus tamen quia singula illa & solutæ vnitatis & conformationis vitia,non antè omnimodam actionum cessationem inferunt:quàm simul totiu corporis temperamento tantum vitium sit illatum, vt non cæterarum solum facultatum, sed vegetandi etiam energia in integrum deperdatur. Hoc autem non prius aduenit, quàm cor (quatenus veluti fons est calidi influentis,[e] quod actualis temperamenti singularum partium fomentum est) affic atur: omnia demùm illa, ad calidi (naturæ operibus necessarij) vitium,extinctionem scilicet,aut marcorem terminantur. Ex cuius defectu, cum omnium vegetantis animæ operationum cessatio, atque inde mors necessariò consequatur: cum ratione,causalis definitio mortis per calidi extinctionem assignata videtur. Omnium tamen optimè Conimbricenses vnica descriptione quæ essentialem & causalem definitionem complectitur, mortis rationem explicasse indicantur: cùm[f] aiunt,mortem esse discessum animæ à corpore, ob defectum innati caloris. Qui ex Aristotele,[g] si extinctus defectum patiatur, violentæ mortis est causa: si verò marcescens defecerit,mortem naturalem infert. Naturalem inquam: non quidem nostræ naturæ conuenientem, ab eáque intentam: sed vt rectè Hugo Senensis explicuit,[h] quæ actionem naturalium principiorum merè naturaliter agentium consequatur.

Extinguitur autem innatum calidum,vel à contrario frigido (seu ambiente, seu assumpto) frigore calorem exp llente:vel à quocumque calidum i fluens affatim exoluente; vt per magna vulnera,febrium ardores,& immodicam lætitiam aduenit: vel à dissoluente calidum membris infixum: vti si per excellentem putredinem solidas partes quomodocumque attingentem: vel demùm ab alterutrum suffocante: seu per prohibitam transpirationem, seu per subitam & vehementem calidi influentis ad intima reuocationem. Idem verò marcescit,per lentam humidi solidarum partium consumptionem & exsiccationem. Atque huius quidem consumptio,illius autem inde consequens marcor:naturalis interitus,& ab interno principio nascentis sunt causa.

Per humidi verò consumptionem,non illius solùm radicalis & primigenij deperditionem, subaudire oportet; quod in integrum absumi posse vita adhuc persentenante docuimus: sed illius omnis humidi tum primordialis tum alimentalis,quod cum substantiæ partium solidarum sit portio, eas intra limites eius temperaturæ conseruat,quæ ad qualemcumque alimenti per membra digestionem,ciúsque conuersionem in alitis substantiam est necessaria. Quo ab ipso generationis primordio perenne exoluto,corpus sensim exsiccatur. Illud autem insitum nobis humidum, licèt ab ambiente ex parte dissipetur:maximè tamen à calido sibi consociato,non autem à calore sibi inhærente,continuò absumitur. Calidum enim per vniuersum corpus diffusum, cùm in reliquam molem suas vires iugiter exserat:semper aliquid illius attenuando,& exoluendo; corpus vniuersum lentè exsiccat. Neque verò eam exsiccationem emendat,perpetua illa totidi alimenti per membra effusio:ex qua & reparatur quod deperit,& corpori incrementum etiam additur aliquando. Quamuis enim humor qui continuò membris affunditur,vim calidi præexistens humidum exoluentis remoretur: quòd id in humido recens accedete alterando ex parte occupatum,in præexistentem,molem remissiùs agat. Non tamen ea alimentaris humidi affusio,siccitatem, ab innato calido corpori semel inductam,corrigit. Quoniam quod iam semel exsiccatum est,idipsum est, quod innato cali-

do

a Ita Philo Iudæus ad fin. libri de opif. Dei, & lib. allegor. legis Mosaicæ D. Ambrosius lib. de parad. & lib. 6. epist. 41. ad Sabinum Augustinus Eugubinus in Cosmopœia, & alij relati quos refellunt Origenes

b vt Pererius lib. 3. in gen. disp. 1. q. 1. Cardinalis Bellarm. tomo 1. contr. genera. libro unico cap. 10

a In Gorgia pag. 250 & in Phædone pag. 416.

b Lib. 1. de crisib. cap. 3.

c Lib. de resp. vita & morte cap. 18

d Lib. 2. de temp. cap. 2. & lib. de diff. febr. cap. 8.

e Gal. lib. 5. de locis affectis.

f In lib. de vita & morte cap. 3.

g Lib. de iuuen. sen. vita & morte cap. 18.

h In cap. 3. doct. 2 fen 1. lib. 1. Auic.

ignem ſummè calidum, à proprio calore quidquam pati. Quod ſi vbi ſecundùm naturam ſummè intenſus eſt calor, ſummèque actiuus, nihil in materiam quam informat agit: quomodo remiſſior, ſubiecto cui inſidet naturalis, eidem erit inimicus & infeſtus. Non igitur calor eſt, qui humidum cui inhæret abſumit: ſed calidum, humido conſociatum. Id enim heterogeneis eiuſdem mixti partibus variè temperatis conceſſum eſt, in ſe mutuò agere, & ſe reciproca actione corrumpere. Quod ad Ariſtotelem autem nobis obiectum pertinet: licet ſic illum nonnulli interpretes reddant, alij tamen textum Græcum, propius inſequuti, natiuum calidum, legunt, primum concoctiuum, conſumit materiam in qua eſt: cùm habeatur in Græco, τὸ φυσικὸν θερμὸν, τὸ πρῶτον πεπτικὸν, ἀναλίσκει τὴν ὕλην ἐν ᾗ ἐστι. Quanta verò prædictarum locutionum ſit varietas: ex his abundè patet; quæ iam antè docuimus.

Quare cùm anima cuius adhæſio in nobis vita eſt, ad varias functiones in corpore exercendas multiplici genere inſtrumentorum vſa, ſibi inuicem aduerſantibus etiam indiguerit; Ac maximè calido ad operandum humido verò ad patiendum aptiſſimo: quoniam illud, hoc perennè attenuando, idem ſemper exoluit; & ab huius exolutione, illud ipſum ſenſim marceſſit: eo demùm ex naturali conſecutione res peruenit: vt altero exoluto, altero marceſcente, corpus, inutile animæ inſtrumentum euadat: & inde eiuſdem à corpore ſeparatio ſequatur, & mors.



De ſpiritibus.

LIBER SEPTIMVS.

ANIMAM, actionum omnium quæ homini vt viuenti tribuuntur, eſſe radicale principium, ex his quæ ſuperioribus libris explicata ſunt, omnibus conſtare arbitror. Quæ cùm ſic operetur in corpore, vt in principe quoque organo quaſi in regia eminens, indè cæteris membris ea quæ cuique ad proprias functiones complendas neceſſaria ſunt manifeſto quodam influxu impartiatur. Neceſſum eſt illam, vel per irradiationem quamdam accommodatæ qualitatis; vel per effuſionem conuenientis alicuius ſubſtantiæ, quod opus eſt influere. Quoniam verò illa qualitas, quæ veluti per irradiationem à primariis organis effundi dicitur, inexplicabilis eſt: & qui eam viam tentarunt, nec aliis, nec ſibi ſatisfeciſſe comperiuntur: potior Medicorum pars, & rationibus, & variis artis experimentis innixa, tenuem quamdam ſubſtantiam ſpirituoſam à principibus membris in reliqua diffundi aſſeruit. Quæ ſeu vna ſit omnibus ſubſeruiens organis, ſeu ſua vnicuique principi membro in famulatum tributa dicatur: ſpiritus ſolet appellari. Qui cùm vel idem ſit cum innato calido, vel proximè ad illius naturam accedat, alterum eſt facultatum inſtrumentum. Quare vbi de calidi innati ſubſtantia & proprietatibus egimus, noſtri inſtituti methodus expoſtulat vt de ſpirituum natura, differentiis, generatione & vſu, hoc loco differamus: & rei veritatem plurimorum figmentis obſcuratam, quantum licebit ſuo nitori reſtituamus.

Quid id ſit, quod ſpiritus in nobis appellatur.

CAPVT I.

QVAMVIS æquiuocum ſit ſpiritûs nomen, atque eâ voce authore Diuo Thoma,[a] & inſinuante Ariſtotele,[b] primò ventus ſignificetur: tum aër: tertiò reſpiratio, quartò corpus quod præ tenuitate viſum & tactum effugit, ac randem de omni ſubſtantia à materiæ compoſitione libera dicatur. Particulatim tamen Medici, per ſpiritus in plurali, tenuem eam ſubſtantiam ſignificant, animantibus communem, qua primariæ facultates velut inſtrumento vſæ, vel proximè ſingulæ operantur, vel ſuam vim in membra à principe cuiuſque organo diffita effundunt. Cùmque huius ſortis, varia in nobis eſſe dicantur à variis: quæcumque talis ſunt conditionis vt ſuâ tenuitate promptiſſimè, celerriméque in naturæ & facultatum animæ obſequium moueantur; ſolent ab Hippocrate[c] τὰ ὁρμῶντα σώματα, id eſt corpora impetum facientia appellari. Quorum naturam maximè ignoraſſe comperiuntur Heraclitus, Anaxagoras, & Stoicorum illi qui apud Plutarchum,[d] ſpiritus huiuſmodi animam eſſe dicebant. Ad quorum ſententiam inclinare videtur Ariſtoteles,[e] cùm corpus quidem inquit, ex fœmina eſſe, animam verò ex mare: anima enim addit ſubſtantia corporis alicuius eſt.

Fernelius[f] exiſtimauit ſpiritus, cœleſtem quamdam eſſe ſubſtantiam noſtro immixtam corpori, quæ animæ ſit & corporis vinculum. Alexandrinus[g] verò animam ait, ex cœlo illabi ſidereo ſpiritu veſtitam: in corpore autem elementarium alium ineſſe ſpiritum, quorum duorum interuentu anima corpori alligetur, Ficinus demum,[h] ſpiritus animæ currus appellauit. Verùm quantum à vero deuient priores illi, facilè quiſque intelliget, qui animam rationalem, veram hominis formam informantem eſſe admittens, neque adſiſtentem quampiam eſſe intelligentiam, nec communem mentem cum Auerrhoë fingens: ſciet formam cuiuſque corporis, nullius glutinis aut vinculi interuentu, ſed ſeipſa immediate materiæ diſpoſitæ & conformato corpori vniri. Quòd ſi ſpiritales ſubſtantiæ, nullam talem cum materia ſocietatem habere poſſe dicantur, id de completis ſpiritalibus entibus intelligendum eſt: quæ ne vinculo quidem vllo interueniente cum materia poſſunt alligari, & cum illa vnum facere. Sed ſpiritalis ea ſubſtantia quæ licèt à materia in fieri & conſeruari minimè dependens, non tamen completa, ſed à rerum omnium Creatore in formam

corporis

a 1. p. q. 35. art. 3. in cor.
b Lib de mũdo cap 3.

c Lib 6 epid. sect 9. tex. 19
d Lib. 4. de plac. cap 3.
e Lib. 2. de gen anim. c 4.
f Lib. 4. phyſ. cap 2.
g Lib 20 ſalub. cap. 8.
h Comm. in conuiuium Plat. cap. 9.

corporis deſtinata, vt ſpiritalia materialibus in homine rerum omnium creatarum quaſi orizonte hemiſpheria ſpiritalium & materialium terminante, coniungantur: ſola potuit ex Creatoris præordinatione vniri corpori, & nullius intermedij glutinis concurſu, vt forma informatæ materiæ copulari. Neque oportet ad corpus aliquod tenuiſſimum confugere, quod medium ſit inter ſpiritalem animam & craſſius hoc humanitatis figmentum. Cùm quantacumque ſit materiæ quantæ tenuitas, nullum habeat cum ſubſtantia ſpiritali commercium: quoniam illa ex ſe, ab omni materia ſecretionem dicit. Alexandrinus prætereà, in eorum errorem incidit, qui animas omnes à principio ſimul creatas exiſtimantes, eaſdem per varias generationes in corpora illabi cenſuerunt: cum tamen ſingulæ infundendo creentur, & creando infundantur. Ficinus Platonicos ſequutus, multa metaphoricè aſſumpta ſcripſit: & ſpiritus animæ currus appellauit: quòd illi imperia influxúſque principum facultatum, prout cuiuſque naturæ & conditioni competit, à primariis earum ſedibus cæteris membris impertiantur & ab his cognita illis referant & enuncient. Quare ſpiritus, de quibus hîc agimus, nec anima ſunt, nec animæ vinculum: ſed tenuis quædam ſubſtantia ad facultatum famulatum in nobis deſtinata. Quorum naturam vt commodè explicemus, antè quærendum eſt, num vnus ſit in nobis ſpiritus qui omnibus facultatibus inſeruiat: an verò plures quorū ſinguli à ſingulis principibus membris in cætera illis inſeruientia influant: & ſi plures ſtatuere oporteat, quæ ſit cuiuſque natura docendum.

Quotuplices ſint in nobis ſpiritus.

Capvt II.

VT in cæteris pleriſque, ita in hac quæſtione, non vna eſt ſcriptorum ſententia. Argenterius [a] enim, vnicum eſſe in nobis ſpiritum ait: qui prout vitali facultati, animali, aut naturali inſeruit, vitalis, animalis, aut naturalis appelletur. Quod his rationibus conuincere conatur. Ac primùm quòd ſpiritus, ſit idem cum innato calido: quod cùm vnum ſit, & ſpiritum vnum eſſe oporteat. Secundò actionibus noſtri corporis variis, vnum ait, debetur inſtrumentum; quod eas inuicem alterius interuentu ſuam vim communicare neceſſum ſit, plura verò inſtrumenta ſe mutuò impedirent. Quare cùm ſpiritus ſit facultatum inſtrumentum: is etiam vnus erit. Qui, vt docuit Ariſtoteles, [b] in morem quorumdam artificialium inſtrumentorum quæ ad plura vtilia ſunt, in rebus à natura, inſtitutis varium exhibet vſum. Tertiò vt vnum eſt totius alimentum, ita vnum erit operantis animæ inſtrumentum: quod ex communis alimenti maſſa generetur. Ac tandem vt ſpiritus membris inſitus vnus eſt, inquit: ita & influentem vnum eſſe oportet, qui inſitum tueatur, & augeat. Contra verò plerique omnes, cum Galeno, multiplicem eſſe in nobis ſpiritum profitentur.

Qui tamen in aſſignandis ſpirituum differentiis euariant. Is enim [c] fixum quemdam membris ingenitum alicubi inſinuare videtur: qui alibi, [d] influentem animalem vnum, & vitalem alium aſſignat: dubitans an tertius ab illis diuerſus reperiatur, qui ſit facultatis naturalis miniſter; quem ſi admittere liceat, eumdem in hepate & venis contineri oportere affirmat. Recentiorum pars maxima, ſpirituum alios animales, alios vitales, atque alios aſſerit eſſe naturales. Sed naturalem aliqui, eum tantùm eſſe profitentur, [e] qui ſeminali ſubſtantiæ perfuſus, prolificam vim continere dicitur. Nonnulli verò [f] quemdam ab hepate influentem concipiunt, qui ſpeciatim vim à iecore in cætera membra diffundat. At alij non alium naturalem norunt, quàm quibuſque membris infixum: quem etiam Stoïci ἕκτικον, ſeu habitualem appellarunt, vt ab authore introductionis [g] inter iſagogica Galeni annotatur. In qua variè ſententium diuerſitate exiſtimamus ſpirituum eam eſſe in nobis differentiam, vt alij ſint fixi, alij influentes. Fixos, quos & naturales appellare cuique eſt liberum, non alios agnoſcimus, quàm ſpirituoſam eam ſubſtantiam quibuſque membris inſitam, quam innatum calidum fixum libro præcedenti appellauimus. Quæ, quomodo in ſingulis corporis partibus princeps ſit animæ facultatum inſtrumentum, ibidem fuit explicatum. Influentes, duorum generum facimus: vitalem & animalem. Quos neceſſariò admittendos eſſe, ſequentia demonſtrant. Vitalem quidem, tum repentini illi influxus, qui ad caloris diffuſionem in ſingula membra fiunt. Tum ſubiti illi motus, qui in variis animi pathematibus, & foras intrò & intrò foras, multiplici reciprocatione fieri aduertuntur. Animalem etiam eſſe admittendum conuincunt primò expeditum illud membrorum ad motum obſequium. Tum illa totius penè inſtantanea cum quacumque parte dolente ſympathia.

Necnon externarum & internarum ſenſationum ſubordinatio, quarum actus ſe quàm celerrimè conſequuntur. Ac demùm, manifeſtus ille celérque tranſcurſus, ab oculo in oculum factus:

a Com. 2 in lib. de par. parua

b In fine lib. de generat. animal.

c Lib. 5 de ſimpl. medic. facult. cap. 9.

d Lib. 14 methodi. cap. 5.

e Valeſ lib. 2. cont. cap. 16.

f Fuchſius lib. 1 inſtit. ſect. 8 cap. 2.

g Cap. 9.

qui vno clauso, alterius vueam plus solito distendens eiusdem pupillam euidenter dilatat. Non per arterias effusus, vt placuit Argenterio: quum arteriarum ad vtrumque oculum pertingentium concursus, inde quàm longissimè distat; opticorum autem vnio quæ per chyasmum fit oculos penè attingit. Animalem verò alium esse à vitali probat ventriculorum in corde & cerebro disparitas. Qui cùm in corde, ad calidi influentis & vitalis generationem effecti concedantur: In cerebro non in alios fines, cum plexu illo choroide, & foraminibus ad nares pertuiis, effotmati intelliguntur: quàm vt ex arteriosi sanguinis vapore, & aëre sursum inspirato, spiritus animales generentur. Præterea longè expeditior est motus, tenuiórque substantia spirituum facultati animali inseruientium, quàm vitali famulantium: ita vt amborum eamdem esse naturam, nullus possit, re excussa affirmare. Tandem, Galenus [h] expertum se profitetur, ligatis arteriis carotidibus, per diem integrum animal motu & sensu integro perdurasse. Quare cùm ita spirituum vitalium transcensus ad cerebrum interciperetur, oportebat alterius conditionis spiritus à cerebro influere, qui ad motum & sensum animalis inseruirent. Spiritus autem ille naturalis semini complantatus, qui non homini iam genito, sed semini inest, & perfectæ embrij conformatione, insensibiliter dissipatur: non est his spiritibus de quibus hic tractamus annumerandus.

Anteriores cerebri ventriculos in homine perforatos esse qui negant, sunt parùm exacti conformationis humanæ inquisitores.

h Lib. 8. de decretis. & 6. lib. de vtilit. resp. cap. 5. & lib de vsu puls. cap. 2.

Demùm nullum naturalem spiritum influentem debere admitti, ex eo probamus. Primùm quòd cùm spiritus influentes in eum finem geniti esse intelligantur, vt id singulis membris subministrent quod à principe primariæ facultatis organo ad operandum transfundi oportet: nihil autem ab hepate in cæteras nostri corporis partes effundi necessum sit, præter alimentum, quod veluti ex communi fonte per multiplices riuos in singula membra deriuandum est: nullius spiritûs ope, ad hoc natura indigeat. Nihil quidem ab hepate præter alimentum, in cæteras partes debere transmitti, id indicat: quòd quibusque membris insitum sit, proptij temperamenti vi appositum alimentum conuenienti alteratione sibi assimilare & in suam substantiam conuertere, atque ideò se nutrire & alere. Vnde Galenus naturalē vim omni ætati familiarem, & vegetationis authorem singulis membris insitam esse docuit, [i] cui etiam assentitur Auicenna. [k] Ad alimenti verò distributionem nullus præter ea spirituum ab hepate influxus requiritur, quorū ope illud in partes alendas impellatur: cùm vis membrorum attractrix, & venarum facultas expultrix, ad id exequendum abundè sufficiant. Nec demùm fixos membrorum spiritus, ab influente ad operandum excitari oportet. Illi enim cum reliqua membrorum substantia, alimentati succo præsente, citra aliam omnem excitationem, in cæterarum rerum naturalium morem, veut in obiectam materiam agunt quantùm possunt. Præterea ad spirituum generationem & conuersionem crassioris materiæ in tenuiorem substantiam: conueniens locus & sinuum quædam excauatio requiritur: vt illi sua amplitudine, quod coctione attenuandum & rarefaciendum est, debitè contineant. Sed in iecore nulli sunt ventriculi, nec manifestæ cauitates vllæ, quales in cerebro & corde efformatas esse docet anatome & αὐτοψία. Neque obstat Clarissimum Laurentium [l] respondere, spiritum naturalem ὑφιλώδη, & caliginosum, ad fugacem partium singularum calorem excitar dum inseruire: qui nullos requirat sinus vbi generatur, quòd paucus sentim, neque vt alij, multus & affatim in reliquum corpus transfundatur. Etenim qualiscumque ille esse dicatur, perperam ideò introducitur, quòd nullus illius sit vsus. Ad calorem enim partium actu non potentiâ membris viuentibus inexistentem fouendum, aut vt loquitur excitandum: non alio spiritu est opus, quàm vitali: qui per arterias in singula membra in prædictum vsum diffunditur. Quantuluscumque autem ille foret qui in hepate generaretur: cum ex attennato sanguine, & illi permixto aëre fieri admittatur: vt sanguinis ea fieret attenuatio, vtque cum aere permisceretur, sinu aliquo esset opus, in quo excoctus spiritus, inde in membra deriuaretur. At tantùm abest, talem aliquem in iecore sinum aduerti: quin potiùs & venam portam, in capillares ramos intra hepatis sinum diuaricati: & cauam, per eiusdem gibbum in tenuissimas radices dispergi conspicimus: quò illæ quidem, chylum in parenchyma pro minima effundant: hæ verò, sanguinem à propria iecoris substantia abundè elaboratum, ad minima vsque exsugant, & in communem caudicem transferant.

i Lib. artis med. cap. 9. lib. 3. de comp. med. sec. loc. cap. 7. lib. 3. de nat facul. cap. 8 & lib 2. de loc. aff. cap. 7.

k Lib. 1. fen 1 doct 3. cap. 1.

l Lib. 6. suæ Anat. q. 22.

Tandem verò, vt quæ asserta sunt, ab omni controuersia liberentur Argenterij rationibus principio capitis allatis, satisfaciendum est. Quare ad primam dicimus libro præcedenti à nobis fuisse explicatum, spiritum quidem à corde influentem, idem esse cum innato calido influente: sed vt calidum innatum multiplex esse diximus, ita spiritus varios esse affirmamus. Qui multiplici calido innato sic respondent, vt alij sint fixi, alij influentes. Verùm spiritus influentes, plures esse asserimus quorum qui à corde influit, apud Galenum & nos ab innato calido influente nihil differt à quo tamen plurimùm distat qui à cerebro transfunditur & animalis appellatur.

Ad secundam respondeo actiones nostri corporis diuersas, eas tamen quæ sub vno primario genere continentur, communis instrumenti operâ perfici, vt libro de flatibus [m] probatum est: alias

m Cap. 3.

verò

verò quæ à diuerſi gradûs facultatibus emanant, per diuerſa inſtrumenta commodiùs abſolui. Neque illa, in exequendis ſuis functionibus, ſe vel minimùm perturbare; cùm ſingula ſuos habeant canales & ductus, per quos in ſingulas corporis partes deriuantur. Præterea id in quo facultates communicare oportet, non eſt inſtrumenti vnitas: ſed principalis agentis identitas, & par finis. Illæ enim mutuas ſibi operas præſtando, ad viuentis tuitionem miro conſenſu conſpirant. Neque nobis aduerſatur Ariſtoteles, cum quo fatemur, ſingulas ſpiritûs differentias, multiplicem vſum viuentibus præſtare, in modum artificialium inſtrumentorum: ſed præterea vt Faber non ſolo malleo & incude vtitur, ſic natura pluribus etiam inſtrumentis vſa, ſingula in varios vſus conuertit. Ad tertiam licèt vnum ſit alimentum, quod multiplicem alterationem ſubiens, ad varias partes alendas eſt vtile: non tamen licet inde inferre, vnum ſpiritum poſſe ſufficere tam differentibus vſibus quibus animales vitaléſque ſpiritus ſatisfaciunt. [n] Ad quartam demum, dico ſpiritum membris infixum genere quidem vnum eſſe, ſed ad ſingularum partium differentiam maximè euariari: vti præcedenti libro [o] fuit explicatum. Quod licèt vnum omninò eſſe concederemus, quòd ab vnius etiam rationis influente foueretur: non tamen ſpiritus, tam à cerebro, quàm à corde per diuerſos ductus influẽtes, & in vſus admodũ differẽtes deſtinatos, inter ſe minimè differre ſequeretur.

m Cap. 3.

n Cap. 5.

o Cap. 7.

Num ſpiritus influentes ſint animati & luminoſi.

Caput III.

TANTA fuit apud antiquiores, animæ humanæ, & eorum quæ ad illam pertinent ignoratio: vt plurimi quidem, ſpiritus calorem in nobis fouentes, animam eſſe exiſtimarent, quemadmodum præcedenti libro annotauimus; alij verò eoſdem primum animæ inſtrumentum dixerint, vt frequenter apud Galenum legimus. Quos præterea recentiores nonnulli, animæ, facultatúmque vectores eſſe profitentur: atque eoſdem animatos exiſtimarunt. Quam ſententiam Scaliger [a] his argumentis confirmat. Spiritus inquit, ſunt animæ corpus mouentis inſtrumentum, atque ideò medium inter mouens & motum. Sed inter animam informantem, & corpus informatum, nihil poteſt eſſe medium quod non ſit informatum, & animatum. Quare ſpiritus ſunt animati. Præterea, membra ab ſpiritibus mouentur: ſed principium quod membra viuentia mouet, eiſdem internum eſt, & quod internum eſt alicui, eiuſdem eſt pars. Quapropter ſpiritus partes eſſe membrorũ viuentium, ſimúlque animatos eſſe ſequetur. Verùm placere nobis non poteſt horum ſententia: qui naturam vſúſque ſpirituum minùs intellexiſſe videntur. Etenim quamuis impropriè, & latè aliquando ea omnia partes alicuius eſſe dicantur, quæ ad eius conſeruationem aut operationem iuuandam faciunt: tamen propriè partes illæ appellantur, quæ toti cohærentes communi formá informantur, & integrantes appellantur. Sic Fernelius [b] cum plurima habeat humanum corpus, contineátque, ſine quibus neque diu neque conuenienter conſeruari poteſt: non omnibus tamen ex æquo partis appellatio attribui poteſt. Pars enim, eſt corpus toti cohærens, communíque vita coniunctum, & ad illius functionem vſúmve comparatum. Spiritus autem, ſeu à cerebro, ſeu à corde in corpus reliquum influentes, nulli cohærentes membro, ſemper vagi, perpetuò mobiles, perennique effluuio diſſoluti, & continuatâ generatione reparati: nec partes noſtri corporis cenſeri poſſunt, nec animati. Licèt enim magna ſit membrorum diuerſitas, omnia tamen ſibi inuicem cohærent, & ſingula ſui ſitûs firmitatem obſeruant. Ipſaque triplicis ſubſtantiæ in ſingulis permixtio, conſtans eſt. Et diſſolutio quæ illis aduenit, ex mutuo inter illas conflictu emergit: non autem ex perenni effuſione, tanquam præterfluentis ſubſtantiæ naſcitur. Quare, vti nec riuum à proximo fonte deriuatum, & fundum aliquem præterfluentem, fundi partem appellamus. Nec ventum per apertam domum diſcurrentem, domûs partem eſſe dicimus; ita neque ſpiritus per corpus vagantes, corporis partes appellare licebit. Scaliger his non mouetur, & quòd ſpiritus per corpus diſcurrant, non ſufficere ait, vt partis nomen illis denegetur: cùm ſanguis in venis inquit, ſit pars brachij viuentis. Sed fallitur: non enim alendi membri alimentum, eiuſdem eſt pars. Neque id quod mox in alterius ſubſtãtiam eſt conuertendum, eiuſdem eſt portio, cùm nondum conuerſum eſt. Ac demùm vt eiuſdem Scaligeri argumenta nobis aduerſantia ſoluamus. Ad prioris quidem maiorem dicimus; ſpiritus, non eſſe proxima inſtrumenta per quæ anima animalis membra moueat: ſed facultatem ſingulis membris inſitam, proximè illa mouere. neque enim ſpiritus, vt Galeno placere videtur, [c] neruos mouent, nerui muſculos, ac demùm muſculi ipſa membra.

a Exerc. 280. num. 2.

b Lib. 2. phyſi. cap. 2.

c Lib. de plac. cap. 1.

Quin potiùs facultas membris inſita, ſibi communicato appetitûs imperio, per ſpiritus qui à cere-

bro in ſingula membra per neruos influunt,muſculos voluntario motui exercendo deputatos mouet,& per hos membra,vt infra fuſius explicabimus. Cùm interim ſpiritus, membrorum motum, nec principali,nec inſtrumentali efficientiâ attingant: ſed tantùm delatores ſint conditionis, ſine qua,partes moueri non contingit. Prætetea minorem ſub præciſis illis vocibus conceptam falſam eſſe aſſerimus: quod facultas,quæ animæ operantis nullo negante eſt inſtrumentum,cùm media ſit inter animam & membrum animatum,minimè tamen animetur; ſed organo animato inhæreat. Ad ſecundum,negamus mêbra ab ſpiritibus moueri,eóſque vt diximus eſſe tantùm delatores imperij: principium autem quod primò membra viuentia mouet,concedimus eſſe intrinſecum illis; atque id eſſe animam,quæ omnium functionum & facultatum viuentis eſt radix.

Quod ad ſecundam verò huius capitis partem ſpectat,neotericorum plurimi, cum Galeno [d] ſpiritus præſertímque animales lucidos eſſe tuentur. Quòd cùm nulla ſit ſpirituum animalium diuerſitas,& qui ad oculos feruntur innatum habeant lumen: cæteros etiam lucidos eſſe oportere. Minorem probant,quia non ſolùm feles noctu vident,eorúmque oculi lucent: ſed prætetea, homines varij,in tenebris mox vbi expergiſcuntur,circumſtantia,lumine quod cum viſuali ſpiritu effundunt, illuſtrata, contuentur. Vt de Tiberio ſcripſit Plinius, [e] de quibuſdam aliis Galenus, [f] & de ſeipſo refert Cardanus. [g] Diuus item Auguſtinus authore Ficino, [h] ſi quempiam acriùs intueretur, eum quaſi ad ſolis ſplendorem vultum demittere cogebat: vti de Mario apud Plutarchum [i] notatum aduertimus. Adde preſſum & confricatum oculum emittere fulgorem vt experientiâ probatur,& apud Ariſtotelem [k] habetur.

Tandem Ioannes Letaud eruditus Pharmacopola qui Saloni petreæ commoratur, mihi teſtatus eſt ſe ante aliquot annos per alterum menſem ſingulis noctibus talem paſſum eſſe affectum, vt ab hora penè vndecima ad primam poſt mediam noctem aut circiter,citiùs aliquando aliâs tardiùs lumen ex propriis oculis effunderet,à quo totum cubiculum ita illuminaretur,vt ipſe quæcumque in cubiculo continerentur liberè poſſet intueri. Quo caſu principio perterritus; cùm præceps ad lectum confugeret & ſe totum ſub ſtragulis occultaret: non ſolum ibi eodem lumine proprium corpus & lintea illuſtrata aduertebat; ſed aliquando libros ſecum etiam includens, illos legebat. Atque id tum euidentiùs & in longius tempus patiebatur, cùm in latus ſiniſtrum lienem comprimendo decumberet,minùs verò quando in dextrum.

Quibus non obſtantibus licet ſpiritus præſertímque animales tenuiſſimos eſſe profiteamur eoſdem tamen lucidos eſſe negamus. Quod vt faciliùs intelligatur.

Sciendum eſt lucem ſic à lumine diſtingui ex opticorum doctrina & Aponenſi [l] vt lux quidem, quæ à Græcis φῶς appellatur,ſit ea qualitas quæ in corpore opaco & viſum terminante eſt actu, illud lucidum reddens,atque eidem vim alia à ſe illuminandi tribuens. Lumen verò cui apud Græcos τῆς αὐγῆς nomen eſt, ſit conſimilis naturæ qualitas, quatenus non quidem lucido corpori adhæret ſed à lucido deriuata in perſpicuum & diaphanum corpus propagatur. Quod ſi à læui & polito opaco aliquo corpore reflectatur ſplendor nuncupatur. Ita lucete intelliguntur aſtra, ignis hic noſter,& alia quæ lumen ex ſe effundunt: vt piſcium quorumdam capita,ſquâmæ, & ſpinæ, cicindelæ, putria quædam ligna,& ſimilia; vt apud Ariſtotelem legimus, [m] Cardanum [n] atque alios. Illuminari autem dicuntur æther,aër,aqua,vitrum & ſimilia. Ac demum ſplendent gemmæ,ferrum, marmorque politum. Quo ſuppoſito; cùm ſpiritus non ſint opaci, ſed ita diaphani & tantæ tenuitaris vt viſum terminare non poſſint: nulla eſt ratio quæ illos lucidos cenſendos eſſe nobis perſuadeat. Quare Aquilonium demiror qui cùm propoſitione trigeſima prima libri primi opticorum nihil lucidum eſſe tuetur, quod non ſit opacum, dicátque lucidum & coloratum cum opaco reciprocari; dixerit tamen propoſitione vndecima eiuſdem libri, ſpiritus animales, quorum nulla concipi opacitas poteſt,lucidos eſſe. Sed neque eoſdem luminoſos dicere poſſumus, quòd oporteret illos in ea cerebri parte generari,quæ cùm foret lucida,in ſpiritus lumen effunderet. At nullam poſſumus talem ſubſtantiam aſſignare, ſeu ad cerebri medullam connertamur,ſeu ad membranas aut quidquam aliud intra caluariam concluſum. Prætetea cùm natura nihil fruſtra operetur; inſitum illud ſpiritibus lumen,nulli eſſet vſui:quod neque auditui, olfactui, guſtui, vel tactui; neque mouendis partibus inſeruiret. Quòd ſi internorum ſenſuum ſpecies & phantaſmata illuſtrari dicantur id per metaphoram dictum cenſendum eſt. Cùm neque ab intellectu materiale lumen emanare,neque in phantaſia aut eius elicitis actibus & expreſſis imaginibus recipi poſſe concipiatur. Sed vrget allata ratio multis experimentis comprobans ſpiritus oculo famulantes lucidos aut ſaltem luminoſos eſſe. Ad quam dicimus,etſi ſpiritus animales inter ſe naturâ minimè differant,ſed vnius eiuſdémque rationis,à communi ſonte tum per cerebri ſubſtantiam tum in ſenſiteria omnia diffundantur: poſſe tamen illos cum diaphani ſint in particulari aliquo organo denſari, & fieri luminoſos lumine ab aliquo corpore lucido in illos deriuato.

d Lib. 16. de vſu part. cap. 3. lib. 7. de decret. cap. 4. & 7. necnon lib. 1. progn. com. tex. 23.
e Lib. 11. cap 37.
f Cit. lib. 7. de decretis cap. 4.
g Lib. 8. de rerum var. cap. 43.
h Comm. in conui. Plat. orat. 7 cap. 4
i In vita Marij
k Lib. de ſenſu & ſenſi. cap. 24
l Comm. in probl. 33. ſect 11.
m Cit. lib. de ſenſu & ſenſili cap. 2.
n Lib. de rerum variet. cap. 63.

Namque licèt spiritus animales neque lucidi sint nec luminosi in proprio fonte, vt probatum est. Tamen nihil impedit,eosdem in sensiteriorium aliquo luminosos reddi: cùm illos ad talis sensûs vsum huiusmodi esse oporteat. Quare fateor spiritus visuales in oculo luminosos esse atque eos plus aut minùs luminis habere in diuersis: pro cuiusque calidiore cerebri temperatura, & tunicarum oculi densitate. Quod quæ in principio allata sunt satis comprobant: & idipsum asserrum ab Aristorele legimus, [o] sæpiúsque à Galeno [p] affirmatum, à Thoma de Garbo, [q] Casseriòque [r] comprobatum. Sed lumen illud ab oculo accipiunt, quem intra se lucidum esse censeo; & particulari experimento confirmauit Clarissimus Fabricius ab Aquapendente. [*] Seu humor ipse crystallinus lucem illam habeat vt videtur placere Pergameno, [f] quod minùs probatur, cùm organum cuiusque sensûs nullâ proprij obiecti differentiâ informatum esse oporteat, vt ad omnes illius varietates percipiendas sit accommodatum. Seu quod magìs placet, vueæ tunicæ superficies concaua, fusco, cœruleo, & viridi colore miro ornatu variegata, luceat: quemadmodum versicolores aliquot piscium squamas, & cicindelas, pari ferè modo variegatas, noctu lucere experimur. Ipsúmque etiam nigrum sæpiæ succum lucere apud Stagiritam legimus. [t] Neque lentus ille multicolor humor qui intimæ vueæ tunicæ superficiei adhæret, lucis incapax à quoquam existimabitur: qui præter ea quæ relata sunt, sequentia ex Plinio [u] excepta aduertetit. Concharum è genere dactyli sunt, inquit, ab humanorum vnguium similitudine appellati his natura, in tenebris fulgore clarere quanto magìs humorem habeant, lucere in ore mandentium, lucere in manibus, atque etiam in solo ac veste, decidentibus guttis: vt procul dubiò pateat succi illam naturam esse, quam miremur in corpore. Hoc autem oculi lumen Cantuarensis, [x] naturali suâ radiositate, vt loquitur, visui conferre cum ratione affirmauit. Vti enim species non possunt à rebus coloratis effundi, nisi interueniat lumen: ita eædem probabiliter, nequeunt in organo visiuæ facultatis, vti neque in polito corpore imprimi; quin illud quodammodo illumínetur. Quod ex eo verum esse experimur; quòd cùm parua pruna in tenebricoso loco posita, ad tantam distantiam possit apparere in speculo, ad quantam illa potest tantillum luminis effundere: à loco tamen distantiore in quo nequit. In speculo repræsentari, discerni adhuc ab intuente possit: quòd species ad maiorem distantiam propagata quàm effundi lumen possit, in speculo quidem nullatenus illuminato repræsentari nequeat, oculo tamen lumen innatum habente imprimatur.

o Cit. lib. de sensu & sensil. p Locis supra citatis en d. q In summa med. quæst. 14 r Lib. de ocul. fabrica fecit. 1. cap. 41. * Lib. de visione parte 3. cap. 6. pag. 90 f Lib. 10 de vsu part. c. 1. t Iam sæpius cit. lib. de sensu & sensil. cap. 2. u Lib. 9. cap. 61. x Lib. 1. com. perspectiua propos. 46.

Verùm vt quæ à nobis asseruntur vera esse euidentiùs constet: his quæ obijci in contrarium possunt respõdeamus. Ac primùm probare conantur aliqui nullo lumine ad speciei receptionem opus esse, ex eo quòd cum species per medium non illuminatum diffundatur, eandem in organo non illuminato similiter recipi posse sequatur. Ad quod respondemus, magnam esse disparitatem. In organo enim & in speculo sic recipi debet vt queat videri: per medium autem eam effundi sufficit, non videri: vtque ad speciei effusionem medij διαφανία sufficit: ita quò visioni causandæ inseruiat eamdem illuminari est opus. Secundò Auerrhoi, [y] nullum in oculis innatum esse lumen probanti: tum quòd lucidus non possit videre lucem, tum quòd noctu videret, ac demùm quòd ipsum eius lumen videretur: Respondeo remissum admodum esse huiusmodi lumen, quod non impediat oculum aliud videre suo intensius. Illud verò non sufficere ad videndum noctu dicimus, quòd non possit obiecta illuminare, vt species sui effundant in oculum: prætetquam in his quorum intensius est lumen, vt in felibus, Tiberio, Cardano, Leraudo & aliis. Atque horum etiam lumen se extra diffundens, videri admittimus: vt de Diuo Augustino, & Mario relatum fuit. Atque id præsertim, si angustos radios contractum intendatur: vti felibus aduenit. Qui cùm ocalem suam pupillam mobilem habeant: dum eam contrahunt, eorumdem oculi ardentiùs fulgent. Quod verò Leraudo Pharmacopolæ accidit, particulari exercitatione inquiri, & explicari meretur.

y Lib. 7. colliget cap. 18.

Ex quibus & quomodo spiritus generentur.

CAPVT IV.

TRES spirituum differentias constituimus: fixum vnum, & duos influentes: vitalem scilicet, & animalem. Fixi naturam & generationis modum apertè satis præcedenti libro explicuimus quando calidi innati fixi naturam & generationis modum expressimus. Duo enim hæc nihil ab inuicem differunt, sed vnum atque idem, duplici eâ denominatione significatur.

Vitalis immediatè ex sanguine & aëre fit. Quod licèt plurimis diligentissimis tam Philosophis quàm Medicis vt ait Galenus, [a] minimè placeat: à quibus totus aër qui respirando admittitur, foras etiam remitti dicitur: & cor non aëris substantiam exposcere, sed frigiditatem solummodo qua recreatur desiderare. Imò Pergamenus ipse [b] dum asserit aërem inspitatum nobis magìs ob

a Lib. an sanguis in art. naturâ continea tur cõ. b Lib. de vsu resp. cap. 5.

infitam qualitatem vtilem esse,quàm suâ substantiâ prodesse: & minimùm eius substantiæ in arterias transsumi probare contendit, eisdem consentire videtur quod tamen à nobis assertum est, eiusdem Galeni authoritate, [c] cum ratione ex anatomia petita, quæ ad spirituum vitalium in sinistro cordis ventriculo generationem aërem concurrere demonstrat, verum esse comprobamus. Vtque res meliùs explicetur,totam generationis spirituum vitalium rationem aperiamus.

[c] Lib. 9. de decret. Hipp. & Pla. & 12. meth. cap. 5.

Sanguis qui dextrum cordis ventriculum ex vena caua ascendente ostio patentissimo cordi adnata ingreditur,eiusdem visceris calore excoctus,partim per venam arteriosam in pulmones ad eos alendos transmittitur, partim per medium cordis septum in sinistrum ventrem per anfractuosos meatus transcolatur. Quò per venam arteriosam foras intro patentem, aer per pulmones attractus etiam ingreditur. Cùmque eò libet quidem ingressus aeri pateat,sed parciùs eidem regredi concedatur,duabus valuulis intro foras clausis spatium illud penè occludentibus: constare arbitror naturam eam sic ordinasse conformationem,quò substantiæ in prædictum ventriculum eâ viâ ingredientis,minus egrederetur quàm fuisset ingressum. Imò cùm eâdem viâ,fuligines,quas ab excocto sanguine, genitisque in eo cordis sinu spiritibus exhalare necessum est, expurgari conueniat: plus aeris cor ingredi quàm postmodum regrediatur, euidenti ratiocinatione infertur. Cùmque aeris substantia in sinistrum cordis ventrem ingressa, ibidem in minimè inutilem naturæ vsum infumatur:neque alteri vtilitati inseruire posse iudicetur, quàm vt in spirituum vitalium generationem cedat: manifestum est ex attenuato sanguine, & ab admixta aeris substantiâ vlteriùs rarefacto,tenuem eam substantiam vi cordi insitâ generari,quæ à prædicto sinistro cordis sinu in corpus vniuersum per arterias inde ortas diffunditur, & vitalis spiritus appellatur. Quæ docere volens Hippocrates, [d] principium alimenti spiritûs, inquit,os,nares,guttur, pulmo, & alia respiratio. Eadémque confirmans Pergamenus, [e] talem generari ait insitum nobis spiritum, qualis sit nos ambientis status:ita vt in nebuloso aere,nebulosi etiam spiritus generentur.

[d] Lib. de alt.
[e] Comm. 1. in 1. epid. com.tex.8.

Verùm qualis demùm ea est spiritûs vitalis substantia. Num forsan sanguis est arteriosus: an potiùs tenuior quædam substantia,quæ simul cum sanguine feratur per arterias. Quarum sententiarum licèt vtramque probabilem esse existimem. Primò quòd nihil præter flauum illum sanguinem saliendo fluentem in arteriis contineri aduertamus,nihilque aliud ab arteria puncta aut secta manare deprehendatur. Secundò quòd sanguis ille ad omnes vsus sufficiat, ad quos spiritus vitales genitos esse dicemus: seu ad calorem per vniuersum corpus diffundendum illos expetamus, seu etiam celerem in illis motum requiramus, qualem in variis animi pathematibus fieri experimur. Huius enim sanguinis is est calor,ea tenuitas,& tam facilis motus per arteriarum ductus nunquam concidentes: vt vtrique vsui facillimè satisfaciat. Ac demùm quòd nulla sit alia in corde canitas in qua quidquam elaboretur quod ab arterioso sanguine distinctum spiritus posset appellari. Tamen posterior sententia,quia communior est:nec sufficienter potest impugnari, nihil probabilior esse videtur. Atque ex eo præsertim,quòd per quascunque immoderatas vasorum, abdominis, aut vomicarum vacuationes, etiam citra sanguinis arteriosi euidentem eductionem, vim vitalem imbecillem reddi, pulsum paruum languidúmque euadere per spirituum exolutionem experiamur. Neque difficilè concipitur ex vapore sanguinis plurimùm in corde attenuati, & aere, debita coctione commixtis spiritus vitales generari: qui reliquo sanguini attenuato confusi faciliùs per arterias in singula membra vehantur & difficiliùs exoluantur. Demùm ad omnes vsus in quos vitales spiritus destinantur,vaporosi hi commodiùs inseruiunt: & cum arterioso sanguine mixti, faciliùs membris hærere intelliguntur, vt spiritûs membris infixi conueniens pabulum vlteriore excoctione euadat.

Spiritus verò animalis commune facultatum animalium organicarum instrumentum, longè maiori arte in cerebro, ex spiritu sanguineo præsertim arterioso, & aere per nares inspirato, generatur.

Quod licèt Galeno [f] placere non videatur, qui cùm admittat ex inspiratione per nares potissimam alimenti partem animali spiritui accedere: se expertum tamen profitetur, arteriis circa collum laqueo constrictis, nullum per integrum diem respirationis aut motûs impedimentum animali euenisse. Atque ideò intercepto spiritûs vitalis & arteriosi sanguinis in cerebrum transcursu, apparuisse spiritus animales pro sua nutritione (seu meliùs generatione) sanguine arterioso non indigere. Nihilominus tamen admirandi illi arteriarum plexus in cerebro efformati, ad nihil aliud vtiles quàm ad vlteriùs attenuandam & excoquendam materiam quam continent: facilè conuincunt,sanguinem arteriolis illis contentum portionem esse materiæ ex qua spiritus animales generantur.

[f] Lib. de vtil. resp. cat. cap. 5

Aerem verò per nares inspiratum, aliam esse conuenientis eorumdem spirituum materiæ portionem: præter Galeni authoritatem, id indicat quòd exhalationes omnes tenues & suaue olen-

tes,

tes,ſpiritus animales exhauſtos promptiſſimè reparent. Deinde quòd pro aëris conſtitutione auſtrina, vel aquilonia; maiorem in ſpiritibus animalibus mutationem fieri, quàm in quacumque alia noſtri corporis ſubſtantia,experientiâ comprobetur. Atque id quidem ex eo,quòd actiones animalium facultatum quarum ſingulis prædicti ſpiritus famulantur,per has conſtitutiones, præ cæteris perfectiores aut deteriores reddantur. Quod præter vulgarem experientiam ab Hippocrate [g] diſcimus, eùm auſtri inquit, auditum hebetant, caliginem induunt, caput grauant, pigros & languidos reddunt. At contra aquiloniâ conſtitutione vigente,in prædictis omnibus nos expeditiores eſſe probamus. Demùm tanta eſt horum ſpirituum tenuitas omnem ſenſum fugiens; vt vix citra aëris (cuius inter ea quæ nobis ſunt familiaria tenuiſſima ſubſtantia eſt) permixtionem, ad tantam tenuitatem vi remiſſi caloris cerebri peruenire poſſe concipiantur.

Vtque ad ſpirituum animalium generationem vtriuſque materiæ concurſum fieri apertiùs intelligamus, modum quo eorum fit generatio explicemus. Vbi arteriæ carotides ſurſum ad caluariam aſcendentes ad cerebri baſim peruenerunt, & oſſis ſphenoidis ſeu cuneiformis quadratum illum apophyſeos clinoidis ſinum in cuius medio glandula pituitaria collocatur ſuperarunt: inter os craſſámque menyngem in plures tenuéſque arteriolas ſingulæ diuiduntur. Quæ multiplici inter ſe complexu & vt cum Galeno [h] docuit Fallopius,[i] nullis immixtis venarum ramulis rete quoddam efformant, admirabile à Galeno [k] vocatum. Quod in recens extinctis cadaueribus curioſè perquiſitum, (contra quàm Columbo, æquè ac Veſalio placuit) manifeſtè cernitur: quamuis in homine vt rectè aduertit Laurentius,[l] minus ſit quàm in aliis animalibus. In quo minutularum arteriolarum complexu, videtur natura, aut vitalem ſpiritum nouâ coctione attenuando in ſpiritum animalem præparare: aut pro caloris fomento, infundibulo, & glandi pituitariæ perenniter impertiri, ad commodam excrementorum eâ viâ permeantium fuſionem procurandam. Exinde verò omnibus arteriolis prædicti retis quaſi ex multis radicibus in ſingularem hinc inde truncum coaleſcentibus ea arteriarum coniugatio efformatur, quæ per craſſa menyngis foramina ſe in cerebrum inſinuans, breui via ad anteriorum ſuperiorúmque ventriculorum baſim peruenit. Vbi multiplici ſobole diſciſa; & ibidem occurrente arteriæ ceruicalis pari: [m] móxque etiam, vtriſque conſociatâ earum venarum propagine quæ ex quarto craſſioris cerebri membranæ ſinu eò exporrigitur:[n] mirâ capillamentorum eorum omnium vaſorum per varias anaſtomoſes coëuntium textura, intra tenuioris membranæ reduplicationem per ventriculorum cauitatem effuſam, plexus choroides efformatur. In quo, vtriuſque ſanguinis & ſpirituum vitalium ſubſtantia; à cerebri innato calore & eiuſdem perenni motu ita excoquitur, vt in tenuiſſimam ſubſtantiam abeat humanos ſenſus effugientem. Quæ poſtmodum ab eo plexu (quem verè reticularem cum Columbo,[o] Laurentius,[p] cenſuit appellandum) quaſi exudans in eorumdem ventriculorum cauitatem effunditur. In quâ; aëri per nares inter reſpirandum attracto permiſcetur, & perfectâ coctione ibidem in ſpiritum animalem tranſit. Aëri autem eò patet ingreſſus,non per mammillares proceſſus olfactûs organa: ſed per duo illa euidentia foramina, quæ ab anteriore prædictorum ventriculorum cuſpide ad cribroſa oſſa vergentia euidenter in homine conſpiciuntur, non in pleriſque aliis animalibus,quæ tantâ ſpirituum animalium tenuitate non indigebant. Plexum autem choroidem ex arteriarum venarúmque multiplici complexu efformari non ſolùm à Galeno,[q] Veſalio,[r] & Laurentio;[ſ] aſſertum legimus: ſed præterea idipſum cadauerum artificioſè diſſectorum inſpectio confirmat. Vnde nihil mirum ſi arteriis carotidibus animali à Galeno ligatis; per integrum diem animales actiones integræ perſeuerarunt; quòd aliundè illi materia ſubueniret: quæ tamen ad longius tempus ſufficere non poſſet, nec homini per plures horas abſque functionum ſenſuum internorum & principum facultatum læſione.

Poſtquam verò ſpiritus animales illic fuere geniti, partim in ſubſtantiam cerebri effunduntur vt idem Galenus indicauit;[t] partim naturæ corpus noſtrum gubernantis regulari impulſu in poſtremum ventriculum ad ſpinalis medullæ principium excauatum tranſmittuntur. Quem ideò ipſe Pergamenus,[u] eſſe quaſi horreum & penu animæ dixit: quòd in illo ſpiritus maximè depurati colligantur, in deſtinatos vſus per neruos inde naſcentes diſpergendi. Vnde idem,[x] eo ventriculo vulnerato; inquit, animal ſtatim concidere, & motu omni ſenſúque deperdito de repentè interire. Quod eùm diſciſâ membranâ fieri crederet Eraſiſtratus: eumdem deceptum fuiſſe ex eo demonſtrat; quòd licet omnibus aliis in partibus membrana diſrumpatur, nihil tamen tale accidat; at id ſemper contingat, cùm poſtremus ille ventriculus aut vulneratur, aut denudatur.

Verùm in ea quæ afferta ſunt, recentiores aliqui varia obijciunt: contendentes ſpiritus animales in plexu choroide integrè abſolui, neque in ventriculorum cauitatem effundi; ſed inde per cerebri ſubſtantiam diſſeminari: Quod ſequentibus argumentis probare ſtudent.

Primò quod varij prædictorum plexuum rami ſubſtantiæ cerebri ſe inſinuare aduertantur: quod

g Lib 3. aph. 5.

h In fine libri de diſſ venar. & arteriar.
i In inſtitutionibus anatom.
k Lib. 9 de vſu part. c 4.
l Lib 10 q 1

m Columb. lib 7. Laurēt. lib. 10. q 7 & Bauhinus lib. 3. theat. cap. 15.
n Veſalius lib. 3. cap. 14.

o Cit. lib. 7.
p Cit lib. 10. q. 11.

q Lib. 9. administ anat. cap. 3. & lib. 7. de decr. Hipp & Platon. cap. 3.
r Cit. lib. 3. cap 14.
ſ Cit. lib. 10. hiſt. anat.
t Lib. 9. de vſu part c. 4.
u Lib 3. de loc aff. cap. 7.
x Cit. lib. 7. de placitis cap. 3.

noíos lumine ab aliquo corpore lucido in illos deriuato.
in nullum alium finem factum aiunt,quàm vt iam elaborati & perfecti spiritus in substantiam cerebri introducantur. Secundò alienum esse,inquiunt,à naturæ prouidentia tenuissimos illos spiritus, quos purissimos esse oportet,se excrementis tum vaporosis tum humorosis quibus prædicti ventriculi abundant immiscere,& ab eorum permixtione inquinari. Tertiò instant tenuissimam spirituum substantiam,in prædictis ventriculorum cauitatibus conseruari & contineri non posse: cùm vapores quorum substantia crassior est, per substantiam ipsam cerebri menynges & suturas non difficilè exhalent. Demum ventriculorum situs,aiunt,non patitur posse nos concipere spiritus à superioribus ventriculis in postremum & infimum per medium sub fornice constitutum transmitti: qui potiùs per patentia foramina iuxta ethmoidea ossa,& per infundibulum promptissimè effluerent.

Quibus cùm facillimum sit respondere,nihil est quod nos in hac quæstione à Galeni & communi Medicorum sententia distrahat: quam firmioribus multò argumentis comprobamus, quàm aduersarij suam. Ac primùm, quòd cùm natura consueuerit,rerum quas immutat substantiam ante præparare,quàm illam in id conuertat quod intendit: existimandum est eamdem in spiritibus animalibus effingendis,non aliâ viâ procedere. Ea cibos antè dentibus conterendos docet, quàm velit in chylum conuerti. Chylum quem in venis meseraïcis alterat, mox in sanguinem transmutat in hepate. Hunc in venis ante præparat,quàm in mammarum glandibus in lac dealbet. Sanguinem antè in dextro cordis sinu attenuat,quàm in spiritus vitales in sinistro conuertat. Et semen ante in varicosis parastatibus elaborat,quàm in testibus compleat. Quare æquum etiam est, vtriusque ordinis sanguinem ante alicubi permisceri,vt pat est alterari,& attenuari,quàm in spiritum animalem transeat. Quæ duo in eodem loco fieri ideò non possunt,quòd cùm vtriusque sanguinis crassa substantia, in tenuissimam & rarissimam conuerti debeat: antè capillaria plexûs choroidis vasa distemperentur, quàm spiritus suæ raritatis & tenuitatis complementum ibi acciperent. Confirmatur ex eo quòd natura vasorum diuersi generis plexus in alium finem nunquam effingat, quàm vt dispatis naturæ substantias,longâ per minima alteratione in vnam consimilem naturam transmutet. Ita in pampiniformi vasorum præparantium plexu, factum aduertimus: & pari fine, arteriarum, venarú mque ramos,in choroide plexu complicari indicamus. Vbi cùm spiritus animales præparentur:non alibi absolui possunt,& ad tantam raritatem peruenire,quàm in anteriorum ventriculorum cauitate.

Secundò copiosi vapores in cerebrum cum impetu elati,& spiritus in gyrum rotantes, vertigines inferunt: sed in minutulis illis plexuum vasis,aut in porositatibus substantiæ cerebri spiritus non possunt à prædictis vaporibus moueri in circulum ob locorum angustias: quare illos in ventriculorum potiùs cauitate,& libero ad omnem motum subeundum spatio,agitatos rotari veriùs admittemus.

y Lib. 5. cap. ult. Præterea vt ex alibi probatis [y] supponimus, in cerebro definitum aliquod est sensûs communis organum,ab imaginatiuæ facultatis organo,sede distinctum:à quo ad sensiteria omnia externa conuenientes ductus ferantur oportet,per quos & cerebrum in sensuum organa quod opus est influat,& per eosdem singulorum sensuum actus se communi sensui per species repræsentent. Ad quæ ambo cùm spiritus animales sint necessarij: ab eadem sede spiritus in organa sensuum distribui necessum erit,in qua communis sensûs organum constituetur. Sed non alibi meliùs hæc facultas collocata comprehenditur,quàm in ea medullari substantia quæ quartum & postremum cerebri ventriculum constituens,omnium neruorum tam motui quàm sensui deseruientium est origo: Quare & in eodem ventriculo spiritus animales colligi oportebit: vt inde in singula motûs & sensûs organa commodè distribuantur.

Quartò, in aduersariorum sententia difficillimum est, catoches, & catalepseos causas explicare; nec potest internorû sensuû subordinatio exponi;quæ tamen in nostra sententia optimè explicantur.

Quintò nisi in ventriculorum cerebri capacitate animales spiritus efformarentur; & propriâ substantiæ medullaris vi perficerentur,illud nullis ventriculis indigeret.

Etenim plexu choroïde vel solidam cerebri substantiam in aliorum vasorum morem peruadente; vel eodem ad cerebri basim in modum admirabilis retis Galeniei pertreptante: spiritus animales elaborati & perfici abundè poterant. Sic In varicosis parastatibus, seminalis materia citra manifestam vllam capacitatem elaboratur, ac secundùm aliquos perficitur. Sed neque illis ad excrementorum expurgationem opus esset: cùm meatus tantùm aliqui ad hoc sufficerent per quos sensim pituitosa excrementa,in peluim,& ossa ethmoïdea, per palatum & nares, expurganda ferrentur. Non aliter ac biliosa,in aures per latentes ductus lento motu transmittuntur.

Tandem cùm cauitates ad aliquorum excrementorum collectionem deputatæ, soleant pro sui finûs capacitate talia excrementa aliquandiu continere, & mox vel eorum quantitate grauatæ, vel eorumdem qualitate irritatæ eadem expellant: si natura, cerebri ventriculos ad excrementorum in eo genitorum collectionem, expurgationémque destinasset, iidem talem materiam in se citra no-

xam continere comperiuntur. Sed nunquam in dissectis corporibus pituitæ aut seri copia in cerebri ventriculis reperitur, quin grauissimus quispiam affectus præcesserit, à quo facultas animalis fuerit extincta.

Quare prædictos ventriculos in alium finem efformatos esse sequetur. Confirmatur ex eo quòd natura nullam cauitatem ad collectionem biliosi excrementi quod in aures expurgat, intra cerebrum effinxerit. Vnde constat, eamdem potuisse simili arte pituitam in ossa ethmoidea & peluim expellere.

Ad appositas autem rationes sic respondemus. Ad primam quidem dicimus, aliam esse rationem propter quam illi plexuum rami se in cerebri substantiam insinuent.

Nam cùm superiores ventriculi in longum producti, non rectà pergant; sed ab anteriore cerebri parte ad posteriorem sensim inclinentur, & deorsum tantillum progressi, ad anteriorem rursus reflectantur; & plexus choroides parem cum illis viam obseruet: vt animalis securitati prouideretur, ne dum per cerebri diastolem plexus extenditur, aliquâ ex parte tenuem menyngem intra cuius reduplicationem continetur diuelleret, vtqueea plexùs portio quæ deorsum ad inferiora reflectitur commodè suspenderetur: natura, paucos quosdam & raros artariarum ramulos, quasi fibras hinc inde per intermediam cerebri substantiam transmisit; qui per anastomosim inuicem coeuntes eumdem plexum cerebro firmiùs alligant.

Ad secundam respondeo naturam solere plerumque idem instrumentum pluribus vsibus accommodare: atque ideò potuisse, cerebri ventriculis vti & ad spiritus animales tum generandos, tum reseruandos, & ad excrementorum pituitosorum expurgationem. Sic per nares, & odores in processus mammillares feruntur, & mucus ab anterioribus ventriculis expurgatur. Per bronchias pulmonum aër inspiratur, fuligóque expellitur: & cùm infarctus aliquis adest, pituita etiam, & pus, atque alia excreantur. Sed in non miscendis his quæ per eamdem viam impermixta duci oportet, ita solers natura est, vt per easdem venas meseraicas, non confusis substantiis, & chylum ab intestinis ad hepar; & sanguinem ab hepate ad intestina transmittat.

Atque his quidem facillimè vtrumque natura exequitur. Spiritus enim sua leuitate in elatiore præsertim parte superiorum ventriculorum consistunt; & per medij fornicem, superiorémque tertij ventriculi canalem in quartum excrementis liberi feruntur: dum excrementa per inferiorem eorumdem ventriculorum sedem reptantia ad exitum properant. Et nè spiritus ad quartum ventriculum impuri penetrent: natura à superiore illo canali qui a tertio ventriculo, sub conario, inter paruas illas medullæ cerebri eminentias quas testes vocant, ad quartum, per anum, inter grandiores eas extuberantias quas nates appellant producitur: ad canalem inferiorem à quarto ventriculo ad tertij decliuiorem partem excauatum, per quem se postremus ventriculus ab excrementis expurgat; canaliculum aliquantulum inclinatum nec integrè perpendicularem, à superiore ductu in inferiorem efformauit, per quem si quid excrementitij in superiorem canalem cum spiritibus sit ingressum, in inferiorem atque inde in peluim illabatur.

Ad tertiam dico naturam cognata & familiaria retinere, peregrina verò & noxia quàm citissimè potest, expellere. Neque in aduersariorum sententia minor est quàm in nostra hac in parte difficultas. Vapores enim cerebri substantiam peruadentes, spiritus etiam per eam effusos, ad facultatum ministerium contineri non posse conuincerent, nisi particularis naturæ prouidentiâ spiritus quidem sibi in famulatum asseruaret, vapores autem inutiles elabi pateretur.

Ad postremam respondeo, spiritus quia leues sunt per depressos illos meatus per quos excrementa purgantur non effugere: sed sub camerato ventriculorum repentes, in libera cauitate superiora petere. Rectà autem & sine errore in posteriorem ventriculum ferri; tum quòd priores à succedentibus semper impellantur, patente qua eundum est viâ; tum quòd à natura rectrice ducantur, neo fortuitò, sed statutâ lege, & pro animæ arbitrio ferantur.



IN

In quos vsus spiritus in nobis destinentur.

CAPVT V.

SPIRITVS membris insixi, & qui vt iam diximus, essentiam calidi innati constituunt, cùm ex substantiæ tenuitate & caloris excellentia sint efficacissimi ad operandum, iidem ad naturales quascunque actiones pro singularum partium conditione edendas maximè inseruiunt. Vtque in animalibus & viuentibus omnibus horum substantia quædam est vitæ radix, quòd per hos anima primas vitæ actiones exerceat: ita in singulis mixtis & mixtorum heterogeneis portionibus, maxima vis agendi in spirituosa substantia quæ quibusque insita est principaliter consistit. Quam quò singula copiosiorem habent eò efficaciùs operantur: quò verò eadem magis est exoluta eò hebetior redditur illorum agendi vigor. Quæ cùm euidentia sint, & abundè patere possint ex his quæ tum præcedenti libro tum libris de elementis & de temperamentis dicta sunt: multò maior est difficultas in explicandis spirituum influentium vsibus. Medicorum enim pars maxima; spiritus influentes inquit, facultatem à principe membro in cætera propagatam vehere. Quod tamen maximè controuersum est. Disputari enim consueuit an vitalis animalisque facultas alicuius tantùm qualitatis per irradiationis modum effusæ interuentu corpori à cerebro & corde communicentur, an verò eædem simul cum influente spiritu transvehantur. Quod primò quæsitum à Galeno [a] legimus, mox à variis discussum, atque inter cæteros à Veiga, [b] Valesio, [c] & Laurentio. [d] Sed ante illud ipsum mihi disputandum videtur num id verum sit quod constare inquit Valesius animalem scilicet & vitalem influere in reliqua membra. Cùm enim sic loquentes supponere videantur, facultatem animalem singularem quamdam esse potentiam, quæ in cerebro eiúsque medulla tanquam in proprio & singulari organo resideat: quæ per propagationem suæ entitatis, in alia membra, seu sola, & vt loquitur Galenus, [e] alteratione qualitatis in continuo corpore factâ cæteris membris communicetur, seu spiritibus impressa, per hos quò oportet transvehatur. Contra tamen [vt ex libris de facultatibus constare arbitror] videtur, nullam esse simplicem entitatem quæ in cerebro tanquam in proprio subiecto residens facultas animalis appelletur, & sit singulare instrumentum quo anima in particularibus organis sentiat, & singula membra immediatè moueat. Sed plures sunt potentiæ organicæ, non operationibus solùm & obiectis, sed organis etiam quibus inhæreant distinctæ; quæ quòd animalibus sint propriæ animales appellantur. Inter quas, quia quæ principes sunt, ad quarum imperium loco motrices singulis membris voluntariè motis connatæ operantur; & quibus cognoscitiuæ reliquæ subordinantur, in cerebri substantia sua habent organa constituta: necnon quia commune instrumentum quo singulæ ad operandum quodammodo vtuntur in cerebro generatur, atque inde (vt mox probabitur) in cæteras partes effunditur; animalem facultatem in cerebro consistere, & inde fluere dicere vulgò consueuimus.

Verùm has facultates vel per membrorum continuitatem, vel per spiritus se propagando, à principiis quibus insunt se aliis membris communicare, audenter pernegamus. Id enim non esse admittendum ex eo videtur, quia facultates quæ viuentibus insunt, nullius qualitatis sibi similis, sed actuum tantùm sunt productiuæ: & sensus non actione transeunte, sed immanente tantùm operantur. Non enim vt calor se per medium propagando calorem sibi similem producit in distans: sic facultas vlla se à proprio organo per partes illi connexas propagando, facultatem sibi similem in aliquo distanti membro producit. Neque eædem numero se spiritibus animalibus insinuando, à cerebro in alia membra transferuntur. Primùm enim cùm vitales sint qualitates in subiecto non viuente recipi nequeunt: at suprà spiritus non viuere abundè probauimus. Secundò quis ille est vel minimùm in Philosophia versatus, qui accidentia de subiecto in subiectum moueri admittat? quòd tamen hic accideret si eadem numero facultas à cerebro & prima sua sede in alia membra per spiritus transveheretur. Easdem verò aliquam effundere qualitatem quæ partes singulas alterando illas ad operandum idoneas reddat, qui diceret primùm ad illum spectaret probare facultates actione transeunte operari: mox deberet etiam docere quænam esset illa qualitas & quid in membris operaretur. Vel cogeretur admittere, se gratis huiusmodi qualitatem imaginari. Paremque difficultatem patitur Petrus Garcia Carrero [f] operatricem quamdam introducens qualitatem, quæ à cerebro & corde procedens, aliis membris insinuetur. Neque demùm vt scribit Fernandez [g] à cerebro humiditas modificata communicatur, cum quâ adueniat potentia & instrumentum ad suas operationes animales exercendas. Quoniam primò ille influxus cùm in momento cesset per neruorum obstructionem aut ligaturam, & in momento restituatur neruis liberis: at illa humiditas modificata, nequeat tantâ celeritate aut adimi aut restitui: certum est cerebri influxum in ea modificatæ humiditatis communicatione minimè consistere. Secundò in phreniticis & maniacis, quorum cerebrum & spiritus animales sunt ve-

a Lib. 7. de decret. cap. 4.
b In cap. 6. lib. 1. de loc. aff. n. 23.
c Lib. 2. controu. cap. 14.
d Lib. 4. ana. q. 12.
e Loco recens citato.

f In fen lib. 1 Auic. disp. 10 cap. 1. & 2.
g In disp. de fac. nat. tract. 1. q. 2. concl. 2.

hementer exſiccari, euidens eſt ſenſum & motum perſeuerare, illam tamen modificatam humiditatem non poſſe membris à cerebro communicari.

Quare longè aliter quàm cæteri omnes hac in parte ſentire coacti; dicimus ſingulas animales facultates ſuis organis inhærentes, præſente obiecto, & anima ſuum concurſum aliò non diuertente, ſic operari: vt ſi quæ ſint quæ ab aliarum imperio non dependeant, neque alteri quomodocumque ſubordinentur, ſtatim abſque vllius alterius influxûs interuentu ſuum actum eliciant.

Alias verò quæ ſuperioris alicuius imperio ſubmittuntur: qualis ea eſt quæ exequendo motui in ſingulis membris deputatur: non ante operari, quàm illi communicatum ſit ſuperioris imperium. Externos verò ſenſus interno ſubordinatos, quò (vt loquitur Galenus [h]) aliquid ex eorum alteratione aſſequamur, ſenſûs communis auctoramentum requirere. Nam experimur & nullum fieri in animali motum quem voluntarium appellant Medici, qui priùs ab imaginatione aut appetitu, actu ſignato vel exercito non ſit inductus. Et nullam externam ſenſationem elicitam nobis apparere, quæ ſenſui communi non innotuerit. Quoniam verò imperium imaginationis cui membra ad motum voluntarium exequendum deputata promptiſſimè obſequuntur, membris ſignificari opus eſt & ſpecies actuum inferiorum ſenſuum ſuperioribus repræſentari: medium aliquod conueniens requiritur, quod per interiorum ſenſuum organa diffuſum; necnon à cerebro in reliqua ſenſiteria & voluntarij motûs inſtrumenta effuſum vtriuſque vtium facultatibus animalibus præſtans communis earumdem inſtrumenti nomen mereatur. Talis autem eſt ſpirituum animalium conditio: qui à cerebro in ſingulas corporis partes per neruos diffuſi, animalibus facultatibus vt dictum eſt famulantur. Eos autem per neruos in corpus vniuerſum diſtribui, ex eo probamus primùm: quòd ſit per rario cæterorum neruorum atque opticorum: quorum omnium eſt ſubſtantia, origo minimè diſpar, & conſimilis finis. Manifeſtè autem apparet, ſpiritus in viſuales neruos, continuo effluuio ferri: cùm vno oculo clauſo, alterius pupillam ſtatim dilatari conſpiciamus. Quare in cæteros etiam, ſpiritus diffundi ſequitur. Quòd ſi dicatur opticis meatus apparentes fuiſſe conceſſos, non item aliis. Habent & alij ſuos canales. Argumento, quòd dorſalis ipſa medulla in principio ſit perforata. Neque aliàs poſſet pituita ab inteſtinis tranſmiſſa, paralyſim inferre. Maiores tamen & patentiores ductus viſualibus natura conceſſit: quòd oporteret oculos præ cæteris ſenſiteriis ſpiritibus abundare.

Secundò vndecumque prompta fiat celérque effuſio ſpecierum intentionalium in diſtans ad earum expeditam propagationem requiritur medium aliquod magnæ admodum tenuitatis. Sed à quibuſcumque membris ſenſu præditis fit celer & prompta ſpecierum effuſio in ſenſum communem. Ergo inter partes ſentientes & ſenſûs communis organum, magnæ tenuitatis medium interueniat neceſſum eſt. Sed nullum tale in nobis aſſignari poteſt præter ſpirituum ſubſtantiam. Quare ſpiritus inter ſenſûs communis organum & partes tactûs aut alterius ſenſûs participes effuſos eſſe oportet. Quos cùm per corpus vagari minimè deceat; ſed per conuenientes ductus eoſdem ferri expediat neque alij ſint illis commodi præter neruos ſequetur ſpiritus animales per neruos in ſingulas ſentientes corporis partes diſtribui.

Tertiò neruorum tum compreſſio tum obſtructio motum ſenſúmque intercipit. Sed hoc non aliter fit quàm ſubſtantiæ alicuius per neruos ferri conſuetæ fluxum interrumpendo. Quapropter cùm nulla alia ſubſtantia per eorum ductus, naturæ magìs quàm nobis apparentes, ferri concipiatur, quàm ſpirituum animalium: hos per neruos excurrere neceſſariò infertur. Quartò non alia ex cauſa qui choreas agentes aut rapidi fluminis decurſum inſpicientes in vertiginem incidunt, ſenſus motúmque ſibi vel deprauari vel imminui experiuntur: quàm quòd ſpiritus intra cerebrum in gyrum acti (cùm nequeant duobus ſibi inuicem aduerſantibus motibus ſimul moueri) ceſſent rectà per conſuetos ductus in ſenſuum & motûs organa ferri. Ergo antea in prædicta ferebantur organa.

Verùm plurimi has atque alias non diſſimilis ſortis rationes eò diuertunt, vt probent cum ſpiritibus facultatem membris à cerebro communicari. Spirituum enim tranſcurſu inquiunt, per neruos intercepto membra deſinunt moueri, ceſſantque ſentire: & ſpiritibus parciùs in membrum aliquod influentibus, idem ſolet infirmius eſſe ad motum. Sed ſpiritus non ſunt per ſe huiuſmodi actionum authores, imò illæ immediatè à facultatibus producuntur. Quare cùm per ſpirituum interceptionem actiones hæ non ampliùs producantur: oportet facultates per ſpiritus membris operantibus communicari. Quibus reſpondemus, illa experimenta quæ totalem ſpirituum interceptionem aut ex parte factam conſequuntur, vera quidem eſſe. Sed facultates ſentientes, & locomotricem propriis organis inhærere tactum ſcilicet omnibus partibus viuentibus, quas acutè vel obtusè ſentire neceſſum eſt & ſenſus reliquos, vímque motûs executricem, particularibus organis. Nec facultates ab vno membro in aliud ſeu per propagationem, ſeu per transfuſionem poſſe tranſ-

[h] Lib. 8. de vſu part. c. 6.

mitti

mitti. Quare necessum est prædictorum experimentorum aliam causam dari. Ideóque asserimus per totalem transcursus spirituum interceptionem, perire seorsum motúmque partium, secundum actum, non autem secundùm facultatem. Atque hoc quidem in sensibus ita accidere, quòd licet (exempli gratia) obstructo neruo optico, facultas visiua adhuc inhæreat oculo, post deobstructum neruum operatura & species in crystallino velut in corpore polito recipiantur animáque facultati sit præsens: non tamen videt oculus, quia anima se facultati non applicat inutiliter operaturæ, quòd eius sensatio sensui communi postmodum nequeat communicari. Vel si forsan oculus, animâ etiam facultati assistente, suum actum eliciat: id tamen nescitur, quòd id sensui communi significari non possit; visio autem non percepta, habeatur pro non elicita. Quatenus verò ad motum spectat cùm ad ea membra voluntarie mouenda prærequiratur actus imperatus imaginationis aut appetitûs signatus vel exercitus: oporteátque imperium huiusmodi per quemdam imperum spiritibus impressum membris illis significari quibus quod iussum est natura exequi posse concessit & dedit. Facilè intelligitur non solùm quomodo spirituum effluuio in quæuis membra impedito eadem moueri cessent; vel illis parciùs simúlque lentiùs transmissis, hæc imbecilliùs moueantur: sed præterea facillimè explicatur quare phrenitici paucos spiritus sed magno cum feruore & impetu transfundentes, cum tanto conatu per aliquod tempus moueantur, & quare corpus aliquando mox ab auulso capite subsiliat. Hæc enim omnia ideò accidunt, vel quòd non possit appetitus imperium membris significari: vel quòd impetus spiritibus impressus lenis sit & imbecillis; aut contra furens sit & violentus; vel demùm quòd tunc spiritibus à cerebro influentibus impetus ille imprimeretur, cùm ceruici lethale ferrum imminebat; qui nihilominus quò introducti erant ire pergentes, præimperatum motum in exanimi trunco excitarunt. Ex quibus constat spiritus animales à cerebro per neruos influentes, ad duo hæc inseruire: scilicet vt sint conueniens medium per quod species propagentur ab actibus inferiorum sensuum ad superiores quibus subordinantur, & vicissim sint delatores imperij appetitûs ad singula ea membra mouenda quæ voluntariè aguntur.

Quod ad vitalem autem facultatem attinet, quæ in corde tanquam in proprio organo residet: dicimus eam quatenus cordis & arteriarum est motrix nec per spiritus, nec per irradiationem (vt loquuntur) influere: sed cor insitâ sibi vi per impetum in arteriarum corpus effusum, arterias sibi

i Lib. 5. c. 5. cohærentes continuitatis iure secum mouere, vt fusiùs antea [i] à nobis fuit explicatum. Inquantum verò cor calidi influentis est author quo calorem actualem membris viuentibus necessarium fouet. Asserimus, illud, calorem huiusmodi per spiritus quaquauersum diffusos membris omnibus impertiri. Neque tamen hic solus est spirituum vitalium vsus: sed præterea ijdem suâ substantiâ, tum spirituum animalium generationi inseruiunt, tum spiritus membris insixos ex parte reparant. Nam & ex spirituosa alimentorum portione, eosdem alia ex parte firmiùs refici, cum ratione existimandum esse censemus.





DE SANITATE, ET OPTIMO CORPORIS HABITV.

TRACTATVS SECVNDVS.

LIBER VNICVS.



V M Medici munus & finis ſit, ſanitatem tueri præſentem, & deperditam reuocare: immeritò ſibi ille Medici nomen arrogaret, qui naturæ ſanitatis ignarus, neſciret quid id ſit quod tanto ſtudio conſequi niteretur. Quemcumque enim artificem decet, non ſolùm materia circa quam verſatur, ſuorumque operum ſubiectum, ſed etiam propoſitum ſibi finem perfectè nouiſſe: ne operando vel citra conſiſtat, vel vltra prætergrediatur; ſed ſciat quouſque pergendum, vt quod intendit aſſequatur, & compleat. Quare poſtquam corporis humani principia, partes, & proprietatum vice facultates, functiones, facultatumque communia inſtrumenta explicuimus: quoniam noſtrum omne ſtudium eò collimat, vt ſanitatem illi procuremus; de ſanitate deinceps agamus.

Quid sit sanitas & in quo consistat.

CAPVT PRIMVM.



QVAM varij fuerint antiqui Medici in ratione formali sanitatis explicanda videre licet apud Galenum.[a] Quorum sententias omittentes: sanitatis naturam, Galeni methodum sequuti inquiramus. Qui, cùm omnium consensu approbatum sit, inquit,[b] homines tunc se sanos existimare: cùm partium corporis ministerio, ad eas quæ in vita necessariæ sunt actiones, sine aliquo vitio perfungi potuerint. In eorum altero sanitatem sitam esse oportebit: scilicet, vel in ipso actuali operationum secundùm naturam exercitio; vel in ipsa naturæ conuenienti instrumentorum dispositione. Quoniam verò, vel dormientes, vel otiosi, paucas exerimus actiones: quas non exercere non statim morbus est. Sanitas potiùs in potentia, certo modo operandi, quàm in ipsa operatione consistet. Quare rectè sanitas definietur: affectus secundùm naturam actiones integras edens. Sic enim morbo in integrum aduersatur. Hic tamen actiones integras requirimus: cùm à morbo actionem lædi in singulari dixerimus. Neque mirum, bonum enim ex integra causa: malum autem ex quocumque defectu. Minùs autem refert, vti monuit Galenus.[c] si in definitione affectum constitutionem, aut dispositionem dixeris. Ac dispositionem quidem, prout est genus ad habitum, & dispositionem propriè dictam: de qua Aristoteles,[d] & secundùm quam dispositum, benè vel malè disponitur, aut secundùm se aut ad aliud. Licèt autem talis secundùm naturam affectus, per relationem & habitudinem quamdam diuersorum inter se plerumque explicetur: nihilominus tamen, sciendum est, sanitatem esse quid absolutum, & sub prima specie qualitatis ab Aristotele[e] constitui. Quòd si ab eodem[f] eorum quæ sunt ad aliquid, esse dicatur: respondeamus sanitatem esse de genere eorum, quæ etsi relata non sint, tamen relata secundùm dici appellantur; quasi dicas, quoad naturæ explicationem dumtaxat, non quoad ipsam naturam: vt docet Fonseca.[g] Huius autem qualitatis subiectum cùm sit corpus, aut membrum viuens: quoniam multiplices in nobis sunt partes, quædam similares, dissimilates aliæ: num harum aliquæ, an vtræque potiùs sint sanitatis subiectum, non satis constat. Aristoteles enim sanitas quidem, inquit,[h] in humidis & siccis & (vt simpliciter dicatur) ex quibus priùs constitutum est animal: robur in neruis & ossibus: pulchritudo autem membrorum quædam commensuratio esse videtur, & Galenus[i] temperiem naturalem sanitatem vocat; aliàs[k] congruam elementorum æquabilitatem, & aliquando ex omnium Philosophorum & Medicorum qui verè dogmatici sunt sententia, elementorum moderationem sanitatem patere ait.[l] Cùmque temperies primarum qualitatum aut elementorum æquabilitas, ad partes similares spectet: sanitatem in solis similaribus partibus consistere, sequeretur. Verùm cùm per eam dispositionem partium quæ sanitas appellatur, functiones quascumque integras, perfectásque edamus, aliquæ verò illarum ad dissimilaria membra pertineant: rectè Galenus[m] quid sentiendum sit explicat, cùm inquit, naturalem corporis constitutionem in similaribus quidem elementorum esse æquabilitatē, in instrumentariis verò ex similarium numero, quantitate, & conformatione singularum partium ac positurâ resultantem positionem, quatenus vniuscuiusque naturæ consentaneum est. Ita vt dicamus, sanitatem esse tam similarium quàm dissimilarium partium dispositionem, naturæ ad rectè operandum conuenientem.

Quamquam verò, vna & singularis sit sanitatis ratio formalis: eius tamen plures sunt differentiæ. Primùm enim quædam absoluta est: alia secundùm quid. Absolutam eam appellamus: quæ totius est corporis, & singularum eius partium, tam similarium, quàm dissimilarium, quam Alchmeon isonomiâ contineri scripsit & æquabilitate facultatum. Secundùm quid eam esse dicimus: in qua partes aliquæ actiones integras, & citra læsionem exereent: licèt aliæ sint, quæ morbum aliquem contraxerint. Sic valgus sanus dici potest, non tamen absolutè: cùm habeat crura malè conformata & progressionem sensibiliter læsam.

Secundò ex Galeno[n] sanitas alia optima est, perfecta, & consummata: alia deficiens; nec perfecta, nec consummata, quæ etiam culpata vocatur ab eodem.[o] Optima ea est: quæ veluti regula Polycleti, omni ex parte complementum perfectionis est assequuta: à qua, corpus salubre simplici-

a Lib. 1 methodi cap. 7. & in ascriptis definit. medotis.
b Lib de diff. sin. morb. c. 2.
c Lib. de diff. sympt. cap. 1.
d Lib. 5. met aphis tex. 24.
e In categoriis.
f Lib 7. physic. tex. 17.
g Lib. 2. instit. dialect. cap. 13.
h Lib. 3. topic. cap 1. loco 13.
i Lib 4. aph. com. 19.
k Lib. 5. de plac cap 3
l Comm. 1. in lib de nat. hum. comm. tex. 19.
m Lib 1. de tuen. sanit. cap. 4. & lib. 9. de decretis. cap. 6.
n Cit. 1. de sanit. tuenda. cap. 4.
o Cit. 1 in lib. de nat. hum. comm. tex. 19.

ter ſemper appellatur,à Galeno: [p] & in indiuiſibili conſiſtit.

De qua mox,[q] agemus. Deficiens ea appellatur,quæ priore eſt imperfectior, & corpus ſalubre vt multum conſtituit, quod à conſtitutione optima non valdè deficere, dixit Galenus. [r] Cuius vt alterius, non indiuiſibilis eſt ratio, ſed magnam ſeruat latitudinem. Hanc verò ſanitatis diſtinctionem, Galenus [ſ] ex eo rectè excogitatam probat, quòd cùm ſanitas quædam ſit ſymmetria, hæc autem duplex cognoſcatur, alia quæ ad ſummum æqualitatis peruenit, & vera perfectáque eſt ſymmetria, alia quæ ab huius perfectione paululum deficit: idipſum etiam de ſanitate rectè dicatur. Latitudinem autem in poſteriore, & deficiente reperiri probat: primùm quòd cùm nobis per ætatum decurſum ſanos eſſe liceat, per ætates autem qualitatum contemperatio varietur: ſequatur etiam ſymmetriæ,ſeu contemperationis ſanitatem facientis variationem,& latitudinem quamdam eſſe. Secundò, maior vel minor operationum perfectio, ſequitur magìs, aut minùs abſolutam conſtitutionem membrorum: ſed inter ſanos, quidam perfectiores functiones edunt, alij deteriores, non morboſas tamen: quare ſanorum varias eſſe conſtitutiones neceſſum eſt. Differentiæ autem quæ intra hanc latitudinem inueniuntur, licèt ſecundùm magìs, aut minùs diſtingui tantùm videantur, quæ non variant ſpeciem: quoniam tamen, hinc ea temperierum diuerſitas emergit, cuius, quidam certi gradus, & particulares commenſurationes; certa quædam genera actionum excellentiùs edunt: vt facultates per actus diſtinguntur, ita rectè tales ſanarum conſtitutionum differentiæ pro diuerſa ſpecificatione actionum inde prodeuntium,diuerſas ſpecies conſtituere admittuntur à Valeſio. [t] Quarum aliquas, atque earum principes deinceps inquiremus.

p Lib. artis Med. cap 4.
q Cap. ſequenti.
r Eodem libro artis medicæ cit. cap.
ſ Cit. 1. de tuend valet. cap. 5.
t Lib. 4 controu. cap 2.

Verùm quanta ea ſit ſanitatis latitudo,& quouſque producatur vt cognoſcamus: non tam naturam rerum inſpicere,vt inquit Galenus [u] quàm ſenſum indicem habere oportet. Ea enim ſtatûs ſanitatis omnimoda varietas,cùm ſenſibilem morbum excludat: intra hanc tamen,& ſanitatem exactam,ex eodem Pergameno,[x] intemperatæ naturæ conſiſtant,ex ſola ſenſibili, & inſenſibili functionum animalis læſione,poſſibilis totius huius latitudinis extenſio diſcernitur. Etenim quantum interuallum eſt,inter id quod perfectiſſimè omnes ſuas functiones obit; & id quod ſenſibiliter actionem aliquam habet oblæſam: tanta eſt profectò latitudo deficientis ſanitatis, & diſtemperantiarum quæ intra ſanitatis cancellos continentur.

u Lib. artis med. cap.8.
x Lib. 5. de ſan tuenda cap 11.

Tertiò tandem, ſanitas apud Galenum, [y] vel ſecundùm habitum dicitur; vel ſecundum affectionem. Secundùm habitum,eam appellat,in qua,neque actiones impediuntur; neque corpus ab externis iniuriis facilè offenditur:eſtque difficilè mobilis. Secundùm affectionem autem, ea vocatur: quæ in ijs eſſe deprehenditur,qui morbo ſoluti,medelam quidem ampliùs non requirunt, refectione tamen, victibúſque eiſdem opus eſt; vt cùm ad eas actiones quæ ſecundùm naturam ſunt obeundas, tum ad iniurias externas ſine læſione ſuſtinendas, robuſtiores reddantur. Quam idem Galenus [z] dubiam ſanitatem appellat, & in affectu facilè mobili quem σχέσιν Græci vocant conſiſtentem,ſolétque hæc,vel in conualeſcentibus,& recens à morbo liberatis apparere, vel in ijs qui aliqua alicuius viſceris ac maximè principis intemperie,laborant,ob quàm facilè offenduntur. Rationecuius,facilis in offenſam lapſus,inæqualis ſanitas ab eodem Galeno [*] nuncupatur.

y Lib. ad Thraſybul. cap 7.
z Lib. 3 methodi cap. 5.
* Lib. artis med. cap. 20.

Quæ ſit omnium optima conſtitutio.

Caput II.

Optimus humani corporis ſtatus ille eſt: quem etiam optimam, perfectiſſimam, & maximè conſtantem ſanitatem appellamus, Græci verò εὐεξίαν dicunt. Qui maximè à quibuſque ideò expetitur: quòd vnumquodque, quod perfectiſſimum eſt,ſibi aduenire deſideret. Hunc ſaluberrimum vocat Galenus [a] hicque ſingulare eſt corporis bonum, primariò & propriè dictum: ad quod vt idem ait, [b] reliqua omnia referuntur, cuius primùm fructus explicare: mox in quo conſiſtat; qualiſque is ſit inueſtigare oportet. Optimi ergo habitûs eſt; cunctarum corporis partium actiones, quàm maximè pro earum complexu licet, illæſas, integerrimas, & validiſſimas edere; imminentibus morborum cauſis potentiſſimè obſiſtere:ac demùm in eo ſtatu quàm diutiſſimè permanere. Ita vt,qui talem habitum ſit nactus,tardiſſimè ad mortem naturalem feratur; ſanitate per ætatum decurſum continuâ fruatur:& per omnem vitam pro cuiuſque ætatis ratione, validiſſimas operationes,cæteris paribus, exerceat. Non principem tantùm, vt Valeſio placuit, [c] conſequenter vt apparet ad ea,quæ à Galeno ſcripta ſunt in libris de temperamentis. [d] Sed quaſcumque prout homini in ſingularum complexu datum eſt. Siquidem virum prudentiſſimum, ſimulque

a Lib. de optima noſtri corpor. conſt. cap 2.
b Lib. ad Thraſyb.c.14
c Lib 1. controuerſ. c.12.
d Lib. 1. de temper.c.vlt.

valetudinarium, nemo optimè constitutum diceret, quem nec integrè sanum affirmaueris.

Addimus, cæteris paribus non solùm, quòd exercitio frequentiore alicuius generis operationum, robur, & vigor naturalibus principiis ad operandum accrescat: desuetudine autem, operandi langor acquiratur. Sed præterea, quòd nostrarum actionum aliquæ, cùm cæterarum detrimento excellentiores edantur. Prædicta verò, consequi ijs datum est, ex Galeno [e] quorum tum partes similares omnes, naturæ maximè conuenientem temperiem sortiuntur; tum quæ ex ijs constant, dissimilares, & organicæ; magnitudine, numero, formatione, & situ, inter se conuenientissimè fuerint constitutæ. Quæ si cuipiam omnia natura aliquando concesserit, talem cuncti temperatissimum nuncupant: qui tanquam Polycleti regula, distemperantiarum omnium sit veluti mensura. Non ita tamen temperatissimum eum concipere oportet, sicuti Valesio visum est, [f] vt in æquilibrio qualitatum consistat: cùm tanta caloris remissio, ingens sit in homine distemperantia: in quo, frigus, plurimùm à calore vitæ fautore superari necessum est. Tum quòd in æquilibrio constituti facilè à quacumque excedente qualitate immutentur. Sed temperatissimum eum appellamus: qui non ad pondus, sed ad iustitiam, sit optimè temperatus: cui pro singulis obeundis actionibus, sapientissimus & optimus Plasmator, eam singulis membris temperiem, conformationémque tribuerit quæ vt homini conuenientissima, ita perfectissima sit. Quem licet minimè negemus, per coalterationem membrorum variè temperatorum, posse in cute & habitu ad contemperantiam qualitatum peruenire: eumdem tamen in eadem diu consistere posse negamus. Neque prædictis obstat in quibusdam animalibus, aut hominibus etiam, aliquas reperiri idiosyncrasias, quæ ad vnam aliquam actionem perfectiùs obeundam inseruiant. Quamuis enim illa perfectior sit in suo genere: tamen quia eadem ab aliarum æquè necessariarũ perfectione aliquid detrahet, eam non qualem decet, sed immoderatam censebimus. Vt cùm frigiditas stomachi, corruganti siccitati coniuncta, appetentiam vehementiorem reddat: non qui auidiùs appetet, perfectiùs appetere dicetur, quòd idipsum quod ardentiùs expetitum est ab stomacho, concoqui postmodum à ventriculo non possit. Sed omnium perfectissimè, & optimè is constitutus videbitur: qui ea appetat, quæ exquisitissimè concoquat; concocta, mox æqualiter distribuat & digerat; & recrementa nec celeriùs, nec rardiùs quàm par sit expurget; ac cætera omnia animalis munia consimiliter exequatur. Atque hic in latitudine totius illius varietatis temperamentorum quam species humana patitur, medium tenere cum ratione censetur: vltra & citra cuius temperiem, pro maiori minoríque hinc, inde recessu, multiplices oriuntur distemperantiæ. Eumdem verò, idcò perfectissimas actiones edere affirmamus: quòd cùm temperies cuiusque partis proximum sit operandi instrumentum; eum cuius singula membra temperamentum ad operandum commodissimum obtinuisse contigerit, perfectissimè operaturum esse persuadeamur. Maximè, cum eiusdem membra exquisitissimè conformata; & pro naturæ lege perfectissimè operantia, in reciproca auxiliorum subministratione, nec sibi mutuò vnquam desint, nec sibi vllas vnquam astruant offensas. Eumdem præterea in occurrentes insalubres causas potenter eniti, illísque præ cæteris omnibus posse resistere, ex eo manifestum est: quòd cùm singula eius membra, mixtionem primorum corporum, pro cuiusque natura, exactissimam miniméque dissolubilem consequantur: & temperiem tam absolutæ mixtioni debitam obtinuerint: non nisi difficillimè, & à potentissimis causis eorum vel euerti temperies, vel dissolui mixtura possit. Resistentiam enim efficacem, non contrariæ tantùm qualitatis intensa vis subministrat: sed mixtionis etiam, & per hanc acquisiti substantiæ modi, certa perfectio. Quoniam verò, qualem temperatissimum habitum esse oporteat, mente potius concipimus, quàm in re agnoscamus; quem vix in quoquam reperiri, testatur Galenus, [g] ita & qualis sit eius temperamenti commensuratio, qualitatúmque coeuntium graduatio, aut qualis omninò sit officialium symmetria: nos ignorare, fateri minimè pudet.

Cùm vt idem Galenus inquit, [h] cuiusque naturæ proprietas sit ineffabilis: & vt ait Scaliger, [i] humanæ sapientiæ pars sit, quædam æquo animo nescire velle.

Ab effectis tamen & signis, perfectissimam constitutionem consequentibus, sic temperatum deprehendere possumus: quem Pergamenus, [k] talem futurum ait, vt in mollitie & duritie, medius sentiatur; colore sit optimo, ex albo scilicet, medioeri rubore perfuso; medius sit inter hispidum & glabrum: toto corpore sit pulcherrimus, membrorum videlicet, maximè concinnâ proportione dotatus: laudatæ proceritatis, nec obesior, nec macilentior iustò. ac demum actiones, tam naturales, quàm vitales, & animales ipsásque principes (quantum homini licet) perfectissimas habeat.

Talis ergo cùm sit optima constitutio: quæcumque proximè ad illius normam accedunt, boni habitus simpliciter appellantur. Qui, quod in possibili sanitate optimum permanénsque inuenitur significant. Boni autem habitûs denominationes, quæ cum addito efferuntur

plurimùm

[e] Lib. art. med. cap. 8. & libro de const. art. c. 4

[f] Loco præcitato.

[g] Lib. de optima const. cap 3.

[h] Lib. 3 meth. cap. 7.

[i] Exerc. 307. num. 29.

[k] Lib. art. med. cit. cap. 8. & 31.

plurimùm à probæ laudatæque habitudinis conditione vt explicatum est à Galeno [l] differunt. Tales enim,vel singulorum naturæ accommodantur, dum quisque cum seipso comparatur. Sicque Dioclis aut Sortis bonus habitus appellatur: vel de Athletarum habitudine dicuntur. Vtque illi plerumque dubij sunt,& minimè constantes: ita horum boni habitus, qui ad summum bonitatis deuenerunt,ab Hippocrate [m] periculosi pronunciantur. Cùm tamen bonus habitus simpliciter dictus,eò sit securior,eodem Galeno [n] anthore,quò magis ad extremum bonitatis peruenerit. In hoc enim symmetria obseruatur succorum & totius molis solidarum partium: in illo verò,& nimia succorum redundantia,& carnosæ molis nimium incrementum acquiritur. A quibus, vel suffocatio nis calidi Innati, per prohibitam transpirationem; vel disruptionis vasorum in pectore, aut imo ventre,ob vasorum mollitiem & sanguinis feruorem,periculum impendet.

l Lib. de bona habitudine.

m Lib. 1. aphor. 3.

n Eodem lib. de bona hab.

Quæ ad longiorem vitam optima sit constitutio.

Capvt III.

ETsi, quæ descripta est optima corporis habitudo, omnes viuentis actiones (collectiuè loquendo,& quantum earum concursus fert) perfectissimas edat: non tamen qui optimè sunt temperati,singulas ad eum perfectionis gradum deducunt,ad quem à quacumque humana temperatura produci possunt. Vt enim quidam reperiuntur miri & præcocis ingenij,breuis tamen vitæ: sic alij robore plurimùm valent,minimùm ingenio. Nonnulli ad miraculum sunt robusti, quos ab ὑγιείᾳ plurimùm abesse certum est. Ac demum aliqui citra morbum ad senectam vsque vixerunt, quos tamen principum membrorum discrasias pati,tum eorum animi motus,tum apparens corporis habitudo indicabant. Quare cùm prima animæ in nobis operatio sit ipsū viuere,cuius prorogatio maximè expetitur: id primùm examinemus,quænam ad longiorem vitam optima sit cōstitutio.

Ante diluuium longissimam fuisse hominum vitam ex Genesi constat, in qua aliquos ad nongentos & triginta annos peruenisse,aut eosdem excessisse legimus. Non paucos deinceps apud Plinium [a] dncenresimum & trecentesimum annum attigisse scribitur. Iámque etiam nonagenarios & centenarios aliquot inueniri & accepimus & vidimus: qui aliis vix quadragenariis sint robustiores. Quam humanæ durationis varietatem,ex mera Dei voluntate pendere quidam arbitrantur: & longæuam illam hominum vitam ante diluuium fuisse miraculosam. Ita sentit Burgensis, [b] & videtur Homerus [c] in eam inclinare sententiam cùm de Lycurgo Driantis filio loquutus.

a Lib. 7. c. 48.

b Additione 1. in cap. 5. Genes.

c Lib. 6. Iliados.

---- ὐ δ᾽ ἄρ᾽, ἔτι δὴν inquit

Ην, ἐπεὶ ἀθανάτοισιν ἀπήχθετο πᾶσι θεοῖσιν

Neque amplius diu

Vixit: quoniam immortalibus inuisus erat omnibus diis.

Idem censuisse videtur Menander,Deum scilicet pro libito nobis breuem aut longam vitam concedere,licèt contrariam Homero sententiam proferat, cùm inquit.

ὃ γαρ φιλεῖ Θεὸς ἀποθνήσχει νέος

Is quem amat Deus moritur iuuenis.

Verùm licèt omnia ex arbitrio diuinæ voluntatis eueniant: is tamen dispensans omnia suauiter, singulis rebus creatis ea euenire patitur, quæ pro cuiusque naturæ conditione quibusque competunt. Ita vt alij aliis longioris sint vitæ,quòd ex internis naturæ principiis, tardiùs ij, celeriùs illi ad interitum ruant. Cuius rei causam examinans Aristoteles, [d] rem totam in humidi & calidi particularem constitutionem refert. Cùm enim inquit, [e] animalis vita à calidi sit & humidi perseuerantia,& quod senescit,aut emortuum est, obarescat,& algeat: tale humidum ac tantum ad longiorem vitam requiritur,quod non facilè siccescat,talèque ac tantum calidum,vt ne facilè aut congelascat,aut exoluatur. Ea enim omninò inter calidum humidúmque membrorum proportio requiritur: vt calidum quidem,nec nimis sit acre humidum importuniùs absumens,nec remissum nimis & ita ad agendum iners,vt ab excrementis opprimatur: nec copiosiùs, quò liberè ventiletur nec parcius,vt ambientis frigori potentiùs obsistat,& omnium facultatum famulatui abundè sufficiat humidum verò,non aqueum sit,ne facilè exoluatur;nec ita crassum & limosum,vt à calido peruadi non possit: sed aëreum,quòd terreæ portionis admixtione moderatum lentorem acceperit,vt peruadi quidem valeat à calido,ab eodem tamen dissipari facilè nequeat. Ita in plantis,syluestres domesticis sunt diuturniores, & animalia terrestria longioris sunt vitæ, quàm aquatilia: quòd horum humidum magis aqueum sit,illorum verò pinguius.

d Lib. de lög. & breu. vitæ.

e Cap. 5.

Neque tamen in policroniis animalibus,humidum merè pingue requiritur, vt habet Aristoteles:

quæ enim pinguiora funt, non propterea plures annos viuunt, fuum nàmque breuior eft vita, quàm mulorum & equorum. Neque inter plantas, olea, & pinus tandiu atque ilex, lotus & palma durant. Sed pinguitudo illa, parcior expetitur, quæ à calido nec accendi, nec eliquari tam facilè queat.

Qualem verò prædictæ conftitutioni tribuere denominationem oporteat, vt intelligamus, fciendum eft. Medicos humani corporis temperaturam examinare, vel fpectatâ commenfuratione primatum qualitatum in fe, vel ad eam crafim collimando, quæ homini maximè accommodata eft, fi primum dicamus, conftitutionem ad vitam diuturniùs producendam aptiffimam, effe calidiorem fimul & humidiorem. Quòd fi pofteriorem viam Medicis familiarem fequamur; afferimus conftitutionem ad longiorem vitam maximè accommodatam eam effe, quam præcedenti capite temperatiffimam diximus. Cùm enim prima entis bonitas, primàque & maximè expetita perfectio, fit ipfum effe: eam crafim, pro cuiufque fpeciei conditione optimam exiftimare oportet, quæ ad diuturniorem exiftentiæ perfeuerantiam, fit aptiffima. Quam etiam temperatiffimam appellabimus: non quidem in æquilibrio qualitatum, & ifometriâ elementorum conftitutam; fed quam ad iuftitiam nuncupamus, & vnicuique fpeciei maximè conuenientem. Adde, non aliam effe toti corpori magis communem operationem nutritione & vitâ: ad quam perfectiùs & diuturniùs edendam, quæ accommodatior erit temperies; eadem hominis ad iuftitiam temperatiffima crafis cenfenda eft.

Quam tamen in complexu qualitatum calidam & humidam effe nemini incognitum puto: cùm vita in calidi & humidi perfeuerantia (faltem difpofitiuè) conftituatur. Neque quidquam aduerfus noftram fententiam exprobant, quæ à Roderico à Veiga proponuntur,[f] vt perfuadeat temperatum, calidiore & humidiore minùs effe longæuum: vti quæ ab illo, & à nobis dicta funt, accuratè examinanti patebit. Quoniam ille per temperatum intelligit eum, in quo æqualis eft fingularum qualitatum intenfio, quem nos intemperatum exiftimamus, & maximè à conftitutione naturæ humanæ debita decertantem. Quòd fi calidiorem & humidiorem, temperato ad iuftitiam magìs longæuum dixerit; ex eo facilè oppofitum conuincitur: quòd cùm humanæ crafeos talem modum effe oporteat, vt calidum fic humido confocietur, vt hoc ab illo fenfim exoluto, neceffariò paulatim exficcemur: euidens eft, vehementem eum calorem eius qui fupra eucrafiam & homini conuenientem temperaturam fit calidus, maximam illam humiditatem facillimè diffluentem citiùs confumpturum; quàm commoderatus calor humidum illud lentum & tenax, atque ideò remiffius, exoluat.

f Com. in cap. 27. art. med.

Facilè diffluentem dixi humorem hominis humidiffimi: quòd cùm difficilè terminari termino proprio fit facilè diffluere, atque illud fit humidi; quod humidiffimum eft, maximè idipfum diffluens effe oporteat. Hoc vero celerrimè ab intenfo calore abfumi: tardiùs vero remiffius illud & pro humana conditione temperatum humidum indicant facilis multæ aquæ ad ignem exolutio, & tardiffima auri ignibus inuicti confumptio. Quare rectè Galenus,[g] optimum effe, inquit, ita moderatum effe, vt neque craffitudo adfit, neque gracilitas; tales enim poffunt ad longam fenectam peruenire. Et Hippocrates[h] admodum craffos, qui & humidiffimi funt, citiùs interire ait, etiam gracilibus. Quare Dandinus,[i] diuerfas has temperamenti acceptiones, & maximè inter fe differentes temperati conceptus non difcernens: temperiem falubriorem à magis longæua perperam diftinxit.

g Lib. 2. aph. com 44.
h Eodem aphor.
i Lib. 1. de anim. corpor. temper. c. 17.

Verùm, fi ex prædominio humorum, vt folent aliqui hominum temperamenta definiamus: non coacti admittemus: fanguineos effe præ cæteris longæuos. Nam & ij præ reliquis temperatiffimi funt. Sic Ariftoteles,[k] fpecies animalium inter fe conferens, fanguinea exanguibus plus viuere afferuit. Et vti adnotat Rhodiginus,[l] veterum nonnulli, quòd quibus iecur eft falubre, & multum laudatúmque fanguinem generant, aut nullam aut paucam bilem congerant: vitæ longioris rationem, ex fellis vacuitate pendere funt fufpicati: argumento ex ceruorum vita deducto: cùm & delphinus qui fellis etiam expers eft, fit item longæuus. Præterea cùm ex eodem Ariftotele.[m] Qui falaciores funt, & magis laboriofi celeriùs fenefcant: fanguinei melancholicis, & biliofis minùs laboriofi & falaces minúfque morofi, tardiùs fenefcent: atque eo tardiùs pituitofis, quòd in ijs fi humidum difficiliùs teficcetur, calidum tamen faciliùs congelafcat.

k Cit. lib. de long. & breu. vita.
l Lib. 4. c. 17
m Lib. eodem cap. 5.

Tandem verò, illud etiam explicemus, vnde euenit, vt cùm ante diluuium homines ad nongentos annos viuerent, à diluuio pauci centefimum excefferint. Liranus,[n] diuerfas huius rei rationes refert cumulatim concurrentes: quarum prima defumitur ex proba & laudata temperie primorum parentum, qui immediatè à Deo formati, ab eodem etiam optimè (vt ille loquitur) fuerant complexionati; atque ita ad longiorem vitam difpofiti. Cúmque fenfim filij à progenitorum natura degenerent, non in moribus folùm, fed etiam in temperie: nam[o]

n In cap. 5. Genef.
o Horat lib. 3. epod. ode 6.

Aetas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Factum est, vt qui priores illos sequuti sunt, breuioris fuerint vitæ, vt deterioris temperaturæ. Secunda ratio est, quòd prisci frugalius degerent, & rarissimè in rerum non naturalium vsu peccarent: qui se cibis minùs infarcientes pauciora excrementa congererent; & veneri parciùs ac seriùs indulgentes, se minùs exoluerent. Atque hinc, vt salubriùs, sic diuturniùs viuerent. Nam vt inquit Plinius,[p] cùm voluptas viuere cœpit, vita ipsa desiit. Tertiam, ex natura ciborum assumit, qui cùm essent melioris succi, terrâ ante diluuium nondum ab aquis elotâ, nondumque lassata: melius & firmius alimentum suggererent, quàm deinceps. Quarta ex Adami cognitione petitur: qui cùm omnium rerum creaturarum naturam & proprietates cognosceret, & quæ nouerat, filiis nepotibúsque communicasset; singulis ad mortem remorandam, & vitam producendam commodissimè vterentur. Quinta ad siderum recurrit influxus; qui pro ea regione, quam tunc homines incolerent, cùm suauissimi essent, & ad vitam propagandam efficacissimi; sint deinde à multiplici cœlorum discursu mirum in modum coarctati. Tandem quæcumque huius fuerit sufficiens ratio, nobis forsan non satis cognita, ex rationali Dei beneplacito contigisse ait, primos parentes tandiù vixisse: vt per longiorem vitam rerum vtilium ad artes & scientias comparandas experimentum facerent, & terram copiosâ prole fœcundarent.

p In proœmio lib. 14.

Quæ ad Corporis robur maximum, aptissima sit constitutio.

Capvt IV.

Robvr hîc appellamus, non actionum perfectionem & naturalem virtutem, vt Galeno[a] placet: sed cum Aristotele[b] facultatem alternam pro arbitrio mouendi: quo qui sunt præditi; vel trahendo, vel pellendo, vel tollendo, vel deprimendo, vel collidendo, cæteris præstant. Tales fuisse legimus Sansonem, Dauidem, Iudam Machabæum; Herculem, Polidamantem, Milonem, Aristomenem apud Pausaniam:[c] Achillem, Aiacem, & similes, quorum gesta ab Homero referuntur: Rolandum Caroli Magni temporibus: necnon Scandeberthum Epirotarum Regem, ante aliquot annos illustrem, atque alios. Inter quos Sanson non ex vi propriæ temperaturæ: sed gratuito Dei dono tantum habuisse robur à glossographo dicitur.[d] Quòd detenso capite, illius robur deperiret; & quòd cùm aliquid insoliti roboris esset præstiturus, spiritum Domini in eum irruisse, dixerit scriptura. Cæteri verò cùm ab infantia mirum illud robur ad extremum vitæ retinerent: naturale & sibi insitum idipsum fuisse manifestissimè demonstrarunt.

a Lib. ad Trasyb. c. 35.
b Lib. 1. rhetor. cap. 5.
c In Eliacorum priore & posteriore.
d In cap. 14. lib. iudicum.

Ad hoc autem summum & maximum robur consequendum, nulla alia temperies æquè est apta: ac calida & sicca. Sed vt calorem satis intensum requirit hæc constitutio: ita eumdem multò & copioso calido inhærentem expostulat. Vnde quæcumque illud exoluunt, vinum, venus, inedia, nimius labor, & immodica vacuatio, robustiores quosque imbecillos reddunt. Atque ideò Æthiopes, licèt calidi sint, & sicci, non tamen æquè robusti sunt, atque eorum requireret constitutio: quòd ab immodico ambientis calore, & propria raritate nimiùm vt ex Aristotele colligitur,[e] exoluantur. Siccitatem verò, non aridam, & succo integrè destitutam intelligimus; sed eam, quæ humidum tam solidarum quàm carnosarum partium, impedit ne diffluat, & firmiore compagine crassam membrorum molem colligat. Quibus si corporis magnitudo coniungatur mirum in modum iuuat. Vnde Aristoteles[f] pugnax, inquit, corporis virtus, ex magnitudine, robore, & celeritate constat: nam & velox robustus est. Calorem autem iis maximè necessarium esse ex eo cognoscimus: quòd calor sit instrumentum ad celeriter operandum efficax, & quò operis ardui acceleratio est maior, eò maioris sit index roboris. Quare non iniuriâ Galenus[g] testes cum caliditate, robur animalibus exhibere scripsit. Et cùm omnis exercitationis commune sit, animalis calorem intendere:[h] eamdem partes robustiores reddere dixit.[i] Calori verò siccitatem densitati sociatam, coniungimus: quòd siccitas ad robur, & nixum faciat:[k] humiditas autem mollitiem impetui, nixuíque cedentem, & raritas resistendi imbecillitatem inducat. Atque ideò Galenus,[l] densum & durum corpus (quæ siccitatem consequuntur) tolerare spernereque omnia, quæ ipsi extrinsecus occurrunt, profitetur: quod magni roboris indicium est. Hinc pagani & ruricolæ, quorum duriora & sicciora sunt membra, ad laborem ferêdum, & ad corporis vehementiores exercitationes sunt magìs idonei: contrà vrbani, molliores, & humidiores, ad eadem sunt ineptiores. Et ex Auicenna[m] qui petrosa loca incolunt, dura & sicca habent corpora, súntque in bello fortes. Ac demum phrenitici qui secundùm cerebrum maximè (vnde vis animalis prodit) incaluerunt, & plurimum sunt exsiccati, seipsis robustiores euadunt. Vtriusque tandem qualitatis concursum, id præsertim probat, quòd robustiores quosque lati pectoris, & hispidos

e Sect. 14. probl. 8. & 19
f Cit. 1. rhet lib.
g Lib. 1. de sem cap 5.
h Gal lib. 2. de tuenda sanit. cap 9.
i Lib de consuetud. cap. 4.
k Lib. 3. de sympt. caus cap 9. apud Galen.
l Cit. lib. de coniunct. c. 5.
m Lib 1. fen 2 doct. 3. c. 11.

ene aduertamus. Etenim pectus latum, cordis (quod interni caloris per vniuersum influentis est focus) calorem ex Galeno [n] significat. Et corporis hirsutia, præsertim si pili nigri sint duri, & crispi, siccitatis calori coniunctæ indicium est ex eodem, [o] & Auicenna. [p] Quàm autem euidens roboris signum sit hirsutia, inde licet colligere: quòd Messeniorum ille fortissimus Aristomenes, qui à Pausania, [q] ob trecentos hostes propriâ manu, trino conflictu occisos, ter sacrificasse refertur; dicatur à Plinio [r] corde hispido, & piloso inuentus. Sed horum pilos duros esse oportet, cùm molles humiditatem calori sociatam indicantes, salacitatis potiùs, quàm roboris sint nota. Quapropter rectè Aristoteles [s] signa fortis corporis talia recenset, pili duri; figura corporis erecta: ossa, & costæ, & extrema corporis fortia & magna: venter amplus & contractus ad se: armi lati & distantes, nec valde colligati, nec omninò dissoluti: collum forte, non vehementer carnosum: pectus carnosum & latum: atque alia, quæ omnia, calidæ & siccæ temperaturæ totius corporis sunt affectus & notæ. vbi aduertendum est Aristotelem ἀνδρείου σώματος σημεῖα, seu fortis corporis dicere, non ἰσχυροῦ hoc est robusti: cùm ἀνδρεία sit animi potiùs quàm corporis virtus, ἰσχὺς verò, & robur ad corpus pertineat. Quod cùm in ethicis, [t] fortitudinem cerni in maximè formidolosis rebus, & fortem præsertim in bello imperterritum dici asseruerit: significare in physiognomia velit, robur corporis, maximum esse & princeps fundamentum fiduciæ animi, in cuius & formidinis medio, veram fortitudinem consistere dixerat in ethicis.

[n] Lib. artis parua cap. 29
[o] Lib. eodem cap. 18. 35. 41. & 46.
[p] Cãt. lib. 1. fen 2. doct. 3. cap. 3.
[q] Lib. Elia cor. posteriore
[r] Lib. 11. c. 37
[s] Cap. 3. physiogn.
[t] Lib. 3. c. 9.

Quænam corporis constitutio, ad ingenij præstantiam maximè valeat.

Caput V.

SPIRITALIS ea substantia qua corpora nostra informantur ideò anima vitarum [si vim Hebraicæ lectionis vt plurimi adnotarunt sequamur] appellatur: [a] quòd vni, eidémque homini, vegetantem, sentientem & intelligentem vitam largiatur. Quod tamen cùm antiquorum plurimi tam Græci quàm Latini, imò & Hebræi non conciperent, nec crederent eamdem planè substantiam & corpori immersam, posse in functionibus naturalibus, atque ijs quæ brutis etiam communes sunt edendis occupari: & quasi supra nos eminentem, ratiocinationi spiritualiúmque rerum contemplationi intendere: ab ψυχῆ, νοῦν: ab anima mentem: & Neshamah, à Ruach, distinxerunt. Neshamah, νοῦν, mentem: ratiocinatricem, spiritalem & separabilem esse substantiam affirmantes. Animam verò, cætera vitæ officia exercentem, & corpori affixam asserentes: variósque inde erroneos conceptus inferentes. Nos verò, licèt vocum omnem illam diuersitatem retineamus: vnicam tamen, & simplicem formam, diuersarum facultatum fontem agnoscimus, quam vt ratiocinatricem, & logisticam, mentem deinceps vocabimus. Menti ergo quæ ingenita est, & à natura insita vis, ingenium appellatur: quasi ingenitum, & vt aduertit Scaliger [b] eodem significatu, quo τὸ ἔμφυτον dicitur à Græcis. Sed hunc ipsum ingenitum menti vigorem non ita cum eodem Scaligero, [c] contrahimus: vt solam sagacem vim mentis & inuentionis δύναμιν, ingenium esse dicamus. Etenim cùm menti innatum sit, in eorum quæ sensibus occurrunt cognitionem ferri; cognita comprehendere: comprehensa mox admirari: eorum verò quæ admiratur, naturam & causas inquirere: necnon quæ inquirendo occurrunt, iudicij libramento discernere: singula ad bonum vel ad malum finem dirigere: ac demum omnium meminisse. Ingenium, eam ingenitam menti vim appellamus, secundùm quam, ea apta nata est, omnia hæc, vel eorum singula, benè aut malè exequi. Sed ne quisquam existimet, nos ingenij significatum ad plura quàm par sit extendere: meminerit, Aristotelem, [d] (qui licet nullam habeat singularem vocem, quæ integrè id significet, quod ingenij appellatione Latini comprehenderunt: tamen quod naturali illi mentis aptitudini conueniret, cùm rectè intelligeret) ingeniosos εὐφυεῖς appellasse: hoc est bonæ indolis, & bonæ naturæ: quod omnia quæ mentis sunt, in ingenio, & natiua indole, prælucere censeret. Latinæ autem vocis energiam, manifestè expressit Cicero, [e] cum duo genera virtutum menti inesse dicens: vnum earum quæ ingenerantur: aliud voluntariarũ earum quæ deinceps acquiruntur: prioris generis est, inquit, docilitas, memoria, quæ ferè omnia appellantur vno ingenii nomine. Sed pressiùs omnia quæ adnotauimus, ingenij voce significari, indicauit Nonius: cùm ingenium, inquit, est naturalis sapientia. Quæ vt ex Aristotele [f] colligitur, cum sit sublimiorum rerum, exquisitissima scientia: fieri non potest, quin in eius acquisitione, omnes mentis functiones exerceantur. Atque ideo quæ naturalis sapientia dicitur: sit omnium facultatum mentis, inditus nobis à natura expeditus vigor. Quæ, licèt non tam de ingenio absolutè, vt à bono, malóve abstrahit dici videantur, quàm de bono: eadem tamen, indicant, ingenium, esse naturalem ad prædicta omnia bonam, aut malam habitudinem. Verum, ne quod à nobis assertum est, imbecillius confirmasse videamur: singulatim, illa omnia, ingenij signifi-

ficatu

[a] Genes. 2. 2.
[b] Exercit. 1. n. 1.
[c] Exerc. 256.
[d] Lib. physiogn. cap. 3.
[e] Lib. 5. de finib.
[f] Lib. 6 ethic. cap. 7.

catu comprehendi,probemus. Ab occultorum ergo perquiſitione inchoantes , cuius acrem ſolertiam ἀγχίνοιαν vocat Ariſtoteles. [g] Cùm nulli hîc nobis occurrant aduerſarij, id ſolùm ex Seneca Rhetore [h] producamus, qui de Sereno Caſſio loquens : vir erat,inquit, præſentis animi , & maioris ingenij quàm ſtudij, magìs placebat in ijs quæ inueniebat,quàm in ijs quæ attulerat. Comprehenſionem etiam occurrentium ingenij eſſe : præterquam id probat,quod ex Cicerone allatum eſt, docilitatem ſub ingenij nomine contineri : illud ipſum confirmat, quod bono ingenio puerum aut adoleſcentem eſſe dicimus, qui ad diſcendum ſit promptus. Vnde ab Ariſtotele, [i] εὐμαθεία, ingenij pars eſſe conceditur; quæ recta conſtitutio ad diſciplinas apprehendendas, explicabitur. Diſcretionem verò,iudiciúmque comprehenſorum,ad ingenium ſimiliter pertinere : apertè docuit Ariſtoteles, [k] cùm ait, εὐφυῆ ſeu ingenioſum eſſe,cui inſitum ſit à natura,vt rectè iudicet , & verè bonum eligat. Necnon cùm ſcribit, [l] eam veram eſſe εὐφυΐαν poſſe rectè eligere verum,& fugere falſum. Inuentorum autem naturalem in bonum aut malum conuerſionem , ingenio etiam conuenire indicarunt,qui ingenium bonum aut prauum appellarunt. Terentius enim , [m] bono ingenio eum adoleſcentem dixit,qui quæ promiſerat obſeruaret. Et Plinius Iunior [n] de Cæcilio Claſſico, homino fœdo,& apertè malo loquens; malum prauúmque ingenium hominis appellat. Atque idem , [o] Catullum Meſſalinum luminibus orbatum,ingenio ſæuo,mala cæcitatis addidiſſe ſcribit. Memoriam tandem,ingenij dotes complere id comprobat,quòd Cicero, [p] quæ quoque die dixerat , audierat , egerat,commemorare veſperi dicat eſſe exercitationes ingenij. Et [q] Curionis Oratoris obliuioſam memoriam , variis incuſans indiciis : ea magna immemoris ingenij ſigna eſſe ſcribat. Quare,tot profectò mentis dotes, vis ingenij complectitur. Quibus prout quiſque valet;ſolers,acre,acutum,bonum fœcundum,aut omninò illuſtre habere ingenium,dicitur. Vti eos,qui inuentione, comprehenſione, iudicio , εὐηθεία , vel memoria caruerint : obtuſi,tardi, hebetis, praui, immemoris aut planè inertis ingenii eſſe pronunciamus. Neque enim omnia,ſingulis inſunt;& magna ipſa ingenia,vix pluſquam in vno eminuerunt opere: vt longâ inductione confirmat Rhetor Seneca. [r] Ita paucis admodum ea omnia deſunt: quos,ingenioſis opponens Ariſtoteles [ſ] ἀναισθήτους id eſt inſenſatos appellat.

Quæ cùm ita ſint,& quid ſit ingenium pateat; vnde nam tanta ingeniorum varietas naſcatur , inquiramus : & quæ ad ingenii præſtantiam maximè valeat conſtitutio,demùm inueſtigemus.

Vulgaris eſt ſententia pro varietate temperamentorum euariare ingenia. Ita Galenus , qui mores etiam animi temperamentum ſequi ſingulari libro probare conatus eſt. Nec mirum , vt enim , [t] eſſentiã facultatum, nihil eſſe,præter qualitatem temperamenti aſſeruit. Picolomineus,eidem adhæret in moralibus. [u] Ioannes Huartus libro examinis ingeniorum non ſolùm vulgari huic opinioni aſſentitur toto libro ac præſertim capite ſecondo , ſed præterea intellectum eſſe potentiam organicam profitetur : [x] & nihilominus,animam rationalem immortalem eſſe poſtmodum contendit. [y] Quorum præcipuæ rationes,ſunt hæ. Prima,quòd quæ cauſa eſt differentiæ eiuſdem ingenii à ſeipſo per diuerſas ætates [ita vt non ſolùm eius vigor mox quidem increſcat, poſtmodum verò imminuatur ; ſed etiam aliam atque aliam , ad has,aut illas artes,& ſcientias,faciliùs aut difficiliùs ediſcendas aptitudinem conſequatur] eadem etiam eſt cauſa diſcriminis plurium ingeniorum inter ſe. Sed omnis illa varietas, eidem ingenio per mutationem ætatum adueniens ex varietate temperamentorum naſcitur. Ergo & illa,quæ inter plura ingenia adnotatur,cuiuſque craſeos diuerſitatem ſequetur. Secundò contrariorum effectuum,contrariæ ſunt cauſæ;ſed perturbatæ & variè delirantis mentis cauſæ , ſunt variæ cerebri morboſæ diſtemperantiæ,à quibus phrenetica , melancholica , & maniaca deliria naſcuntur. Ergo, varietas omnis naturalis aptitudinis facultatum mentis,à diuerſitate ſalubrium temperamentorum,ſuam originem ducet. Tertiò,aduenit per morbos aliquando , pro diuerſa differentium organorum læſione, intellectûs operationes lædi , imaginatione integrâ, & illæsâ memoriâ : & contra : vt diuerſis exemplis comprobatum à Galeno legitur. [z] Ergo & ſingularum illarum naturalis aptitudo,quæ cunctarum ingenia inter ſe variè diſcriminat : à diuerſa eorumdem organorum naturali conſtitutione pendebit. Priori ſententiæ ex integro aduerſatur Seneca : [a] qui inſita nobis eſſe inquit, omnium ætatum,omniumque artium ſemina : & magiſtrum ex occulto Deum , producere ingenia. Proclus autem & Porphyrius à Picolomineo ſupra relati : præcipuas diſcriminis ingeniorum cauſas tres eſſe dixerunt. Primam quidem aiunt eſſe propriam animæ affectionem,ſiue per naturam ei competentem,ſiue per electionem. Alteram, inſpirationem eorum numinum quæ animæ præſunt. Et tertiam cœleſtes influxus.

Verùm nulla harum ſententiarum nobis vndequaque placere poteſt. Non quidem prior : quòd cum ingenium ſit mentis natiua ad benè aut malè operandum aptitudo : mentis autem & rationalis partis animæ facultates,ſint ſpiritales,& inorganicæ [vt ratione probatur, & ex fidei principiis neceſſariò infertur] fieri non poteſt, ingeniorum diſcrimen ex ſola temperamenti diuerſitate pendere. Facultates mentis,intellectum ſcilicet,& illi cohærentes , inorganicas eſſe , ex eo probamus. Quòd

g Lib. 1. poſterior. c. vlt.
h In præfat. lib. 3. declam.
i Inſinuatur lib. 1 magn. mor. cap 6.
k Lib. 3. ethi. nor. cap. 5. alias 7.
l Lib. 8. topicor.
m In Andria act. 3. ſcen. 1. & 2.
n Lib. 3. epiſ. 9. ad Minut. non longè à fine.
o Lib. 4 epiſ. 22. ad Semp. Ruffum.
p Lib. de ſenect.
q Lib. de claris oratoribus
r Vbi ſuprà.
ſ Cit. cap. 9. phyſiognom.
t Lib. 9. de præſag. ex puſ. cap. 4. & lib. 2. c. 8.
u Grad. 2. de princip. vit. cap. 5.
x Cap 6.
y Cap. 7.
z Lib. de ſympt. diff. 1. cap. 3.
a Lib. 4 de benefic cap. 6

b Prima trac. lib. 6. cap. 2.

aliàs, animam mortalem esse oporteat, cuius contrarium iam ante, [b] demonstrauimus: & ex fidei communique gentium consensu admittere cogimur. Mortalem autem fore, eo posito ita conuincimus. Quodlibet sic se habet ad esse, vt ad operari. Sed si intellectus sit organicus, anima non poterit operari separata à corpore. Ergo, nec esse. Minor probatur. Anima facultatibus destituta, non potest operari. Sed si intellectus sit organicus, anima separata à corpore, facultatibus erit destituta. Ergo. Posterioris syllogismi assumptio probatur. Intellectum esse organicum est organo inhærere. Non enim facultas vtitur organo, vt faber instrumento: quin potiùs organum informat, quod à facultate informatum, animæ ad destinatas functiones obeundas inseruit: vt de oculo, atque aliis consimilibus sensuum organis, euidens est, ac manifestum. Sed accidentia quæ alicui subiecto inhærent, non possunt sine illo eadem numero conseruari, neque de subiecto in subiectum moueri. Ergo, si intellectus sit organicus: non poterit in anima separata conseruari. Atque ideò, anima à corpore separata, suis facultatibus destituetur. Adde non aliunde sensus non cognoscere proprios actus, neque se reflectere supra se, nisi ex eo quòd sint organici, & materiæ immersi. Quare intellectus, cui soli illud conceditur: neque organicus erit, neque materiæ immersus. Præterea, ideò, cognoscitiuæ facultates homini variæ, & sibi inuicem subordinatæ tributæ sunt: quò materialia obiecta, talia demum per multiplices sensus transfusa, euaderent, vt animam ipsam, aut facultatem illi inhærentem possent informare: & anima in se quodammodo fieret omnia, vt habet Aristoteles [c] Sed si intellectus, esset organicus: spiritalis anima, nunquam rerum cognitarum formas in se reciperet. Quare intellectum inorganicum esse, & soli animæ substantiæ inhærere fateamur necessum est. Tertiò animæ separatæ à corpore, & in puris naturalibus constitutæ, ingenio inter se differunt, vt mox probabimus. Ergo non à sola temperamentorum varietate ingeniorum discrimina nascuntur.

c Lib. 2. de an. cap. 8. ant tex. 8.

Posterior verò sententia primùm illud habet à rationali conceptu, alienum, ingenia inter se diuersa esse, pro varia cuiusque electione, aut inspiratione eorum numinum quæ animæ præsunt. Quoniam licèt, cùm electiones, tum inspirationes huiusmodi, ad illustriorem ingeniorum profectum plurimùm prosint: naturalem tamen mentis aptitudinem, in se immutare non possunt. Præterea, quòd diuersitati temperamentorum hæc sententia nihil tribuat: falsitatis, ex eo conuincitur. Quòd non aliunde, quàm à temperamentorum discrimine, variáque organorum crasi pendere constet, Athenienses ad studia Philosophiæ fuisse natos, Bœotios stupidos, & Lacones ad exercitia bellica cæteris propensiores extitisse. Sic Italos, Eloquentia reliquis Europæis præstare: Hispanos in Theoreticarum scientiarũ cognitione excellere: Germanos, in Mathematicis & Mechanicis eminere. Gallos ingenio cæteris illustriores comperimus: varietate tamen literaturæ & Polydædalâ artium culturâ delectatos rarissimè in aliquo sic eminere, quin in eo superentur ab aliis. Quid autem potest huius aut alterius regionis clima ingeniis imprimere, quod eius varietatis sit causa: nisi corpora diuersimode alterando, inducto temperamentorum discrimine, ratione colligantiæ & subordinationis facultatum, aliquid in mentem influat.

Quapropter, vt vtrámque sententiam conciliemus neutri ex integro adhærentes: dicimus, omnem ingeniorum varietatem, partim cum prioribus ex disparitate temperamentorum totius corporis & præsertim cerebri: partim cum Proclo & Porphyrio, ex intrinseca animarum differentia; & maiore vel minore, vnius aut plurium facultatum perfectione pendere.

Temperamenta quidem, ingenia ex eo discriminant: quòd licet facultates mentis, nulli sint affixæ organo: quia tamen directâ intellectione intelligentem, oportet conuerti ad phantasmata, & nihil est in intellectu quòd priùs non fuerit in sensu: sensúsque tam interni, quàm externi, pro ratione temperaturæ quæ in singulorum organis reperitur, perfectiùs aut imperfectiùs operantur. Necessum est, pro varia huiusmodi sensuum aptitudine ad operandum, intellectum etiam, ad meliùs aut deteriùs intelligendum, habilem reddi. Etenim prout se habent rerum formæ, quæ illi per phantasmata repræsentantur: ita suos etiam actus elicit.

Neque verò à solo organorum temperamento, qualitatum primarum concursum sequente, ea varietas nascitur: sed ab eorum etiam vario substantiæ modo. Petuadi enim ab spiritibus celeriùs potest, tenuior cerebri substantia: tardiùs verò, crassior. Necnon quia spiritus animales, specierum intentionalium vectores: copiosiores, tenuiores, aut puriores: vel crassiores, impuriores, aut pauciores, pro diuersa cæterarum principum partium, imò & totius corporis temperaturâ generantur: atque inde internis sensibus magna accedit occasio meliùs aut deteriùs sentiendi: totius etiam corporis temperamentum, ad ingeniorum disparitatem causandam, plurimùm confert.

Sed præterea, cum rationales animæ hoc habeant, vt aliæ aliis sint in se perfectiores: vt post Salomonem, [d] Aristoteles, Diuus Thomas, Sorbonæ schola, & alij scriptores clarissimi à Conimbricensibus [e] relati censuerunt: inde princeps ratio diuersitatis ingeniorum meritò petenda erit.

d Sap. cap. 8.
e In cap. 1. lib. 2. de anima q. 5.

Quia

Quia tamen quod supponimus, quibusdam paralogon esse videbitur: ea intrinseca animarum diuersitas, ratione probanda est. Quam ex eo euidentem fore existimo, quòd cùm indiuidua cuiusque naturæ præcisè considerata (seu illa completa sint, seu incompleta adhuc, quales sunt animæ rationales à corpore separatæ) realiter ac positiuè differant: maiórque sit differentia inter animam Calliæ, citra omnem cum corpore colligantiam conceptam, & animam Sortis; quàm inter eamdem animā Calliæ hîc constituti & alibi per diuinam potentiam replicati: necessum est, aliquid reale & positiuum esse in anima Calliæ, quo ab anima Sortis realiter ac positiuè differat. Reale inquam & positiuum. Quia si earum differentia à parte rei est: eamdem per aliquid reale constitui necessariò oportet. Quod vt reale sit, neque formalem esse negationem sufficit, nec merè priuatiuum quid: sed positiuum quidpiam, negationis, aut priuationis, diuisibilitatis, & communicabilitatis, fundamentum. Quod cùm non sit de essentia animæ, quæ indiuisibilis est, se habens in modum numeri; [f] cui nihil addi potest, quin à priore natura in aliam mutetur: idipsum tamen naturæ specificæ, & cuiusque indiuidui essentiæ, sic superaddi oportet, vt singulis sit intrinsecum.

Quod licèt re sit indistinctum ab essentia: naturam tamen specificam contrahens; ab eadem formaliter differre, & vt fusè à Suarez probatum est, [g] indiuidualem singulorum naturam complere debet. Atque hoc ipsum quod singulis animalibus intrinsecum est indiuiduitatis constitutiuum, vt aliud & diuersum est in vna ab eo quod in altera est: ita idipsum in eisdem aliud alio nobilius aut ignobilius esse euidenti consequentiâ colligitur, & animas inter se nobiliores aut ignobiliores reddere. Quas pro varia intrinseca perfectione; perfectiores etiam aut imperfectiores facultates, sibi concreatas, & propriæ cuiusque substantiæ inhærentes, esse consequutas, facilè persuademur: cùm proprietates & accidentia, singulari cuiusque substantiæ conditioni superuenientia, eidem proportionata comproducantur. Perfectiores inquam aut imperfectiores facultates, diuersis animabus concessas dicimus: quòd cùm illæ sint de genere qualitatum quæ magìs & minùs suscipere possunt: easdem perfectiores aut imperfectiores esse posse, concipiamus. Non quòd quæ semel alicui sunt ingenitæ, intendi aut remitti possint, omni contrario carentes: Nam & senex ex Aristotele si haberet oculum iuuenis, videret vt iuuenis: sed quia naturæ proprij subiecti respondentes comproductæ; perfectiores, perfectioribus animabus, & imperfectiores imperfectioribus concedantur.

Quibus ita constitutis, cùm pro diuersa agentium perfectione, dispar nascatur agendi aptitudo: euidens est, ex prædicta intrinseca animarum dissimilitudine, & maiore minoréue præstantia facultatum, maximam ingeniorum varietatem pendere. Cúmque facultates hæ sint plures, intellectus, scilicet, memoria, & voluntas; ipsiúsque intellectûs tres sint functiones, apprehensio, iudicium, & *διάνοια* seu discursus; quarum singulæ euariare in infinitum possunt: nihil mirum si ex multiplici variæ singularum perfectionis, aut imperfectionis combinatione, tanta & tam multiplex ingeniorum disparitas emergat. Quæ præterea cùm ex diuersa temperamentorum constitutione, à seminalis materiæ parentum vario concursu; influxu syderum, in conceptu cuiusque, dispari: & dissimili, tam in vtero, quàm extra vterum educatione, ac differenti natura locorum, in quibus aut generamur, aut educamur, miris modis euariante: nouam disparitatis occasionem acquirant. Minimè mirum est, tantam esse ingeniorum dissimilitudinem vt duo quæ paria & æqualia sint aut vix queant aut omninò nequeant reperiri. Quæ & adhuc ab inuicem magìs discrepantia apparere facit, singularum facultatum mentis in vnoquoque exercitatio dispar.

Tandem verò, vbi à temperamentorum diuersitate, ingenia etiam dissimilia inter se euadere, concessum est. Quænam sit ea corporis constitutio, quæ ad ingenii præstantiam maximè valere dicatur, iam perquiramus. Qua de re licet non eadem sit omnium sententia: dicimus tamen, non vnius qualitatis tantùm, sed vtriusque contrarietatis temperaturam, & conuenientem modum substantiæ, hic esse considerandum. Ideóque primùm videri, in passiuis quidem, siccam totius, ac præsertim cerebri temperiem, ingenio maximè accommodatam esse. Vnde Heraclitus apud Galenum, [h] siccitatem ingenii causam statuens, splendor aridus, animus, inquit, sapientissimus. Et Hippocrates, [i] ait, homines, regiones steriles habitãtes, situ altiore munitas, asperas, hyeme niuibus pulsatas, & æstate, solis radiis exustas, ad capescendas artes acutiores perspicacioresque esse: licet sint paulò ferociores. Et Aristoteles, [k] melancholicos, quos siccos esse certissimum est, ingeniosos profitetur. Galenus præterea, [l] siccitatem, sagacitatem parere dixit. Ita contra, humiditatem, amentiæ & obliuionis causam esse, idem Pergamenus asseruit. Qui vbi ex Platone dixit, [m] animas in corpus delapsas, ob corporis humiditatem, obliuisci eorum omnium quæ didicerant: mox addit, animalia omnia quantum humoris, tantum & amentiæ sortiri. Et Hippocrates, [n] homines qui ea loca habitant, quorum terra pinguis est, mollis, & vliginosa; in percipiendis artibus hebetes esse testatur.

Quod ad actiuas autem pertinet: Aristoteles, [o] eos sentiendi intelligendíque vim obtinere pleniorem dicit, quorum sanguis tenuior est, & frigidior. Veruntamen quia ex Galeno, [p] discimus,

amen-

[f] Arist. lib. 8 metaph. text. 10.
[g] Disput. 5. metaph. sect. 2.
[h] Lib. quod ani. mores &c. cap. 5.
[i] Lib. de aere, aquis, & loc.
[k] Sect. 30. probl. 1.
[l] Lib. recens. cit. cap. 4.
[m] Mox citato cap. 4.
[n] Lib. recens relato.
[o] Lib. 2. de part. an. c. 2.
[p] Lib. 3. de loc. aff. c. 5. & lib. 2. de caus. simpt. cap. vlt.

q Eod. 2. de sympt. caus. & 4. de præs. ex puls. c. 8.

amentiam & memoriæ defectum, ab intemperie frigida causari: nimium verò calorem, [q] deliria inferre, phrenitica, & maniaca; censerem calorem temperatum parúmque æqualitatem superantem, ad prædictam constitutionem, vtilissimè concurrere. Temperatum inquam & non multùm æqualitatem superantem: non secundum suæ intensionis gradus, sed secundùm propriæ actiuitatis mensuram. Ita vt seu per leue incrementum intensionis in abundante calido; seu ex paucitate calidi, quamuis vtcumque intensioris, in actiuitatis mediocritate consistat. Vnde ex primo capite Aristoteles, [r] optimè ea constituta esse corpora ait, quorum calidus sit, tenuis & sincerus sanguis: quòd simul & ad fortitudinem, & ad prudentiam benè habeant. Ex altero verò Ptolemæus, [s] qui propiores austro inquit, ingeniosiores & calidiores, & rerum diuinarum periti magis esse consueuerunt. Quos cùm intensiorem calorem habere certum sit: Aristoteles [t] tamen eos ingenito calore frigidiores affirmat; non aliunde quàm quòd ob calidi parciorem copiam, caloris sibi inhærentis vires imbecilliùs proferant. Atque hæc vera esse, quotidianâ comprobamus experientiâ; aduertentes, ingeniosos, vel inter temperatiores elucere, & sanguinis esse tenuioris, in actiuis autem, caloris propè mediocritatem remissi; vel inter melancholicos recenseri. Non enim quoscumque melancholicos ingeniosis annumerat. In quibus enim inquit, [u] multa & frigida melancholia est, hi stolidi sunt & ignaui. Quod de fœce sanguinis, quæ verè talis est, dicitur. In quibus autem addit multa & calida: hi vel pereiti, vel ingeniosi. (Ita enim rectè legi existimo) pereiti quidem si atra ac deusta bilis aliquantò copiosior extiterit. Ingeniosi verò, si non admodum excedens, multo tenui sanguine diluatur. De qua paulò ante dixerat, si admodum incalescit (pro diuerso scilicet caloris gradu, vltra mediocritatem homini conuenientem) securitatem animi; cantilenásque parit, & mentis alienationem, & vlcerum eruptionem. Est enim melancholia duplex, vna quæ nomen generis retinens, est fœx sanguinis, frigida & sicca; ad ingenium inepta: Altera, quam atram bilem appellamus ex sanguine, bile, aut melancholia, deustis: quæ calida est & sicca. Cuius ordinis, quæ ex sanguine tenui superexcocto generatur, ea ad ingenium plurimùm valet, modo non nimiùm accreuerit. Increscens enim plusculùm, animi securitatem causat: mox etiam scurrilitatem prouocat. Quæ verò ex bilis aut melancholiæ exustione nascitur, & licet admixta sanguini iam admodum incaluisse intelligitur. Mentis alienationem alterutrius conditioni respondentem infert. Vt alterutra quæ per vstionem genita est, in cutem & carnes effusa, diuersorum vlcerum eruptionem facit. Sicque melancholicorum alios stolidos, alios ingeniosos, alios furiosos, & deliros etiam esse apparet. Ac quoniam qui ingeniosi sunt, vix in ea temperaturæ mediocritate diu continentur, quin calor increscat: nisi sibi caueant, & conuenientem victûs rationem obseruent, ac mentis reflectioni assueti, nouerint incipientes errotis motus reprimere, facilè in melancholica, aut maniaca deliria incidunt. Quare non immeritò Seneca, [x] nullum magnum ingenium inquit, sine mixtura dementiæ fuit.

r Cit. lib. 2. de par. anim. cap. 2.
s Lib. 2. quadri partiti. cap. 2.
t Sect. 14. problem. 15.
u Cit. probl. 1. sect. 30.
x Ad finem lib. de animi tranquillitate.

Verùm non sufficit, ad constitutionem præstanti ingenio conuenientem, eam esse primarum qualitatum temperaturam, vt siccitate temperiem aliquantulum excedente, calor vti explicatum est, sit temperatus; sed præterea debitus quidam substantiæ modus in cerebro expetitur, quo tota opportuna cerebri crasis & specialis temperatura compleatur. Quare Galenus [y] ingenium inquit, subtilem seu tenuem cerebri substantiam indicat, tarditas verò intellectûs, crassam. Sed cùm tenuia ea sint, quæ facilè in minima redigi possunt, vt ex Galeno, [z] docet Scaliger: [a] pro tenui raram, & pro crassa densam dixisse mallem. Quòd tenue facilè peruadat alia, rarum autem facilè peruadatur. At rarum nolim cum Galeno dici ex maiore pororum frequentia: sed cum Aristotele ex maiore eiusdem quantitatis extensione. Talem autem ad ingenium in cerebro requiri substantiæ modum indicare voluit Heraclitus, splendorem siccum ad sapientiam expetens. Et Stoici apud Galenum, [b] existimantes animæ substantiam ex aëris & ignis temperatura conflari, ab eorum exquisita complexione Chrysippum ceterum fuisse ingeniosum dixerunt: quòd maximam substantiæ tenuitatem, ad ingenij præstantiam necessariam esse censerent, simile quidpiam Aristoteli [c] probatum aduertimus, qui tenuitatem sanguinis (atque ideò spirituum, qui ex sanguine generantur, & qui quò tenuiores sunt faciliùs ab obiectorum imaginibus informantur) ad pleniorem sentiendi intelligendíque vim præstare scribit. Quare minimè mirum est, si apud Senecam Rhetorem [d] legamus, Cestium dicere, tam immaturè magnum ingenium, non esse vitale. Et Quintilianum [e] scribere, illud ingeniorum velut præcox genus, citò decidere. Cùm prædicta temperies, ad vitam producendam minimè sit apta.

y Lib. artis paruæ cap. 11.
z Lib. 1. sim. cap. 21.
a Exerc. 142. num. 5.
b Cit. li. quòd animi mores &c. cap. 4.
c Lib. 2. de part. anim. cit. cap. 2.
d Lib. 1. controu. contr. 1.
e Lib. 1. c. 3.

Hæc verò omnia ad temperaturam præstanti ingenio accommodatam requiri, ratione non difficilè comprobatur. Etenim cùm interni sensus menti subordinentur, & qualis est horum vigor, talem esse vim mentis indicetur: ea temperies quæ internorum sensuum motus celeres, nec tamen inconstantes, & vagos; necnon acrem & acutam eorum agendi vim reddet, faciétque vt ijdem in

longum

longum tempus ſuas cognitiones reſeruent:eadem ad conſimilem mentis vigorem procurandum maximo erit adiumento. Sed temperatus calor ad celeritatem motûs, citra importunam volubilitatem efficaciſſimus. Qui expeditior tum futurus eſt,cùm ſpiritus animales ſpecierum delatores tenues fuerint,ipſáque cerebri ſubſtantia organicarum facultatum ſubiectum, opportunam raritatem conſequetur. Sic enim quàm celerrimè ſpiritus animales quò, ad animæ functionum famulatum expediet,mouebuntur,& cerebri ſubſtantiam facillimè peruadent, vt ſe in ſenſûs communis organum,aut inde,in imaginatiuæ ſedem promptiſſimè inſinuent. Ac demùm ſiccitas calori coniuncta ad acriùs opetandum magno eſt incitamento. Vnde ſic affecti, cogitabundi eſſe conſueuerunt. Qui ex acriore,& magìs attenta internarum facultatum ſenſatione, vt intenſiores actus producunt,qui & magìs in ſubiecto radicantur. Ita imagines hinc emanantes, quas expreſſas appellamus,& quæ à prædictis actibus re minimè diſtinguntur,profundiùs imprimunt & in longum tempus conſeruant. Hinc Quintilianus, [f] nec dubium eſt inquit, quin plurimùm hac in parte valeat mentis intenſio,& velut acies luminum,à proſpectu rerum quas intuetur non auerſa. Et Galenus, [g] ſi aliquid ait,cum multa animi attentione imaginemur, fit fortis impreſſio, & illud facillimè memoramur. Vt Ariſtoteles [h] contrà,obliuionem ex negligentia proficiſci,ſcribit. Quæ ſi ita eſſe concedantur: quonam modo accidit ad diſcendum promptos,ſolere,quàm celerrimè eorum quæ didicerint obliuiſci. Et quare qui memoriâ valent, iudicio vt plurimùm carere, authore Ariſtotele, [i] dicantur. Quod ad primum ſpectat,notandum eſt. Eos quidem omnes ad diſcendum promptos eſſe,quorum interni ſenſus: ijs inhærent organis,quæ tenuis ſint ſubſtantiæ & ſpiritus animales tenues etiam habeant & puros: & contra tardos,quorum conſtitutio priori fuerit contraria. Inter illos autem,quia nonnulli ſimul ſunt temperie calidâ & humidâ,copioſos ſpiritus generantes: quorum largior abundantia,non ſolùm celeritatem operandi largitur ſenſibus,ſed præterea meditandi impatientem & ſibi confidentem ſic temperatum reddit. Et qui ita ſunt conſtituti quæ occurrunt omnia,cum minore animi contentione perficiunt,minúſque attentè & legunt,& audiunt, & agunt ſingula. Alij ex aduerſo reperiuntur,qui cum prædicta tenuitate ſubſtantiæ organorum, & ſpirituum animalium,temperiem obtinuerunt calidam & ſiccam, pauciores ſpiritus generantes vel reſeruantes ſaltem;quos propter exolutionem aut pauperiem calidi,remiſſiùs calidos dicere conſueuimus. Qui vt habet Ariſtoteles, [k] minus ſibi confidentes,& cogitabundi,ſingula quæ ad ſenſuum actiones ſpectant attentiùs,& acriùs exequuntur. Quoniam, quò ſenſus maiore cum attentione & animi contentione ſingula operantur; eò intenſiores actus & firmiùs facultati organóque inhærentes,producunt,& contra: accidit quidem vtroſque eſſe ad diſcendum promptos:ſed poſteriores ſimul eſſe memores; priores autem obliuioſos. Cúmque natura frequentiùs ſoleat animantibus eam temperiem impartiri,quæ ad vitam producendam & ſpeciem propagandam vtilior eſt: quia talis calida eſt & humida,eamdem pluribus tribuere conſueuit; atque hinc aduenit, inter dociles, plures obliuioſos,quàm memores reperiri. Interim tamen,vel proteruiores ipſi vix negabunt: aliquos reperiri,qui dociles ſimul ſint,& memores. Non ex eo quòd Quintilianus, [l] memoriæ duplicem virtutem aſſignans,facilè percipere, & fideliter continere: ad diſcendum promptos ſaltem quoad hoc memoriâ valere ſignificet. Sed quòd inueniantur nonnulli qui & celeriter apprehendant,& quæ apprehenderint fideliter contineant. Ambæ tamen hæ ingenij dotes non ſolùm raro concurrunt: ſed præterea in plurimis,culturæ defectu,diſſociantur. Ad ſecundum problema reſpondemus,vulgarem eſſe ſententiam,vt ſcribit Rhodiginus, [m] intellectûs iudiciíque præſtantiam, ſequi humidam cerebri temperiem. Atque ideò apud Ariſtotelem [n] qui molles ſunt carne, mente valere dicuntur,quòd imagines,in molli organo faciliùs imprimantur,quæ ad facilè apprehendendum non leuis eſt diſpoſitio.

Contrà memoriam excellentiùs in his vigere,aiunt,quorum cerebrum ſiccum eſt, quòd ſpecies in ſicca duráque materia inſculptæ diutiùs integræ conſeruentur,& obliterari facilè nequeant. Quę aduerſæ & repugnantes temperies,quia non poſſunt in eodem ſimul conſiſtere: cauſa eſſe dicuntur,ob quam memoria & iudicium in nullo ſimul eminere inueniuntur. Verùm quia eoſdem excellenter & ſapere & memorari non raro experimur:ea quamuis recepta vulgò opinio, placere nobis non poteſt. Memoriâ valuiſſe Cæſarem,ex eo vno conſtat:quòd & legere,& querelas audire militum,& pluribus ſimul dictare ſolitum ſcribatur. Iudicium verò,quantum haberet: in gerendis rebus,inſtruendis & dirigendis aciebus euidenter indicauit. Ciceronis memoria, hoc vno inter cætera fuit celebris:quòd mimum ad miraculum agilem ante ſaltantem delaſſaret, quàm ſynonima ſingularis ſignificatûs abſolueret. Qui,quàm acri polleret iudicio: eius ſcripta demonſtrant. Picus Mirandulanus,quo eſſet iudicio,monumentis poſteritati exaratis oſtendit. Quàm excellentem verò memoriam haberet,tunc manifeſtauit,cùm poëma ab ingenioſo quodam adoleſcente,in ſummi Pontificis laudem ſe præſente pronunciatum,mox ipſe ad verbum recitauit.

[f] Lib. 11. inſt. cap. 2.
[g] Lib. 2. de motu muſc. cap. 6
[h] Lib. 2. ethic. cap. 2. ad finem.
[i] In princip. lib. de mem. & reminiſ.
[k] Cit. 14. ſect. probl. 15.
[l] Lib. 11. inſtit. cap. 3
[m] Lib. 10. lection. antiq. cap. 15.
[n] Lib. 2. de anima 94.

Sed præter tot viros diuersis sæculis illustres, in quibus ambo illa summa apparuerunt plurimos inuenire licet, qui & iudicio sunt non vulgari, & memoriâ non infirmâ. Quos oporteret, in altero manifestè deficere: si prædictæ facultates, earum temperierum ad inuicem contrariarum alteram, sibi annexam esse expostularent.

Quare prædictum problema aliter soluendum esse censemus. Sed principio aduertendum est. Primò quidem, memoriam esse præteritorum recordationem. Quæ duo in se excludit; speciecum scilicet conseruationem, & reagnitionem rerum iamdudum cognitarum: à superiori quidem facultate, in sensibus; per quemdam verò reflexionis modum, in intellectu. Secundò adnotandum est, iudicium licet multifariam dicatur, & apud Logicos sumatur pro secunda intellectûs operatione, in qua est affirmatio vel negatio vnius de alio: apud Iurisconsultos verò, sit legitimus actus, quo mediante, iudex, de causa proposita cognoscit, & secundùm æquitatem pronunciat: & apud Medicos vulgò crisim significet: hîc tamen per iudicium intelligimus, eam mentis, tam vim, quàm actionem, quâ de rebus cognitis cum discursu quidpiam decernimus. Cuius duplex est officium & finis: vel scilicet veritatem, & falsitatem sibi obiectorum discernere: vel media quæ ad propositi finis consequutionem commodiora sunt, inuenire. Quorum priore, ad theoreticum intellectum spectante, scientia & sapientia acquiritur: posteriore verò, ad practicum intellectum pertinente, prudentiam nobis comparamus.

Quo supposito, dicimus humanam mentem (quæ in se & ex intrinseco principio nobilioris est ordinis) tam apprehensiuam quàm discursiuam intellectûs vim, æquè validam, & æqualiter æternam sortitam, corpúsque in debita temperatura conseruatum, nactam: posse quantum in se est, memoriâ simul & iudicio valere. Verùm quia primùm, dotes illæ mentis, possunt ab omnium bonorum largitore Deo, inæqualiter dispensari. Vt [o] talenta (dona scilicet naturalia & grauita) seruis suis [idest hominibus] non æqualiter est elargitus. Inde possunt aliqui plus valere memoriâ, alij iudicio magìs pollere. Secundò, anima cuius potentia finita est, licet prædictas facultates eiusdem excellentiæ sortita fuerit: quia tamen vix potest singulis operantibus integras suas vires impertiri, prout à voluntatis imperio determinata, consueuerit apprehensioni, (quæ memoriæ est fundamentum) negligentiùs attendere: ad discursum verò(qui iudicium parit) acriùs conuerti; aut contra: accidet, vel iudicium, memoriæ; vel contra memoriam, iudicio præualere. Quod, licèt non tam à natiua aptitudine prodeat, quàm à particulari determinatione prædictarum facultatum: quia tamen innata cuique aptitudo, ex operationibus nobis innotescit; quémque eâ facultate plus valere existimamus, quâ excellentiùs operatur. Tertiò quia ad singularum facultatum mentis vim tuendam, & illustrandam; non eadem culturâ, sed admodum differentibus mediis est opus: fit vt plurimi vnam exercentes, aliam verò negligentes, licèt ad vtramque parem habeant natiuam aptitudinem, excellant tamen in vna, & aliam veluti contractâ rubigine ad marcorem deducant. Ita iudicium ipsum, quod longo vsu, & exercitatione; non tam firmamus, vt memoriam, quàm acquirimus: prout in theoreticis aut agibilibus fuerit exercitatum, illos quidem doctos, hos verò prudentes efficit.

Eâque varietate in his eminet, vt priores in grauissimis quæstionibus dirimendis, & obscurissimis problemaribus explicandis sint quidem aptissimi: in rebus autem gerendis, sint parum idonei: posteriores verò, cùm subtiles illas sublimiorum scientiarum disquisitiones, vt nullius ad commodiorem vitam fructûs negligant: in arduis tamen, & difficillimis ciuilis vitæ casibus, vel librandis vel superandis sint consultissimi. Ex quibus omnibus variè concurrentibus, cùm facilè concipiatur, cur memores vt plurimùm iudicio minùs valeant, & contra: illud etiam tandem addendum est, quod in idipsum conspirat: scilicet non eisdem ætatibus posse memoriam, iudiciúmque vigere. Etenim quòd primæ cognitiones, firmiùs internis sensibus, mentique singula admiranti imprimantur: in adolescentia, memoria fœlicissima est, & ad consistentiam vsque satis integra perseuerat.

Deinceps verò, anima tantâ varietate cognitionum quasi fatigata, occurrentibus rebus segniùs attendit, & memoria redditur infirmior. Vnde Seneca, [p] memoria est res ex omnibus partibus animi maximè delicata, & fragilis: in quam primam senectus incurrit. Atque vt ait Quintilianus, [q] eius hæc varietas mira est: excidere proxima, vetera inhærere: hesternorum immemores, acta pueritiæ recordari. Iudicium verò, quia discursum & ratiocinationem sequitur, multiplici rerum cognitione, vsu, & experientiâ acquiritur. Atque ideò, in pueritia nullum, in adolescentia infirmum, sensim per ætatem increscit effectu, túncque maximè viget, cùm memoria ad defectionem inclinat.

Sicque demùm, toti huic arduæ perquisitioni, satisfactum putamus: si priùs argumentis quæ principio allata sunt, ad probandum solam temperamentorum varietatem, causam esse omnis

diuer-

o Matth. 25.

p In præfat. lib. 1. contr.

q Lib. 11. institutionum. cap. 2.

diuersitatis ingeniorum respondeamus. Quare ad primum negamus maiorem. Et dicimus explicatum à nobis fuisse, non solùm pro temperamentorum diuersitate euariare ingenia: sed etiam per ætatis decursum, culturâ & exercitatione variâ, eadem reddi à seipsis diuersa. Diuersorum autem animas intrinsecè ab inuicem differentes, habere, vnde eorum natiua mentis aptitudo, citra omnem à corpore dependentiam, disparitatem accipiat. Ad secundum, concedimus, contrariorum contrarias esse causas, sed in eodem genere causæ. Atque ideò, vt à morbosis cerebri intemperaturis, delitia, obiectiuè procurantur: phantasmatibus scilicet, pro organorum vitiis, vitiosè intellectui repræsentatis, vt alibi [c] fusè explicuimus. Ita fit, vt pro varia temperie organorum sensuum internorum, & spirituum animalium, perfectioribus, aut imperfectioribus sensationibus elicitis, hísque magis minúsve expeditè, & perspicuè, aut cum maiore vel minore vehementia menti repræsentatis: eadem, perfectiores aut imperfectiores, apprehensionis, discursûs, aut memoriæ functiones edat. Sed præterea, vt eadem est mens, quæ illos actus, & rectæ rationis, & delitij elicit. Ita ipsa, vel prout, in se & intrinsecè diuersa est ab alia, vel prout magis aut minùs suis functionibus attendere assuescit: potest perfectiores actiones, & quàm aliàs posset, & quàm alia possit, producere: atque ideò differentis esse ingenij. Ad tertium tandem, negamus etiam maiorem. Non enim pro differentium organorum læsione, diuersi illi diuersarum facultatum mentis errores adueniunt, vt vult Huartus. [f] Quoniam intellectûs simplex apprehensio (quam cum imaginatiua confundit) ratiocinatio, & membria intellectiua, neque organis distinguuntur, neque vlli inhærent organo, vt iam antea probanimus. Quomodo autem, & à quibus causis prædicti diuersarum mentis functionum errores, adueniant: iam satis superioribus locis à nobis fuit explicatum. Etenim vt ex Aristotele, [e] & intelligere & contemplari marcescit: allo quodam (id est interno sensu) intus corrupto, ipsum autem impatibile est: ita error omnis delirantis mentis, sensuum errorem sequitur. Qui vt diuersi sunt, diuersis mentis functionibus quodammodo respondentes: ita modò hanc, modò illam mentis functionum in errorem ducunt. Veruntamen, intellectus, se aliquando reflectendo sensuum errorem deprehendit: neque necessariò illis errantibus errat. Se verò sæpiùs non reflectit, seu, quòd non sit in hoc exercitatus; seu quòd vehementia repræsentationis obiecti, illum sibi alligatum teneat: seu tandem, quòd anima facultatibus naturalibus à morbo grauiùs læsis, maiore curâ attendens, cum intellectu negligentiùs concurrat.

[c] Select. exerc 5 & tract 2 prax. lib. 3 sect. 1. c 10. & sequentib

[f] In examine ingeniorum. cap. 6.

[e] Lib. 3. de an. tex. 66.

Ita in apoplexia, cæteris functionibus animalibus abolitis, vni respirationi attendit anima: quòd illa, ad vitam sit omnium maximè necessaria.

Qui faciliùs, quique difficiliùs ægrotent.

Capvt VI.

Temperatissimam constitutionem, qualem libro de temperamentis [a] & suprà [b] descripsimus, insalubribus causis quomodocumque occurrentibus præ cæteris resistere, iam antea documus, Galeni placitis adhærentes. Hic enim [c] corpus quod maximè commensuratum est, idem salubre simpliciter semper esse scribit, & [d] cerebrum quod temperatum est ab ijs, quæ extrinsecùs occursant, minùs lædi: necnon [e] temperamenta in medio constituta, nulli vitio esse obnoxia: ac demùm libro de optima corporis constitutione, [f] idipsum variis rationibus confirmat. Quod pro ratione & meritò decretum esse, ideò censemus: quia primùm sic temperati corporis membra cùm eam consequuta sint crasim, quæ cuique maximè opportuna est, ad munia tam propria quàm officialia sibi imposita exequenda: aut nunquam, aut tardissimè in eos vel casus, vel errores incident; à quibus, insalubres causæ, quæ nos ab intra offendunt, excrementa scilicet, qualitate, aut quantitate multifariam peccantia, generantur. Præterea, cum huiusmodi corpora ex coalteratione internorum membrorum diuersimodè ad iustitiam temperatorum, in cute & musculoso habitu, æqualem aut parum ab æqualitate deficientem qualitatum commensurationem nanciscantur; quibuscumque etiam externis alterantibus potenter obsistere. Potenter, inquam, non ita tamen quin corpora in salubri alicuius qualitatis, vltra iustitiale temperamentum excessu constituta: contrariæ qualitati, potentiùs temperato aduersentur. Sed quòd cum hoc soli aduersariæ alterationi efficaciter obnitatur, congeneri autem facillimè succumbat: contrà corpus qualiter expressimus temperatum, cuicumque contrariorum occursui æqualiter, simúlque potenter reluctetur. Etenim cùm æquilibrium illud qualitatum, in solo corporis habitu, ex coalteratione internorum membrorum appareat; nec toti corpori ad iustitiam per singula membra temperato sit commune: si quando hinc vel inde infesta illi quæpiam occurrat alteratio potentia quæ corpus hoc nostrû informat, & regit, cum illis membris efficaciùs concurrit, quæ in coalteratione, ad resistendum

[a] Cap. 3.
[b] Cap. 1.
[c] Lib. artis parua cap 4.
[d] Lib. eodem. cap. 13.
[e] Lib. 1. de san. tuenda. cap. 5.
[f] Cap. 3.

alterationi tunc occurrenti plus possunt. Quod ita præterea intelligendum est, non quòd ea resistentia quæ ab interno membrorum vigore & robore prodit, semper ex se valeat externo alteranti in integrum obseruari, sed quòd diutiùs reluctando, quàm quod pariliter distemperatum est nobis opportunitatem præstet ea quærendi auxilia, quæ ad efficaciùs resistendum vimque alterantis integrè reprimendam sunt accommodata.

Ex quibus cùm abundè pateat, quomodo celebrem illam controuersiam dirimere oporteat, in qua disputatur, vtrum corpus temperatum magìs resistat causis morbificis quàm intemperatum; perquiramus: deinceps, quænam constitutiones, ab optima illa, & verè media deficientes, faciliùs aut difficiliùs in morbos incidant, cuius rei cognitio, ad diagnosim, prognosim, & prophylacticem morborum maximi est momenti & emolumenti. Hinc enim in cognitionem venimus, variæ morborum magnitudinis, & quàm magnum aut paruum sit periculum quod impendet subolemus: ac demum imminentes morbos præcauere docemur.

Quoniam verò, constitutionum à media decerrantium duo sunt genera: quædam enim, pro varia primarum qualitatum temperie considerantur, vt calida humida: calida sicca, & similes. Aliæ verò ex habitûs corporis diuerso substantiæ modo petuntur: rara videlicet, densa, mollis, dura, & iis pares; de vtrisque quærendum est, quæ magìs aut minùs possint ad morbos esse procliues.

Quod ad priores ergo spectat, antequam quid statuendum sit videamus, illius diuisionis temperamenti meminisse oportet, secundùm quam complexum & heterogeneodes temperamentum dicitur esse vel æquale, vel inæquale, secundùm conformitatem aut difformitatem effectûs. Quod ex conformitate vel difformitate craseos principum partium nascens; quale fit in diuersis regionibus habitûs corporis cuique principi membro respondentibus, propriis signis manifestatur. Quo posito; dicamus cum authore definitionum medicarum Galeno ascriptarum, ægrotationi opportunissimas esse constitutiones corporum, quæ ex partibus constant temperatura contrariis: seu quorum modo dicto inæquale est temperamentum. Corpora enim huiusmodi perenne inter partes principes dissidium patiuntur, quæ mutuo inter se auxilio ad reciprocam tuitionem indigentes; dum hostiles sibi inuicem subministrant influxus, sibi etiam nouum laborem procurant: & dum ex mutua discordia, ab extra occursantibus, disparilitet aduersari coguntur; singulis imbecilliùs obsistunt. Quare eadem, & facile à quacumque aëris nos ambientis intemperie, in aliquo principe membro offenduntur: & ab intra, ob inæqualem excrementorum generationem & collectionem, nouas semper ægrotandi occasiones sibi præparant. Ita, verbi gratia, si quispiam ex natiua constitutione sit cerebro frigido, aut in actiuis temperato & humido; corde temperato; hepate verò calido & sicco; & ventriculo frigidiore is nullam anni constitutionem sine alicuius offensæ periculo transiget; ἀναθυμίασις sentiet plerumque infestas, & distillationes varias reciprocâ quadam circulatione procuratas, infernis partibus inimicas patietur. Ideòque in quotidiana praxi experimur, nullam diathesim medico auxilio tam frequenter indigere quàm hæ indigeant; neque vllam aliam, maiorem in Medico prudentiam requirere: quoniam nisi cum his cautè procedatur: dum vni membro subuenire studemus, periculum est, ne alteri noceamus.

Inter æquales verò discrasias, quædam simpliciter, quædam comparatè, salubriores aut insalubriores dici possunt. Simpliciter quidem, vt in anni constitutionibus ex tertio aphorismorum. g Siccitates imbribus sunt salubriores, & minùs mortiferæ: ita inter omnes temperaturas à medio deficientes, quæ in actiuis temperata est, & cum aliquali excessu est sicca: ea salubertima esse videtur. Etenim ij minimùm ad putredinem contrahendam sunt apti, distillationibus parùm obnoxij, & ad inflammationem concipiendam non admodum sunt faciles: ex quibus tamen frequentiores ægrotandi occasiones nobis adueniunt. Minùs ea salubris est constitutio, quæ in actiuis temperata, & in passiuis humida: ad generationem excrementorum nimiùm est facilis. Vnde Hippocrates. h Quibus nares, inquit, natura humidiores, & genitura humidior, minùs integrâ sanitate fruuntur: quibus verò contraria, salubriùs degunt. Cuius decreti Galenus i rationem reddens in siccioribus secundùm naturam temperaturis ait, nulla omninò superfluitas manifesta neque sensibilis per nares effluit ex cerebro, sicuti neque per cutem sudor: sed illa quæ à Medicis difflatio occulta nuncupatur, superflua extenuata in modum vaporis euacuat. Humidioribus verò naturis sensibiles fiunt superfluitates, & præsertim cerebri, quoniam est natura frigidius. Atque huiusmodi idem Pergamenus distillationibus admodum obnoxios esse declarat.

Prioribus insalubriores adhuc sunt calidi & humidi: nam vt habet k Galenus cùm humiditates quæ modum excesserint habiles sint ad putredinem faciendam, & magìs adhuc quàm humiditates, calores putredinem faciunt: si quando hæ ambæ dispositiones in vnum conuenerint, vehementissimæ fiunt putredines. Quare eum in methodo. l Intemperierum inquit, opportunissima ad febres est calida & sicca: intelligi debet de febribus, tum diariis

g Aphor. 15.

h Lib. 6. aphor. 6.

i In comm. eit. aphorif.

k In lib. 3. aph. com. 11.

l Lib. 8. methodi. cap. 8

tum

rum hecticis. Nam ad febres quæ ab humorum putrilagine nascuntur, multò opportuniores sunt calidi & humidi. Quia verò hic caloris humorisque excessus multiplex esse potest & varius, secundùm maiorem aut minorem alterutrius qualitatum recessum à iustitiali temperie: qui ita sunt in pueritia & adolescentia calidi & humidi, vt calore humorem exoluente sensim minùs humidi reddantur, ac primùm temperati in passiuis, mox etiam sicci euadant: ex Galeno,[m] vbi talium corpus ad robur peruenerit, plus cæteris sanitate fruuntur; & reliquis qui parem ætatem agunt, valentiores ad extremum vsque senium perseuerant. Huiusmodi enim temperamentum, quamquam in principio sit deterius: tempore tamen, reliquis præstantius euadit. Qui verò ita sunt constituti, vt diffluens humidum quo impensiùs abundant euinci à calido & exsiccari sufficienter nequeat: & morbosi sunt admodum, & minimè longæui: ab ijs frigidos & siccos ex eo morbosiores existimamus: quòd licet minùs frequenter ægrotent, constitutionem tamen vitæ maximè aduersam obtinuerunt. Omnium frequentiùs ægrotare, & breuis esse vitæ illos existimamus qui frigidi sunt & humidi: quia calorem quo viuimus: cùm habeant infirmum, ad omnia vitæ munia sunt imbecilles: quâ parte verò sunt iusto humidiores, frequentes distillationes pati consueuerunt.

m Lib. 6. de sanit. tuenda. cap. 6.

Comparatè autem ad diuersas anni constitutiones, temperaturarum aliæ aliis salubriores, aut insalubriores esse consueuerunt. Nam ex Hippocrate.[n] Naturarum hæ quidem ad æstatem; hæ verò ad hyemem, benè, maléue se habent. Imò & pro varia regionum temperatura & differenti victûs genere; alij aliis meliùs aut deteriùs agunt: vt ab eodem[o] adnotatum legimus. Faciliùs enim quique in morbos incidunt, cùm ad eam anni constitutionem peruenerint, eámue regionem incoluerint, aut eo victûs genere sint vsi; a quibus, quæ insita illis est à natura discrasia, maius incrementum accipit. Sic calidiores æstate, & frigidiores hyeme, deteriùs habent: & contrà. Cúmque à similibus excessibus faciliùs lædamur: minùs etiam periclitantur in morbis,[p] quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori, magis congruit morbus: quàm quibus secundùm nihil istorum congruit: quemadmodum clarè explicatum est à Galeno in eiusdem aphorismi commentario. Vti verò à temporum anni, regionúmque intemperatutis, quæ discrasiis nobis insitis similes sunt, faciliùs lædimur: ita ex Galeno[q] à contrariis morbi iam geniti faciliùs soluuntur.

n Lib. 3. aphor. 2.
o Lib. eodem aph. 3.
p Lib. 2. aph. 34.
q Comm. in aphor. 3 lib. 3

Quòd si demùm corporum constitutiones pro diuerso eorum substantiæ modo consideremus; quas salubriores quásue insalubriores censere oporteat, discendum est ex Hippocrate & Galeno. Quorum ille,[r] sic scribit. Transpirantes facilè, debiliores, & saniores, & meliùs conualescentes. Transpirantes autem difficilè, priusquam ægrotent firmiores: cùm autem iam ægrotare cœperint difficilè conualescentes. Hæc autem & toti, & parti. Alter verò,[s] omnes huius ordinis constitutiones percurrens: mollior, air, corporis habitus, ab extrinsecus imminentibus facilè offenditur: durior, corporis inhiber auctum. Quibus densior est, in carne excrementorum aliquid hæret: quibus rarior, quod est salubre effluit. Gracilitas externis iniuriis: crassitudo; ijs quæ internè ab ipso corpore proueniunt obnoxia est. Molles enim, rari, & graciles, ab internis causis seu excrementis in nobis coaceruatis seu quantitate seu qualitate peccantibus, rariùs offenduntur: & læsi, citiùs curantur. Quoniam in ijs, ea quæ in statu salubri à coctionibus residua sunt, aut quæ in morbis per pepasmum, mitificata sunt: à natura, pro innati calidi vigore, per insensibilem transpiratum facillimè dissipantur. Verùm quia simul cum halituosis excrementis spiritus etiam exhalant, per calidiores anni constitutiones, & in æstuosis regionibus, sic affecti facilè exoluuntur, & imbecilliores redduntur. Qui præterea, quoniam ab ambiente facilè peruaduntur: externarum & procatarticarum causarum iniuriis sunt plurimùm obnoxij. Contra qui duro, denso, & crasso sunt corporis habitu, quia minùs sunt peruij, ab extra difficiliùs offenduntur. Quandoquidem tamen, ijdem difficilè difflantur: collectis intrò copiosioribus excrementis, ab internis & antecedentibus causis faciliùs læduntur, & semel ægrotantes, tardiùs curantur. Sed in huius noxæ subsidium, quia spiritus parciùs dissipant, ijdem robustiores esse consueuerunt.

r Lib. de ali. tex 32.
s Lib. 2. de san. tuenda. cap. vlt.

An detur aliqua constitutio neutra.

CAPVT VII.

QVAMVIS Aristoteles[a] sanitatem & morbum contraria esse immediata docuerit, nihilque inter vtrumque medium interuenire dixerit. Galenus[b] tamen definiens Medicinam, scientiam salubrium, insalubrium & neutrorum: inter salubre seu sanum, & insalubre (quod nihil referre ibidem ait, si ægrum dixerimus) neutrum velut medium constituit.

a In post prædicamen. 11 & lib. 4. topic. cap 3.
b Lib. artis parua. cap. 2.

c Lib. eodem. cap. 4.

Quam controuersiam vt dirimamus, sciendum est; Galenum, [c] corpus salubre, sic distinguere, vt illud dici quadrifariam doceat. Primùm enim salubre, aliud simpliciter dicitur, quod ab ipso naturæ ortu, cùm bonam habeat temperaturam in simplicibus & primis particulis, tum in illis quæ ex illis componuntur instrumentis, est commensuratum. Aliud salubre simpliciter semper appellatur: quod secundùm omnes sui partes, & per omnes ætates optimè est temperatum, ac maximè commensuratum. Tertiò salubre vt multum dicitur: quod ab optima constitutione non valdè admodum deficit, & defectus qui illi inesse dicitur, solam remissiorem & minùs absolutam sanitatem significat. Non enim [contra quam Montano sit visum] sensibilem vllam supponit in aliquo membro læsionem; aut aliquem per ætatum mutationem ad insalubritatem lapsum: quoniam vtrumque, neutræ potiùs (vt mox dicemus) quàm salubri constitutioni conuenit. Sic namque salubris insalubris, & neutri varias acceptiones Galenus & expressit & distinxit vt aliæ cum aliis minimè conuertantur.

Quartò denique, salubre vt nunc appellatur, estque illud, quod qualecumque à natura sit, in præsenti est sanum: atque ita vt eo tempore quo sanum existit, bonam habeat temperaturam & commensurationem; non tamen optimam, at sibi propriam.

d Lib. eodem. cap. 5.

Insalubre consimiliter partitur [d] & insalubre simpliciter, corpus est inquit, quod ab ipso ortu naturæ, vel in consimilibus partibus malam habet temperaturam, vel in instrumentariis incommensurationem, vel vtrumque vitium. Insalubre verò simpliciter semper, id esse docet, quod in simplicibus membris omnibus vel aliquibus: ac saltem in iis, quæ obtinent principatum, pessimam habet ab ortu temperaturam, & in instrumentariis omnibus, vel aliquibus, aut principibus, deterrimam sortitum est incommensurationem, aut vtrumque vitium; & in eorum altero, vel vtroque, quandiu viuit perseuerat: atque ita imbecille est, vt facillimè ab insalubribus causis offendatur, nondum tamen actu ægrotet. Vt multum autem insalubre corpus ait, & quod ab huius quidem vitio recedit, hoc est, non ita distemperatum est, aut incommensuratum, atque quod simpliciter semper insalubre est: eam tamen sibi à natura connatam habet discrasiam, aut in conformatione vitium, ratione quorum à medio sic abest, vt deteriùs habeat, quàm quod in medio est saluberrimi & insaluberrimi corporis. Insalubre demùm vt nunc, illud est, quod non quidem à natiuitate; sed eo tempore quod tale dicitur ægrotat. Neutrum ab eodem trifariam dicitur. [e] Primò quidem, neutrum corpus appellatur, quod neutrius dispositionis particeps, in medio saluberrimi & insaluberrimi est constitutum. Quod vel simpliciter tale est; hoc est ab ipso ortu ita constitutum: aut simpliciter semper, & per omnes ætates: aut vt multum, quod scilicet nonnullas recipit mutationes: vel tale est vt nunc, & quod in præsenti tempore medium existit, cùm aliàs non consueuerit tale esse.

e Ibid. cap. 6.

Secundò, neutrum illud vocatur corpus, quod vtriusque extremæ dispositionis est particeps: vel in vna eadémque parte, eam inæqualitatem participans, vt in altera contrarietatum sit ad iustitiam distemperatum, in altera verò temperatum: vel in qualitatum quidem concursu, conuenientem crasim sortiatur: in conformatione verò peccatum aliquod contraxerit: vel ita, vt in diuersis membris prædictarum inæqualitatum alteram sit nactum. Atque vnumquodque horum, vel simpliciter: id est ab ortu: idque aut semper, seu per omnes ætates: aut vt multum, quòd per diuersa tempora euariet neutrum appellatur: vel tale vt nunc dicitur: quòd non solitum aliàs id pati, in præsentia illam inæqualitatem, in vna eadémque parte, aut in diuersis patiatur.

Tertiò demùm illud neutrum esse ait Galenus (licèt quodammodo minùs propriè) quod per diuersas ætates, aut differentes anni tempestates, aut aliquando salubre, aliquando insalubre existit. Quale neutrum, in nullo definito tempore, neutralitatis [vt ita loquar] particeps esse inquit, idem Pergamenus: sed considerata latitudine suæ durationis. Ita vt secundùm diuersa suæ vitæ tempora (iuxta Laurentiani interpretationem) illud aliquando salubre dicatur vt nunc: aliàs verò insalubre vt nunc.

f Lib. eodem. cap. 8.

Quibus explicatis statim emergunt hæ difficultates. Primò, quomodo vt vult Galenus, [f] prædictæ constitutiones, salubris, insalubris, & neutra, intra latitudinem sanitatis contineantur: secundò an corpora quæ vulgò neutra decidentiæ, & conualescentiæ dicuntur, sub aliquo prædictorum modorum Galeni comprehendantur. Tertiò, num Galenus per neutram constitutionem, mediam quamdam qualitatem inter sanitatem & morbum intelligat, vt plurimis visum est: & num hac in parte ab Aristotele dissentiat. Quartò demùm, num prædictæ constitutiones ex Galeno relatæ, inter se singulæ differant, & qua serie disponantur.

Quod ad primum spectat, Galenus citato capite octauo artis medicæ, quo sit inquit, vt tota sanitatis latitudo, in tres partes diuidatur; quarum singulæ latitudinem habent non paruam. Erit autem prima salubrium corporum, secunda neutrorum, tertia insalubrium. Post quæ deinceps sequuntur quæ iam ægrotant corpora, quæ sensibilibus operationum læsionibus distinguuntur.

Contrà verò capite secundum medicinam definiens esse scientiam salubrium insalubrium & neutrorum; nihil differre inquit, si quis loco insalubrium ægrotorum dixerit. Quare cùm insalubria

eadem

eadem sint & ægra; quæ autem iam ægrotant corpora intra latitudinem sanitatis ex eo ipso [g] minimè contineantur: videtur sequi, corpora insalubria à sanitatis cancellis excludi. Vt ergo ea qualiscumque contradictio dirimatur, sciendum est. Sanitatem duobus modis dici, vel prout bonum habitum præcisè significat, & integra est absolutáque sanitas: vel prout omnem viuentis constitutionem complectitur, quæ morbus non est. Qui cùm definiatur (vt tractatu proximo explicaturi sumus) affectus præter naturam actiones primò per se & sensibiliter lædens. Sanitatis denominatio sub hoc posteriori significatu, eam omnem corporis habitudinem complectetur, in qua actiones nondum erunt sensibiliter læsæ, cúmque explicatæ à Galeno constitutiones, tam salubres quàm neutræ, & insalubris simpliciter dicta, & vt multum, sint huiusmodi: rectè Galenus citato capite octauo, totam sanitatis latitudinem in tres prædictas partes diuisit. Sic idem libro ad Thrasybulum, [h] sanitatem aliam inquit, esse bonum habitum, qui robustas actiones edat, aliam secundùm habitū dici, quæ actiones nondum robustas, sed neque etiam debiles producat; & tertiam demum secundùm affectionem appellari, à qua actiones debiles producuntur: ad quam rectè neutræ omnes constitutiones, & insalubris tam simpliciter dicta, quàm vt multum referuntur. Si verò aliquando sanitatis sub primo significatu meminerit, neutras constitutiones inter sanitatem & morbum medias statuet, & ab vtriusque significatu excludet. Sic plerumque ait, sanitati conseruationem deberi, cùm tamen qui in neutro statu sunt constituti, potiùs analepsi & refectione, vel prophylaxi, & præseruatione, quàm conseruatione indigeant. At quando citato capite secundo nihil differre ait, si quis loco insalubrium, ægrorum dixerit: noluit affirmare omnes insalubrium conditiones actualem ægritudinem comprehendere. Quoniam qui insalubres simpliciter nominantur, etsi à causis insalubribus facilè superentur, & in virtute operationum multùm deficiant, vt habet capite octauo, nondum tamen ad sensibiles functionum læsiones peruenerūt. Sed indicare voluit, insalubrium nomine, ægros etiam comprehendi, quales sunt insalubres simpliciter semper, & qui insalubres vt nunc nuncupantur: quorum maximè curam Medicum habere oportet.

Ad secundum dubium vt respondeamus aduertendum est: neutra decidentiæ ea appellari [vt ait Forliuiensis] [i] quæ præter naturam insensibiliter læsa in suis operationibus, prompta sunt in ægritudinem & in deteriorem statum illabi. Neutra verò conualescentiæ ea dicuntur, quæ præter naturam etiam in suis operationibus insensibiliter læsa, prompta tamen sunt ad sanitatem tendere. Prioris ordinis sunt ea corpora, quibus imminet morbus. Posterioris verò, quæ à morbo conualescentia, nondum sunt firma, & pristino robori restituta. Quorum hæc ad neutram vt nunc primi modi referri meritò possunt. Talia enim conualescentiæ dispositione perseuerante, videntur in medio, vel quasi in medio posita eius constitutionis, quæ salubeṛrima, & alterius quæ insalubeṛrima pro singulorum natura concipi potest. At neutra decidentiæ, pro conditione status quem obtinuerint antequam in morbum decidant, ad hanc, aut aliam neutrorum speciem reduci possunt.

Ad tertiam difficultatem, licet plurimùm torqueantur varij ab Argenterio relati, [k] vt Galenum Aristoteli concilient. Dicimus Galenum positâ neutrâ constitutione, nullam nouam qualitatem mediam inter sanitatem & morbum introducere, & ab Aristotele minimè dissentire. Cùm enim Aristoteles dicat, contrariorum duo esse genera. Aliud eorum quorum alterum necessum est proprio subiecto inesse: aliud verò eorum quorum neutrum necessum est proprio subiecto inesse. Illa sine medio esse ait; hæc medium habere. Primi generis sunt calor & frigus, sanitas & morbus & similia. Secundi extremi colores & alia huius generis. Verùm cùm hæc doceret Aristoteles, non negauit contraria immediata posse in eodem subiecto remissa, vel in diuersis eiusdem heterogenei partibus etiam intensa, simul consistere. Sic enim calori frigoríque aduenire aduertimus. Quæ si in pari gradu in aliquo subiecto conueniant, teporémque inducant: non aliqua noua qualitas per teporem concipitur; sed æqualis vtriusque in subiecto concursus intelligitur. Sic Galenus secundū rei veritatem & minimè contra Aristotelem, sanitatem & morbum qualitates esse supponens, quæ magis & minùs suscipiant (vt de sanitatis latitudine loquuti indicauimus) [l] multiplices vtriusque in homine concursus explicare volens, non inconceptiles gradus ad opus medicum inutiles per numeros vtrique assignauit, vt calori cæterísque similibus tribuere solemus: sed per sensibiles differentias vtriusque variam intensionem & remissionem exprimere & explicare studuit; vt quartæ difficultati respondentes docebimus.

Quare neutram dispositionem, inter sanitatem & morbum mediam constituens; non aliquam nouam qualitatem à prioribus differentem introducit: sed vtriusque multiplicem concursum sensibilem, variis neutralitatis significatibus expressit. Quòd facilè per singula neutrorum genera iam explicata discurrendo, constare potest. Nam quæ primo modo neutra appellauit: ex pari vtriusque dispositionis complexu in eodem subiecto consurgunt. Neque mirum Galenum qui Medicos sensuales vocat artifices, sensûs euidentiam sequutum, dixisse, illa neutram dispositionem participare,

[g] Citato c. 8.

[h] Cap. 7.

[i] In lib. 1. artis parua. quæst. 15.

[k] Comm. in part. posteriorum. cap. 13. art. parua.

[l] Cap. 1.

quòd neutram, alterâ sibi contrariâ, se magìs manifestantem possideant, sic quæ tepida sunt, & calida & frigida vulgò negamus, sed tepida appellamus. Cùm enim singula ex operatione secundùm sensus æstimemus, & actio sit prædominantis, in prædictis contrariatum qualitatum concursibus, neutrâ manifestè operante, sed vtrâque æqualiter agente, neutram participari asserimus; simul tamen vtriusque æqualitatem insinuamus. Neutra verò secundi, & tertij modi, quis tam est contumacis & peruicacis ingenij, qui non fateatur talia dici: non quòd tertiam aliquam qualitatem à sanitate & morbo differentem participent; sed quòd vel secundùm quid salubria sint, & secundùm quid insalubria: vel quædam habeant membra sana, alia insalubria, aut ægra: vel quòd per diuersas anni constitutiones, aut ætates, modò sana sint, modò ægra.

Tandem quod ad difficultatem quarto & postremo loco propositam spectat: dicimus ita Galenum omnes humani corporis constitutiones quæ ex sanitatis & morbi participatione consistunt, in prædicta salubrium, insalubrium & neutrorum corporum enumeratione recensuisse: vt nullius possibilis: quæ alicuius momenti dicatur, sit oblitus. Sed prætetea nullum prædictæ diuisionis membrum agnoscimus, quod non sit ab alio diuersum. Atque eorum omnium talem esse ordinem censemus. Vt saluberrima omnium constitutio sit salubris simpliciter semper. Quoniam qui sic valent, ab ortu & per omnes ætates optima possibili sanitate fruuntur. A qua primò deficit salubris simpliciter: per quam, ab ortu bonam quidem consequuti sanitatem, aliquantulùm tamen à perfectissima illa sanitatis integritate deflectunt. Ab eadem verò recedit adhuc plusculùm, salubris vt multum: quam à natiuitate consequuti, licèt minimè constantem possideant: nunquam tamen cum ea inconstantia, ad eum statum deducuntur, qui ab optima constitutione valdè admodum deficiat. Quibus rursus inferior est salubris vt nunc: ex eo quòd minimè natiua, sed per ætatem & congruentem victûs rationem acquisita: eo ipso prætetea tempore quo possidetur, non ad summum bonitatis, sed ad eam commoderationem peruenerit, quæ tali indiuiduo est propria. Huic succedit neutra vt nunc primi modi.

Quam sequitur neutra vt multum. Eique instat, neutra simpliciter eiusdem primi modi: quæ ab ortu talis, per ætates in meliorem habitum potest conuerti. In medio exquisitè constituitur, neutra simpliciter semper primi modi: quæ à natiuitate per omnes ætates perseuerans, inter saluberrimam & insaluberrimam planè est media. A qua ad insalubritatem primò declinat, neutra tertij modi, quæ per varias ætates modò est salubris vt nunc, modò verò insalubris vt nunc. Inconstantia enim mali, potior est vel leuissimâ eiusdem constantiâ. Eâ verò deterior est neutra vt nunc primæ differentiæ secundi modi neutrorum: in qua secundùm alteram contrarietatum, vna aliqua pars princeps vel officialis, cum insensibili actionum læsione est distemperata, secundùm alteram verò est temperata. Talis enim minima est alicundè eminentis insalubritatis participatio. Mox sequitur neutra eiusdem ordinis, & differentiæ vt multum. Deinde neutra vt nunc secundæ differentiæ eiusdem modi: in qua, idem aliquod membrum probè temperatum cùm sit, malè tamen conformatum est. Quod leuius adhuc habebit, si contra affectum sit: hoc est, benè quidem sit conformatum, malè autem temperatum. Nam intemperies cæteris paribus, vt plurimùm faciliùs arte corrigitur, quàm mala conformatio.

Postmodum inter cæteras diuersarum eiusdem modi differentiarum species; illæ sensim sunt deteriores, quæ peiorem in aliquo membro insalubritatem possident. Primò quidem vt nunc, tum vt multum, deinceps verò simpliciter: ac tandem quæ simpliciter semper eas sibi connatas habent. Atque eò deteriores sunt singulæ, quò membra insalubria principaliora sunt. Neutris autem omnibus deterior est, constitutio insalubris vt multum: quæ variationem & inconstantiam aliquam in meliùs vergentem admittens: nunquam tamen ad mediam constitutionem peruenit. Qua peior adhuc, insalubris simpliciter. Quoniam ea nobis connata est, & ab ortu, seu à principiis generationis accepta. Qua rursum deterior insalubris vt nunc. Quoniam sic constituti actu ægrotant, & sensibilem actionum læsionem patiuntur. Cùm tamen insalubres simpliciter & vt multum, habeant actiones insensibiliter tantùm læsas. Omnium deterrima & pessima constitutio, est insalubris simpliciter semper. In qua ab ortu tantùm totius est vitium per ætates perseuerans, quod ab alicuius officialis, vel principis membri, intemperie vel malâ conformatione aut vtroque præternaturali affectu prodit: vt sic affecti perenni ægritudine teneantur. Quarum posteriorum duarum constitutionum, penè infinitæ prætetea sunt differentiæ, aliæ aliis deteriores: vt innumeræ sunt morborum species, quarum aliæ aliis mirâ varietate mitiores sunt, aut grauiores. Hanc vero à à nobis traditam multiplicium constitutionum seriem, ad veritatem, & Galeni mentem magìs accedere, quàm quæ à Rhoderico à Veiga proponitur: [m] facilè cuique ingenioso patebit, qui & rerum naturam, & Galeni textum in arte parua diligenter expendet.

[m] In Comm. in cap. 5. artis paruæ.

Verùm quo prædictæ diuersarum constitutionum differentiæ faciliùs à tyronibus distinguantur:

expedit vt quibusdam signis illas ab inuicem discernere doceamus. Quæ licèt Galenus [a] desumi asserat.ex his quæ secundùm essentiæ rationem ipsis insunt, tum ab his quæ ex necessitate assequuntur, vtque ex operationibus tandem,& accidentibus.

[a] Eodem lib. artis paruæ. cap. 8.

Tamen videtur ea quæ secundùm essentiæ rationem singulis insunt,scilicet temperamentum, & partium conformationem,cùm sint ipsa quæsita constitutio,non posse seipsis præbere argumenta suæ dignotionis:sed aliis indigere,quibus tanquam signis detegantur.

Quare singularum constitutionum dignoscendarum,ea mihi commodior via esse videtur, quæ à sensibilibus cuiusque constitutionis effectibus,tanquam à notioribus,nos ad ipsius temperamenti, & intro latentis viscerum conformationis,tanquam rei minùs notæ cognitionem ducit. Effectus autem cuiusuis constitutionis in genere,sunt facultatum singularum partium operationes, exeuntium quorumcumque conditio,& sensibilium qualitatum modus. Hinc enim facilè signa eruemus, quæ nobis quamcumque constitutionem manifestent.

Salubriter ergo aliquem constitutum esse cognoscemus,si integras actiones omnes ediderit: si nihil à viis,quæ expurgandis excrementis dicantur,rariùs,aut parciùs,aut frequentiùs, vel aliter affectum excernat, quàm sanis conuenire,ex superioribus,& iis quæ libro de temperamentis, & de humoribus recensuimus colligi potest. Ac demùm,si talem habuerit totius cutis,ac pilorum colorem, & in mollitie mediocritatem, talem expiret à corpore odorem, qualem sano conuenire, dum de temperamentis ageremus,abundè fuit explicatum. Nam gustatiles qualitates, eorum lingendo, aut aliter experiri,Medico & liberali homine indignum est. Neque sonos hîc plurimùm curamus: qui in constitutionibus à salubritate potiùs deficientibus, quàm in salubribus, à flatuum intra nos motu, vel eorumdem expulsione producti,exaudiuntur. Quæ omnia si ab ortu, & per singulas ætates talia apparuerint,vt quatenus per necessariam ætatum mutationem cuiusque earum conditio patitur, optima esse iudicentur, constitutionis salubris simpliciter semper erunt notæ. Si vero à summa illa perfectione singula aliquantulùm defecerint: ita vt actiones (quarum intensio & remissio facilior est cognitu, quàm leuicula mutatio cæteris adueniens) minùs sint quàm priorum robustæ. & à natiuitate tales extiterint, constitutionem salubrem simpliciter indicabunt, vti si eædem actiones iam apertè nec robustæ sint.nec imbecilles: atque ab ortu tales apparuerint,constitutionem salubrem vt multum demonstrabunt. Quoniam vero,qui à natiuitate à prioribus constitutionibus deficiunt, ad quemcumque bonitatis gradum,artis medicæ industriâ,aut beneficio mutationis quæ per ætates aduenit,euehantur: ita à prioribus absecedunt,vt cùm pro nunc tantùm, ea sanitate non optimâ, sed quæ sibi sit commoda & propria,fruantur:operationum quidem præsenti integritate,& conuenienti excrementorum modo, præsentem sanitatem indicant,qualitatibus tamen sensibilibus in cute & pilis apparentibus, præcedentem & natiuam constitutionem præsenti quadantenus deteriorem,& cum euidenti excessu vel recessu à iustitiali temperatissimo statu recedentem manifestant.

Neutræ constitutiones primi modi pro particulari suæ speciei ratione. His signis deteguntur,quæ neo sanitatem, nec ægritudinem significant,& inter vtramque affectionem nutare videntur. Quando scilicet actiones quidem nec læsæ sunt, neque ita integræ vt satisfaciunt: excrementa vero, vel plura colliguntur,vel alia qualitate affecta quàm sano conuenianti nondum tamen tale peccatum contraxerunt, quod insalubritatem alicuius visceris insinuet. Ac demum sensibiles qualitates ita sunt mutatæ,vt in medio optimæ & deterrimæ dispositionis consistant.

Neutræ constitutiones secundi modi,mixta insalubritatis & salubritatis signa promiscuè proferunt;pro singulis prædicti modi differentiis,& differentiarum speciebus. Etenim si sola inæqualitas sit in altera primarum qualitatum contrarietate,signa prodibunt: in operationibus, excrementis, & qualitatibus mutatis,siccitatis verbi gratia per excessum insalubris. At contra in eisdem notæ apparebunt commensurati ad iustitiam caloris. Si verò inæqualitas talis sit, vt primæ quidem qualitates sint ad iustitiam contemperatæ, membrũ autẽ quidpiam princeps aut officiale,peccatum aliquod in conformatione:contraxerit, aut contrà: exactionum hinc inde pendentium integritate vel non satis sensibili læsione,necnon à permutationis excrementorum modo:vtriusque dispositionis concursus detegetur. Quòd si tertiò membrum quidem aliquod aut plura insalubria sint;alia verò salubria: singulorum affectiones ex propriarum actionum conditione,necnon ab excrementorum in illis genitorum aut per eadem transeuntium quantitate,qualitate,& excernendi modo;ac demum ex qualitatibus quæ alicui sensuum à singulis obijci possunt,facillimè deprehendentur.

Neutræ tandem constitutionis tertij modi signa sunt euidentissima: quæ iam quidem salubritatem præsentem;aliàs verò ægritudinem indicabunt.

Constitutio insalubris vt multùm ijs signis innotescet, quæ perseuerantem insensibilem aliquam læsionem significantia,eam tamen inconstantiam referunt,ex qua illa deterior aliquando, aliàs melior aliquantò apparet. Quare infirmæ quidem sunt horum actiones,excrementa copiosiora,& qua-

litates

litates mutatæ, conceptæ discrasiæ respondeut. Sed per temporis interualla, singula hæc sic euariaut, vt mox aliqnantolùm mitiora, mox verò quadautenus deteriora se repræsentent.

Insalubris simpliciter, suæ insalubritatis & læsionis nondum sensui planè manifesta signa, iam ab ipsa natiuitate explicat. Insalubris vt nuuc, omnium facillimè deregitur. In qua præsentis & inconsuetæ ægritudinis signa euidenter appareut: quæ prout mitior aut deterior est, mitiora etiam & deteriora effert symptomata.

Insalubris tandem constitutio simpliciter semper, ab ortu ipso signa profert sensibilis eius læsionis, quæ vel à quacumque membri principis aut officialis pessimâ temperaturâ [vt loquitur ipse Galenus °] vel à deterrima quauis partium organicarum incommensuratione cum aliquali vitæ perseuerantia nasci potest. In his enim non solùm infirmæ sunt actiones, sed aliquæ principum aut officialium euidenter vel imminutæ, vel etiam deprauatæ aduertuntur. Excrementa pro genere læsionis (cùm illud varium sit multiplex & indefinitum) quantitate, qualitate, vel excretionis modo peccant. Et qualitates demum mutatæ, ægritudinis à generationis principiis acceptæ, pro cuiusque conditione significationem præbent. Vtque hæ conuatæ ægritudines, vel leuiores sunt, vel grauiores: ita signa suæ magnitudini respondentia exhibent. Atque hæc de sanitate, & multiplici possibilium constitutionum varietate, satis.

o Lib. sed. artis med. cap. 5.



MVLTIPLICIS HVMANORVM CORPORVM CONSTITVTIONIS DIVISIO: IN QVA ILLE PER APPOSITOS numeros notatur ordo, quo singulæ sensim ab optima salubrium constitutione deficiendo, ad actualem ægrotationem magis accedunt.

Corpora, sunt, vel.

- **Salubria.**
  - 1. Simpliciter semper. — Quæ secundùm omnes sui partes, & per omnes ætates, optimè sunt temperata, & debitè commensurata.
  - 2. Simpliciter. — Quæ ab ipso naturæ ortu, bonam habent temperaturam in simplicibus, & in illis quæ ex his componuntur sunt commensurata; variare tamen per ætates possunt.
  - 3. Vt multum. — Quæ ab optima constitutione non valdè admodum deficiunt, & defectus qui illis inesse dicitur, solam remissiorē sanitatē significat.
  - 4. Vt nunc. — Quæ qualiacunque sint à natura, tamen pro nunc & in præsenti sana sunt, atque ideo & benè temperata, & debitè commensurata: non optime tamen, sed vt sibi commodum abundè est.
- **Insalubria.**
  - 24. Simpliciter semper. — Quæ in simplicibus membris omnibus, vel aliquibus ac saltem principibus, iam malam habent ab ortu temperaturam; & in instrumentariis omnibus aut aliquibus præsertim principibus malam commensurationem, per omnes ætates perseuerantem: vt imbecillia maximè sint, & facillimè ab insalubribus causis offendantur, nondum tamen actu ægrotent.
  - 23. Simpliciter. — Quæ ab ortu vel in consimilibus partibus, saltem aliquibus, malam habent temperaturam, vel in instrumentariis incommensurationem.
  - 22. Vt multum. — Quæ non ita distemperata & incommensurata sunt, vt quæ simpliciter semper insalubria dicuntur: eam tamen habeat sibi connatam discrasiam, seu in commensuratione vitium; vt deteriùs habeant quàm quæ in medio sunt saluberrimi & insaluberrimi corporis.
  - 25. Vt nunc. — Quæ actu ægrotant, quo tempore insalubria esse dicuntur, qualiacumque à natiuitate ea esse contingat.
- **Neutra.** — Quæ tribus modis, talia esse dicuntur, scilicet quod, Vel
  - Neutram dispositionem salubrem aut insalubrem participent: sed in medio salubrium & insalubrium constituantur. Atque id. Vel.
    - 7. Simpliciter. Seu à natiuitate.
    - 8. Simpliciter semper. Seu à natiuitate, & per omnem ætatem similiter perseuerando.
      - (7 & 8:) Et hæc ambo, integrè media sunt, inter salubria, & insalubria.
    - 6. Vt multum. Seu quæ licet in medio consistant, tamen aliquas mutationes admittunt, vel per ætates, vel per anni tempora. Iuxta aphor. 2. & 3. sect. 3.
    - 5. Vt nunc. Seu quæ eo tempore in medio sunt constituta, cùm aliàs meliùs aut deteriùs sint affecta.
  - Vtranque dispositionem salubrem scilicet & insalubrem dispositionem participent. Quod trifariam fieri contingit. Vel.
    - Quòd in vna eadémque parte eam inæqualitatem participent, vt in altera contrarietatū, ad iustitiam sint temperata, in altera verò distemperata.
    - Quòd in qualitatum quidem concursu sint temperata, in conformatione autem sint viciata.
    - Quòd in diuersis membris, prædictarum inæqualitatum, vnam aut alteram sint nacta.
      - (all three:) In singulis autem harum differentiarum, ea neutralitas accidit. Vel.
        - 18 Simpliciter sẽper. 17. Simpliciter. 11. vt multū. 10. Vt nūc.
        - 19. Simpliciter sẽper. 16. Simpliciter. 13. vt multū. 12. Vt nūc.
        - 21. Simpliciter sẽper. 20. Simpliciter. 15. vt multū. 14. Vt nūc.
  - 9. Nullam habeant constantem dispositionem: sed vel per diuersas ætates, vel per differentes anni tempestates, aliquādo salubria sunt, aliâs insalubria.

visa fol. 251.



DE MORBO, MORBORVM CAVSIS, ET SYMPTOMATIBVS:

Déque morborum iudiciis in vniuersum.

TRACTATVS TERTIVS.

POSTQVAM ea quæ corporis humani naturam complent, & quæ ad sanitatis optimique corporis habitûs rationem addiscendam faciunt, prioribus tractatibus sumus persequuti: vt ea quæ ad integram obiecti artis medicæ cognitionem assequendam pertinent absoluamus, reliquum est vt de affectibus præter naturam humano corpori contingentibus, morbo, atque his quæ ad morbum spectant scilicet pertractemus. Quæ enim ratione contraria sub eodem genere continentur, pari videtur ad vnam & eamdem scientiam pertinere, de vtroque contrariorum agere. Saltem vt alterius sibi inuicem aduersantium natura quantùm licèt explicata, eius ad cuius agnitionem principaliter tendimus natura meliùs perfectiúsque cognoscatur. Nam *vt communi verbo dicitur, contraria iuxta se posita, necnon & simul explicata, magis elucescunt. Maximè vero ad Medicum spectat de morbo agere: quod cùm is præter naturam homini adueniat, morborumque vitio ex Galeno,* [a] *lædatur & corrumpatur animal, in illis dignoscendis, tollendisque, Medici industria præsertim expectatur. Quoniam vero circa ea quæ nobis ignota sunt artificiosè versari non possumus, operæ pretium est omnino ïatriam profitentem morbi naturam, causas, affectusque tam in genere quàm in specie antè cognouisse, quàm indiuidualium notitiam se consequi posse speret.* Sed *hic forsam minùs rectè videbimur morbum, morbi causam, & symptomata, res, & affectus præter naturam citra discrimen appellare: cùm* Fernelius, [b] *ea præter naturam tantùm esse admittat, quæ tametsi ex præscripto natura non fiunt, nullam tamen naturæ vim inferunt: ea vero, contra naturam dici, quæ non modo naturæ limites excedunt, sed & illi vim inferunt, eiusque vires & functiones manifestè interturbant. Verùm paulo subtilior est illa Fernelij rerum seu affectuum præter naturam, ab his quæ contra naturã sunt, distinctio: & communi vulgarique rationi loquendi aduersa. Quæ enim à* Græcis παρὰ φύσιν *appellãtur ea à* Græcorum *interpretibus, &* Latinis *scriptoribus indiscriminatim, & præter naturam & contra naturam esse dicuntur.* Hinc Hippocrates [c] *ex communi interpretum mente: ea præter naturam vocat, & quæ insolita sunt, & quæ vehementer talia etiam cum læsione actionum existunt. Ita apud Latinos authores, præter mores, præter mentem, præter spem, et similia; eo significatu efferuntur, vt non quasi aliter aut vltra dicantur, sed contra planè enuncientur. De his ergo quæ naturæ nostræ tam efficienter quàm formaliter, aut effectiuè infesta sunt, et in quibus dignoscendis, aduertendis, curandisque maximè occupari Medicum oportet, tractaturi; ne quidpiam nobis ad artis complementum desit, sic agemus: vt hoc quidem tractatu eorum naturam, differentias, causas, et modum eadem discernendi generatim perquiramus: de singulis autem speciatim cõmodiùs tractari posse in praxi censeamus*

[a] Lib. 1. de sympt. caus. cap. 1.

[b] Lib. 1. patholog. cap. 2.

[c] Lib. 5 aph. 2.44 & 40.

DE

De natura, & differentijs affectuum præter naturam.

LIBER PRIMVS.

a Lib. 2. method. cap. 1.

EA ex Galeno [a] præter naturam hominum corpora afficere intelliguntur, quæ vel actiones à naturali corporis constitutione manantes lædunt, vel quæ illa à quibus actiones læduntur causant, vel læsio tandem ipsa, & quæ læsionem consequuntur. Circa quæ, cùm nihil excogitari posset, quod nostris corporibus præter naturam accidere dicatur: rectè Medici omnes affectus præter naturam, tribus generibus comprehenderunt. Quod enim actionem lædit morbus appellatur: id verò à quo morbus vel actu producitur. Vel saltem (vt monet Galenus, [b]) produci potest, causa morbi vocatur: at læsio ipsa quam morbus induxerit, & quidquid læsionem sequitur vno symptomatis nomine (vt luculenter à Galeno [c] est explicatum) significatur. Quæ tria cùm Galenum sequuti [d] affectus præter naturam appellamus: non eodem modo singula corpus afficere censemus: sed causam efficienter, morbum formaliter, & symptoma effectiuè: id est tanquam actio aut opus præter naturam in nobis affectum, cúmque non reperiatur alia à quibus nos sub alia ratione affici possimus: sequitur tria hæc: morbum, morbi causam, & symptoma: esse rerum præter naturam summa genera. De quibus hoc libro sic agere proponimus, vt singulorum naturam formalémque rationem, & differentias, quam exactissimè licebit perquiramus. Verùm quia inter hæc nobis quodammodo notior morbus est, ad quem relqua respectum dicunt, & morbi nomen cæterorum denominationem aut nominis notitiam ingreditur: vt singula rectâ methodo explicentur, à naturæ morbi perquisitione auspicabimur.

b Lib. de constit. artis. c. 15
c Lib. 1. method, cap. 8.
d Lib. 2. method. cap. 3.

Quid sit morbus.

CAPVT I.

TANTA est in morbi definitione assignanda anthorum varietas, vt penè singuli morbum pro arbitrio definiant: quorum sententias, diuersásque definitiones afferre cùm inutile foret, quid hac in parte sentiendum videatur inquitamus. Quod vt commodiùs assequamur Galenum [a] imitati à communibus & vulgò probatis conceptibus ordiamur oportet. Communis autem omnium consensus est, eum ægrotare morbóque teneri, qui præter naturam. Vel toti speciei conuenientem, vel sibi propriam, actionum totius corporis aut partis alicuius sensibilem offensam paritur. Imo & quia plurimi sic à natura sunt temperati aut conformati, vt evidenter absint ab ea operationum perfectione quæ à perfectissima constitutione humanæ speciei conuenienti ederentur, nec tamen ægrotare dicuntur: eos verò morbo laborare communis omnium sensus existimat, qui præter natiuæ suæ constitutionis modum in totius aut partis talem læsionem inciderunt, à qua sensibilis actionum insolita noxa sequatur. Qui morbi conceptus ita vulgaris est, vt non Medici solùm ita de morbo sentiant: sed iuris etiam antecessores similem morbi notitiam efforment. Sabinus enim & Vlpianus in l. labeo [b] morbum definiunt habitum cuiusque corporis contra naturam, qui vsum eius ad id facit deteriorem, cuius causa natura nobis eius corporis sanitatem dedit. Cùm autem sic affectis, præter consuetum hæc tria tantùm accidant; actionis læsio; praua totius corporis aut membri alicuius in temperamento, conformatione ve constitutio; aut quod prauam illam constitutionem induxit: necessum est aliquod horum morbum esse dicamus. At deprauatæ constitutionis efficientem causam nullus est qui morbum appellet: cùm intelligat & moram sub sole, & saxum à quo caluaria contunditur, præcedentem quidem & naturalem constitutionem immutare: non tamen morbum esse, sed potiùs affectus inde consequentes & prædictorum effectus, morbos esse videri. Præterea cùm non solùm malè operantes, sed etiam qui ad benè operandum (in his quæ secundùm naturam sunt) inepti reperiuntur, ægrotare dicuntur: sequetur demum instrumentorum

a Lib. de morborum differen. c. 2.
b ff. de edilitio edicto, l. 1. §. 7.

potiùs:quibus operamur vitium,quàm operationis ipsius læsionem,morbum esse; præsertim cum ad illud solum consilia curationis dirigantur.[c]

Ex quibus iam satis patere arbitror, & quale sit primum vniuersalissimúmque morbi genus,& quod proprium eiusdem subiectum esse dicamus. Morbum enim accidens esse ex eo constat,quòd qui malæ etiam conformationis esse dicuntur,nobis iam in esse constitutis adueniant: ex Aphrodisæo[d] autem id vniuscuiusque rei accidens sit,quod non est de substantia eius; & ex Porphyrio,[e] hoc ipsum nomen his debeatur,quæ seorsum per se sine aliquo subiecto esse non possunt,cuius ordinis morbum esse nemo est qui inficietur. Verum autem inhæsionis morbi subiectum,nullum aliud est, quàm corpus aut membrum viuens.[f] Etenim cùm praua totius aut partis constitutio quæ læsionis operationū proxima est quamuis instrumentalis causa, illi subiecto insit quod facultatum à quibus operationes prodeunt immediatum organum est,atque etiam subiectum:facultatum autem tale organum subiectumque inhæsionis,non aliud sit quàm corpus aut membrum viuens:& hoc solum morbi subiectum esse necessum est. Nam idipsum quod proximi & immediati effectiui principij actionum integrarum subiectū est,oportet etiam subiectū esse eius quod actionū læsarum proxima & immediata est causa.

Per eam verò prauam constitutionem non respectiuum quidpiam intelligi desideramus:sed vt fusè probatum fuit à Valesio,[g] aliquid absolutum,quod seu corpus vniuersum,seu membrum quodcumque deprauat. Morbum autem quid absolutum dicimus; quòd is & actionem lædat, & remediorum auxilio emendetur:quæ relatiuis entibus minimè competunt;[h] sed absolutis, quæ sola agere & pati norunt. Quòd si morbus ametria & disproportio quædam esse communiter dicatur,& ab Aristotele,[i] ex contrariorum natura ad aliquid referatur: non tamen in ametria morbi ratio consistit; sed in eo ente absoluto, quod est ametriæ fundamentum. Vt intemperies calida quæ morbus est, duo habet; calorem ad talem gradum euentum,vt actiones facultatum nobis secundùm naturam insitarum corrumpat:& mutatam proportionem ad frigus sibi sociatum,ad quod cùm in naturali statu proportionem duplam seruaret,iam ad sesquialteram transit,aut ad illud nullam rationē obseruat. Inter quæ, cùm neque illa proportio,actionum secundùm naturam edendarum formaliter sit author,neque subsequuta ametria vt tales actiones corrumpat; sed absolutum illud in quo huiusmodi symmetria aut ametria fundatur: ratio formalis morbi,cuius est actiones lædere,non in huiusmodi relatione,sed in absoluto quod est prædictæ relationis fundamentum consistet.

Nonnulli nos in grauius incommodum deducere existimantes,inferunt rationem morbi in priuatione sitam esse: cùm seu emetria dicatur & symmetriæ priuatio,seu id quod actiones nostras lædit; eo saltem nomine cùm malum quidpiam sit,mali autem ratio,vt docuit D. Thomas,[k] in priuatione consistat,morbus ipse priuatio erit. Sed solui facile potest hic nodus. Morbus malum est nobis physicè seu efficienter:non in se & metaphysicè seu formaliter,quod ad priuationis rationem requiritur. Et quamuis eius ratio aliquando per priuationem explicetur: non ea tamen in mera priuatione dispositionis naturæ conuenientis consistit:sed in positiua inconueniente illa dispositione,quæ introducta,causa est læsionis actionis.

Est ergo morbus de genere accidentium,cuius ratio cùm in relatione minimè consistat,sub quo alio accidentis genere collocetur explicandum. Sed id constare arbitror. Neque enim ad aliud genus referri quàm ad qualitatem potest:quæ contrarietatis capax, actionis & passionis est susceptiua. Qui præterea ad primam qualitatis speciem pertinet: ad quam Aristoteles ipse,[l] morbum & sanitatem spectate docuit.

Quod vt accuratiùs examinemus proximum morbi genus designandum est & eius astruenda definitio:quam nolim ab alio requirere,quàm à Galeno bonorum omnium in Medicina aut parente,aut fideli doctore. Apud quem licet nullibi integra morbi definitio expressa legatur: ex variis tamen eius locis in quibus prout tractationis occasio persuasit quæ ad morbi essentiam exprimendam faciunt indicauit,[m] talem colligere morbi definitionem possumus,vt dicamus,morbum esse affectum præter naturam,primò,per se,& sensibiliter actionem lædentem. Quam definitionem Auicennas[*] proximè imitatur. In qua vt nihil redundans,nihilque mancum reperiri doceamus, singulæ illius partes sunt explicandæ.

Affectum Latinè dicimus, vt morbi proximum genus exprimamus. Galenus vocem τῦ πάθȣς vsurpat. Quæ vox,vt ille docet,[§] cū apud antiquos quamcūque passionem vt est in fieri,significaret:deinceps à iunioribus cœpit dici de eo affectu qui iam in facto esse concipitur,& præter naturam est non tamen tam ægrè mobilis quàm habitus. Quare sub posteriore hoc significatu idem & πάθος erit & διάθεσις, quæ ex eodem Galeno,[¶] ab illo propriè sumpto solo motu differt: ita vt quandiu motio in fluxu est,τὸ πάθος,& passio dicatur;cum verò alteratio in passo remanet,& iā impressa est,διάθεσις seu affectus & affectio appellatur. Cū vtriusq; verò significatu vocem etiam κατασκευάσμα cōuenire idem Galenus[**] docuit. Quare cum affectum dicimus,permanens quidpiam intelligere, & iam factum

c Gal. lib. 2. meth. cap. 1.

d Lib. 1. natural. quæst. cap. 11.

e In prædicamenta Aristotelis.

f Cõtrarium sed perperam tuetur Petrus Garcia Carrero comm. in 1 fen. lib. 1. Auic. cap. 3.

g Lib. 4. controuers. cap. 1.

h Arist. lib. 7. Physic. tex. 17 Ibid.

i 1. p q. 48. art. 1. in c. & in q. disp. q. 1. de malo art. 1. in corp.

k In categoryis. cap. 8.

l Lib. de diff. morbor cap. 2. lib de sympto. different. c 3. lib 2 method. cap. 1. lib. 2. de natural. facult. cap. 9. & lib. de sanit. tuend. cap. 5.

m Lib. 1. fen 2 doct 1. c. 1.

* Lib. 2. methodi. cap. 3.

§ Lib. de sympto. differ. cap 1.

¶ Lib de sympt. differ. cap. 5.

** Lib. de differ. morb. cap. 1.

[n Lib. de dif. ferent. morb. cap. 2.] motuque acquisitum;non autem vt motus est,aut in fluxu:necnon constitutionem,& dispositionem cum eodem Galeno ° dixisse censeamur.

[o Lib. 1. de locis affectis. cap. 7.] Neque præter rationem dispositio appellatur,quidquid contrà moliatur vir quidem celebris sed severior Galenomastix Argenterius:ᵖ sub eo tamen significatu sub quo Aristotelesᵍ dixit dispositionem [p Lib de mor. generatio. c. 2.] esse ordinem habentis partes,aut secundùm locum,aut secundùm potentiam,aut secundùm formam. [q Lib. 5. metaph. tex. 24.] Prout scilicet vel partes quantitatiuæ sunt,quæ in ordine ad locum tam secundùm situm , quam secundùm magnitudinem & numerum considerantur : vel sunt partes secundùm formam , externam scilicet,& figuram,quæ ex vario ordine inter se diuersas constituunt formas aut figuras ; vel tandem partes secundũ potentiã,dicuntur variæ qualitates in materia inexistentes,per quas ad benè vel malè agendum,patiendum,aut resistendum cadẽ ordinatur. In quarum omnium & singularum partium ordinatione,dispositio consideratur:vniuersaliore tamẽ cõceptu,quã in prædicamentis capite de qualitate. Ad quem vnicum locum attendens Fuschiusʳ falsò asserit Galenum in dispositionis signifi- [r Lib. 3. insti. sect. 1. cap. 3.] catu ab Aristotele dissentire. Verùm iure dubitatur, num huiusmodi dispositio & allatã definitione circumscripta,sit noua quædam entitas re distincta à superauctis qualitatibus atque ad intemperiem deductis;ab aucta aut imminuta quantitate partium,& numero;euariata formâ , figurâ , aut situ ; vel continuitate solutâ. Ad quam quæstionem respondemus dispositionẽ huiusmodi nullam esse nouam entitatem re à prædictis distinctam. Asserimus tamen,esse modum quemdam prædictis superuenientem,& formaliter tantùm ab illis differentem : cuius formalis ratio,vniuersali suo conceptu id complectatur,quod prædictis omnibus constitutionibus ad nocendum animali,commune est. Cui qualitatis nomen damus, quia cùm ex Aristotele , ˢ qualitas ea sit à qua aliqui dicantur esse quales , & à [s In prædicamentis,cap. 8] morbo,morbidus,atque ab ægritudine,æger denominetur:ægritudinem ipsam & morbum , dispositionémque illam quam pro genere in morbi definitione ponimus qualitatem iure appellamus. Nam & idem in Metaphysicis,ᵗ qualitatem in duo genera distinguens,ad affectiones eorum quæ mouen- [t Lib. 5 cap. 14.] tur qua ratione mouentur , refert ea omnia quibus ea quæ mouētur benè aut malè agunt aut patiuntur. Cuius ordinis morbum & dispositionem prænotatam esse,nullus est qui negauerit. Eam tamen re non differre à superaucto calore & similibus,ideo,dicimus:quòd cũ distinctæ res distinctis actionibus producantur,assignari nõ possit particularis aliqua actio per quam dispositio illa præter naturam,quæ superauctum calorem sequitur producatur; quæ distincta sit ab altera per quam calor ille ad tantum incrementum peruenit:atque ita in reliquis. Præterea si distincta esset qualitas , ea vel in instanti vel in tempore produceretur. Non in instanti:quia eum repugnantia introducitur.Non in tempore,quia successiuè:& si successiuè ad illam esset per se motus:quod tamen fusè impugnatum est ab Aristotele. [u Lib. 5 physic. cap. 2. text. 12.] ᵘ Quare cùm entia non sint multiplicanda sine necessitate:rationi consonum est dicamus talem dispositionem præter naturam à prædesignatis entibus re minimè distingui. Formalem tamen distinctionem admittere,ex eo certum est:quòd singulæ illæ entitates præter naturam constitutæ, in ea cõmuni ratione formali à parte rei & ante omnem mentis operationem conueniant, qua intelliguntur disponere animal ad prauè suas operationes exercendas. Quod & ad distinctionẽ formalem est satis, & ad illi assignandum proprium genus. Quare licèt primæ morborum differentiæ,vt sunt simpliciter entia,ad diuersas categorias referantur, quæ nullum habent vniuocum commune sibi genus : tamen sub ratione entis medici,idest sub ea communi ratione formali nocẽtis,vni generi vniuoco subsunt, quod in categoria qualitatis modo explicato reponitur. Neque mirum ea quæ formaliter tantùm inter se distinguuntur diuersis prædicamentis adscribi. Sic enim figura,formaliter tantùm à quantitate sic aut aliter terminata differens,sub qualitate reponitur. Motus item,qualitas per motum acquisita, actio,& passio,quæ in eius productione interueniunt : cùm re idem sint,in quatuor tamen categorias dispensantur. Neque maiore vllâ distinctione opus est quàm formali , ad prædicationes reciprocas affirmatiuas aut negatiuas vnius de alio verificandas:vt cõstat in omnibus propositionibus in quibus superiora de inferioribus prædicantur. Morborum autem primas differentias cõceptas sub pura notione entis realis ab omni alia formali ratione & modo abstrahente,ad diuersas pertinere categorias certum est:cùm intemperies nihil aliud sit,quàm qualitas iusto intensior,sub specie patibilis qualitatis contenta : morbus in magnitudine,verè non differat,ab ipsa quantitate plus debito aucta vel imminuta:qui in numero dicitur,non distinguatur realiter,seu vt loquuntur alij realitate maiori,à parte ipsa de nouo genita aut ablata;quæ non nisi ad categoriam substantiæ reuocatur.figura aut forma vitiata,ad quantitatem re verã pertinent.cũ ipsæ à quantitate sic aut sic terminata, re non differant:situs vitiatus,in re idem sit,cum membro à naturali aut conueniente loco,in alium sibi non naturalem aut minimè conuenientem moto:ac tandem solutio continuitatis , in rei veritate non sit diuersa , à portionibus eiusdem membri ab inuicem diuersis aut diuisis. Quorum tamen singulis , sub ratione expressi iam antea modi illis citra noui entis realis accessionem aduenientis,consideratis;morbi definitionem conuenire,his explicatis quæ illam complent , euidenter constabit.

Erat

Erat ergo morbi hæc definitio, vt dicatur affectus seu dispositio præter naturam, primò, per se, & sensibiliter actionem lædens. Affectus aut dispositio, vt diximus genus est: reliqua differentiæ vicem subeunt. Ac primum dicitur præter naturam, vt à sanitate distinguatur. Etenim cùm corpus nostrum quatenus sanum est, ægrum, vel neutrum, quodammodo afficiatur: id quidem quod sanum est, secundũ naturã; quod verò ægrum est, præter naturã afficitur. Vbi per præter naturã non quod ab optimo statu & natura perfectissimo totius speciei indiuiduo conuenienti recedit intelligimus: sed quod præter naturalem constitutionem vnicuique naturæ & ætati propriam, seu à natiuitate, seu succedente ætate conuenit, significamus. Atque ideo naturalia vitia seu à principiis generationis contracta, morbos appellare non consueuimus, vt docet Valesius in artem paruam: [x] quòd præter talis indiuidui naturam minimè acciderint, sed illi sint connaturalia. Vnde nec iniuria Iurisconsulti, [y] morbum à vitio discernantes, morbum, temporalem corporis imbecillitatem dicunt; vitium autem perpetuum impedimentum appellant. Qui si forsan diuturniores affectus qui lentè progressi & longi temporis decursu firmati ægros ad interitum comitantur, vel in cunis errore nutricum contractos, vellent à morborum catalogo expungere; cogeremur ab illorum sententia deficere: quoniam hi omnes cùm aduentitij sint, & præter naturam cuique indiuiduo propriam geniti, non debet illis morborum denominatio denegari. Etenim cui definitio omni ex parte conuenit, eidem definitum cõuenire necessum est. Et antequam posteriori huic decreto assentiremur, potiùs induceremur in eorum inclinare sententiam qui quoscumque affectus præter naturam, non solùm cuique propriam & ab exordio conformationis impressam: sed etiam communem & pluribus speciei indiuiduis licèt non perfectiùs temperatis familiarem: si illis reliqua in definitionibus posita conueniant, nullâ temporalis imbecillitatis aut perpetui impedimenti habitâ ratione, morbos appellant. Verùm primi sententiæ prout explicata est adhærentes, huiusmodi vitia à principio concepta, cùm neque salubrem constitutionem deceant, neque ad insalubrem vt nunc pertineant, quam solam cum Galeno [z] morbum appellamos: pro varia sua conditione, vel ad aliquam neutrarum, vel ad quampiam reliquarum insalubrium referimus; vt ex his constare potest quæ libro de sanitate & optimo corporis habitu [a] diximus.

Quoniam verò multa reperiuntur monente Galeno [b] quæ quamuis præter naturam sint, non tamen morbi esse dicuntur; vt plethora, cacochymia, læsa actio, vel mutatus ab æstu cutis color: oportet idipsum quod præter naturam est actionem lædat, vt morbi denominationem mereatur. Siquidem vt Galenus [c] ait, quoad illæsæ actiones omnes seruantur, etiam si millies corpus sit alteratum mutatumque, nullus tamen eorum affectuum adhuc morbus est: quod enim curationem desiderat, aliud planè non est quàm affectus qui vitiat actionem. Quæ conditio morbi definitioni apposita, symptomata à ratione morbi excludit. Eius autem defectu euidens est inutilem esse Argenterij definitionem [d] qua inquit morbũ esse constitutionẽ præter naturã: vt aduersus Olympiodorũ parẽ huic definitionẽ assignantẽ agens Galenus primo methodi, [e] docuit. Qui enim per æstus caniculæ denigratus est, etsi constitutionem præter naturam patiatur; non tamen à contracta illa nigredine ægrotare dicetur.

Sed quæritur hoc loco per quam definitionis particulam causæ morbificæ à morbi definitione excludantur: cùm eas Galenus affectibus annumeret: [f] præter naturam esse scribat, & actionem lædere concedat: [h] communis sententia est, ex eo causam morbificam à morbo distingui, quod is vt ait Galenus, [i] non ex accidenti, sed primò & per se actionem lædat. Vnde idem, [k] proprium morbi est, inquit, actioni incommodare, symptomatis hunc sequi, causæ præcedere. Et suprà Olympiodorum arguens qui pathos seu morbum dicebat esse conuersionem corporis à naturali habitu in eum qui præter naturam est permanens: vt morbum à causis morbificis distingueret, adijci etiam oportere scribit, aliquam ab eo lædi actionem. Vnde author libri de oculis Galeno ascripti, [l] morbum sine medio, causam verò medio aliquo actionem lædere profitetur. Quem sequitur Auicenna, [m] Haliabbas, & communiter classicorum scriptorum reliqui. Verùm cùm ex eodem Pergameno, contingat coctionem confectionémque ciborum vitiari, citra vllum ventriculi affectum, suamque illa læsio causam agnoscat, nec morbus vllus illam inferat: eam non aliunde quàm à causa morbifica proximè prodire necessum est. Cui obiectioni vt respõdeant aliqui, videntur affirmare talem assumptorum inconcoctionem aut deprauationem non esse actionem læsam: quod cùm actio denominationem assumat ab agente, si ea citrà omne agentis vitium producta intelligatur, eamdem læsam dici non posse existiment. Attamen si aduertamus actionem, à passione, & termino motûs re nõ distingui, sed formaliter tantùm [vt post plerosque alios euidenter probatum est à Suarez in Metaphysica] [p] constare arbitror, toties coctioni vitium aduenire, atque ideo læsam esse actionem, quoties ventriculus à termino ad quem assumpta vt secundùm naturam solet perducere tentabat deerrauerit, atque ideo alia quàm intenderetur sequuta sit actio.

Quare vt hi implicatarum controuersiarum nodi soluantur, aduertendũ est primò actionẽ semper lædi cum vel effectus qui secundùm naturã ab ea expectatur non producitur, vel imperfectus prodit,

x Comm. in caput. 57. pag. 121. exemplaris Coloniensis.
y In lib 102. § 1. ff de verbor signif.
z Lib. artis parua cap 5.
a Cap 5.
b Lib 1 met. cap. 9 & lib. 2. cap. 4.
c Eodem 1. lib method. cap 9.
d Lib. de morb. gener. cap. 1.
e Cit. cap. 9.
f Lib 2. method. cap. 3.
g Citat. sum sapes. metis. cap 9.
h Lib. 3. de sympt. causis. cap 1.
i Lib 2. de natural facult. cap. 9.
k Cit. lib. 2 meth. cap. 3.
l Particula 3. cap. 6.
m Lib. 1. fen 2. doct 3 c. 1.
n Lib 6 theo. cap. 1.
o Cit. lib 3. de symptoma causis. cap 2. & 3. de loc. affect. cap 4.
p Disput. 49. sect. 2. n 3 & sect. 2. n. 4. & 5.

q Citat. 9. de sympto. caus. cap. 10.
r Ibidem.

vel deprauatur. Læsionem autem & frustrationem hanc vt notat Galenus,[q] vel facultate (vt mox à nobis explicabitur scilicet secundùm instrumentum,) læsà accidere: vel externo quopiam errore intesueniente. Facultatem autem lædi, aut suæ substantiæ culpâ vt loquitur Galenus, [r] idest per intẽperiem: aut si morbi alicuius instrumentalis vtpote tumoris cuiuspiam vitio impediatur. Ab externo autem errore: vel propter cibi ac potionis immodicam copiam, vel propter qualitatem alienam, vel propter intempestiuitatem, vel incongruum ordinem, vel vitiatum excrementum, vel somnum exiguum. Notandum secundò, læsionem actionum culpâ facultatis ex Galeno aduenientem, seu ob morbum organo inexistentem; verè symptoma esse. atque à morbo proximè & immediatè produci. At si propter externum aliquem errorem, aut nimiam passi resistentiam, citra præternaturalem affectum organo inhærẽtem accidat: nec debere causæ morbificæ symptoma appellari vt Captuaccio placuit,[s] cùm ad talis actionis productionem atque ideo læsionem, causa morbifica actiuè non concurrat, sed passiuè tantùm, & nimiũ resistendo: nec morbi, quoniam eius effectus non est, cùm nullũ sit in organo vitium; sed potiùs accidens dici naturalis impotentiæ, quæ cõstitutione nostræ naturæ conueniente integrâ aduenit. Cùm enim ad perfectam actionem requiratur agentis ad passum proportio: non est in agente vitium si passo, illius potentiã naturalẽ & familiarem actiuitatẽ excedenre; illud, huius resistentiam non superet. Quibus adnotatis, dicimus tandem, illud quod effectiuè in nobis proximè actionem lædit: esse vel morbum, vel naturalem membri impotentiã: atque ideo causam morbificam a definitione morbi præsertim excludi, per eam particulã, per se primò. Quoties enim causa morbifica, ad nocendum, effectiuè in nos aliquid influit, non ante actionem lædit, quàm morbum intulerit. Verùm voce etiam affectus, causas omnes externas. necnon plethorã, cacochymiam, & similes à morbo ideo distingui, quòd ea vox, cùm qualitatem dicat, non quod efficiẽter, sed quod formaliter tantũ afficit suo significatu complectatur. Adhuc verò in prædicta insurgentes nonnulli, obijeiunt falsò dixi morbum proximè & imm diatè actionem lædere: quòd actio non antè possit à quoquam lædi, quin priùs, principium ipsum productiuum actionis, facultas scilicet offendatur.

s Lib. 1. praxeu. cap. 1.

Quibus respondemus, facultatem (seu ab anima indistincta, seu ab eadem diuersa dicatur) nullam in se offensam pati; vnde apud Aristotelem si senex haberet oculum iuuenis videret vt iuuenis: sed cùm illa instrumentis & organis ad operandum indigeat his à morbo deprauatis, actionem quidem immediatẽ, facultatẽ autem nullâ ratione lædi. Cùm autẽ etiã ipsum lædatur organũ, non propterea actio mediante organi læsione læditur, sed immediatè Nã cùm organũ formaliter à morbo lædatur quando præternaturali constitutione afficitur; actio efficienter primò & per se à mẽbro quatenus sic constitutum est, atque ideo à morbo ipso, qui ea ipsa est talis membri constitutio, læsionem patitur. Et de hac immediatione læsionis, intelligendi sunt relati termini qui in morbi definitione ponũtur. Demum quia plerúmque variis ex causis contingit corpus nostrum ita constitui, vt actiones minùs perfectè edanrur, nondũ tamen sic affecti Medici industriã ob leuitatẽ offensæ requirant, & propter quæ nullus se ægrotare dixerit: Galenus, [t] actionis vitium cuiusque præter naturam suam malè habentis membri, nõ ante morbum decernemus inquit quàm ad sensibilem magnitudinẽ peruenerit. Atque ideo in definitione prædicta ea conditio, sensibiliter apponitur: quòd Medici sensuales artifices, non solâ ratione vt Philosophi, sed sensu rationi coniuncto ducantur Hinc licet Aristoteles [u] inter sanitatem & ægritudinem tanquam inter contradictoria aut saltem priuatiuè cõtraria nullum medium admiserit: Galenus tamen passim, neutram constitutionem mediam inter vtramque facit: Herophilum ea in parte sequutus.[x] Quod cum ratione nec perperam assertum esse iudicamus. Licet enim Galenus non ignoraret, rei naturam acuriùs examinanti constare, in quocũque statu actiones corporis vel integras edi, vel aliqua ex parte labefactari: atque ideo absolutè loquendo corpus vel sanum esse, vel ægrum, cùm magis ac minùs non varient speciẽ, eadémque (eo authore)[y]. sit natura incipientis & in‹c›r‹e›scentis affectûs. Tamen cùm medica omnis contemplatio ad opus referatur, sicq; rerum naturas distinguere oporteat, prout scopi agendorum euariant: & quosdam in bono habitu conseruare oporteat quos inculpatè sanos sensu detegimus; alios curare quos apparentibus signis ægrotare indicamus; ac demum nonnullos præseruare ac reficere conueniat, quos externa indicia nondum ægros esse aut iam recens ægritudinem prætergressos denuntiant, interim tamen à bono habitu deerrasse vel ad illum nondum redijsse significant. Meritò affectuũ corporis tres esse classes cum Galeno statuerunt Medici: sanitatis scilicet, morbi, & neutrius statûs, quem inter sanitatem & morbum medium faciunt. A cuius medij status affectibus, illi qui præter naturam sunt, & morbi dicuntur, eâ solâ voce sensibiliter) in definitione additâ, distingũtur. Tandẽ actionẽ lædere dicitur. Nõ quòd ea corporis cõstitutio quæ præter naturã est, entitatẽ ipsã actionis (seu vt in fluxu est, seu vt terminatiuè cõsideratur) offẽdat: sed quòd organũ sic cõstitutũ à morbo qui illi formaliter insider ita ab hoc formaliter efficiatur, vt non possit functionẽ sibi indictam integrè & perfectè exercere. Sed opponit iterum Argenterius,[z] definitionem assignatam mancã adhuc esse, quòd per eam quædã

t Lib. 2. de sanit. tuend. cap. 5. lib. de differ. morb. cap. 4. & lib. artis medica. cap. 8.
u In postpræ. cap. de oppositis & Auerrhoes, lib. 2. collig. cap. 3.
x Lib. 6. de sanit. tuenda. cap. 2.
y Lib. 1. de locis aff. c. 2. paulo post medium.
z Cit. lib. de morb. generib. cap. 1.

causæ

causæ morbificæ, & symptomata nonnulla, à morbi ratione minimè excludantur. Duriorum enim edulioorum copia in ventriculum iniecta, coctionem per se & proximè labefactat: nec non fascia, catena, aliavè vincula pedibus indita, progressionem impediunt; neutris tamen morbi nomen conceditur. Præterea flatus in sinistro cordis ventriculo contenti, aut copiosior intra pericardium aqua, palpitationis causæ, pulsationem cordis immediate deprauant: & croceus color per corneam tunicā effusus, licet sit qualitas mutata, & de genere symptomatum, tamen visionem primò, per se, & sensibiliter deprauando læditseùm sit proxima causa ob quam omnia intuenti crocea appareant. Ad quæ dicimus iam antea vniuersim fuisse responsum, particularim autem illam duriorum eduliorum copiam & vincula pedibus iniectaà morbi definitione excludi, quòd non sint corporis affectus aut entitates eidem inhærentes: sed externa tantum impedimenta agendi. Quòd si corpus afficiant aliquando, id per impressum quempiam corpori affectum faciunt: qui si vt dictum est actionem lædat, morbus futurus est, cætera causæ. Flatus in ventriculo cordis inclusi præterquam non sunt corporis affectus: præterea proximè & immediatè pulsum non deprauant. Diastolem enim cordis ad tantam magnitudinem efferunt, malam conformationem inferendo; dum cordis cauitatem, sinistri ventriculi parietibus nimiùm distentis, præter modum ampliant: systolem verò & maiorem & frequentiorem procurant, aucto contractionis vsu. At copiosior pericardij aqua, non per se, sed per accidens, cordis saltum & vehementem illam cordis versus costas eleuationem causat: scilicet ex eo quòd quæ spirituosam aliquam substantiam continent, si aquæ immersa sursum versus agantur, cum multo maiore impetu efferri soleant, quàm si in aëre mouerentur. In hoc enim propriæ tantùm facultatis viribus aguntur: intra aquam verò, spirituosæ etiam substantiæ quam continent leuitare, ad celeriùs & altiùs emergendum impelluntur. Quòd ad illum verò spectat immutatum corneæ colorem, qui prædictæ visûs allucinationis est causa: respondemus primò, etsi tale corneæ vitium visionem lædat, quòd parti primo videndi organo subseruienti insit; qua malè affectâ ex Galeno,[a] visionem lædi necessum est: tamen idipsum morbum esse negamus, quod visionem per se cuius productionem ne instrumentariè quidem attingit, non lædat; sed per accidens tantùm, quatenus scilicet species visibiles per corneam transeuntes modificādo inquinans, facit vt externa obiecta aliter colorata quàm sint visiuæ facultati in crystallino repræsententur. Secundò & nostræ doctrinæ conformiùs respōdemus, illi vitiato colori morbi definitionem integrè conuenite: quòd primò & per se, obiectiuè saltem visionem lædat. Hancque speciem sub mala conformatione cōprehendi censemus: quia illa crocei coloris infectio, ἀχροιαν corneæ conuenientem corrumpit. Alterutram autem viam eligere malumus, quàm vel cum Valesio,[b] quartum morbi genus huic solitario affectui assignare, vel cum Mercato,[c] hæc & similia à communi morbi definitione tanquam rara excipere: & multo minùs cum Fuchsio,[d] affirmare humorem ipsum per corneam effusum esse morbum. Huic etenim cùm sit substantia, atque interim nullius vitæ particeps nullo modo ratio morbi conuenire potest: qui accidens est, & partis viuentis quidam modus. Nihil autem inconuenit idipsum quod alterius morbi scilicet obstructionis vasis cholidoci est symptoma, transire in morbū aut morbi causam in alia corporis parte, quàm in primarij affectûs sede aut vbiuis, sub alia tamen afficiendi ratione. Ita acre & mordax excrementum, accidens morbosæ calidæ intemperiei iecoris, per intestina decurrans: fit causa morbi, dum vlcus intestinorū & dysenteriam excitat. Nec planè hoc mirum cum ex Aristotele,[e] idem possit esse causa & effectus eiusdem, sub diuerso genere causæ. Atque hæc ad obiecta satis. Ex quibus reliqua omnia quæ opponi ab aduersariis possent commodè diluentur.

a Lib. 1. de sympt. causis. cap. 2.

b Lib. 4. controu. cap. 2.

c q. 175. n. 10.

d Lib. 1. inst. sect. 1. cap. 1. post medium.

e Lib. 5. metaphysic. tex. 2.

De primarijs, & essentialibus morborum differentijs.

Capvt II.

CVm morborum vna sit cōmonis ratio definitione explicata, quæ per multiplices differentias in diuersas species variè distinguuntur: doctrinæ methodus expostulat, vt postquam morbum velut totū quoddā vniuersale definiimus, eundē sub eadē ratione in subiectas partes & species diuidamus.

Quæ cùm soleant per essentiales differentias distingui: rectè ex diuersis modis quibus præter naturam corpus humanum afficiendo actiones lædunt, morborum differentias ab essentia petitas colligemus, & primarias species inueniemus. Corpus autem hoc nostrum affici præter naturam potest; vel naturali tēperie, quæ similariū est propria, alterationem passâ: vel vitiatâ conformatione, quæ præsertim dissimilariū est membrorū: vel soluta vnione continui, quod vtriusque generis partibus aduenit. Quare non diuisione accidentis in subiecta vt visum est Fernelio,[a] atque Argenterio:[b] sed verâ diuisione generis in species: Galenus,[c] morbum partitus est, in intemperiem, malam cōformationem, & solutionem continui: quæ prima sunt genera & differentiæ, seu species primæ morborum. Re enim intellectâ, voces quæ apud antiquos medicos in vsu sunt, minus controuertere licet.

Intemperies, similaribus & homogeneis corporis partibus, quæ immediatè ex elemētis cōponūtur, eo

a Lib. 1. pathol. cap. 6.

b In præfat. lib. de differ. morb.

c Lib. de differ. mor. cap. 4. & lib. 2. meth. cap. 8

rũque qualitates retinẽt, primò & proprie adneuit: vt in eisdẽ, rẽperatura primariò secũdũ naturã inest. Ea verò est primarum qualitatum, caloris, frigoris, humiditatis, & siccitatis, vltra requisitam à natura temperiem immoderatio. Quæ, vel simplex est, vel composita. Simplex, dicitur vnius tantùm qualitatis excessus: eáque quadruplex est, calida, frigida, humida, & sicca.

Composita, est duarum simul qualitatum excessus: qui quadrupliciter etiam accidit, quoniam tot modis eminentes qualitates primæ coïre possunt. Verùm quia Medici intemperies non formaliter tantùm, sed effectiuè etiam considerant; & vis efficientis non solùm qualitatum gradus, sed agentis etiam substantiam sequitur: calidam quidem intemperiem à caloris incremento solùm, tam intensiuè quàm extensiuè concepto; frigidam verò vel à remissione caloris, vel ab exolutione etiam calidi denominant. Vtraque præterea tam simplex quàm composita intemperies, vel cum materia est, vel sine materia. [d] Cum materia fiunt, si cum materiæ calidioris aut frigidioris alteriúsve in partem aliquam affluxu, aut effusione per totum excitentur. Sine materia verò, dum citra omnem materiæ peccantis concursum, alicuius qualitatum primarum insolita & præter naturalis in nobis fit impressio. Vt refrigeratis à niue, deustis à sole & igne, immodicè exercitatis, ab austro aut balneo emollitis, ac similibus accidit. Est & alia intemperierum differentia: alia enim æqualis est, alia inæqualis. Æqualis ex Galeno, [e] dicitur quæ particulas æqualiter, id est secundùm omnem partium ipsarum tam sensibilem quam insensibilem heterogeneitatem, occupauit, & veluti acquisititia quædam natura est. Inæqualis verò ea est, quæ vt idem Galenus [f] docet, quæ aliquibus quidem non autem omnibus heterogeneis distemperati corporis partibus æqualiter inest. Cæterum, etsi octo sint tantùm primæ intemperierum species: quoniam tamen excedentes illæ qualitates, magìs aut minùs indefinitè, intendi possunt: rectè Galenus [g] immoderatas & intemperatas constitutiones, indefinitas, & penè numero infinitas esse asseruit. Verùm disputandum occurrit hoc loco, num præter intemperies, alia morborum genera similaribus partibus adueniant.

d Gal. lib. de inæq. intemp. cap. 1.
e Lib. 2. de symptomat. causis. cap. 5.
f Citato cap. lib. de inæq. intemperie.
g Lib. 3. de simpl. medic. fac. cap. 15.

Fernelius enim, [h] & Argenterius, [i] cùm similaribus partibus inquiunt, non temperatura solùm insit agendi instrumentum, sed materiæ præterea dispositio varia inueniatur; velut tenuis aut crassæ, raræ vel densæ, mollis aut duræ, laxæ vel astrictæ, acuti vel obtusi sensûs: à quibus pars ad operandum aptior aut ineptior redditur: ac demum propria cuique parti forma tributa sit actionum causa [vt loquitur Argenterius] seu tota rei substantia secundùm Fernelium, quæ ab illo essentia, & species etiam appellatur, ac dicitur esse perfectio & integritas qua res vnaquæque consistit.

h Lib. 1 pathol. cap. 7. & lib. 2 de abd. rerum caus. cap. 9 & 10.
i Lib. de morbi gener. cap. 45 & 6.

At cùm per hæc tria pars omnis subsistat, per hæc ipsa tria, aiunt, easdem vel benè vel malè subsistere necessum est; quorum integritas & moderatio, partium sit sanitas, eorumdem verò opposita immoderatio, morbus existat. Quare vt partium similarium sanitatem; ita & earumdem morbos in tribus constituunt, triaque faciunt morborum partium similarium genera: vnum materiæ, alterum temperamenti, tertium totius substantiæ. Quæ sententia, vt ab antiquorum Medicorum doctrina planè aliena est: ita rationi minùs consentanea videtur.

Galenus quidem solos in intemperie morbos similaribus membris ascribit: cui consentiunt non Auicennas solùm, [k] & Auerrhoës: [l] sed vniuersa Medicorum schola Fernelio antiquior, & eodem iuniores plurimi. Atque id quidem meritò. Licèt enim varius membrorum substantiæ modus, & particlum secundùm materiam dispositio, ad integras aut vitiatas actiones edendas variè concurrat, absque sensibili temperaturæ primarum qualitatum euariatione. Crassities enim corporis ventriculi ad perfectiorem coctionem plurimùm ex ipso Galeno, [m] iuuat. Quod in auibus certò comprobamus, quæ non tam ob intensiorem ventriculi calorem, quàm ob crassitiem corporis eiusdem, durissima quæque concoquunt; & semina integra, imo & struthiocamelus ferri frustra conficiunt. Eiusdem verò laxior tenuiórque textura, etiam citra apparentem intemperiem, ingentem coquendi imbecillitatem inuehit: vnde vulgò effertur, illos ventriculum habere papiraceum quorum vis coctrix imbecilla est. Illi præterea apud Galenum, [n] quorum cerebri substantia tenuis est, ἀγχινοία, seu ingenio vt vulgò reddunt interpretes, seu acrimonia ingenij, aut vt habet Aristoteles, [o] solertia, & bona medij coniectatio breuissimo tempore, plurimùm valent, & hebetiores quorum cerebri substantia est crassior. Licèt etiam substantiæ modi non tam primarum qualitatum concursum in mixto sequantur, quàm variam heterogeneatum partium materiæ coagmentationem; vti ex Galeno colligitur, [p] & nos alibi probauimus: [q] tamen quia substantiæ modus qui à prima conformatione contractus est, aut per ætatum mutationem secundùm naturam in quibusuis nostri corporis partibus acquiritur, neque in peiùs ex morbo ruere, neque in meliùs remediorum ope emendari potest, quàm per ea quæ earumdem partium temperiem alterando immutant: rectè à Galeno cæterisque Medicis assertum est huiusmodi præternaturales affectus in intemperie consistere. Ac maximè si meminerimus, vt aliàs docuimus, [r] temperiem apud Medicos vt totam substantiam etiam significat, illud aggregatum dicere, quod ex particulari primarum qualitatum graduatione, & peculiari substantiæ modo constans, est primarum

k Lib. 1. fen 2. doct. cap. 2.
l Lib. 3. colliget. cap. 2.
m Lib. 5. de vsu partium. cap. 12.
n Lib. artis parua cap. 22
o Lib. 1. posterior. cap. vltimo.
p Lib. 4. de simpl. medic. facult. c. 15.
q Tract. 1. lib. 1. cap. 6. & lib. 2. cap. 22.
r Citat. tract. 1. lib. 2 cap. 1.

facul-

facultatum instrumentum. Præterea aduertendum est rem pressius speculanti, nequaquam vt cum Fernelio voluit Argenterius, tales euariati substantiæ modi affectus, in similarem partem cadere quatenus absolutè similaris est; seu vt idem Fernelius [f] loquitur informis est: sed in similarem ad sensum, quatenus & ipsa quodammodo officialis & vt adnotauit Galenus, [t] organi pars est.

Non iniuria ergo Fuchsius, [u] Erastus, [x] Imbertus, [y] & Riolanus, [z] prædictorum sententiam plurimis refutarunt, quæ apud illos legi poterunt, & iuxta prædicta examinari. Sed ea adhuc in parte magis à Fernelij Argenteriique sententia recedendum existimo: cùm non materiæ solùm, imo & formæ etiam nouum morbi genus inuexerunt. Quod quàm sit imaginarium ex eo patet, quòd aduersarij in eo explicando quod formam nuncupant maximè torqueantur: id formam aliquando, alias speciem, essentiam aut totam substantiam appellantes. Quæ cùm inter se differant vt ex metaphysica discere licèt: quodcumque horum dixerint, non difficilè erit demonstrare, vel in illud tale, morbi rationem non cadere, vel cogi illos cum Galeno idem sentire. Si enim de substantiali hominis forma loquuntur: quomodo potest illa quæ spiritalis est, nullum nacta contrarium, intensionis & remissionis incapax; eam mutationem ferre, eámque in se oblæsionem pati quæ morbus esse dicatur: Neque errorem dicti excusat, præter principem totius formam, partiales introducere similarium partium formas. Cum & falsum id esse probatum iam antea sit, & nunquam intelligatur, substantiã talis formæ eã in se subite mutationẽ posse, à qua morbo affecta esse dicatur. Species ea natura est quæ licet in singularibus insit cõmunicabilis multis numero differentibus, ab omnibus tamen conditionibus indiuiduantibus abstrahit: impatibilis, nec sanitate frui, nec morbo laborare nata: Essentiam, quæ in indiuisibili consistit, nullus est qui possit aliquando integram, mox læsam aut præter naturam constitutam imaginari? Tota substantia per se præcisè sumpta ex materiæ & formæ vnione consurgit: quæ cùm sub ratione totius à suis partibus non nisi vnione differat: inter huiusmodi autem partes, forma in se, morbi sit incapax: materia verò prout per membra tam similaria, quàm dissimilaria dispersa sit non aliis morborum speciebus quàm tribus illis primariis à Galeno recensitis subijciatur: earumdem autem vnioni tandem non aliud adueniat virium quàm dissolutio, quæ in viuente mors est, non autem morbus: nullum erit morbi genus quod toti substantiæ vt tali competat. Quòd si cum Galeno, quò demum inclinare videntur, per totam substantiam significare velint id quod in singulis similaribus partibus quatenus sensibilia sunt corpora cuiusque proprietatem constituit: cùm id cuiusque indiuiduale temperamentum esse docuerimus; [a] omnis similarium partium læsio à prædictis toti substantiæ tributa, erit in intemperiem referenda. Sed contra Fernelius, [b] cùm spiritũs innatique caloris, inquit, dissipatio fit, aut extinctio: per vigilias quidem, labores, inedias, atrocesque dolores, dissipatio; per strangulatum verò, & penetrabile extremum frigus, extinctio: cùm item per putredinem & substantiæ partis dissolutionem in gangræna, sphacelo, in phthisi, in iecoris, lienis, aliarumque partium corruptela, peste, lue venerea, aliisque malignis affectibus, totius membri substantia spirituosa carnosa & solida citra manifestæ vllius intemperaturæ impressionem corrumpitur, & grauissimi inde nascuntur affectus: nonne huiusmodi morbi cum ratione potius ad totius substantiæ corruptelam, quam ad intemperiem referentur? Verùm nihil hæc ratiocinatio conuincit. Exolutio enim aut extinctio spirituum vitalium, morbus non est: sed morbi causa, frigidæ scilicet intemperiei. Quòd huiusmodi spirituum (calorem à corde influentem vehentium, & eumdem in reliquis membris fouentium) exolutâ substantiâ, aut suffocato calore: calor qui in partibus ad operandum est necessarius, aut plus iusto remittatur, aut extinguatur. Animalium verò spirituum dissipatio, non aliter læsionis actionum animalium est causa, quàm ex vitio cõformationis in via: quod neruorum cauitates & ductus, vel ex spirituum defectu veluti per σύμπτωσιν & concidentiam coarctentur; vel spirituum loco, à vaporibus crassis & ad supplendum illorum vsum ineptis, obstruantur. Fixorum autem spirituum pingui humido adhærentium exolutio; quoniam non nisi marcescentibus & tabescentibus aduenit, per colliquationes & febres, siccitatem & marcorem inducentes; effectus est euidentis intemperiei. Putredo primarum qualitatum effectus, vt ex Aristotele, [c] & Galeno, [d] aliisque Philosophis putredinis naturam definitionémque excutientibus comprobatur: ab intemperie mixtum ad dissolutionem ducente excitatur. Seu illa, ab elementari aliquo agente producatur; seu à superiore causa, per qualitates elementariis congeneres, aut quæ has in se eminenter contineant, imprimatur. Venena, & tabes per vulnus ab animante inflictum effusa, aut halitus ab phthisico aut peste infecto exhalans nec totâ substantiâ, nec in totam substantiam aliter agit; quàm per speciale, & sibi proprium vehementis actiuitatis temperamentum; totius corporis, aut partis alicuius temperiem, mirâ celeritate corrumpendo.

f Lib. 2. physiol. cap. 1.
t Lib. de different. morb. cap. 4.
u Lib. 3. inst. sect. 1. cap. 4.
x In thesib. de morbis totius substantia.
y In annota. ad lib. Galeni de different. morb. dict. 3.
z Comment. in lib. de abditis rerum caus. cap. 9.
a Cit. tract. 1. lib. 2. cap. 1.
b Cit. lib. 1. de abdit. rer. caus. cap. 10.
c Lib. 4. meteor. cap. 2.
d Lib 10. method. cap. 8.

Quibus ita constitutis, ad secundum principale morborum genus examinandum veniamus, quod in mala conformatione consistit: quoniam viuentes nostri corporis partes, secundò præter natu-

ram affici contingit, si quæ quibusque necessaria est conformatio & configuratio vitietur. Conformatio autem in organicis & instrumentariis partibus attenditur: seu hæ sint similares, seu etiam dissimilares. Nec miretur quisquam, in partium similarium censu aliquas organicas à nobis recenseri. Siquidem vt animaduersum est à Fernelio,[e] dissimilares quidem omnes instrumentariæ sunt, non tamen omnes instrumentariæ dissimilares existunt. Nam quæmadmodum Galenus,[f] docuit, humor crystallinus qui planè similaris est substantiæ, primum est videndi instrumentum. Et venæ quæ apud eumdem Galenum[g] inter partes similares numerantur, instrumentariis ascribuntur.[h] Ac quoniam authore eodem Pergameno,[i] vnumquodque organum secundùm idipsum per quod sanum existens actionem inuit, etiam ægrotans læditur: quælibet autem organa peculiari quadam conformatione & configuratione ad rectè operandum disponuntur; si eorumdem conformationi aliquod sensibile vitium aduenerit, id morbum esse necessum est. Vbi aduertatur, cùm in totalibus membris instrumentariis, quæ & dissimilaria sunt, aliqua omnino sit pars[k] operationis causa, reliquæ verò ad aliquem vsum priori illi parti subministrandum creatæ sint: non solùm operationem detrimentum pati, cùm pars illa præter naturam afficitur quæ operationis est causa; sed etiam quando earum quæ vsum præstant naturalis constitutio insigniter deprauatur Ea tamen distinctione est opus: quod si affectus partium principi organo subseruientium, non per se ipsos actiones impediát, sed ideo quòd primo operationis instrumento officiant; non morbi, sed morborum causæ cognoscantur: si verò primum operationis instrumentum nullatenus lædentes ipsam operationem impediant, tum earum huiusmodi dispositiones morbi appellentur. Neque huic doctrinæ repugnat quod apud eumdem Galenum habetur,[l] quamlibet in animantis corpore actionem, peculiarem habere particulam, per quam perficiatur; eòque actionem lædi necesse esse instrumento ipsam efficiente quomodolibet affecto. Partibus enim quæ vsum præstant sic læsis, vt actio omninò impediatur: etsi instrumentum actionem efficiens positiuè non afficiatur, illud tamen quodammodo priuatiuè affectum est, quoniam ex inde priuatur tali aut sic affecto obiecto vel materia circa quam operari deberet. Conformatio autem partium quatuor omnino modis offenditur, vel accidentali formâ & figura vitiatâ, vel magnitudine immutatâ, vel variato numero, vel peruerso situ. Ad formæ (accidentalis scilicet, & quæ in quarta qualitatis specie continetur) vitia, reuocamus omnes substantiæ modos qui parti ad operandum sunt impedimento. Atque id ex Gilberti, Auerrhois, Alberti, atque aliorum sententia quos Toletus[m] refert.

Quòd scilicet per huiusmodi modos, substantia partis non naturalem habitum, seu alienam formam, aut constitutionem contrahat. Formámque hic appello eum materiæ modum qui ex interna partium quantarum positione, aut accidentariis dispositionibus illi connexis quomodocumque resultat. Cuiusmodi sunt non raritas solum, densitas, tenuitas, crassities, & similes: sed diaphaneitas etiam & ἀχροια seu coloris priuatio in crystallino, atque his pares. Figuram cum Suarez[n] voco modum in corpore ex terminatione magnitudinis resultantem. Ad vitiatam figuram spectant, primum ea magnitudinis præter naturam externa terminatio, per quam quæ recta incurua sunt. Vt his accidit quorum crura introrsum aut extrorsum contorquentur, atque illi compernes & vari, hi verò valgi aut varij appellantur. Ita cùm quæ rotunda esse oporteret, oblonga effinguntur: aut alitercumque cum læsione actionis cuiuspiam, partium figura mutatur. Secundò ad hoc ipsum vitiatæ figuræ genus pertinent morbi in via: quales sunt meatuum multitudo ac paucitas; in his qui & laxiore & densiore sunt corporis habitu: nec non eorumdem immodica dilatatio, vt in mydriasi, aneurismate, & varicibus: Itémque defectus ductuum, vt ano, vuluâ, menrulâ, ac similibus non perforatis: tandem & grandiotum capacitarum coarctatio, vt thoracis ea depressio quæ ad phthisim ducit; & vasorum & cauitatum indebita vacuitas, concidentia, compressio, atque eorumdem [vti & insensibilium meatuum] obstructio. Tertiò huc referuntur morbi in superficie vitiata à læuitate aut asperitate præter naturam contracta. Ventriculus enim & vterus si internam & concauam superficiem iusto læuiorem ac nimium lubricam habuerint nec cibos nec fœtum probè continere valent: tracheæ autem arteriæ insolita asperitas rauciratem infert.

Magnitudinis vitiatæ morbus nuncupatur, cùm pars aliqua aut supra conuenientem naturæ modum increuit, aut infra substitit. Veluti si aliquando lingua ad tantam molem efferatur, vt ad nullam oris partem deflecti possit, plurimùm etiam extra Drominens: vt in Domini Iusberti quodam filio conspeximus. Vel si caput, aliundè membrum in inconsuetam magnitudinem excrescat: vt Ludouico Bordino Massiliensi contigit, cuius caput ab ætatis anno duodecimo à superciliis ad verticem tantum accepit incrementum, vt eius cranij circumferentia tres palmos cum dimidio compleat, eámque ipse iam molem sustinere nequeat. Neque huc solum pertinent naturæ partium præter naturam exuberantiæ: sed etiam quæ nobis iam natis quocumque ex casu superueniunt. Ideóque Galenus sub hoc genere morborum recenset priapismum, & enchantida seu extuberantiam

glandulæ

e Lib. 2 physiol. cap. 1.
f Lib. 10. de vsu partium, cap. 1.
g Lib. de different. morb. cap. 3.
h Lib. eodem. cap. 4 & lib. 1 de natural. facul. cap 10.
i Lib. 1. de diffinit. respi. cap. 18.
k Galen. lib. de different. morbor. cap 6
l Lib. 1. de locis affect. cap 2 in principio.
m q. 1. in cap. 8. prædic.
n Disput. in metaph. sect. 5. n. 15.

glandulæ in maiore oculi cantho sitæ, atque alios eiusdem rationis affectus: veluti particularum augmenta quæ in vlceribus carne supercrescente fiunt. Vtque, hæc illave membra frequentiùs magnitudinis præter naturam peculiare vitium contrahunt: ita quibusdam etiam aliquando accidit, corpus vniuersum ad tantam moiem euehi, vt se loco mouere non possent: quemadmodum Nicomacho Smyrnæo accidisse memorat Galenus. [o] Contra nonnullis lingua tam parua est, vt plurimas oris partes attingere nequeat. Et varia alia membra, vel à principiis generationis, vel à subsequente particulari atrophia & tabe eam paruitatem assequuntur quæ actionibus obeundis incommodet.

o Lib. de different. morb. cap. 9.

A numero partium variato morbus exoritur, non solùm quando pars aliqua deficit: * seu à prima conformatione desit; seu deinceps vi auulsa sit; seu putrefacta exciderit: seu ex toto aut ex parte etiam resecta fuerit, membro priorem figuram non retinente quam imminutâ magnitudine conseruat: sed etiam contrà, cùm pars aliqua superabundat: vt sextus digitus, adnata fronti cornua, pterygion seu vnguis in oculo, polypus naribus adnascens, ac thymi verrucæque variæ. Lumbrici verò, aliàque animalia intra nos genita, & calculus: quia non sunt corporis partes & illius conformationem non ea ratione viiiant vt ipsam conformationem ingrediantur: nec præterea primò & per se actionem lædunt: apud nos morborum numero non asscribuntur, sed morbi causæ dicuntur. Quod si Galenus [p] hæc morbis annumerasse videatur: supponatur oportet: eumdem morbi nomine sub largiore significatu illic vsum prout non solùm partium in se præternarutalem constitutionem denotat, sed eorum etiam quæ in eisdem continentur. Vbi aduertendum est ea quæ in corpore tam in magnitudine quàm in numero aut deficiunt, aut superant, non ipsa quidem in se morbos esse, vt illis vulgò tribuitur: sed cùm morbi ratio neque substantiæ neque quantitati per se conueniat, sitque de genere qualitatis, morbi nomen ipsi tantùm dispositioni præter naturam debetur, quæ ex defectu aut superabundantia partium sequitur. Atque id verum esse in ijs præsertim quæ deficiunt adnotare apertissimè licet: eum enim non entis nullæ sint qualitates, neque membro deficienti conueniet morbi attributum sed illi constitutioni ex tali defectu emergenti, & per quam organum ad operationem naturæ instituto conuenientem edendam ineptum redditur, morbi nomen tribuetur.

* Tacitæ obiectioni respondetur, & explicatur quare defectus membrorũ quæ dimitiatum sunt secte ad morbos in numero non autem in magnitudine referuntur.

p Citat. lib. de diff. morb. cap. 8.

Tandem si naturalis partium inter se compositio & nexus permutatur, varij inde morbi fiunt, quos morbos in situ, aut in connexione appellauit Galenus. [q] Ad situm quidem pertinent, artuum luxatio, dentes exerti & prominentes, omenti vel intestini in scrotum prolapsus: & demum si quod in superiori loco collocari debet in inferiore sit positum, si dextrum fiat quod in sinistris debebat esse collocatum, aut alitercumque pars quæpiam naturalem sedem mutet, vti crystallino in strabismo aduenit. In connexu verò fiunt morbi, cùm verbi gratia ligamentum aliquod aut laxatum, aut intentum eousque fuerit vt in ea parte articulationis motus offendatur. Sub quo genere continentur longior linguæ nexus, quem filum nostri vocant, & qui ad sermonem explicandum, & lac sugendum non parum officit: nec non preputij nimia cum balano colligantia, quæ impedit ne semen procul & rectà in mulieris vterum transfundatur. Ad hoc ipsum morbi genus pertinere voluit Galenus labiorum, palpebrarum, sedis, digitorum, aut consimilium particularum natura sua disiunctarum coitionem malè curatum in illis vlcus consequentem. Sed horum multa meliùs ad primum genus morborum in læsa conformatione reducuntur, cùm exinde aretatio quædam naturalium meatuum nascatur, pro varia tamen ratione, idem affectus ad varia morborum genera referri quodammodo potest.

q Lib. de diff. morb. cap. 10.

Tertium porro ex principibus morborum generibus est * solutio continui, cuius significatu contiguum etiam comprehenditur. Nec refert vt monet Galenus, [r] si vnitatis aut continuitatis solutio dicatur. Ea verò cùm partium quantarum constitutionem plurimùm à priori differentem vitiet, & scopum curatiuum planè diuersum sortiatur, iure ad aliud morbi genus reuocatur. Est enim prior illa conformationis oblæsio organicarum propria, at solutæ vnionis vitium, in quascumque corporis partes tàm organicas quàm inorganicas, similares quàm dissimilares cadere potest. Quæcumque enim illæ sint, eædem pungi, secari, erodi, rumpi, contundi, distendi, aut contrahi possunt. Imo & ipsæ dissimilares, similarium ex quibus componuntur continuitate illæsa, vnionis solutionem patiuntur, similaribus ab inuicem diuulsis. Sed præterea cùm omnibus tam similaribus quàm dissimilaribus partibus, principum membrorum influxus ad vitam & actionem sit necessarius, ad quem excipiendum à continuitate disponuntur: vtræque à continuitatis solutione immediatè læduntur. Atque ea læsione quidem non quæ immediatè peruertat principium operandi similarium, quod temperamentum est: sed quòd citra alterius læsionis interuentum, immediatè impediat concursum influxûs ad operandum necessarij. Hine nihil mirum si Galenus, [s] prioris læsionis modum attendens dixerit, in similaribus partibus solum affectiones iuxta intemperiem simplicem fieri: poste-

Vt satisfiat Auerrhoi lib. 3. colle. cap. 24 afferenti solutionem continui ad similares propriè & primò pertinere: solutionem autem contigui ad dissimilares.

r Lib. 5. met. cap. 8.

* Respondetur Argenterio qui lib. 2. de morbi generib. cap. 18. contendit solutionem continuitatis, partium non afficere similar. partib. vt earum actionem lædat.

s Lib. 2. de compo. medic. secundum locos, cap. 1.

ſterioris autem rationem habens, [t] aſſeruerit ſolutionem continui morbum eſſe ſimilaribus & diſſimilaribus communem. Vbi aduertendum eſt cum apud eundem [u] legitur nullum inſuper ægritudinis genus reperiri quod vtriſque ſit proprium: pro vtriſque legendum eſſe alterutris, vt monuit Valeſius: [x] aliàs in eodem textu manifeſta repugnantia legeretur. Duplex autem in vniuerſum eſt vnitatis ſolutio: vna incompleta dicitur, quam alij occultam appellant: alia completa, ſeu manifeſta nuncupatur. Incompleta ea eſt, in qua violentè quidem & præter naturam quotcumque membrorum particulæ ab inuicem ſecundùm quid diſtrahuntur, non integrè tamen diſiunguntur: vt in diſtenſione à flatibus, in tumoribus, in repentina à calore rarefactione, aut contractione à frigore. Completa ſeu manifeſta ea eſt, in qua pars à parte integrè ſeparatur: ſeu ſectione fractura, aut quomodocumque aliter id fiat. Atque in vtroque genere pro ſolutionis modo, alia longa eſt, lata, aut profunda: alia recta, aut obliqua. Sed præterea pro varia natura partium quæ continui ſolutionem patiuntur, & pro varietate cauſarum ſoluentium continuum, diuerſæ fuere introductæ vnitatis ſolutionū denominationes. Quæ enim in cuticula fit, aut leuiter attingit cutem excoriatio appellatur. Quæ ad carnem penetrat tam incidendo quam erodendo facta, vna voce apud antiquos ἕλκος idest vlcus, vt videre eſt apud Hippocratem, [y] & Galenum [z] dicebatur.

Deinceps verò ſectio in carne communibus quibuſdam vocibus τρῶμα, τύμμα, & πληγὴ à Græcis nuncupata eſt; à Latinis plaga & vulnus: corroſio verò peculiari nomine vlcus fuit appellata, vel potiùs omnis cruenta ſolutio continui in carne facta, vulnus: purulenta verò vlcus nuncupatur. Cuti & carni communis eſt diſtenſio ac ruptio, quæ apud Græcos ῥῆγμα dicitur. In neruo autem incompleta ſolutio, diuulſio, aut σπάσμα vocatur. Mollibus omnibus partibus, punctio ab acuto tenui: inciſio, à ſcindente inſtrumento: & contuſio à graui contundente facta conuenit: quæ poſterior à Græcis θλάσμα nuncupatur. Oſſi propria eſt fractura, Græcis κάταγμα: & quæ eiſdem aduenit fractura erroſio, à Latinis dicta caries à Græcis τερηδών. Quæ tandem diſſimilaribus partibus aduenit, ſimilaribus ab inuicem diuulſis, ἀπόσπασμα particulatim appellatur.

t Lib. de diff. morb. cap. 4. & 11. lib. artis medica. u Cit. cap. 4. x Lib. 4. controuerſ. cap. 2.
y Lib. de vlcerib. 2
z Lib. de different. morb. cap. 11.
* Galenus. lib. de conſtit. artis. cap. 6.

De ſecundarijs & accidentalibus morborum differentijs.

Capvt III.

Vt morbis eſt eſſentiale corpus præter naturam afficere, atque ex vario modo idipſum afficiendi, illi in diuerſas ſecantur ſpecies: ita nonnulla eiſdem per accidens adueniunt, ex quibus variæ morborum differentiæ naſcuntur, ad prognoſim curationémque rectè inſtituendam vtiles. Accidit enim morbis vel ſimplices eſſe, vel compoſitos: habere, vel non habere dependentiam ab alio: in magnitudine, more, aut motu euariare; totum, aut partes afficere: plures, aut pauciores inuadere: permanentes eſſe, aut non: frequentes, aut raros eſſe, diuerſis temporibus excitari, aut propriis temporibus diſtingui: habere, vel non habere typum: à diuerſis cauſis produci: ac demum hunc, aliumvè exitum polliceri. Ex quibus ſequentes oriuntur morborū differentiæ. Primū enim morborū quidā ſunt ſimplices, alij cōpoſiti. Simplices etſi varie vt videre eſt apud Argenteriū, [a] & coniectari ex Galeno, licet tamē propriè [b] appellantur illi, qui vnius ſunt ſpeciei, ab vnius rationis cauſa excitantur, & citra alterius affectûs concurſum corpus aut illius partem quamdam vniformiter afficiunt. Hi verò vel ſunt immateriales, vel materiales: Illi dicuntur qui nullam habent præſentem humoralem cauſam, à qua vel producti fuerint vel foueantur: vt intemperies calida ab inſolatu excitata, aut ſolitaria continui ſolutio, malavè conformatio. Materiales appellantur qui ab humoris alicuius, aut alterius generis excrementi vitio, vel generantur, vel fouentur. Compoſiti dicuntur qui à priorum ſimplicitate quacumque ratione abſunt. Hi verò duorum ſunt generum: alij propriè compoſiti, & ex plurium concurſu vnitatem conſequuti: alij implicati, qui cùm euidentem ab inuicem diſtinctionem ſeruent, ſimul tamen concurrunt Compoſiti propriè adhuc ſunt duplices, vel ratione formæ, vel ratione materiæ ad efficientiam concurrentis. Compoſiti ratione formæ dicuntur illi, qui cùm ex pluribus affectibus ſpecie aut genere differentibus eamdem partem infeſtantibus conſtent: vnius tamen morbi formam rationémque induunt, nec cauſâ, nec ortu, nec ſede, nec terminatione diſiuncti. Tales ſunt intemperies calida & ſicca in febre hectica, frigida & humida in βραδυπεψίᾳ: Itèmque tumores præter naturam, inflammatio, eryſipelas, œdema, & ſchirrus: in quibus intemperies, mala conformatio, & ſolutio continui ad vnam inflāmationē verbi gratia conſtituendam cōcurrunt. Compoſiti ratione materiæ illi dicuntur, qui licèt in eadem parte concipiantur, & ad vnam ſpeciem referantur: tamen non ex vnius tantùm, ſed ex multiplicis materiæ vitio producuntur, quarum quælibet diuerſæ ſpeciei morbos excitare conſueuit. Quales ſunt confuſæ tumorum ſpecies, phlegmone eryſipelatodes, œdema ſcirrhodes, & ſimiles. Necnon febres

a Lib. de different. morb. cap. 17.
b Lib. 1. de criſib cap 16
De morbis compoſitis agit Galenus lib. de differ. morb cap. 12 & 13. 2. de criſib. cap. 7. & in præfatione commentar. 1. in 3 epidemion vt Auicennas 4. 1. doctr 1. cap 3. necnon Fernelius, lib. 1. patho. cap. 10 & 3. eiuſ. c. 7. vbi quos nos compoſitos dicimus, ille confuſos vocat, & quos complicatos appellamus ille compoſitos nominat.

plurimæ quæ inter humorofas & putres nothæ appellantur, exquifitis oppofitæ: nothæ dictæ quia etfi typum fui generis feruent,degenerant tamen à modo inuadendi, ac definendi à fymptomatibus & motu earum quæ in eodem genere exquifitæ nuncupantur. Implicati illi dicuntur qui vel fedibus diffociantur,vel in eadem parte nati,curandi ratione fic inter fe differunt,vt vnum pro alio aliquando negligi Galeno mouente [e] oporteat.

e Lib. 7. method. cap. 12.

Prioris ordinis funt illi,qui vel eodem tempore diuerfa membra occupant: vt iecoris calida intemperies,& frigida ventriculi difcrafia; vlcus in vefica, & calida renum intemperies: vel qui licet corpus vniuerfum eodem tempore aut per difparatas acceffiones inuadant,tamen in diftinctis locis focum habent & fomitem;quales febres diuerfæ fpeciei eumdem affligentes, vt tertiana cum quotidiana,tertiana cum continua, aut aliæ fimul concurrentes. Quas Galenus [d] complexas vocat, quando horis differentibus inuaferint:confufas verò,quando eodem tempore inceperint. Pofterioris ordinis funt,vel febres diuerforum generum eumdem fimul vexantes, vt putris cum hectica: vel morbi plurimùm inter fe & forma & curatione difpares, qui eamdem partem eodem tempore tenent;vt vulnus cum contufione,vel vulnus in tibia,cum fubiecti offis fractura; vlcus cum intempetie, phlegmone, aut labiorum duritie,& fimiles. Secundò ex dependentia quam morbi ab inuicem habere poffunt, quidam à Montano [e] primi appellantur,alij fecundi, primi funt, qui primò inuadunt: fecundi verò, qui aliis fuccedunt. Succeduntautem alij, aliis, vel per ἐπιγένεσιν, vel per μετάπτωσιν, vel per μετάστασιν. Per ἐπιγένεσιν quidem & quafi fupergenerationem vnius morbi ad alterum,bifariam: feu fcilicet eidem parti alius fuperueniat morbus, vt vlceri,phlegmon: feu toti aut alteri parti nouus adueniat affectus,prioris malo & foco fuperftite; vt cum inflammationi alicuius partis fuccedit febris. Per μετάπτωσιν verò ex Gorrhæo [f] quando ab vna fpecie in aliam fpeciem fit tranfitus feu tranfmutatio: vt cùm vulnus in vlcus tranfit; febris acuta in non acutam vertitur; aut minùs exquifita phrenitis,in lethargum,aut alium affectum abit, materiæ morbum facientis qualitate mutatâ. Veruntamen vt varia eft nec definita authorum loquendi ratio μεταπίπτειν à quo μετάπτωσις nomen fumpfit; ex Fœfio [g] plerumque de morbo dicitur qui in aliam tranfmutatur fpeciem, feu priore ceffante alter fuperueniat, feu prior morbus in alium degeneret: interdum etiam de humorum transfluxu effertur cùm fubinde locum cõmutant: quod variis Hippocratis textibus idem confirmat. Per μετάστασιν demum fucceffio morborum aduenit,cùm ex vna in alteram partem morbus demigrat. Quæ mutatio fi fimpromaticè fiat nomen μεταστάσεως retinet. De qua fic Galenus [h] μετάστασις ideft communicatio aliarum haber principium acceffionum offenfionumque, vt & aliud exigat tempus ad coctionem mali, corporis locus, ad quem infeftantium humorum facta fit commutatio. Vt cum ex pleuritide fit peripneumonia,& ex hac aliquando phrenitis. Eadem verò fi fpeciatim ab inferioribus partibus fiat ad fuperiores, ἀναδρομὴ appellatur: vti à Fœfio [i] comprobatur. At fi humor in partem decurrat à qua tranfmiffus fuerat παλινδρομὴ nuncupatur. Ac demum fi aliqua fiat tranfmiffio critica humoris morbifici in aliquod determinatum membrum,ea ἀπόστασις nominatur vt ab eodem Galeno [k] eft explicatum cùm inquit,apoftafin indicationem inferre, ægrumque à moleftiis omnibus liberare. Atque hanc ipfam διαδοχὴν vocat Duretus [l] fic febri aliquando ex Hippocrate, [m] fuccedit fcabies, eryfipelas artuum,aut ictetus. Hæc autem nouiffe ad prognofin meditandam,& curationem artificiosè præfcribendam plurimùm facit: vt ex his quæ in praxi Deo annuente docturi fumus abundè conftabit.

d Lib. 2. de differ. febrii. cap. 6.

e 2 p. fua Medicina.

f In definitionibus Medicis in voce μεταπτώσις.

g In œconomia Hippocratis in verba μεταπίπτειν.

h Com. 4. in lib. de ratione vict. acut. com. text. 68.

i In cit. œcon. in voce ἀναδρομὴ

k Loco citato.

l In annotatione ad fuam enarrationem in cap. 1 lib. 3. de morb. inter. Holleri.

m Lib. 4. aphor. 64.

Ex eodem capite,morborum alij idiopathici,alij fympathici dicuntur. Idiopathici funt, qui per inexiftentem membro, & propriam eius affectionem neque aliunde fuggeftam partem ægram lædunt. Sympathici,qui per confenfum cum parte primariò affectâ,aliam fecundariò affligunt.

Ab hoc ipfo fonte oritur diuifio morborum in hæreditarios,congenitos, & afcititios. Hæreditarij dicuntur qui à parentibus in filios cum femine tranfeunt. Congeniti vocantur qui à principio quidem generationis contracti funt,non tamen confimiles aliquos parentum morbos imitantur. Ijdémque fyntrophi & coætanei appellantur. Afcititij funt illi in quos caufarum non naturalium errore aut vitio,vel quomodocumque per ætatem incidimus;atque vt Hippocrates [n] feribit,aut ab his quæ extra funt,aut ab his quæ intra inutilia,excitantur.

n Lib. 1. de morbis.

Tertiò ex magnitudine ea defumitur morborum differentia,à quâ alij magni, alij parui effe dicuntur. Quoniam verò in exprimenda ratione propter quam morbi aut magni aut parui effe dicuntur, authores inter fe minimè confentiunt: omiffa opinionum varietate, quid fentiendum videatur excutiamus oportet. Magnitudinem ad quantitatem pertinere, vti nulli dubium eft: ita quantitatem aliam effe molis,aliam virtutis,atque hanc in qualitatibus etiam & morbis fpectari, quibufque manifeftum eft: & fubindicatum à Galeno legitur.[o] Eft autem quantitas virtutis ex D. Thoma,[p] ea quæ attenditur fecundùm perfectionem alicuius naturæ vel formæ,& in qualitatibus vel intenfione aut remiffione,vel effectu & operatione menfuratur. Cúmque morbi tario naturá-

o Lib. 3. de temp. medic. per gener c. 2.

p p. 1 q. 42. art. 1. ad 1.

que

que, in nocendo & lædendo consistat: morbum illum magnum vocare licebit qui plurimùm, at paruum qui parùm io quocumque genere offendet. Vnde Galenus [q] morbi vehementiā quæ eiusdem actiuitatem & nocendi vim indicat cum magnitudine solet confundere. Ac quoniam morbus plus aut minùs nocendi vim, triplici ex fonte potest accipere (scilicet à definita specie, & propriæ formæ intensione & remissione: à dignitate, aut vtilitate partis quam occupat: & ex maiore aut minore vi causæ à qua producitur) morbum trifariam magnum aut paruum appellari apud Galenum inuenimus: vel in se & absolutè, vel respectu subiecti in quo inest, vel tandem ratione causæ efficientis. In se quidem & absolutè consideratus morbus, sibi iure huiusmodi denominationes vindicare potest: cùm intensionis & remissionis capax, secundùm varias species plurimùm aut parùm nocendi facultatem consequatur. Ad quam magnitudinis morborum rationem respiciens Galenus [r] vitia omnia grauia magnáque reddi asserens variis ex causis, id secundò accidere inquit, propter affectûs magnitudinem.

Et alibi, [s] affectûs magnitudinem multiplicem statuens, vnam esse ait, quæ ex propria affectûs essentia æstimetur. Libro præterea de totius morbi temporibus, [t] morbi singuli, inquit, ex sua quidem natura magnitudinem quamdam possident. Quam particulatim explicans in libris ad Glauconem [u] quantum vnumquodque air, à naturali statu recedit, ad tantam morbus magnitudinem peruenit. Secundò morbus dicitur esse magnus respectu subiecti: quòd scilicet vel princeps aliqua pars ab eo afficiatur, qua ratione suæ dignitatis inductam læsionem per se minùs grauem grauiorem reddit; vel quòd ægrotantis vires [x] ad morbum collatæ infirmiores plurimùm offendantur. Quod confirmatum à Galeno legimus, [y] dum morbos magnos, inquit, reddi, inter cætera propter afflictæ partis præstantiam: & vbi affectûs magnitudinem asserit, [z] tum ex læsæ actionis præstantia spectari. Quod author definitionum medicarum Galeno ascriptarum aduertens morbos ita distinguit, vt alios imagine, alios re magnos esse dicat. Imagine magni exemplum profert, vulnus io carnosis locis multum spatij occupans: re verò & aspectu magni, neruì aut musculi, seu tendonis puncturam; quæ cùm parua visui appareat, vi tameo magna est.

Tandem magnus morbus is appellatur quem causa ad nocendum efficax excitarit: vt insinuatum habemus à Galeno, [a] triplici genere morbum quemque grauem esse ait, aut propter excellentiam partis, aut propter affectûs magnitudinem, aut propter ipsius cacoethiam. Vbi cacoethia seu malignitas, aut excellens humorum vitium pro exemplo ponitur inter alia causarum genera, vt rectè interpretatur Argenius. [b] Ac certissimum quidem est vt agentia quæque potentiùs agunt, non solùm ex facultatis operantis maiore efficacia, & ex maiore dispositione patientis ad ferendam actionem, sed etiam ex conditione materiæ cui vis agens annexa est. Ita & morbos vehementiùs lædere, non solùm ex propriæ intensionis vi, aut ex eo quòd is æger læsus alio magis lædatur seu pars hæc altera læsioοem grauiùs ferat; sed etiam ex eo, quòd qui inter eiusdem generis morbos à potentioribus causis excitantur, nocentiores euadant. Quæ non solum rationi consentiunt, sed Galeni etiam doctrinæ vt explicatum est, consona esse iudicantur. Licèt enim is non vbique morbi magnitudinem ad tria illa simul referat, sed prout occurrenti tractationi inseruiebat, vni aut alteri ex illis tribuat: nunquam tameo aliquid quod dictis manifestè aduersetur scripsit.

Siquidem cum libro de constitutione artis, [c] morbi magnitudinem ad duo taotum capita retulit ad magnitudinem affectionis quæ in illis est, & ad symptomatum affectionem consequentium magnitudinem ac vehementiam: id factum est quòd eo loco non tam diuersas rationes magnitudinis morborum recenseret, quàm ea describeret per quæ magnitudo morborum euidentius innotescit. At quia quò vehementiores sunt causæ, eò euidentiores effectus proferunt qui nobis primò obijciuntur: & quò nobiliores partes offenduntur, eò grauiora emergunt symptomata: ideo duas illas posteriores magnitudinis morborum differentias, sub vna symptomatum vehementia complexus est. Sed præterea Galenus inter has omnes magnitudinis morborum differentias, semper primam potiorem agnouit, eámque esse censuit secundùm quam morbi maximè propriè magni appellentur. Ideoque & is nunquam illius obliuiscitur, & aliquando, [d] illius tātum meminit. Atque ex propria morbi quantitate veram morbi magnitudinem frequentiùs æstimans: debiles & paruas febres, quandoque valdè malignas esse profitetur: [e] quæ si à cacoethia & vndecumque orta læsionis magnitudine, propria & absoluta morbi magnitudo semper denominaretur, & paruæ & malignæ simul esse non possent. Aduertendum postremo est inter magoos morbos, alios maiores esse, alios maximos: & vt Galenus, [f] docuit, nihil magnum absolutè vocari; sed magnum & paruum in comparatione dici, non ad quodlibet, sed ad ea quæ sunt eiusdem generis.

Qui verò sunt maximi, seu vltra quos non sunt alij, vt loquitur Galenus [g] extremi appellantur. Parui autem, cùm magnis sint contrarij, eorum ratio naturaque facilè per opposita explicatur.

Quartò à more, morbi in malignos seu cacoethes, & benignos seu boni moris distinguntur. Veluti

q Lib. 1. de crysib. cap. 3. eiusdem c. 4. com. 3. in 3. epidem. com. tex. 3. & 1. apho. 12.
r Lib. 7. met. cap. 6.
s Lib. 7. methód. cap. 12.
t Cap. 5.
u Lib. 1. c. 1.
x Galen. 2. in 1. epidem. com. tex. 25. in fine.
y Citat. lib. 4. meth. cap. 6.
z Citat. 7. method. 12.
a Eodem lib. 4. method. cap. 6.
b Lib. 1. de missione sanguinis. cap. 4.
c Cap. 16.
d Lib. de totius morb. tempor. cap. 5.
e Lib. 3. de crisib. cap. 4.
f Lib. 2. de dignoscendis pulsib. cap. 1.
g Comm. in apho. 6. n. 1.

luti enim ratione prçditis, quędam animi propensiones à natura inditæ, aut habitûs assuetudine confirmati insunt:quibus ad rectè aut prauè agendum inclinantur, & mores appellantur. Ita per metaphoram non ad bruta solùm,sed ad morbos etiam benigni malignique denominatio translata est. Siquidem morborum aliqui naturam habent facilem & apertam qui palàm totam suam vim proferunt,& symptomata edunt apparenti naturæ morbi respondentia:quos benignos nuncupant. Alij verò quasi fucato incedunt habitu suam prauitatem non statim exarantes, sed clam feratum more(vt dicebat Sabinus apud Galenū) [h] naturæ insidiantes,sæuiora proferunt symptomata quam speciei morbi ferre videatur:atque hos malignos & κακοήθεις appellant. Quorum naturam exprimere volens Pergamenus, [i] eos esse dicit quicumque periculum minantes, spem salutis non adimunt. Quòd scilicet,ratione quidem speciei,salutis spem non adimant;ex vehementiâ tamen symptomatum periculum minentur.

Etsi verò Galenus non semper sub proprio significatu voce cacoethis vtatur,cū febres inediâ exasperatas κακοηθεστάτας aliquando [k] appellet:solet tamē omnino morbos cuiusque generis præter propriæ speciei cōditionē infestos,& curatu difficiles cacoethes nūcupare.Sic [l] vlcera exedētia cacoethe esse profitetur, & ea vlcera cachoete appellat,quæ eā habent in loco affecto dispositionē,vt alimētū quod influit licèt bonū tamen corrūpat. Necnon [m] morbū eū esse cacoethem ait,in quo cū rectè omnia administrentur,nihilò fiat mitior. Ac demum, [o] morbos κακοήθεις, maleficos morosósque appellat. Sed aptissimè maligni morbi naturam expressit author libri definitionum medicarum; cùm inquit,malignus morbus,magnus grauisque est potestate,specie verò imbecillis,nec tempora certa habet iudicationis. Malignorum autem,quidam secundùm speciem maligni sunt, vt pestis, elephantia,cancer,& similes: alij verò in indiuiduo; malignitatis causâ, cum indiuiduo huius aut alterius speciei,non autem cum tota specie concurrente. Quæ diuisio à Galeno insinuata habetur vbi [p] singuli hi affectus,inquit,non sunt cacoethes,vti de facto igne diximus paulo ante, nonnunquam verò sunt etiam cacoethes vti nunc,quòd putridus esset qui abundat humor. Quorum illi, vt idem [q] indicauit,ex morbi differentia, hi ex symptomatibus eum concomitantibus deprehenduntur.

Ex causæ analogiâ cum malignis,ea morborum differentia huc referri potest;qua morbi in contagiosos & non contagiosos distinguuntur. Non quòd morbus aliquis formaliter sit contagiosus vt monet Capiuaccius epistola ad Erastum lib. 4. epistolarum medicinalium ab Scholzio collectarum epist. 4. & confirmat Erastus epistola sequente,sed causaliter & concomitanter: quòd scilicet ab ægris id exprimat quod alios consimili vitio inficiat. Contagiosi ergo dicuntur qui ex contagio seu ex infectione ab vno in aliud transeunte contrahuntur. Contagium enim est cuiusdam vitûs temperiem nostram corrumpentis,ex vno in aliud transiens infectio. Quæ seu per mutuum corporis contactum,seu per halitum inspirando vel transpirando insinuatum,seu per fomitem alicubi relictum communicatur. Species contagiosorum sunt variæ;pestis,elephantiasis,lepra,impetigo,achores,phthisis,scabies,prurigo,lues venerea,lippitudo,hydrophobica rabies,variolæ,plica panuonica, & consimiles morbi qui diuersis sæculis apud varias gentes vt plurimum periculosè grassantur; quique à consortio cum infectis,aut ex fomite euulgantur. Cœteri verò qui se nec per contactum nec per alicuius materialis inquinamenti transfusionem communicare euidenter solent : licèt aliquando nimis familiari nimiumque frequentatâ contrectatione, & halitûs ægrotantis liberiore inspiratione,molliores vel ad consimilem ægritudinem concipiendam admodum dispositos inquinent,vt febres quæcùmque vehementiores plerumque consueuerunt:nec non qui cùm à communi quapiam causa excitentur,cuius actiuitati plurimi subijciuntur,multos quidem tenent, nec tamen aut per fomitem quemquam inquinant,aut euidenter vitus suum in distans effundendo quemquā inficiunt,quales sunt malignæ febres simpliciter pestilentes à Galeno [r] dictæ,ab aliis pestilentes non veræ aut nothæ nuncupatæ;à contagiosis verè & strictè dictis sunt expungendi.

Quoniam in contagiosis propriè appellatis vel leuissimum cum affectis commercium suspectum est,& periculi plenum:in cæteris verò,non nisi nimium familiaris & plurium dierum contrectatio, suspecta est. Neque tamen existimandum est,morbos verè etiam contagiosos necessariò quoscùque inficere:sed multi aliquando contagij inquinamentum effugiunt;quòd magis resistant actiuitati virulenti illius effluuij,à quo contagij noxa imprimitur. Nam ad facilius propagandum contagium, analogia quædam dispositionum in patiente requiritur,per quam corpus aptum reddatur, ad faciliùs concipiendam putrem aut saltem acrem perniciem aliunde effusam. Neque demū imaginetur quisquam morbos omnes contagiosos eosdem esse malignos,quamuis id plurimis cōueniat. Scabies enim & lippitudo licèt se per contagium communicent,tamen non semper mali sunt moris.

Tandem ab hac radice per analogiam emanat distinctio morborum in eos qui ex magorum sagarúmque maleficio plerumque excitantur,& alios qui à causis naturalibus & physicis produ-

[g] Galenus 2. in lib. acutorum commento text. 40. benignos εὐήθεις id est boni moris appellet à εὐτρέπτους id est qui facilè ad bonum vertuntur.
[h] Comm. 1 in 3. epidem. 1. comm. tex. 8.
[i] In 1. prorrhet comm. tex 14.
[k] Lib 8 method cap 2.
[l] Citat. lib. 4. method c. 6.
[m] Lib. de cōp. medicam. per genera c. 18.
[n] 1. in 2. epidem comm. tex 1.
[o] 2. de ratione victus acut. comm. tex. 40.
[p] 3. in 3 epidem. comm. tex. 12.
[q] Lib. de const. artis cap. 16.
[r] 3. in 3 epidem comm. tex. 57.

cuntur. Plurimi non vulgaris eruditionis existimarunt,cum Hippocrate,[s] ex Galeno,[t] nullos prioris illius generis morbos dari:sed Medicorum vulgus solere, ægritudines quarum causas ignorant ad dæmones referre,qui ex pacto cum sagis contracto ad illarum arbitrium pro conditione collati symboli variè varios crucient. Verùm etsi ignara pseudomedicorum cohors sæpè deludatur : certum tamen est, tales aliquando morbos Deo permittente induci. Quod multorum authoritate & exemplis probarunt. Possevinus,[u] Martinus Delrio,[x] & Codronchius.[y] Cùm enim ex fide certum sit,& probabili rationum coniecturâ probetur in rerum natura cacodæmones inueniri hominibus infensos,quos ethnica etiam antiquitas malos genios appellauit:hi autem possint vel loco mouendo,vel loco mota reprimendo, vel actiua passiuis applicando, mira, & quæ humanum captum excedat præstare:necnon seu spiritus esse dicatur,seu tenuissimis corporibus donari fingantur,possint intima corporum peruadere;nulli mirum videatur, si eosdem, morbos aliqando inferre posse credamus.

[s] Lib. de morbo sacro.
[t] In longiore com. in præfationem progn.
[u] Lib. 14. bibliothecæ selec. cap. 7.
[x] Lib. 3. disquisit. magic. q. 4. sect. 3.
[y] Lib. 1. de morbis malef. per multa capita.

Maximè cùm tales aliquando appareant qui nec inuadendi modo,nec periodorum errore, nec nocendi formà,affectus à tot sæculis obseruatos imitentur. Qui præterea nulli remediorum physicorum generi cedant,& vel expertissimos Medicos terreant: exorcismis autem aut piorum virorum precibus emendentur. Cuius generis morbo D. Amedæū Serenissimi Sabaudiæ Ducis fratrem naturalem, Illustrissimum Cardinalem Lotharingum,& Illustrissimæ Bauariæ Ducissam his annis laborasse notauit Matthæus Christianissimi Regis Historiographus.[z] Et nos proh-dolor? in hac ciuitate Reuerendos Patres Capucinos,Moniales Diuæ Claræ,& Virgines societatis Diuæ Vrsulæ ab aliquot annis consimilibus casibus scelerati illius Gaufridi & sociarum sagarum diuexatas obseruauimus.

[z] Lib. 7. historia gallica narrat. c. 7.

Quintò à motu morborum,qui propriè est fluxus seu transitio à principio ad iudicationem: primùm quidam sunt celeres,alij tardi. Celeres illi sunt,qui sui incremēti symptomata celeriter produnt,& citò sua tempora pertranseunt: seu quòd materia ex se celeriter moueatur, in quo maximè celeritatem morborum constituunt Medici:seu quod pars affecta non possit diu materiæ peccantis noxam ipsiusque affectûs vim perferre, quin vel promptè se ab illo extricet, vel ab eodem opprimatur. Celeres autem,acutos etiam Medici appellare consueuerunt. Nam apud Hippocratem & Galenum de eodem dicuntur ὀξὺ id est acutum & ταχὺ id est celer: vti à Foesio plurimis authoritatibus confirmatur.[a] Vnde Galenus,[b] acuti etiam morbi dicuntur,ait,quicumque propria tempora vsque in finem velociter pertranseunt. Et[c] acutissimos eos ab Hippocrate appellari inquit qui panco tempore decernont, nec non aliàs[d] aliquos acutos agnoscit, qui prorsus sine periculò sint. Ita Aurelianus,[e] acutam vel celerem passionem dici scribit, quòd in vtramque partem ocyus feratur. Propriè tamen acuti,sub magis contracta significatione, à celeribus sic apud Galenum[f] ex Archigene distinguntur:vt illi tantùm dicantur qui cum velocitate sunt periculosi, & vt habet Hippocrates[g] quorum vi plerumque homines intereunt. Febres enim diatiæ,vt inquit idem Pergamenus,[h] paruæ simul sunt ac breues & periculis vacuæ à nemine vel idiota,vel Medico,morbi acuti vocabuntur. Atque his Galenus[i] nullam opponi refert peculiarem differentiam quæ proprium sortita sit nomen. Neque refert apud Hippocratem scribi,aduertendum esse quisnam morborum acutus sit & exitialis,aut quisnam acutus & salutaris. Præterquam enim sub priore illo & magis amplo significatu acuti vox eo loco assumitur:præterea Galenus in commentario de his quæ ad finem libri fuere scripta,huius tractationis finem non ab Hippocrate editā sed ab alio quopiam insertam fuisse opinatur. Tardi contrà appellantur, illi qui lentè per augmentum increscunt; & quorum materia à qua excitantur lentè ad coctionem progreditur. Inter acutos author libri qui apud Galenum introductio & Medicus inscribitur,[l] numerat phrenitim, causum, synanchen, pleuritim, peripneumoniam,cardiacum affectum, morbum regium qualem scilicet primo ordine descriptum legimus apud Hippocratem libro de internis affectionibus)choleram,voluulum, colicum dolorem,apoplexiam,tetanum,opisthotonum,& emprosthoronum. At ne quisquam puret breuem & celerem,longum & tardum inter se conuenire:notandum est breuem & longum vt infra dicemus à quantitate temporis quod in cuiusque fluxu & duratione absumitur denominari: celerem verò & tardum, à qualitate sui motûs nomen accipere. Atque ita differunt inter se, vt cùm fieri nequeat eumdem morbum breuem simul esse & longum,acutum & tardum:tamen idem possit & breuis esse & tardus,vt catoche & secundùm quid lethargus,ac similes; qui cùm parū durent, lentè mouentur. Vt contrà accidit eumdem morbum secundùm quid celeriter moueri, vti ex dicendis intelligetur;& in longū tēpus produci: cuiusmodi sunt qui acuti per decidentiā appellātur.

[a] In œconom. in voce ὀξὺ
[b] 1. in 6. epidem. tex. 29.
[c] 3. in 1. epidem. comm. tex 5.
[d] Lib. 3. de dieb. decr. c. 1.
[e] Lib. 1. acut. passionum in proœmio.
[f] Lib. 3. de dieb. decret. cap. vlt.
[g] Lib. de rat. victus acut. sect. 1. tex 1.
[h] Cont. lib. 3. de dieb. decret cap. 18
[i] Ibidem.
[k] 3. epidem. sect 1. in fine status pestilentis.
[l] Cap. 13.

Acutorum enim non vnum genus est, sed multiplex: vt ex Hippocrate colligit[m] & euidenter explicat Galenus.[n] Nam alius exactè peracutus appellatur, qui quartum diem non prætergreditur: quales sunt malignissimæ illæ febres quæ[o] quarto die interimunt, & terani quibus

[m] Lib. 2. de dieb. decret. cap. 12.
[n] Lib eodem, cap. 12.
[o] Hippocrat. lib. 1 progno tex 2.

qui corripiuntur, [p] in quatuor diebus pereunt, si verò hos effugerint sani fiunt. Alius simpliciter peracutus nuncupatur, qui ad septimum vsque diem extenditur. Quidam exactè acutus est, qui ad vsque decimum quartum diem prorogatur. [q] Alius non exactè acutus dicitur, qui ad vigesimum vsque diem durat: [r] vel ad vigesimum septimum aliquando prorogatur, [s] quos cùm Hippocrates [t] acutissimis morbis annumerat videtur superlatiuum pro positiuo assumpsisse: nolleque aliud quàm huiusmodi morbos verè acutis annumerandos. Qui vt scribit Galenus, [u] licèt decimum quartum diem à prima & sensibili inuasione superent principio quasi submersi & lentè moti, mox secundo vel tertio quaternatio acutiem & vehementiam assumunt: ad decimum septimum vel vigesimum iudicati, decimo quarto suæ acutiei terminantur.

Alius tandem acutus ex delapsu seu per decidentiam appellatur, [x] seu ex conuersione, vt loquitur Galenus: [y] qui intra quadragesimum diem plurimùm solui consueuit, alius sexagesimum diem consequitur. In quorum numero mirum etiam lipyriam recenseri ab Hippocrate, [z] qui illam intra quadraginta dies produci aduertit. Qui verò hos excedunt terminos omnes tardi sunt aut saltem ex Hippocrate [a] diuturni. His autem multo breuiores aliqui plerumque tardi sunt: prout antè docuimus.

Sed antequam aliò vertamur disquirendum hoc loco est; an morbus qui propriè acutus appellatur, semper sit cum febre continua coniunctus. In qua controuersia dirimenda, primarij Medici plurimùm inter se dissentiunt. Hippocrates [b] enim sunt autem morbi acuti, inquit, quos prisci nominarim perstrinxerunt: pleuritis, peripneumonia, phrenitis, lethargus, causus & quicumque alij hos consequuntur morbi, quorum febres prorsus continuæ interficiunt. Tum aliâs, [c] sunt autem acutissimi, inquit, maximi grauissimi morbi, ac præ cæteris omnibus læthales, in continua febre Galenus præterea, [d] acutus morbus, ait iuxta Hippocratem, cum febre continua aduenit.

Qui etiam [e] febres ab acutis morbis inseparabiles esse affirmat. Est in peracutis omnibus, [f] necessarium est, inquit, febres vel synochos esse, vel continuas quidem, sed quæ per tertium diem exacerbantur. Contra idem Galenus [g] febres ait, vt plurimùm in morbis acutis continuas esse. Tum acutorum morborum quosdam cum febre esse scribit, alios nullam habere sibi sociam febrem. Atque inter hos numerat morbum comitialem, apoplexiam, conuulsionem, tetanum, & choleram morbum. Ex quibus quando [i] comitialem & apoplexiam diuturnos vocat: respondent nonnulli eum respicere ad intemperiem cerebri, in qua est fomes recursûs, quæ diuturna est. Qui principum Medicorum textus sibi vt videtur aduersantes, plurimorum ingenia ita distraxerunt; vt hi vni, alij alteri sententiæ faueant. Nos autem priùs quàm quid sentiendum videatur exprimamus: notandum monemus primò in morbis vel durationem attendi, de qua infra, vel qualitatem motûs. Prius pendet ab accidentis illius quod morbum appellauimus, longa aut breui in subiecto adhæsione. Posterius verò à materia quæ morbum excitat: quæ prout nata est ratione propriæ substantiæ ac peculiarium qualitatum, vel celeriter vel lentè aduersus naturam agere, aut à natura domari & reprimi, celeris aut tardi morborum motûs est causa. Cumque ex priore capite, morbus aut breuis aut longus seu diuturnus esse dicatur: alterutra denominatio cuicumque morborum generi tribui potest, & vtriusque ratio à salubri & periculoso abstrahit.

Celer verò aut tardus tantùm de materiali morbo dici potest; cùm tamen sub vtriusque nomenclatura, & salubres & periculosi inueniantur. Secundò aduertendum est, apud Galenum morbos acutos vel propriè vel impropriè dici. Impropriè acuti dicuntur, vel qui simpliciter sunt celeres vt supra indicauimus: vel qui cùm tardi sint ex parte motûs materiei, tamen pro dignitate partis affectæ, & actionis læsæ præstantiâ, periculosi simul sunt & breues. Ac breues quidem; quòd illos aut promptè superari, aut naturam præ vehementia læsionis opprimi necessum sit. Propriè verò acuti dicuntur, qui vt antea docuimus, simul & celeres sunt & periculosi. Non enim placet quod Valesius [k] scribit, vt acutorum nomen morbis competat, sufficere eos esse breues, magnos in essentiâ propriâ, & graues. Nam ad morborum acutiem non tam breuitas inhæsionis quàm motûs celeritas requiritur: vt indicatum habemus à Galeno. [l]

Quibus præmissis, dicimus morbos acutos impropriè dictos tam celeres salubres, quàm periculosos breues & tardos (qui frequentiùs prioribus, acuti appellantur) posse esse sine febre [m] eos verò qui propriè acuti sunt iuxta Hippocratem & Galenum [n] sibi continuam febrem semper coniunctam habere asseueramus Quod apertè explicatum à Galeno [o] legimus, cùm inquit: verùm ipsi propositum est in prænotionibus, de his qui propriè acuti nominantur facere sermonem, sunt autem tales qui omninò cum febribus continuis fiunt, velut ipse in libro acutorum ostendit sic scribens. Sunt itaque hi acuti, quales veteres nominarunt pleuritim, & peripneumoniam, & phrenitim, & causum, siue febrem æstuantem: & alij quicumque his consimiles, quorum febres omninò sunt continuæ.

† volunt Galenum censuisse non semper febrem morbis acutis coniungi, sed si ea aliquando illis copuletur semper esse continuam.

m Indicat Galenus, lib 2. aph com aph. 19 & consimiter asserit, in 5. aph. 30. & 1 progn com tex. 15. n In locis supra citat. o Lib 1 de difficult. resp. c 9.

p Idem lib. 5 aphor. 6.
q Hippocrat. lib 2. aph 23.
r Galenus lib. 2 de dieb. decret. c. vlt. ex Hippocrat. sect 7 progno. tex 3. lib. 1. epidem sect 3 tex. 10 & lib. 3. sect 2. tex. 2.
s Lib 1. epid sect 1. in Hermocrate.
t Circa lib. 3. prognost.
u Lib 2. de dieb decret. cap. vlt.
x Gal. 2 aph. com. aph 22.
y In lib. 1. prognost com. text 25.
† Acuti ex conuersione fiunt inquit: quoties inter initia acuti ægrotauerint, postea verò quarto decimo die aut etiam ante, nõ integrè iudicati fuerint, sed ita vt morbi quædam reliquiæ ad quadragesimũ vsque diem extendantur, conuersiõ enim praeiudicationes imperfectas fit acutorum morborum, non solum in hos sed etiam in alios diuturnos, maximè quartanam, suppuratione tabitudinem, aquam intercutem.
z Lib de indicationib.
a Lib de dieb indicatorijs.
b Lib. 1. de ratione victus acut. tex 8.
c Lib. 1. epid. sect 3. tex. 3.
d Lib. 3 de dieb. decret. com aph. 19.
e Lib. 1 aph. com aphor 7.
f Lib. 3. de crisib cap. 4.
g Lib. 2 aph. com aphor. 19
h Lib. 5. aph. cõ aph 30 & 1 prog comm. tex. 25.
i Lib. 6. aph. com. aph. 47.
k In 1 epid. sect. 3. comm. tex. 24.
l Lib. 2. de dieb decr c 12. Auctor his respondet & oscitantiam Peranius in Galeni cõtradict. contradict. 10. †

Nequaquam igitur conuulfiones huius morborum generis funt. At que id quidem, quoniam cùm celeres materiæ motus, materiæ calidæ & tenuis eft bilis aut faltem fanguinis vitium fequantur; periculum autem in morbis quos tales humores excitarint, nafcatur [p] vel ex vehementia inflammationis, vel ex putredine in maioribus vafis concepta, & ab vtroque cafu febris continua inducatur: continuam febrem omni celeri & periculofo affectui, atque ideo propriè acuto coniungi neceffum eft.

Pro varia item ratione motûs, morborum quidam continui effe dicuntur, alij intermittentes. Illi quoad integrè defierint, affligere non ceffant. Hi verò per interualla funt molefti: & periodici etiam appellantur. Quorum præterea aliqui funt ordinati, alij inordinati. Priores illi dicuntur qui ftatis temporibus, & per certas periodos exacerbantur & reuertuntur, vt conftantes quotidianæ, tertianæ, quartanæ, & fimiles periodici non errones affectus: quorum paroxifmi ftato, die & pari horâ redeunt. Pofteriores feu inordinati vocantur, qui erraticè & per incertas periodos mouentur. Quales funt erraticæ febres, epilepfiæ, varij capitis & articulorum dolores, ac confimiles morbi.

Sextò ex eo quòd morbi vel totum corpus, vel determinatam aliquam partem occupent, in vniuerfales & particulares diftinguntur. Vniuerfales dicti, quòd per eos vniuerfum corpus præter naturam affectum fit. Cuius generis funt febres, elephantiafis, leucophlegmatia feu anafarca, & his pares. Particulares nuncupantur, qui peculiaria membra infeftant. Quorum nonnulli à parte læfa nomen accipiunt, vt pleuritis; alij ab aliquo principe fymptomate, vt vertigo; quidam ab vtroque, vt cephalalgia aliqui à caufa, vt calculus: alij verò aliunde fibi denominationem vendicant. Particularium autem iterum, quidam funt interni, qui partes in imo latentes prehendunt, & ratione potiùs aut coniecturis quam fenfu deteguntur: alij externi, qui externas corporis partes afficiunt, & fenfu ipfo dignofcuntur.

Septimò ex eo quòd morbi plures aut pauciores fimul inuadant, nafcitur diftinctio morborum in populares & difperfos. Populares, qui communes vulgares, & epidemici aut pandemij etiam appellantur ab Æginetа: [r] hi funt qui vnius fpeciei paffim graffantes multos eodem tempore adoriuntur.

Difperfi, feu fporades, & fporadici vt docet Galenus [f] vocantur, illi qui diuerfæ fpeciei fparfim hos illofve prehendunt, ægros difcrepanter fatigantes. Qui præterea ab authore definitionū medicarū Galeno afcriptarum fufanei nominantur, & omni tempore ac loco fieri dicuntur. Popularium autem alij regionis alicuius aut particularis ciuitatis incolas aut potiorem eorum partem ac fi cognati effent, nullo non tempore familiariter infeftant: qui endemij, regionales, & vernaculi nuncupantur. Alij per aliquod tempus regionem aut ciuitatem aliquam plurefvè peruadunt: qui nomen generis retinentes, epidemici aut epidemii fimpliciter nominantur, præfertim fi minùs perniciofi extiterint. Quòd fi perniciofi admodum fuerint, & fimul hoc habeant, quòd multos petimant; ex Galeno [t] fpeciatim peftilentes appellantur, aut peftis etiam nomen accipiunt.

Octauò ex eo quòd morbi fint permanentes, aut non: alii apud Galenum [u] dicuntur effe in fieri: alii in facto effe. Hi fi de genere fint intemperierum quæ ad æqualitatem peruenerunt habituales, hectici, & confirmati vocantur. Qui non amplius ab efficiente caufa dependent in conferuari, fed eâ fublatâ adhuc perfeuerant.

Illi etfi aliquid fui productum habeant, quod impreffum parti ægræ, eius actionem lædit quatenus in actu eft; quia tamen per fucceffionem quamdam partium introducuntur, & præfentiam requirunt efficientis, donec mutatio in integrum abfoluatur, in fieri effe feruntur.

Nonò ex eo quòd morborum aliqui frequenter, alii rarò appareant: folent morbi in frequentes, raros, & nouos diftingui. Priores dari nullus controuertit: [x] de poftremis quæftio eft an dentur. Primi fæpe incidunt in manus medicas: fecundi, rarenter apparent: tertii poft multa fæcula adueniunt, cùm antea non fuerint vifi. Verùm an aliqui fint huiufmodi controuerfum eft.

Diogenianus apud Plutarchum, [y] & Langius, [z] nullos morbos nouos apparere profitentur: fed eos qui per priora fœcula viguerint aliquando reuerti. Plinius verò, [a] & Philo apud Plutarchum, [b] infolitos aliquando morbos neque antea vifos emergere probant. Quorum fententiam recentiorum plurimi fequuntur Fracaftorius, [c] Manardus, [d] Braffouolus, [e] Mercurialis, [f] Fallopius, [g] Saxonia, [h] & alii non pauci. Atque inter morbos nouos, non iniuria lues venerea recenfetur: quæ non ante tempora Caroli octaui Galliarum regis in Europa apparuerat.

Noua eft plica illa Sarmatica, quæ Poloniam & vicinas prouincias infeftat: cuius ante paucos annos nec Medici neque Hyftorici meminerant. Vermicularis etiam ille morbus de quo Henricus à Bra apud Foreftum [i] meminit, Vveftphalis & Geldris familiaris

nouitatem

p Id infinuatum à Gal. legitur primo in lib. progn. cō tex 25. cū inquit in morbis acutis in quib. propter magnitudinē febrium, aut propter inflammationē propriè nominatā pericula imminet

q Gal. lib 2. meth. cap. 2.

r Lib. 2. c. 34

f In præfat. 1. in 1. epid & 1. in lib acu comm. tex. 9.

t 3 in 3. epid. com. tex. 20.

u Lib. 2. aph. com aph. 22.

x Frequentiū & rarorum meminit Gal. 3. de locis aff cap. 3.

y Lib 8 fympofiorum c. 9.

z Lib 2. epift. epift. 13. & 18

a Lib. 26. c. 1.

b Loco citat

c Lib. de morbo Gallico cap 2.

d Lib 7 epift. medicinalis ep 2.

e Lib de morbo Gallico.

f Lib. 1. artis gymnaft. c 1.

g Lib de morbo Gallic c 8.

h Lib. 10. panthei. c. 21

i In epift ad forem lib 20. obferuationū träfcripta

nouitatem præ se fert. Habet & nouum aliquid Scorbutus nautas Batanos ab aliquot annis exercitans. Nec mirum est hac ætate, licet nullæ simplicium morborum nouæ species excogitari valent,compositorum tamen quasi monstrosos & prodigiosos concursus apparere: quo niam cupediarum veneris ac gulæ innouata irritamenta, & cœlestium schematum nouæ facies & insueti influxus,nouas etiam ægritudinum species producere facillimè possunt.

Decimò quòd per diuersa anni tempora,hi,aut illi morbi congruentiùs, vel quomodocumque aliter excitentur: morborum quidam verni, alij æstiui, nonnulli autumnales, aliqui hyemales esse dicuntur. In quibus referendis Hippocrates maiorem partem libri tertij aphorismorum insumpsit: aliumque libro etiam secundo aphorismorum [k] meminit.

Vndecimò,ex eo quòd affectus singuli propriis temporibus inter se distinguantur,binæ emergunt morborum differentiæ. Vel enim tempus inspicimus quod per integram cuiusque morbi durationem absumitur. Vnde morborum alij breues,alij longi & diuturni esse dicuntur. Breues & βραχυχρόνιοι hi sunt qui intra paucum tempus finiuntur,longi verò diuturni, & πολυχρόνιοι illis oppositi ex Galeno [l] dicuntur qui diu & in longum tempus durant. Vel ex peculiaribus temporibus durationis cuiusque morbi solent morbi vel incipientes,increscentes consistentes, vel declinantes denominari. Morborum enim ac maximè febrium ex Galeno, quatuor sunt tempora seu quatuor partes totius eorum durationis:principium,augmentum,status seu vigor, & declinatio. Quæ cùm vt plurimum sensibiliter distinguantur & singula suam habeant latitudinem, alias tamen eodem authore, [n] ratione tantùm discernuntur. At ne his repugnare idem existimetur,cum crisim inquit, [o] vel in statu,vel paulò ante ipsum fieri:atque ideo voluisse morbos qui per crisim finiuntur nullam habere declinationem. Sciendum est Galenum eo loco per crisim significate vniuersum eum naturæ motum qui coctioni materiæ morbificæ succedens, declinationem comprehendit. Cum enim natura in statu aut paulò ante materiæ per pepasmum iam euictæ secretionem moliatur, eiusque excretionem sub finem statûs aggrediatur,eamdem per declinationem continuat & absoluit. Principium autem morborum apud Galenum [p] trifariam dicitur. Vel enim principium à primo ipso insultu,qui planè latitudine caret denominatur. Quale principium obscurum est aliquando: aliâs nè idiotam quidem latere potest. [q] Vel principium in morbis de sensibili quadam portione durationis eorumdem dicitur. Atque id bifariam Thessalus namque referente Galeno, [r] morborum principia priore triduo circumscribi somniabat. Verùm cùm ridiculum planè sit ex eodem [f] æquale principium assignate morbo qui intra septimum diem finiatur & illi qui per annum duret. Rectiùs ad principium Medicorum mentem principium,tum reliqua etiam morborum tempora ex duplici capite distinguimus. Scilicet,vel ex vario morbi symptomatúmque progressu, vel ex diuerso naturæ medicatricis operationum successu. Ex primo quidem capite,principium dicitur non indiuisibile sensibilis læsionis initium:sed ea sensibilis morbi inchoatio quæ ad sensibile vsque symptomatum incrementum variè perdurat. Ex altero verò capite principium illud totum tempus appellatur,per quod natura infestanti morbi causæ exercitricis præsertim facultatis enixu opponitur: & nondum coctionem euidenter aggreditur. Quod in plurimis morbis, penè ad summum vsque symptomatum vigorem prorogatur. Ad quarum priorem distributionem temporum morbi, respiciens Hippocrates, [t] circa initia inquit,& fines,omnia imbecilliora. Galenus verò ad posteriorem temporum morbi designandorum rationem (& qua præsertim eorum morborum tempora distinguimus qui per crisim aut aliter in salubritatem desinunt) collimans, [u] principium morbi totum illud tempus esse asserit,in quo morbus crudus est. Qui præterea [x] nisi manifestum inquit appareat indicium coctionis,totum illud tempus intermedium est principium morbi. Ita augmentum quod & incrementum, & ascensus à Galeno nominatur [y] ex primo capite ea est durationis morbi pars, in qua symptomata accrescunt,& peiora redduntur, [z] ex secundo verò capite, ea est durationis morbi portio in qua natura aggressæ & perseuerantis coctionis signa, euidenter prodit. [a]

Status seu vigor id morbi tempus appellatur, in quo symptomata sibi similia perseuerant; æqualémque magnitudinem & morem seruant, summam vim pro morbi natura & conditione consequuta. Vel secundò nuncupatur id tempus, in quo natura materiam morbi causam ad pepasmum deductam secernit,& secretam demum sensibiliter, aut insensibiliter excernere incipit. Declinatio tandem,& postrema durationis morbi pars, in qua magnitudo symptomatum imminuitur,malignitas mitigatur,& mitiora euadunt omnia: vel per quam demum natura excretionem persequitur, morbo ad integram solutionem vergente, eamdem perficit. Notandum verò est morborum tempora vel esse vniuersalia, quæ integram morbi durationem partiuntur:vel esse particularia,quæ in singulis paroxismis adnotantur. Quæ eadem ratione distinguimus atque vniuersalia discernenda docuimus.

[k] Aphor. 15.
[l] Lib. 5. de diff. decret. cap. 15.
[m] Lib. 1. de crisib. cap. 2.
[n] Lib. de totius morbi temporib. c. 4. necnon lib. 1. de crisib. cap. 8. & 17.
[o] Lib. 3. de crisib. cap. 6.
[p] Lib. 1. de crisib. cap. 19.
[q] Gal. lib. 1. de diff. decr. cap. 6.
[r] Ibidem.
[f] Lib. de totius morbi tempo. cap. 2.
[t] Lib. 2. aph. 30.
[u] Lib. 4. aph com aph. 22. lib. de totius morb. temp. catat. cap 2. necnon lib 1. de crisib cap. 9. & 10.
[x] Eodem lib. de cris. c. 17.
[y] Citat lib 1. de totius morbi temp c. 2.
[z] Ita Gal. lib. 1. de crif. cap. 1.
[a] Gal lib. eodem, cap. 10.

Duodecimò morborum aliqui habere typum, alij typo carere dicuntur. Quod intermittentium est proprium: nulli enim affectus propriè continui typum habent.[b] Imò inter intermittentes, qui circuitus habent inordinatos, typo carent. Præ cæteris autem omnibus affectibus febres typos habere dicuntur. Est verò typus, vt ab authore definitionum medicinalium scribitur, intentionum remissionumque ordine succedens reditio. Quorum apud Galenum alij sunt primi, alij secundi. Primi appellantur qui accessionem seu annotationem paruam idest breuem habent, remissionem verò longam: quales sunt tertiani, & quartani. Secundi illi dicuntur, quorum longa est accessio, at parua breuisve remissio: cuiusmodi sunt quotidianus & semitertianus extensus. Rursus typorum alij sunt persistentes à Græcis ἑστῶτες nuncupati, qui eisdem horis accedunt & remittunt: alij mobiles & κινούμενοι, & qui diuersis semper horis accedunt & remittunt. Quorum qui prius quàm antea inchoant & finiuntur, anticipantes & προληπτικοὶ dicuntur: qui verò tardant ὑστερικοὶ & posteriùs venientes nuncupantur. Tertiò typorum alij simplices alij compositi.

Simplices sunt, qui vnius speciei intensionem vnamque remissionem faciunt: compositi autem, qui ex pluribus eiusdem aut diuersæ speciei accessionibus & remissionibus constant Sed in his non est curiosiùs immorandum: minùs enim oportet ex Galeno,[c] accessionum circuitus ac similes proportiones in febribus aduertere: sed multò magis ipsius febris idæam, atque ex hac ipsas dignoscere febres, non aliter quàm homines ex propriâ formâ cognoscuntur. Quas agnoscere qui didicere,[d] ipsis inutilis est ea omnis de typis contemplatio: & meliùs forsan dixerimus, addit Galenus, quod futilis ea vniuersa sit.

Decimotertiò à multiplici morborum causa, alij frigidi, alij calidi, humidi, aut sicci esse dicuntur. Vel alij sanguinei, alij biliosi, pituitosi, aut melancholici nuncupantur.

Tandem à vario morborum exitu, quidam salubres, nonnulli periculosi, alij lethales seu exitiales appellantur. Salubres nominantur qui incolumitatem pollicentur. Periculosi, quorum cùm dubius & incertus sit exitus, res ægri in periculo versari indicant; à quibus mors æquè timenda, ac salus speranda videatur. Exitiales, qui semper aut magna ex parte interimũt: aut ex quibus in indiuiduo certum impendet exitium. Huc refertur distinctio morborum in eos qui per crisim soluuntur, & alios qui minimè finiuntur per crisim hi sunt immateriales omnes; & ex materialibusqui non acuti, sensim desinunt. Illi verò materiales omnes acuti qui per sensibilem excretionem promptè cessant. De quibus Galenus libro tertio de crisibus.[e] Postremò huc reducuntur morbi qui recidiuam faciunt, & qui in integrũ cessant. Est autem recidiua, morbi iam soluti & vtcumque terminati, ad morbum specie eumdem relapsus.

b Gal. lib. de typis. cap. 2.

c Lib. 2. de differ. febriũ. cap 10.

d Gal lib ad eos qui de typis inscripserũt cap. 5.

e Cap. 7.

De causis morborum in genere.

CAPVT IIII.

EORVM quæ sunt, quatuor omnino esse causarum genera statutum est à Philosophis: efficientem scilicet, finem, materiam & formam. Ad quas reliquæ omnes causarum differentiæ artificiosè reducuntur, quidquid contra videatur Argenterio,[a] quod examinare physicorum est. Quare & morborum totidem causas esse necessarium iudicamus

Quorum forma non alia est, quàm propria cuiusque entitas, & peculiaris cuiusque nocendi ratio. Materia verò propriè, ipsum subiectum est parsque affecta, tali entitate quæ morbus est informata. Accidentium enim nulla datur materia ex qua, sed in qua tantum. Medici tamen materiam morbi impropriè etiam appellant, humorem, ichorem, aut flatum, & alia pleráque, non tamen omnia quæ cùm corporis partes non sint, intra nos tamen contenta, morbum excitant aut fouent. Finem morbi per se nullum habent: quoniam ea quidem quæ secundùm naturam sunt, propter finem aliquem operantur: sed quæ præter naturam, nullum sibi proponunt finem. Si tamen opus & finem confundere velimus, quatenus illud actionem finit & terminat: læsionem actionis, morbi finẽ esse dicemus.

Verùm præ cæteris omnibus causis efficiẽtem inquirimus, quæ ab Aristotele,[b] vnde principium mutationis primum aut quietis appellatur: seu vt Suarez[c] interpretatur, principium per se à quo primò est aut fit mutatio. Atque efficientem ideo maximè inuestigamus, quam præsertim nosse oportere docuit Galenus,[d] quod in his aduertendis aut tollendis Medicum maximè occupari oporteat Efficientium autem causarum varia sunt genera, multiplices denominationes. Ac primum quidem,[e] quædam sunt continentes, aliæ antecedentes, nonnullæ etiam procatarcticæ appellantur. In quibus explicandis, & ab inuicem distinguendis, etsi varius sit aliquando Galenus: sic tamen solent singularum rationes ab eodem cæterisque Medicis frequentiùs exprimi. Procatarcticæ, quæ euidentes extrinsecùs aduenientes, atque initiatrices à Galeno dicuntur,[f] nec non etiam externæ: ab

a Lib. de caus. morb. cap. 2.

b Lib 5. metaphys. tex. 2 alijs lib. 4. cap. 2.

c Disputat. 17 in metaphys. sect. 1. n. 1.

d Lib. de constit. artis. cap. 16.

e Gal. lib. 1. de causis pulsuum. cap 2.

f Lib. de loc affect. cap. 7.

[g] ab Auicenna primitiuæ nuncupantur; [h] alias à Galeni interprete præincipientes, prægressæque appellantur, [i] ab antiquis verò etiam occasiones seu προφάσεις vocabantur. [k] Omnes illæ esse intelliguntur, quæ vel se totis, vel saltem obiectiuè corpori ab extra adueniunt. Vel ex Galeno, [l] quæ manifestè & euidenter accidunt. Tales esse dicuntur res non naturales, præter modum cuiusque naturæ conuenientem occurrentes, medica omnia auxilia, præter rationem præscripta venena tam assumpta, quàm admota, & quæ vulnerantia, contundentia, similiaque occurrunt. Antecedentes & προηγούμεναι, quæ à Galeno, [m] in ipso animali existere, & intra ipsum animalis corpus contineri dicuntur, atque ideo internæ vocantur; [n] à Celso [o] verò occultæ nuncupantur. Eæ sunt [p] quæ corporibus nostris à naturæ suæ modo egressis intrò adueniunt, & morbos non naturâ solum sed tempore etiam præcedunt. Tales sunt plethora, cacochymia, cruditates, & quicunque peculiaris humor ab vna in aliam partem præter naturam fluens. Quæ etiam ab Auicenna mediatæ esse dicuntur. Continentium causarum denominationem, Stoicorum esse inuentum scribit Galenus. [q] Qui cùm tenuem substantiam aut spiritum quemdam imaginarentur, rerum formas cum materia vincientem eumdem essentiam singularum continere dicebant. Vnde Herophilei hoc nomen detorserunt ad eas causas significandas, quæ tanta affinitate cum effectis coniunguntur, vt nullo casu dissociari possint: sed his positis ponantur effectus, sublatis verò eisdem tollantur & illi. In quo significatu frequenter Galenus continentis causæ nomen vsurpat: talémque semper esse necessariam improbat. [r] Alias verò [s] continentium causarum genus, primum & præcipuum vocat: eamque denominationem exinde desumptam ait, quòd quæ continens causa appellatur effectuum essentiam contineat, sitque generationis causa. Non tamen vt interpretatur Erastus tractatu posteriore de morborum causa continente ex authore lib. de hystoria philosophica inter spuria Galeni: quòd scilicet ita rei essentiam contineat, vt rem quam continet nunquam deserat. Sed quòd proxima sit, & immediatè attingat productionem effectus: vt apparet ex primo de symptomatum causis, [t] vbi continentem, contentiuam vel proximam appellat: & libro secundo methodi, [u] coctionis causam continentem vocat, eam ipsam quam veram & immediatam diceremus. Ad cuius mentem sub hoc posteriore significatu, Auicenas, [x] coniunctam seu continentem appellat efficientem sine medio effectum producentem. Qui cùm eas appellat corporales ex quibus dispositiones adueniunt corporales aduentu primo, scilicet sine medio: non intelligatur per corporales dixisse res aliquas corporales sed intra corpus conceptas: vt clariùs explicatum ab Halyabbate [y] legitur. Sed est nè aliqua morborum causa continens. A plurimis negatum legimus: à non paucis etiam concessum aduertimus. Ad decisionem autem huius controuersiæ, sciendum est primò, res quæ fiunt esse duorum generum. Vel enim semel productæ se ipsas in esse independenter à generante tuentur: vt figura duro corpori impressa, & permanens omnis qualitas. Vel sic suum esse à producente accipiunt, vt ab eodem conseruari expostulent, atque hoc agere cessante, illæ etiam desinant esse: cuiusmodi est lumen, species intentionales, & quæ habent suũ esse in fieri. Secundò meminisse oportet, causã continentẽ (vt adnotauimus) bifariam dici. Vel enim per continentẽ proximã intelligimus & immediatam: vel eam à qua ita dependet effectus, vt ea præsente ponatur, absente verò tollatur. Quibus suppositis, dicimus, cùm rerum omnium in natura existentium necessum sit dari causam aliquam proximam & immediatam quæ proximè illarum efficientiam attingat: & morbos omnes qui necessariò aliquam causam habent sui ortus authorem, talem aliquam causam habere, quam continentem ex priore significatu liceat appellare. Qualem autem imaginabantur Herophilei & posterioris significatûs semper requiri absurdum esse profitemur. Intemperies enim ab externis causis impressæ, eâ etiam causa à qua emanarunt absente durant; & vulnera ac contusiones, ferro vulnerante laxoque contundente sublatis perseuerant. Non inficiamur tamen eos morbos qui vt Galenus [z] loquitur, in generatione ipsa essentiam habent, quales sunt obstructio, compressio, & tensio; & qui ab eodem [a] adhuc fieri dicuntur, cuiusmodi sunt intemperies omnes inæquales incipientes, præsertim cum materia; febres item ex putredine ortæ, & similes: causam habere præsentem à qua quasi continuato fluxu producantur, & in esse conseruentur, quam vulgò iuxta prius significatum continentem vocant. Cæterum in hoc triplici causarum genere, nullus existimet aliquam necessariò subordinationem requiri. Licèt enim internæ & antecedentes ab externis seu primitiuis plerumque excitentur, & continentes immediatæ, ab antecedentibus & mediatis vt plurimùm oriantur: frequenter tamen externæ solæ proximè ad nocendum concurrunt; aliquando verò multiplex est, & varius causarum complexus, & sæpè morbus qui à procatarcticis est excitatus, idem postmodum ab antecedentibus plerumque fouetur.

Præterea aduertendum est ea quæ nobis obueniunt, & morbos excitare nata sunt à Galeno [b] tribus capitibus comprehensa, quæ offeruntur, quæ fiunt, & quæ extrinsecùs incidunt; non semper morbos inferre. Sed tum solùm vt ex eodem colligitur [c] cùm causa occurrens ad offēdēdum effi-

g Lib. 4. method. cap. 3.
h Lib. 1. fen 2. doctr. 2. cap. 1.
i Lib. 1. de causis procatarcticis c. 1.
k Gal. ibidem propter animi pathemata obiectiue tantum ab extra accidentia id dicitur.
l Lib. 1. de differ. febr. cap. 7.
m Lib. de causis morb. cap. 2.
n Lib. 4. de sanit. tuenda. cap. 2.
o In præfat. suorum operis.
p Gal. lib. 2. morbo. cap. 1.
q Lib. aduersus Iulianum cap. 6.
r Lib. de plenitudine c. 5.
s Lib. 1. de causis pulsuu. cap. 1.
t Cap. 5.
u Cap. 4.
x Loco supra citat.
y Lib. 6 theo. cap. 4.
z Lib. aduersus Iulianum cap. 6 ad fin.
a Lib. 2. aph. com. aph. 21.
b Com. 1. in 1. epid. in pra.
c Lib. de cau. morb. cap. 2.

cax, patienti debitè approximatur, per id tempus per quod illi liceat abundè agere, & demum patiens ad noxam excipiendam sit dispositum. [d] Prout enim patientis dispositio in diuersis euariat, accidit inter plurimos qui ab vna eadémque causa afficiuntur, non omnes in morbum incidere: & ex ægrotantibus multos dispariter affligi. Quæ dispositionis varietas, vel ex eo pendet quòd patientis temperatura symbola sit aut dissymbola cum vi agentis: & ambo in qualitatibus seu actiuis, seu passiuis, sibi inuicem aut respondeant, aut aduersentur. Ita feruidus sol, naturâ calidos faciliùs lædit quàm frigidos: & qui humidiores sunt, promptiùs multò putredinem concipiunt quàm qui sicciores. Vel vt adnotatum est à Galeno [e] disparitas illa aptitudinis ad patiendum ex eo nascitur, quòd vnus alio robustior sit aut imbecillior. Robur autem ex proba temperie, & commoda partium conformatione nascitur: vt imbecillitas ex contrariis. Sic imbecillæ partes (seu vt Galenus explicat, [f] intemperantiores) facillimè fluxiones accipiunt. Item qui faciliè perspirant, & raro sunt corporis habitu, faciliùs ab externis causis, difficiliùs ab internis offenduntur; contrarij verò contra. Per accidens tamen aliquando aduenit id quod imbecillius est minùs offendi, & magis quod robustius est. Ita ab ictu aut casu molliora atque imbecilliora infantium ossa, quod percutienti cedant non rumpuntur aliquando: cùm quæ duriora sunt, pari ictu rumpi contingat. Vel tandem ea patiendi facilitas aut difficultas nascitur, [g] ex acuto aut obtuso cuiusque sensu. Qui enim facili sunt & acuto sensu præditi, & promptiùs læduntur, & promptiùs offenduntur: at quibus difficilis est & obtusus, tardiùs & leuiùs afficiuntur.

Secundò inter effectrices causas, aliæ per se, aliæ per accidens operantur. Causa per se ea appellatur, à cuius potentiâ actiuâ sibi secundùm naturam inexistente directè pendet effectus, secundùm illud proprium esse quod habet in quantum effectus est. Vt quod calidum est, est causa per se caloris in alio producti. Causa per accidens bifariam dicitur. Scilicet, vel quòd per accidens habeat in se principium talis effectûs productiuum: vt aqua calida per accidens est causa caloris, quod cùm ex se frigida sit, aliunde calorem acceperit.

Vel quòd talem producat effectum, qui cùm ab operantis actu proximè emanare non possit, tamen consequitur ad eiusdem effectum per se, eidémque vt inquit, Galenus [h] coniungitur & accidit. Sic gelida, cuius frigus proximè calorem producere nequit, per accidens calefacit: quia cutem constipando qui est effectus per se frigoris, calidum spiritum exhalantem reprimit, vnde internus calor intenditur.

Tertiò pro diuersa causarum efficientium vi & efficacia, Medici quasdam earum appellant generantes, alias augentes, nonnullas conseruantes: Generantes dicuntur illæ quæ suâ vehementiâ naturalem humani corporis habitum peruertentes, morbum inducunt, Augentes nuncupantur illæ quæ morbo iam genito incrementum addunt. Conseruantes verò, conseruatrices, & fautrices eas vocamus; quæ cùm sint eiusdem generis cum prioribus, infirmiores quidem sunt quàm par sit ad excitandum aut augendum affectum, ad læsionem autem iam inductam continuandam abundè sunt efficaces. Vt acris & erodentis humoris fluxio in tibiam, vlcus in ea excitat: quod vel acrioris, vel copiosioris excrementitij succi decubitus auget: mitior autem ac parcior humor influens, iam genitum fouet, & ne ad cicatricem ducatur impedit.

Vltimò causarum morbos generantium, alia est principalis, alia adiuuans, alia sine qua non. Principalis ea dicitur, à qua effectus principaliter emanat. Vt Aquilonia constitutio in excitanda distillatione à capite, per humorum cerebri expressionem. Adiuuans ea appellatur, quæ sola cùm nihil agat, tamen principali coniunctá est auxilio ad agendum: vt in assumpto casu, viarum laxitas. Causa, seu conditio sine qua non, ea nuncupatur, quæ necessaria quidem est ad productionem effectûs, per se autem nihil ad actionem influit: cuiusmodi in proposito exemplo est humorum copia. Tales etiam sunt, propinquitas agentis ad passum, ablatio impedimenti, locus, tempus, & alia quæ ad agendum in efficiente requiruntur: cùm interim effectiuè non concurrant, & productionem effectûs minimè contingant. Quas omnes causarum varietates ad morborum generationem concurrentes, accuratè adnotare oportet: vt his ratiocinatione inuentis, quibusque vt par est ad exactam morbi curationem in singulis affectibus obsistamus.

d Hanc conditionem maximè requirit Galen. lib. 1. de diff. febrium c. 4.

e Lib. 3. de sympt. causis. cap. 8.

f Lib. 11. methodi cap. 10.

g Gal. citat. lib. 3. de sym ptom. causis cap. 3.

h Lib. 5. de simpl. medic. facult. cap. 2.

De primarum differentiarum morborum causis.

Capvt V.

CVm intemperies omnis in nobis præter naturam excitata, alterationem aliquam sequatur nostræ naturæ aduersam: ea omnia in censum causarum morbosæ intemperiei referemus, quæ apta fuerint corpus à naturali temperie in quomodolibet contrariam alterando deducere. Calorem quidem immodicum calidamvè intemperiem in nobis excitantia, quinque à Galeno [a] referuntur, quæ tribus capitibus complectemur. Quorum primum, est corporis calidioris virtualis seu physica aut materialis seu mathematica externa applicatio, calidi alimenti, medicamenti, aut deleterij pharmaci assumptio & succi ex illo geniti diuturnior retentio. Secundum, est immodicus tam corporis quàm animi motus. Tertium verò, consueta spirituum aut calidarum effumationum impedita transpiratio. Seu ea à cutis constipatione, seu ab intermissa per otium exercitatione proueniat. Quo refertur, tum inde, tum aliunde, intra nos genita putredo.

Frigidam intemperiem inducunt, primùm refrigerantia omnia, tam admota quàm assumpta, aut intùs coaceruata. Secundò, nimium tam insensile quàm manifestum effluuium, seu vacuatio eorum quæ in nobis calorem fouent: quales sunt spiritus, & sanguis. Tertiò eorumdem impedita libera transfusio à mineris in cæteras partes. Seu tale impedimentum procuretur à ciborum copia vasa opprimente, seu à succorum abundantia constipante, seu à vinculo, seu à crassamento quodam quod spiritus ipsi ex otio contraxerint. Quas frigidæ intemperiei causas aliter recensuimus, quàm à Galeno [b] referantur: quòd is extinctionis caloris potius, quàm morbosæ perfrigerationis causas explicuerit. Non autem idem est calorem extingui & eousque imminui, vt sensibilem actionum læsionem remissus inducat.

Siccam intemperiem inferunt, tum quæ occurrunt nos ambientia: vt aër cœlorum influxibus vel immixtis exhalationibus alteratus, & thermales aquæ nonnullæ: tum nobis admota exsiccantia medicamenta, assumptaque alimenta & pharmaca: tum quæ insitum nobis humidum per se aut per accidens depopulando absumunt; vt inedia, vigiliæ, curæ, & vehementior exercitatio.

Humectant tamen importunè, austrinus & pluuiosus diu perseuerans aër, natatio in aqua dulci, humidiorum ciborum & potuum humectantium frequentatus vsus, animi tranquilitas seu vt Galeni interpres loquitur securitas, & vita otiosa laboreque vacans. Quorum singula cùm per se occurrunt & sola; relatas simplices intemperies inducunt: sin verò alterantia huiusmodi ita ad inuicem copulata conueniant, vt complexas & compositas vires acquirant, compositas etiam intemperies in nobis generant. Sine materia quidem, cum solitariam qualitatem impresserint: cum materia verò, quando nos materiali aliqua substantia simul imbuerint, non aliter ac supra [c] fuit explicatum.

Æqualitatis intemperierum causa, vel est partium solidarum ad alterantis vim admittendam æqualis aptitudo: vel ea agentis in alterando perseuerantia, quæ singularum partium heterogenearum resistētiam superauerit. Æquales autem intemperies semel introductæ, ideo indolentes sunt: quia vt Galenus [d] docet circa alterationem [scilicet factam] nullus est sensus, & in his quæ iam ad perfectionem sunt alterata nullus dolor. In his enim qui æquali intemperie laborant, non amplius particulæ ad inuicem agunt & patiuntur, cùm omnes æqualiter sint affectæ.

Inæqualitas autem intemperaturæ, vel ex eo proficiscitur quòd pars post partem afficiatur, atque ita totum inæqualiter alteretur. Vel à dispari partium alterandarum resistentia; vt succorum exemplo explicat Galenus, [e] vel tandem ex diuersorum contrariorumvè alterantium concursu; vt in epiala febre aduenire idem docet. [f] Huiusmodi vero intemperies dolorificæ sunt, tum quia suum habent esse in fieri, tum quia vt ille ipse inquit [g] proximè accedunt vt vnitatem soluant. Quod non de mediocri primarum qualitatum excessu intelligendum est, neque de ea quæ sensim irrepit alteratione: sed de immodico & repentino qualitatis alterantis caloris que maximè ac frigoris incursu.

Calor enim vnitatem ideo soluit, quod rarefaciendo & attenuando, partes ab inuicem segreget ac diuellat: frigus vero contrahendo densandoque partes, quasdam, vt loquitur Pergamenus, exprimat, quasdam quasset.

Morbus in mala conformatione, si ea natiua sit, vel à vitio seminis, vel ab effectibus qui fœtui in vtero superuenerunt producitur: si vero ea sit ascititia, pro diuersis malæ conformationis speciebus varias sortitur causas, quas vno genere comprehendere non licet.

Primùm ergo morbi qui ex peruerso naturali partium substantiæ modo nascuntur; intemperies à vehementi aliqua alteratione contractas, aut diuturnas fluxiones consequuntur. Vt immodica raritas, per se à calore; densitas, à frigore; mollities ab humectatione; durities tum ab exsiccatione,

tum

a Lib. de cau. morb. cap. 2.

b Lib. eodem. cap. 1.

c Cap. 2.

d Lib. de inæqual. intemp. cap. 5.

e Lib. recens citat cap. 5.

f Citat lib. de inæqual. intemp. cap. 8 & lib. 2. de different. febrium. cap 6

g Lib. superius cit. c. 6.

tum à materia in parte inclusa eámque tendente ; crassities, à copiosiore succo per insensiles membri poros affuso ; tenuitas autem, à calore siccitati coniuncto causatur. Figura in iam naris vitiatur, vel ab errore obstetricis in educando, excipiendo, aut fasciando infante, quem variis modis contorquere, aut importunè comprimere potest : vel nutricum etiam defectu, dum illum à cunabulis eximunt, in vlnis baiulant, iterúmque reponunt in cunis.

Ex eo præterea figuræ vitia adueniunt quòd infantes ante tempus stare & ingredi permittantur. Vnde Galenus, [h] blæsa inquit, aut rhæba, si contra intrò distorquentur crura fieri contingit, si ad exteriora conuertantur. Vel tandem ex casu, ictu, abscessibus variis, aliisque morbis, distorsiones, tensiones, & variæ naturalis figuræ peruersiones membris adueniunt.

Cauitates præterea corporisque meatus, præter naturam distenduntur: aut ingestorum, aut aliunde affluentium copiâ. Laxantur autem, à superfluo humore, imbecillitate facultatis retentricis, ab expultricis vehementia, & à medicamentis vasorum ora apetientibus. Eædem verò tum grandiores tum minores, multiplici ex causa conniuent, obstruuntur, coalescunt, aut coarctantur. Conniuent quidem ob mollitiem [i] aut vacuitatem. Obstruuntur autem, [k] vel ab humorum copia, vel à lentore aut crassitie eorumdem, vel à callis & grumis, aut demum à calculis, & induratis quibusdam corporibus quæ in illis continentur. Ex quibus cùm perseuerans obstructio infertur: aliàs etiam quasi momentanea obstructio inducitur à vaporosa substantia importunè in cauitatem aliquam irruente : vti in syncope aduenit quæ ingentem mœrorem & insignem metum sequitur. Coalescunt, ex vlceribus male curatis, dum cruenta cauitatum labia se attingere, & mutuo agglutinari permittuntur. Coarctantur verò, vt ex Galeno [m] licet colligere ; vel ab aliquo extrinsecùs incidente, & vehementiùs cōprimente, vel à carne, aliquouè alio germine vasis præter naturā extra adnato; vel à duro quopiam tuberculo, tumore quouis aut abscessu. Vel tandem contrahuntur à mærore & atrophia, nec non à vehementi perfrigeratione, astringentium eduliorum aut pharmacorum vsu, & retentricis facultatis insolito robore quomodocumque procurato.

Asperitas non consueta membris inducitur, vt cum Galeno, [n] notat Auicennas, [o] ab humorum aut medicamentorum acrium vi nimium abstergente, à vehementiore exsiccatione corpora corrugante, itémque ab adhæsione pulueris aut quorumcumque recrementorum quæ exsiccata internis cauitatibus in tartari modum adnascuntur.

Contrà læuitatem facit, pinguis aut lenti humoris irrigatio & illitio.

Magnitudinis præternaturale incrementum, vel naturalis substantiæ naturam modumque sequitur, vel ex substantiæ alterius generis accessione consurgit. Illud, exuperantiæ vtilis materiæ seu affluentis seu in partem attractæ, membri mollitiei, & altricis facultatis robori debetur. Hoc vero ab inutili materia prodit, vel non multùm à natura partis decrrante vt in fungis & carnis excrescentiis in vulneribus & vlceribus; vel omnino degenere, qualis in tumoribus elephanticorum, atque eorum qui hyposarca laborant aduertitur.

Decrescit autem præter naturam corporum moles: vel quòd membra eo destituantur succo quo nutriuntur, vti fit per inedias, aduenitque ex vsu ciborum pauci alimenti, & obstructionibus vasorum per quæ alimentum ferri debuerat. Vel quòd acrior corporis calor, & alimentarios succos sibi oblatos, & ipsarum partium humidum absumat. Vel quòd propter facultatum naturalium, attractricis præsertim, aut retentricis etiam, & coctricis imbecillitatem, partes pro more non alantur. Vel tandem ob portionis membrorum sectionem, vstionem erosionem, puttefactionem, & νέκρωσιν quæ nimiam perfrigerationem sequitur.

Numerus partium corporis post natiuitatem imminuitur, sectione, vstione, erosione, puttefactione à septicis aut sphacelismo, & vehementi perfrigeratione.

Augetur verò ex materiæ superabundantis ad partem aliquam appulsu : ex qua si vtilis fuerit naturæ lusu, cornua, aut supernumerarij dentes generantur, vel adiuncto solutæ continuitatis vitio, pterygia, benigniores polypi, & carneæ moles aliquando intra corpus adnascuntur. Quòd si materia ad partem illabens fuerit inutilis, & qualitate peccet, peiora accrescunt membris, vt diuersi generis verrucæ, fici, melicerides, atheromata, steatomatha: & polypi etiam deteriores.

Situs partium præter naturam immutatur : vel formatricis vitio, de quo capite sequenti : vel vt docet Galenus, [p] à repentinis ac vehementioribus motibus, casibus, ictibus, distentione, aut sectione ligamentorum atque eorum quæ membra mutuò colligant: nec non ex ipsorum immodicè humescentium superfluâ laxitate, aut immoderatâ contractione à nimiâ siccitate materiæve importuno affluxu.

Tandem continuum soluunt, immodicus calor diuellendo, vehemens frigus contrahendo, flatus humorve copiosior distendendo, aut acrior pungendo vel exedendo. Tum inter caosas euidentes, immoderatior motus, & quæ contundunt, frangunt, vulnerant, perforant, diuellunt, aut vrunt.

[h] Lib. de causis morb. c. 7.

[i] Gal. lib. 3. de sympt. caus. cap. 2. vbi alias conniuentiæ vasorum causas refert quæ potius coarctationis sunt causa.

[k] Idem lib. 10 meth. c. 2.

[l] Idem lib. de caus. mo b. citato cap. 7.

[m] Tex. proximè citat.

[n] Loco eodem

[o] Lib. 1. fen 2. doct. 2. c. 8.

[p] Lib. de caus. morb, cap. 10.

De causis secundarum differentiarum morborum.

Capvt VI.

QVA methodo accidentarias morborum differentias sumus persequuti,[a] eodem ordine earum causas inuestigemus æquum est. a Supra cap. 3

Morbos ergo simplices excitant, tum vna totalis, tum plures partiales causæ, consimilis singularis & simplicis effectûs simul productiuæ. Quæ cùm externæ & procatarcticæ fuerint, à nulla intra nos contenta materia ad nocendum adiutæ; eos morbos quos immateriales appellant, inferunt.

Si verò de numero sint antecedentium, vel noxiæ alicuius materiæ intra nos generandæ sint authores; morbos producunt quos materiales nominant. Compositos, vel vna eadémque causa producit, quæ tamen partem læsam multifariam afficiat: vt vnius generis humor, fluxione, vel congestione aceruatus in parte intemperiem membri peruertens, magnitudinem immutans, & simul cõtinuitatem soluens, primarias tumorum species generat. Vel multiplices causæ in eadem aut diuersis partibus simul concurrentes, reliquas tam compositorum quam complicatorum morborum species faciunt.

Cæterùm, cùm duobus modis humorem in parte colligi diximus, fluxione scilicet & congestione: quæ sint vtriusque causæ explicandum occurrit. Congestionis causa est coctricis & expultricis membrorum imbecillitas.[b] b Insinuat Gal. lib. 1. de different. sib. cap. 11.

Cùm enim parti plus alimenti suggeritur, quàm ab illa coqui & alterari valeat; & expultricis facultatis imbecilla vis, quod à coctione superfluum est in parte residere patitur: sensim inutilis succi copia in membro cumulatur. Qui cùm multus fuerit, membrum extendit & grauat: si verò etiam acris, mordet & exedit.

Fluxio vt sui motûs duos supponit terminos: à quo, scilicet membrum mandans, & ad quem, seu membrum excipiens: ita eadem ex vtriusque vitio causatur. Ac mandantis quidem membri vitium, consistit in generatione aut coaceruatione succi, copiâ, aut qualitate peccantis: à quo cùm illud (validâ expultrice donatum) se subleuare conatur, in aliam partem expellit. Excipientis verò defectus omnis, eius est imbecillitas: quæ vel natiua est, vel aduentitia. Natiua censetur esse earum partium, quæ à Plasmatore ad totius aut principum membrorum excrementa excipienda destinatæ sunt: cuiusmodi feruntur emunctoria, cutis scilicet emunctorium totius: foueola quæ post auris lobum est, cerebri emunctorium: alæ seu axillæ, cordis: & inguina, iecoris. Imbecillitas aduentitia, vel intemperiem sequitur,[c] vel alterius generis morbum quemplam, insitas actiones offendentem: vel dolorem vndecumque prodeuntem. Dolor autem non tam aliundè succos attrahit, quam eorumdem ab aliis membris expulsionem ad se prouocat, partibus sanis dolenti subuenire conantibus. Præterea verò fluxionem iuuant, tum intermediarum viarum laxitas, tum membri inferior situs. c Gal. lib. 4. method. cap. 1

Primi morbi, fiunt ab ea causa quæ primùm suâ vi sani habitûs statum subuertit, vnde πρωτοπάθεια pendet. Secundi, à quibus δευτεροπάθεια nascitur: si per ἐπιγένεσιν in eadem parte primis succedant, prioris affectûs argumentum sequuntur seu per materiæ morbificæ incrementum nouumque affluxum, vt cùm vlceri phlegmon supernascitur: seu per exasperatam eiusdem vim noxiam, vt cùm melancholia epilepsiam, aut hæc illam subsequitur. Si verò per ἐπιγένεσιν nouus morbus aliud membrum aut corpus vniuersum occupans superueniat, id accidet vel per vlteriorem eiusdem materiæ diffusionem, vt cùm lythiasi podagra superuenit, vel ob nouæ materiæ vitium, quod alteri parti, aut toti corpori officit.

Per μετάπτωσιν alij aliis succedunt morbi: vel ob familiarem diuersarum specierum morborum subordinationem; vt cùm vulnus seu cruenta solutio continui in parte carnea, in vlcus seu eiusdem partis carneæ solutionem continui purulentam degenerat, vel ob portionem aliquam heterogeneam eius materiæ quæ talem morbi speciem inferebat exolutam, residuâ aliam morbi speciem inducente: vt cum minùs exquisita phrenitis ex bile pituitæ mixta nascens bile consumpta in lethargum transit. Vel tandem humore qui priorem affectum causabat, noua alteratione in aliam humoris speciem mutato, vt cùm tertiana notha humoribus à quibus excitabatur assatis in quartanã degenerat.

Per μετάστασιν demum alter alteri succedit morbus, quando pars quæ primùm afficiebatur secreto quodam impetu se à materia à qua affligebatur extricans eamdem aliò per viciniores patentesque ductus, aut quâ per transpirabile corpus datur via, expellit. Quod aliquando cum bonis ægri rebus fit: vt cùm natura materiam pepasmo euictam ad cutem, aut accommodata emunctoria, vel saltem ad partes inferiores per salubres apostases amandat. Aliâs cum euidenti ægrotantis pernicie: vt cùm totius œconomiâ peruersa & humoribus naturâ eorum motus non regulante concitatis, à parte ignobili ad officialem, aut ab officiali in principem fit transmissio. Sic colicus dolor ali-

quando ex Paulo,[d] Arculano,[e] & Hollerio, in paralysim; pleuritis ex Hippocrate,[f] in febrem ardentem transire nonnunquam aduertitur: & non rarò pleuritis in peripneumoniam abit: vt angina in peripneumoniam etiam mutatur.

Idiopathici ex eo dicuntur, quòd membrum languens aut affectum, in se ipso materiam contineat affectûs causam: seu ea ibidem sit genita; seu à causarum extrinsecùs aduenientium concitatione ad illam appulerit, nec à transmissione aliunde perseuerante foueatur.

Sympathici, nascuntur ex consensu quem pars aliqua habet cum alia priùs læsa; cui compatiendo, coafficitur. Seu quæ priùs afficitur transmittat aliquid in compatientem, vt vterus vapores in cerebrum à quibus hoc epilepsiam incurrit: seu illa impediat aliquid ad operandum necessariũ ad aliam transmitti, vt spinæ medulla vulnerata cùm impedimento sit ne spiritus animales qui facultatis sunt instrumenta in crus diffundantur, causa est paralysis cruri per sympathiam adoenientis. Seu demum, quæ propria & vera compassio est ad alicuius membri affectum, aliud nullâ aut materiæ transmissione in se factâ, aut intemperiei communicatione, aut influxûs impedito transcursu, compatiatur, vt renibus ex calculo aut inflammatione dolentibus, ventriculus puta compassione anxietatem, nauseam, aut vomitum patitur. Consentiunt autem partes aliæ aliis ex Galeno,[g] quidem vel ob viciniam & connexionem mutuam, vt ventriculus & hepar inter se & cum diaphragmate vicissim compatiuntur ita & quæ per venas, arterias, & neruos ad inuicem colligantur. Vel ob similitudinem generis, vt neruosa cum neruosis. Vel ob familiaritatem operis, vt mammæ cum genitalibus. Aut si placeat dicamus, sympathiam duplicem: aliam latiùs dictam, quæ fiat per qualemcumque communicationem ab vno membro ad aliud: aliam verò strictiùs sic appellatam & propriùs, quæ fiat citra vllam affectionis membri primò affecti communicationem aut rei cuiusquam interruptum influxum; sed tantùm membro aliquo alterius afflictionem sensu percipiente & illi compatiente. Prior illa primò ob viciniam aut continuitatem partium contingit, membro scilicet affecto facilè contiguis partibus aliquid sui affectûs communicando. Vt cùm membrum inflammatum, vicinis phlogosim impartitur: & aliquod vehementiùs distentum partes sibi proximiores comprimendo dolorem communicat.

Aut cùm membranæ alteri continuæ, consimile quidpiam eum affecta patiuntur: vt pleurâ inflammata, pulsus durus & serratus euadit, ob continuitatem membranæ aortam inuestientis cum pleurâ. Etenim ob solam generis similitudinem, nullam adoertimus verè fieri sympathiam. Pleurâ enim inflammatâ, quid patitur peritonæum? Quid communis musculorum membrana, & aliæ illi non continuæ? aut musculosâ brachij carne inflammatâ, quid musculosæ tibiæ, aut abdominis carni aduenit? Secundò eiusdem rationis sympathia accidit, ob communionem viarum vasorúmque, per quæ, variæ partes, vel materiam affectûs causam, vel vapores à materia morbifica eleuatos sibi inuicem communicant; vel per quæ à membro quopiam ad aliud, quidquam transmitti secundùm naturam solet. Hinc vtero prauos humores aut semen in venenatam substantiam per putredinem conuersum continenti, variæ partes, ab illo vapores per venas, arterias, neruos, aut per insensibiles ductus excipientes, compatiuntur: & à liene, cor in sympathiam trahitur, per vapores quos ille per arterias in hoc transmittit. Inde præterea neruo optico occluso, perit visio, & intercostalibus musculis paralysim patientibus, aut trachæâ arteriâ vulnerata, vox deperit. De quibus fusè Galenus libro primo de locis affe c.6. Tertiò sympathia accidit ob familiaritatem operis. Sic lieni, iecur compatitur, & contrà: ventriculo item, intestina: aut mammæ, genitalibus. Posteriorem autem sympathiam propriè dictam neruorum præsertim communio facit; affectu vnius partis alteri per consocios neruos indicato: & *hæc [quæ nihil aliud nouum à quo offendatur concepit, quàm sensum affectionis illius] verè affectæ condolente. *Ita ventriculus, renibus compatitur: cor ventriculo, & cerebrum, neruosis partibus grauiùs offensis. Dixi hanc sympathiam eo præsertim modo fieri: quòd & hæc, & prior altera, non solùm ex prædictis causis accidant: sed ex etiam quod iuxta Hippocratem[h] in viuente corpore sit vna confluxio, conspiratio vna, compatientia omnia. Hinc paroxysmorum febriliũ initio, perfrigeratio, horror, aut rigor accidunt: vt suo loco fusiùs explicabitur. Inde perfrigeratis cum oxycrato testibus, in vniuersum corpus frigore insinuato vndecumque fluens sanguis sistitur: & nonnunquam raucedo aduenit. Atque ex eodem fonte accidit, non paucos si nudis pedibus aliquandiu ambulent, in lienteriam incidere, aut thoracis compressionem & respirandi difficultatem: seu his partibus per consequutionem solùm refrigeratis: seu etiam per compressionem cerebri, identidem refrigerati, sequutâ in partes subiectas destillatione.

Hæreditarij cum semine alterutrius parentis quasi per traducem communicantur. Quod fit dupliciter.

Si enim vitium sit in conformatione, illud ideo à parentibus in natos transit: quòd cùm ea vis actiua seminis [qualem in spiritu complantato inesse diximus] in modum aliorum à gentium proposito exemplari operetur, propositum sibi exemplar corpus scilicet generantis à quo semen decisum est

[d] Lib. 3. cap. 41.
[e] Cap. de colico dolore.
[f] Lib. 1. de morb. sect. 2 tex. 19. ex partitione Salij.
[g] Comm. 3. in 3. epidem. com. tex. 4. & lib. aduersus Lycum
* Varia exempla sympathiæ legitur apud Sanctorium in cap. 81. artis paruæ digress. 93.
[h] Lib. de alimento.

in organizatione & conformatione quam proximè potest imitata, defectus qui in illo sunt fingendo plasmandoque retineat. Quod quare non semper adueniat, explicatum iam supponimus ex his quæ tractatu primo [k] docuimus. k Lib. 4. c. 4.

Si verò morbi sint in intemperie: ideo illi in posteros propagantur, quòd materialis seminis portio quæ à parentibus decisa in tam diuersa geniti membra effingenda dispensatur, eam retineat temperiem quæ excellentior erat in generantibus & morbosæ constitutionis radix. Hæc autem sic transfusa in genitum, affectus parentum morbis respondentes per ætatem profert. Quod faciliùs accidit, si vtriusque parentis par sit temperies: si enim dispar sit crasis, & confusa vtriusque semina se mutuò temperent, ex morbidis aliquando parentibus sana proles generatur: vel vegetioris seminis superueniens distemperantia, sibi consimiles affectus transfundit in genitum.

Cõgeniti, & coætanei morbi, vel primùm ab accidentario aliquo seminis vitio enascuntur: quòd id aut crudius, aut ex sanguine prauâ aliquâ qualitate ascititiâ infecto effictum, qualitatum vitia quæ sub seminis natura habuerat, eadem in embrij substantiam versum retineat.

Vel secundò, facultatis formatricis errore, naturalis totius, aut partium figura, conformatio, & situs peruertitur.

Ducitur autem in errorem vis formatrix; aut ab aduerso quopiam vniuersalis causæ influxu: aut ab aliqua vehementi matris imaginatione; aut ex materiæ seminalis vitio; quòd ea vel super excocta, minùs sit ductilis, quàm oporteret; vel quod crudior & liquidior, minùs quàm par esset ad figmentum contineri valeat: aut demum quòd eadem ad formationis integritatem deficiat, aut superabundet; vnde proles aliquando in magnitudine, aut numero totius, vel partium, defectûs aut excessûs vitium aliquod contrahit.

Vel tertiò ab errore matrum multiplicia huius ordinis vitia adueniunt. Matres enim plerumque ornatûs magis sollicitæ quàm salubritatis concepti fœtûs, se ita componunt vt non solùm pectorali paio vsæ, sed arctioribus etiam vestibus deiectaræ, imò & fasciis aliquando cinctæ, ventrem immoderatiùs comprimant: vnde frequenter conclusi in vtero fœtûs membra, multifariam peruertuntur. Vel tandem quemadmodum aduertit Hippocrates, [l] cùm formati in vtero fœtus minimè liberi sint ab ægrotandi infirmitate, alicuius aliquando membri mutilatione aut contractione, notas eorum morborum referunt, quos intra vterum antea sunt passi. l Lib. de septimestri partu

A feitirij verò morbi, vt ad varia genera referuntur: ita quilibet, proprij generis causas superiori capite relatas, sortiuntur.

Magnorum paruorúmque morborum causæ, ex his quæ eorum rationes differentiásque explicantes diximus, satis supérque patere possunt.

Benignorum atque malignorum morborum causæ, petuntur tum ab efficiente, tum à subiecto. Ac benignorum quidem efficientes causæ sunt mites, seu externæ sint corpus leuiter afficientes; seu internæ, quod nullâ sint prauâ qualitate affectæ, & naturæ modum parum sint prætergressæ. Tales sunt, mediocris insolatus, citra plethoricum aut cacochymum apparatum, quempiam impensiùs calefaciens. Vel spiritus qui ex concepto immodico calore ephemeram exquisitam excitent. Necnon sanguis paucus nullâ qualitate peccans qui in partem aliquam musculosam fluxerit, ibique phlegmonem excitauerit. Ex parte subiecti benignos eos morbos censemus, qui his partibus incidant, quæ nec nobiles sunt, nec acurioris sensûs, nea naturâ aut casu vllo nimiùm imbecilles.

Malignorum autem morborum, contrariæ planè sunt causæ, ex parte quidem efficientis: ea vel externa est vel interna. Externa, ea omnis est, quæ cùm sit vehementis actiuitatis & maximè naturæ nostræ aduersa, lentè tamen aut latenter operatur. Tales sunt strygarum scelestæ artes quibus ex pacto cum dæmonibus contracto, Deo permittente, multos exerceant.

Epidemici item multi, & omnes pestilentes syderum influxus. Nec non ferarum, aut venenatorum quorumcumque morsus, ictus, & effusiones. Ac tandem venena plurima nefariis actibus confecta, aut talem ex propria temperie malignitatem sortita. Interna malignorum morborum seu malignitatis in morbis causa, duorum est generum. Ac prima quidem, est humor omnis qui naturæ modum plurimùm egressus syncerus sit, atque à mitiorum consortio secretus. Qualis est bilis æruginosa, & atra, aut ad illam accedens, exæstuans superassatus sanguis. Hinc & qui æruginosa vomunt vt ex Hippocrate colligimus [m] malignè habent. Et cancri tam particulares, quàm elephantiasis ipsa: nec non carbunculi maligni sunt. m Lib. 1. prorrhet. sect. 1. tex. 10 sect. 2. prognost. tex. 19. & sent. 556. coacarum.

Secunda malignorum morborum interna causa, est excellens quæcumque putredo in spiritibus, humoribus, aut solidis etiam partibus concepta. Cùm tamen ea quæ in humoribus excitatur, frequentiùs huius ordinis affectus inferat; vt ex Galeno constat [n] dicente, nonnunquam verò hi affectus sunt cachoetes, quod putridus esset qui abundabat humor. n Comm. 3 in 3. epidem. com. tex. 12.

o Ibid. comm. tex. 23.

Et scribente [o] malignitatem abundantis humoris ex magnitudine consistere putredinis Excellentiorem autem putredinem excitat;vel multa materiæ putrescentis humiditas,vel copiosioris vtilis, & laudati succi lentè suppressa difflatio,vel tandem excellens agentis tam externi scilicet aëris, quàm humoris intùs geniti aut veneni,morsu,seu aliter insinuati, ad internum calidum dissoluendum efficacia. A quo capite ac præsertim ab aëris vitio, quòd à latente syderum vi per influxus communicatum sit,id prodit,quod ab Hippocrate [p] diuinum appellatur in morbis; vti explicatum est à Galeno ad finem longioris enarrationis præfationis prognosticon. Aduertendum est autem, cùm ab excellentia putredinis magna pars morborum malignorum ortum ducat,& putredinis via sit communis quædam causa:tantam tamen in malignis morbis varietatem aduerti: quòd vt Galenus inquit [q] singula putrescentia particularem obtineant corruptionis speciem; & vt idem scribit [r] multis modis euariet id quod putrescit.

p Sect. 1. prognost. tex. 4.

q Comm. 1. in 3 epidem. com 1. x. 24.

r Lib. 2. de differ. febr. cap. 6.

Ex parte verò subiecti,morbos malignos esse bifariam contingit Primò pro ratione partis affectæ:quæ seu sit membrum princeps,seu pars exquisitioris sensûs,affectus aliàs mites, malignos reddit. Vt si in corde leuis aliqua suppuratio fiat,aut parua continui solutio, vel si in partem nerueam putris aliquis,aut ichorosus humor abscedat Exemplo sit panaritium; & huius conditionis infarctus,qui in superiore ventriculi orificio fiunt.

Secundò ex imbecillitate facultatis, naturales membrorum functiones dispensantis; quæ ex quacumque discrasia,seu in parte aliqua,seu quod deterrimum est in vniuerso corpore, magnam labem contraxerit:morbos omnes vel membris, vel toti corpori aduenientes, curatu difficiles, & malignos teddit. Contagiosos morbos efficit,transitus miasmatum seu seminarij ab vno ad aliud in quo,ex vi propria,illud natum est parem læsionem inducere. Per quæ miasmata,& seminarium: intelligimus corpuscula quædam viscida, seu vaporosa seu crassioris substantiæ quæ à corporibus ægris emanantia,& tam viuentibus aliis,quàm non viuentibus facilè adhærentia. Illa quidem sic immurent,vt similem morbum inferant illi quo laborabat analogum viuens à quo effluxerunt: non viuentibus verò sic adhæreant: vt inde tanquam ex fomite post plures etiam annos aliquando,vitium repullulet. Viscidam quidem illorum substantiam esse asseruimus cum Aristotele [ſ] Quòd vt alia inquinet,eam passo adhærere oporteat. At ex eò magis, quòd plerumque ex fomite in quo per plures annos contagiosum virus sit asseruatum,morbum communicari contingat Tandiu autem,eadem in fomite conseruari non posset, nisi ab exacta suarum omnium partium cohærentia,atque ideo visciditate iuuarentur. Eorumdem verò substantiam vel vaporosam esse, vel crassiorem diximus: quòd cùm aliquando contagium etiam in distans, aliàs per immediatum solum contactum communicetur: illud,non nisi per tenuem halitum diffundi possit, hoc, etiam per crassioris materiæ adhæsionem morbum propagare queat. Huiusmodi autem seminarium contagij,putre quidpiam semper esse,aut ex putri materia exhalare minimè necessum est: contra quàm Fracastorio visum est. [t]

ſ Sect. 7. prob problem. 4. aut in an iqua versione 7.

t Lib. 1. de contagion. cap. 9.

Quod ophtalmicorum exemplo comprobatur: qui non ex eo quòd putre aliquod virus exhalent,sed quod acrem spiritum in sibi oppositos oculos vibrent,in aliis similem affectum imprimũt. Imò & hydrophobicorum rabiem citra putredinis notam,in alios transire palam est. Neque hoc ipsum tenue semper esse necessum est,vt Mercato placuit: [u] quoniam cùm idipsum viscidum esse oporteat,sitque deglutinoso & illi oppositis legito Gal. lib 11 method cap. 13. aliquando corpulentum:tenue simul tunc saltem esse nequeat. Neque tamen vt Galeno placere videtur, [x] crassum id omne est quod viscidum. Nisi id dictum interpretemur,respectu ad ea quæ cùm eumdem modum substantiæ participent,viscida tamen non sunt. Si enim vaporosa cum vaporosis conferamus (quæ tenuia omnia sunt) viscida nõ viscidis crassiora sũt. Viscida autẽ vaporosa dari,apparet exodoratis, quæ sui vestigiũ in multũ tempus relinquunt per vaporosã ἀπόῤῥοιαν quã effundũt. At aliquãdo contagij seminariũ corpulentũ esse & crassũ euidẽti experimẽto cõprobatur Nã inde nec aliunde prodit quædã tam lentè serpere,vt semel concepta inseptimũ annũ aliquando suæ malignitatis effectũ proferre differunt. Vt nobili illi mulieri accidit,quæ (referente Roscio apud Fabricium mox citandum) à cane rabido demorsa,& vlcere curato,post septennium in hydrophobiam incidit Præ cæteris tamen omnibus,illud seminarij genus faciliùs contagione propagatur quod cum visciditate,caloris animalis ope in vaporem facilè soluitur,& vim putrefacientem sortitur Quoniam eâ vaporosa tenuitate,facile se insinuat,& penetrat, visciditate adhæret cùm penetrauerit, & putrefaciendo grauissimè nocet. Inter illa enim quæ nos alterant,putrefacientia nocentissima sunt: quòd non viuentibus solùm aduersa sit putredo,sed mixtis etiam,ad quorum dissolutionem illa conspirat. Contagium autem omnetribus modis perficitur: vel solò contactu,vt pomum corruptum quæ sibi vicina sunt si contingat,etiam corrumpit.

u Tomo 1. q. 176. n. 14.

x Lib. 1. de simpl. medic. facult. cap. 11

Sic scabiosi alios inficiunt; & citra morsum etiam vulnúsque vllum aliquando, rabida

animalia

animalia quos lamberint,osculata fint,aut aliter cùm virulenti humoris quem ore effundunt adhæsione,attigerint,in consimilem rabiem trahunt. Quod variis hystoriis confirmatum legitur, in epistola Abelis Roseij quæ observationibus Guillelmi Fabricij Hildani [x] inserta est. Vel secundò ex fomite seu à materia virulenta in aliquo ad ægrotandum inepto relicta à cuius contrectatione alius pacem morbum incurrat. Ad fomitem autem conservandum ea aptissima sunt,quæ rara & laxa: atque eò magis,si eadem vel calida sint,vel non facile frigori pateant. Cuiusmodi sunt conclusæ domus, & à libero aëre minimè purgatæ,lintea,ligna,ac magis lanea omnia,culcitræ, & vestes stragulâque pel licea. Hoc modo scabies,lues venerea,variolæ,phthisis,canina rabies,ac pestis se plerumque insinuāt.

x Cent. 1. observat. 56.

Tertiò contagij lues propagatur etiam effusione in distans. Vt lippitudine laborans, alios inficit, quos se spectantes intuetur:& leprosi,phthisici,pesteque correpti,sicut & cæteri omnes qui putredinem expirant ex Galeno [y] alios solo spiritu virulento à se expirato,ab alijsque inspirato inficiunt.

y Lib. 1. de different. feb. cap. 2.

Tandem verò sciendum est,vt contagium propagetur & serpat, non seminarij solùm effluuium requiri:sed quamdam etiam patientis ad agens analogiam experi,per quam illud ad alterius impressionem suscipiendam dispositum facilè eius inquinamentum admittit. Inter cæteros autem ad excipienda contagia illi sunt maximè dispositi,qui sunt naturâ molles,& laxi habitûs:qui eo faciliùs offenduntur,quò vehementior fuerit putredo,aut quomodocumque grauius seminarij virus.

Morbi ex maleficio,dæmonem habent authorem; seu agentem ex se ipso, Deo id aliquando per mittente,seu cooperantem eum libera voluntate maleficij,aut consentientis suggestori cacodæmoni aut proprio motu se ad nocendum determinantis. Atque id quidem post initum cum dæmone pactum,expressum sæpiùs,aut tacitum etiam aliquando.

Huius generis autem perdita lues,variis ad nocendum vtitur mediis;maledictis,insuflatu,contactu aspergine pulverum aut liquorum,periaptis characteribus,imaginibus, & mille aliis.

Quibus per se nulla vt plurimùm inest nocendi vis,licèt venenatæ qualitatis pharmaca in vsum adhibeant aliquando : sed ea illis sunt quasi symbola quædam,quibus huic illuè nocendum esse, monetur ex pacto dæmon. Neque talia solent alios offendere,quàm eos quos speciatim maleficus lædere instituerit:quemadmodum diffusè simul & eruditè, explicatur à Martino Delrio lib. 3. disquisit. magicarum. [z]

z Parte 1. q. 1.

Naturales hoc est viâ naturali & ordinariâ aduenientes,à naturalibus causis excitantur : quas superiore capite generatim sumus persequuti.

Quod ad celeres tardósque morbos pertinet:cùm morborum motus obseruetur in impetu conflictûs,quem interna & materialis causa morbifica aduersus naturam init : illa naturam celeriter aut lentè opprimere conante,hac verò causam se offendentem pari nixu quo oppetitur reprimere studente:omnem celeritatem aut tarditatem motûs morborum,ad causæ ipsius morbificæ celeritatem aut tarditatem in agendo referemus. Cumque calida omnia & tenuia,promptiora sint & expeditiora ad agendum : celeres morbi fient ex bile,sanguine,imo & flatibus,naturæ modum copiâ, qualitate aut motu prætergressis. Quorum agendi celeritatem adiuuant,imo & augent, ex Galeno, [a] morbi magnitudo,ad naturam celeriùs opprimendam faciens,& paruitas quæ contra promptiùs superatur : tum anni tempus æstiuum,regio calidior, adolescentia aut constans ætas, & præcedens victus ratio calefaciens,aut quæcumque plurimos flatus affatim generare est apta. Vnde & calidiores illi succi incrementum accipiunt,& maiorem feruorem acquirunt. Vt contrà motûs celeritatem eorumdem teprimunt,anni tempus,regio,ætas,& prægressa victûs ratio,si ad frigidum inclinarint.

a Lib. 3. de crisib. cap. 4.

Ex aduerso,frigidi crassique humores,quales sunt pituita & melancholia,tardos morbos excitant, Qui eò tardiores euadunt,quò morbus in magnitudine ad medium propiùs accesserit, anni tempus frigidius fuerit,regio minùs calida, ætas prouectior,& antecedens viuendi norma magìs refrigerans: vt his contraria,eorumdem tarditatem imminuunt.

Acuti propriissimè dicti,cùm celeritati periculum addant:causam suæ acutiei agnoscunt, vel magnum copiæ & qualitatis vitium calidis illis humoribus comparatum;vel noxam ab eodem humorum genere alicui principi membro,aut inter officialia admodum nobili illatam Vtroque enim casu prædicti humores,& celeriter,& periculosè naturæ vim inferunt.Ideóque [b] in siccitatibus febres acutæ fiunt:quòd vt inquit Galenus, [c] siccitas pauciores quidem humores,eos tamen qualitate biliosiores efficiat. Qui verò acuti minus propriè appellantur,in quibus cum periculo tarditas motûs adnotatur:nascuntur vel ab humoribus crassis & frigidis citra putredinem princeps aliquod membrum occupantibus,vel à calidioribus citra putredinem etiam,nec non & à flatibus,qui nonnullas officiales partes acutissimo sensu præditas,neruos scilicet,ventriculum ac similes acriùs irritent, aut vehementiùs distendant.

b Hipp. lib. 3. aphor. 7.
c In comm. citato aphor.

Diuersas autem eas acutorum species quas capite tertio recensuimus, exinde euariari intelligendum est.

Quòd quò crassorum frigidorúmque succorum cum tenuibus & calidis minor fuerit permixtio, atque ea quæ calidorum humorum motum accelerare diximus efficaciùs concurrerint, eò acutiores reddantur morbi. Minùs autem acuti, quò contra; vel crassorum frigidorúmque humorum copia maior, eum calidis prædominantibus fuerit permixta; vel quæ celerem humorum motum reprimunt; validiore concursu occurrerint. Verùm & hoc adnotandum est, morbos omnes acutos ex Galeno, [d] magnitudinem semper habere coniunctam: atque eorumdem maiorem aut minorem magnitudinem, inter cætera, acutiem etiam maiorem aut minorem reddere.

d Comm. in aphor. 19. se. 2.

Continuitas in morbis, pendet vel à propria ipsorum forma, vel ab afficiente. Ex parte formæ: morbi omnes qui habent totum suum esse simul, & non ampliùs in conseruari à sua causa dependent, iidem sunt necessariò continui. Vt æquales intemperies, vulnera, vlcera, fracturæ, & similes. Ex parte efficientis continuitas morbis aduenit, ex eo quòd causa morbi efficiens continuatâ suâ ad nocendum efficaci præsentiâ, sensibilem noxam continuò inferat. Vt tumor à principio ad finem, continuus est: quia materia quæ membrum distendit, semper est præsens. Et humor in maioribus vasis putrescens, quia continuò putres suos vapores in cor transmittit febrē continuā generat.

Inter continuos autem morbos, qui omninò sunt sine remissione, pro causa suæ perseuerantiæ nullatenus interruptæ, agnoscunt; vel vnam eamdémque materiam, in eodem loco, donec aut à natura superata sit, aut naturam superauerit, consistentem: vel eamdem in pari copiâ, parique vitio, ad extremum vsque vigoris morbi perseuerantem; ob perenne fomentum eâ copiâ à toto aut ab aliquo viscere subministratum, quæ sufficiat ad eam portionem materiæ morbificæ reparandam, quæ continuò à partium eam circunstantium & circumfusi calidi actiuitate dissoluitur.

At qui citra intermissionem per interualla remittuntur, ad eam remissionem perueniunt: vel quia materia peccans & morbi author, cùm sensim consumatur, ante sensibilem diminutionem admisit, quàm alterius transmissione renouetur: vel quia licèt eadem perseueret, periodicis tamen concitationibus exasperata, ante recursum exacerbati motùs nocendi impetum remittit.

Intermissionis verò morborum causa, est vel materiei ad sensibiliter offendendum sufficientis, atque iterum renouandæ, in parte affectâ aut foco dissipatio: seu illa in membro laborante propriæ intemperiei vitio sensim colligatur, sen eadem aliunde per fluxionem in partem affectā transmittatur. Vel iterum, animalium intra nos genitorum vt lumbricorum ac similium aliquando quiescentes, moxque renouati motus, insultus, & morsus. Vel demum, iuxta syderum lationes concitati in nobis peculiares humorum motus. Ita nobili cuidam huius ciuitatis mulieri, dolor in media frontis parte ad nasi radicem ad alterum mensem durauit: qui singulis diebus sole oriente excitabatur, & eodem occidente quotidie cessabat.

Inter hos autem: qui ordinati sunt, suas habent causas regulares & ordinatè agentes. Firmas scilicet & constantes affectarum partium intemperies: modi substantiæ & qualitatis materiæ morbum facientis paritatem. & parem sensûs, ac tolerantiæ membrorum, tam mandantium, quàm excipientium continuationem.

Inordinati seu erratici morbi, fiunt ab inconstanti & varia materiæ morbificæ copia, qualitate, & motu. Quorum singula multifariam euariantia, varias etiam causas nanciscuntur. Ac primùm quidem vt apud Galenum [e] legimus ab inæquali viscerum intemperie: aut ab inconstante partium affectarum discrasia, modò intensiore, mox verò remissiore: propter inconstantem victûs rationem: & diuersæ naturæ humores, & dispari quantitate generari contingit. Secundò aucto aut imminuto numero partium, humorem peccantem in sedem affectam aut focum transmittentium: in peccantibus succis specialis varietas, & copiæ inæqualitas aduertitur. Tertiò per nouam succorum adustionem, aut euariatam in morbi progressu putredinem, humoris natura qualitatésque mutatur. Nec non ex admixtione succi alterius generis cum priore: is vel acrior, vel mitior quàm antea euadit.

e Comm. 3. in lib. de humor. com. 12. 1.

Præterea partium quæ humorem morbi causam in se vel genitum vel collectum aliò transfundunt, immutata sensûs acuties, vnde faciliùs aut difficiliùs materiæ apud se moram ferunt, nec non & euariatum robur: sunt in causa, vt qui peccat humor, per breuiora aut longiora interualla in partem excipientem transmittatur, atque inde per inæquales periodos affectum renouet. Item ab inæquali & varia constitutione ambientis: inordinatus succorum motus causatur: vnde autumno, erraticæ febres maximè vigent. [f] Ac tandem à diuersis erroribus in victûs ratione commissis, maxima humoribus in copiâ, qualitate, & motu, varietas aduenit. Si ergo peccans humor copiosior generetur & acrior; parsque mandans fiat robustior, aut citarior reddatur eiusdem motus, nouo feruore ab aliqua non naturaliū causarum in eo excitato, is promptiùs quàm antea, in sedem affectùs, aut focum febris effunderetur: & affectuum recursus solitas periodos anteuertent. Contrà, si humor qui est in vitio, parciore copiâ cumuletur, aut mitior euadat; pars verò mandans obru sioris sensûs atque ad expellendum quod grauat imbecillior reddatur, aut ipsa aeris

f Hippocrat. 3. aphor. 22.

consti-

constitutio illius motus remoretur:tardiores fient morborum repetitæ periodi. Vtque vtriusque ordinis singula variâ reciprocatione concurrent,planè inordinatos morborum recursus excitabunt.

Vniuersales morbi,pendent à causis suâ substantiâ vel energia saltem per vniuersum corpus diffusis. Particulares verò ab his , quæ partem aliquam determinatam ; vel in imo corpore latentem , vel extra apparentem offendunt.

Communes,& populariter grassantes,ab his causis fiunt à quibus plurimos simul lædi posse contingit.Inter ea verò à quibus plures offendi possunt,aër primum locum tenet qui vndecumque grave aliquod vitium contraxerit, [g] inspiratus lædere plurimos potest. Tum id, quo plurimi in cibo , aut potu vtuntur:quòd si perniciosum sit,plurimis etiam nocere natum est. Siquidem vt animaduersum est à Galeno, [h] morbum vniuersalem excitare interdum potest haustus aquæ infectæ. quod memoriæ proditum est in castris accidisse. Ita populares morbi in obsessis ciuitatibus grassati frequenter visi sunt : quòd & auxiliares copiæ,& ciues,frumentis aut legúminibus, quæ situm contraxerant aut deterioribus etiam alimentis vesci cogerentur.

Sporades seu qui dispersi appellantur,varij varios in vnaquaque tempestate inuadunt : quia qui ægrotant,non parùm ab inuicem distant:ob dispares naturas singulis connatas , diuersas ætates , & maximè propter differentes viuendi formas.

Endemij,seu vernaculi,& patrij:ex particulari vrbium situ,vicinorum lacuum,& stagnorum vaporibus:specuum halitibus,& aquarum vitio originem ducunt , vt fusè ab Hippocrate explicatum habemus. [i]

Pestilentes demum morbi,cùm ab epidemiis simpliciter dictis eo differant, quòd vulgares quidem multos simul inuadant,ob aëris quamcumque immodicam intemperiem pestilentes autem simul hoc habeant, quòd multos perimant , non solùm communem quamdam causam sortiantur oportet,sed talem præterea quæ maxime vitæ sit infensa. Huius verò conditionis nulla est nocentior,quàm quæ excellentem putredinem animalibus inuehere est apta. Quam procurare in nobis aër plerumque potest: seu per vapores putres,à cadaueribus,terra,aut mari exhalantes & per aërem effusos:seu ea putrefaciens vis à syderibus influens, nobis per intermedium aërem communicetur. Hinc Galenus, [k] pestilentem febrem putridum calorem habere : & illius calorem ab aliis per putredinis excellentiam differre affirmauit. Tum, [l] pestilentes febres magna ex parte ex inspiratione incipere aëris circumstantis,à putrescibili euaporatione infecti. Et , [m] pestem malo quodam modo aërem immutare.vt homines interficiat Nec non,[n] pestilentem aërem esse,qui corruptus cùm sit homines perimat. Quæ vera esse manifestè indicat Hippocrates in descriptione illa pestilentis status, [o] vbi ex vigente & perseuerante constitutione aëris austrina,calida,humida, nubilosa, & caliginosa:numerosam putredinum sobolem excitatam fuisse docemur.

Morbi in fieri,& qui in facto esse dicuntur. non aliam vt tales,sui agnoscunt causam,quàm propriam rationem formalem. Illi enim,vel habent totum suum esse dependens à præsentia causæ efficientis : à qua, continuatâ quasi productione emanant , vt obstructio à materia obstruente. Vel ideo dicuntur in fieri,quia successiuè & pars post partem producuntur,neque adhuc ad suæ productionis complementum peruenerunt:quales sunt intemperies inæquales. Qui cùm successiuè produci dicuntur , id non de successione absoluta dicendum est ; ita vt nunquam duæ eorum partes possint esse simul,quod motui & tempori competit : sed de successione secundùm quid , per quam res in tempore quidem producitur,eius tamen partes intensiuæ vna post aliam productæ, etiam in indiuisibili subiecti sunt simul.

Contra morborum in facto esse tota ratio in eo consistit , quòd totum habeant suum esse simul & independens ab efficiente.

Frequentia aliquarum specierum morborum,ex eo procedit,quòd vel illi à causis cuiusque generis nobis frequenter occurrentibus enascantur : vel quòd nostra corpora,eorúmque hæc aut illa membra (seu ex propriâ constitutione, seu ex consuetâ viuendi ratione) facilè in tales casus incidant.

Aliorum verò raritas, vel pendet à raro occursu causarum eos inferentium: vel ex magna corporum aut particularium membrorum renitentia, aduersus causas ad tales affectus producendos concurrentes.

Noui autem morbi , non solum vt Philoni placuit apud Plutarchum,. [p] oriuntur ab insolitâ quadam viuendi ratione : sed potiùs à nouis quibusdam nouarum constellationum influxibus : vel à nouâ & casu occurrente plurium morbosarum causarum tam internarum quàm externarum syndrome. Morbi qui per diuersas anni tempestates generantur oriuntur , tum ex particulari humorum genere qui variis anni temporibus vigent : tum ex cuiusque tem-

[g] Gal. in præfat. comm 1. in 2. epidem. cum Hippocr. lib. de natura humana sect. 2. tex 3.
[h] ibidem.
[i] Lib. de aere aquis, & locis
[k] Comm 1. in 6. epidem. com. tex 29.
[l] Lib. 1. de differ febri. cap 4.
[m] Lib. de theriaca ad Pisonem cap. 16
[n] Lib de theriaca ad Pamphilianum.
[o] Lib. 3. epid. sect. 3.
[p] Lib. 8. sympos. cap 9.

peſtatis propria temperatura,talem aut talem noxam per diuerſas ætates variè diſpoſitis inferendi nata. Nam licèt omnis generis morbi,in omnibus temporibus fiunt:nonnulli tamen in quibuſdam illorum magìs & oriuntur & irritantur. [q] Et morborum alij ad alia tempora, magìs aut minùs procliues ſunt:eòdem modo & ætates ad tempora,loca,victûs rationes, magìs aut minùs aptæ ſunt. [r] Quòd ſi per errorē victûs,aut perturbatas anni tēpeſtates,prædictarū cauſarū ſibi reſpondentiū cōcurſus,ſic immuteretur:vt vel in tepidiore hyeme,quiſpiam dulcibus & calidis vſus,bilem collegerit: aut in minùs feruida æſtate,frigidis & craſſum ſuccum generantibus eduliis victitarit: vel omninò deprauatā viuendi ratione in conſtantibus temporibus, & in quibus tempeſtiuè tempeſtiua redduntur (vt loquitur Hippocrates) [ſ] ſuccos anni temporibus minimè reſpondentes collegerit. Vtroque caſu poterunt & æſtate hyberni aut verni morbi,& hyeme æſtiui ac autumnales fieri. Ad quod idem reſpiciens, [t] in morbis minimè periclitantur inquit, quorum naturæ aut ætati, aut habitui,aut tempori magìs congruit morbus: quàm quibus ſecundùm nihil iſtorum congruit. Ita etiam ſi ſola ipſa anni tempora plurimùm à conuenienti temperatura deuiarint, morbi fiunt ſibi analogis tempeſtatibus minimè reſpondentes:vnde Hippocrates, [u] in temporibus, quando eodem die modò quidem æſtus modò frigus fit, autumuales morbos expectare oportet:etiam in ipſo vere vt notat Galenus. [x]

Longitudinis morborum cauſæ,ſunt multiplices.Nam primùm eorum aliqui,per ſe &ex propria natura longi ſunt & diuturni:quòd nequeant vel per ſe à natura vinci, vel non niſi longâ naturæ aut *M*edici operâ ſuperentur.

Tales ſunt hæreditarij & connati,tum habituales omnes,& æquales intemperies,atque eò magìs ſi ea ſicca ſit:fracturæ item,atque illi omnes qui ex quacumque firmata & ſtabilita cauſa pendent, quæ vt inquit Galenus [y] difficilè ſolubilem reddit affectum. Quod ſub ſingulari exemplo indicatum eſt ab Hippocrate, [z] cùm inquit,quibuſcumque acceſſiones fiunt, quacumque horâ febris dimiſerit,ſi eadem cras occupauerit,iudicium habent difficile. Secundò materiæ morbum facientis multitudo,frigiditas,craſſities,& lentor,longitudinis in morbis eſt cauſa:atque eò magìs ſi talis humor in particulari membro fuerit impactus. [a] Pauci enim ex longis, fiunt abſque loco patiente : id eſt,quin vel in ſingulari aliquo membro infarctus aduertatur, vel pituita aut ſuccus melancholicus per vniuerſum corpus diffundatur. Atque hinc quidem morbi in longum producuntur : quia ex Galeno, [b] humores huiuſmodi longum tempus exigunt ad coctionem. Fouet autem hanc longitudinis morborum cauſam pluuioſum anni tempus, [c] quia vt Galenus docuit, [d] per id tempus & multæ colliguntur humiditates,& frigidiores magiſque pituitoſi generantur humores, qui non niſi in longo tempore concoqui poſſunt.

Tertiò ex robore aut imbecillitate,ſeu partium,ſeu rectricum totius facultatum , pro diuerſa morbi magnitudine eiſdem ſic longitudo acquiritur: vt graniores morbi ſi robuſtis ægris aduenìant,periculum plerumque in longitudinem mutent:contrà ſolutu faciles, imbecillitatem virium nacti,diuturni reddantur Hinc ſenecta omnium ætatum maximè infirma,ſolet affectus in longius tempus protogare. [e] Quartò ab affectæ partis naturâ,longitudo etiam morbis accidit.Intemperies enim partium principum ſemel contractæ difficiliùs euincuntur : & materiales morbi ignobilibus partibus aduenientes tardiùs ſuperantur, quàm ſi iidem nobiliora membra tenuerint. Atque inter ignobiliora,quæ duriora ſunt vt oſſa ac ligamenta,morbos ex conſimilibus cauſis ortos diuturniores aliis experiuntur:atque eò magìs,quò eædem profundiores fuerint.

Tandem errores ab ægris,aſtantibus,ipſiſque etiam *M*edicis commiſſi, morbos producunt reddûntque longiores. Siquidem vt aduertit Galenus, [f] morbi qui prorſus ſine periculo ſunt, ob delicta diuturni eſſe ſolent. Et alibi, [g] multos per intemperantiam in diutinos morbos incidere ſcribit.

Breuitas autem paruàque morborum duratio,ex oppoſitis cauſis accidit. Aſcititij enim omnes, præſertimque partibus membraneis & carneis aduenientes , vel ab humoribus calidis tenuique materia excitati,vel calidam inæqualem intemperiem conſequentes:contrariis breuiores ſunt: atque eò magis quò vel humorum copia minor fuerit,vel intemperies mitior, corpuſque robuſtius & firmiores facultates extiterint,atque omnia circa ægrum opportuna fient.

Morbi qui à particularibus temporibus denominantur:pro diuerſa radiatione ſui in ſubiecto, nec non pro varia ſymptomatum increſcente aut decreſcente vehementia,& diuerſo coctionis pro greſſu:incipientes,increſcentes,conſiſtentes,aut declinantes appellantur.

Quòd morborum aliqui typum habeant vel non:ex conſimilibus cauſis oritur,vnde intermiſſio continuitáſque morborum At quare hi,hunc,alij,alium typum ſeruent : cùm de cauſis periodorum febrilium agemus,explicaturi ſumus.

Morbi qui à propriis cauſis denominantur,quas agnoſcant ſui cauſas,ipſum nomen detegit.

De

q Hippocrat. lib 3. aph. 19
r Idem lib. eodem aph. 3.
ſ Lib 3 aph. 8.
t Lib. 2. aph. 34.
Hoc aphor. confirmamus, morbos plerumque grauiores qui tempori non congruūt. Quòd autem ad veritatem totius aphoriſmi pertinet praeter Galenum in comm. & alios expoſitores legatur Montanus in 2. parte medicinæ p. 388
Lege quæ ab Hippocrate & Galeno dicuntur 3. in lib de humorib commēto tex 2. & ſequentium.
u Lib. 3. aph. 4.
x Comm. 3. in 3. epidem. de his quæ ad extremam libri ſunt adſcripta
y Comm. ad aphor. 30. lib. 4.
z Aphoriſmo eodem.
a Ita Gal. cō. in aphor. 19. lib 2.
b Comm. in aph 44. lib 4.
c Hippocr. lib 3 aph. 16
d In comm citati aphor.
e Hippocrat. lib. 2. aphor. 39. lib. 6 aphor. 6 & ſect 3 progno. tex 28.
f Lib. 1. de dieb. decreto. cap 11.
g Lib. 6. de tuenda ſanitat. cap. 7.

Salubres morbi, pendent ex paruitate affectûs & robore virium ægrotantis. Salubres enim omnes illi existunt qui vel in specie tota, vel in indiuiduo saltem, facilè à natura superari possunt. Contra absolutè lethalium causa, est tanta affectûs magnitudo ad naturæ vires collata, vt hæ illi sufficere non possint, sed necessariò opprimantur. Cùm autem lethalium morborum alij, vt indicatum à Galeno legimus,[h] sint ex necessitate tales, alij verò magna ex parte. Ex necessitate lethales illi sunt, qui in vnoquoque genere maximi, aut ad eos proximè accedentes, principibus partibus ac præsertim cordi, tum cerebro adueniunt. Magna verò ex parte lethales existunt, qui vel minoris vehementiæ partes principes, vel grauissimi officiales occupant. Qui posteriores, ad periculosos videntur accedere. Hi enim sunt qui inter salubres & lethales ambigentes, paribus viribus cum natura colluctantur: ita vt num hæc superatura sit, an superanda solus morbi progressus detegat.

h Comm. in aph. 28. lib. 6

Triplicis solutionis & exitus morborum, per crisim scilicet, per decubitum, & per insensibilem ac paulatinam desitionem: causa hæ sunt. Criseôs quidem, materiæ, & viarum aptitudo, cum expultricis facultatis robore. Decubitûs causa, est materiæ crassities aut copia, cum facultatis naturalis aliquali infirmitate, & speciali alicuius membri imbecillitate, ad quod natura transmittit quod excernere & euacuare non potest. Solutionis autem paulatim factæ causa, est: vel naturæ langor, cum materiæ crassitie, & viarum in parte laborante ad subitam & sensibilem excretionem ferendam ineptitudine; vel naturæ vigor, cum materiæ morbificæ paucitate, & laxo corporis ægrotantis habitu.

Recidiuarum in morbis quatuor causas numerat Hippocrates:[i] scilicet si morbi seu potiùs morbi causæ prærumpant proprio orgasmo concitatæ: aut priùs excernantur, naturâ, copiâ, vel acritudine humorum ante coctionem irritatâ, aut intùs relinquantur per imperfectam crisim; aut à temporibus ipsis vigentibus, vitium humorum renouetur. In aphorismis autem duarum tantum meminit: prima habetur libro quarto aphorismorum dum inquit,[k] febricitantem nisi diebus imparibus (vel vt legit Galenus,[l] iudicatoriis) febris reliquerit, solet recidiuare. Nec solùm nisi in indicatoriis reliquerit: sed etiam nisi priùs indicata fuerit solutio, recidiuam sequi docuit Galenus.[m] Si quibus febris, inquiens, desinit non cum indiciis solutoriis neque in diebus decretoriis, recidiuam expectare oportet. Siquidem his quæ non ex ratione leuant, fidere non oportet.[n] Ideoque morbi qui in primâ tempestate apud Hippocratem descripta 1. Epidemiωn,[o] erraticè & citra iudicationem deserebant, plurimi non diu à febre repetebantur. Altera verò recidiuæ causa in aphorismis relata libro secundo[p] exprimitur; vbi quæ relinquuntur in morbis, ait, recidiuas facere consueuerunt. Quod alibi sæpiùs ab eodem[q] repetitum est. Inter has autem tam multiplices causas, duæ sunt principes. Vna veræ & legitimæ recidiuæ, quæ ferè est interrupta quædam continuatio prioris morbi: & à qua, vt aiebat Hippocrates,[r] ægrotantes iisdem circuitibus iudicari solent. Cuius id solùm causa est, quod in morbis relinquitur: atque id vnicum, Galenus sufficientem esse recidiuarum causam docuit.[s] Quæ enim relinquuntur in morbis: seu id sit residua in membris sensibilis intéperies; seu materiæ portio propter naturæ imbecillitatē, illiúsve inæqualitatē relicta: seu vtrumque: ideo recidiuas faciunt, quia à perseuerante intemperie consimili succo genito cum eo qui excretus est, reliquiis verò materiæ morbificæ per vlteriorem moram grauius vitium contrahentibus, atque eò magis si morbosa intemperies membris adhuc inhæreat, morbi facillimè renouantur. Quò refertur intempesta excretio & non indicata crisis, aut quæ die minimè iudicatorio aduenit. Tum enim cùm natura à materiæ copiâ aut acritudine ad excretionem ante perfectam coctionem irritata totam materiam morbificam excernere nequeat: prauorum humorum portionem, in morbi minera relinquit. Altera recidiuæ causa, sed spuriæ, scilicet aduentus alterius congeneris morbi priori succedentis: est perseuerans temporis morbosa constitutio. Quæ ex Hippocrate,[t] vt morbos parere nata est: ita & recidiuas aliquando facere, ac præsertim si æger in parem quàm antea rationis victûs errorem inciderit. Verùm vt in primâ illâ recidiuæ specie, à principio prioris morbi initium numerandi sumendum est: ita in hac secundâ, à solius posterioris insultus innouatione computandum.

i Lib. de humorib. sect. 3. tex. 11.
k Aphor 61.
l In comm. eiusdem aph.
m Comm. in lib. prognost. sect. 3. comm. tex. 22.
n Hippocrat. lib. 2 aph. 27.
o Sect. 1. tex. 54.
p Aphoris. 12.
q Lib. 2. epidem. sect. 3. & 4 necnon 6 eiusdem sect 2 tex. 22.
r Citat. lib. 1. epid. sect. 1. tex. 96.
s Comm. in recensitatum tex. lib. de humorib.
t Citato lib. de humorib.



Quid sit symptoma, & quotuplex.

Capvt VII.

QVI symptoma vt vnluocum vel definitum à Galeno existimant, vel sub vno conceptu definire cogitant illius homonimiam minimè attendentes: multas excitarunt cōtrouersias, quas facilè est dirimere multiplici huius vocis significatu explicato. Græcum ergo nomen est σύμπτωμα à συμπίπτω quod est simul nado, coneido, aut occido deductum: & casum vel accidens vulgò apud Græcos significat. Sub qua generali acceptione à Galeno vsurpatur, ᵃ cùm signa optimæ constitutionis ab his quæ secundùm essentiæ rationem insunt, ab his quæ ex necessitate consequuntur, atque à symptomatibus desumi ait. Item cùm ᵇ varia ennmerat symptomata quæ diuersas corporum alterationes sequuntur, seu hæ secundùm naturam, siue præter naturam se habeant. Nec non quando ᶜ symptomata quædam naturalia, quædam præter naturam esse dicit: non ad sententiam methodicorum vt voluit Fuchsius: ᵈ sed ex propria mente. Frequentiùs tamen Medici minùs vniuersalem illam significationem aspernati, significatum huius vocis, variè tamen contrahunt. Aliquando enim symptoma id omne appellatur, quod animali præter naturam accidit, seu quod in corpore præter naturam subsistit: vt cùm à Galeno ᵉ symptoma definitur, mutatio à naturali statu. Aliàs strictissimè vsurpatur, pro eo quod præter naturam adueniens morbum, tempore vel naturâ, vt explicat Montanus, ᶠ necessariò sequitur. Sic Galenus, ᵍ quæ constitutionem vnde actio nascitur necessariò sequuntur, sanis quidem accidentia ægrotantibus symptomata inquit, nuncupantur.

Et ʰ si quis alius ait, affectus in corpore morbum sequitur, is symptoma dumtaxat dicetur. Qui præterea, ⁱ proprium esse symptomatis scribit, morbū sequi. Vnde eos etiam affectus qui in qualitate mutata consistunt, solos symptomatum nomine dignatur, ᵏ qui à morbo nascentes simul cum morbo curantur & cessant. Quod symptomatum genos, vt à cæteris quæ diffusioris significatûs amplitudine continentur distinguatur, epigennema quasi superueniens vel supergenitum diei permittit. ˡ Quod ea vox non omne quod animali præter naturam aduenit significet, sed quod solos morbos necessariò sequitur. Quo sensu rectè dicitur, symptoma morbos sequi velut vmbra corpus. Atque sub hoc significatu Auicennas, ᵐ accidens est inquit, res quæ hanc sequitur dispositionem quæ est non naturalis, siue sit naturali contraria, sicut dolor in colica; siue non sit contraria, sicut rubedo multa maxillæ in peripneumonia.

Tandem omnium frequentissimè, & maximè vsitatâ Medicis significatione, Galeno authore, ⁿ symptoma & contractius significatum sibi assumens quàm in duabus prioribus acceptionibus, & latiùs quàm in tertia; significare solet id omne quod detractis tum morbis, tum eorum causis, humano corpori præter naturam accidi. Ita Galenus, ᵒ leuiores omnes illos affectus præter naturam aduenientes, qui solitas vniuscuiusque operationes nondum lædere consueuerunt, ad symptomata refert. In quo significatu, Galenum imitati, de symptomatis nobis propositum est agere.

Quibus explicatis, occurrit difficultas: num symptoma, à reliquis præter naturam affectibus ita distinguatur, vt vni eidémque symptomatis & morbi, aut symptomatis & causæ morbi denominatio simul conuenire nunquam possit, cui quæstioni fusissimè, sed confusissimè ab Aponensi, ᵖ atque ab aliis Latino-barbaris agitatæ: breuiter respondemus.

Primùm, vnum eundémque affectum diuersis tamen rationibus posse & symptoma esse, & morbi causam. Quod contra Fernelium ᑫ est; qui symptoma alterius symptomatis causam esse posse admittens, quando scilicet ex eodem morbo complura symptomata continuatâ serie defluunt: symptoma tamen neque morbum, neque proximam morbi causam esse vsquam deprehensum affirmat eorum interim immemor quæ paulo ante scripserat. ʳ Assertionis autem nostræ veritatem confirmat, quòd dolor licèt solutionis continui sit effectus & symptoma, causa tamē sit fluxionis atque hinc tumoris. ˢ Et nimia sanguinis vacuatio, per nates, mariscas, aut vterum; frigidæ intemperiei iecoris, ac totius corporis, causa immediata euadit. Eamdem vero sententiam Galeni doctrinæ consentire, patet ex 3. in primum prorrheticum, ᵗ vbi pranum autem est inquit, non vt signum tantū, verùm etiam vt causa symptoma huiusmodi. Tum, cùm ex accidenti tamen, ait; ᵗ symptomata quoque curandi rationem aliquando mutant: causæ scilicet locum eo tempore habentia. Apertissimè verò quando causa inquit, ᵘ simul & symptoma est transpirabilis excrementi retentio. Cui omninò Auicennam assentiri constabit illi qui quæ secunda fen libri primi ˣ scribuntur legerit. Secundò asserimus licèt aliquando id ipsum quod vnius morbi est symptoma, in alia parte, morbi aliquando rationem induat, vti adfinem capitis primi huius libri indicauimus: ratissimè tamen id euenire censemus, & nullum symptomatis genus quatenus tale, posse primò & per se actiones labefactare, sed alicuius alterius morbi interuentu,

a Lib. artis paruæ cap. 8.
b Lib. 1. method. cap 8.
c Lib. de optima secta cap. 26.
d Lib. 5. instit. sect. 1. c. 8.
e Lib. de symptomat. differ. cap 1.
f In 2. parte suæ Medicinæ ad finem cap. vniuersalis de symptomatib.
g Lib 1. method cap 9.
h Lib. 1. de differ. sympt. cap 1.
i Lib. 2 meth. cap 3.
k Lib 12. method cap 5
l Cit. cap. 1. de diff sympt.
m Lib. 1. fen 2. doct. 1 c 1.
n Citat lib. de different. sympt. cap 2. & de sympt. causis cap. 1.
o Lib. de constit. art. cap. 19. & lib. de differ. morbor. cap 12.
p Differentia 73. Conciliatoris.
q Lib 2. patholog. cap. 2.
r Lib. 1. pathol. ad finem cap 9.
s Gal. lib. 5. aphor. comm. aphor. 53.
t Com tex. 25
t Lib 12. method. cap. 1.
u Lib 11. method cap 15.
x Doctrina 1. cap. 1.

Ita illud ipsum quod verè morbus est, symptoma fieri posse negamus: licèt morbos morbis superuenientes, cum vniuersa Medicorum schola symptomaticos appellauerimus. Ac symptomatici quidē nuncupantur, quod symptomatum prioribus morbis supernascendi conditionem imitentur. Neque aliud voluisse Auicennam, [a] existimandum est, cùm febrem phthisi aduenientem accidens appellauit. Galenus enim apertissimè docuit,[a] interim morbos aliis superuenientes; vt erysipelata, ophthalmias, vlcera, parotidas, & similia quæ febribus superuenire consueuerunt symptomata appellari. Tam longè enim ab inuicem absunt horum rationes formales vt nullo modo concipi possit quod alicubi morbi rationem induit, illud ibidem symptoma esse. Nam vt notat Fernelius, [b] oporteret vnum & eumdem eiusdem membri affectum lædere & non lædere actionem; atque eumdem morbum, esse & non morbum, cùm acceptissima symptomatis denominatio morbum excludat, vt iam antea fuit explicatum, talia verò contradictionem implicantia, nullus est qui simul consistere posse admittat.

[a] Libr. fen. 1 doct. 2. cap. 1. a Lib. 12 method. cap. 1. b Cat. cap. 1. lib. 2 pathol.

Symptoma verò sub quarto illo & postremo significatu acceptum, in varia genera, pluresque species diuiditur. Cuius tria prima & summa genera sunt [c] actio læsa, excretorum retentorúmque vitium, & simplex corporis affectus, vt proximè ad Galenum loquitur Fernelius, [d] vel vt vulgò cæteri, qualitas mutata. Quam posteriorem loquendi rationem homonimiam omnem effugientem, damnat tamen Rodericus à Veiga: [e] quod sic tumor & multa alia sub nulla trium differentiarum symptomatum comprehenderentur. Sed fallitur hic, cùm nulla sit symptomatis species quæ ad prædicta genera non referatur.

Tumor enim si ad magnitudinem effatu dignam peruenerit, & actionibus sensibilem noxam inferat, morbus erit, non symptoma: sin verò tam paruus fuerit vt nulli vllius membri actiuni incommodet, quales sunt frequentes & minori vari, ad qualitatem tactilem mutatam vt infra docebimus referetur. Variæ enim sunt vniuscuiusque prædictorum generum species. Nam actio seu animalis illa sit, seu naturalis (sub qua vitalem complectitur aliquando Galenus [f]) seu vitalis etiam cui sua non desunt symptomata vt idem meminit Pergamenus [g] & quæcumque earum sit species, trifariam læsa intelligitur: abolita scilicet, imminuta, & deprauata. Abolitæ exemplum sit amentia, cæcitas, paralysis, asphixia, inappetentia, apepsia seu omnimoda cruditas, & similes. Imminutæ, mentis hebetudo, sensûs cuiusuis imbecillitas, tactûs stupor, ad motum torpor, tarda coctio seu βραδυπεψία, atque his pares, quæ vt plurimùm proprio nomine carentes circumloquendo explicantur. Deprauatio autem actionum, non vnius est rationis, sed multiplex. Nam licèt omnis actio ideo deprauata dicatur, [h] quòd aliter fiat quàm oporteret: ea tamen prauitas actioni multifariam coniungitur. Primò quidem, vitio in actionem ipsam cadente: quale in deliriis, visûs hallucinationibus, ciborum inquinatione, & similibus adnotatur. Tum actionis errore in modo productionis interueniente; vti in strabismo, & aurium tinnitu accidit.

c Gal. lib. de differ. sympt. cap. 2. lib. 12 method. cap. 1. lib. de constitut. artis cap. 15. Auicenn. tract. 2. canticorum & cæteri. d Citat lib. 2. pathol. cap. 2. e Comm. in cap. 75. artis paruæ. f Lib. de sym. diff. cap. 3. g Lib. de constit. artis c. 10. h Gal. lib. 2. de sympt. caus. cap. 9 & 3. eiusdem cap. 8.

Tertiò organi læsione actionem concomitante, ita vt actio quæ solet esse perfectiua, si non per se saltem per accidens, euadat corruptiua: cuius ordinis est dolor. Demum facultate in operando modum naturæ consuetum non seruante, sed ob irritationem tam ab innata, aut acquisititia intemperie vti in fame canina & immodico vehementi coeundi desiderio quàm à copia aut acrimonia materiæ morbificæ, [i] seu ob corruptionem oppositæ facultatis, vt fit in contractione nimia eius musculi qui alteri paralysim patienti opponitur.

i Lib. de sym. diff. cap. 4.

Eorum quæ excernuntur vitium, vel est in re ipsa quæ excernitur, vel in via seu parte per quam fit excretio, vel ab ipsa excretionis causa pendet. Rei excretæ vitium, in eo consistit: quòd vt habet Galenus, [k] ea, vel totâ substantiâ, vel qualitate, vel quantitate à naturali statu sit egressa. Totâ quidem substantiâ quod excernitur bifariam peccat: vel quia id excernatur, quod maximè naturæ amicum nullatenus euacuari deberet; vt sanguis per hæmorrhagiam, pinguedo per colliquationem & tunicarum ramenta seu ephelcides in intestinorum, vesicæ, atque aliarum partium vlceribus. Vel quia quidpiam excernatur, quod ab his quæ intra nos secundùm naturam generantur planè sit alienum nullique eorum analogum: qualia sunt pus, lumbrici, arenulæ, & similia, quæ à Galeno, toto genere præter naturam esse dicuntur. Qualitate à naturali statu egressa ea dicuntur, quæ naturalem qualitatem sibi naturæque animalis conuenientem non seruant. Vt si meraca sint excrementa; vel bilis quæ secundùm naturam pallida est, vitellina, æruginosa, aut atra euaserit: vel pituita, pro insipida, dulcis, acida, salsaué sit genita: aut sanguis pro laudato putris sit factus. Sub quo capite reductiuè comprehendi potest, & mollis illa caro quæ in vlceribus plerumque superfluit, & fungus qui non solùm in vulneribus capitis fracto cranio generatur, sed in aliis etiam vlceratis partibus vt testatum est à Fabricio Hildano [l] accrescit. Quantitate demum peccant, quæ copiosiùs etiam aut frequentiùs quàm cuiusque naturæ par est à corpore excernuntur.

k Lib. de differ. morb. c. 8. l Centur. 2. obseruat. chirurgicarum obseru. 30.

Excretorum vitium in via, In eo consistit, quòd vel excretio fiat per eam viam quæ in quacumque status salubris constitutione est inconsueta naturæ: vt quando in fœminis sanguis aliunde quàm per

vterum vacuatur, aut in viris aliunde quàm per mariscas. Vel quod in morbis vacuatio etiam à natura instituta κατ' ἴξιν seu secundùm rectitudinem non fiat. Solet enim natura dum iudicatorias molitur excretiones viarum rectitudinem obseruare. Atque vt Galenus docuit [m] quibuscumque κατ' ἴξιν eruptio sanguinis accidit summum id commodum laborantibus affert: quibus verò contra euenit, nihil iuuat, aut etiam interdum nocet, quòd vires citra morbi leuamen deiiciat atque exoluat. Causa tandem excretionem faciens, eam vel symptomaticam reddit, vel à symptomatis appellatione excludit.

Ea enim excretio quæ fit cum virtutis robore & prouidentia de animalis salute, licet multò amplior quàm pro naturæ modo secundùm ea quæ sanis accidunt videatur: vel per quam id excernitur quod toto genere præter naturam est, modò quod contristat tempestiuè expellatur, symptomatica minimè dicetur, vt fusè simul & clarè docuit Galenus ad finem libri de differentiis symptomatum. Si verò nec tempestiua sit excretio, nec cum naturæ vtili prouidentia fiat: sed facultate irritatà aut languente, inter symptomata erit annumeranda.

Quæ retinentur autem non tot modis; sed tantùm vel totâ substantiâ, vel qualitate, vel quantitate peccant. Totâ substantiâ quidem, quæ planè sunt à natura aliena: vt calculi, lumbrici, pus & huiusmodi. Qualitate verò quæ ex quacumque alteratione vitium contraxerunt: vt malè concocta alimenta, & humores vel plurimùm à natura degeneres, vel putrefacti. Quantitate demum peccant, quæ maiori copia, aut in longius tempus quàm expediret retinentur: vt qualiacumque excrementa cuiusuis coctionis, si omninò non euacuentur, vel minori copiâ tardiusvè quàm expediret excernantur.

Qualitas tandem mutata, vel visibilis est quales sunt colores varij, vel ad auditum pertinet, vt voces clangosæ, blæsæ, tremulæ: & soni varij intra nos excitati, cuiusmodi sunt tinnitus, rugitus, crepitus, stridores, stertores, ac similes. Vel est olfactilis, vt foetor anhelitûs, aut grauis odor ab alis, totovè habitu manans; vel etiam gustatilis, vt sudoris amaror, salsedo, ingratusvè alius sapor, aut talis quispiam in sputo, sanguine per os reiecto, aut his quæ euomuntur ab ægro animaduersus. Itémque linguæ ac palato inhærens amaror, aciditas, aut salsedo. Vel tandem ea tactilis est; seu ex primarum sit numero in his quæ à corpore exhalant, aut in ipsis externis partibus citra intemperiem membro hærentem percepta: seu alterius ordinis tactilium, cui ascribuntur mollities, duritics, laxitas, tensio, seu ariditas: læuitas, asperitas, & similes. Atque ita intelligetur quomodo leuis tumor nondum actioni officiens & similia sub hoc genere symptomatum contineantur, contra quàm Roderico à Veiga [n] videbatur.

Atque hæc est generalis symptomatum distinctio, omnes omnium symptomatum differentias complexa.

Neque obstat quibusdam nouatoribus visum esse, immodicum somnum aut vigiliam, oscitationem, pandiculationem, sternutationem, singultum, tussim, ipsúmque dolorem, non posse sub prædictis symptomatum generibus contineri. Hi enim perperàm multa efferentes, nihil probant. Nullus enim excogitari potest affectus, homini præter naturam adueniens, à morbo & morbi causa distinctus: qui ad prædictarum differentiarum aliquam non referatur. Egregia enim illa duo sopor & peruigilium, actiones sunt deprauatæ: facultate in operando, aut quiescendo ab opere, modum non seruante. Quæ Galenus, [o] ait, circa primum sensorium quod omnium sensuum est commune consistere: in illo nimiùm eo quiescente, & in longius tempus non obitâ actione: in hoc verò, vltra modum eodem operante. Oscitatio, pandiculatio atque his similes affectus, eiusdem planè sunt generis: quæ Galenus, [p] pro communi genere, motum habere illegitimum scribit; & actione facultatis excretricis deprauatâ aduenire. [q] Color tandem ad deprauatam actionem sensûs tactûs pertinet: quem Galenus, [r] vbi ex professo de dolore, dolorumque differentiis & causis agit, tristem sensum esse ait. Verùm in doloris naturâ perquirendâ, eiusque proprio genere inuestigando paulisper hæreamus.

Plurimi enim dolorem negant esse symptoma, quòd is potiùs inter obiecta tactûs numeretur, quàm ipsius actio dicatur: vt ex Hippocrate colligitur in aphorismis. [s] Alij dolorem ad appetitum, non autem ad tactum pertinere contendunt: vt placuit D. Thomæ. [t] Nonnulli quidpiam esse autumant quod sensationem consequatur, vt visum est Fernelio. [u] Ac demum Argenterius, [x] dolorem nec tactûs esse actionem, neque vllo modo deprauatam sensationem dici posse, probare conatur. Verùm vt in tanta sententiarum varietate quid cum ratione sentiendum videatur explicemus. Supponendum est primò, doloris essentiam non in vna & indiuisibili quapiam ratione consistere, sed ad dolorem tria concurrere, scilicet offensam sentienti organo impressam, sensum offensæ, & tristitiam eidem sensationi succedentem.

Quæ omnia rectè complexus est Galenus, cum dolorem tristem sensationem definiuit. Eorum autem

m Lib. de curandi ratione per sanguin. missionem c. 15.

n In cap. 75. artis paruæ.

o Lib. de symptom. differ. cap. 3.

p Lib. 2. de sympt. causis. cap. 2.

q Idem cap. 6 eiusdem libri.

r Lib. 2. de locis affectis cap. 2.

s Lib. 2. aph. 6.

t 1. 2. q. 35. art. 1. in cor. ex D. August. 14. de Ciuit. Dei cap. 8.

u Lib. 2. pathol. cap. 6.

x Lib. de gener. & differ. sympt. cap. 2.

autem illud prius,fcilicet offenfa membro fentienti ab occurrente obiecto affatim impreffa, eft quafi materiale doloris. Reliqua verò,fcilicet appetitûs auerfio à comprehenfo malo præfenti fenfato,eiufdem eft velut formale. Hoc autem vtrumque ad doloris rationem complendam neceffariò concurrere,præterquam perceptio ipfa doloris id manifeftat, facilè confirmatur. Senfationem quidem requiri,id probat, quod nunquam fine fenfu doleamus. Imo quòd præfente doloris causâ, fi anima aliò occupata,& ab externa fenfatione auerfa, inflictam noxam non deprehendamus, nec doleamus quidem:vt habetur in aphorifmis.[y] Quicumque dolentes parte aliquâ corporis dolorem non fentiunt,his mens ægrotat. Dolentes inquam,non ob repræfentatum dolorem fub ratione externi obiecti,cuius præcedens aut natura aut fubiectum exprimi non poffet : fed quòd habeant in fe caufam dolendi,vt rectè explicat Galenus. Qui fi dolorem non fentiant, non aduertendo nec fentiendo offenfam fibi impreffam : his mens ægrotat,deliriis occupata, vel faltem, ea extafim patitur. Senfationi autem triftitiam aduerfus doloris complementum coniungi, tam euidens eft,vt probatione ne ipfum quidem indigeat. y Citat. aph. 6. lib. 2.

Tum enim folùm dolemus,cùm ab eo quod fentimus offenfi, & appetitu offenfam vt præfens malum auerfante,triftamur. Quod clarè explicatum eft ab Ariftotele,[z] cùm inquit,& delectari & dolere eft agere fentiente medietate ad bonum aut malum,quatenus talia. Idémque fubindicauit, cum aliàs[a] ait,vbi fenfus eft,& dolor & voluptas confequitur. Hinc cordata illa Arria timidi Poëti coniux apud Martialem. z Lib. 7. de anima text. 29. a Lib. 2. de anima text. 20.

Si qua fides,vulnus quod feci non dolet,inquit,
Sed quod tu facies,hoc mihi, Poete,dolet

Illa duo verò,fenfationem offenfæ,& triftitiam,non vnius effe facultatis fimplicem actum, fed duos diftinctarum facultatum fubordinatos actus : ex eo facillimè probatur, quòd ab his obiectis pendeant, quæ non fpecie folùm,fed genere diftinguntur. Senfationis enim obiectum,fub veri aut falfi ratione:triftitiæ verò fub ratione præfentis mali repræfentatur.

Secundò aduertendum eft,Medicos minimè folere rerum effentias rationéfque formales acutiùs inquirere:fed in his hærere magis,quæ fenfibus patent, atque ad opus medicum conducunt. Vnde cùm doloris naturam examinant,paruam habent rationem affectûs in appetitu confequentis: fed folam affectionem confiderant corpori aduenientem,cui,fi quando expediat,medicatione profpiciunt. De eorum enim numero funt qui (vt alij apud Ariftotelem,[b] de voluptate dolori contraria fentiebant) exiftimant dolorem idem effe cum fenfûs functione, quòd ab hac non feparetur.

Tandem ex Galeno[c] fupponimus, caufam proximam & immediatam doloris effe folutionem continui. b Lib 10. ethi cor. cap. 5. c Lib de inæquali intemperi. cap. 6. atque alibi.

Quibus præmiffis,apertè colligitur,dolorem verè effe fymptoma de genere actionis læfæ: illudque ad fenfationem tactûs deprauatam pertinere.

Symptoma dicitur: quia cùm fit affectus præter naturam,nec morbus eft, nec neceffariò caufa morbi:imo ad morbum fequitur,fcilicet ad folutionem continui. Senfationem effe palam eft, aut faltem à fenfatione initium capere. Quam deprauatam appellamus : quia vt habet à Veiga,[d] eft perceptio obiecti organum perdentis:& quia licèt fenfus tunc fuum actum deprauatè non eliciat, deprauetur tamen quod fentit,ac fentiendo quidem. Vnde Cicero,[e] dolor eft inquit afper motus in corpore à fenfibus alienus. Eamdem demum tactui tribuimus, quamuis in fingulis aliorum fenfuum organis dolores à propriis obiectis excitentur:quod eis dolor non accidat,nifi in quantum tactum habent coniunctum,atque vt à Galeno fusè eft explicatum,[f] illorum obiecta per accidens continuum foluere nata funt. d In cap. 75. artis paruæ. e Lib. 3. tufculan. quæft. f Lib. 1. de fympt. caufis. cap. 8.

De generalibus fymptomatum caufis.

Capvt VIII.

VT præcedenti capite fymptomatum differentias per genera tantùm fumus perfequuti, nec diuidendò ab infimas ufque fpecies fumus progreffi : ita vt hoc capite non omnes omnium fymptomatum fed enumeratarum tantùm vniuerfalium differentiarum caufas inueftigare decernimus:commodiùs enim fpeciatim fymptomatum caufas figillatim tum explicabimus.cùm in particularis praxeos tractatione de fingulis morborum fpeciebus totum & partes occupantibus agentes,de eorumdem cognitione,& curatione fimul tractabimus. Primum ergo & princeps fymptomatum genus fcilicet actio læfa,vniuerfim vel naturalis impotentiæ eft fequax, quando alicuius externi erroris occafione offenditur:vel vitiatâ falubri conftitutione producitur. A morbo quidem,fi fenfibilis fit læfio : à neutra autem conftitutione,fi eadem minùs fit manifefta. Quod vltimum

mum insinuatum à Galeno passim [a] legitur. Ipsam verò sensibilem actionis læsionem, non à causis morbificis, sed à morbo solùm immediatè fieri censemus; contra quàm Capiuaccio [b] probatur quòd vt suprà [c] docuimus, etsi aliquando appareat actiones proximè à causis morbificis lædi, semper tamen medius aliquis intercedit affectus, qui cùm morbus sit actionem proximè lædat, vt cùm quæpiam fit inconsueta exercitio, acri aliquâ & mordente materiâ facultatem irritante: non ea materia acris aliter facultatem mouet, quàm partem cui adhæret diuellendo, eiusque continuitatem soluendo. In exemplo autem Capiuaccij quando imperfectior fit chylificatio ob copiosiorem cibum in ventriculum ingestum: non per se & effectiuè à copiosiore illo cibo læsam coctionē agnoscimus; sed per accidens tantùm, quatenus per naturalem ventriculi impotentiam cibus huiusmodi confici non potuit. Verùm ad causas functionis læsæ explicādas propiùs accedentes: cùm ad quamcumque actionem in nobis producendam, facultas organum, & obiectum concurrant: quoduis horum fit in vitio idipsum apparentis læsionis causam esse censendum est. Vt exemplo læsæ digestionis alimenti à ventriculo in iecur & inde in corpus reliquum, nec non expulsionis excrementorum vitiatæ docet Galenus libro 3. de symptomatum causis. [d] Facultas autem in se radicaliter spectata, non potest esse in vitio: cùm ea in se intensionis aut remissionis susceptiua minimè videatur. Sed vitium quod facultati tribuitur, in peruersa & vitiata temperie consistit: hæc enim princeps est & proximum facultatis in vnoquoque organo instrumentum. In quo Galenus essentiam ipsam facultatis constituit: dum essentiam facultatum nihil esse præter qualitatem temperamenti, & essentiam facultatum singularum partium, in singularum illatum commodo temperamento positam esse profitetur, [e] & membrum quodcumque tum demum ait, suum munus obire strenuè, vbi sic temperatissimum scilicet ad iustitiam: contra malè fungi si intemperatum sit, atque hactenus malè quatenus sit intemperatum. Paruæ enim intemperies, actioni paruam noxam afferunt, [f] quæ si maiores sint, actioni ad proportionem nocent. Omninò verò intemperies virtutem reddunt debilem: [g] Quæ si plurimùm à naturali statu recesserint, omninò actionem tollunt; sin verò minùs inde absint, eamdem vel imminutam, vel deprauatam reddunt. Atque illius quidem diminutæ vt plurimùm sunt causæ, si ea qualitas quæ vt cuique facultati competit, in temperie prædominium seruat, commodam temperaturam remissione sit egressa: vt si contrà eadem debitam craseos constitutionem excessu superet, deprauationis actionis solet esse causa. Quæ omnia vno hoc exemplo facilè explicantur. Concoctrix ea vis quæ ventriculo insita est, cùm eam nanciscitur temperaturam quæ in vno quoque benè temperato ex Galeno, [h] proprietatem constituit corporis ventriculi, commodo & sibi conuenienti vsa instrumento in quo plurimam vim habet calidum elementum, integras, perfectasque producit actiones.

Si verò ea temperies à debita illa commensuratione hinc aut inde recedat, læsio coctionibus aduenit. Ac si imbecillus quidem & infirmus sit calor, diminuta coctio succedit, per quam cibus ad requisitam mutationem perduci non potest. Vel si ad eam remissionem peruenerit, vt assumpta ne immutare quidem valeat; apepsia sequitur, quam Latini cruditatem appellant: estque abolita actio, cui læuitas intestinorum ex eodem Galeno, [i] aliquando superuenit Si verò contra idem ventriculi calor immoderatus euadat & igneus, coctionis deprauatio consequitur, cibis per assationem, vt idem aduertit Galenus, [k] nidorem contrahentibus. Organum præter intemperiem similaribus aduenientem & ad facultatem relatam, in multiplicia vitia incidit: à quibus cùm ineptum reddatur ad commodè facultati inseruiendum, actionis ex inde multiplex læsio subsequitur. Defectus autem organis aduenientes sunt, vel vnitatis solutio, vel instrumentales morbi: quales sunt tumores varij, situs peruersiones, meatuum obstructiones & similes. Ex quibus organum vel planè ineptum redditur ad operandum vel imbecilliter aut peruersè agit. Ita ex transuersa musculorum sectione, eius quem obibant motûs abolitio procedit. Ventriculus verò ob tumores sibi adnatos, cum ex Galeno [l] cibos amplecti non possit, eosdem imperfectiùs concoquit. At ex peruerso humoris crystallini situ, strabismus deprauatur visionis generatur. Obstructo prætereà neruo olfactorio, vel difficilis redditur olfactus, vel pro miore aut maiore obstructione omnino deperit. Et à dimidiata aut integra eorum neruorum obstructione qui in partem quampiam spiritum animalem deuehunt eiusdem partis sensus imminuitur aut aboletur.

Obiectum tandem, seu id dicatur quod facultati animali obijcitur, seu materia circa quam facultas naturalis occupatur: varijs modis actionibus ne perfectæ edantur obest. Sensuum enim obiecta si aut sui ipsorum, aut medij vitio aliter quàm oportet & oblæsè offerantur, deprauatarum sensationum causæ esse consueuerunt Sic excellens quoduis sensile dum facultati obijcitur organo noxam imprimens, doloris & deprauatæ sensationis est causa. Nec non species baculi in aquam ex parte immersi, visui deprauatè obiecta, deprauatam visionem causat. Et deprauatæ imaginationis phantasma, intellectum in errorem ducit.

[a] Lib. de constit. artis cap. 19. lib. artis paruæ cap. 8 & lib. de san. tuend. cap. 1.
[b] lib. 1. prax. cap. 1.
[c] Cap. 1.
[d] Cap. 2. aliquantò post principium.
[e] Lib. 1. de praesag. ex puls. cap. 4. & lib. 2. cap. 8.
[f] Gal. lib. 1. de sympt. caus. cap. 2.
[g] Idem lib. 1. de symp. caus. citat. cap. 2.
[h] Lib. 3. de sympt. caus. cap. 1.
[i] Comm. in aphor. 3. lib. 6.
[k] Lib. 2. de temper. cap. 6. & comm. 4. in 6 epidem. com. tex. 25.
[l] Lib. 3. de sympt. causis cap. 1.

Materia verò circa quam facultates naturales occupantur, non deprauationis solùm naturalium functionum: sed imminutionis etiam, imo & interceptionis integræ plerumque est causa. Ita propter immodicam cibi aut potûs ingestam copiam; vel propter eorumdem qualitatem naturæ ingratam; vel propter intempestiuam comestionem aut potum, vel non obseruatum ordinem in assumendis; aut ob vitiosum excrementum ingestis alimentis permixtum: in ventriculo vel non fit concoctio, vel eam imminutam aut deprauatam esse contingit, [m] copia item excrementorum expultricem obruit aliquando, quorum viscíditas & crassities, eiusdem actionem imminuit, & aëris ac pungens excernendorum qualitas illam ad immodicam actionem irritat.

m Gal. 3. de sympt. caus. cap. 1.

Quibus omninò modis cùm actiones lædantur in nobis; quomodo particulatim singulæ offendantur, quando de morbis in particulari agemus, Deo annuente, explicabimus. Sed aduersus ea quæ de læsione ex vitio oblecti nascente, diximus, obijeitur Galenus [n] scribens tum actionem lædi, quando pars qua editur, est læsa. Et [o] cum actione læsa, proprium actionis instrumentum necessariò affici. Quibus respondemus, Galenum de illis actionum læsionibus loqui quæ medicam operam requirunt, & ab intra fiunt. Tales autem omnes non sine proprij instrumenti offensa contingunt. Nos autem hîc causas cuiuscumque læsionis actionum inquirentes, etiam ab extra propter obiecti aut medij vitium aduenientes, & naturalem organorum impotentiam consequentes, etsi medico consilio emendari non indigeant percurrimus. Secundum symptomatum genus erat excretorum vitium, seu id in substantiâ, quantitate, qualitatéque eorum quæ excernuntur: seu id ipsum in excretione ipsa vel suppressa, vel modum non seruante, vel à decenti & assuetâ naturæ viâ deerrante aduertatur. In quorum causis explicandis, nõ est quòd diutiùs immoremur; eædem enim sunt enim his quæ functiones naturales, seu in principe organo membrísque ei officium præstantibus, seu alijs quibuscumque offendunt. Vbi namque primùm actiones peruerterint, consequenter etiam opera ipsa vitiant earum partium in quibus est læsio. Cæterum vt iuniores & minùs in arte exercitati, ad singularum causarum notitiam faciliùs perueniant: recurrant oportet tum ad ea quæ de humoribus agentes [p] docuimus, vbi causas vitiorum quæ succis tum in qualitate tum in quantitate accidunt explicuimus: tum ad eam partem praxeos, [q] in qua de plethora tractantes, multa ad hanc tractationem necessaria comprehendemus. Causas autem eorum quæ toto genere præter naturam vel retinentur vel excernuntur, causasque multiplicium fluxionum & vitiosarum quarumcumque excretionum: de morbis in particulari agentes, Deo auspice, suis locis persequemur.

n Lib. 1. de loc. affect. c. 8.
o Lib. 2 eiusdem operis cap. 9.
p Lib. 3 tract. 1.
q Tract. 1. praxeos, lib. 5. cap. 1 & 2.

Tertium tandem symptomatum genus est qualitas mutata. Cuius variæ vt diximus sunt species: quarum singulatim vniuersales exprimendæ sunt causæ. Ac color quidem seu partium seu totius, vel ab externi aëris euariante temperatura; vel à diuersa natura humorum qui intra nos geniti in cutem effunduntur; vel ab eorumdem vario à centro, & ad centrum motu, multifariam præter naturam immutatur. Aër enim prout calidior est aut frigidior, & solis radios magis aut minùs refractos excipit, tam variè cutem quàm proximè attingit, inficit: vt qui non solùm sub diuersis climatibus degunt, coloris varietate discernantur: sed qui eamdem regionem incolunt, prout aëri atque æstiuo maximè lubentiùs se exponunt, colore plurimùm ab aliis differant. Succorum autem in nobis abundantium ratione, colorem etiam in cute foras apparentem mutari; seu hi à naturali specie recesserint, seu ijdem conuenientem naturæ modum sequantur ex Hippocrate [r] & Galeno [s] discimus. Apud quos sæpè legitur, colorem in cute, similem humoribus efflorescere: nisi tamen horum ad interna quædam reuocatio fiat. Etenim vt succi in vasis contenti & massam sanguinis complectentes, in singulas partes transmittuntur, ad earumdem alimoniam: ita necessum est pro illorum conditione partes affici, & colorem eorumdem imitari. Seu ex parte eius substantiæ quæ verè in alimentum conuertitur, quæ licet euicta, reagendo tamen, parti altæ sui vestigium imprimit. Seu ex parte inutilium reliquiarum, quæ quamuis in excrementum secedant, in membro tamen plerũque moram contrahendo, illud prout sua cuiusque conditio fert inficiunt; vt in alpho & vitiligine euidenter apparet. Humorum verò superabundantium à centro ad circumferentiam motus, multiplex adnotatur. Is enim vel per symptomaticam aut criticam effusionem in cutem accidit: vt in vtroque ictero, in anasarca & succorum variis ebullitionibus contingit. Vel per animi pathemata, qualia sunt gaudium, verecundia, & ira: nec non per exercitia, & æstus tam à febre, quàm aliunde excitatos. Atque per hos omnes casus, color humori per cutem effuso similis efflorescit. Qui si constans sit & perseuerans, verè est index succi in corpore superabundantis. Si verò fugax fuerit & breui cessans, prout intensior aut remissior est, aut vehementiam passionis animi & exercitij indicat, aut quàm faciles difficilesvè sint ad motum humores intùs conclusi, significat.

r Lib. de humorib. in principio & lib. 6 epidem. sect. 4. ad finem.
s Lib. 1. aph. comm. aphor. 2. & lib. 3. de symptom. caus. cap. 5.

Contra humorum à circumferentia ad centrum cõuersio, cutem natiuo suo calori, atque illi quem ab omni internarum partium influxu destituta haberet, restituit: qui humorum intùs latentium naturam, nisi à longo iam tempore vigentium minimè manifestat. Humorum autem huiusmodi

ad intra reuocationem aut impulsionem Galeno ipso indicante [t] aduertere licet, per frigidiorem aëris nos ambientis temperaturam, per febrium rigores, in timore, vehementi tristitia, & incipiente pudore: nec non in internarum partium inflammationibus, & lipyriis febribus. Solet demum cutis color pigmentis & fucis immutari. At quia hic color arte conciliatur, neque hæret cuti, sed apposito pigmento; neque corporis affectus est, aut eiusdem affectuum vllum symptoma: non est nostræ hoc in loco considerationis.

[t] Lib. 4. de sanit. tuend. cap. 4.

Voci quæ præter naturam accidunt vitia, prodeunt ab instrumentorum vocalium, pulmonum scilicet tracheæ arteriæ, laryngis, neruorum recurrentium, glottidis, aut gargareonis, nariúmque ipsarum affectibus: seu hi in intemperie, mala conformatione, aut in continui solutione consistant. Asperæ enim arteriæ siccitas ex Galeno [u] vocem clangosam facit. Quam raucam reddit vuulæ erosio, laryngis, aut musculorum illum mouentium nimia ab humore à cerebro defluente irrigatio, & asperæ arteriæ vlcus, aut aliunde nata inæqualitas. Tremulam verò seu querulam & plorabundam (ab ægris, non autem à pauidis & timentibus emanantem) facit, vt apud eumdem Pergamenum est, [x] intensior vocificorum organorum siccitas. Imo iuxta Hollerium, [y] ea conuulsionem musculorum qui inspirationi inseruiunt sequitur. Locutionis verò, seu humanæ & articulatæ vocis peccata, oriuntur a vitiis linguæ præsertim, & neruorum qui illius musculis inseruntur; tum etiam palati, labiorum & dentium. Sic blæsam facit Galeno [z] authore musculorum linguæ imbecillitas humidiorem intemperiem consequens. Sonos autem alios multiformes in nobis excitant, vel vapores per diuersas corporis cauitates variè discurrentes & ad occurrentia quædam collisi, borborygmos, rugitus, aut trismos inferentes. Vel flatus crassi vndequaque foras violenter emissi cum elisione ad quidpiam solidum facta qui prout hinc vel inde copiosiores aut pauciores, cumque maiore aut minore impetu erumpunt, crepitus, ructus, singultus aut sternutationes causant. Vel tandem dura corpora inter se vehementiùs collisa: vt dentes, & ossa nonnunquam in articulis stridorem faciunt.

[u] Comm. 1. in lib. 2. prorrhet. comm. tex. 19.
[x] Comm. 2. in lib. 1. prorrhetic. com. tex. 12.
[y] 1. in Lib. ... com. tex. 14.
[z] Comm. 2. in lib. 1. epid. com. tex. 38.

Fœtores vndequaque manantes causat aut fieri putredo in succis aut membris etiam ipsis à quibus exspirat fœdus ille vapor: aut vt notat Galenus, [a] vitiosa ciborum crassorúmque excrementorum concoctio.

[a] Comm. in aphor. 26. lib. 3.

At succorum sapores peruertit non naturalis illis aduenìens alteratio, multiplexuè permixtio: vt libro de humoribus [b] à nobis demonstratum est. Palato verò & linguæ hærentes, causat succus ipse per palati & linguæ substantiam seu spongiosum corpus effusus.

[b] Tract. 1. lib. 8.

Tactiles demum primas nondum eousque in subiecto impressas vt actionem aliquam lædant variè peruertunt, vaporum, spirituum, succorumve ad extra vel intra motus, per exercitia, aëris ambientis constitutionem, animi affectus, & retentorum excrementorum quascumque effumationes. Aliâs verò à primis, euariant, vel inductæ corpori aut membris primarum intemperies, vel variæ pororum, aliorumvè manifestorum meatuum obstructiones, partiumque infartus multiplices quos hic aut ille humor causet.



De

De iudicijs morborum.
LIBER SECVNDVS.

NON vniuersalem solùm & physicam morborum notionem Medicum habere æquum est: sed eumdem quibus notis varia genera affectuum homines infestantium discernantur, qualemque exitum singula sint habitura nosce oportet. Cognoscere quidem præsentes, ita est ad medendum necessarium, vt ignoto eo quod curandum sit, nec curare idipsum nisi casu & fortuna valeamus. Imo particulari morborum naturâ & ratione incognitâ, necessum planè est curationem aggressum in deligendis remediis cæcutire; & in polydædala auxiliorum silua nescire, cur hoc potiùs quàm illud vsurpet, atque id ipsum alteri in medendo præferat. †Ea enim curationis rectè instituendæ vera est basis, vt quales quique sint morbi, quibus insint locis, quibusque ex causis ortum ducant exquisitè cognoscatur. Futurorum autem prænotio, & ad curandum maximi est emolumenti, & in Medici honorem ac gloriam cedit. Vtilitas quidem primùm inde emergit maxima, quòd præuisis imminentibus morbis, eisdem occurrere satius indicetur, quàm præsentibus subuenire. Nam vt à Q. Sereno scriptum est.

† Gal. lib. 10. meth. cap. 6. vbique igitur vt semper dicere soleo curatio dignotionem prænotionemque consequitur. Siquidem vt dignoscas quod præsens est & prægnoscas quod ex eo futurum est oportet qui volet notabilis efficacia remedia vti.

Cura magis prodest venturis obuia morbis.

Sed eorum etiam qui iam infesti sunt, seriem progressus, ipsumque euentum prænoscere vtilissimum est: inde enim & ad formam victûs pro ratione ægris præscribendam, cæteraque appositè ministrando instruimur; & labores per incrementa morborum euenturos eum remissionis spe prænunciantes, eosdem decumbentibus faciliores reddimus. Ac si quando, præ grauitate morbi non liceat ægrotantibus sanitatem restituere: saltem eum qui sequitur prædicentes interitum, nos à vulgi aliorumque Medicorum frequentibus calumniis & probris vindicabimus, internecionis crimine vacantes. Ac prætereà quantumuis funestis ægri rebus is accedet fructus, quòd astantes de periculo ægrotantis instructi possint illum pronocare ad colligendam mentē, vt eum Deo Opt. Max. in gratiam redeat, & rei familiari tempestiuè prospiciat. Eum verò honorem gloriamque exinde Medici consequuntur, vt vulgarem hominum sapientiam & scientiam futurorum prænotione excedentes, diuinâ quadam mente præditi iudicentur. Præterea non futura solùm coram ægris prædicentes: sed recensentes etiam præterita & præsentia quæ infirmi proprios affectus referentes omittunt: credūtur ægrorum res meliùs agnoscere: eisque maior habetur fides, & quibus imperantibus obsequium vltrò præstatur, vti Diuus ille Senex monuit primo progn. tex. secundo, nec mirandum est omnem artificiosam præteritorum, præsentium, ac futurorum cognitionem ab Hippocrate communi voce appellari πρόγνωσιν: cùm eruditi Medici cognitio plerumque ægrorum relationem præueniat, præterita aut præsentia referendo. Veruntamen propriùs singula distinguendo, præsentium agnitio διάγνωσις dicitur futurorum præsensio seu prænotio, πρόγνωσις quam & πρόνοιαν dixit Diuus Senex in procemio libri prognosticon. Quæ tamen ita inter se differunt, vt πρόγνωσις in sola prænotione consistat: prouidentia verò ad ea etiam prospiciat quæ ad id quod præuisum est consequendū aut fugiendum inseruiunt. Futurorum demum prædictio πρόῤῥησις appellatur, hæc tamen tria πρόγνωσιν, πρόνοιαν, & πρόῤῥησιν sæpè inter se confunduntur: quòd quæ nouerimus efferre soleamus, atque eisdem pro ratione prouidere. Tandem præteritorum recensio rememoratio nuncupatur, quam ὑπόμνησιν dicere possumus. Harum autem vocum, nullam ad huius libri inscriptionem vsurpauimus: quòd cùm vniuersalem artem apparētium discretricem, & futurorum præsagam hoc vno libro docere statuerimus; vt omnem vocum vitaremus ambagem, satius visum est illum de iudiciis morborum scribere. Iudicium enim est recta intellectûs de quocumque determinatio: vel attributio eorum quæ rebus singulis pro cuiusque natura conueniunt, & discrepantium dissidentiūq; negatio, seu illa sit præsentium seu futurorum. Ad quam fructuosissimam artis partem (& quâ vulgus in maximam Medicorum trahitur admirationem) discēdam excitare nos cupiens Hippocrates principio προγνωστικῶν Medicū vti prouidentia sibi videri optimum esse scribit, & celebre hoc præceptū primo epidemion libro instituit, præterita discito, præsentia cognoscito, prædicito futura, hæc meditator. Quæ meditari quidem iubet, non quòd velit in ijs Medicos exerceri, quæ solius mentis concepta recessibus nullius fructus existerent: sed quòd cùm nulla sit ratio discendi præstantior meditatione, velit nos sedulò & intenta mente in his occupari: nec primos & velitares conceptus de morbis morborúmque differentiis statim effutire, sed ante apparentia omnia simul colligere, accuratè singula pensitare, atque ea inter se diligenter conferre, quàm nostram feramus

sententiam. Vtque tandem huic Medicinæ parti diligentiùs incumbamus, meminisse oportet non aliunde meliùs, eruditos medicos ab indoctis, rationales ab empiricis, & veros à fucatis & logiatris distingui: quàm certâ præsentium præteritorúmque cognitione, & futurorum præsagitione. Quam ideo bardi omnes methodici, vani pollicitatores empirici, & temerarij sufflones aspernantur: quasi non ad Medicum, sed ad vatem tantùm prædicere futura pertineat. Atque id quidem profitentur, vt sibi liberiùs hominum animas negotiari permittatur: & possint nulli prædictioni addicti multorum periculis discere, & experimenta per mortes agere. Quos vt nefarios & humano generi insidiantes, perpetuò odisse iuuabit, quantumuis illis hoc infœlici æuo per temerarias pollicitationes plurimùm credatur: adeo cuique blanda est, licèt perperam, certò tamen promissæ salutis dulcedo. Melior sequitur ætas, in qua non vt in hac maximè euenit. Cuicumque Medicum se professo statim credetur: sed doctrina potiores famam & gratiam apud quosque illustriorem consequentur. Verùm ne quemquam facilitas huius artis eludat: difficilis admodum est medica vaticinatio, quæ non absque grandi labore & longâ exercitatione discitur. Arduum enim est quæ ignota sunt sensibus, ratiocinio inuestigare. Neque sperandũ est posse nos ad cognitionem singulorũ quæ in ægris insunt, aut futura sunt, peruenire. Quæ enim ab apparente morbo aliena sunt, & aliunde orta ægris accidunt coniectari vix vlla ratione valemus. Tum quæ ex particularis naturæ proprietate & ἰδιοσυγκρασίᾳ prodeunt, illa solis familiaribus innotescunt. Sed & futuri euentûs incerta admodum est coniectatio, seu materiâ morbi causa turgente, cuius nescitur inclinatio: seu eâ quiescente, cùm à plurimis causis quarum nos latet futurus occursus, variè ad salutem aut interitum eadem agitari queat. Plerumque enim natura, se insperato impetu aduersus morbum erigit: aliàs irrationali prostratione deijcitur. Nonnunquam externæ & superiores causæ in ægrorum auxilium inopinatò confluunt: aliàs in eorumdem perniciem influunt. Quos casus Medico præuidere minimè datum est.

De signis in vniuersum, & signorum fontibus.

CAPVT PRIMVM.

SIGNVM variè à variis definitum, id absolutè appellamus; quod primò & per se humanis sensibus innotescens, nos in alterius cognitionem ducit. Signorum autem licet multiplices assignentur differentiæ, quarum inter cæteros Conimbricenses [a] meminerunt. Nos non aliarum meminisse hic volumus, quàm ad medicum vsum pertinentium. Signa ergo Galenus [b] in insalubria, salubria, & neutra distinguit: eorumque singula in demonstratiua, prognostica, & memoratiua diuidit, scilicet præsentem, futurum, & præteritum morbum, sanitatem aut statum neutrum indicantia. Inter quæ memoratiua, qua parte conducunt ad inuentionem causarum quæ affectus induxerunt quarum inuentio cognitio præteritorum dicitur a Galeno [c] tum quatenus nos ducunt in cognitionem natiui temperamenti totius corporis aut partis affectæ, vnde agendorum indicationem trahimus: non parùm ad curationem instituendam faciunt. Quatenus verò per memoratiua, ea intelligimus per quæ venimus in cognitionem eorum omnium quæ ante in ægris apparuerunt: talia minimi sunt momenti; vix enim ad quidpiam aliud vtilia sunt quàm ad periculosè aucupandam vulgi famam. At securiùs eâ ex parte agitur, si ab ægrotante ipso & astantibus sedulâ inquisitione præterita omnia addiscantur: quàm si eadem ex præsentibus symptomatis, & apparentibus signis coniectari velimus.

a q. 2. in cap. 1. lib. 1. de interpret.

b Lib. artis medic. cap. 7.

c Lib. 4. de præsag. ex pulsib. cap. 11.

Quod periculosum est, & difficile: quoniam quæ ex causis dissimilibus ortum aliquando accipiunt, ad determinatam causam non facile referuntur. Aliorum autem longè maior est vtilitas. Demonstratiua enim quæ a Græcis διαγνώστικα dicuntur. Cùm quæ præsentia sunt detegant, & ad præsentium affectuum cognitionem assequendam inseruiant: ex eo ad curationem artificiosè aggrediendam plurimùm conducunt. προγνώστικα, cætera omnia dignitate antecedunt: quòd vt iam indicatum est, non leuem ægro vtilitatem comparent, & Medico non vulgarem gratiam concilient. Nos ergo memoratiuorum minùs solliciti cæterorum differentias persequemur: neque omnium, sed insalubrium tantùm, cùm hoc libro solam vniuersalem diagnosim prognosimque morborum docere statuerimus.

Quare demonstratiuorum quædam statim cum morbo apparent, quæ concomitantia dicere licet, quorum nonnulla morbi speciem significant, & παθογνωμόνικα dicuntur seu passionis significatiua: quæ vnà cum morbo eumdem necessariò consequentia visuntur, soli, & semper, conuenientia. Vt tussis, morbi partium spiritalium in via: necnon in pleuritide punctio lateris, respirandi difficultas, febris, & tussis, & in melancholia delirium cum mœrore & mœstitia. Nec refert seu vnum pro pathognomonico vsurpemus, seu plurium concursum & συνδρομήν; modò ad vnius affectûs certam significationem conspirent. Concomitantium præterea, alia causam particularim distinguunt: vt liuidus tumoris color, melancholiam illius causam esse ostendit. Quædam locum affectum manifestant: vt chy-

losis

losis læsa,ventriculum monstrat esse in vitio.

Aliud demonstratiuorum genus est mox apparentium, quæ ἐπιφαινόμενα & ἐπιγινόμενα seu superuenientia dicuntur: quæ ex Galeno [d] morbi motem vel magnitudinem insinuant. Vt linguæ ariditas,delirium,& similia,febris magnitudinem ostendunt. Syncope verò, & meta alui biliosa excretio,aut colliquatio (quam Galenus [e] σύντηξιν dixit) eidem superuenientia malignitatem significant.

Tertium huius ordinis genus,est eorum quæ aliquando simul inuadunt,aliàs superueniunt,nonnunquam verò neque omninò apparent: quæ à Galeno [f] assidentia Græcè συνεδρεύοντα dicuntur, vt quòd lateris dolor in pleuritide ad hypocondrium,aut clauiculam perueniat: vel quòd faciliùs in latus patiens, quàm in alterum decumbat,ab eodem assidentibus annumeratur. Ex quibus aliquando ad speciei cognitionem ducimur,aliàs magnitudinem, moremvè affectûs ex eisdem detegimus. Prognosticorum verò multiplex est distinctio. Primùm enim ex Galeno [g] eorum quædam sunt cruditatis,& coctionis,alia salutis,& mortis,alia,tertio χρίσιμα. Quæ posttema, trium sunt generum:quædam enim futuram crisim significant,alia modum ipsum criseωs indicant. Tertiò nonnulla perfectam crisim indicant quæ λυτήρια ab Hippocrate appellari seu solutoria notat Galenus, Secundò signorũ prognosticorũ,[h] quædã bona,quædã mala esse dicuntur: atque ex vtroque genere alia plus,alia minùs talia,vt idem Galenus [i] ex Hipp. docuit. Hippocrates enim solitus, signorum singulorum vim expendere in aphorismis & prognosticis, voces bonitatis aut prauitatis indices, nonnunquam in positiuo,alias in superlatiuo suis sententiis apponit. Eorumdem demum quædam sunt necessaria,ex quibus tale quidpiam semper subsequitur,quæ τεκμήρια seu certa indubitata à Galeno [k] & Aristotele, [l] nuncupantur:& à plurimis, indicia,vt notatum est à Vateliola,[m] peculiari voce nominantur. Alia sunt quæ nõ necessariò nec assiduè,sed magna ex parte dumtaxat, tale quid euenturum significant. Ex quibus quædam infida ab eodem Galeno, [n] dicuntur quòd eorum quæ ab ijs indicantur incertus sit euentus. Tandem in hac signorum multiplici varietate, id vnum aduertendum est:quòd licèt rationes formales demonstratiuorum & prognosticorum signorum inter se distinguantur:plerumque tamen contingat, vnum idémque symptoma & ad diagnosim & ad prognosim inseruire:atque signorum demonstratiuorum plurima re eadem esse cum prognosticis, differre tamen quatenus vel præsentis affectûs, vel futuri casûs notitiam ex illis pro cuiusque modo ratiocinando trahimus. Quoniam verò non satis est multiplices signorum differentias explicasse: sed præterea expedit docere ex quibus fontibus ea ad commodum vsum haurire liceat.Iam demum inquiramus hos fontes,seu rerum genera ex quibus signorum omnium ducuntur species. In quibus explicandis cùm scriptores plurimi inter se dissentiant,licebit etiam nobis qua videbitur commodiore methodo rem totam aperire. Signorum ergo demonstratiuorum & prognosticorum vt finis longè est diuersus ita dispares sunt fontes ex quibus illorum singula oriuntur. Diagnostica enim cùm præsentium affectuum ideam,magnitudinem,morem,tempus, causas, & locos patientes indicent:non vtiliter aliunde erui possunt, quàm à symptomatibus ipsos morbos consequentibus. Ea enim cùm sint morborum effectus & pro diuersâ eorumdem specie,magnitudine,more,tẽpore, causâ,& sede,diuersa appateant:omnium optimè nata sunt affectus ex quibus ortum ducunt repræsentare. Sic agnitâ,læsione actionis cuique parti propriæ, & certo læsionis modo deprehenso; nec non examinatis mutatis affectarum partium qualitatibus;atque exeuntium substantiâ, quantitate, qualitate,& exeundi modo accuratè pensatis: nullus est affectus, qui non integrè detegatur. De prognosticis verò aliter sentiendum est. Licèt enim symptomata quæ tum apparent tum apparuerunt, ad prænidicandos præsentium morborum futuros euentus maximè inseruiant. Quia tamen de his nihil rectè statui potest, nisi morbi vis cum viribus ægrotantis conferatur; atque ex ijs quæ consimilibus morbis vulgò grassantibus adueniunt, qualia in eo quem curamus sperare oporteat coniectemur: quinque omnino erunt fontes ex quibus signa prognoseos haurire licebit. Scilicet morbi species,magnitudo, & mos; ægri vires, & consimilium morborum vulgares casus. Verùm cum inter prædictos signorum diagnoseos & prognoseos fontes, ea sit subordinatio, vt prognosis quasi per secundarios riuos ex diagnosi deriuetur: primarias & principes signorum scaturigines. Vtrique communes,examinare ante oportet,quàm particularia alterutrius præcepta speciatim explicemus.

At quoniam ex triplici illo symptomatum genere,vnde primùm signa medica desumuntur, ea quidem quæ ad actionum læsiones pertinent, ex ijs facilè innotescunt quæ de singularum partium actionibus & vsibus in anatome & libro de facultatibus sunt explicata; præter illa, quæ ad pulsuum & respirationis significationes spectant: mutatæ verò qualitatis significationes commodiùs sparsim quàm speciali tractatione explicentur: demumque excretorum & retentorum viria,magnâ ex parte ex his intelligantur quæ de humoribus agentes fuere expressa hic sufficiet

d Lib. de const. artis c. 15
e Comm. 3 in 3 epidem com. tex. 34
f In 2. aphor. comm. 12.
g Lib. 1. de crisib. cap. 14.
* Lib. 1. de dieb. decret. cap. 1.
h Gal. Ibid.
i Cuius lib. 1 de crisib. c. 13
k Comm. 3 in lib progn. cõ. tex 39.
l Lib. 1. rhetoric. cap. 2.
m Lib 3. locorum communs cap 8.
n In 2. apho. comm. 27.

primùm de pulsuum & respirationis significationibus agere: tum per vulgatiores exerementorum species discurrere, vt eorum naturâ differentiis & causis enarratis, & explicatis ijs quæ in singulis ad morborum iudicia vtilia insunt. Tandem ad signa tam demonstratiua quàm prognostica, per singula capita sigillatim persequenda progrediamur.

De pulsuum significationibus.

Caput II.

De pulsu antea quidem vt vitalis facultatis operatione cùm de facultatibus & operationibus libro quinto primi tractatûs ageremus tractauimus, pulsuum essentiam, differentias, & causas explicantes. Nunc verò quoniam ijdem signa esse præterea possunt plurimorum affectuum præter naturam: atque ex his futurum morborum euentum præsagire valemus, vigorem facultatis vitalis inde apparentem cum morbi vehementia comparando: quæ de pulsuum significationibus ad integram eorum tractationem exponenda restabant doceamus oportet. Tria sunt quæ pulsus nobis indicare ac significare omnino possunt. Primò enim singulæ pulsuum differentiæ, proprias & immediatas sui causas quæque indicant. Secundò ijdem multa detegunt quæ ad morborum speciem, sedem, magnitudinem, & motem agnoscendum; imò & ad terminationem præuidendam conferunt. Ac demum hi qualis naturæ vitium sit status, euidenter manifestant. Verùm quia primo tractatu quæ ad causas singularum differentiarum pertinent abundè explicuimus, atque exinde addiscere licebit quam quæque differentiæ pulsuum apparentes sui causam habeant: eadem hic repetere non oportet. Vnum tamen notandum hoc loco est: quòd si contigerit differentiam aliquam, ex pluribus causis æqualiter produci: debere nos veram causam talis differentiæ, ex aliis ei in eodem pulsu annexis deprehendere. Quod ad morborum autem differentias ex pulsu discernendas pertinet. Minimè sperandum est posse nos inde alios affectus certò detegere, quàm eos qui vel cor vel arterias seu primariò seu per consensum afficiunt. Quare ex pulsu intemperies, tam æquales quàm inæquales, vel cordi proprias, vel corpus vniuersum occupantes agnoscemus. Tum cordis arteriarúmque morbos in mala conformatione consistentes.

Ac demum grauiores principum aut officialium membrorum affectus quibus cor compatitur, aut quibus arteriæ ipsæ ob substantiæ similitudinem compatiuntur sed quoniam pulsus singulis morborum speciebus consociatos, quando de morbis in praxi agemus, vbi conueniet explicaturi sumus: non est quod hoc loco in illis sigillatim designandis immoremur. Interim tamen ex his quæ de causis pulsuum diximus, constare arbitror, quomodo & varias cordis intemperies, & totius corporis diserasias agnoscere valeamus. Sedem affectûs (aliunde incertam) tum exprimit pulsus, cùm mutatio quæ pulsui aduenisse notatur, indicat, non posse eam differentiam aut talis differentiæ gradum excitari; quàm corde, aut arteriis, vel membris quibus hæc compatiantur, affectis. Vt lateris dolore quempiam excruciante, pleuram inflammatione laborare præsertim ex pulsûs duritie deprehendimus: qui vt Galenus[a] loquitur concitationem iunctam habeat, seu vibrationem quamdam vt lib. de pulsibus ad tyrones[b] indicatur, quæ ob inæqualitatem duritiei, idem eodem loco serrantem appellat, & Auicennas serrinum dicit.[c] Atque id quidem, quòd non aliâ lateris parte affectâ, tensio & durities in arteriis excitetur; quàm membrana costas succingente inflammatâ: quòd hæc, arteriæ intra thoracem, membranam largiatur. Quomodo verò magnitudinis, moris, motûs, & terminationis morborum plerumque pulsus sit index: infrà propriis capitibus explicabimus. Quare cùm ea quæ ad diagnosim vtilia eruere ex pulsibus possumus aliunde petenda sint hoc capite illud nobis explicandum restat quod ad prognosim instituendam est maximè necessarium, scilicet quomodo præsentem naturæ vitium statum ex pulsu deprehendamus.

a Lib. de const. artis cap. 15.
b Cap. 11.
c Lib. 3. fen 10. tract. 4. cap. 2.

Quamuis enim ex singulari facultatum constantiâ aut atoniâ is securissimè agnoscatur: ex solius tamen vitalis constitutione ad eius notitiam euidenter peruenimus. Ex vigore aut imbecillitate calidi innati primarij facultatum instrumenti cùm singularum in operando robur infirmitasque proximè nascatur; vitalis autem virtus illius fautrix sit & dispensatrix: ex huius constantiâ cæterarum etiam, vim totiúsque naturæ vigorem securiùs quàm aliunde coniectabimur. Facultatem autem vitalem & constantem ac validam esse omnium, certissimè pulsûs indicat vehementia: seu ea in morbis ex quocumque naturæ enixu mediocritatem excedat seu eadem in mediocritate consistat. Vehemens enim pulsus ita est robustæ facultati proprius, vt illi soli & semper conueniat.

Dubium tamen est num pulsus vibratus in quo vehementiam aduertimus, & quem pulpam digitorum comprimere sentimus, robur facultatis perpetuò indicet. In qua difficultate licet Galenus[d] asseruerit facultatem semper esse robustam in pulsu vibrato, distinguendum tamen esse cen-

d Tom lib. 2. de causis pulsuum cap. 6. tum 1 de præsagio ex pulsibus 4.

seo: vel enim vibrata arteria secundùm omnes sui partes cum vehementia mouetur vel secundùm aliquas tantú. Si primò necessariò facultatis robur indicatur & hic tandiu constans est & perseuerans pulsus, quamdiu vsûs incrementum durat. Si verò arteriæ pars sursum in arcûs modum eleuata vehementiam referat cùm aliæ languidè tactum feriant vt ex Struthio [e] aduenit subitò expergefactis à somno, vel à terrore quodam improuiso perterrefactis: necnon in magnis aliquibus inflammationibus aut tenacissimis obstructionibus, huiusmodi vibratus pulsus robustæ facultatis nequaquam est index quoniam arteria à quopiam vapore crasso affatim effuso cum impetu, secundùm aliquas sui partes eleuata vehementiam mentitur; eóque vapore exoluto cessat vibratio. Prout verò differentiæ pulsûs quæ tali vibrationi succedunt aut in aliis arteriæ partibus apparent roboris aut imbecillitatis maioris aut minoris sunt indices: ita præcedentem vibrationem boni vel mali significatricem esse censebimus, cum vibratio illa naturam, cum causâ aliquâ morbificâ contendere tantùm demonstraret. Magnus pulsus præterea robur vitalis facultatis indicat quoniam & hic familiaris est robustæ facultati. Sed perseuerantem eam esse magnitudinem oportet ne enim ingenti arteriæ mollitie si quando natura à caloris incremento prouocata quasdam intersecat magnas pulsationes pluribus paruis immixtas facultatem validam esse existimantes, fallamur. Tertiò tandem qui celer est pulsus facultatem nondum valdè imbecillam esse testatur, quòd quæ iam effoeta est arteriam celeriter mouere non possit. Sed cauendum est ne frequentia celeritatem mentiendo nos deludat. Imbecillitatem eiusdem facultatis quomodo pulsus etiam indicet antequam doceamus; sciendum est facultatis vitalis imbecillitatem, aliam veram, aliam apparentem esse. Vera ea est quam tum cordis intemperies tum innatæ spirituosæ substantiæ exolutio infert. Etenim licèt ipsa facultatis vitalis entitas in viuente imminutionem aliquam aut remissionem pati non possit vnde imbecillitatem acquirat: quia tamen ea organica est, potest eadem ex organi læsione ad actiones sibi propias exercendas ineptior reddi. Ac quoniam organi aptitudo ad operandum ex temperie maximè ac calidi sibi innati & fixi abundantia nascitur: ex alterutrius defectu facultas imbecilla redditur. Ex intemperie quidem quacumque in facto esse ac præsertim si ea æqualis sit & habitualis, quæ enim tantùm est in fieri ea nondum imbecillitatem infert. Atque ea imbecillitas quæ intemperiem habitualem sequitur, firmiter firma à plurimis appellatur, quòd ea semel contracta, naturæ quidem viribus & sponte emendari non possit: medicis autem auxiliis non nisi difficulter si recens fuerit & nondum inueterata. Ex dissolutione verò spirituosæ substantiæ, quæ duplex est influens, & infixa: duplex etiam imbecillitas contrahitur: ab infixæ quidem exolutione vix reparabilis: ab influentis autem dissipatione reparabilis. Illa in quocumque statu periculosissima est nisi cito illi & accuratè prouideatur. Hæc citra morbum facilè emendabilis. At morbo acuto adueniens periculi etiam plena est: eò funestior quò morbi vehementia erit maior. Illam inducunt quæcumque febrem colliquantem, vel hecticam, aut senium ex morbo inferre nata sunt. Hanc verò causant alimenti penuria, vacuationes immodicæ; vehementiora animi pathemata, aut mentis contentiones: vigiliæ, dolorum vis diuturna: & morborum malignitas vtrique communis. Cuiuscumque autem veræ imbecillitatis certum signum est perseuerans pulsus æqualiter languidus & secundùm omnes arteriæ partes digitis arteriam leniter comprimentibus cadens, maiorem adhuc imbecillitatem indicat si aucto etiam vsu citra arteriæ duritiem ne magnus quidem fiat pulsus, & maximam si ne tunc quidem fit celer. Particulatim autem huiusmodi imbecillitatem maiorem vel minorem esse deprehendemus: quòd primò facultate per essentiam vt loquitur Capiuaccius imbecillâ pulsus fiant vt colligimus ex Galeno [f] fiant languidi, parui, necnon aucto vsu, in celeritate mediocres, & crebriores vlteriùs procedente imbecillitate, languidiores, minores, tardiores, & crebri euadant: ac tandem extremè parui; languidi, & crebri; celeritatis falsam speciem crebritate præbentes. Talesque ij sunt ex Galeno, [g] qui formicantes appellantur. Quibus minorem dissolutionem, & à minùs periculosa causa ortam significant, illi qui vermiculares dicuntur. Eiusdem ordinis sed vermicularibus peiores sunt miuri omnes: inter quos deterrimi sunt deficientes non reciproci, ad integram pulsûs cessationem & ἀσφυξίαν ab extrema virium defectione prouenientes, quâ perseuerante mors in propinquo est. Nonnullis quidem minimùm in ἀσφυξίᾳ durantibus; quales sunt qui cùm multi essent roboris ex morbi acuti vehementiâ extinguntur. Aliis per horas aliquot pulsu abolito viuentibus: vt qui vel imbecilliores ex morbo minùs acuto intereunt; vel ex longioris morbi perseuerantia pereunt. Nam & aliqui per integros dies in ἀσφυξίᾳ perseuerant: vt de Illustri Luca Comite de Gorea Polono annorauit Struthius [h] rarissimi præterea essentialē facultatis infirmitatem maximam esse significant, ob ingentem temperaturæ cordis peruersionem, & huius visceris perfrigerationem. Atque id præsertim si magnæ admodum raritati, æqua paruitas, & consimilibus langor coniungatur. Quibus non multo minùs periculosi existunt, qui cum maximâ raritate, nec sūt longè minores iusto, nec tardiores, nec languidiores: contentorum in ventriculis cordis perfrigerationem consequentes. Illi enim in quibus alteruter horum pulsuum apparet, plerumque cum impe

e Lib. 5. art. sphygm. c. 11.

f 4. de præsag. ex puls. c. 12.

g Citato cap. 12. lib. de puls. ad tyron.

h Lib. 5. artis sphygmica cap. 8.

l Lib. 2. de præs. ex puls. cap. 4.

ritis commodè videantur habere, subitò & è vestigio pereunt Galeno.[l] Hi quidem vigiles & inter loquendum: illi verò inter dormiendum, vel non amplius expergiscantur. His minus periculosi sunt, intercisi. Qui tamen semper demonstrant facultatem verè imbecillam esse vt ex his quæ tractatu primo libro 5. cap 7. pulsûs intercisi causas explicantes diximus, constare potest.

Apparens imbecillitas ea dicitur, quæ à succorum aut quorumcumque excrementorum copiâ instrumenta obstruente vel opprimente, & facultatem aggrauante nascitur: quam præsertim detegit sistematica pulsûs inæqualitas: in qua pulsationum aliæ vehementes sunt, magnæ aut celeres, aliæ languidæ, paruæ aut tardæ. Præterea cuiusmodi inæqualitas facultatem à copia opprimente superari, tunc demonstrat: quando parui, & languidi pulsus, contrarios numero excedunt. Contra verò victoriam penes facultatem esse, quando vehementes, & magni pulsus, numero contrarios vincunt. Atque idem de singularis diastoles inæqualitate in impariter citatis intelligendum est. Cuius generis pulsus illi qui finem motûs validiorem & celeriorem habent, facultatem robustiorem esse denunciant. [m] Sed cùm inæquales contingat, vel ordinatos, vel inordinatos esse: controuersum est, quinam inter hos aliis sint peiores. Ad quod respondemus, inæquales solam oppressionem facultatis indicantes, peiores esse si ordinati sint, quàm si inordinati Cùm enim ex Galeno,[n] ordo, causam inæqualitatis firmam & fixam esse, ordinis verò perturbatio minimè fixam esse designet: facilius est naturæ, materiam opprimentem instabilem & inconstantem, atque ideo tenuem & mobilem superare & expellere, quam stabilem & constantem simulque crassam & tenacem euincere. Ad quod respiciens Galenus,[o] dixit cum signis coctionis pulsum in vehementia inæqualem si inordinatus sit crisim significare & omnino ordinem in incommoda inæqualitate certo cum exitio coniungi: in moderata verò constanter esse lenem. Parem fuisse Hippocratis sententiam ex simili coniectari licet. Is enim quibuscumque, inquit,[p] accessiones fiunt quacumque hora febris dimiserit, si eâdem cras occupauerit iudicium habent difficile: ob materiæ scilicet contumaciam. At omnes inæqualium pulsuum species, quæ naturæ exolutionem indicant: contrà, ordinatas, esse est meliùs, quàm inordinatas. Quoniam ordo, aliquam facultatis constantiam residuam esse significat, & aliquem restare vigorem: inordinatio verò, cùm omnimoda inconstantia, maximam prostrationem dicit. Quod ita se habere tunc docuit Galenus cùm debiliorem, atque inordinatiorem, & inæqualem esse pulsum dicit,[q] in mortalibus inclinationibus. Tum quando de pulsibus lethargicorum agens,[r] ac nimirum minores offensæ, inquit, inæquales & ordinatos, maiores, inæquales pulsus, atque inordinatos creant. Hos sequuntur intermittentes: qui seu familiares, seu non consueti, imbecillitatem non nisi à compressione aut obstructione factam significant. Minùs quidem periculosi si familiares fuerint. Vel inter non consuetos qui in senibus, mulieribus, aut pueris apparuerint: præsertim si post intermissionem ad parem magnitudinem celeritatem & vehementiam redeant quàm antea habebant, vt docuit Struthius.[f] Nam & sanis recens expergefactis, crasso vapore ab hesterno cibo nondum confecto ad vasorum propagines prope cor eleuato: necnon & febricitantibus aliquando pari ex causa, citra periculum apparet intermittens pulsus. Qui tamen his casibus breui durat, neque semel perceptus, iterum aut vix reuertitur. Perseuerans enim deterior semper iudicatur. A quo vix vnquam ex Galeno,[t] euaduor ægri, si duabus pulsationibus intermiserit: & nunquam si tribus. Inter eos verò qui vnica pulsatione intermittunt deteriores illi sunt qui perseuerantes languidiores sensim euadunt. Suspicio enim est vapore aliquo maligno ad cor appellente & corde eius appulsum quam maximè licèt euitante fieri. Tandem imbecillitatem mixtim ex vtraque causa manantem pulsus miuri reciproci, si ad parem quàm antea magnitudinem non redeant apertissimè declarant.

m Gal. lib. 4. de præsag. ex puls. cap. 12.
n Lib. 2. de caus. puls. cap. 14.
o Lib. 2. de præsag. ex puls. cap. vlt.
p Lib. 4. aph. 30.
q Lib. 1. de crisib. cap. 9.
r Lib de puls. ad tyrones cap. vlt.
f Loco recens citato.
t Lib. 2. de præs. ex puls. cap. 4.

In quibus inclinatio ad paruitatem & langorem, facultatis quidem imbecillitatem norat: illam verò ex oppressione nasci indicat reciprocatio (non enim imbecillitate ab exsolutione sola nascente, posset pulsus incrementum quoddam reassumere magnitudinis & vehementiæ.) Ex eo autem quòd ad eamdem magnitudinis metam pulsus non redeat, indicio est facultatem non opprimi solùm, sed eam simul etiam exolui.



De

De signis ex respiratione sumptis.

Capvt III.

CVM respiratio à facultate animali tanquam ab efficiente causa prodeat, atque eadem vitali famuletur; Eius verò instrumenta & organa, præsertimque princeps ille musculus transuersus, naturalibus partibus connectatur: nihil mirùm si illa & ad diagnosim & ad prognosim plurimùm inseruiat. Ea namque non solum actionum animalium vitia plurima manifestat, organorumque respirationis & partium naturalium morbos non paucos detegit: sed præterea ad futurum morborum exitum, ad sanitatem vel interitum pronunciandum maximi est emolumenti. Facilis enim & libera respiratio, ex Hippocrate [a] magnam admodum vim habet ad salutem in omnibus morbis acutis qui cum febre sunt, & in quadraginta diebus iudicantur. Ea namque, omnia ea membra quibus vel respiratio vsui est, vel à quibus thorax mouetur, aut quæ ijs vicinitatis occasione coniunguntur libera esse, neque vllo affectu graui teneri indicat. Cumque eo membrorum numero partes omnes principes, & inter officiales maioris ad vitam vsûs, comprehendantur: his omnibus leuiter affectis, magnam salutis spem habendam esse, facilè coniectari licebit. Verùm vt Hippocrates ipse monuit, non in omnibus morbis liberæ respirationi fidendum est. In morbis enim longis, atque in aliquibus eorum qui cùm inter acutos numerentur sine febre sunt (quales habentur tetanus, cholera morbus, & similes) facilis respiratio, est planè indifferens. In talibus enim affectibus, aliunde periculum imminet, quàm ab his à quibus respiratio difficilis redditur. Quin imò & in morbis malignis, nulla est in facilitate respirationi fides: hi enim cùm lateentet vitæ insidientur, suam vim inimicam indicio tam apparente non deregunt.

Inter præter naturales autem, & difficilis respirationis differentias, quas abundè alibi recensuimus: [b] sequentes ab Hippocrate particulatim notatæ, [c] ad internos affectus discernendos vtiliores existunt. Eas autem recenset his verbis Diuus Senex; spiritus, parui, crebri; magni, rari; parui, rari crebri, magni. extra magni, intus parui, intus magni, extra parui; hic extendens, ille vrgens, duplex intro reuocatio vt superinspirantibus; calidus, frigidus. Quarum quæ parua quidem, & crebra est respiratio, ex Galeno [d] atque Hippocrate ipso, [e] signum est doloris vel partium respirationi inseruientium, vel earum quæ diaphragmati proximè, aut per medium peritonæum connectuntur. Cùm enim vrgente vsu etiam mediocri, partes respirationi deseruientes conuenienti respirationis magnitudine, præ molestia doloris seu proprij, seu connexarum partium, illi satisfacere non possunt: defectum magnitudinis, frequentia compensare coguntur. Verùm citra dolorem etiam, à motricis facultatis impotentia ob musculorum respirationi famulantium, ac præsertim diaphragmatis dimidiatam resolutionem: eadem respirationis differentia prodit, vt ab Hippocrate, [f] in Nicostrati vxore in Cranone decumbente indicatum est. Quæ cùm nulla parte doleret, imo & deliraret: dicitur tamen spiritum habuisse densum & paruum, atque id impotentiâ, ob quam cogeretur magnitudinis defectum, densitate supplere.

Sic enim vocem illam ἀκρασίῃ appositam ab Hippocrate interpretatus est cum Valesio, [g] Foesius, [h] licèt enim Galenus, [i] velit id illi accidisse ob vehementem iecoris inflammationem, alium cerebri affectum vincentem. Id tamen, ex ijs quæ in historia prædictæ ægræ ab Hippocrate accuratissimè descripta referuntur, minùs patet; licèt interni incendij notas plurimas ex vrinis desumptas referat. Neque à breuiloquo Sene, ea vox impotentiâ eo loco perperam repetitur. Vt autem discernamus, à quotum altero prædictorum affectuum, ea respirationis differentia excitetur: aduertendum est si doloris partium spiritualium aut illis connexarum occasione fiat, eamdem inæqualem apparere, vt à Galeno [k] notatum est, facultate scilicet per interualla enitente magnam respirationem facere. Si verò organorum imbecillitas ex resolutione orta, paruæ & crebræ respirationis sit causa, ea planè æqualis erit; conatu illo ad multum spiritum etiam per longa interualla ducendum, emollitis organis denegato.

Magna & rara respiratio ex Hippocrate, [l] & Galeno: [m] delirium & mentis alienationem significat. Nam cùm delirantes, visis & imaginibus per internos sensus obuersantibus, sint intenti: à reliquis functionibus animalibus auertuntur, & quasi vitalis muneris obliti, rarò spirant. Vsu verò ad respirationem prouocante, vt illius necessitati coacti tandem subueniant, magnam respirationem facere multumque aërem trahere, & copiosam fuliginem excernere coguntur. Quod etiam inæqualiter faciunt, rariùs, aliquando, mox frequentiùs paulò: magis etiam, aut minùs, pro longiore aut breuiore interpositâ morâ, respirantes. Neque enim semper æqualiter ab officio sunt auersi, neque pariter suis intenti nugis: vt à Galeno adnotatum habemus; [n] veruntamen licèt in qua-

cumque

a Lib. 1 prognost. tex. 5.

b Cap 8. lib. 5. tract. 1.

c Lib 6. epidem sect. 2. tex. 10.

d Lib 1. de differ. respir. cap. 12. 19 & 22 lib. 1. eiusdem c. 5.

e Lib. 1 prognost. tex. 24.

f Lib 4. epid. non longè à principio.

g Comm. in tex. 20 cit. lib.

h In annotationibus ad eumdē textū

i Lib. 3. de diffic. respir. cap. 10.

k Citat. lib. 1 de diffic. respir. cap 19

l Citat. 1. prognost. tex 24.

m Tod lib 1. de diffic. respir. cap. 18. & 22 nec non lib. 2 cap. 2.

n Lib 1. de diffic. respir. cap 19.

cumque delirij specie accidat magnam & raram spirationem fieri: non omnibus tamen delirantibus, id necessariò contingit. Quandoquidem simul vel inflammatione viscerum aliquod occupante, vt adnotatum est à Galeno:[o] vel semiresolutis musculis respirationi dicatis, vt in Nicostrati vxore docuit Hippocrates: pro magna & rara, parua & frequens fit respiratio. Si verò ijdem per interualla toto corpore perfrigerentur, ab interni caloris exolutione, parùm etiam & raro spirant: vt Pithonis exemplo docuit Galenus,[p] respiratio enim parua & rara, vsûs imminutionem ex Galeno[q] significat: atque adeo caloris remissionem, vel saltem innati calidi magnam perfrigerationem sic autem respirantes, parùm scilicet & per longa interualla, βραχύπνους id est breuispiros ab Hippocrate nuncupari, probatum est à Galeno.[r] Frequens contrà & magna respiratio, ex eodem Pergameno[s] vsûs atque ideo caloris incrementum, & internum ardorem indicat, ad cuius temperamentum, aërem frigidum multùm ac frequenter inspirare oporteat.

o Citat. lib. 4. de diffic. resp. cap. 10.
p Lib. 2. de difficul. respir. cap. 4.
q Citat lib. 1. de diffic. resp cap. 22.
r Comm. 1. in 3. epidem. com. tex. 74.
s Citat. cap. 22 lib. 1. de diffic. respir. & comm. in tex 24. lib. 1. progn.

At quæ inspirationem habet expirationi inæqualem, ita vt illa magna sit, hæc parua; aut contra (quam Hippocrates per ea verba significauit extrà magni, intus parui; intus magni, extra parui) vel inæqualitatem vsûs diuersarum partium respirationis significans; vel inæqualem musculorum thoracem mouentium agendi libertatem. In ijs enim respirationis differentiis, non solùm magnæ aut paruæ distentionis aut contractionis thoracis ratio habetur: sed quantitatis etiam aëris inspirati, aut fuliginis expiratæ. Si eam ergo inæqualitatem respiratio seruauerit vt expiratio quidem sit magna, inspiratio vero parua: signum erit in eo corpore fuligines quidem plurimùm abundare, calorem autem remissum esse & imbecillum; vnde non leue periculum imminet suffocationis. Vel erit indicium musculos quidem expirationi inseruientes liberos esse, sed eorum antagonistas inspirationi famulantes affectos esse tumore aliquo, aut infarctu ex distillatione à capite neruos magis quàm carneam molem occupante. Hinc enim imperium voluntatis minùs liberè instrumento famulanti communicatur, vnde ad motum torpor enascitur. Illinc verò musculis se vehementiùs contrahere conantibus, dolor excitatur qui musculorum motum remoratur. Sed huius inæqualitatis ea diuersitas discernitur: tum ex inspirationis minoris diuerso vigore; tum ex æqualitate aut inæqualitate eiusdem. Ea enim quæ ab imminuto vsu parua est, cum mediocri saltem facultatis animalis vigore perficitur, & æqualis est: quæ verò à musculorum vitio parua redditur, planè est languida, & inæqualis; quòd eam frequentiorem esse aliquando oporteat. Contraria huic inæqualitas, contrarij affectûs est significatrix. Magna enim inspiratio, magni ardoris, & liberæ facultatis musculorum inspirationi deseruientium est index: parua verò expiratio, paucarum fuliginum: non item imbecillitatis musculorum thoracem contrahentium. Multo enim conatu ad inspirationem quidem est opus, ad expirationem autem pauco: cùm thorax ipse suo pondere possit in se concidere. Periculum autem vix vllum, per se, ab huiusmodi respirationis inæqualitate significatur; plurimùm enim exercitatis ea solet esse familiaris extendens respiratio, seu vt Galenus[t] interpretatur, tarda: imminuti vsûs infra naturalem constitutionem, aut impotentiæ musculorum est nota. Vrgens quæ & celer, ex eodẽ,[u] vtilitatis vrgentiam, seu internum incendium, & organorum ad motum libertatem significat. Verum neutram harum magnæ esse vtilitatis ad morborum iudicia, docet Galenus.[x] Nam cùm oporteat respirationem celerem cum magnâ & crebrâ necessariò coniunctam esse: imo & cum magnâ & rarâ eamdem plerumque sociari: cum paruâ verò & rara, tardam coniungi necesse sit; vt cuique rem examinanti patebit: parem consequemur facilitatem ad præternaturales casus discernendos, ex solis aliis respirationis differentiis velocitate & tarditate neglectis; atque si hæ magnitudini & crebritati, aut earum oppositis consociatæ attendantur. Cum paruâ verò & frequenti, licèt tum velox tum tarda æqualiter coniungi possit: neutrius tamen consideratio, magni est momenti. Cùm enim ea respiratio velox fuerit, dolorem minorem esse, vsûs autem necessitatem maiorem solùm indicabitur.

t Lib. 3. de diffic. respir. cap. 3.
v Lib. 11. de diffic. respira. cap. 5.
x Citat. cap. 21. lib. 1. de diffic. respir.

Quando verò tardus erit spiritus, dolorem quidem intensiorem, incendium autem minùs, significabitur. Quæ, vel leuiter eruditi, possunt facili coniectatione assequi. Respiratio in qua duplex fit intrò reuocatio, vt superinspirantibus: quæ ab Hippocrate[y] διπλῆ ἔσω ἐπανάκλησις ὁκοῖον ἐπεισπνέουσιν id est duplicata intrò reuocatio velut superinspirantibus nuncupantur; vel κλαυθμώδης ἀναπνοὴ, id est, luctuosa respiratio dicitur.[z] Nec non quæ à pluribus vulgò intercisa atque illisa respiratio vocatur. Ea est in qua, quasi vnica inspiratione spiritus bis terue affatim trahitur; vt in pueris eiulantibus fieri aduertimus. Quæ, in febricitantibus, magnum incendium, cum siccitate diaphragmatis & cæterorum musculorum inspirationi deseruientium significat: vel alicuius visceris inflammationem; vt in Lyciæ historia[a] videre est; quæ cùm splenis inflammatione laboraret, πνεῦμα ἐσεδιπλασιάζετο, id est spiritum intrò duplicabat. In non febrientibus vero, extra mœrorem ab externa causa excitatum, imbecillitatem musculorum notat. In quibus omnibus casibus, cùm musculi non possint conuenienter pro vsûs necessitate thoracem dilatare, magnámque inspirationem continuam facere: quasi ad pulsûs intercurrentis modum, inspirationem duplicant; vel media quiete intercidunt, atque interrumpunt.

y Lib. 2. epid. sect. 3. tum 6. eiusdem operis sect. 2 tex. 10. & sent. 260. coacar.
z Lib. 6. aph. 54.
a Lib. 2. epid. sect. 2.

Huic

Huic proxima ea est quam interceptam propriè dicere possumus, & proprius priore illisam, ac quasi cespitantem quam Hippocrates [b] πνεῦμα ὥσπερ ἀνακαλούμενον id est spiritum intro reuocatum dixit; & αὐτίκα ἀνεσπασμένον id est subito retractum appellauit, [c] tum ἀντίσπασιν τοῦ πνεύματος, id est spiritus reuulsionem nominauit, [d] & πνεῦμα προσκόπτον id est spiritum offendentem vocat. [e] Ea verò est quasi de repente reuocata citra duplicationem inspiratio, expiratione interrupta. Quæ ex eodem Coo Senc, [f] conuulsionem minatur: musculis qui inspirationi inseruiunt, & quibus maior ad motum nixus imprimitur, liberè se laxare nequeuntibus Illa verò præcedenti aduersa, quam Galenus [g] ait omissam esse ab Hippocrate, in quâ scilicet duplex fit extra reuocatio: rata admodum est, cùm natura vix vnquam tantam fuliginum quantitatem ferat, vt duplicatione expirationis ad illarum expurgationem indigeat. Calida tandem respiratio, per quam scilicet (vt habetur in Coacis) æstuosus & fumidus exhalat spiritus, efflatione potiùs quàm simplici expiratione emissus, vt notat Duretus: [h] magni intùs latentis incendij & vstionis est index. Vnde nihil mirum, si lethalis esse dicatur ab Hippocrate minùs tamen quàm frigida, frigida enim, in quâ frigidus aër expiratur, in morbis quibus febris coniungitur, significat à calore febrili exhaustum esse calidum innatum.

Cuius exolutio omni vehementissimâ intensione caloris est periculosior. Verùm vt docet Galenus [i] in morbis qui citra febrem consistunt, & in quibus frigiditas totum animalis habitum apprehendit: quales sunt, suffocationes ab vtero & spiritûs interceptiones his respondentes quæ raro viris adueniunt: etsi non citra periculum frigida respiratio fiat, non tamen vt in prioribus penitùs est perniciosa. Atque hæc de respirationibus satis: cùm quæ ab aliis differentiis rectâ scilicet, sublimi & similibus ad morborum tam diagnosim quam prognosim vtilia colligi possunt, facilè discantur ex ijs quæ de causis differentiarum respirationis diximus. [k]

De sudore.

Capvt IIII.

Etsi sudorem Auicennas [a] difiniat aqueitatem sanguinis cui pus cholericum est admixtum: & Galenus, [b] vnum ex humoribus ijs appellet qui in corpore proueniunt, cuius vt vrinæ materia fit bibitus humor in corpore excalefactus & biliosæ nonnihil substantiæ adeptus, ad cutem vsque permeatis omnibus quæ intersunt partibus perueniens Tamen quia sudorem sanorum tantùm definiisse videntur: sic meliùs sudorem tam sanis quàm ægris communem definiri posse existimamus, vt dicatur liquidum excrementum, quod facultatis expultricis quomodocumque excitatæ impulsu, exiguos corporeæ mollis meatus peruadens, per cutis potos erumpit. Liquidum esse excrementum dicimus: vt eius materiam explicemus. Quæ cum multiplex sit, ea tamen semper diffluens est In sanis etiam eadem est sudoris atque vrinæ materia. Serum scilicet, seu aquea potulentorum portio: quæ dum hepatis parenchyma peruadit excrementitiâ bile infecta, magnâ quidem parte per venas emulgentes in renes & vesicam amandatur: reliquiæ verò eiusdem, sanguini per venas effuso permiscentur, vt is liquidior redditus capillamenta vasorum faciliùs permeet.

Vbi verò seri hoc reliquum officio satisfecit, membrorum nutritioni ineptum, vel in vapores sensim conuersum per insensibilem transpiratum exoluitur; vel affatim per sudorem expellitur. In ægris verò aut quomodocumque præter naturam affectis, humores varij humorumque ichores vel sero soluti, vel eidem permixti plerumque per cutem sudando expelluntur. Sic bilis tum flaua tum nigra in alterutro ictero laborantibus excreta, lintea quibus inuoluuntur inficit. Ita vtriusque excrementitiæ bilis ichor, tertianarum ac quartanarum paroxysmo inclinante, sero permixtus per sudorem excernitur. Nec non & crassam aliquando pituitam pari ratione excretam nouimus, à Burlæo Ginaceruiensi: qui cùm diuturnis & variis affectibus in hac ciuitate anno 1596. laborasset, tandem in grauiorem febrem lapsus, per sudorem crassam viscidamque pituitam excreuit, quæ vix acute abstergi aut eradi potuit, vnde integrè conualuit. Aliàs etiam sanguis per sudorem effluxit. Seu sanguineus ichor esse dicatur, seu sanguis qui effunderetur: vt placuit Aristoteli, [c] Theophrasto, [d] Cœlio Rhodigino, [e] Dureto, [f] Danieli Furlano, [g] vel multo à venis humore, crudo tamen & veluti segregato (vt habet ex Furlani lectione Theophrastus) à multo labore, per æstiuum feruorem, in laxo & raro corpore excreto. Vel vt existimat Rhodig ex constitutionis prauitate, corpore laxiore, sanguine præterea aquoso, ex insiti caloris imbecillitate effuso. Seu purus & sincerus sanguis vehementer attenuatus, per cutis poros excerneretur. Quod fieri posse insinuat author lib. de vtilitate respirationis inter spuria Galeni, Cardanus item [h] & D. Lucas [i] cùm ait Christo Domino in agoniâ proliziùs oranti, factum esse sudorem sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram

b Lib. 1. epid. agroto 8.
c Lib. eodem agro. 11
d Lib. de ratione victus in acutis sect. 4. tex 34.
e 4 aph. 68.
f Aphor. cit. & eodem 4. acut. tex 34.
g Lib. 3. de diffic. respir. cap. 3.
h Comm. in tex. 2. cap 9. lib. 2. coacarũ
i Lib. 3. de diffic. respir. cap. 10.
k Cap 2 lib. 5. tract. 1.
a Lib 2 tract 2 cap 048.
b Lib. 10 de simpl. medic. facult.
c Lib. 3. de histor. anim. cap. 19. & 3. de part. anim. cap. 5.
d Lib. de sudoribus.
e Lib. 5 lect. antiquar. c. 2.
f Lib 2. coacar. cap 7. com in sent 11.
g Comm. in sent. 20. eiusdem lib de sudor Theof
h Lib. de natura hominis non longè à principio.
i Cap. 22.

ram. Ita referente Georgio Fabro lib. 3. annalium Misniæ anno 1552. mense Iulio Agatha Alterman ægra, per quatriduum sanguinem ex fronte sudauit. Et authore Maldonato [k] Lutetiæ homo robustus & benè valens, auditâ in se capitali sententiâ, sudore sanguinis fuit perfusus. [*] Quod Cardanus suptâ euenire censuit, cùm præ molestiâ animi tenuis sanguis igneo calore extenuatus exprimitur. Quod tamen potiùs ex agoniâ quàm ab animi molestiâ accidit. Agoniam autem Galenus, [l] ex timore & ira compositum animi affectum esse asserit. In quo spiritu & sanguine intro per timorem reuocatis, mox succedente ira, indignatione aut feruore obsequiosæ voluntatis; calefacti & fusi spiritus ac sanguis, cum vehementi impetu foras aguntur.

Quem cruentum sudorem naturaliter fieri posse negans cum Mercuriali, [m] Siluaticus, [n] ex eo quòd sanguis crassior sit quàm per poros cutis effundi possit; & quòd naturæ charus non permittatur [vel etiam sero permixtus] effluere: minùs probabiliter loqui videtur. Cùm pituita crassior sanguine non solùm per sudores aliquando, vt suprà relato Butlæro accidit, euacuetur: sed etiam in morborum metastasi ac præsertim colico dolore in paralysim verso, per latentes membranarum neruorúmque ductus nonnunquam trans fundatur. Præterea quantumcumque sanguis sit naturæ charus nihilominus eâdem acriùs irritatâ in ὑπερκαθάρσει, & vehementioribus hæmorrhagiis, tam symptomaticis, quàm ab initio criticis: liberaliùs etiam quàm par sit effunditur. Verùm & idipsum minimè repugnare naturæ viribus id docebit, quod à Petro de Osma [o] relatum est: scilicet Indum quemdam consueuisse, morbos cuiuscumque rationis curare illitione articulorum cum succo anonymæ cuiusdam plantæ, quæ sincerum sanguinem per modum sudoris extraheret tam à membro dolente quàm à cæteris illitis partibus. Verùm quod ad hanc quæstionem pertinet, elegantissimè simul & doctissimè tractatur ab Illustrissimo Domino de la Ceppedde in supremâ Regiarum rationum & vectigalium Curiâ Primo Præside æquissimo & Prouinciæ ornamento. Tandem sero per sudorem excreto colliquamentum etiam carnosarum partium vt à Galeno [q] accepimus, aliquando permiscetur. Atque ex his omnis sudorum materia completur: seu illi sanis seu ægris adueniant.

Secundò sudorem excrementum esse diximus: vt finalem eius causam in dicaremus. Natura enim ad sudorem seu ab externis causis, seu à morbo irritata, ideo promouetur; vt superfluum potùs ciborúmque liquorem nutritioni ineptum, atque omnem alium inutilem, per habitum corporis vasaque diffusum, & quasi efferuescentem foras excernat. Vnde Aristoteles, [r] sudorem ait rem esse vitiosè corpori adiunctam qui per calorem excerni debeat.

Illum verò facultatis excretricis impulsu fieri asserentes, efficientem sudoris causam explicamus. Non enim per vaporum ad cutem perfrigerationem sudor erumpit, vt aliquibus visum est: [s] sed expultrice facultate irritatâ à sero puro vel impuro per exercitia, à laconici æstu, ab stragulorum copiâ, aut aliâ simili ex causâ supercalescente & attenuâte; vel ab eiusdem acritudine, illi à putredine aut medicamento diaphoretico impressâ. Vnde non nisi cute laxatâ, & eius poris apertis ex Aristotele, [t] sudamus: necnon per quietem & somnum magis, quàm per motum & vigiliam iuxta eumdem. [u] Id verò quoniam per quietem & somnum anima magis intenta facultatibus naturalibus, expultrici liberiorem operam præstat, illique magis attendit. Hic verò non leuis occurrit quæstio: num quædam sudoris excretio sit naturalis, an verò ea præter naturam semper adueniat. Valesius, [x] voluit sudorem esse excretionem toto genere secundùm naturam. Diocles contrà antiquus Medicus apud Galenum, [y] illum præter naturam esse affirmauit. In qua controuersia cum Galenus ambiguus esse videatur, vt ex variis eius textibus [z] colligitur: vtramque liceat conciliare sententiam. Quare dicimus excretionem secundùm & præter naturam Galeno ipso insinuante [a] dupliciter dici: primò enim excretiones secundùm naturam sunt, quæ sanis familiariter accidere solent nullâ violentâ causâ naturam promouente: quibus oppositæ præter naturam appellantur. Ita Pergamenus [b] vrinæ, stercoris, & geniruræ vacuationes naturales appellat. Secundò verò illæ feruntur esse secundùm naturam, quæ seu sanis seu ægris accidant, fiunt cum virtutis robore ac prouidentia de animalis salute, & per quas id quod contristat expellitur: præter naturam autem illæ, in quibus ea quæ excernuntur vel spontè profluunt quòd ab ipsis corporibus ob imbecillitatem contineri nequeant, vel cum ægri læsione expelluntur. Iuxta ergo prius significatum, sententiam Dioclis potiorem reor. Quoniam omnibus quæ ad corpus attinent rectè administratis, & alimento à natura subacto nunquam sensibilis humor excerneretur: & vt addit Galenus solet natura proprij alimenti singularum partium superfluitates difflare, ac quantò fortius extiterit calidum innatum tantò magis difflatio sensum effugit, neque sudor nisi à violentis causis promouetur, aut ad morbum consequitur. Quamuis apud Rhodiginum, [c] admirandum illud ex D. August. legatur, quemdam solitum sudare vbi vellet. In secunda autem acceptione, cum Valesio sentiendum puto: vt dicatur sudor in genere secundùm naturam, licet in specie aliquando symptomaticè adueniat. Atque eo sensu meritò Galenus, [d] aliquando asseruit opinionem Dioclis videri duram esse, aliàs verò [e] dixit, sudoris, vrinæ, & eius quod per aluum aut vomitum

[k] Comm. i e. cap 26. D. Mathæi. 17

[*] Anno item 1593. initio Decembris Lodou. Leus Antipolitanus captiuus Nicia cù illi pronunciaretur decretum mortis sanguinem aquæ permixtum sudauit. quod vt Duciss Sabaudia Infantis Hispaniæ relatum fuit, illum à morte liberari mandauit, atque is adhuc viuere dicitur.

[l] Lib. 2. de caus. sympt. cap. 5. aliquantò ante finem

[m] In lib pro. gnost. p 6 c 4.

[n] Lib contro. medicin. contro. 5.

[o] In epistola ad Monardũ lib 2 earum quæ ab Indijs Occident. afferuntur inserta.

[p] Lib 1. theorematum cl. ad theor. 37

[q] Lib. 3 de sympt. causis cap 2. ad finẽ.

[r] Sect. 2 prob. prob 2.

[s] Teophrasto lib de sudor.

[t] Sect. 2. prob. probl. 8.

[u] Sect. eadem probl. 16. 23. & 24.

[x] Lib. 1 contro. cap 2.

[y] Lib. 1. aph. 15.

[z] Comm in eatatum aph. & lib de sym. diff. cap. vlt.

[a] Lib. de sym. differ. cap. 6.

[b] Comm. 3. in 6. epidem. com. tex. 27.

[c] Lib. 20. lect. antiq. cap 16.

[d] Citat. cap. vlt. lib. de differ. sympt.

[e] Lib. de sectis cap. 5.

mitum ruit,genus quidem non præter naturam esse, multitudinem tamen nonnunquam. Cætera demum in definitione apposita,sudoris rationem formalem exprimunt: causam sine qua non simul insinuantia, scilicet pororum apertionem ratione cuius Aristoteles, [f] non humorem tantùm causam esse vt sudemus dixit: sed foraminum quoque apertionem, & corporis raritatem, atque solutionem.

Quibus ad sudoris naturam pertinentibus explicatis,ad eiusdem differentias transeamus.

Sudorum enim primò alij nondum ægris,alij morbo iam laborantibus adueniunt. Illi vel post exercitium,vel citra illud accidunt. Qui ab exercitio facilè sudant: laxo sunt corporis habitu; & humidi,caloréque temperato donati: qui verò difficilè; vel densa sunt cute; vel si laxi, sicciores sunt, & acriorem calorem habent, qui ab exercitio increscens humidum exagitatum in acrem halitum potiùs conuertit,quàm illud per sudorem excernat. Citra exercitium à somno plurimis sudare contingit: de quibus Hippocrates, [g] sudor multus à somno,sine causâ aliâ factus, corpus copiosiore cibo vti significat; si vero cibum non capienti hæc passio accidat, significat euacuatione opus esse. Vbi per multum sudorem, intelligitur copiosus & ab vniuerso corpore emanans. Qui si non habeat aliam causam manifestam sudorem prouocantem; vel plus significat cibi aut potûs assumi,quàm talis natura ferat. Vel humidi & aquei excrementi copiam superabundantem in corpore vniuerso collectam, & corpus euacuatione indigere demonstrat. [h] Quod si sudor à parte aliqua corporis,capite,pectore,aut aliis speciatim effluat: ibidem redundantiam humidioris excrementi latere significat vt Valesius aphorismum 38. lib. 4 interpretatur. Qui præterea vndecumque effluat, si fœteat putrilaginis succorum incoctionem, & ἀπεψίαν consequentis est index: seu vt docet Theophrastus, [i] huiusmodi incoctionis causa sit ventris impuritas, seu malus omnino habitus & peruersa partium intemperies,seu ciborum specialis quædam proprietas succos quibus immiscentur inquinans,qualem in ruta, cæpa,allio,porro,asparagis,& similibus experimur. Siquidem ab horum singulis,id quod vltimum est membrorum alimentum perfectè confici impeditur:atque ex parte corrumpitur,in olidum vaporem,aut sudorem transiens.

Sudorum autem ægris aduenientium,alius est criticus, alius symptomaticus. Criticus duorum est generum: proprius alius,alius improprius. Impropriè criticus,dicitur ille qui quemlibet febris intermittentis paroxysmum finit, materiæ morbificæ portionem tantùm euacuans: & periodicus nominari solet. Criticus propriè nuncupatur,qui ex Hippocrate [k] die critico,prægressis signis, coctionis supple febrem exoluit: quem idem [l] optimum appellauit. Ad hunc autem proximè accedit & bonus nuncupatur,is qui ab eodem Coo Sene [m] ex toto corpore profluens facit vt æger faciliùs morbum ferat. Etenim perfectè criticum eum esse sperare oportet,qui cum pepasmo materiæ morbificæ,calidus, multus,vires minimè dissoluens,die critico,ab vniuerso corpore profluat.

Symptomaticus ille omnis appellatur,qui morbis superueniens minimè est iudicatorius, neque ægritudinem aut minuit,aut soluit. Is autem ex Galeno [n] aut redundantiam, aut retentricis imbecillitatem indicat, Redundantiam quidem,idest infesti humoris præsentiam qui facultatem expultricem copià vel qualitate irritet: idque in morborum præsertim principiis, & signis coctionis nondum apparentibus. Imbecillitatem verò,quando in æstuosis & colliquantibus febribus, qui eliquatus est humor, vel ex internæ inflammationis vehementia (vt habetur in prognosticis) [o] vel vt septimo Epidemion [p] notatur,ex ambientis aëris extremo feruore: per laxati corporis meatus & poros, naturâ farescente diffluit Vel cùm deficiens iam natura in extremo aduersus morbum victorem enixu, in modum fauillæ antequam extinguatur scintillantis,sudorem ac plerumque miliarem, Salio [q] adnotante exprimit Omnis enim huiusmodi,planè symptomaticus est,qui vel materià morbificà nondum coctâ excernitur vel die minimè critico, aut citra naturæ prouidentiam rebus ægri malè habentibus excitatur. Sed controuersum est,an sudor symptomaticus, & quæuis alia symptomatica excretio aliquando sit vtilis. Siquidem Hippocrates [r] ex vno plurima docere solitus,vacuationem in morbi principio factam noxiam esse statuit: dum morbis quibuscumque incipientibus,inquit,si atra bilis vel supra vel infrà exierit,lethale.

Quæ explicans Galenus, [s] hoe vniuersalius effatum profert: quando aliquis incipit morbus, si quid excernitur,nihil tunc ratione naturæ excernitur: sed sunt omnia casus eorum quæ præter naturam sunt in corpore dispositionum. Quo enim in tempore à causis quidem morbum facientibus natura grauatur, adest autem cruditas humorum: tunc aliquid bene euacuari est impossibile. Cuius ea est ratio: quòd cùm natura de rebus ægrotantis prouida, ita soleat vacuationes moliri in morbis,vt primò peccantem materiam coquat, mox eamdem ab vtili separet, demum eam ipsam vt inutilem excernat: si aliquando peruertatur hic ordo, naturalium facultatum peruersionem quamdam adesse portenditur: quam nunquam cum bonis ægri rebus, & vtiliter accidere posse certissimum est.

f Sect. 2. problem. citat. prob. 8.
g Lib. 4. aph 41.
h Hippocrates 4. aphor. 42. & 7. aph. 61.
i Citat lib. de sudor.
k Sect. 3. prognost. tex. 26
l Sent. 574. coaca.
m Vtrobique
n Comm. 3. in 1. prorrhet. com. tex 6.
o Citat. tex 16 sect. 2.
p Tex 93. ex partitio Valesij
q In lib. 1. de morbis com. tex. 118.
r Lib. 4. aph. 22.
s In commen.

Præterea,non quæ in principio solùm,sed etiam quæ in morbi progressu symptomaticè excernuntur,eadem in ægrotantis noxam excerni docuit Hippocrates,[t] cum decretoria inquit,non iudicantia,aut læthalia,aut difficilis sunt iudicij.

[t] Lib. 2. epid. sect. 2.

Quod licèt ita frequentiùs accidat,naturâ in vtroque casu à morbificâ materiâ potiùs irritatâ & perperam defatigatâ,quàm se extricante ab humore noxio. Tamen non repugnat,imò non rarò aduenit naturam copiâ materiæ morbum facientis grauatam,vtiliter illius portionem in principio atque etiam in progressu morbi excernere. Sic enim parte oneris subleuatâ, faciliùs deinceps quod reliquum est perfert,& se ad illius quod minùs est coctionem accingit. Quando verò symptomaticam excretionem vtilem esse sperare liceat,& quando eamdem noxiam futuram timere oporteat ex sequentibus cognoscemus. Primùm,quòd si in morbo minimè maligno,materiæ illius quæ morbi est causa portio nondum succis permixta in vasis,morbo etiam inchoante vacuetur; vtilis fit talis excretio.

Non enim humor huiusmodi coctione vlteriore,aut secretione indigebat, vt ab eius excretione naturalium operationum ordo peruertatur. Sic pituita, vel bilis flaua, aut etiam melancholia secundùm naturam genita,in ventriculo aut mesenterio contenta,imo & setosum excrementum ob cutem derepente densatam in extremo corporis habitu coaceruatum:non infructuosè morbis etiam incipientibus,illa per vomitum,aliæ per secessum,hoc verò per sudorem euacuatur. Hinc,Medicus naturæ imitator Hippocratis [u] consilio iubetur,morbis inchoantibus si quid videtur mouendum mouere: quo materiam minorem factam (vt addit in comment. Gal.) faciliùs natura concoquat.

[u] Lib. 1. aph. 29.

Secundò quando materia morbi authot non vna est,sed multiplex; atque vna ad coctionem & pepasmum est alterâ promptior: potest in progressu morbi,renuioris aut mitioris illius materiæ portio,naturæ vi vtiliter excerni, cùm tamen non planè criticè euacuetur,morbo adhuc persenerante. Ita plerumque in morbis aduertimus 7. 11. 14. aliisque consimilibus diebus,sudores, vrinarum effluuia,aut alui fluxus aduenire cum symptomatum mitigatione:postmodum verò, aut per sensibilem aliam euacuationem, aut per insensibilem exolutionem,morbum in integrum solui. In vtroque autem casu maximum imminentis fructûs indicium, est ægri tolerantia. Quæ enim benè feruntur ab ægris, naturâ potiùs recreatâ, quàm exhaustâ, aut fatigatâ: eadem semper in bonis habere conueniet.

In cæteris verò omnibus casibus, vacuationes symptomaticæ, seu in principio, seu in progressu apparentes,per dies etiam iudicatorios non iudicantes tamen & morbum minimè soluentes:omnes sunt noxiæ. Nam maligni quicumque humores,ac præsertim synceri quocumque tempore, ac maximè in principio excernantur, in ægri perniciem excernuntur: cùm vel morbi malignitatem, vel naturæ impotentiam in mitificando indicent. [x] Item copiosiores omnes vacuationes perfectam coctionem præcedentes,noxias esse suspicandum est:quòd indicetur vel tantam esse materiæ naturam opprimentis copiam,vt eam euincere vix liceat: vel quòd natura semel ad excretionem irritata se continere non possit,sed indiscriminatim quorumcumque vacuationem moliatur,bona etiam malis permixta excernens; quæ in eius noxam cedere necessum est. Præterea si per aliena loca, & humori expurgato pro naturâ & sexu ægrotantis minimè conuenientia,excretio fiat: Idipsum noxium est. [y] Ac tandem si alterius materiæ quàm eius quæ morbi est causa vacuatio fiat; eamdem suspectam habere conuenit: atque etiam quamcumque difficilè ferat æger.[z]

[x] Colligitur ex citat. aph. 22. lib. 4.

[y] Ex 21. aph. lib 1.

[z] Hippocrates 1. aph. 2. & 15.

Sed ad symptomaticos sudores redeuntes, eorum multæ sunt differentiæ. Quidam enim ratione quantitatis sunt symptomatici, alij ratione qualitatis, alij ratione temporis, aut modi quo excernuntur.

Ratione quidem quantitatis symptomaticus est quicumque vel copiosior est iusto, vires exoluens: vel parcior, materiam peccantem non expurgans. Copiosior autem non quantitate in se consideratâ, mensuratur; sed ad ægri tolerantiam, quæ ex pulsu præsertim cognoscitur collatus. Nam vt habet Galenus, [a] aliqui tantum sudoris effundunt aliquando, vt suppositam mattam & culcitam madefaciant:quibus tamen minimè reprimendus est, cùm illo ea tantùm euacuentur quæ molesta erant ægrotanti. Copiosiores ergo illi sunt,qui naturæ vires exoluunt,& à quibus imbecillior æger redditur.

[a] Lib. de sectis ad eos qui introducuntur cap. 9.

De quibus Hippocrates [b] ex Galeni interpretatione locutus. Sudor multus ait, frigidus aut calidus assiduè fluens, frigidus quidem maiorem, calidus verò minorem morbum ostendit. Multus enim sudor,seu per totum morbum continuò fluens, seu frequenter repetens: materiam morbificam copiosam esse significat,atque adeò difficilem superatu. Quod malum est,saltem vt signum. Sed & idem multus assiduè fluens,malus est vt causa:quoniam vires dissoluit. Vnde Hippocrates,[c] sudor multus ait,si cum febribus acutis fiat,inutilis.

[b] Lib. 4. aph. 42.

[c] Lib. 1. prorrhet. sect. 2 tex 21.

Nam ex Galeno, [d] qui in acutis morbis assiduè sudant, mediocriter cunctantur

[d] In comm. citat. tex.

&

& trahunt;qui verò copiosè non solutâ febre, citò exolui eorum vires liquidò constat. Sunt enim huiusmodi sudores διαφορητικοὶ, id est propriam ægrorum substantiam spirituosam saltem exoluentes & digerentes, siquidem quod διαφορεῖσθαι Græcis dicitur, id Celsus [e] digeri interpretatur. Diaphoretici autem sudores, vel febribus superuenientes & cum portione materiæ naturam irritantis spirituosam ægrorum substantiam atque vtilis succi portionem dissipantes: vel citra febrem in grauioribus animi deliquiis apparentes, & aquosam humorum portionem immodicè exprimentes, vt signum & vt causa semper sunt periciosi. De quibus posterioribus mensionem faciens Galenus, [f] si per sudorem, digesti, inquit, fiant tremuli, vt in deliquiis cardiacis & stomachicis, calefacere hos extremè malum est. Quoniam his reprimere potiùs sudorem oportet, quàm irritare.

e Lib. 3 & 19.
f Lib. de tremore palpit. &c. cap. 5.

Qui verò contrà parcior est sudor, etsi criticus aliquando esse possit morbum finiens: parcior tamen respectu ad materiam morbificam cui ex integro non respondeat recidiuam apud Hippocratem [g] minatur. At qui verè symptomaticus est & paucus, solétque ἐφίδρωσις à Græcis appellari, & à Latinis sudatiuncula: exiguus [h] est sudor, qui vel à toto corpore emanat, seu à quo subroscidum fit totum corpus, vt loquitur Duretus, [i] quem etiam miliiformem dixit Hippocr. [k] vel is qui circa thoracem, aut circum caput tantùm plerumque apparet. Qui omnes, præsertim in acutis affectibus, mali sunt. [l] Hinc apud eumdem Diuum Senem [m] qui in febre non intermittente tenuiter crebrò exsudant: cum præcordiorum distentione: hi vtplurimum malignè habent. Et, [n] quibus adsunt superiorum partium tenues sudores, cum perfrictionibus, nec sine febre: ij corporis incontinentia & phrenitide vexati, præceps periculum denuntiant. Nam vt appositè docuit Duretus, [o] sudatiunculæ duæ sunt causæ: vna quidem ineunte morbo, naturæ oppressio: altera prouecto iam morbo, vel ab hypercrisi, naturæ fatiscentis exolutio, succique habilis partium solidarum exudatio: vel etiam extremus naturæ à morbo victæ conatus; in quo non materia morbifica, sed vtilis humor per carneam substantiam diffusus exprimitur. A quacumque autem harum causarum prouocetur ephidrosis, euidens est eamdem aut minimè bonam esse, aut certæ perniciei indicem.

g Lib. 2 aph. 18.
h Gal. com. 2. in lib. 2. prorrhet. com. tex 7.
i Lib 2. coac. com. tex. 33.
k Sect. 2. prognost tex. 26.
l Citat. prognostici tex.
m Senten. 32 coac.
n Sent. 69.
o Lib. 2. coac. cap. 33. com, tex. 17.

Qualitate, symptomaticum illum sudorem esse iudicamus, qui odore, sapore, aut tactili aliquâ qualitate, vel imperfecti pepasmi, & nondum absolutæ mitificationis materiæ morbificæ est index: vel innati calidi tum imbecillitatem, tum exolutionem denuntiat. Ab odore quidem, & sapore, quoniam serum eorum succorum qui per pepasmum mitiores sunt redditi, debet neque odore admodum esse graue, nec gustui plurimùm ingratum sed quadam salsedine præditum. Quam vt post Aristotelem [p] docuit Theophrastus [q] exinde acquirit, quòd natura per sudorem id excernens quod carnis accretioni est incommodum; inconnectili sero, superassatam terream succorum portionem coctionem effugientem permisceat, à cuius permixtione illi salsedo vt iam aliàs docuimus [r] adnascitur.

p Lib. 2 prob. 5.
q Lib. de sud
r Tract. 2 lib. 2. cap.

Symptomaticos omnes illos sudores, vel quomodocumque imperfectam crysim consequi censebimus qui vel fœtidi fuerint, non superatæ putrilaginis indices: vel amari aut acidi ipso ægro referente extiterint, bilem alterutram per pepasmum minimè mitificatam vt ex Galeno [s] colligimus, significantes: verùm licèt eiusmodi sudores symptomatici dicantur: non omnes tamen qui sapore, aut odore, à sudoribus secundùm naturam sunt alieni, ijdem statim sunt perniciosi, si in aliis conditionibus non defecerint.

s Lib. 4. de tuenda sanit. c. 4. aliquādo ante medium.

Quoniam & humoris peccantis portio sero permixta vtiliter potest expurgari: & seri putrilagine inquinati pars, ad naturæ leuamen potest excerni, vt suprà à nobis fuit indicatum.

Quod ad tactiles autem qualitates pertinet: frigidi omnes sudores & symptomatici sunt, & perniciosi. De quibus sic Hippocrates. [t] Frigidi sudores cum acutâ quidem febre mortem; cum mitiore autem, morbi longitudinem significant. Frigidus autem sudor fit: vel præ lentore & crassitie frigidi succi qui ne à calore quidem febrili calescat, cuius portionem magis aqueam & fluidiorem natura exprimat dum se ab oppressione extricare conatur. Vel præ extinctione calidi innati: aut retrocessione saltem eiusdem ad interna, in ijs præsertim febribus [u] in quibus dum internæ partes vruntur externæ algent per quas ab ijs partibus sudor exprimitur, in quibus calor natiuus vel omninò extinguitur vel extinctioni est proximus. Vnde Philiscus apud Hippocratem [x] cùm quinto die frigidum sudasset, sexto defunctus est: & Dromeadæ vxor [y] cùm die tertio subfrigidum sudasset; quantumuis calor ille è vestigio rediisset, sexto periit. Quare frigidum omnem sudorem malum esse necessum est; cùm is indicet, aut naturæ vim imparem, vel tardam esse ad materiam morbificam euincendam, aut eamdem exolutam esse.

t Lib. 4. aph. 37.
u Galenus com in citat. aphor.
x Lib. 1. epid. sect 3 tex. 18
y Ibid. tex. 28

Quorum quodlibet in febre acutâ, vrgente, & periculosâ. Imo & in quacumque, si imbecilla sit facultas, vt annotat Valesius [z] læthale est. Quod si ex frigidi succi & crassi, neque per calorem febrilē calefacti expressione, in mitiore morbo, robusta existente facultate frigidus sudor adueniat

z In citat. 37 aph. lib. 4 co.

cùm tanta talis fucei contumaeia,non nisi multo tempore fuperari queat : cum morbi diuturnita tem significate euidens est. Cum qua faluari hominem Gal. authore,tum contingit : cùm humorum frigidorum multitudo temporis progreſſu concoquitur,& à natura tandem ſuperatur.

Ratione temporis quo fit exeretio,ſudor ille ſymptomatieus eſt;qui in principio morborum , & materiâ morbi causâ nondum concocta apparet:necnon & qnicumque fiunt die minimè eritico. Nam vt optimi ſunt ex prognoſtico,qui die decretorio adueniunt & integrè febrem tollunt: proprium enim eſt ſudorum qui die critieo fiunt morbos iudieate: [a] Ita contra qni aliter fiunt, vel laborem ſignificant,vel longitudinem morbi,vel reciduas Laborem quidem , ob varia ſymptomata quæ inanem naturæ conarum conſequuntur. Longitudinem verò,quia febricitanti ſudor ſuperueniens febre non deficiente,malum. [b] Prorogatur enim morbus, & multam humiditatem ineſſe ſignificat. Reciduas demum,quoniam febricitantem niſi imparibus diebus febris reliquerit (non integrè ſcilicet iudicato morbo) ſolet recidiuare.

a Collige ex aphor. 36 lib 4.
b Aphor 36 lib. 4.
c Aphor. 61

Tandem ratione modi exeretionis , inter ſymptomaticos ſudores recenſentur, illi qui diu nimiùmque perſeuerant : quales ſunt multi illi diùque in morbis acutis fluentes quorum ex communi interpretum ſententiâ meminit Hippocrates quarto aphoriſmorum quadtageſimo ſecundo , & quorum iam antè noxam indicauimus. Item qui lentè excernuntur , naturæ vecordem motum & excretricis imbecillitatem ſignificantes Ac denique qui non per guttas à cute ſtillant; ſed ex prognoſtico, [d] ſunt miliiformes, & minutulum rorem cuti aſperſum , milij granis ſimilem , repræſentant.inſtante ſyncope apparere ſoliti ; & facultatis ingentem oppreſſionem calidique ſuffocationem indicantes. Inter hos autem omnes,deteriores illi ſunt, qni ex pluribus capitibus à criticis deficiunt. Minùs verò mali,qui plures criticorum conditiones & potiores imitantur , minúſque difficilè feruntur ab ægris.

d Citat.text. 46.ſ.d.1.

De ſputo.

Capvt V.

Spvtvm, ſeu πτύαλον Græcis , à ſpuendo dictum : vulgò nuncupatur tam id quod ſimplici expuitione ab ore emittitur quàm quod excreatione ab imis faucibus educitur,necnon & quod tuſſiendo expellitur. Propriè tamen à Medicis ſputum appellatur illud ſolum excrementum , quod à pulmonibus & thorace tuſſiendo per os excluditur quod propriè dici poſſet expectoratum. Galenus tamen [a] τοῦ πτυάλου ſeu ſputi nomen illi ſpeciatim tribuit , quod coctum eſt atque ex pituitâ nulli alteri ſucco permixtâ conſtat:quod autem expectoratur,ſanguini,bili pallidæ,vel nigræ commixtum , πτύσμα ſpeu ſputamen vocat.

a Lib. 2. de criſib. cap. 3.

Nos ergo communem Medicorum loquendi formam inſequentes , per ſputum id omne intelligimus quod tuſſiendo à thorace reijcitur Quod autem per ſimplicem expuitionem ab ore excernitur : ſeu ab humidiore ventriculo in os quaſi per filtrationem quamdam effundatur , ſeu à cerebro in os diſtillet : cum Hippocrate ex Galeno , [b] πτυαλισμὸν ſiue ſputationem nuncupabimus. Quod verò à faucibus,& im ? gutture,vbi per moram incraſſatum adhæſerat, expellitur. Id cum Galeno [c] ἀνάχρεμψιν ſeu exereatum appellabimus , quando ſingulorum diſtinctam mentionem facere expediet. Neque enim hoc loco cogitamus,de illis omnibus tractate:ſed de ſputo tantum agere , quod nobis eorum ſolùm morborum ſigna ſuggerit, qui thoracem occupant. Sputi autem non vna eſt conditio , ſed plures eius ſunt differentiæ:quæ vel ab eo deſumuntur quod exereatur, vel à tempore morbi in quo exereatio fit,vel tandem ab ipſo exereandi modo.

b Comm.1. in 1. prorrhet com. tex 12
c in tex. 8. eiuſdem lib.

In eo quidem quod excreatur : vel ſubſtantiam attendimus ; vel qualitates colorem ſcilicet ſaporem, & odorem. Ratione ſubſtantiæ primùm,ſputum vel ſyncerum eſt,vel permixtum. Syncerum dicitur id,quod ex quacumque materiâ conſtet , nullum alterum ſuccum ſibi permixtum habet [d] Seu talis materia ſit pus (à cuius ſputo phthiſis) [e] ſeu ſanguis , pituita , flaua , aut atra bilis.

Tale autem omne , authore Hippocrate , [f] ſi ex prauo aliquo ſucco conſtet malum eſt & periculoſum : ob prauæ materiæ abundantiam. Æquè enim in ſcreationibus atque in vomitionibus, ſynceriores ſunt deteriores. [g] Permixtum autem ſputum illud appellatur , cuius non vna eſt materia , ſed multiplex. Cuius generis id minùs noxium eſt, quod vt ex Galeno [h] colligitur, cum pituitâ quæ communior ſputi materia eſt, ſanguinem habet permixtum.

Is enim mitiſſimæ inflammationis eſt materia. Non aliter autem ac fluxiones , ita permixtiones flauæ aut atræ bilis deteriores. Flauæ tamen minùs: quæ cùm exereationi permiſcetur , admodùm permixta debet apparere [i] vt eùm nondum mitificari abundè potuerit, permixtione ſaltem

d Gal. comm 2. in lib. prognoſt. comm tex. 46
e Lib.7. aph. 16
f Tex 46 lib. 2 prognoſt.
g Eodem 2. progn. tex. 38
h Comm. 2. in progn. comm tex. 46.
i Hipp in prognoſt. ſect 2. tex 44.

tem mitior fit reddita. Quoties enim cum flaua, cum ruffa, screationi non admodum fuerit permixta deterior iudicatur: [k] maiorem acritudinem retinens.

Secundo sputa ex parte substantiæ differunt, quòd hæc vel tenuis fit et liquida, vel crassa: quarum illa cruditatis, hæc coctionis est nota. Crassitiem autem moderatam esse oportet quæ vt ex Hippocrate [l] colligitur, puris perfectè cocti consistentiæ respondeat. Si enim crassities modum excesserit, vt ad lentam visciditatem perueniat: iuxta Hippocratem & Galenum, [m] morosi & tardi affectus est signum, vel si ad eam duritiem perducatur vt rotundum fit sputum (cuius cum Hippocrate meminit Galenus commentario tertio in sextum Epidemion. [n] Signum erit, aut vehementioris caloris, aut longioris moræ intra thoracem: cum ex horum altero oporteat exsiccatam & induratam esse pituitam. Verùm & quod tenue est, & quod crassum, idem si simul spumosum esse contingat, ex Hippocrate malum est. Quod vt docet Galenus [o] cùm spuma omnis ex aëreâ & humorosâ substantiâ, caloris aut motûs vi æqualiter permixta generetur: spumosum omne sputum immodici caloris & feruoris intra thoracem sit index. Deterius tamen futurum: quò peior fuerit spumans humor: qualem notauit Hippocrates [p] eum esse qui ex virore pallet aut ex pallore viret quemve χλωρὸν appellant.

Tandem ex substantia, alia cruda sunt, alia cocta. Cruda à Galeno, [q] dicuntur omnia, quæ subflaua, subruffa, subpallida, subspumosa, vel etiam tenuia, imo & cruenta sunt. Quæ præter id malum quod cruditatem per v atiamorbi tempora apparentem sequitur, nihil aliud insigne portendunt.

Quæ verò sine alia commixtione sunt flaua, ruffa, viridia, atque his magis nigra: cum cruditate, prauitatem etiam denunciant. Atque ea quidem quæ nihil habent cruditate deterius, morbum in longius prorogandum notant: quæ verò prauitatem habent coniunctam, periculum imminere significant: quæ quò deteriora fuerint eò efficaciùs mortem minantur. Cocta autem sputa, quæ semper in salutis spem apparere consueuerunt: ea appellat Hippocrates, [r] quæ sunt similia puri, atque ideo alba, læuia, & æqualia: à quo tamen, lentore dissident, sed ita vt nec ea quidem plurimum lenta esse oporteat.

Ex parte qualitatum, à colore primùm sic inter se distinguuntur sputa: vt quædam vnius sint coloris, alia plurium. Quæ vnius sunt coloris, ea ex Galeno, [s] vel pallida sunt aut flaua si bilis abundauerit: vel nigra, ex atra bile, alba, à pituita: & rubra ex sanguine. Quæ verò plurium sunt colorum, talia redduntur ex leui permixtione plurium succorum: & sputa varia dicuntur ab Hippocrate. [t] Quæ vel thoracis partibus inflammatione exquisita aut notha laborantibus, vel vitiosis succis per catharrum in pulmonem confluentibus fieri consueuerunt.

Ex sapore quem considerare expedit vt humoris redundantis qualitatem faciliùs discernamus, sputorum quædam sunt dulcia, ab excocta pituita, aut permixto sanguine: minùs quidem mala si nondum sint cocta, optima verò si ad coctionem perducta sint.

Alia amara à bile: quæ si vehementer talia esse contigerit, perniciosa censentur. Aliqua etiam salsa sunt, qualia nonnunquam authore Galeno, [u] ij quibus vlceratus est pulmo excreare solent. Quod si vlcus nondum sit genitum, eius non leue periculum in salsa excreantibus imminet. Vnde ab Hippocrate, [x] sputa viscida, salsuginosa, cum raucitate malo esse scribuntur.

Et [y] qui pus intùs collecturi sunt, inquit, ijs primùm salsuginosum sputum expuitur, deinde dulcius. Salsuginoso quidem, erosionis & vlceris causâ, præcedente: dulci autem tum succedente, cum pus iam genitum fuerit.

Ab odore, quædam fœtida sunt; quæ carbonibus iniecta, igne non euincente fœtorem, si grauiter oleant pessima sunt. Indicant enim malignam carnis pulmonis putredinem, planè læthalem. [z]

A tempore verò quo sputa excerni accidit, ea differunt inter se, quòd quædam citò, alia verò longè à principio excernentur.

Quorum illa ex Hippocrate [a] docet Galenus, [b] morbum breuiant: hæc autem eumdem producendum significant.

Etenim si ægri, inquit Hippocrates, [c] die tertio cœperint cocta expuere, citò finietur morbus: si verò postea, in longius tempus propagabitur crisis.

Tandem à modo exeundi sputa distinguuntur; quòd ea facilè, aut difficilè: cum dolore, aut sine dolore: cum multa tussi, aut cum pauca reijciantur. De quibus Hippocrates, [d] screationem in omnibus doloribus qui sunt circa pulmonem & costas, citò ac facilè spui oportere inquit, multam autem tussim inferentem deteriorem esse. Ac citò quidem screari, est in principio excerni: vel intra tertium diem, vt Philotheus interpretatur, aut

[k] Ibidem tex. 45.
[l] Lib. de ratione victus acutor. sect. 4 tex. 78.
[m] Lib. de ratione victus acutor. sect. 1 tex. & comm. 13.
[n] Com. tex. 56.
[o] Comm. in 2. sect. prog. com. tex. 47.
[p] Ibidem tex. 47.
[q] Lib. 1. de cris. cap. 5.
[r] Lib. de rat. victus acut. sect. 4 tex. 78
[s] Lib. 5. de loc. affect. cap. 1. & lib. de constit. art. cap. 15.
[t] Lib. 3. epid. sect. 1. tex 4.
[u] Lib. 5 method. cap. 14
[x] Senten. 418 Coacarum.
[y] Senten. 403
[z] Hipp. apho. 11. lib. 5.
[a] Lib. 2. epid. sect. 1.
[b] Comm. in aph. 2 lib. 1.
[c] Lib. 3. de morbis
[d] Lib. progn. sect. 2 tex 43 & 45.

aut intra quartum diem vt Galenus ait. Atque id ex celeri coctione pendet, quæ naturæ robur, & materiæ benignitatem ostendit. Facilè autem idem est quod promptè, sine dolore vllo, absque molestâ & multâ tussi, & sine difficultate screandi: ex quibus & robur agentis, & expedita esse instrumenta, & quod mouetur facilè obsequi, nec nimis aut tenuem aut viscidam esse materiam significatur: quarum illa impellentis impetum eludit, hæc verò adhæsione resistit.

De vrinis.

Caput VI.

VRINAS non ad diagnosim solùm, sed ad prognosim etiam vtiles esse, & plura quàm aliud quippiam eorum quæ ex nostris corporibus euacuantur, significare posse: & ratione, & vsu experimentóque Medicorum certissimum deprehenditur. Illæ enim non solùm qualitates produnt succorum qui in vasis, venis scilicet, & arteriis continentur, vt à Galeno accepimus: [a] sed etiam ea deteguot quæ ad venas, renes, & vesicam pertinent. [b] Imo & quæ ad instrumenta nutritionis spectant. [c] Sed præterea coctionis sunt aut cruditatis indices, vt infrà docebimus: Atque ita eodem Pergameno monente, [d] iudicationem etiam, aut saltem morbi solutionem futuram prænuntiant: vt fusè docuit Christophorus à Vega in præfatione tractatus de vrinis. Neque tamen ea est vrinarum dignitas, vt quemadmodum Fernelio visum est, ad quoscumque morbos dignoscendos, eorumdemque exitus prænoscendos indicia suggerant: sed vti ex Galeno colligimus [f] in morbis tantùm ventriculi, iecoris, renum, vesicæ, ac vasorum (quales sunt febriles affectus) per se sunt significatrices. Non enim serum quod in vrinam secedit, caput, thoracem, externasque partes attingit: sed ea potius in halitum insensibilem, aut in sudorem abit.

Quòd si in aliis morbis vrinam inspiciendam esse, ad Hippocratis imitationem Galenus [g] ipse iubeat. Id non ideo consuluit, quòd inde ad talium morborum cognitionem veniamus: sed quòd si alia prætereà videatur esse in corpore praua affectio, ægro malum accrescere iudicemus. [*] Neo enim contrà si vrinæ bonæ apparuerint in pectoralibus morbis, & similibus; magnum eas præbere momentum ad salutem sperandum est.

Quare iure cum Langio, probis eos insequi decet qui solâ inspectâ vrinâ, quæcumque in ægrotantibus insunt, & quæ ventura sunt, se nosse profitentur: ac temerariè ignotis ægris ex lotio præscribunt, rarò ad salutem, frequenter ad perniciem; ne quod offertur vile lucrum perdant. Quibus hic in parte non inutiliter præfatis, ad rem veniamus: vrinæ naturam, differentias, causas, & præsagia inquirentes.

a Lib. 4. de tuend. sanit. cap. 4. & cō. 2. in 1 epid. com tex 44
b Gal comm in aphor. 71. lib 4.
c Idem com 2. in 3. epid. tex. 6
d Citat. com. in aphor. 71. lib. 4.
e Lib. 3. path. cap 8.
f Com. in tex. 26. lib. 2. prognost.
g Citat. com 2. in 3 epid com. tex. 6
* Argumen. in aphor. 15. sect. 2.
h Lib. 3. epist. epist. 6.

Vrina ergo vel sanorum est, vel ægrorum. Sanorum quidem vrina, est excrementum tenue & aqueum potûs præsertim, tum etiam ciborum cui bilis aliquid admixtum est, & à renibus in vesicam expellitur, ad sanguinem expurgandum vt sit corpori conuenientius alimentum. Ægrorum autem vrina, est excrementum liquidum per renes in vesicam expulsum, quod tum ex aqueâ potuū ciborumque substantiâ, tum ex humorum sero & ichoribus, ac liquamētis partium constat: quodque non rarò varios in se continet succos, variasque substantias in nobis præter naturam genitas.

Cæterùm, sanorum vrinas non ex potulento solùm liquore generari: demonstrant, tum cuniculi & similia animalia quæ sine potu meiunt, tum copiosior mictio in illis hominibus qui fructibus herbisque vescuntur. Eidem autem bilis portionem admisceri colore detegitur. Quod fit non vt serum familiarius aut minùs inimicum reddatur partibus à quibus attrahitur, quemadmodum visum est Capiuaccio tractatu de vrinis: sed quia serum dum permeat iecur in quo bilis generatur, non potest secum aliquam portionem illius succi non vehere, qui ob tenuitatem quibuscumque aliis facilè permiscetur. Idque eo fine, à naturâ etiam procuratur: vt quædam inde irritatio fiat; à quâ vesica ad vrinæ secretionem prouocetur: neque verò illi præter rationem videatur: nos vnâ & eadem definitione sanorum ægrorúmque vrinas non comprehendere: nam alia est natura vtriusque, materiáque plurimùm dispar: quas ideo ad faciliorem doctrinam distinguere maluimus, quā ad vnum caput vtramque referentes, viam controuersiis aperire. Sanorum ergo vrina, quæ cæterarum est quasi regula & norma; apud Galenum, [i] sequentibus notis insignitur. Mediocris est crassitiei quam à coctione consequitur: colore est subrufo, à permixtione pituitæ & bilis, potiùs quàm subflauo, quem colorem acciperet, ex syncera bile. Præterea excreta sibi similis manet, vt ait Aetius. [k] Ac tandem potûs quantitati respondet. Albidior tamen est in fœminis, quam in viris, in pueris, quàm in adultis: ob priorum, quàm posteriorum, calorem remissiorem.

i Lib. 1. de cris. cap. 12.
k Lib. 5. cap. cap. 28.

Sed controuersum est, an in sanorum vrinis appareat aliquod sedimentum. Id affirmat cum Aetio Capiuaccius: [l] negat necessarium esse Trincerius in suâ Theoricâ. Cum quo, & Sauanarola, ausim

l Locis citatis

[m] ausim dicere, adultum exquisitè sanum, qui in nullum coctionis vitium inciderit, nullum in vrinis habere sedimentum. Quoniam quod in hepate in sanguinem non transit, aut est melancholia, aut bilis, aut serum: melancholia, in perfectè sanis non prætergreditur hepar; bilis, à medio iecore expurgatur, cystis felleæ ramis eam suggentibus, præter tenuissimam quamdam illius portionem quæ perfectè commixta sero, transfunditur in venas & ab illo nunquam deinceps secernitur. Quare dum serum per renes transcolatur, nihil illi admisceri concipitur, quod vbi excreta est vrina, à seri substantiâ separatum aliquando subsideat. Verùm quia vix quisquam reperitur, qui non plerumque crudum aliquid cum chylo transfundat in iecur, quod hæmarosim subterfugiens, cum sero deinde per renes expellatur in vesicam, & secretum tandem in matulâ attenuante calore destitutum concrescens subsideat: frequentissimè in sanorum etiam vrinis, sedimentum apparet; copiosius in fœminis quàm in viris, & copiosissimum in pueris; in illis ab otio, in his ab ingluuie. Quare appositè prædictam controuersiam sic dirimit Galenus, [n] cùm inquit, vrinas nullo pacto sedimentum habere si tenuiter, copiosum verò si largiùs; exiguum si modicè viuatur. Quantumcumque autem illud sit, idipsum Aëtius, [o] omni tempore album, læue, & æquale esse profitetur: quòd semper à calore excoctum, & coctum sit.

m Lib. de vrinis cap. 2. rubr. 5.
n Comm. 2. in lib. progno. com. text 26.
o Citat. cap. 28. lib. 5.

Ægrorum autem vrinæ, seu neutrorum etiam (quos sub illis hîc comprehensos volumus) multiplex est varietas; quæ vel in substantiâ, quantitate, colore, odore, excernendi modo, vel tandem in contentis apparet.

Quoad substantiam, seu consistentiam spectat [vtrumuis enim dicatur parum refert] quintuplex est vrinarum differentia. Quædam tenuis est, alia crassa; quædam diaphana, alia opaca, alia demum inter vtramque contrarietatem mediocris. Crassam ab opaca differre, & tenuem à diaphana, exemplis docet Auicennas: [p] atque id in explicandis singularum causis apertum fiet.

p Lib. 1 fen. 2 doctr. 3. sum. 2. cap. 1.

Tenuis vrina ea dicitur quæ per alterius corporis poros faciliè penetrat. [*] Talem autem conditionem subit, vel à defectu permixtionis aliorum liquabilium cum sero, vel à vi caloris dissoluentis & attenuantis ea quæ sero permiscentur. Defectus quidem permixtionis, aduenit primò ob obstructiones meseraïcarum, iecoris, & renum: quæ vias per se exiles magìs occludentes, aqueam seri substantiam ita percolant, vt nihil quod illi permixtum sit præterlabi sinant. Ita aqua salsa ob densæ portionis terreæ permixtionem, si per tenues cerei vasis poros transcoletur: cum crassitie, salsedinem perdere dicitur. Quod licèt improbetur à Valesio: [q] qui crassitiem ex perturbatione ortam colaturâ attenuari admittens, eam quæ coctioni succedit posse colando tenuiorem reddi negat. Id tamen rationi est consonum, quoniam nusquam tam perfecta est crassi cum tenuibus permixtio à coctione iuxta Aristotelem [s] facta quin crassiores partes eius, quod permixtum est colando residant atque idipsum Auicennæ, Actuario, atque aliis abundè probatur. Vel secundò parùm aut nihil permiscetur sero, ob imbecillitatem caloris partium naturalium, & defectum coctionis. Cuius vitio, materia potulenta leuem mutationem subiens, & fusilium aliorum succorum nullam permixtionem admittens, sola effluit.

* Fallopius tract. de simp. medic. cap. 9
q Lib. 3. controu. cap. 23.
s Lib. 4 meteororum, sum. 1. cap. 3.

Tandem si ob immodicum renum calorem, serosa substantia intempestiuè attrahatur, & antequam succorum qui illi permisceri possunt facta sit dissolutio, & vtriusque perfecta coctio eadem impermixta elabitur. In quibus omnibus casibus, vrina vel aquea, vel subpallida, neque vnquam coloratior visitur.

A calore autem per corpus vniuersum, effuso, vrina tenuis etiam aliquando redditur: quoniam cùm caloris sit rarefacere, liquare, & attenuare: si is in succos sero intra venas permixtos efficaciter agat, eosdem vehementer attenuat, & ab eorum attenuatione, tota vrinæ substantia tenuis efficitur. Sic vrina quæ post mediam (totius corporis calorem acuentem) mingitur, tenuis & subcrocea conspicitur, minimum aut nullum ex Actuatio [r] contentum habens.

Item quæ adnotante Duretto, [s] in pituitosis præsertim morbis, crassa principio fuerat, deinceps vi caloris membris insiti, tenuis redditur: Nec non in bilioso morbo, à calore præter naturam efferuescente & effusa bile, vrina russa sit & tenuis; quæ postmodum materia morbifica ad pepasmum deducta, crassescit, & subsidentiam facit. Quod dixisse voluit Hippocrates, [t] dum si vrina tenuis inquiens, fuerit, ac russa morbum crudum esse significat: non per imbecillitatem caloris, sed per excessum eiusdem, à quo excitatus furor, succos nimium eliquat ac diffundit. Vbi quod addit, [u] si verò diuturnus sit morbus, vrina autem eiusmodi; periculum est nec durare æger possit quoad morbus concoctus fuerit: rectè sic explicabitur, minùs enodatum ab expositoribus; vt velit talem vrinam diu in prædictis morbis perseuerantem, naturalis facultatis imbecillitatem à calida illa intemperie natiuum calidum exoluente, ortam, arguere, quæ impedierit humorem nullius malignitatis participem per prægressum tempus coqui & incrassari: atque ideo imminere periculum ne cum ea imbecillitate & calidi innati exolutione, non possit homo sufficere donec emendato tantæ intemperiei vitio

r Lib. 2. de iudic. vrinarum cap. 3.
s Lib. 3. coacar. tract. 4. cap. 3 comm. in tex. 31.
t S. cl. 2 prog. tex. 30
u Tex. 31.

ca vrina ad coctionem perducatur,& materia morbi causa euincatur.

Tandem si vehementior adhuc reddatur is calor,& ingens excitata sit intemperies vrinas & tenues reddit & splendentes,quas flammeas nonnulli appellant.

Tenues enim quæ lucidæ sunt inquit Saxonia [x] aliquid plus habent ignei caloris, ipsammet vrinæ substantiam subtilem ac claram reddentis. A qua verò ex omnibus his causis, tenuis reddatur vrina, præter coniuncti coloris speciem indicabunt, tum ægri pulsus, tum alia simul apparentia symptomata.

Crassas vrinas & difficilè poros alterius corporis peruadentes, omnino permixtio facit : serum enim quod impermixtum est & aqueum, sensibiliter non incrassatur: [y] sed ex eo quòd copiosus succus sero misceatur,illi crassities aduenit. Quæ vel apparens est, vel vera. Apparens crassities ex confusione succorum cum sero nascitur:talesque vrinæ perturbatæ appellantur,iumentorum & subiugalium vrinis similes. Quæ ex Galeno [z] fiunt materiâ crassâ ac densâ à calore agitatâ & cum sero confusâ:atque ex Hippocrate, [a] vel præsentem, vel adfuturum capitis dolorem significant. Flatuoso scilicet spiritu qui per agitationem talis materiæ excitatur, promptè ad caput eleuato. Harum autem quædam perturbatæ meiuntur,& tales perseuerant, quæ verè vrinis iumentorum sunt similes, quas Duretus [b] nunquam subsidere dixit. Talésque magnam crudi aut putris humoris copiam denotant, cui admixta sit plurima flatulenta materia quæ à calore præter naturam agitata in vapores copiosos abeat, vniuersi corporis humores commouens & perturbans. Atque easdem Galenus, [c] dixit morbi longitudinem significare, si robustus sit æger : in imbecillo verò & fractis viribus,mortem prænunciare. Aliæ perturbatæ quidem meiuntur, sed postmodum attenuantur, crassamentum scilicet sero confusum in fundo deponentes:quæ vt author libri de vrinis apud Galenum [d] scribit,ebullitionem crassorum humorum cessare indicant, & naturam eorum secretionem inchoare : seu vt ait Galenus ipse, [e] morbum citò solutum iri; vel saltem,morbum non ita multo post concoquendum significant. [f]

Aliæ demum post mictionem solùm perturbantur,destitutæ calore attennante: quæ, ex eodem libro de vrinis, [g] naturam iam primò aggressam esse coctionem ostendunt; aut quemadmodum eodem libro primo de crisibus legitur, [h] coctionem nondum inceptam esse : atque ideo indicare longiore tempore, & virtute non imbecillâ opus esse ad coctionem. Quas postremas cùm à frigore congelante crassescere quidam existimarent, vt vulgares plurimi credunt aliunde non perturbandas censentes : in illos iure agit Actuarius, [i] & reprehendit Auerrhoës. [k] Quæ enim impermixta est, nunquam à frigore perturbatur.

Verè autem,non apparenter,crassam eam vrinam appellamus,quæ non ex confusione succorum cum sero,sed ab exactâ mixtione per coctionem factâ, crassitudinem acquisiuit. In his enim quæ coquuntur,crassa cum tenuibus permiscentur & vnum fiunt; quæ ab imbecillo calore simul contineri non poterant,vt ab Aristotele, [l] est insinuatum.

Quæ verò coctione permixta sunt; ita continentur,vt deinceps non nisi per putrefactionem separentur:quemadmodum apparet in plurimis sanorum vrinis,quæ licèt crassæ sint,aut mediocrem saltem consistentiam assequutæ,non perturbantur tamen, nullámque aut minimam subsidentiam faciunt:quòd à perfectâ & absolutâ coctione,ad propriæ consistentiæ complementum deductæ sint. Cæterùm vrinam exactè mixtam à confusâ ita discerni posse,author est Capiuaccius, [m] quòd pannus in vrinam immissus,succi confusi colore inficiatur,minimè verò colore perfectè mixti.

Opaca vrina appellatur ea,quam luminosi radij non permeant, & cuius superficies visum terminat. Quod accidit ab impuri terrei & à calore nondum euicti permixtione : vnde colligimus, opacam omnem vrinam eamdem esse turbidam. Ideoque etiam constat,hanc ipsam & alieni succi copiam,& cruditatem denotare.

Diaphana verò,ea est quam luminosi radij peruadunt,& quæ visum non terminat: vel ob tenuitatem substantiæ impermixtæ ; vel ob puritatem eius quæ cum per se crassa sit, à calore tamen attenuata est & superata,vt fit in sabulo & lapidibus ignium vi in vitrum conuersis. Atque hæc vel cruditatem, (si tenuis simul existat) vel coctionem (si simul sit crassa) denotat.

Mediocris consistentiæ ea dicitur,quæ inter aqueam & perturbatam media est, tum crassitie, tum diaphaneitate,sanorum vrinis simillima:quæ à natiuo calore sufficienter excocta, optima, & saluberrima indicatiuè iudicatur.

In quantitate,vrinarum aliæ sunt moderatæ ,potûs quantitati & aqueæ assumptorum alimentorum humiditati respondentes. Aliæ à conuenienti modo recedunt, quòd vel sint copiosiores, vel iustò parciores. Moderatæ,commoderationem caloris,& rectam meatuum dispositionem indicant. Copiosiores autem,excernuntur;vel à diureticorum vsu ; vel à perfrigeratione ab aëre ambiente, qui insensibilem per habitum dissolutionem reprimens,succos intrò pellit , vel ex naturæ motu

ma-

x Lib 6. pan. b. cap. 16.
y Arist. lib 4. meteor. sum. 1. cap. 4.
z Lib. 4. aph comm. 70.
a Aphor. 70. lib 4.
b Lib. 1. coac. prænot. tract 4. cap. 3. comm. tex. 41.
c Coac. com. in aphor. 70. lib. 4.
d Cap. 3.
e In aph cit.
f Gal. lib 1 de cris. c. 12.
g Cap. 2.
h Cri. cap. 12
i Lib. 1. de differ. vrinarum cap 10
k Lib. 4. colliget cap. 23.
l Lib. 4 meteor. cotat. summa 1. cap 3.
m Tractat. de vrinis p. 115

materiam morbificam expellere conantis, seu symptomaticè in principio & ante coctionem, seu criticè euictâ materiâ morbi causa: vt fit in casibus ab Hippocrate libro quarto aphorismorum [n] expressis. Siquidem velut per ventrem: sæpiùs corpus totum expurgatur: sic adnotante Galeno, [o] per renes etiam & vesicam. Præterea vrinæ copiosiores meiuntur, vitio caloris & siccioris renum intemperiei: quæ vel sola, vel altera diabetis est causa. Vel tandem à totius corporis feruore, seu ichores succorum dissoluente, seu humidum partium carnosarum colliquante.

Paucitatis verò vrinarum causæ, sunt primùm permixta sero crudorum humorum crassities, argumento aphorismi sexagesimi noni, libri quarti. Tum meatuum obstructiones. Necnon copiosior alui fluxus, ex antithesi aphorismi vltimi eiusdẽ libri quarti. Nimia itẽ humidæ substãtiæ quæ intra nos est dissolutio, à vehementiore calore orta: seu is à febre, seu ab ambientis æstu, seu ab immodico exercitio sit excitatus. Vrinæ enim materiam imminuens, eamdem parciorem reddit. Vel tandem renum attractrix vis effœta, aut vesicæ expultrix sopita, causa est vt parùm mingatur.

Colores vrinarum incertâ varietate multifariam distinctos à variis: nos facilioris doctrinæ gratiâ cum Auerrhoë [p] ad quinque genera reducemus: quorum duo sunt extremi, albus & niger; tres verò inter hos medij, citrinus, rubeus, & viridis. Albi nomine intelligimus tum carentiam ipsam coloris in corpore præ densitate visum secundùm quid terminante, qualem in aqua aduertimus: tum lucidam albedinem, qualis in crystallo, cornu polito, & similibus cernitur: ac tertiò opacum alborem, niuis aut lactis colori respondentem.

Aquea vrina cum coloris carentiâ, magnam aqueæ substantiæ puritatem & impermixtionem notat. Quæ diu persenerans si decentem copiam non excesserit, cruditatis primæ & secundæ coctionis est index, quæ ab imbecillitate caloris nascatur. Atque ideo in morbis acutis ab Hippocrate [q] talis vrina exitiosa dicitur. In non acutis autem morbi longitudinem ex Galeno [r] notat, in vtroque verò casu aliquarum etiam obstructionum semper est index. Magis coloratæ autem succedens, ac præsertim rufæ, aut flauæ: vel signum est translationis bilis in caput ad phrenitidem, aut alium cerebri affectum materiæ translatæ respondentem causandum; argumento aphorismi septuagesimi secundi libri quarti: vel comitialem insultum minatur in his qui tali morbo sunt obnoxij, vt habetur in Coacis: [s] vel ex Galeno, [t] deriuationem bilis in aluum deuotat, ad dysenteriam: non solùm aquea vrina si antea flaua fuerit & crassa id minatur: sed etiam quæ ex crassa tenuis fit de repente, vt in Sileno apud Hipp. 1. epid. sect. 3. tex 19. qui cum die quarto vrinas turbidas & nigras minxisset, quinto vrinas tenues & pellucidas reddens, paulùm ad intelligentiam rediit, quòd syncera biliosa in aluum secessissent. Vel tandem est significatrix solius nimirum exactæ colaturæ seri ex obstructionum vitio. Quâcumque autem ex causâ talis reddatur, in pueris deterrima est ex Hippocrate, [u] quòd aduertente Galeno, [x] huiusmodi à puerorum natura maximè absit.

Lucida seu splendens albedo, cum tenniore substantiâ, crystallina vocatur: cum crassiore verò, cornu albi colorem imitari dicitur, quem Gentilis, [y] cum Actuario, [z] glaucum appellat. Sic Hesychius γλαυκὸν, λευκὸν, & Eustachius ὑπολευκον interpretatur. Apud quem etiam θάλασσαν, γλαυκὴν vocari legitur, quòd colorem glaucum repræsentet, ea scilicet sui parte quæ ἀβαθὴς, ἄμμον ὑποκειμένην ἔχει λευκὴν, pauci fundi suppositam arenam habet albam. Quibus etiam assentitur Rhodiginus, glaucum colorem ad album referens. [a] Omninóque colorem glaucum eum esse reor, qui ex albo subuiret; & vulgo viridis, marinus, vel in pupillis varius nuncupatur. Talis autem in vrinis albedo ab aliqua portione phlegmatis vi caloris acris eliquati & sero mixti nascitur. Crystallina quidem, quæ etiã vitrea appellatur ab Hippocrate; [b] à pauciore pituita sero diluta generatur: κερατώδης verò & glauca, à copiosiore & plerumque salso. Quare vtraque micta in principio morbi qui cum febre putri coniungatur, morbi longitudinem significat: quia illum à pituita ortum notat. In progressu verò cùm anteà coctionis præcesserint notæ si copiosæ mingantur ex fulginate, [c] febris quotidianæ solutionẽ indicant. Citra febrem autem vel cum ephemera, & glauca maximè vrinæ ardorem denotat.

Crystallina verò, si à conuulsione copiosa mingatur: plurimùm confert.

Niuens & lacteus color, procedit à copioso, crasso, & albo succo sero permixto: seu is sit pituita, seu pus, aut semen etiam quæ distinguere ex subsidentia, infrà docebimus.

Sub nigro triplicem complectimur coloris differentiam; liuidi scilicet, fusci, & absolutè nigri, seu atri.

Liuidus, idemque luridus vel coloris plumbei est æmulus minimè nitens: vel cum nitore est. & ab Scaligero [d] cæsius dicitur; quasi cælius, vt ex Nigidio docet Gellius [e] qui à Beroaldo [f] etiam glaucus appellatur, & ex nigro virescere dicitur. Tanta est authorum inconstantia in vsu harum vocum quibus colores enunciantur. Sed nostra persequamur.

Fuscus liuido obscurior est, rectè subnigrum dixeris: Qui etiam vel splendet, vel non. Niger demum, seu ater, obscurissimus est: qui si niteat & splendeat in modum politi gagatis, pramnius dicitur,

vt

n Aphor. 69 & 74.
o Comm. 2. in 2. epidem. com. tex. 41.
p Lib. 4. colliget cap. 11.
q Sect. 2. prognost. tex. 32.
r Com. 5. in 1. epid. comm. tex. 21.
s Sent. 599.
t Comm. 2. in 1. epid. com. tex. 71.
u Sect. 2. prognost. tex. 33
x In comm. eiusdem tex.
y Comment. in versus Ægidij
z L. 6 de different. vrinarum cap. 5.
a Lib. 13 lect. antiq. cap. 8.
b Sent. 358. coac.
c Citat. com. in carmina Ægidij de vrinis.
d Exerc. 325. in Card. n. 15.
e Lib. 2. noct. Attic. cap 26
f Comm. in 2. metaph. Apuleij.

h Citat. exercitat. n. 17. i Comm. 2. in lib. 1. prorrhet. comm. tex. 4. k Ita Gal. 2. progn. com. tex. 21. l Lib. 4. de tuend. sanit. cap. 4. m Cap. 29. n Gal. lib. 1. de crisib. cap. 12. * Hippocr. 2. epid. sect. 3. tex. 73. o Citat. lib. 3 controuers. cap. 24. p Sect. 2. prognost. tex. 31. q Satius est cap. 12. lib. 1. de crisib. r Eodem 1. de crisib. s Comm. 2. in prognost. com. tex. 22. t Lib. 4. aph. 47. u Cit. cap. 12 lib. 1. de crisib. & 2. progn. com. tex. 24. x Lib. 3. de excrem. cap. 6. paulo post medium. y Comm. 3 in 6. epid. com. tex. 26. z Citat. cap. 12. lib. 1. de crisib. a Lib. 2. c. 26.

vt aduertit idem Scaliger.[h] Horũ autẽ omnium consimiles sunt causæ, secundùm magis & minus distinctæ. Scilicet permixtio vel ichoris atræ bilis, vt apud Galenum[i] legimus; vel nigri & atri humoris. Qui in minore quantitate à sero dilutus vrinas remissiùs denigrat; copiosior autem, easdem intensiùs nigras reddit.[k] Quod non solùm de nigro colore sit dictum, illum videlicet à consimilis succi confusione, aut mixtione cum sero produci; sed authore Galeno,[l] de cæteris omnibus, quemadmodum probatum est à Valesio tertio controuersiarum.[m] Id tamen ita intelligatur, vt cùm non sine alicuius succi permixtione aqueus humor à calore agente coloretur: simul etiam admittatur communem vrinarum materiam serum scilicet bili permixtum, citra nouam admixtionem alterius succi, diuersimodè à calore agente alteratam variè colorari posse.

Ater autem humor sero permiscetur, vel per confusionem, vel per exactam mixtionem. Per confusionem quidem, naturâ à toto, ab splene, determinatâue aliâ parte eum humorem expellente in renes vbi sero dilutus, cum vrina eo infecta excernitur. Qui postmodum crassiore saltem sui parte à sero secretus in fundo vasis subsidet, talisque vrina tùm salubriter excernitur, cùm vel extra morbum natura è liene melancholicum excrementum per arterias, aut crassiorem sanguinem in suppressis mensibus à venis in renes deponit: vel in morbis diuturnis à melancholiâ ortis, naturæ vigor materiam morbificam criticè per vrinas excernit. Ad perniciem verò par vrina mingitur in morbis acutis, in quibus nigræ omnes excretiones (vt signum) aut periculosæ, aut læthales existunt.[n] Per exactiorem autem mixtionem, vi caloris per morbum, sanguis aut humor alius à febrili calore deustus sero intra vasa miscetur: & pro maiore aut minore sui copia aliquo ex prædictis coloribus vrinam tingens, nullam præterea subsidentiam facit à qua reliqui seri color immutetur. Eiusmodi verò color in vrina etiam refrigerata perseuerans, si absque vllo nitore appareat, solam copiam talis succi per genus venosum diffusi indicat. At si splendorem quempiam referat; indicium præterea est, superexcedentis & igneæ caliditatis: seu vrina huiusmodi crassa sit, à prædicti succi qualicumque permixtione; seu tenuis à pauco succo permixto & vehementer attenuato. Nigras autem vrinas tenues esse posse aliquando,* cum abundè probatum sit à Valesio,[o] non est quòd vlteriùs confirmemus.

Omnes autem nigras cùm videatur Hippocrates[p] affirmare tàm in viris quàm in mulieribus deterrimas esse: id de nigris quibuscumque per morbos acutos excretis, vel de nigris per exactam mixtionem denigratis interpretandum. Inter quas, splendentes maximè malas esse profitetur Galenus.[q] Quod si postquam splendor & nitor aliquis in his vrinis apparuit [scilicet admodum attenuatâ & quasi ignitâ à calore vehementi talium succorum portione aliqua] mox eædem nitorem perdant, & obscuriores appareant: permixti igniti fulgoris, & caloris extinctio significatur. Neque enim existimo id absolutè verum quod plurimis cum Galeno[r] est creditum: liuidas vrinas caloris extinctionẽ semper portendere, & colorem liuidum esse solius frigiditatis affectum.

Illæ enim, vti colligere ex Galeno[s] ipso possumus ex modica, modicè permixta atra bile, atque etiam melancholia fiunt: quæ quoties vrinis permixta euacuatur, non solet caloris extinctionem significare. Imo idem humor qui principio pauca quantitate excretus liuiditatem illam vrinarum causat: deinceps si à paroxysmo in morbis diuturnis copiosior excernatur, nigras faciet, & salubres vrinas. Hinc Hippocrates[t] liuidæ inquit, excretiones si benè per vrinas exeunt bonæ. At nunquam salubres, aut bonas illas esse contingeret: si semper caloris extinctionem sequerentur. Ex dictis præterea apparet interpretatione indigere, quod à Galeno[u] scribitur: vrinas nigras vel excedentem & igneum colorem, vel ex frigiditate vehementi mortificationem ostendere. Non enim vt probatum à Mercuriali legitur,[x] ex Galeno ipso:[y] potest vehemens actualis frigiditas in corpore adhuc viuentis reperiri: sed mortificationem dixisse sufficeret: vel vehementem frigiditatem non positiuè dictam intelligere oportet, sed priuatiuè scilicet per exolutionem fomitis calido ipso extincto. Quæ præterea verè à Galeno prolata sciendum est: si præsertim de vrinis ab absoluta permixtione, non autem à confusione nigri succi denigratis, intelligantur.

Citrinus color, sanorum vrinis familiaris vt ex Galeno[z] docuimus: pallidum, seu spiceum; citrinum flauum; rufum; ac fuluum complectitur.

Pallidus paleæ, & spiceus maturarum spicarum colorem imitatur: qui à pauca & diluta bile flaua sero permixta nascitur, remissi caloris index & cruditatis in acutis affectibus, in diuturnis autem post aqueas, incipientis coctionis est signum.

Citrinus propriè dictus, colorem corticis mali citrij maturi, vel aureum dilutiorem referens, paulò copiosiorem bilem, aut eamdem magis excoctam seróque diffusam sequitur, atque ideo calorem aliquantò efficaciorem, & cum laudata hypostasi aut enæoremate accuratam coctionem significat.

Flauus etsi multiplicis sit significatûs, & verè de illo dicatur quod Fauorinus apud Gellium,[a] de coloribus vniuersim aiebat, multiplicem esse flaui coloris faciem, appellationem autem incertam. Tamen nos per flauum eum intelligimus qui Gallis blondus appellatur, & à Græcis ξανθὸν nuncupatur.

Vnde

Vnde flauæ comæ, & apud Iuuenalem [b] flauus dicitur Meleager, & Menelaus ab Homero. [c] ξανθὸς appellatur. Hic autem color à citrino differt, quòd illo aliquantò sit saturatior, vegetior, & magis splendeat.

Qui in vrinis apparens, ex Galeno [d] vitellinam bilem saturatè flauam imo & rufam sero diffusam & flauescentem arguit; atque eamdem à calore cò vsque attenuatam demonstrat, vt exinde splendorem acquisiuerit. Ideóque rectè Valesius, [e] vrinam flauam semper tenuem esse nunquam crassam asseruit: quæ vehementis caloris & intensi febrilis ardoris est signum.

Rufus, color, πυῤῥὸς à Græcis appellatus, varius apud varios concipitur: ita vt aliquando cum flauo idem esse dicatur, veluti cùm Galenus [f] Germanorum, Sarmatarum, & Scytharum pilos, rufos esse scribit. Alias ex Foesio [g] τὸ πυῤῥὸν apud Hippocratem & Galenum, omnes colores complectitur qui intra pallidum & fuluum aliquid albi & rubri admixtum habent, cinereo excepto. Nonnunquam rufus is appellatur, qui ex flauo paulò liberaliùs exalbescit: vt idem Foesius habet in œconomiâ. Nos autem per rufum cum colorem intelligimus, qui ad flauum proximè accedens eodem aliquantulùm obscurior est (vt aliàs docuimus,) [h] & saturatum auri non politi ac minimè splendentis, vel pili bouilli colorem refert.

Quam obscuritatem, color rufus, vel cum aliquali habet albedine; vt voluit Galenus [i] vel cum adiunctâ fuscedine, vt placet Aristoteli, [k] seu mauis Theophrasto cùm ait in fructibus colorem herbaceum in puniceum atque inde in rufum transire. Talis autem in vrinis color, fit ex copiosâ bile rufâ sero dilutâ. Cuius coloris vrina, contra quàm Valesio [l] videatur necessariò est crassa: cùm nulla bilis vrinæ perfectè mixta, eidem colorem aliquem subobscurum tribuat, quin simul crassam illius substantiam reddat. Quæ enim nigra est & tenuis: vel ex minimâ portione melancholiæ sero confusâ nigra redditur; vel si ex maiore copiâ exquisitè mixta nigrescat, oportet eamdem cum tenuitate à vehementis caloris vi attenuante acquisita, splendere. At quæ tenuis simul & rufa dicitur ab Hippocrate, [m] ea coloris est magis diluti, & minimè obscuri: nec tam rufa est quàm flaua. Qualis verò à nobis obscurior hic designatur, ab ictericis frequenter mingitur: eadémque in tertianis nothis aliquando apparet. Quæ si tum perturbata sit, morbi longitudinem cum viribus ægri indicat: mortem verò, cum ægrotantis imbecillitate. Si verò simpliciter sit crassa, cum hypostasi alba, læui & æquali: mox adfuturam morbi solutionem, demonstrat.

Fuluus licèt cum rufo plerumque confundatur (vt videre est apud Foesium commentario in libros Epid. Hippocr.) [n] Nos tamen fuluum illum dicimus, qui oculorum leonis colorem æmulatur: & iuxta Galenum idem est cum charopo, qui [o] leonum oculos charopos appellat; quos minùs aptè cæsios nominant Catulli commentatores, [p] vt & interpres Galeni loco recens citato, quamuis vulgò Medici cum Actuario, & Arabibus, charopum colorem inter albos numerent & cinereum dicant. Est ergo fuluus rufo congener, aut paulò obscurior; sed cum aliquo nitore coruscans: proditque ab eiusdem quidem rationis bile sero permixta, sed vi caloris vehementis eò vsque attenuata, vt splendorem vrinæ concilict. Quod Galenum [q] imitati dicimus: qui oculos leoninis colore respondentes & fuluos, calido & sicco temperamento esse dixit. Quare huiusmodi vrinæ videntur tertianarum notharum continuarum, aut hemitritearum, esse sequaces, magnique incendii indices: quæ absque hypostasi, non possunt non minari ingens periculum: cum illa autem, salutis spem non negant.

Rubeus in vrinis color, triplex omnino apud Galenum [r] notatur, subrubens scilicet, rubeus, & prærubeus. Subrubeus, à diluto rubore dicitur: illa enim præpositio, significatum vocis cui coniungitur semper remittit: potestque is color comparari rubori cerasorum quæ nondum perfectè maturuerint. Apparet autem in vrinis: vel pauco sanguine à copioso sero diluto, seu renibus ab ictu, casu aut calculi commotione, læsis: seu tenuiore sanguine per laxatas renum carunculas resudante: vel retentis mensibus, atque intra aut circum vterum cohibitis: quorum tenuior quædam portio ab his locis in vesicam refudans, eamdem leuiter cruentet. Aut tandem lotium sic tingitur ab ichore sanguinis (quem Galenus bilem rubeam appellauit) [s] permixto cum vrinæ sero. De quibus vrinis vltimo loco expressis Hippocrates [t] meminit quando si autē vrina inquit, fuerit subrubra (scilicet ab ichore sanguinis infecta) ac sedimentum subrubrum (ex sanguinis portione crassa aliqua semicocta): diuturnioris quidem affectûs est nota quàm vrina prius relata, (videlicet ob exuperantiam sanguinis humidioris, & non exquisitè confecti (valde tamen salutaris [quia integerrimi humoris & minime maligni exuperantiam significat vt explicatum à Galeno legimus. [u]] De eadem vrina plenè agitur in Coacis sent. 575. & à Galeno 4. aphor. comm. aphor. 71.

Rubeus color duplex est, vel qualis in sanguine, cui peculiarem esse rubeum colorem dixit Galenus: [x] qui etiam ait, [y] cogitari non posse, ab alio abundante humore, quàm à sanguine, vlla in parte rubrum colorem fieri. Vrinæ ergo hoc modo rubeæ, multo erunt sanguine perfusæ: vt ne-

phri-

[b] Satyra 5.
[c] Iliados γ. & δ.
[d] Comm. 2. in prognost. com. tex. 18.
[e] Citat. lib. 5. controuers. cap. 24.
[f] Lib. 2. de temp. cap 1.
[g] In notis ad lib. prænotionum Hipp. n. 21.
[h] Tract. 1. lib 3. cap 6.
[i] Cit. lib. 4. de crisib. c. 12.
[k] Lib. de color. cap 5. circa medium.
[l] Citat lib. 5. contr cap. 24.
[m] Sect. 2. progn. tex. 30
[n] In tom. 1. ∫. [illegible] 5. lib. 2. epid.
[o] Comm. 3. in 3. epid. com. tex 70.
[p] Comm. in epigram. 46.
[q] Eadem 5. in 3. epid.
[r] Comm. 2 in 7. prorrhet. com. tex. 25.
[s] Comm. 1. in 6 epid comm. tex. 14.
[t] Sect 2. prog. tex 27.
[u] In comm. ex tex progn.
[x] Com 3. in 1 epid. comm. tex 18.
[y] Comm. 5 in 6. epid. citat. com. tex. 14.

phriticis calculosis non rarò accidit, ob laxata vascula & glandulas per quas transcolatur serum; atque his quibus rupta est in renibus venula aliqua, aut erosa caruncula. Vel citra omnem sanguinis mixtionem, ab epoto recentis senæ decocto, vrinas sanguineo colore tingi sumus experti. Vt Mercurialis * ex esu cuiusdam radicis Indicæ, vrinas cruentas apparere scripsit. Secundò rubeus color appellatur, qui croco est similis: qualis in ictericorum vrinis, aut eorum quibus icterus imminet cernitur. Quæ à copiosissimâ bile flauâ sero permixtâ tales redduntur, vt ex Hippocrate patet; apud quem. z Hermocrates, cuius vrinæ a principio morbi crassæ fuerant & rubentes, cùm die quintâ tenues reddiderit, [deriuatione scilicet eius succi à quo prius incrassabantur) sexta auriginosus euasit. Has imitantur illæ quæ ex ebulliente sanguinis ichore rubescunt, licèt prioribus sint tenuiores. Quales existunt illæ quæ apud Hippocratem, a prærubræ dicuntur non subsidentes, cum sublimamentis & surditati coniunctæ, mentis emotionem minantur. Eisdem etiam sunt similes illæ, quæ vt Langius, b ex eodem Hippocrate docet, ichore putrescente in hydropicis fiunt rubræ.

Prærubeus vel perrubeus color, qualis videatur dicendus iuxta Hippocratis & Galeni doctrinam, non satis est certum. Hic enim, c prærubras vrinas non alias esse scribit, quàm cruentas. Cruentæ verò & hæmatodes, in Coacis d eædem dicuntur, quæ in prognostico subrubræ. Verùm de vocibus minùs solliciti in re conueniamus. Tertium & supremum locum inter rubeas illas tenere, quæ valdè ac saturatè imò & obscurè rubent: quas iure prærubras appellandas existimamus cùm præ in hac & similibus vocibus nominis significatum efferat & intendat. Prærubeus ergo, saturatè talis intelligatur. Vtque duplicem rubeum statuimus, ita prærubeum duorum generum esse dicamus cum Actuario. e vineum siue hepaticum, & passeum. Vineus aut vinosus, dicitur; non quemadmodum est apud Mercurialem f ex Galeno, g qui vini albi colorem imitatur; nec qui apud Theophrastum, h ex puro nigro & luce aëreâ fieri dicitur. Sed qui vinum intensè rubrum refert, & colore similis est hepatis parenchimati. Tali autem colore tinguntur vrinæ, si quando sanguis assari incipiens sero permisceatur: atque ingentem ardorem significat, seu à morbo seu à vehementiore exercitio excitatum.

Atque ideo cum malâ hypostasi pessimo is color est indicio præsertim si vrina simul sit sublucida: quòd si sedimentum habuerit aliquâ ratione bonum, ea minùs mala existimatur ab Actuario: i quòd scilicet cum tanto incendio natura coctionem aliquam adhuc moliatur. Passeus color, sapæ colorem æmulatur; nasci útque ex semiustæ bilis permixtione cum vrinæ sero. Qui sine febre quidem bilem ab inediâ, irâ, curis, aut nimia exercitatione deustam esse significat, & icterum prænuntiat. Cum febre verò, ingentem æstum à putredine ortum declarat: atque eo vehementiorem, quò talis saturatus rubor magis splendere conspicietur.

Viridis tandem color, vel est herbaceus, vel oleaginosus. Herbaceus, ille est qui herbarum virorem imitatur: & secundùm plus aut minùs, herbaceus simpliciter, vel porraceus, aut æruginosus etiam appellatur. Fit autem hic color ex maiore aut minore bilis prassinæ, seu æruginosæ permixtione cum sero: atque id vel per confusionem tantùm talis succi, in vrina quæ fit apparenter crassa; vel per exactam mixtionem eiusdem excrementitij humoris cum vrina tenui. Qualiscumque verò sit vrina virescens, magnum semper incendium indicat: atque eò maius quò tenuior extiterit. Nunquam enim à frigore virorem in vrinis causari, eruditè probauit Valesius. k Quod quamuis Arabibus, eorumque sectatis aduersari videatur: facilè tamen conciliari possunt dissentientes hæ sententiæ. Cum enim Valesius Græcos imitatus virides tantum appellet prassinas & æruginosas, easdem à solo calore produci in confesso est. Arabes autem cùm præter hos colores alios etiam in viridium catalogo recenseant scilicet fisticinum, & irinum, qui propriè virides non sunt; sed ad liuidum accedunt: nihil mirum si Arabes easdem à frigore procurari dixerint, quoniam idipsum etiam Galeno probatum fuit. Quod tamen an verum esse censeamus, supra discussimus.

Oleaginosus vrinarum color, is appellatur, qui per totam earum substantiam olei colorem cum splendore aliquo suburentem repræsentat. An verò vrinæ quæ oleagineæ à colore nuncupantur, cum colore huiusmodi, pinguedinem etiam semper retineant: inter primarios Medicos minimè conuenit. Aetius l enim oleosarum vrinarum tres gradus constituens, omnes secundùm plus aut minùs olei non colorem solùm, sed substantiæ etiam compaginem, & pinguedinem æmulari profitetur: atque easdem à renum, aut totius corporis liquefacta pinguedine nasci. Galenus m vero sensûs rationisque fundamento innixus, nullas tales vrinas dari asseruit, quæ secundùm totam substantiam sint pingues: quoniam pinguedo nec cum aliis liquoribus confundi, nec subsidere potest; sed innatare tantùm consueuit. Ad cuius mentem dicere possumus earum vrinarum quæ non ex innatante pinguedine, sed secundùm se totas oleosæ dicuntur, duas esse species: quarum prima, colore tantùm oleum refert [quem sub viridi recenset Actuarius: n licet eumdem Galenus o varium faciat) non autem crassamento aut pinguedine.

Quod fit ex colore pinguedinis à renibus vel à toto colliquatæ, & in superficie vrinæ innatantis,

per

---

* In lib. Hippocr. de ratione vict. acut. p. 557.
z Lib. 3. epid. sect. 1. tex. 5.
a Lib. 1. prorrhet. sect. 1. sent. 31.
b Lib. 1. epist. medic. epist. 41.
c Comm. 1. in 1. prorrhe tom. tex. 31.
d Sent. 582.
e Lib. de diff. vrinar. cap. 8.
f Lib. 3. de excrem. c. 6.
g Lib. 1. de cris. cap. 12.
h Lib. de coloribus.
i Lib. de vrin. iudicys c. 16.
k Lib. 1. controu. cap. 20.
l Lib. 5. cap. 35.
m Comm. 3. in 3. epid. com. tex. 74.
n Lib. de differ. vrin. c. 8.
o Loco relato citato.

per refractionem luminis in reliquum vrinæ corpus apparenter diffuso. Altera verò species earum est,quæ colore simul & crassamento oleum repræsentant,non autem pinguedine , vt à Galeno [p] est adnotatum. Ex quibus illa quidem,iuxta Pergamenum, [q] colliquationis est signum;hæc verò [cuius generationis modum Galenus non explicuit] nullo ægri detrimento nonnunquam mingi ab illo dicitur ; imo si reliqua omnia salubria sunt,breui iudicari. Quarum priorem quidem censeo minùs propriè oleaginosam appellari : sed posteriorem propriùs vt docet Galenus commentario in historiam Parij in Thaso ægrotantis. Quoniam verò tum apud Coum Senem legimus vrinas oleosas ab adolescente Melibœæ [r] excretas ante decimum qui ad vigesimum quartum vsque vixerit,necnon Parium oleosum minxisse [f] sexto die, qui non ante vigesimum supra centesimum interierit : tum apud Galenum [t] oleosas vrinas iudicationis breui affuturæ indices esse aliquando. At aliàs Pythionem in Thaso decumbentem [u] septimâ oleosum minxisse,& decimâ mortuum:necnon Dromeadai vxorem [x] quartâ vrinam effundentem paucam tenuem & oleosam,sextâ interiisse.

Crediderim vrinas,oleo,colore & crassamento respondentes, vel cum Sabino [y] & Saxoniâ, [z] tales fieri ex colliquatione glutinis alimentarij carnosarum partium : vnde apud Galenum [a] si veluti oleum mingatur colliquationis est signum. Quæ planè sunt exitiosæ: nec si quando apparuerint, fieri potest ægrum diu subsistere. Vel aliàs consimiles vrinas procurari censuerim , à multâ pituitâ vitreâque præsertim,paucæ bili admixta,& à caloris vi attenuatis seróque perfectè mixtis. Quæ ab illa minimè differant quam χερατώδη & γλαυκὰ diximus , quæ cum splendida quadam aut tenuitate , aut etiam crassitie ex albo virescit. Cuius conditionis vrinam facilè intelligere licet, enim prauis aliis accidentibus quæ vehementis præter naturam caloris succos attenuantis præsentiam indicent,valde perniciosam esse vt in Dromeadai vxore : contrà verò si cuncta alia salubria apparuerint,calore naturali membrorum & vasorum humores attenuante,breui morbum iudicandum indicare.

Ab odore iterum diuersæ habentur vrinarum differentiæ: quædam enim nihil olent suntque odore priuatæ : aliæ grauiter olent. Non olent,crudiores & aqueæ: modicè fœtent sanorum vrinæ omnes,grauiúsque aliquantulùm vt notatum est à Galeno, [b] eorum qui temperamento sunt calido & humido. Nonnullæ odore sunt admodum graui, vel vitio assumptorum alimentorum,vel à putrefactione nimia & malignâ , [c] atque hæ , [d] exitiosæ dicuntur. Benè olentes nullus refertur qui minxerit à naturâ : quod enim à non naturalibus causis fit, hîc non disquirimus , infra explicaturi.

Ab excernendi modo prætereà, eædem ita distinguuntur : vt quædam liberè excernantur, aliæ non item. Libera vrinarum excretio, sequitur viarum libertatem , & liberum naturę motum : ita vt ea ad nullam alterius generis vacuationem intentiùs sit conuersa.

Quæ verò minùs liberè effunduntur: vel omnino per ἰσχουρίας supprimuntur ; aut aluo copiosiùs fluente ; aut Galeno [e] iudice, accedente iudicatorio rigore ad criticum sudorem præcedentibus bonis signis : vel ab imbecillitate expultricis vesicæ : renumvè attractricis : vel à meatuum occlusione, seu ea ab inflammatione, tuberculo, carne adnatâ, calculo , arenulis , crassiore pituitâ pure,aut sanguinis grumo fiat.

Aliæ difficilè excernuntur, cum dolore vel sine illo, in δυσουρία : videlicet ab inflammatione non integrè obstruente , vlcere in vesicæ corpore, aut collo , atque etiam in cole , à calculo item, acri vrina, & flatulento spiritu vrinæ permixto. Aliæ nolentibus nobis stillant per στραγγουρίαν, aut vesicę sphinctere paralysi laborante : aut eodem discisso , neque ad cicatricem deducto, vt sæpe fit in his quibus extractus est grandior calculus.

A contentis demùm variæ vrinarum differentiæ petuntur,prout contenta multifariam euariãt. Contenta inquam (idest) ea quæ in vrinâ ab eius substantiâ & proprio liquore distincta cernuntur. Ea autem vel consideramus in sanis , vel in ęgris. Materia eorum quę in sanorum vrinis continentur,pręsertim est crudior ea ciborum portio quę eùm in sanguinem ab hepate verti non potuerit, simul cum sero expurgatur. Vnde crapulosi aut voraces, atque ij qui crassis alimentis vescuntur , pręsertim si in otio degant , copiosiora multò quàm alij contenta in vrinis effundunt.

Materia verò eorum quę in ęgrorum vrinis contineri aduertimus, multiplex est. Maximè autem ea generantur,vel ex materię morbificę portione: vel ex succi coctionem in hepate subterfugientis substantiâ.

Qui quamuis in principijs vt plurimùm morborum, vel iisdem imminentibus generetur : non excernitur tamen plerumque,sed retinetur in plures dies totius corporis œconomiâ perturbatâ, & confunditur cum humore seu succo morbi causâ. Aliàs per errores in cibi potúsque vsu , in morbi progressu non rarò generatur : vnde affectus iam penè decli-

p Ibidem.
q Loco eodem
r Lib 3. epid. sect.3.tex 87.
s Ibidem tex. 72.
t Comm. in eundem text, 72.
u Eodem 3. epi.sect.3.tex. 74.
x Lib.3.epid. sect 3.tex.28.
y Apud Gal. comm. in cit. tex. 72. lib. 3.epid.
z Lib.6. panthei cap 6.
a Lib. 1. de crif. cit. c.12.
b Lib.8. method cap.8.
c Gal. 1. de crif. cap. 12.
d Hippo. sect. 2. progn.tex. 32.
e Comm. 1. in 6. epid. tex. 10.

nantes acc. ssione crudioris & facilè putrescentis succi, noua incrementa accipiunt: necnon vrinæ & consimiles substantiæ permixtione, magnam varietatem subeunt.

Cæterùm vndecumque vrinarum contenta generentur, plurima in illis considerare necessum est, ex quibus illa variè etiam inter se distinguntur. Ac primùm quidem eorum quantitatem expendimus, tum quando in morbis appareant; tertiò eorum æqualitatem aut inæqualitatem attendimus; quartò quem situm in vrinis seruent & quem eius locum occupent circumspicimus; ac demum eorumdem naturam contemplamur.

Per quantitatem intelligimus, copiam aut paucitatem contentorum: quæ, pro cuiusque ætate, temperie, & sexu; necnon pro anni tempore, & morbi specie mensuranda venit. Atque hinc si integra sit naturæ vis, & viæ liberæ: quanta sit copia aut paucitas materiæ ex qua contenta generantur coniectabimur. Quæ si nulla per putridas febres apparuerint, constantibus ægri viribus, morbi longitudo significatur: in debili vero ægrotante, mortis periculum ex Galeno [f] indicatur. Id tamen in aliis morbis quàm in biliosis, in quibus, ex Aëtio, [g] solus vrinæ laudabilis color, ad coctionem significandam sufficit.

f Lib. 4. aph. comm. 69.
g Lib. 5. c. 29

Pro ratione temporis morbi quo contenta in vrinis apparent: si ea incipiente morbo, & quo tempore nondum naturæ licuit coctionem aggredi, conspiciantur, ex redundantium crudorum humorum reliquiis plus aut minùs ab alterutro calore alteratis, ea prodire sentiendum est; neque quod in illis aduertetur coctionis specimen, in bonis est reputandum. Si verò iam transacto principio in conspectum veniant, indicio erunt naturam aggredi materiam morbificam, vel ad salutarem coctionem, si cætera consentiant: vel irrito conatu in perniciem, si mala sit contentorum conditio, & alia funesta symptomata coniungantur.

Æqualitas aut inæqualitas contentorum (idest vniformitas eorum substantiæ & qualitatum) bifariam consideratur: vel in vnius vrinæ hypostasi, cuius partes inter se æquales aut inæquales esse possunt, vel in diuersis vrinis, quare vna huius aut illius conditionis sedimentum habeat, altera verò alterius. Æqualitas ergo primi modi, vniformem materiæ conditionem indicat: vel vndequaque à natura superatæ, si contenta simul alba sint & læuia: vel complexæ malignitatis, si ab his conditionibus ea quàm longissimè abfuerint & in vtrisque æqualem caloris alterantis operationem denotat. Inæqualitas prior, aut materiæ varietatem, aut alterationis disparitatem significat. Posterior autem, inæqualem materiæ morbificæ motum iam quiescentis mox efferatæ coctionemque subterfugientis indicat: necnon naturæ ipsius imbecillitatem ostendit, quòd ea in coquendo non perseueret, & materiam ad pepasmum minimè contineat. Quod ex Hipp. [h] morbum diuturniorem fore, minùsque securum esse significat: vel laborem & mutationem ostendit, vt habetur in Coacis. [i]

h Sect. 2. prognost. tex. 6.
i Idem. 585.

Ratione sitûs & loci quem contenta occupant in vrina ea trifariam distinguimus: quòd ea scilicet vel in summo vrinæ innatantia appareant; vel in medio suspensa sint; vel in imo tandem & fundo subsideant,

Quod subsidet ὑπόστασις, à Græcis appellatur, à Latinis sedimentum: quod in medio apparet ἐναιώρημα, sublimamentum, aut suspensum Latinè vocatur: quod tandem in summo pendet propriè à Galeno [k] νεφέλη seu nebula appellatur. Quamuis apud Hippocratem quodcumque sublimamentum nubecula plerumque dicatur. Quod autem vrinæ innatat, atque in eius superficie conspicitur: vel est pinguedo aut colliquamentum aliud, vel bulla, spuma, aut corona. Quæ omnia vrinarum contenta cùm singulatim expendere oporteat, à nebula incipiamus.

k Comm. 2. in 2. progno. com. tex. 26.

Nubecula, cuius naturam proximè sequitur idipsum quod suspensum appellatur: ex tenui, aut quomodocumque attenuata materia fit: sed ea inter nebulam & suspensum est differentia: quòd illius quàm huius tenuior sit, aut magis attenuata materia. Prout enim quidpiam, maiorem aut minorem leuitatem acquirit: solet hoc ipsum, magis aut minùs sursum eleuari. Ea verò tenuitas & leuitas, vel naturam materiæ biliosæ quæ per se tenuis est sequitur: vel à caloris alterantis vi procedit: vel demum à flatuum permixtione causatur. A qua verò harum causarum nebula excitetur, vel ex colorum varietate, vel ex bullosa eius substantia deprehendemus.

Peculiariter autem quod nubecularum singulæ differentiæ monstrent: facilius intelligatur ex his quæ de sedimentorum differentiis, causis, & significationibus dicentur: ex quibus cùm cæterorum contentorum naturæ & significationes meliùs concipiantur, ad hypostaseos vrinarum examen transeamus.

In quibus substantiam, colorem, & odorem contemplamur. Substantia vel tenuis est vel crassa, vel mediocris. Mediocris vt colligere licet ex Galeno, [l] puris optimi consistentiæ respondet Fitque naturâ materiam ac præsertim sanguinem in venis putrescentem, quàm optimè fieri potest, per coctionem euincente Tenuis, nubeculæ assimilatur, & à consimilibus causis prodit, à quibus tenuitas n . æoremate.

l Lib. 2. de diff. febr. c. 6.

Sic

Sic autem distinguimus, à qua causa talis substantiæ modus hypostasi procuretur: quòd cum species morbi humoris morbifici naturam detegat, si tertiana sit febris, ex bilis conditione tale sedimentum prodire significatur.

Caloris vehementiam, pulsu, & colore vrinæ, ab aliis causis hypostasis materiam attenuantibus discernimus. At subsidentium à flatuum permixtione calore agente attenuati non facilè admittimus. Neque enim contentum iam leuis substantiæ permixtione attenuatũ in imo vrinæ subsideret.

Crassam sedimenti consistentiam eam appellamus quæ laudabili pure aliquanto est crassior. Crassiorum autem sedimentorum multæ sunt differentiæ: quorum quædam sunt familiaria & minùs mala, cuiusmodi sunt pituita, & crassus ille succus quem speciatim crudum succum à Galeno appellari diximus. [m] Necnon semen aliquando eum, & sine gonorrhœa excretum.

m Tract. 1. lib. 3. cap. 3.

Quædam toto genere sunt à natura aliena, & minimè familiaria, imo perniciosa: quorum nouem esse differentias reperimus Vel enim sunt grumi, pus, carunculæ, vel sedimentum quod κριμνώδες dicitur, idest referens speciem farinæ crassioris, vel quod scammulis est simile & πιταλώδες à Græcis nuncupatur, vel orobeum, furfuraceum seu πιτυρώδες, capillare, vel arenosum. Grumi fiunt ex conerescente sanguine qui à discissa, rupta, erosa, aut aperta vena in renibus aut vesica, fluxerit.

n Sect. 2. progn. tex. 25.

Pus, ab vlcere, aut abscessu manat: paucum à vesica; copiosius aliquando à renibus, aut à superioribus etiam membris, vt iecoris gibbo, aut à thoracalibus nonnunquam partibus. Atque hoc, vel per venam sine pari in emulgentem reiectum: vel à corde in arterias, & renes transfusum Neque enim id determinatè verum est, quod apud Hippocratem legitur. [o] Si sanguinem aut pus mingat, renum aut vesicæ exulcerationem significat.

o Lib. 4 aph. 75.

Carunculæ nonnunquam cum vrina excernuntur. Tum ab erosa renum substantia à grandiore vlcere: [p] tum à iecore vomicam passo, & ipsius erosa parenchymatis portione, vt in me ipso sum expertus. Qui anno 1594. annum agens 24. & à triennio doctor: eum ab vsu venenati cuiusdam ferculi in vomicam hepatis incidissem; tandem per diem penè integrum magnam caruncularum semiputrium copiam per vrinæ meatum cum ingenti dolore exereui mox verò rupta vomicâ quæ in parenchymate latebat, per tres integros dies copiosum pus simul cum vrina minxi: atque inde Dei Optimi & Maximi fauore conualui

p Lib. eodem aphor. 76.

Crimnodes, & crassioris farinæ molamque effugientis æmulum sedimentum quod similaceùm ab Actuarij interprete appellatur: vel à pituitosorum excrementorum deustorum copia nascitur, argumento aphoris. 31 sect. 7. vbi longam ægritudinem significare dicitur. Et confirmatur exemplo eius qui in Dealeis horto decumbebat lib. 3 epidem sect. 1. ægroto tertio. Vel vt docuit Galenus, [r] fit ab extremè assata sanguinis portione. Quod confirmatum ab Hippocrate habetur, in historia Sileni. [s] Tale enim plerun que apparet in acutè febrientibus, cum aliis summæ vstionis succorum signis, absque peculiaribus colliquationis indiciis.

q Lib. de different. urin. cap. 15
r Sect. 2 prog. com tex. 38.
s Lib. 1 epid. sect. 3. tex. 19 necnon 3. epid sect. 1. tex. 18.

Huic simile est orobeum non album de quo meminit Hippocrates quarto epidemion, sed obscuri ruboris, & orobo simile.

Quod etiam, ex Galeno [t] sanguinis vstionem significat, sed leuiorem; cum hoc aliquem adhuc sanguinis ruborem retineat. Idem tamen, etiam leuiter erosi renis, signum esse potest. Distinguitur autem an hinc vel inde causetur, vt adnotatum est ab authore libri de vrinis apud Galenum, [u] quòd si cum febre, aut vrinarum cruditate tale sedimentum appareat, totius vitium significetur: si verò citra febrem, & cum vrinarum coctione, vitium in renibus esse iudicetur.

t Lib. 4. aph. 70.
u Cap. 26.

Quod squamulis est simile, & laminosum à nonnullis appellatur: sanguinis & puris mictioni succedens, vesicæ aut connexarum partium exulcerationem denotat.

x Lib. 4. aph. 81.

Furfuraceum, quod laminoso tenuius est: si cum vrina modicè crassa & cocta excernatur, vesicam scabie laborare indicat. [y] Si verò vrina sit tenuis, & cruda; affectum esse in vasis significat. Quæ enim squamis & furfuribus similia excernuntur, cùm membranarum ramenta & frustra referant: non aliunde possunt quàm ab erosis membraneis his corporis partibus excidere, à quibus vrina defluit.

y Hipp aph. 77. lib. 4.

Tales autem sunt, aut vasa, aut vesica, vreteres, & renum colatorium. Quæ posteriores partes, si cum reliqui corporis salubritate erosione vexentur: ramenta exinde decidua, cum vrina in vasis cocta & moderatè crassa excernentur

Si verò vasa ex quibus serum ad renes transfunditur, consimile vitium patiantur: quia malè affecta, consueta opera naturalia imbecilliùs exequuntur; vrinam tenuem, neque abundè coctam, prætterlabi sinunt, cum qua cruda adhuc & tenui, erosa ramenta decidunt.

Talis autem affectus, vasorum corpori adueniens, ab erodente succo per ipsorum substantiam effuso, genitus; maximè est perniciosus, neque malignitatis est expers. Ad quod respiciens Hippocrates [z] rectè cùm crimnodes hypostases malas esse dixisset: lamineas seu squamosas, & furfureas, deteriores affirmauit.

Cæterùm, eorum sententię minimè assentiendum videtur, qui sedimentum orobeum, crimnodes, farinaceum tenuius, (de quo etiam locutum aiunt Hippocratem in prognosticis) [a] necnon furfuraceum, & lamineum, signum esse tuentur colliquationis carnium, ac partium solidarum: [*] Quod insinuatū etiam à Galeno legimus.[b] Quoniā vt indicatū est à Saxonia, [c] difficillimū est creditu, à quantumcumque vehementi calore in corpore viuente excitato, carnes ac solidas partes ita liquari posse, vt in frustra & ramenta abeant, erui, authordei crassiorem farinam, vel furfures, aut squamas imitantia: cùm ab admotis igni carnibus (vt aduertit ipse Galenus) [d] solum humorem tenuem eliquari cernamus, easdem autem in frusta dissolui: nullus sit qui viderit. Neque possent carnosæ partes eo modo solutæ, per extrema capillamenta vena. ingredi, & ad renes efferri cum sero. Nec placet Fernelij sententia, § cum huiusmodi sedimenta inquit in vrina tenui apparentia, flammeum & colliquantem febris ardorem denuntiare, ob quem & venarum sanguis retorreatur, & earum substantia incendio perusta, solidum quiddam quasi intertrimentum deperdat, abijciàtque in vrinas. Quomodo enim tantus excogitabitur in viuente ardor, qui vasorum corpora eòusque asser vt inde illa quasi intertrimenta decedant, quæ non secùs atque ea quæ in sartagine pertorrentur exarnetint.

Capillare verò sedimentum, vel vt habetur apud Hippocratem, à renibus, vreteribus, aut vesica originem ducit. Illis scilicet tardioribus ad viscidiorem pituitam expellendam, quæ per longiorem moram illic excoquitur, & in capillamenta leniè transcolata formatur. Vel ex Galeno, [f] à venis ipsis decidunt aliquando longiora illa capillamenta in vrinis apparentia, quæ trichiasim dictam faciunt.

Atque hæc ipsa pari ex causa cum prioribus generantur, vel tandem minutula quædam huiusmodi albacapillamenta, illis similia, quæ à calculosa vesica plerumque prodeant, ex reliquiis seminis post venerem in meatu communi hærentis, & ab vrina detersi effinguntur. Necnon à semine sensim per gonorrhœas effluente, & ab vrina eloto. Vti etiam ab aliqua portione viscidiore eorum excrementorum quæ per alba mulierum purgamenta effluunt.

Arenosa tandem hypostasis, ac præsertim rubens aut flauescens, calidiorem renum intemperiem arguit: euius vitio erudi succi sanguine aut bile infecti, nec satis tempestiuè excreti, & per moras assati, in arenulas transeant.

Quòd si arenulæ vrinis innatent non subsidentes, in febricitantibus, magnum ardorem intra vasa conceptum, & succorum terrestrem magìs portionem assantem significant. Neque enim apparentibus in vrina arenosis, etiam subsidentibus, stàtim vesicam calculo laborare inferre licet, vt visum fuit Hippocrati.[g] Neque vesicam aut renes disiunctiuè, quemadmodum annotauit Galenus.[h] Pluri mi enim copiosas arenulas in vrinis subsidentes excreuerunt, qui nunquam calculo labora runt: illos tamen sibi cauere oportet, eùm crassâ pituitâ ad arenulas accedente, calculus facillimè concrescat.

Sed inter tam varias sedimentorum differentias difficillimum videtur distinguere pus, pituitam, & semen. Vt enim superiùs diximus, plerumque non solùm seminis granula aut filamenta quædam in vrinis apparent: sed præterea copia maior aliquando per gonorrhœas & inuoluntaria seminis effluuia: atque in mulieribus præsertim quæ semen à mare paulò ante exceptum mox meientes simul effundunt. Crassam verò pituitam & copiosam matularum fundo adhærentem, emittunt plurimi, qui vel calculo vesicæ laborant, vel ne in eum affectum incidant perechitantur. Ac quoniam tria hæc pus, pituita, & semen colore, & consistentiâ plurimùm inter se conueniunt. Quomodo ea inter se distinguantur explicare conuenit. Fernelius [i] ita distinguit: semen quia tenue & leue vrinæ semper innatat, pus, & pituita subsident, hæc tamen crassa atque tenax sibi cohæret, pus, vero agitatum mox dissoluitur ac diffluit. Sed fallitur in semine: illud enim non tenue est, sed consistentiâ crassum. Nam vt docet post Aristotolem [k] Siluius, [l] quod fœcundum est in aquæ fundum delabitur & subsidet: infœcundum verò tenue magìs & aqueum, diffunditur. Subsidens ergo semen, odore à pure distinguitur, & colore: hoc enim illo minùs album est, & aliquantulùm fœter, præterea semen, per gonorrhœam etiam, sine vrina stillat, pus autem cum vrina sola effluit.

Quòd ad colores & odores sedimentorum cæterorumvè contentorum in vrinis spectat, par est eorum causa ac consimilium in vrinæ substantia apparentium. Cum enim ab humoribus sero permixtis, vrinæ & colorem & odorem mutuentur, sedimenta verò reliquaque con-

z Sect. 2. progn. tex. 28.
a Tex. citato.
* Gordonius tract. de vrinis cap. 26 cui ex parte assentitur Auicenn. lib 4. fen 2 trac 2. cap 80. sequutus authorem libri de vrinis apud Galenum cap 26. 27. & 28. Capiuaccius tract. de vrinis pag. 121 & 122.
b Comm. 5 in 6 epid cō tex. 13 & 2° in lib. progn. com tex. 28.
c Lib 6. pant. cap 17
d Lib. 10 method. cap vlt.
§ Lib 1. pat. cap. 16.
e Lib 4 aph 76
f Lib 6. de locis aff. c. 3.
g Lib. 4. aph. 79
h in commentar. aphor.
i Lib. 1 path. cap. 16.
k Lib 3. de histor animal. cap vlt.
l Principio libri de hominis generatione.

contenta fiant ex eisdem ab vrinæ liquore secretis:consimiles esse in vtrisque colorum odorúmque causas necessum est. Summatim tamen quod ad contentorum colores pertinet, discamus ex Hippocrate [m] vrinam eam optimam esse, cuius sedimentum candidum fuerit, lęue, & æquale; per omne tempus donec morbus indicatus sit: securitatem enim,ac morbum fore breuem significat. Diuturniorem autem affectum portendere, [n] si cum vrina subrubra sedimentum sit subrubrum & læue:præsertim si talis post septimum apparuerit,vt habetur in Coacis. [*]

m Sect. 2. progn tex 26 & in coacis sent. 575.
n ibid tex 27
* Coac sent. 575.

Sed vt ad peculiares nubeculæ,& aliorum vrinæ innatantium significationes explicandas reuertamur,si vrina nubeculam rubicundam habuerit die quarta,& alia signa respondeant,is morbus ex Hippocrate, [o] die septimo iudicatur. Ita quæ candidæ sunt, [p] bonæ sunt: nigræ verò vitiosæ. Sed & hoc in nubeculis considerare oportet,vtrum sursum sitæ appareant,an deorsum:quæ enim deorsum feruntur [q] cum coloribus bonis bonæ & commendandæ sunt: quæ verò sursum & cum malis coloribus,malæ & damnandæ iudicantur: atque vt habetur in Coacis, [r] in vrinis nubeculæ albæ quidem & quæ infimum locum tenent, vtiles sunt, rubræ verò, nigræ, ac liuidæ, molestiam exhibent: in errantibus tamen febribus nigræ nubeculæ, quartanam tantùm denunciare dicuntur.

o Lib. 4. aph. 71.
p Hippocr. sect. 2 progn. tex. 29.
q Hippocr. eadem sect. progn. tex. 16
r Sent 577.

Pinguedo vrinæ innatans,colliquationem denotat, [s] vel renum,vel totius etiam, in acuto morbo. In quo posteriore casu minimè necessarium est eam esse diuersam vt habet Mercurialis. [u] Sed id solùm paucitatem materiæ colliquatæ indicat: vt continuata effusio maiorem pinguedinis colliquatæ copiā significat. Aliud verò aliquando innatat,non pingue,sed salsuginosū colliquamentum,quod ad ignem crepitat,neque accenditur:carnes ab acri calore colliquari significans, taléque in hecticorum vrinis aut eorum quorum per febres acrior calor est frequenter apparet. Vel citra omnem colliquationem pituitosi succi coctionem indicat:eo enim concocto, ex Galeno [x] nubeculæ quædam desuper tenues superstant,veluti quod in summo lacte colligitur & Græcè γραῦς dicitur,aut quod in summo refrigerati iusculi concreuit.

s Ex Coacis sent 581.
t Hippo. sect. 2 progno. tex. 35.
u In præsenti prælectione pag. 505.
x Lib. 4 de tuend. sanit. cap. 4 prope medium.

Bulla,& spuma,ex cohærentibus multis bullis compacta,in refrigerata vrina perseuerantes, ab eadem causa fiunt:scilicet à crasso flatu,qui ex viscida pituita aut crasso alio humore, à motu vel calore fit excitatus. Vtraque autem indicat vel imbecillitatem caloris, non solùm in renibus, sed in vniuerso etiam corpore aliquando,& vtrinque ex Hippocrate, [y] morbum longum. Idque maximè si cum vrina alba appareant. Vel capitis dolorem notant,si in citrina, aut alterius coloris vrina, maioris caloris indice conspiciantur. Quòd vapores & flatus ex crassa bile eleuati,ex parte in caput suâ leuitate tendentes,cerebri membranas distendant & feriant.

y Lib 7. aph. 34.

Corona,de duobus dicitur;vel de spumæ circulo in matulæ peripheria apparente; quæ spumæ, naturâ,causis,& significatione respondet. Vel corona in vrina appellatur, iuxta Actuarium, [z] linea adumbrata quæ circumcurrit per ambitum superficiei vrinę,quam plurimi circulum vocant: & quem à reliqua vrinæ substantia colore nonnunquam differre contingit. Atque id quidem, vt Actuarius ipse [a] explicuit; quia cùm vrinæ non solùm ex dissimilibus, sed ex dissimiliter à natura elaboratis & coctis aliquando componantur, eáque animantis calore destituta ab inuicem sede distinguantur: nihil mirum si tenuiora crassioribus innatantia, alium colorem proferant, aliumque substantiæ modum. Ac quoniam quæ tenuiora sunt,eadem faciliùs alterantur:per ea in graui & dubio casu natura primò significare solet,num vincere aut vinci incipiat. Ideóque si coronæ color,à non bono totius vrinæ colore,in bonum & laudabilem transeat: in bonis habendum est, & concipienda spes. Sin contrà,à benigno in deteriorem transmutetur; tem periculo non vacare significatur,aut saltem in deterius ruere.

z Lib. de different. vrin. cap 18.
a Lib 2. de causis vrinarum cap 5.

Atque hæc sunt quæ de vrinis vos scire oportet, vt illis ad diagnosim, prognosimque morborum fructuosè vtamini. Antè tamen quàm huic capiti finem imponam, monendi estis quales, quantæ,quando,& quomodo inspiciendæ sint vrinæ. Licèt enim quæcumque vrinæ ab ægrotantibus excernantur, vtiliter inspiciantur:quoniam sic constantiam aut inconstantiam motuum naturæ,& quoscumque casus ab vrinis indicatos adnotamus:vtiliùs tamen inter cæteras eas contemplamur,quæ manè post somnum effunduntur.

Quoniam eùm per id tempus eas accuratiùs elaboratas apparere necessum sit: eædem apertiùs naturæ vires & motus detegent. Præterea totam eam quantitatem quæ vnâ vice fuerit excreta, in vitrea matula orbicularis fundi,læuique ac munda collecta sit,intueri oportet: quam nec concussam nec agitatam, sed quietè conseruatam fuisse conueniet. Eamdem præterea nec à sole, aut igne alteratam Medico offerri decet: sed talem qualem tum esse contigerit, cùm Medicus accesserit, seu ea clara sit, seu perturbata. Quòd si Medicus illam recens à mictione non inspexerit, vbi qualem esse contigerit, fuerit exactè contemplatus, iubere poterit cùm eam

perturbatam reperetit, vt igni donec clarescat admoueatur: quò coloris & odoris vrinæ certior fiat. Commodissimè autem & vtilissimè inspicitur, & quando recens excreta est, ad colorem & odorem accuratiùs discernendum: & iterum aliquot horis post mictionem, vt meliùs contenta suis locis distincta considerentur. Non tamen vltra sex aut vt plurimùm octo horas tardare oportet, sed neque tertiam ab excretione præuenire. Accuratissimè autem & quàm maximè attentè vrinam intueri decet, vt singula quæ in illa adnotare conuenit discernantur: procurandúmque est ne aliquid opponatur aut circumstet, quod reflexione sui alienum quempiam colorem in vrina repræsentet. Neque item ad solis radios, illam contemplari securum est: quoniam solare iubar, apparentes & falsos colores in opposito liquore excitat aliquando: nisi id fiat ad minimas contentorum differentias exactiùs discernendas. Quo casu oportet eamdem iterum in vmbra intueri, vt color qui verè illi inest exquisitè agnoscatur. Demum antequàm de vrina iudicium feramus, quid temperamento, ætati, sexui, & conditioni ægrotantis, regioni, & anni tempori conueniat examinandum est. Per horum enim singula, vrinæ secundùm naturam plurimùm euariant: vt ex his quæ hoc ipso capite diximus, & aliàs explicuimus,[b] colligere licet.

b Tract. 1. lib. 2.

Prætérea quæ ab vrinis significantur, cum aliis signis à pulsu atque aliunde petitis conferenda sunt: nec soli vrinæ fidendum, quæ plerumque vt fusè probatum à Foresto[c] legimus fallaces esse consueuerunt. Tandem meminisse iuuabit à variis assumptis & eporis, colorem odoremvè vrinarum immutari. Ab assumpta enim cassia, nigrescit: à rhabarbaro, rufa euadit ac rubea aliquando: veluti etiam à senna, sed hinc obscurior. Ab asparagis, fœtida redditur; & à terebinthina seu assumpta, seu per clysterem iniecta, grato violarum odore perfunditur. Vltimò nonnulli artem docent rusticos eludendi, tum vt eorum fraudes detegant, tum vt illis tanquam sibyllini vates appareant. Sed indignum Medico existimans, vulgi famam ad quæstum arte & astu comparare: ab ijs in integrum abstinebo. Qui tamen his delectatur magìs, nonnulla huius generis apud Fernelium inueniet:[d] & plura apud Gordonium speciali tractatu de cautelis vrinarum.

c Lib. 1. de incerto & fal. ac. vrin. iudicio cap. 4.

d Lib. 3 path. cap. 18.

De egestionibus.

Caput VII.

Egestionum seu alui excrementorum, & fœcum καὶ τῶν διαχωρημάτων duo sunt genera: secundùm naturam vnum, aliud præter naturam. Secundùm naturam appellant, inutiles primæ coctionis reliquias, quibus bilis per cholidocum vas in intestina effusa permiscetur: & quæ per anum, quodammodo pro voluntatis arbitrio, excernuntur. Reliquiæ dicuntur primæ coctionis; quòd à perfecta in ventriculo per elixationem ciborum elaboratione, & chylo per intestinorum spiras à meseraicis sucto, ad excretionem supersint. Harum conditiones ab Hippocrate,[a] expressas habemus. Alui enim recrementa quæ secundùm naturam sunt mollia esse oportet, & constantia, seu vt Celsus interpretatur[b] figurata: vt præ mollitudine nimia, non diffluant: bis, aut semel saltem in die excernantur: quantitate, ingestis proximè respondeant: subrussa sint neque admodum fœteant. A quibus imum ventrē benè valere, liberos esse bilis meatus, & circumstantes partes nihil vitiosum ad aluum transmittere indicatur. Quæ verò ab his quacumque ratione dissident, eadem præter naturam esse existimandum est. Quorum materia, id totum est, quod vndequaque confluens per sedem excernitur. Talium autem multiplices sunt differentiæ, inter quas vtiliores sunt, quæ à substantia, quantitate, colore, odore, & excundi modo petuntur.

a S. 3. 2. prognost. tex. 13. & 17. necnon sent. 601. concor. m.
b Lib. 2. c. 3

A substantia seu consistentia: primò excrementorum alui quædam liquida sunt, alia dura, alia inter hæc media. Liquida, seu humida appellantur diffluentia, nec facilè proprio termino terminabilia. Quæ duplici ex causa talia reddi, docet Galenus[c] vel scilicet quòd ex ventriculo non fiat deductio ad iecur: seu ob mesaraicarum obstructionem, earumdemve infirmam attractricem seu ob imbecillitatem retentricis intestinorum, cibive cruditatem, aut nidorosam corruptionem, deiectorumve quidpiam assumptum, vel etiam quia à iecore, liene, imò & cerebro (vt ex Aristotele,[d] & Hippocrate,[e] colligitur) aut ab vniuerso corpore etiam aliquid in aluum defluxerit, quod excrementa dissoluat & liquida reddat. Quòd si à priore causa excrementa huiusmodi liquida reddantur ea vel erunt chylosa, aut incocta: vel ex prægressis huius defectûs causis faciliè innotescet. Si verò à posteriore causa deiectiones humescant: minimè arduum erit, ab insolito excretorum colore, permixtionem defluxi humoris indicante, necnon ab antecedentibus morborum affectibus; tum fuci in aluum illabentis naturam tum locum vnde defluxerit detegere. Horum autem quædam bona, quædam mala sunt, vel potiùs eorum aut vtilis est, aut importuna excretio. Vtilis quidem ea est liquidorum alui recrementorum deiectio, quæ seu criticè, seu per modum criseos, aut

c Comm. 2 in lib. prognost. com. tex. 14

d Sect. 4. problem. 1.
e Lib. 6. aph. 32.

quo-

quomodocumque accidat, ex Hippocrate,[f] cum fructu & tolerantia fit. Mala autem ea est deiectio per quam iuxta eumdem,[g] qualia purgari oportet, morbum scilicet facientia, non purgantur; sed aliena. Ea item omnis quæ non facilè fertur ab ægrotantibus: [h] seu [i] quæ excernuntur, cum stridore (ab immixto flatu caloris imbecillitatis argumento) subducantur: seu crebrò & sensim deijciantur, vellicatâ excretrice vi ab acrimonia egestorum: seu tandem cumulatim & sæpè excernantur, totius corporis excretrice facultate importuniùs irritatâ. Vnde exolutis viribus, ob effluuium spirituum, qui simul effunduntur, tales animo linqui aliquando contingit. Quod vltimum ex Hippocrate [k] periculosum est.

Duras alui fœces appellamus, siccas; & quæ cum bacillo tangenti non cedunt: quas σκύβαλα appellant Græci.[l] Indurantur autem; vel à nimia suctione meseraïcarum post mediam, morbum, vacuationem nimiam, aut quamcumque corporis exolutionem. Vel à caloris vehementia: seu ea calidiorem iecoris intemperiem, seu febrem, seu atræ bilis in abdomine stabulantis æstum sequatur. Vel per vrinæ pronocationem serosâ liquidâque substantiâ ad renes & vreteres, Galeno adnotante [m] conuersâ, vel à sicca & astringente assumptorum qualitate. Aut tandem ab imbecilla intestinorum excretrice: fœcibus intra aluum diutiùs remorantibus.

Quæ inter liquidas & duras alui fœces sunt mediæ, ab Hippocrate, [n] & Galeno, [o] molles appellantur, Molles inquam, quæ neque in scybalorum modum indurnerint, neque diffluant: sed eò vsque sint molles, vt constantes permaneant. Harum autem quædam, nulli alieno succo permixtæ integrè secundùm naturam se habent; quæ ventriculi perfectam coctionem, necnon facultatum intestinorum actiones commoderatas esse significant. Aliæ mollitiem à præternaturali causa consequuntur: scilicet vel à crassæ viscidæque pituitæ, vel à colliquatæ pinguedinis permixtione. Priores huius ordinis vt monuit Auicennas, [p] copiosæ sunt, glutinosæ albæ, & sine fœtore. Posteriores verò licet glutinosæ etiam sint, & albæ plerumque: eædem præterea vt à Christophoro à Vega adnotatum fuit, [q] paucæ sunt, & fœtidæ. Vtræque autem vt habemus apud Hippocratem, [r] in morbis acutis malæ sunt. Illæ quidem ob naturam humoris fœcibus permixti, qui coctioni renititur. Hæ verò, quia pingue omne colliquamentum, maximæ perniciei à caloris acritudine imminentis est indicium: multo sunt deteriores.

Secundò pro ratione substantiæ maximè, alui recrementa distinguimus in æqualia, & inæqualia. Æqualia ea appellamus, quæ sibi ipsis omni ex parte sunt similia: eademque læuia esse à Galeno dicuntur: [s] coctionis atque etiam mixtionis æqualitatem, ex eodem Galeno, [t] indicantia. Inæqualia verò ea nuncupamus, quæ vel à dispari coctione, vel à diuersorum inæquali mixtione, partes habent ab inuicem differentes. Coctionis disparitatem in his aduertimus, quorum pars dura est, pars verò mollis aut liquida: taliaque solent esse diuersarum coctionum vnà vixe excretæ reliquiæ. Inæqualiter mixta ea dicimus, quæ à diuersorum succorum discerptim cohærentium concursu variegantur: quæ à Galeno, [u] varia appellantur. Atque hæc, corpus variis affectibus detineri significant, aut saltem diuersos succos in vitio esse in diuersis sedibus stagnantes. Et vtraque ex causa longitudinis morbi, ac periculi non leuis sunt indicia. Multi enim varijque affectus, necnon & diuersi humores in differentibus locis consistentes, ad concoctionem longiore tempore indigent, & multiformis omnis morbus, simplici periculosior existit.

Tertiò ab speciali conditione substantiæ eorum quæ fœcibus aluinis permixta sunt, deiectionum aliæ sunt spumosæ, aliæ pingues, ramentosæ, cruentæ, pituitosæ, biliosæ, aut calculosæ etiam. Spumosæ, non vnam sed multiplicem causam habent. Vel enim spumosæ ex Galeno, [x] redduntur, ab spiritûs flatuosi & solutu difficilis commixtione: qui in intestinis per morbos acutos genitus, infirmi caloris est nota. Vel ex Hippocrate, [y] eædem spumosæ fiunt, à defluxu pituitæ à capite, & in flatus ex parte saltem per motum inter dilabendum solutæ: quæ inæqualem diuersorum succorum agitationem & motum indicant. Vel tales etiam euadunt, à vehementia immoderatæ caliditatis: à qua aluina recrementa quasi fermentantur, & vt Galenus monuit, [z] interni feruoris corpus colliquantis sunt indicio.

Pingues deiectiones, à pinguedinis permixtione denominantur: quæ nisi pinguium eduliorum esum sequantur, colliquationis sunt euidens nota, & lethales apud Hippocratem dicuntur.[a]

Aduertendum tamen est, eam pinguedinem vel inæqualiter, vel æqualiter fæcibus esse admixtam. Si enim inæqualiter permixta sit, quòd ei non licuerit per totam fœcum massam iam antè aliqualiter compactam permisceri: colliquationem solius pinguedinis crassorum intestinorum significat, vnde minus periculum impendet, nec certa mors imminet. Si verò æqualiter fœcibus perfusa sit eliquata pinguedo: colliquamentum pinguis substantiæ totius corporis, ad intestina corriuari denotatur. At si præterea deiectiones hæ pingues; viscidæ etiam sint & glutinosæ signum erit, Galeno authore,[b] tale pinguis succi liquamen, ex solidis animalis partibus, aut carnosis saltem contabescentibus emanare.

f Lib. 1. aphor. 2. & 25.
g Citat. aph. 25 lib. 1
h Argumento aphor. 2. lib 1.
i Sect. 2. prog. tex. 14.
k Sect. 4. lib. de rat. vict. acut. tex. 62.
l Gal. com. 4 in lib. acut. com. tex. 97.
m Lib. 4. aphor. vlt.
n Sect. 2. prog. tex. 13.
o In comm. citati tex.
p Lib. 1. fen 2. cap. vlt.
q Comm in tex. 11, cit. 2 prognost.
r Eo ipso tex.
s Lib. 2. de cris. cap. 11.
t Comm in 2. progn. comm. citat. tex. 21.
u Citat. lib de cris. cap. 10.
x Comm in 2 progn. com. tex. 20.
y Lib. 7. aph. 30.
z Cit. lib 2. de crisib. c. 11.
a Sect 2. pro. tex. 22.
b Eodem cap 11 lib. 1. de crisib.

c Sect. 2. tex 21. & 23.
d Comm. in eundem tex. 23. sect. 2. prognost.
e Gal. lib. 10. meth. c. vlt.
f Lib. 2. c. 8.
g Sect. 2. prognost. tex 23. & sent. 631. concar.
h Lib. 4. aph. 26.

Atque à talis colliquamenti permixtione illæ fiunt opimæ deiectiones, necnon glutinosæ & albæ; quarum Hippocrates meminit in prognosticis. [c] Quòd si idipsum liquamen semiputridum aliquando euaserit: ex Galeno, Valesio, è Veiga, Heurnio, & aliis: [d] easdem glutinosas deiectiones pro albis subflauas facit. Alterutra autem pinguium harum excretionum à colliquatione ab vniuerso corpore delabente orta, lethalis est: perseuerans enim, [e] ad marasmum, atque inde ad interitum ducit ægrotantem.

Ramentosæ egestiones, fiunt à ramentis (seu vt loquitur Celsus [f] ab strigmentis) quę ab intestinis à pituita salsa, aut acriore bile erosis excidunt, & fæcibus permiscentur. Tales autem interioris tunicę intestinorum vlcerationem indicantes, ab Hippocrate, [g] lethales esse dicuntur. Potiore verò iure, lethales illę asseruntur ab eodem, [h] in quibus pro strigmentis caruncule admiscentur. Hæ enim vel profundiorem intestinorum erosionem significant; vel vomicam in caua iecoris, cum corruptione parenchymatis indicant. Quos admodum differentes affectus distinguemus, tum ex doloris situ qui vel intestinorum regionem vel hypochondrium occupet: tum ex colore caruncularum; quę enim subalbę sunt, ab intestinis excidunt; quę verò obscuro rubore tinguntur, prodeunt ab hepate.

Cruentę redduntur deiectiones, à sanguine, vel syncero per inferiora effluente, vel fæcibus permixto. Qui ab erosa vena manans, paucas effluit: copiosior autem, ab aperta vena, aut rupta. Qui præterea si in superficie tantùm figuratarum fęcum appareat, ab hęmorrhoïdibus, aut crassis intestinis effunditur. Si verò fœcum substantię confusus sit, & permixtus, à tenuibus intestinis effluit.

Pituitosæ ac biliosæ egestiones, à pituita aut bile per secessum expurgata nomen suscipiunt: seu illi excrementitij succi synceri sint, vnde meracæ deiectiones appellantur: seu aluinis recrementis permisceantur. Singulas autem harum species, ex permixti succi colore, facilè discernemus.

i Lib. 6. de locis affect. cap 2.
k Lib. 2. de extrem. c. 4.

Calculosas demum eas deiectiones appellaui, quando calculi in intestinis geniti, per anum cum vel sine fœcibus excernuntur. Quod licet rarum sit, & Galenus [i] se id nunquam vidisse testetur: plurimi tamen tale quid accidisse profitentur. Mercurialis [k] enim scribit Frisimelicam Clarissimum olim Medicum Patauinum, lapidem oui magnitudine cum fæcibus excreuisse. Præterea Illustrissimus D. Pomponius de Bellieure Galliæ Cancellarius, cùm aliquot annis antequam decederet, grauissimè ægrotasset, tandem calculum per sedem deiecit.

l Lib. 3. de extrem. c. 2.
m Lib. de static. medic. sect. 1. aph. 6.

A quantitate, deiectiones aliæ dicuntur multę, alię paucę, alię mediocres. Quas denominationes accipiunt collatę cum assumptis: quorum pars minima in alimentum conuertitur, maxima autem eorum portio in excrementa secedit; vt ex Ioanne Grammatico seu Michaële Ephesio docuit Mercurialis. [l] Id tamen pro ratione eduliorum plùs aut minùs nutrientium. Quorum prętere maior pars per insensibilem transpiratum disperit. Nam vt scribit Sanctorius, [m] si cibus & potus vnius diei sit octo librarum, transpiratio insensibilis ascendere solet ad quinque libras circiter.

Copiosiores autem solito redduntur tum ex eisdem causis, ex quibus liquidas reddi fæces explicuimus, tum ex transpiratione solitò maiore.

Et pauciores, ex consimilibus causis cum ijs à quibus illæ dutæ redduntur; & liberiore transpiratione Vt mediocres, fiunt à debita singularum causarum commoderatione.

n Comm. in 2. progn. com. tex 20.

A colore multiplex est egestionum differentia: quædam enim sunt albæ, aliæ flauæ, flammeæ, rubræ, virides, nigrę, aut varię, redduntur albę, seu potiùs quodammodo cinericię: vel ex Galeno, [n] bile per intestina non expurgatà obstructo scilicet cholidoco vase: vel multo pure ex grandi aliquo abscessu in intestina effuso, & fęcibus permixto: vel à copiosiore pituita crassa, à crapuloso, aut in otio diutius versato excreta: vel tandem ex colliquamento pinguis substantię membrorum vt suprà adnotauimus. Singulas autem huiusmodi causas tum ex fæcum substantiæ modo, tum ex affectibus simul concurrentibus facilè discernemus. Flauæ iuxta Galenum, [o] fiunt si syncera ante multa bilis deijciatur.

o Comm. 2. in progn. com. tex. 17.

Flammeæ, non tam ex particulari colore denominantur, quàm ex fulgore huic aut alteri colori aduenientie: qui si flauedini, viroti, aut variegato etiam colori coniungatur, magni & latentis incendij est signum.

p Argumento tex. 18. sect. 2. progn.

Rubræ; vel sunt similes loturæ carnium, à sanguinis ichore, aut crudo sanguine, ab imbecillo hepate per mesaraicas in intestina deuoluto: magnæ iecoris imbecillitatis nota: vel rubore florido persunduntur, à syncero sanguine permixto: vel croceo, à multa russa bile; seu admixta fæcibus, seu syncera excreta. Vbi adnotandum est, quò synceriores sunt deiectiones, eò peiores esse. [p]

Virides fiunt vel à permixtione inconcoctorum olerum: vel ab admixtione porraceæ, aut æruginoſæ bilis: vel à flaua bile, cum foſco aut liuido ſucco permixta: aut tandem ab alimentorum corruptione. Quod per æſtatem his aduenit, qui horariis fructibus veſcuntur: necnon & pueris, qui ex Galeno, [q] nutrimenta ſæpe corrumpunt, ac maximè lactentes: atque id calidæ potiùs quàm frigidæ intemperiei vitio, vt alibi [r] docuimus.

q Com. 3. in 3. epid. tex. 17.
r Tract. 1. lib. 3. cap. 6.

Nigræ redduntur egeſtiones, primùm ab aſſumptis cibis ex ſe nigris; qualis eſt ſanguis aſſus, ſepiarum liquamen, & quæ huiuſmodi imitantur: necnon & à pharmacis caſſia ſcilicet & ſimilibus, nigro colore fæces inquinantibus.

Secundò ab aduſtione, quam naturalium viſcerum intemperies vehementer calida cauſauerit. Ac tandem à nigri ſucci permixtione: quem Iacotius, [s] vti à nobis etiam animaduerſum fuit, [t] triplicem eſſe aduertit. Succum ſcilicet melancholicum, atram bilem, & deuſtum ſanguinem. Cuius poſtremi Hippocrates, [u] & Galenus, [x] meminerunt. Nigri autem hi ſucci fæcibus permiſcentur aliquando ſalubriter (vt indicatum eſt ab Hippocrate [y]) melancholiâ ſcilicet, ab infarcto & tumente liene, in inteſtina per hæmorrhoides, aut his ſuperiores etiam venas reiectâ: vel eadem à medicamento melanagogo expurgatâ: aut eâ ipsâ à vaſis criticè in aluum expulsâ, in iudicatione melancholicarũ febrium: vel tandem quando reluccentes ſanguinis grumi, excernuntur in his acutis febribus quæ ex calefacto primùm tum ſubitò refrigerato ſanguine excitantur. A quibus, tali excretione factâ multos conualuiſſe, ſcribit Holerius. [z] De qua ſalutari ſanguinis excretione in grumos conglobati in prædictis febribus, locutus videtur idem Coacarum author, quando, quibus dolores hypochondrij, inquit, [a] oris ventriculi, hepatis, & earum quæ circa vmbilicum ſunt partium; excreto per anum ſanguine, ſeruantur; non excreto pereunt. Citra quem caſum funeſta ſemper eſt grumorum ſanguinis per anum excretio, ac maximè floridorum & ſplendentium: vt expreſſum eſt ab Hippocrate, in eodem opere. [b] Indicant enim eum iecoris vehementi calore & incendio ſanguinem aſſante; vel naturæ irritatæ vitioſum conatum, vel vaſis alicuius ruptionem: ex quarum altera cauſa ſanguis niger in inteſtina ſit effuſus, & in eorum gyris moram contrahens concreuerit. Sic & citra recenſitos antè caſus prædictorum nigrorum ſuccorum cum fæcibus permixtio, aut omninò per aluum egeſtio: cedere ad perniciem ſolet. Nam vt 4 aphor. [c] Habetur deiectiones nigræ velut ſanguis niger ſponte venientes, ſiue cum febre, ſiue ſine febre, peſſimæ. Et in prognoſticis [d] nigræ ac liuidæ admodum pernicioſæ iudicantur.

s Comm. 1. in 1. ſect. coacarum lib. 4. com. tex. 9.
t Citat tract. 1. lib. 3. c. 7.
u Lib. 4 aph. 25.
x Lib. 1. de criſ. cap. 12.
y Cit. recen. aphor.
z Lib. 3. in 1. ſect. coacarum com. tex. 130.
a Sent. 295.
b Sent. 611 & 612.
c Aphor. 21.
d Sect. 2. te. 22.

Quæ confirmata habemus in Coacis. [e] Tales enim deiectiones magnum totius aut iecoris ſaltem incendium ſuccos aſſans indicant. Omnium verò maximè pernicioſa eſt atræ bilis excretio, ſeu ea incipientibus morbis, [f] ſeu quomodocumque extenuatis ægris eadem excernatur. [g]

e Sent. 605 612. 618. & 631.
f Lib. 4 apho. 22.
g Lib. eodem aph. 21.

Varij demum coloris redduntur fæces à diuerſorum ſuccorum permixtione; qui vel medicamenti vi deijciuntur, vel ſponte vacuantur. Quod ex Hippocrate, [h] eò deterius eſt quò plures colores fæcibus permixti apparentes, deteriores fuerint: eò verò melius, quò colores plures apparentes, fuerint non praui. Præſertim ſi à medicamento excretio ſit prouocata: vt habetur in Coacis. [i]

h Ibidem aph. 21.
i Citat. ſent. 605.

Ab odore differunt excrementa: quòd ea vel fœtore careant, vel modicè, aut grauiſſimè etiam fœteant. Minimè fœtentia & inodora redduntur: vel ab ingenti coctricis imbecillitate, non immutantis alimenta: vel à calore plurimùm exſiccante & in moderatam ciborum minùs humidorum copiam agente. Sic apud Ariſtotelem, [k] ſtercus quò diutiùs in corpore retinetur, minùs fœtet, quia eò magìs ſiccatur: quod autem ſiccius, id etiam imputreſcibilius eſt. Hincque aduenit ex Alexandro [l] quòd ferarum ſtercus minùs quàm vrbanorum animalium fœteat: & damarum atque aliorum quorumdam excrementa paulìſper aroma redoleant: quorumdam autem vt zibeti ſuauiſſimè oleant. Feræ enim cibo ſicciore & calidiore veſcuntur, magìs exercentur, caloréque plurimo abundant. Sic præterea vinum aromaticum calorem internum augens ex Auicenna, [m] fœtorem egeſtionis emendat. Mediocris autem fœtor in humanis fœcibus per ſtatum ſalubrem ideo excitatur, quòd cùm ciborum reliquiæ per inteſtina deuolutæ molles conſeruentur, ibidem verò diſſlari commodè nequeant, [vt aduertit Alexander] [n] quoddam putredinis inquinamentum atque inde fœtorem concipiant. Grauiſſimè verò aliquando fœces olent, iuxta Auicennam: [o] vel ab imminuta alimentorum coctione, quoniam humidum minùs à calido regulatum fœtidum redditur: vel contracto putore à fœtidis eduliis; vt notat Raſis: [p] aut demum ex Galeno, [q] ob vehementem putrefactionem quæ fœtoris eſt parens.

k Sect. 13. problem. 1.
l Lib. 1. probl. 19.
m Lib. 4. fen 7. tract. 1. cap. 14.
n Loco recens citato.
o Vbi ſupra.
p Lib. 5. ad Almanſ. cap. 54
q Lib. de criſ. ictas. cap. 12.

Ab excernendi tandem modo excrementa diſtinguimus; primò quòd frequenter aut rarò, paulatim aut confertim excernantur: tum quòd per anum aut aliam partem expellantur: tertiò quòd ſine ſonitu aut cum illo deijciantur: ac poſtremo quòd laborioſè, aut ſine labore, facilè, & indolenter exeant.

Frequens ſit excretio: vel ab acrimonia ſuccorum admixtorum, expultricem frequenter irritante:

vel

vel ab acutiore sensu intestinorum qoomodocumqne læsorum: ratione coius ea nihil continere valent, & quæcumqne ocaurrentia quàm promptissimè expellunt. Vel vltimò ab imbecillitate facultatis retentricis intestinorum, obliquis scilicet fibris laxatis & emollitis. Vndecumque autem freqoens fiat deiectio, ea ex Coacis [r] mala est. Nam & malum indicat, scilicet internarum partium vi- *r Sent. 609.* tium; quod vel acrimoniæ succorum, vel laxationis fibrarum est causa: & præterea vigilias parit, quæ vires mirum in modum exoluunt.

Rara deiectio prooenit vel à penuria alimentorum, atque ideo paucitate reliqoiarum primæ coctionis, vel à duritie fæcum; vel à debili expultrice; val demum ab obtuso intestinorum sensu, cùm præsertim ea, multa lenta & crassa pituita illita sunt.

Paulatim seu tardè ac lenè alui excrementa deponimus, vel ob expultricis imbecillitatem, vel ob angustiam iotestinorum, vel propter fæcum discontinuitatem.

Confertim verò & celeriter, ob fæcom multitodinem, earnmdem continuitatem, intestinorum latitudinem, acrimoniam excrementorom, & expultricis robur.

Præterea licet secundùm naturam fæces per anum excernantor; aliqnando tamen cùm via per inferna occlusa est, vt in prolapsu intestini in dextram scroti partem, & voluulo: tunc intestina vt se à molesto infarctn liberent, illas ad superiora refundunt, coguntque ventriculum easdem per os excernere. Aliâs eroso, aut secto cum intestinis abdomine, aut aliunde datâ viâ, insolitos per vulnera sibi parant exitus.

Absque sono egeruntur; vel ob pinguedinem, vel ob lentum excrementornm casum ab expultricis imbecillitate. At qoæ plurimùm sonora est deiectio, fit à flatuom cum impetu exeontiom permixtione. *f Sect. 2. prog. tex. 24.* Flatus tamen ex Hippocrate, [f] sine crepitu exire optimum est: quòd scilicet sic exeunte flato, vias liberas esse, & eumdem neque multum neque crassum esse significetur. Meliùs tamen cum crepito exire, robustæ expultricis indicio: quàm cum illo recondi, ob langorem eiusdem facultatis, & viarum angustiam. Reconditus verò: aut borborygmum facit, si cnm humore liquido coniungatur, & quasi in fluentis aquæ modum sonet: aut bombum; si flatos ille sonorus, fit siccus & singularis: rugitum verò, multiplicato sono. Quòd si flatus cum sonitu citra προαίρεσιν & inuoluntariè erupe- *t Ibidem.* rit, ex Hippocrate [t] aut dolorem significat, aut delirium, aut vecordem saltem segnitiem, aut grauem impudentiam.

Laboriosè tandem & cum dolore fæces egeruntur; vel ob natiuam angustiam crassorum intestinorum; vel ob tumorem aliquem recto intestino adnatum, turgentesvè mariscas; vel ob ipsarnm fæ- *u Sent. 643. Coacarum.* cum nimiam duritiem. De quibus Hippocrates, [u] æstnosæ deiectiones, inquit, idest exsiccatæ & induratæ ab interno abdominis æstu; & cum contentione procedentes, idest cum multo conatu excretæ, male affectam aluum prænuntiant.

Laboriosè præterea deijciuntur, si qoando intestina flatuum copiâ distendantur: vel tandem ob acrimoniam excrementorum, quæ importunè intestina vellicant, aut mucum eorum tunicis hærentem rudiùs abstergunt, aut eadem vlcerata pungunt & mordeot.

Sine labore verò & dolore excerni consueuerunt, molles quidem fæces: si ampla sint intestina, & Sphincter ad se laxandum sit liber.

Quas omnes differentias in alui excrementis accuratè notare oportet, tam inter excernendum, quàm in iam excretis: ac præsertim dum acutè laborantes tractamus: vt singulis diligenter animaduersis, eorum quæ in ægris insunt: nihil nos fugiat: & his exactè cognitis faciliùs ad futurornm præsagium deducamur. Vt autem quæ in fæcibus adnotare conuenit, commodiùs appareant: primùm illas excipi oportet in vase terreo mundo, non alto, sed lati fundi: tum excrementa quæ per singulas vices excreta sunt, distinctis matolis excepta esse expedit, citra omnem vrinæ aut aquæ admixtionē.

Tandem oportet quæ deiecta sunt in loco lucido intueri, non tamen solaribus radiis exposita. Ac si liceat mox ab excretione eadem inspicienda sunt: sin minus procurandum vt aliquo velamine tecta asseruentnr. Quæ dum contemplamor, ab aliquo serno aut alinica muliere baccillo leniter vndeqoaque agitari conuenit: quo fie contenta omnia exactiùs inspiciantur. Ad fœtorem aotom percipiendnm, non magnâ curâ est opus: is enim facilè olfactum ferit: quem ne liberiùs hauriamus, satius erit ab astantibus quàm grauis sit excretorum odor perquirere.



De signis coctionis & cruditatis.

Caput VIII.

Etsi apud Hippocratem, & Galenum, coctio propriè dicatur ea quæ alimentorum est: quam Galenus [a] nutrientis in propriam qualitatem eius quod nutritur mutationem esse dixit, & quam πέψιν vocare consueuit.

Tamen excrementorum etiam quædam est apud eosdem concoctio, quæ vt iam ante docuimus, [b] πεπασμὸς & πέπανσις appellatur. Galenus [c] enim ab Hippocrate cocta ea excrementa vocari scribit, quæ naturalem modum secundùm qualitatem quamcunque prætergressa, postmodum à natura ipsa euicta sunt & superata: vt cruda ea appellari ait, quæ non sunt euicta; sed contractum virium retinent. Vbi namque natura superior euasit, testitique vehementiori morbi conatui, & quæ infestabant expugnauit, hoc vt loquitur Galenus [d] est ipsa coctio. De qua posteriore coctione & illi opposita cruditate hic loquimur: atque vtriusque signa quærimus. Cùm enim ex Hippocrate, [e] coctiones, celeritatem portendant iudicij, securitatémque salubrem; cruda vero & incocta atque in malos abscessus conuersa, aut ἀκρισίας, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidiuas: plurimùm studere oportet sedulóque occupari, in coctionibus aut cruditatibus morborum dignoscendis. Quare vt res tanti momenti exactè discutiatur Quærendum primò et vnde cruditatis coctionísque signa petantur: tum qualiter singula coctionem cruditatemvè significent. Quantùm enim coctioni fidendum videatur, quantumque cruditati diffidendum, sequentibus capitibus disquiretur.

a Lib. 2. de naturalib. fac cap 4. & lib. 3 cap 7.
b Tract 1. lib. 6. cap. 4.
c Comm 1. in lib de rat. vict acut. com. tex 44.
d Lib. 3. de crif. cap. 5.
e Lib. 1. epid. sect. 2. tex. 45.

Coctionis quidem & cruditatis signa, non aliunde commodiùs quàm à constitutione & habitudine eorum quæ à corpore excernuntur, peti possunt Cùm enim succi qui per vasa aut alias corporis partes sunt effusi, coctionis aut ei oppositæ cruditatis sint obiecta: succorum autem intus latentium constitutio: vix aliàs meliùs appareat, quàm ex his quæ excernuntur, necessariò ab eisdem tam coctionis quàm cruditatis certissima signa capiemus. Hinc Galenus, [f] vt in corporibus sanis excrementa concoctionem indicant non secus ea ipsa eamdem in corporibus malè affectis indicare asseruit. Horum autem non solùm quatuor sunt genera in hunc finem digna contemplatu, ab eodem Pergameno [*] relata: scilicet quæ per nares excernuntur, sputa, vrinæ, & fæces: sed cùm concoctrix vis per vniuersum corpus diffundatur, ea etiam omnia quæ quacumque ex parte secundùm aut præter naturam effluunt, coctionis aut cruditatis nobis signa suggerunt. Lemiæ enim, & lachrymæ, auriúmque sordes, pus item, ichor, & sanies ex vlcere manans, aliquarum coctionum etiam & cruditarum sunt signa.

f Com. 2. in 1. epid. com. tex. 44.
* Ibidem.

Quæ enim ex naribus emunguntur quò tenuiora sunt & magìs aquea, eò maiorem cruditatem indicant: coctionem autem quæ mediocriter sunt crassa, alba, & minimè acria. Atque idem ab his quæ ex ore per simplicem expuitionem reijciuntur indicatur: ambo verò de cerebri affectibus attestantur.

Lemiæ prætereà, quas pituitam (scilicet ad oculum concrescentem) vocat Celsus, [g] & Plinius [h] gramias appellat: cùm ex Galeno [i] sint excrementum semicocti oculorum alimenti quoties apparuerint, cruditatem significabunt eorum succorum qui ad oculos feruntur. Quæ præterea, si cum inopia alimenti dum scilicet oculi caui sunt in morbis acutis appareant: non copiæ humorum in oculos irruentium sunt indices, sed naturalem facultatem oculum regentem maximè imbecillam esse demonstrant, atque ex Hippocrate [k] exitum portendunt. Si verò eædem in statu humidiore, cum abundantia excrementorum cerebri paruæ erumpant, ex eodem Galeno [l] densitatem tunicarum ab ambiente frigidiore contractam notant.

Lachrymæ verò si copiosæ effundantur aut inuoluntariè effluant: vt ex eodem Pergameno [m] colligitur, modo nec oculi à fumo aliquo sint offensi, nec phlegmone aut doloroso alio affectu nec epiphora laborauerint, neque eorum glandulæ erosæ sint, aut laxatæ: & nihil graue morbo acuto laboranti acciderit, superuacuum humorem, atque eumdem crudum in cerebro abundare, qui ex parte eâ viâ expurgetur indicant. Eædem verò si prænindicatâ crisi die critico appareant, eruptionem sanguinis è naribus expectandam significant. At si in acuto morbo ægris aliundè incommodè habentibus acciderint: ex Hippocrate 4. epid. & primo prognost. tex. 10. malum & exitiosum est. Galeno enim authore in comment. prognost. si propter debilitatem retentoriæ facultatis ægri nolentes illachryment, exitiosum indicium lethaléque est. At Valesio adnotante in comment. ad prognost. præcisis causis prænumeratis, lachrymas inuoluntariè fluentes à contentricis in oculo imbecillitatis prodire necessum est. Quod ideo mortale est, quia temperamentum illorum omni-

g Lib. 6. cap. 6.
h Lib. 25. cap. 13.
i Comm. 1. prog. comm. tex. 10.
k Eodem tex. 10. sect. 2. prognost.
l Comm 2. in 2. epid. com. tex. 6.
m Comm 3. in 6. epid. cõ. tex. 5.

no euerri significatur, & ob viciniam cerebri, naturalis eiusdem facultatis prostratio indicatur, quæ planè lethalis est.

Aurium sordes, quæ à natura cerebri recrementa purgante colliguntur: si crassæ sint, flauæ, & amaræ, coctionis erunt indices: sin verò aqueæ, albæ, aut dulces, cruditatis: imò & dulces ab Hippocrate, [n] lethales censentur: quod vt ait Galenus, [o] cerebro liquescente tales reddantur. Liquescente inquam, vti Valesius [p] interpretatur, putrescente, aut corrupto: vt in lethargo, & sphacelismo, vel eodem abscessum patiente: & per aures, aut alteram earum expurgato, vel resudante.

Pus quod album est, læue, æquale, & minimè fœtidum, ex Hippocrate, [q] optimum est: atque ideo absolutissimè concoctum & vt docet Galenus, [r] à natura euictum esse significatur. Quod præterea in vlceribus ex Celso, [s] non multum copiosum esse oportet, sed paucum. Quod vero cruentum, fœculentum ac fœtidum est: idipsum, [t] & crudum est, & malum. Quod si ex suppurato hepate & adusto amurcæ simile effluat, in aphorismis, [u] lethale dicitur. Omnia enim genera huiusmodi puris, vel cruditatem, vel deustionem, vel corruptionem, & putredinem denotant. Sanies præterea & ichor, quorum tenuior est substantia; cruditatem indicant: atque eò deteriorem quò eadem, aut colore, aut odore, magis à laudatissimi puris conditionibus abfuerint. De quibus fusè agentem legatis tum Celsum, [x] tum Andream à Cruce, [y] cæterosque Chirurgos.

Verùm ad coctionem aut cruditatem dignoscendam, in his affectibus qui vitio succorum in vasis contentorum prodeunt, aut inferiores ventres occupant: ad tria præsertim excrementorum genera Galeni exemplo [z] attendere consueuimus, sputa, vrinas, & fæces. Ex quibus sputa, eodem authore, [a] eorum quæ in thorace sunt aut pulmone, coctionem vel cruditatem monstrant: eorum verò quæ in vasis sunt lotia; ac eorum demum quæ in venticulo conficiuntur, aut quæ in cauo iecoris, vel mesen terio continentur, deiectiones.

Vt ergo ab sputis incipiamus, Hippocrates, [b] cocta sunt sputa ait, cùm quæ expectorantur puri similia fuerint; vt scilicet alba sint, læuia, & non valde lenta: non enim iam verum pus esse debent, sed ad illud multum accedere. Nihil autem spuere, vt docet Galenus, [c] maximæ cruditatis & ἀπεψίας signum est. At aliquid excreare, quoddam coctionis est indicium. Quòd si liquidum, ac tenue id fuerit quod expuitur, ex Galeno, [d] debilis & obscuræ permutationis est nota; atque adeo alicuius cruditatis indicium: quemadmodum & sputa quæcumque subflaua, subrussa, subpallida aut subspumosa extiterint: ea ex eodem [e] cruda adhuc esse dicuntur: necnon quæ salsa sunt, pauca, & sinceri coloris. Quod autem mediocriter est crassum idipsum Pergameno affirmante, [g] perfectioris coctionis est signum. Præsertim si vt habetur lib. 1. de crisib. [h] neque sanguini, neque bili pallidæ, vel nigræ commixtum fuerit.

Ex vrinis, ea quæ bene colorata est, & albam, læuem & æqualem habet subsidentiam, coctionis est signum. [i] Imo perfectæ coctionis: cùm talis ab Hippocrate, [k] optima esse dicatur. Huic in bonitate succedit, ea in qua suspensum album læue, & æquale fuerit: vt tertium bonitatis locum obtinet ea in qua similis nebula apparuerit. [l] Præterea verò solus bonus vrinæ color absque vlla vllius secretione contenti, in biliosis affectibus ad concoctionem indicandam aliquando est satis: vt suprà [m] ex Aetio [n] monuimus.

Sed eamdem, colore, vrinæ sanorum simillimam esse oportet (quæ ex primo de crisib. [o] subrufa est aut subflaua, magis autem subrufa quàm subflaua) & mediocrem crassitudinem habere conuenit. Aliqualem vero coctionem, sed minimè perfectam ea ex Hippocrate [p] notat, quæ cum nubecula rubea quarto die excernitur. Necnon ea, [q] quæ colore subrubra, subsidentiam similem habuerit & æuem: quia vlteriore coctione opus esse significat, integerrimi autem humoris exuperantiam præ se fert; diuturniorem quidem futurum morbum quàm cum priore demonstrat, eumdem tamen valde salutarem pollicetur. Conturbatæ præterea, sed dum depositæ sunt subsidentes, [r] concoctionis alicuius indicium præ se ferunt: præsertim si illico subsideant.

Ea item quæ interdum mingitur pura aliâs verò cum subsidentiis, ex Hippocrate, [s] & Galeno, [t] semicoctum morbum ostendit. Semicoctum inquam: non quòd ad dimidium coctionis peruenerit, sed quòd ex multiplici materia genitus, partem materiæ morbificæ eamque tenuiorem coctam esse significet, reliquum autem permixtæ materiæ crudum perseuerare.

Ad summum autem incocta, ab eodem Galeno, [u] ea existimatur: quæ exquisitè aquosa est. Alba enim, & perspicua, extremam cruditatem apud eumdem, [x] significat. Hæc autem minùs cruda ex Galeno [y] est, & debilis coctionis index, ea quæ substantiam colorémque refert vini abundè tenuis & albi: quod paucum ichorem ex bile aut flaua aut rufa susceperit, & mediocriter subpallida facta fuerit. Atque omnino quæ sanorum vrinis tenuiores sunt, omnes cruditatis sunt notæ. Imo à solis tenuibus vt ait Galenus [z] morbi incoctio indicatur. Quæ verò turbulenta apparuerit, talisque permanserit: perturbationis, & agitationis proprium est signum: ac quoniam coctio quiete perficitur,

n Lib. 6. epi. sect. 1. tex. 19
o In comment.
p Comm. in eumdem tex.
q Sect. 2. prog. tex 47.
r Lib. 8. de differ. febr. c. 6
s Lib. 5. c. 26.
§. de sanguine, sanie, & pure.
t Argumento aph. 44 lib. 7
u Aphor. 41 eiusdem lib. 7.
x Cit. eo loco.
y Lib. 1. chirurgia tract. 2. cap. 3.
z Lib. 1. de crisib. cap. 7.
a Lib. de r... art. cap. 18
b Lib. de rat. vict. in acutis sect. 4. tex 78
c Lib. 2. de locis affectis cap. 9.
d Lib. 1. de crisib. cap. 18
e Lib. eodem cap. 5.
f Gal. com. 2. in lib. acut. com. tex. 44.
g Comm. 2. in 6. epidem. com. tex. 17.
h Cit. cap. 5.
i Gal. lib. 1. de crisib. cap. 14. & 17.
k Sect. 2. progno. tex. 16.
l Gal. 1. de crisib. cap. 12
m Cap. 6 huius lib.
n Lib. 1. c. 29.
o Cit. cap. 12.
p Lib. 4. aph. 71.
q Sect. 2. pro. tex. 17.
r Gal. 1. 2. epid. com. tex. 1
s Sect. 2. prog. tex. 26.
t Com. 2. 1. de crisib. cap. 12
u Loco citato.
x Lib. 4. aph. com. aph. 72.
y Lib. 1. de crisib. cap. 12. & 17.
z Com. 4. in lib. acut. com. tex. 30.

eadem ex vi consequentis cruditatem significat.

Excrementa demum alui tunc benè concocta sunt, quando ex Hippocrate,[a] & Galeno[b] mollia sunt & coniuncta, eaque horâ delecta qua tempore sanitatis deijci solebant, nec non eorum quantitas est pro ratione ciborum assumptorum. His enim ita constitutis, ventrem inferiorem sanū esse, & vim concoctricem suo munere vt par est fungi significatur. Incocta verò ea sunt, quæ vel liquida sunt, vel alba, vel inæqualia, aut comestorum qualitatem aliquam retinent. Lienteria enim in qua talia deijciuntur qualia fuerunt deuorata, coctionis carentia dicitur à Galeno.[c]

Sed antequam finiam hoc caput, excutiendum videtur, num vt ab excrementis coctionis & cruditatis signa haurimus: pulsus etiam aliquod coctionis & cruditatis signum exhibeant. Quod vt indubitatum admittendum esse existimo, cùm coctio cruditásque omnis diuersos alterantis caloris insiti motus sequantur ad huius autem variationem, pulsus etiam variari oporteat. Ideo Galenus,[d] tunc congruum esse inquit aquæ frigidæ exhibitionis tempus, cum coctio in pulsibus apparuerit.

Quam apparere tum docet, quando ex paruis, magni; ex languidis, validi; ex inæqualibus, æquales; ex celeribus, minùs celeres, & ex frequentibus, rariores euaserint.

Præterea sicut eiborum coctio quæ per somnum fit, talem in pulsu mutationem facit,[e] vt antequam alimentum coquatur, pulsus sint minores, languidiores, rariores, ac tardiores: iam verò confecto validiores existant, & prioribus secundùm alias differentias oppositi. Cùm similis sit ratio alterationis humorum in vasis peccantium ac putrescentium, atque ciborum per somnum: consequens est naturam à crudis & inconcoctis succis oneratam, aut perturbatam, vel lacessitam pulsus edere minores, aut cum maiori inæqualitate languidiores; vbi verò iam superior extiterit, priotibus validiores, aut maiores & magis æquales facere.

a Sect. 2. prog. tex. 11.
b Lib. 1. de crisib. cap. 11.
c Comm. 6. aph. 6. aph. 1.
d Lib. 9. met. cap. 5.
e Gal. lib. 3. de cauf. pulf. cap. 9.

De signis futuræ salutis.

Capvt IX.

Qvoniam omnes morborum euentus, vel ad salutem, vel ad interitum ægrotantium terminantur: tota medica prænotio eò collimat, vt vel futuram salutem, vel mortem imminentem præuideat. Quæ cùm non aliter quàm à rationali coniectatione quasi manu ducti assequamur, quibus signis ad alterutrius præsagitionem veniamus: deinceps explicandum nobis est. Sed inter hæc, salutis cupido & gratia: nos primùm ad eorum signorum perquisitionem quæ illam venturam pollicentur, inuitat. Quæ tum maximè speratur: cùm ægrotantium vires ad morbum collatæ illæ hunc longè superare iudicantur. Postquam enim morbum eius esse speciei agnouerimus, quæ non difficilè curetur: eumdem eam partem occupare cuius pauca sit ad vitam necessitas: à causa minùs vehementi excitari: paruúmque esse, benignum, & minimè celerem, imò potius inducias ad commodè medendum dare: deprehenderimus ex simptomatum idea, numero, & serie: ac mox singularum primarum facultatum actiones percurrentes, aduerterimus has abundè valere, atque integras esse: easdem morbo superiores, victoriámque penes naturam futuram esse, constanter est efferendum. Sed inter tres illas primarias facultates nostri corporis rectrices, maxima ad vitam tuendam efficacia in vitali consistit.

Cuius vigor ex pulsu detegitur. Qui si cum vehementia saltem mediocri æqualis sit, neque in celeritate plurimum à naturali statu absit, & in his perseueret: facultatem ad vincendum satis robustam esse denuntiat. Verùm constitutiones pestilentes, & extremæ malignitatis, excipere oportet: in quibus ex Galeno[a] per totum aliquando morbum accidit pulsum laudatum apparere & qui minimùm à natura deflectat, cum quo tamen, præ cæteris ægros perire contingit. Ita ex eodem[b] si in quibus ea reperitur temperamenti pugnantia inter corpus ipsum cordis & ea quæ in eiusdē ventriculis continentur vt eorum alterum æquo sit calidius. Alterum verò frigidius: pulsus simi les moderatis habentes, vel optimos Medicos falluut. Neque aliter censeo, quàm cùm euasuri credantur, mox præter spem intereant. Verùm nunquam tam lateus est nec tam occulta malignitas, quin à diligenti & assiduo Medico detegi valeat: vel ex animalis facultatis citra euidentem rationem prostratione, & frequentibus exolutionibus: vel ex similibus casibus, qui velut emicatus penitioris cacoethiæ periculi suspicionem suggerant. Quare aliarum præterea facultatum naturalis scilicet & animalis vigorem considerare oportet, & num etiam hæ constent examinare.

a Lib. 3. de præf. ex pulf. cap. 1.
b Ibidem.

Integritas autem facultatis naturalis (cuius post vitalem potior est ad salutem prænuntiandam dignitas) maximè ex coctione dignoscitur. Cuius vbi in morbis certa apparuerint indicia, securitatis

falubris maxima eft expectatio: vt ex Hippocrate primo Epidemion fuperiore capite dicebamus. Ea enim ex Galeno [c] nunquam malè apparent. Quorum tanta eft fecuritas, vt idem [d] neminem fe vnquam vidiffe intereuntem fcribat, qui præcedentibus coctionibus crifim habuiffet. Ideóque is ipfe figna quæ à coctione fumuntur fidam ac certam præbere præcognitionem docuit. [e] Aduertendum tamen eft eorum præfertim excrementorum coctionem requiri, quæ ab ijs emanant partibus in quibus morbus confiftit. Et in morbis thoracis atque pulmonis, præ cæteris animaduertenda sût fputa, aliis interim non neglectis. Si verò febris adfuerit per effentiam vt loquuntur genita, & ab humorum putredine accenfa, præcipuè infpicere vrinas oportet: ficut fi circa ventriculum paffio fit, primùm excrementa alui attendere conuenit.

c Lib. 1. de crifib cap. 8.
d Lib. 3. de crifib. cap. 1.
e Lib. 1. de crifib. cap. 15.

Quòd fi diuerfas partes, variáfque corporis regiones morbus occupet, non ante fecuritatis promittenda fpes eft, quàm in fingularum excrementis coctionem ad notauerimus. Aliàs falli nos contingeret non rarò: cùm coctio poffit aliquando in vno excrementorum genere apparere, morbo aliunde exiftente crudo. Vt ex Crariftonactis, & Pictoris ancillæ exemplis Hippocratem libro primo Epidemion [f] colligit Galenus. [g] Ad fecuritatem præterea coctionis, progreffum minimè interrumpi neceffum eft: aliàs naturæ imbecillitas in coquendo aut materiæ proteruitas, vel inæqualis motus potiùs iudicaretur, quàm conftans naturæ vis, & vtilis materiæ mitificatio. Ad perfectam enim & falutarem coctionem duo requiruntur, quemadmodum à Clariffimo Laurentio explicatum eft: [h] vt fcilicet illa fit continua nec interrupta, & vniuerfalis in omnibus excrementorum generibus appareat.

f Sect. 2. tex. 24.
g In comm.
h Lib. 1. de crifib. cap. 4.

Sed & coctio quæ vel ftatim in principio, vel derepente poft magnam cruditatem aduertitur, infida eft. Quippe natura fenfim operatur & nunquam ab extremo ad extremum nifi per medios gradus progreditur. Ideóque illa potiùs naturam nondum materiam morbificam aggreffam, quàm eamdem hac fuperiorem effe reftatur: hæc verò extremum quemdam naturæ farifcentis conatum exprimit. Demum maximè infida funt ea coctionis figna, cum quibus epigenomena morbi fymptomata ac malignitatis præfertim demonftratiua non imminuuntur mitioravè euadunt, fed incrementum accipiunt: quòd plerumque in peftilentibus conftitutionibus, & affectibus extremæ malignitatis contingit. In quibus eùm natura non aggrediatur paucam illam materiam venenatam aut infignis cacoethiæ in determinata quapiam parte latentem, dum confuetarum coctionum excrementa coctionis fpecimen præbentia excernuntur: interim natura grauiffimè oppetitur, fenfimque opprimitur à deleteria vi malignitatis intus conceptæ. Tandem minimè fecura eft ea fignificatio, quæ nullam habent fequentem excretionem. Poteft enim natura ad excernendum imbecillior ac maximè in morbis pectotis cum fignis coctionis opprimi. Cæterùm licèt inter facultates naturali fubferuientes concoctrix fit veluti primaria & princeps, cui cæteræ famulantur: tamen ab harum etiam attractricis fcilicet, & expultricis integritate, naturalis potentiæ vigorem non imbecillum effe difcernimus: vt ab earumdem atonia, effœtam naturæ vim deprehendimus.

Poftremò animalis etiam facultatis vires confiderare neceffum eft: quarum firmitas licèt non præbeat magnam falutis fecuritatem, nifi cætera confentiant: motricis tamen ingens læfio, vel ab excellenti intemperie, vel ab exolutione magis quàm ab obftructione nafcens plurimum ab expectatione falutis detrahit.

Quare fingularum facultatum functionibus examinatis & ad inuicem pro cuiufque dignitate collatis, fi pulfus fanorum pulfui fit maximè fimilis, æger mente conftet, & benè fe habeat ad ea quę offeruntur, [i] eiufdem facies fit fanis fimillima, [k] decenter decumbat, [l] necnon facilè morbū ferat, [m] benè fpiret, corpus eiufdem æqualiter calidum & molle apparuerit, vrinas, deiectiones, & fomnos fanorum æmuletur: eum ex tali morbo moriturum minimè timendum eft. Imo licèt omnia hæc talia coniunctim non appareant, modò facultas quæ primò & proximè à morbo offenditur, extremam læfionem non fentiat: nec vitalis vehementiorem, & cæteræ facultates illi quæ primariò affecta eft non infigniter compatiantur; tum quod adnatum eft vitium, non fequatur exolutionem à vehementiori calore procuratam, & calidum quod nobis innatum eft nullam grauem labem fenferit, non eft de ægrotantium falute (ac maximo iuuenum) defperandum.

i Hippocr. 2. aphor. 33.
k Idem fect. 1 prog. tex 5.
l Lib. & fect. eadem tex 13
m Idem fect. 2 progno. tex. 50. & confirmatum à Gal. lib. 1. de crifib. cap 14.



De multiplici morborum exitu.

Capvt X.

Qvamvis Galenus [a] existimet morbos æquè ad mortem atque ad salutem finiri: crediderim tamen non propriè illos morte cessare, sed victores transitionem facere à minore noxa ad extremam, tunc autem verè desinere cùm nobis integris finiuntur. Verus ergo morborum exitus; ille est, qui ad salutem terminatur. Quare cum à coctione in salutis spem ducamur, & quando salutem expectare liceat sit explicatum: iam sequitur vt inquiramus, num vnâ, an multiplici viâ ad salutem eatur. Galenus, [b] à priore illa sua sententia minimè alienus, septem modis in vniuersum morbos finiri docuit: quos in tres referre licet. Primùm enim morbi per subitam integrámque solutionem finiuntur: seu mediâ aliquâ effatu dignâ interueniente vacuatione vt per vomitum, per secessum, sudorem, vrinas, & sanguinis profluuium à naribus, à sede per hæmorrhoidas, necnon ab vtero in mulieribus: seu citra manifestam vacuationem, per humoris morbum facientis decubitum, post aures, axillas, & inguina; vel ad genua, ad pedes, aliudue ignobile membrum; aut ad ipsam etiam cutem totius corporis emunctorium. Quem solutionis modum, Galenus, [c] monet magnam in ægrotantium corpore perturbationem præmittere: eundémque si in bonum cesserit, crisim absolutè nuncupari, & omnes qui illum præcesserunt pariter nominasse affirmat. Cui respondens subita per sensibilem vacuationem aut decubitum mutatio, ad interitum ruens mala crisis ab eodem Pergameno appellatur. Quo & quartus Galeni modus subitæ mutationis ad peius, reuocari potest: cùm vel per decubitum in partem principem, quamuis latentem; vel per ingentem exolutionem aut oppressionem affatim factam aduenire contingat.

Secundò per subitam quidem mutationem & cum corporis ægri perturbatione, non tamen ex integro morbi desinunt.

Quæ dimidiata desitio licèt aliquando crisis vt prior à Galeno [d] nuncupetur: eandem tamen frequentiùs cum addito crisim imperfectam aut deficientem, seu bonam seu malam nominari docet.

Tertiò per solutionem simpliciter dictam ægritudines aliquando terminãtur. Quam idem paulatim ac sensim atque in longiore tempore aduenire profitetur: quæ si salubriter fiat, eam solutionem simpliciter vocat; si verò cum ægrotantis pernicie, marasmum nominat.

Verùm non placet hæc solutionis morborum diuisio, cùm & improprias solutiones complectatur, & sub primo genere species admodum differentes comprehendantur, ea scilicet quæ per vacuationem fit, & altera quæ per decubitum aduenit: tum quòd secundus ille solutionis modus, ad primum facilè referatur: tandem quòd solutiones morborum quæ per metastasim fiunt, quarum Hippocrates meminisse legitur, [e] Galenus eo loco reticuerit.

Aliter ergo & clariùs aliquantò Salius diuersus morborum solutionem quadruplicem esse docuit: [f] aliam euacuatione factam, aliam resolutione, aliam per abscessum, atque demum aliam quæ permutatione ad alios morbos fiat. Quare vt singularibus vocibus facilioris doctrinæ gratiâ, rem explicemus, quadrifariam morbos solui dicemus; per crisim, per solutionem, per decubitum, & per metastasim, de quibus sigillatim agamus. *

a Lib. 1. de diffic. decr. c. 9
b Lib. 3. de crisib. cap. 7.
c Ibidem.
d Eodem loco
e Lib de affection.
f Com. in tex. 7. lib. 1. de morb. Hippoc.
* Videatur Heurnius lib. 5. meth. ad praxim cap. 5 p. 133. & 365.

De crisibus.

Capvt XI.

Criseos nomẽ ἀπὸ τοῦ κρίνειν deductum, multiplex significatũ sortitur. Siquidem tum morbi accessionem, tum statum vigorémque aliquando denotat: aliâs pugnam naturæ cum morbo, nonnunquam secretionem materiæ morbificæ, aut eiusdem excretionem: necnon semel apud Hippocratem [a] omnem morbi mutationem, ac tandem morbi iudicium & repentinam terminationem significat, vt fusè variis auctoritatibus comprobatum legere licebit, apud Fœsium in œconomia Hippocratis, [b] & apud Clarissimum Laurentium lib. de crisib. [c] Inter tot autem acceptiones vltima Galeno & Medicis familiarior est, & frequentissimè κρίσις, Latinè iudicium redditur. Neque refert hoc minus placere Langio, [d] qui nullam nisi duram & insolentem analogiam inter forense iudicium, & naturæ cum morbo decertationem excogitari posse profitetur. Quoniam licet nullus videatur huic pugnæ aut liti præesse iudex, superassidet tamen natura illa naturarum rectrix. Præterea cum referente Galeno [e] exinde quo rusticus quidam, dum ægrum quempiam intueretur in summo morbi conflictu, iudicium de rebus ægrotantis agi pronunciauit,

a Lib. de affec.
b In voce κρίσις.
c Lib. 1. cap. 2
d Lib. 1. epist. ep. 17.
e Lib. 1. de crisib. cap. 2.

ea iudicij vox in communem loquendi vſum venerit: non eſt quòd à nobis poſt tot ſæcula, à conſortio locutionum Medicis familiarium exulare iubeatur. Sed minùs de nomine ſolliciti definitionem perquiramus, vt quid res ſit intelligatur. Quæ non antè commodè aſſignabitur, quàm vocis criſeos duplex ſignificatum explicuerimus. Ea enim vel latè vſurpatur, vel ſtrictè. Latè quidem ſumpta apud Galenum, [f] criſis, dicitur ſubita & repentina morbi ad ſalutem vel ad mortem commutatio.

Strictè verò ab eodem Pergameno, [g] definitur ſubita repentinàque mutatio quæ ad ſanitatem non item ad mortem terminatur. Sub quo ſignificatu familiariùs à Medicis criſeos nomen vſurpatur. Verùm quia per ſubitam eam & repentinam mutationem, non quamcumque & præter rationem apparentem audire oportet: ſed eam tantùm quæ fit per intermediam ſenſibilem vacuationem. Quam etſi plerumque ſenſibilis inſolita perturbatio præcedat, materiæ vacuandæ motum agitationemque conſequens: hæc tamen, ex qua ſigna criſim imminentem indicantia petuntur, à criſi excluditur: & ſola ipſa prioris ſtatûs mutatio cum inchoante excretione incipiens, id eſt quod criſis appellatur. Hinc Hippocrates, [h] quibus iudicatio inſtat, his nox quæ acceſſionem præcedit difficilis eſt. Quare criſim ſtrictè ſumptam rectè definiemus ſi dixerimus eam eſſe ſubitam, repentinamque mutationem, morborum ſtatum conſequentem, quæ per ſenſibilem vacuationem materiæ per pepaſmum euictæ, morbum tollat. Quæ definitio, non omni criſi, ſed illi quæ perfecta, fida, & bona eſt, & quam ea vox abſolutè prolata ſignificat, tanquam de potiore analogato enunciata, conuenit. Etenim ſi ſub largiore ſignificato nomen criſeos vſurpetur alia perfecta eſt, cum bonis ſignis, manifeſta, tuta, fida, & bona. Alia imperfecta ſine ſignis, obſcura, periculoſa, infida & mala. Illa ad integram ſanitatem ducit: hæc verò aut ad interitum trahit, aut morbum non integrè ſoluit, aut recidiuæ ſuſpicionem relinquit.

Perfecta ea appellatur, per quam totâ materiæ morbificæ mole expurgatâ, nihil reliquiarum ſupereſt, morbo ſoluto natura priſtinæ ſanitati reſtituitur, cum bonis ſignis aduenit, quando in contemplabili die futura euacuatio præindicata fuit. Manifeſta dicitur; quòd conſpicuâ, ſenſibili, & ſufficienti vacuatione abſoluatur. Tuta, quòd ſine periculoſis ſymptomatibus tota ea vacuatio excurrat. Fida, quòd ab ea nullum reliquum ſit recidiuæ, & recrudeſcentis morbi periculum. Ac bona demum nuncupatur, quòd ad ſanitatem deſinat. Quæ omnia ad abſolutam, criſim ſimul concurrere neceſſum eſt: quòd bonum ex integra cauſa, malum autem ex quocumque defectu prodeat. Contrà ergo imperfecta ea eſt: quæ inſigne quoddam momentum ad ſalutem affert, morbum tamen perfectè non ſoluit. Sine ſignis ea eſt, quæ non fuerit indicata. Obſcura, quando citra conſpicuam excretionem aduenit. Periculoſa, quæ cum grauibus & moleſtis ſymptomatibus apparet. Infida, à qua ſuſpicio eſt recidiuæ. Et tandem mala, quæ in ægri perniciem terminatur.

Bonæ ergo & perfectæ criſeos hæ ſunt conditiones. Prima ex Galeno, [i] vt ſecretio coctioni, ſecretioni verò excretio ſuccedat. Secunda, vt præuium habeat ſuum quaternarium aut ſeptenarium indicem: ſiquidem ex Hippocrate, [k] quæcumque abſque indicationis ſignificatione diſparent, malè decernunt. Tertia, vt die critico adueniat. [l] Quarta ex Galeno, [m] vt motum habeat excretioniſque ſpeciem morbo conuenientem.

Quinta vt excretio copioſa ſit, & materiæ morbum facienti proportionata. Illud enim eſt tum medicum ratum eſt, nullum paucum eſſe criticum. Quod à Galeno [n] denunciatum habetur, illudque ſpeciatim per varia criſium genera confirmatum fuiſſe ab Hippocrate. Docet Laurentius. [o] Criſeos author, natura eſt, vt docuit Galenus. [p] Ea enim eſt quæ pro viribus efficientem morbi materiam ad excretionem agit: quæ ſi omni ex parte ſuperior totam excernat, perfectam criſim facit: ſi verò partem tantùm excludat, imperfectè decernit.

Excretionis autem criticæ modi, ſunt perquam varij. Natura enim ſe, vel per ſudores à morbo liberat; vel vt docet Galenus, [q] per inſenſibilem tranſpiratum in pueris; vel per vrinas, per vomitum, per ſeceſſum, vel per hæmorrhagiam è naribus: ab vtero, per hæmorrhoides, aut fluxum dyſentericum quemadmodum ſuperiùs [r] docuimus: vel tandem per oris fluxum, illi ſimilem qui hydrargyro illitis ſolet accidere. Etſi verò tam multiplex ſit criticæ vacuationis modus: non omnia tamen morborum genera per criſim ſolui poſſe exiſtimandum eſt. Galenus, [ſ] enim repentinas mutationes acutorum tantùm eſſe profitetur: nec niſi magnos ſaltem, per criſim finiri inſinuat. [t] In diuturnis autem, [u] ſolutiones, nullâ fere perturbatione præcipiti antecedente, paulatim fieri & plures dies occupare ſolent. Imo eodem Galeno authore, [x] diuturniores morbi, vt plurimùm ſaltem, per excretionem iudicari minimè conſueuerunt: ſed potiùs per abſceſſus quieſcere. Nonnunquam tamen febres diuturniores in quibus cerebrum à crudis & craſſis ſuccis occupatur, comatoſo affectu interueniente; frequenti ſputatione & oris fluxu, quem ptyaliſmum dixit Hippocrates

f Comm. in 2. aphor. com. aphor. 23 & 23 necnon com in tex. 3 ſect. 3 progn. g Lib. 3. de criſib. cap. 2. & 4.
h Lib. 2. aph. 13.
i Comm. in 4 aph com. 12. k Lib. 2. epi. ſect. 3 ad ſinē hiſtoria Zoes l Argumento tex 2 1. ſect. 3 lib. progn. m Lib. 1. de criſib. cap. 3. n Com. 2 in 2. prorrh. com. tex. 47. o Lib. 1. de criſib. cap. 19 p Lib 17 de vſu part. cap 2. lib 1. de natural. fac cap. 13 lib 4. de praſ expu cap vlt paulò ante finem, & lib. ad Traſibulum c. 20 q Com. 3. pro. comm tex. 2. r Hoc lib. c. 5. ſ Lib. 3. de criſib. cap. 2. t Lib. eodem cap. 4. u Lib. 3. de dieb. decretor. cap 5. x Com. 4. aph com. aph 36 y Lib. 3. de criſ. cap. vlt.

poctates

In vicem parotidum finiuntur. Quod ex prorrhetico [*] colligimus: vbi tusses inquit, cum frequenti saliuatione abscessum circa aures emolliunt, vel cùm in textu habeatur ἀπάλλαγμα, tolluut. Vt contrà si crebra quidem, sed pauca sint sputa cum his affectibus quæ per parotides emendari solent, ea parotides prænunciant, ex Coacis. §. Inter acutos verò, ne singuli quidem æquè salubriter quacumque vacuatione finiuntur: sed excretionem, formæ seu speciei morbi respondere necessum est. Vt loca per quæ fit excretio ad mentem Hippocratis, [x] conferentia esse dicantur. Si enim fit febris ardens: vel sanguis è naribus profluat oportet; vel post vehementem rigorem sudor multus & calidus per totum corpus emanet; aut per vomitum, aut per aluum tandem, biliosa excernantur. Ita terrianam vomitibus, & excretionibus alui biliosis, vel sudoribus multis toto corpore fluentibus iudicari conuenit. Quotidianam verò, copiosâ pituitæ excretione, & multis in toto corpore factis sudoribus. Sic quartana à nigrorum variorùmque excrementorum per hæmorrhoides internas, aut per secessum vacuatione: & semitertiana per biliosorum simul ac pituitosorum excretionem per vrinas aut aluum decernit. Ita conuenienter phreniticidem soluit sudor bonus & præcipuè si ex capite multus & calidus fluxerit: sudante simul reliquo corpore: aut sanguis etiam è naribus profluens eamdem terminat.

Hepatis & lienis inflammationes atque omnes quæ in præcordiis excitantur, & febres acutas habent coniunctas, fluxus sanguinis à naribus per directum factus appositè decernit & soluit: quas etiam sudor bonus iuuat. Particulatim autem iecoris inflammationes, si in illius conuexo adoleuerint, tribus præcipuè modis ad crisim perducuntur: fluxu sanguinis è nare dextra, bonis sudoribus, & vrinarum copiâ. Quæ verò eiusdem cauum occupauerint, aut per aluum, aut per vomitum aliquando commodissimè soluuntur: neque illis sudores inutiles sunt. Omnium autem maximè per vrinas expurgari expetunt, materiales omnes affectus, qui in partibus renum vel vesicæ insunt. Quæ abundè à Galeno libris de crisibus [a] expressè leguntur. Sic alij aliter morbi vtiliùs plerumque iudicantur: pro conditione materiæ peccantis, pro naturæ vigore, & varia viarum aptitudine: quemadmodum ex eodem authore [b] colligere passim licebit.

Morbi tempus perfectæ & bonæ crisi aptissimum, vt apud Galenum [c] legitur, est status, maximè si coctionem & secretionem materiæ morbificæ sub crisi comprehendamus. Exquisita enim coctio, vt scribit Pergamenus, fit tempore statûs. Si verò præcisè crisim vsurpemus pro ea subita mutatione quæ per sensibilem vacuationem fit: ea potiùs in fine vigoris, & declinationis principio inchoatur, sensimque per declinationem absoluitur.

Illa enim morbo iam cocto admodum tempestiuè aduenit. Quòd si propter morbi magnitudinem, vel cacoëthiam, aut aliquod aliud irritamentum, natura ante statum sensibilem vacuationem facere cogatur: tantò ea deterior erit optimâ crisi, quantò absolutam coctionem præueniens, statum anticipauerit. Si verò per id tempus crisis non aduenit, nulla deinceps expectanda est. Vbi enim iam insensibiliter natura materiæ morbificæ partem absumpsit, per paulatinam solutionem residuum etiam conficiet.

Mala verò crisis & quæ ægrotantes ad interitum ducit: aut mors ipsa vel peruersam crisim consequens, vel sine illa adueniens: in principio, augmento & statu accidere potest. Ac quidem in principio, tunc præsertim quando vel materia turgens in partem principem ruit, vel quando à suffocatione calidi mors introducitur. In augmento verò, & statu: & quando à morbi vehementia, & quando à resolutione imbecillium virium quempiam mori contingit. At in vera, & non apparente totius morbi declinatione, nemo moritur, nisi vt probatum est à Galeno, [d] ex errore ægrotorum, astantium, aut Medicorum etiam aliquando: vel ex vi externæ alterius causæ nouam offensam imprimentis, vt accidit in variolis, ambientis aut alterius vitio materiâ iam supputatâ intro remeante.

Veram eam appellamus declinationem ac maximè materialis morbi, in qua cùm totius materiæ peccantis perfecta fit coctio, magna etiam ex parte eadem expulsa est, & deinceps quod in minore est copia vacuatur. Quò cùm natura peruenerit dum onere premeretur: eò faciliùs parte oneris iam subleuata, & nullo ab intra renitente, quod reliquum est ad sanitatem vix absoluet. Apparentem verò & falsam declinationem eam nuncupamus: primò in qua præter rationem, & citra excretionem materiæ peccantis, mitescit affectio. Seu id ex recursu vel metastasi materiæ aduenia; seu à caloris in parte affecta extinctione.

Secundò in qua æqua fit naturæ & morbi exolutio: vt in pugna Cadmea: in qua morbi & naturæ pari vigore coeuntium vires, æqualiter exoluuntur.

Quod non solùm in immateriali morbo contingere potest, per reciprocationem alterationis: sed in materiali etiam. Quando scilicet natura auxiliares spiritus ad mineram affectûs exhauriendam colligens, eorum tantam in conflictu exolutionem fit passa; vt à victoria patciores spiritus in corpus vniuersum æqualiter refundens, postmodum dispersos impares

[*] Lib. 1 prorrhet. sect. 3. tex. 75. seu ex partitione Fœsij lib. 1. sentent. 167 & Sent. 185. seu ex partitione Dureti lib 2. coacar. cap. 2 sent. 8.
[x] Lib. 1. aph. 2.
[a] Lib 3. de crisib. cap. 3.
[b] Lib. 2. ad Glaucon cap. 2. & lib 13. method. c. 16
[c] Eodem lib. 3. de cris. c 5
[d] Cit. 3. de crisib. cap 5. & 9.

experiatur ad vitam tuendam, quam collecti ad tempus conseruauerant. Tertiò falsa est ea declinatio, per quam natura videtur nouas resumere vires: nullatenus tamen leuata: seu id fiat in extremo illo conatu quem edere natura consueuit mox suffocanda, in modum lucernæ ex pabuli defectu extinctioni proximæ: seu ab externi alicuius fomenti accessione; qualia sunt iura carnium cum cardiacorum permixtione exhibita, quæ restaurantia vocant, & stillatitij illi acres feruidique liquores quibus auri elixiris, vel potabilis nomen à Chymiatris est inditum.

In totius demum morbi declinatione nullum mori diximus, quòd in particulari accessionum & paroxysmorum inclinatione mors aliquando contingat: seu id fiat eadem ex causa ex qua diximus in pugna Cadmea morbo soperato naturam etiam exolui: seu vt docet Galenus, [e] id accidat ex nouo materiæ in mineram effluxu. Sed totius etiam morbi diximus: Quoniam aliquando mitescere videtur affectus tenuiore portione materiæ morbificæ dissipatâ, cùm tamen quæ residua est exaspetata & grauiùs lædens, mox interimat: vel quòd maligna quæpiam materia latens, vbi mitior alia morbum priùs apparentem inferens fuit euicta, tunc suæ cacoethiæ vim exerat: sed de his fusissimè tractans legatur Rhodericus à Veiga ad finem comentariorum in libros de differentiis febrium, & Augenius lib. 2. de Febribus cap. 1.

Quòd ad diei tempus spectat, interdiù ne an noctu commodiùs crises adueniant, disputatur à Conciliatore [f] & aliis. Quorum cùm dispares sint sententiæ, malim Valesio adhærere cum quo [g] supponentes crisim duas habere partes, sensibilem euacuationem, & præuiam anxietatem, dicimus aliquando contingere vtramque simul intra diei medietatem absolui, aliàs per integrum diem naturalem protendi, & partem alteram interdiù aduenire, alteram verò noctu perfici. Quo casu, meliùs est anxietatem interdiu accidere; quia tunc ægrotantes labores faciliùs ferunt: vacuationem autem noctu fieri, maximè si ægri à copia materiæ naturam opprimentis periclitentur, vacuationes enim omnes, noctu copiosiores fiunt, cùm per id tempus naturalis facultas robustior existat.

Quòd si periculum sit ab imbecillitate & exolutione virium: securior erit illa crisis, cuius & anxietas & vacuatio tota interdiu absoluitur. Sic enim intra breuius tempus ea perficitur, & per breuioris iudicationis labores minor fit exolutio, simulque labores eiusdem faciliùs feruntur.

Demum cum criseos multos esse modos docuerimus, illi nonnullorum quæsito respondendum superest; quisnam inter cæteros securior sit, facilior, & potior excretionis modus. Ad quod breuissimè dicimus ex prædictis colligi non debere crisim aliquam plus altera commendari, nisi quatenus morbo qui iudicatur magìs aut minùs conuenit. Atque ideo ille in vnoquoque morbo securior facilior & potior est criseos modus, per quem materia morbum faciens per eam partem vacuatur in quam magìs inclinat, & per quam vberiùs ac minori labore expurgatur.

De diebus decretoriis.

Caput XII.

Antiquos varia religione & multiplici superstitione captos certis quibusdam diebus ad res aut aggrediendas aut agendas plurimùm tribuisse legimus apud Gellium [a] & Rhodiginū. [b] Inter tot autem dierum obseruationes maxima ex parte vanas, Medici per variarum ætatum experimenta probarunt in decursu morbi dies alios aliis ad crises ineundas & frequentiores & securiores esse, aliquibus vix vnquam ægritudines decerni, nonnullis minùs frequenter, atque his plerumque infidè & periculosè morbos iudicari.

In quibus enumerandis & distinguendis ad inuicem, non vna est & concors principum Medicorum sententia, illos namque Hippocrates non eadem semper serie recensuit [c] A quo præterea quadantenus dissentit Galenus [d] neque alterutri omni ex parte consentiunt Auicennas. [e] & Auenzoar. [f] Quos neque etiam insequitur Auerroës. [g] In tanta verò dissentientium Medicorum varietate, mihi plurimùm placet ea dierum distributio quæ apud Laurentium est [h] Qui eorum quatuor classes facit: primam perfectè criticorum, secundam indicantium tertiam intercidentium, & quartam vacuorum. Perfectè critici & decretorij illi appellantur in quibus morborum solutiones potiùs quàm in aliis adueniunt: qui absolutè ἰσχυροὶ, principes, & radicales à nonnullis appellantur. Huiusmodi sunt, septimus, decimus quartus, & vigesimus. Quem vigesimo primo præualere, contra Archigenem & Dioclem probat Galenus. [i] Sed de hac controuersia mox. Indicantes seu contemplabiles ab Hippocrate [k] & Galeno [l] dicti hi sunt in quibus morbi frequentissimè mutationem in melius vel in deterius patiuntur: & qui, quid postmodum euenturum sit in principibus, demonstrant. Ideo principum indices appellantur. Tales autem sunt quartus, septimi index; vnde-

eimus

[e] Lib. 3. de crisib. cap. 9.

[f] Differ. 101.
[g] Lib. 10 controu. cap. 11.

[a] Lib. 3. noctium Atticar. cap. 2. lib. 5 cap. 17 & lib. 14. cap. 1.
[b] Lib. 14. lect. antiq. cap. 9.
[c] Lib. 1. epid. sect. 3 text. 2. lib. 4. aphor. 36 & sect. 1. prog. text. 16 & 4
[d] Lib. 1. de dieb. decret. cap. 5 & 10
[e] Lib. 4 fen 2 tract. 2.
[f] Lib. 3 tract. 2. cap. 1.
[g] Lib. 4. colliget cap 40
[h] Lib. 2. de crisib cap 3.
[i] Lib. 2 de dieb decret. c. vlt & lib 3 eiusd cap. 9.
[k] Lib. 2. aph. 24
[l] In com. eiu. aphor.

cimus, decimi quarti, & septimus decimus, vigesimi indicatorius. Septenorum enim, vt apud Hippocratem est, [m] quartus est index. Vltra vigesimum verò qui futuri sunt critici, etsi similiter per quaternarios ex Galeno [n] dispensentur: plerumque tamen vt notat Auerrhoës, per septenarios iudicantur. Quod omnibus etiam his aduenit morbis, qui tardè mouentur, & ad diuturnorum naturam accedunt. Intercidentes, seu intercalares illi nuncupantur, qui de imparium numero, inter verè criticos & principum indices intercidunt, & intercalantur. Quos prouocatorios nominat Langius: [o] quòd in illis natura nonnunquam ante tempus ad excretionem moliendam prorritetur. Tales sunt tertius, quintus, nonus, decimus tertius, & decimus nonus; inter quos priores duos in peracutis febribus continuis ex Galeno [p] iuxta Hippocratis [q] mentem criticos etiam esse neque infidè decernere contingit. In cæteris verò quæ adueniunt crises plerumque sunt imperfectæ, aut infidæ: quia naturâ potiùs lacessitâ, quàm regularem motum & definitum ordinem sequente, iudicationes per eos dies fiant. Cæteri à prioribus; sextus scilicet, octauus, decimus, duodecimus, decimus sextus, & decimus octauus; vacui, & medicinales appellantur. Vacui, quòd nec decernant, nec indicent, nec pronocent. Medicinales autem, quia illis diebus licet sine periculo cathartica seu medicamenta purgantia exhibere. Iuxta illud Hippocratis, [r] quicumque febre continuâ correpti cathartico diebus paribus vsi sunt; nimiùm purgati sunt nunquam: at qui diebus imparibus cathartico sunt vsi; nimiùm sunt purgati, & multi perierunt. Neque tamen certa est ea dierum partitio, vt singuli qui his classibus continentur, præscriptam sibi rationem nunquam prætergrediantur. Iudicia enim seu crises ipsæ inquit Galenus [s] omnibus diebus accidunt: sed neque pares numero, neque ex æquali fide. Frequentiores enim fiunt quibusdam diebus iudicationes, aliis verò minùs frequentes, nonnullis rarissimæ.

Quantum autem quisque in iudicando frequentior sit aut rarior: satis diligenter præ cæteris explicuit Halyabbas. [t] Ad cuius imitationem, licebit nobis dies omnes discursus morbi in tres classes distribuere. Quarum prima sit eorum in quibus frequentiùs contingit crises fieri. Secunda aliorum in quibus rarò morbi iudicantur. Ac tertia demum illorum qui inter vtrosque sunt medij. Primæ classis tres statuuntur ordines quos paulò aliter quàm visum fuit Halyabbati sic componemus. In primum enim ordinem referimus septimum, decimum quartum, & vigesimum. Secundo ordini tribuimus vndecimum, decimum septimum, & vigesimum primum. Tertio verò huius primæ classis ordini assignamus sextum. [Quem Galenus, [u] frequenter etsi tyrannicè indicare dixit:] item nonũ, tertium, & quintum. Alterius & secundæ classis totidem sunt ordines, quos prioris. In primo autem constituimus rarissimè criticos. Cuiusmodi sunt duodecimus, & decimus sextus: in quibus Galenus [x] inquit, se nullum vidisse iudicatum. Necnon & decimus quintus: cuius tantam esse in decernendo raritatem idem existimauit. Vt cæteros in varios ordines dispensans, [y] decimi quinti non meminerit. Secundi ordinis est quartus non tam ex natura rei, cùm apud Hippocratem [z] & mitissimæ febres quarto die desinant, & malignissimæ eodem occidant: quàm vt notatum est à Galeno, [a] ob errores committi solitos. Rationi quorum quarto die Archigenes raro viræ suæ tempore bis, & Galenus, [b] semel tantum crisim factam ex aliquorum relatione viderit: vulgò enim in Galeni textu pro quarto die, leuiori die legitur. Post prædictos huius secundi rarorum ordinis sunt octauus, & decimus. Tertij demum ordinis in posteriore hac classe, sunt decimus octauus, & decimus nonus. Inter quos omnes, medij in frequentia & raritate decernendi, secundæ classi annumerandi erũt decimus tertius, vigesimus quartus, & vigesimus septimus.

Paulus, [c] decretorios fide & securitate potiores, ab aliis iudicatoriis qui minus fidi & infausti sunt, ita ex Galeno distinguit: vt omnium fidissimum statuat septimum, & decimum quartum; mox nonum, vndecimum, & vigesimum; deinde decimum septimum, & quintum: quos sequatur quartus: post hunc tertius, & decimus octauus, sed hunc posteriori potiùs quàm huic ordini adscribendum censerem & decimo sexto sociandum. His contrarios & in decernendo infœlices sequentes constituit; omnium pessimum ait esse sextum, septimo ex aduerso oppositum, qui cum periculo semper neque vnquam planè de morbis iudicet.

In quo tamen Larissa virgo apud Hippocratem, [d] integrè & sine recidiua à febre liberata fuit. Sexto diei respondere docet octauum, & decimum: quos proximè sequi ait duodecimum, decimum sextum, & decimum nonum. In vtriusque verò ordinis medio decimum tertium colloeat, qui neque ita infidus sit atque hi qui secundo ordini ascribuntur, neque tantę expectationis ad morbum fœliciter soluendum, ac qui ad primam classem pertinent. Quę multiplex dierum criticorum distributio nequaquam inutilis est: hine enim discimus & in quibus diebus tutiùs liceat medicamenta quando oportuerit exhibere.

In his enim in quibus rarissimè crises adueniunt, cum minori periculo purgantia præscribimus. Inde prętereà docemur, quando magìs, aut minus iudicationi aut crisi fidendum sit, aut diffiden-

m Loco vndè
n Lib. 2. de dieb. decr. post Hipp. 1. epid. sect. 3. tex. 14.
o Citat lib. 4 colleg. cap 40
o Lib. 2 epist. epistol. 60.
p Lib. 1. de crisib. cap. 4.
q Lib. 3. aph. 36.

r Lib. 4. de morbis.

s Lib. 7. de dieb. decret. c.

t Lib. 1. theoricæ cap. 8.

u Lib. 3. de crisib. cap. 5
x Citat lib. 1. de dieb. decret. cap. 2.
y Eodem lib. 1. de dieb. decret. cap. 5.
z Sect. 1 prog. tex. 2.
a Lib. 3. de crisib. cap. 4.
b ibidem.

c Lib. 2. c. 8

d Lib. 3. epid. tex. 83.

dum. Perfectiores enim & fecuriores fiunt crifes, in diebus qui à Paulo in primum ordinem referuntur:imperfectiores verò & magìs periculofæ,in his qui fecundo ordini ab eodem adferibuntur.

Verùm quia non ante quotus fit quifque dies ægritudinis fciri poteft,quàm expiicatum fit vnde in numerando initium capere oporteat:hoc ipfum à Galeno difcamus æquum eft. Apud quem legitur, [e] in his morbis qui repentè inuadunt,vel fimul cum rigore , vel cum dolore vehementi , nullo planè fenfibili fymptomare prægreffo ; fed cœnatis,vt fcriptum eft primo Epidemion, [f] aut exercitatis, vt ibidem habetur ; [g] aut lotis,ex lib. quinto Epidemion [h] fubirò morbus aduenerit :ab ipfa prima morbi inuafione numerandum effe. In aiiis verò in quibus antequam æger manifeftè febricitet : fatigationes,laffitudines,capitis dolores, grauedines , & confimilia fymptomata hominem occupant : neque à die decubitùs neque ab eo die quo primùm capite doluit, vel aliud quidpiam huiufmodi eft paffus : fed à primo quo manifeftè febricitauit , capiendum effe numerandi principium. In puerperis tamen quas febris poft partum inuadit, non à prima fenfibili febrium inuafione,fed à partu, dies ægritudinis effe numerandos, cum Hippocrate, cenfuit Galenus. [i] Imo vt habet Auerrhoës [k] quamuis ægritudo poft partum per triginta dies fenfibiliter extitiffet. Quam fententiam non abfolutè, fed cum hac diftinctione fequuntur Medicorum plurimi. Quòd vel febris mox à partu puerperas inuadat : vel pluribus diebus poft partum.

In pofteriori enim cafu,fatius videtur imo & oportet à febris inuafione initium capere. Ita in Philini vxore factum ab Hippocrate legimus. [l] Atque ideo Auicennas, [m] & Rafis, [n] errant inquiunt fi femper à partu dies computentur. Si verò duo treſvè tantùm intercedant dies : diftinguendum iterum eft. Nam vel partus naturalis eft,vt quod notat Aponenfis, [o] à nullo morbofo apparatu intempeftiuè fit irritatus. Vel non naturalis eft,à praua fcilicet matris conftitutione prouocatus:aut faltem eiufdem morbofæ conftitutioni fuperueniens. Si primum,quoniam commotio partûs per fe putridam febrim excitare non poteft ;(vti ex Galeno , [p] neque intempeftiuæ exercitationes)nifi iam corpus effet ad morbum præparatum : fed oportet aliquam aliam caufam fuperuenire , quæ putredinis author febrem etiam excitet. In huiufmodi, numerandi initium faciemus non à die partûs,fed à die febris vt in Dromeadæ vxore Hippocratem numeraffe aduertimus. [q] Inde enim numerandi principium capere oportet, vnde offenfæ apparet initium, Quòd fi partus, aut parturientis habitudo fuerit præter naturalis,etfi febris differat in vnum aut alterum diem fe manifeftare,nihilominus à partu erunt fupputandi dies. Quoniam morbidus ilie apparatus per partum concitatus, exinde cœpit naturæ moleftiam inferre, illamque ad congreffum & varios motus pro fui tuitione,& expulfione nocentis excitare. Vt factum legimus [r] in iila apud Pantimedem degente, in Oecetai vxore,atque alia in Mendaeium foro decumbente;& clariùs in illa muliere quæ apud frigidam aquam in Thafo ægrotabat, [f] quæ tertio die febricitaffe dicitur , quòd non effet purgata. In cuius hyftoria,cùm dies numerentur non exprimendo eos à die rigoris computari vt in hiftoria vxoris Dromeadæ, & vxoris Epicraris : iure conijcimus fupputationem factam à die partûs, vt vno faltem exemplo,vniuerfalem prognoftici propofitionem confirmatam habeamus.

De recidiua etiam quæritur,an dierum, relapfûs morbi computatio fiat ab ipfa recidiua , an à primo morbo. Quam controuerfiam fic dirimere oportet Recidiua,vel eft propria, vel impropria. Propria dicitur recidiua ea,quæ eamdem naturam & rationem cum priore morbo retinet: vt tertiana,tertianæ fuccedens; aut phrenitis phrenitidi Impropria verò iila appellatur , quæ vnius eft morbi in alium mutatio , aliquot diebus inter vtrumque morbum intercidentibus: vt fi tertianam,poft aliquot dies intermiffionis , quartana fequatur. Propriè ergo dicta recidiua, cùm nafcatur ex refidua prioris morbi materia in morbi minera per dies aliquot latente, & continuitatem habeat cum priore affectu per identitatem materiæ & quæ reliquuntur in morbis recidiuas facere confueuerint : neceffum eft etiam continnitatem feruare numerationis dierum cum primo morbo. Ita apud Hippocratem, [u] febriens Herophon,nono fudauit,iudicatus eft.intermifit, quinto (ab intermiffione fcilicet) febris rediit , ftatim autem fplen intumuit, febris acuta , furditas: iterum tertio die poft reditum detumuit lien, furditas minor, crura dolebant, noctu fudauit.

Quæ cum facta fint in tertio à recidiua ; addit tamen Hippocrates, iudicatus eft ad decimum feptimum:quoniam tertius ille à recidiua,erat decimus feptimus à radice & prioris morbi initio. Sic in hiftoria vxoris Epicratis inquit eam ad diem decimum feptimum fuiffe à febre liberam , in quo vrina fedimentum habuit & larus nonnihil dolebat, vt reliquiæ notentur affectûs : eadem ad diem trigefimum quartum igni eft correpta, venter fluxione vitiosâ turbatus eft , quadragefimo nono pauca vomuit vitiofa, iudicata eft perfectè ab igni libera octuagefimo : cùm tamen is octuagefimus effet tantùm quadragefimus quintus à recidiua. Si verò pofterior morbus effentiam mutet,aliamque naturam induat,& ab alterius generis materia excitetur:vt planè diuerfus eft, ita aliâ etiam & fibi propriâ dierum ferie eft computandus.

Cæterum

e Lib. 2 de dieb. decr. c. 6.
f Sect. 3. tex. 25.
g Tex. 19.
h In hyftoria Hypoftheanis.
i Com. in 3. progn. comm. tex. 10.
k Lib. 4. collig. cap. 40.
l Lib. 1. epid. fect. 3. tex. 21
m Lib. 4. fen 1. tract. 2. c. 1.
n Lib. 31. contin. tract. 2. cap. 1.
o In Conciliatore differ. 106. in refponfione ad argumenta.
p Comm. 3. in 3. epid. cl. tex. 14.
q Lib. 1. epid. fect. 3. tex. 28.
r Apud Hip. lib. 3. epid. fect. 2. tex. 7. 8. & 9
f Hipp. lib. 3. epid fect. 3. tex. 73.
t Hipp lib. 2. aphor. 12.
u Lib. 1. epid. fect. 3. tex. 30

eſt in numerandis diebus non eodem modo in quibuſque morbis progrediendum eſſe. In intermittentibus enim febribus, dies afflictionis tantùm, non alij ex Galeno, [x] ſunt numerandi: atque ideo ex eodem, [y] per acceſſiones facienda eſt computatio. Etenim cùm vt apud Hippocratem [z] inſinuatur non aliis diebus morbi iudicentur, quàm quibus exacerbantur; quòd per hos tantùm natura aduerſus cauſam morbificam moueatur: ad futuri iudicij inquiſitionem dies illi numerandi non ſunt in quibus natura cum morbo inducias init. His alia ſuccedit difficultas, eſt enim tractatio hæc controuerſiarum ferax: quomodo fieri poſſit decimum quartum & vigeſimum inter decretoriorum principes numerari, & inter potentiores in decernendo haberi; cum ſint pares. Hippocrates verò dicat, [a] febricitantem niſi die impari febris dimiſerit, ſolet reuerti. Et numerum imparem maximè eſſe obſeruandum, [b] ſcribat. Cui dubio vt ſatisfaciamus, notandum eſt ex Hippocrate, [c] naturam in imparibus terminis moueri, in paribus autem quieſcere. Quod de morbis acutis intelligendum eſſe explicat Galenus: [d] qui morbos acutos (præter ſynochos ſaltem) [e] in diebus imparibus, diuturnos verò in paribus moueri affirmauit. Quod ideo fit, quia natura cum materia morbi cauſa pugnans, miniſtris facultatibus vſa; viciſſim expultricem & coctricem in auxilium aduocat: primúmque expultricem, ad inſultum materiæ noxiæ reprimendum occupat; cui dum rebellis eſt materia nec expelli poteſt, tum coctrix orgaſmi impatiens ſuam operam præſtat, viciſſimque ad communem hoſtem ſuperandum, ambæ, vires ſuas exerunt, donec materia coctione cuncta excretioni cedat. Cumque acuti affectus celeres mutationes inducant, ſucceſſiui illi miniſtrarum facultatum enixus, alternis ſe diebus produnt, ſemperque in imparibus expultrix ſuos conatus exerit. In diuturnis autem quia tardiores & magis lenti ſunt motus, viciſſitudines illæ facultatum naturæ ſubſeruientium, tardiùs & per longiora interualla ſuas alternant vices: & expoltricis enixus, in dies pares cum morborum inſultibus incidunt. Aduertendum tamen eſt, quia morbi acuti, inter cætera, pro varietate lunarium aſpectuum magnam motuum varietatem accipiunt: & luna ad alia ſydera & firmamenti diuerſas partes, per ſingulas ſeptimanas quadratos mediæ inimicitiæ aſpectus mutat: dies acutarum ægritudinum ita per ſeptimanas diſpenſari, vt vnâ finitâ aliam quaſi noui naturæ conatûs exordium ob mutatum auxiliarem influxum, iterum ab vnitate numerantes inchoemus, & à primo cuiuſque ſeptimanæ integro aut dimidiato die ad ſeptimum vſque numerando, naturæque motum inſequendo progrediamur. Atque ita quotoſquiſque dies ſit à principio morbi computando qui ſeptimanas complet, ſemper eſt ſeptimus, primæ, ſecundæ, aut tertiæ ſeptimanæ terminus. Quod inſinuatum eſt ab Hippocrate, * cum quartus ſeptenorum inquit, non ſeptimi eſt index. Quare cum decimus quartus, ſecundæ ſeptimanæ ſit finis; & vigeſimus tertiæ. ambo qui inter numerandum à primo pares videntur, impares tamen ſunt habitâ ratione ad ſeptimanas. Quod clarè aſſertum eſt à Galeno [f] cum vigeſimus itaque dies ægrotationis inquit finis trium ſeptenariorum & quaternariorum ſex habetur. Tum quando alibi, [g] dies impares ſcribit, multa pollere virtute non ſimpliciter, ſed in acutis morbis eſſe intelligendum: quòd inſignes in vtramque tum ſalutem tum mortem mutationes efficiant. In acutis quidem hi ſunt tertius, quintus, ſeptimus, nonus, vndecimus, decimus quartus, & decimus ſeptimus. In longis ſexageſimus, & octuageſimus, medij horum ſunt vigeſimus, trigeſimus quartus, & quadrageſimus. Impares autem & hi, quos dum aliâs, [h] paribus annumerat; non ad ſeptimanarum diſcretionem, ſed ad vulgarem numerandi modum attendit.

Sed quomodo vigeſimum tertiæ ſeptimanæ, non autem vigeſimum primum, finitorem atque ideo in decernendo potiorem eſſe contingat, diſquiramus. Hippocrates, [i] poſtquam dies criticos ad vigeſimum diem vſque per quaternarios diſtribuit: poſtmodum [k] fieri verò non poteſt inquit, vt aliquid horum integris diebus eximiè numeretur. Quare cum quaternarij febrilium criſeon aliquando finitores integris non numerentur diebus: ſequitur & aliquid detrahendum eſſe ex cuiuſque quaternarij complemento, vt ex duobus quaternariis vnus criticus ſeptenarius conſtituatur.
Et à ſingulis ſeptenariis aliquid etiam detrahendum eſſe. vt tandem * viginti diebus, tres ſeptimanæ integræ, aut proximè compleantur. Cuius Hippocratis ſententiæ ratio hoc habet fundamentum.
Quòd cum luna ſuo influxu, lumine, & motu, multifariam operetur in humidiores mixtorum corporum partes; atque ideo magnam vim habeat in ſuccos qui in humanis corporibus redundant & peccant, quos pro variis ad cæteras cœlorum partes configurationibus variè exagitet & irritet: conſonum fit, ſeptimanas per quas natura criſes diſpenſat, imitari lunares ſeptimanas: id tamen non ad normam medicinalis illius menſis quem ex periodico & eo qui apparitionis dicitur, Galenus [l] effinxit: & qui dierum eſt viginti ſex atque horarum viginti duarum. Talis enim menſis figmentum, ſuè refutarunt Aponenſis, [m] Mirandulanus, [n] Manardus, [o] atque alij. Is enim menſis, nullâ regulari proportione reſpondet cum variis lunæ configurationibus & diuerſis eiuſdem aſpectibus, ad ſolem, aut ad zodiaci partes: ex quibus tamen varietas lunaris actiuitatis maxima ex parte naſcitur. Præterea cum vltra diem vigeſimum ſextum protrahuntur affectus à vera acutie aliquantulum deficien-

x Comm. 3. in prog. cõ. tex. 7
y Com. 1. in 1 epid. tex. 17 ex Hippocr. 5 aphor. 59.
z Lib. 2. epid. ſect. 3 tex. 13
a Lib 4 aph 61. & 2. epid. ſect 3.
b Lib. de rat vict. acut ſec 4. tex. 50.
c Lib 4. de morbis circa medium.
d Lib. 4 aph. com 36.
e Lib. 3. de criſib. cap 4.
* Lib. 2. aph. 24.
f Com. 3. in lib progreſſ. com tex 1.
g Comm 4 in lib. acut. com. tex. 36.
h Comm. in aph. 61. lib. 4
i Sect. 3 prog. tex 3.
k Tex 4.
* Galen. id in comm. citat. textus aduertentis.
l Lib. 3. de dieb. decr. c. 9
m Diff 104.
n Lib. 3. contra Aſtrolog. cap 16.
o Lib. 15 epi. medic. epiſto. vlt.

tes:non poteſt per huius menſis & conſequentium diſcurſum,cauſa criſeos in trigeſimo quarto & quadtageſimo aduenientis aſſignari.

Quare ad hanc ſeptimanarum ſuppntationem,lunarem menſem perodicum obſeruare oportet. Qui integrum ſpiralem lunæ motum per zodiacum metitur, [p] diebus viginti ſeptem, hotis ſeptẽ, & minutis quadraginta. Lunã per id tempus ad eumdem ſigniferi gtadum reuerreute, à quo ſuam per zodiacum girationem inchoauerat. Qui menſis ſi in qnatuot ſeptimanas ſecetur,ſingulas diebus ſex,hotis nouendecim;& minutis qninquaginta quinque abſoluet Non quòd æqua ſempet ſit duratio cuiuſque quadrantis menſtrui : (ea enim pro maiore aut minote lunaris motus velocitate aut tardirate plurimùm euariat) ſed quòd ita maiori ex parte contingat. Cumque prima huiuſce menſis ſeptimana aut quadra,ſeptem dies ex integro penè compleat primus autem dies ſecundæ ſeprimanæ,paululum quippiam ex ſeptimo ſolari, ſeu vltimo prioris ſeptimanæ mutuetur:Hippocrates [q] dixit octauum diem ſecundæ ſeptimanæ eſſe principium. Quoniam veiò ſecunda ſeptimana,horas quindecim,& minuta quinquaginta , ex die decimo quarto ſolari aſſumit [ſiquidem priores duæ ſeptimanæ diebus tredecim,horis quindecim , & minutis quinquaginta abſoluuntur) teliquum vetò eiuſdem diei,in primum diem tertiæ ſeptimanæ transfertur : ideo decimus quartus dies,ſecundæ,& tertiæ ſeprimanæ communis eſſe cenſetur. Atque ideo decimus ſeptimus ab eodem Hippocrate, [r] quattus dicitur à decimo quarto : hoc ſcilicet ad hunc numerum reſumpto.

Adde cùm vniuscuiuſque lunaris ſeptimanæ dimidium ſit dierum trium,horarum nouem, minutorum quinquaginta ſeptem,& ſecundorum triginta Prior autem tertiæ ſeptimanæ medieras , aſſumptis ex die decima quarta,horis octo,& minutis decem; decimo ſeptimo die,exceptâ horâ vnâ minutis duodecim,& triginta ſecundis finiatur:rectè quaternarius, qui tertij ſeptenarij eſt index , decimo ſeprimo diei tribuitur.

Quod ad vigeſimum tandem ſpectat:quia tertia ſeptimana,diebus viginti,hotis vndecim,& minutis quadraginta quinque abſoluitur etſi aliquid à vigeſimo primo ſolari die ad illius complementum aſſumatur,vigeſimo tamen vis decretoria potior tribuitur ab Hippocrate & Galeno, quòd illi diei criſis aſſignet ut,in quo ea incipit. Incipit autem plerumque in vigeſimo, quòd eo die luna ingrediatur percurratque ſignum tetragonaliter oppoſitum ſigno per quod eadem initio ægritudinis ferebatur. Signa autem tettagonaliter oppoſita quæ & mediæ inimicitiæ eſſe dicuntur, vim & energiam quodammodo contrariam illi planetæ imprimunt qui per illam mouetur. Quia verò dies tertij ſeptenatij finitor [vt plurimum] magnam partem vigeſimi primi occupat: ideo non vigeſimus ſolùm,criticus;ſed & vigeſimus etiam primus non paucos morbos iudicat. Vnde Hippocrates, [s] & ex antiquorum ſententia Celſus , [t] hunc etiam criticis annumerant.

Inter eos tandem dies qui à vigeſimo ad quadrageſimum vſque ſequuntur ſeptenatij tantùm decernere conſueuetunt:in quaternatiis autem tatiſſimè iudicationes fiunt : imò & hi ad iudicandum imbecilles exiſtunt. Septimanæ præterea quæ à vigeſimo ad quadrageſimum numerantur,non aliter quàm à primo ad vigeſimum diſpenſantur. Hæ tamen longe minorem decernendi vim retinent,quàm priores. A quadrageſimo demum ad centeſimum vigeſimum,morbi per vicenos nonnunquam iudicantur:frequentiùs tamen in illis,vt docuit Galenus , [u] morbi per abſceſſus terminantur : & iudicia quæ per excretiones in hiſce diebus accidunt,tata ſunt:nec magnam habent vehementiam & frequenter in plures dies protrahuntur.

Verùm iam demum cauſa dierum criticorum eſt inquirenda : & cur frequentiſſimè per ſeptenarios rariùs aliis imparibus,rariſſimè paribus acutotum morborum criſes fiant,diſputandum eſt. Sed ſenticetum hoc ingredi controuerſiarum veptibus hortidum,arduum eſt admodum: & quod prioribus nondum datum eſt ſuperare,nec nobis licere ſpetandum eſt. Multa huius generis natura patens nonit quorum effectus humanis patent ingeniis,cauſæ tamen eorumdem ita nos latent vt tantâ caligine vallentur quantam acies mentis peruadere nequeat. Sed ne ob tractationis difficultatem animo linqui credamur:illos imitemur qui deuios & ſpinis horridos lucos ingreſſuri , caput brachiis obuoluentes,per medias ſpinas feruntur. Non enim vel aliorum placita inquirere vel occurrentia curioſiùs examinare proponimus : ſed eam nobis ſufficiet explicare ſententiam , quam etſi non vndequaque ſatisfacientem potiorem tamen exiſtimamus. Nonnulli ad numerorum vim & efficaciam id totum retulerunt : alij ad beneuolos meleuoloſque planetas:quidam ad ſolam lunam : Fracaſtorius ad humoris melancholici motum.

Quorum omnium ſententias fusè recenſuit,& eruditè confutauit Clatiſſimus Laurentius. [x] Sed præter hos,celebres quidam Medici, dierum criticorum determinationem ad materiæ peccantis motum referunt. Quæ cùm nunquam vnius tantum ſpeciei peccare dicatur,ſempet autem multiplicem ſeu permixtis ſeu confuſis ſuccis eſſe in vitio ab eiſdem affirmetur ; his diebus criſes excitari profitentur.in quos inciderit,humorum qui certis periodis moueri conſueuetunt,aut duos,aut

tres

p *Maginus com. in cap* 2 *lib.* 3 *de dieb. decr Galeni.* Menſes lunares, tres referuntur. Periodicus , quo vniversam reuolutionem zodiaci abſoluit , ad idem punctum rediens à quo moueri inceperat. Eſtque ſecundùm medium lunæ motum,dierũ 27.hor.7. minut 40.Synodicus, quo à ſole digreſſa, iterum ad coniunctionem peruenit. Eſtque ſecundùm eundẽ motũ, dierũ 29 hor. 12. min. 44. Apparitionis quo totum id tempus menſuramus quo luna à coniunctione ad coniunctionẽ nobis apparet Et huius incertum eſt & indefinitum tempus apud Galenum tamen (lib.3.de criſib. cap.9.) eſt dierũ 26 & horarum 12. qui ex dimidio dierum menſis periodici & apparitionis aggregatorum, menſem medicinalem cõſtituit, qui ſit dierum 26. & horarum 22.

q *Lib* 2. *aph.* 24

r *ibidem.*

s *Lib.* 1 . *epid. ſect* 3 *tex* 14

t *Lib* 3.*cap* 4

u *Lib.* 2. *de dieb decret, cap.* 10.

x *Lib.* 3. *de criſib.*

tres commoueri. Hinc tertium, quartum & quintum criticos quidem esse dicunt: quòd illis diebus vel pituitam simul & bilem, vel pituitam & melancholiam moueri, exacerbationesque excitare contingat. Septimum autem frequentissimè criticum, & potentissimum esse affirmant: quòd in eum diem incidat tam melancholiæ, quàm bilis & pituitæ motus.

Verùm neque nobis placet arguta hæc subtilisque sententia. Primùm quòd humores qui diuersos illos motus & exacerbationum varios circuitus excitant, non alij sunt quàm putrescentes: ad pepasmum enim deducti & per putredinis cessationem mitificati, ad huiusmodi motus sunt inhabiles. Antequam verò crises fiant, oportet peccantes succos coctione & pepasmo à natura superatos esse: atque ideo, paroxysmalis illius concitationis impetum perdidisse. Secundò humores qui certis quibusdam & determinatis diebus moueri consueuerunt, sunt excrementitij.

Quid ergo in synocho putri & continente homotona, causa erit criseos, quæ solita est quarto, quinto, aut septimo aduenire: & per quam contingit huiusmodi febres quæ nullam exacerbationem patiuntur, prædictis aut eiusdem rationis diebus securè & fidè iudicari; aliis verò ad perniciem potiùs aut infidè terminari. Tertiò crises die vigesimo sunt admodum frequentes, quo neque bilem, neque melancholiam moueri accidit. Vigesimo secundo autem, nullæ aut rarissimæ crises fiunt: cùm tamen in eumdem diem incidat tum pituitæ tum etiam melancholiæ motus. Ita decimus quartus, in cuiusque generis febribus & exquisitis & nothis decernendis, est admodum frequens: quo tamen ex dierum paroxysmalium serie, neque bilis, neque melancholia mouentur. Imo is frequentior est in iudicand › quàm decimus tertius. In quem non quotidianus solùm, sed tertianus etiam & quartanus paroxysmus incidunt. Rarissimè autem vllius conditionis febres decimo quinto, aut decimo sexto finiuntur: in quorum tamen priorem tertianus, in posteriorem verò quartanus paroxysmus cadit. Tandem non inde explicari potest quare tertianæ exquisitæ, quinto aut septimo paroxysmo potiùs quàm sexto aut octauo iudicentur.

Quapropter, prioribus omnibus improbatis sententiis, criseon tres omnino causas agnoscimus. Quarum prima materia est & obiectum criseos, morbifica scilicet materia quæ ad salutem ægri est excernenda. Alia, est causa efficiens proxima excretionis; natura scilicet morborum medicatrix. Quarum illa patientis, hæc agentis rationem induens: prout hæc viribus, illa resistentiâ plus aut minùs valet, & varia est inter vtramque, agendi patiendique proportio: ita hoc illóve temporis interuallo tentata actio perficitur, & materiæ citiùs aut tardiùs euictæ, celerior aut tardior excretio absoluitur. Hinc vt Galenus[y] docuit errata varia, ex quibus vel noua fit materiæ excretio vel eadem recrudescit; vel natura ipsa à suo instituto auertitur; plerumque diem criseos protrahere consueuerunt. Et Auerrhoës,[z] per ætates anni tempora, singulares ægrorum temperies; & regionum climata; crisium terminos variari demonstrauit. Verùm quia ex duarum huiusmodi causarum varia constitutione euenire non potest, certos quosdam esse & definitos crisium terminos, quibus hæ frequentiùs aduenirent: sed inde tantùm procuratâ crisium variâ celeritate aut tarditate, illæ quibusque diebus indiscriminatim fierent neque hoc potiùs quàm illo die, natura ad excretionis impetum coctâ materiâ prouocaretur. Ideo ad naturam ita in suis motibus determinandam vt certis quibusdam diebus frequentiùs quàm aliis crises moliatur: tertiam se his causam intermiscere aduertimus, quæ eminentis actiuitatis & in quoscumque pro cuiusque naturæ efficaciter agens, præcisis quibusdam diebus efficaciùs quàm in aliis naturam ad noxiorum pepasmo iam euictorum excretionem faciendam proritet. Atque ea verè luna est. Quæ omnium planetarum terræ proxima, & in humida sibi subiecta corpora dominium exercens; cum regulari celerrimi sui spiralis motûs lege, frequentes mutationes & subeat in se, & in his inferioribus excitet iure crisium rectrix à Galeno passim[a] existimatur. Ea enim & ex propriarum virium influxu, & iuxta eumdem Pergamenum,[b] ab aliorum syderum aspectibus adiuta, materiam agitans & insolitâ concitatione mouens, facultati expultrici naturæque inde quasi calcar ad crisim moliendam addit.

Quam mutationem tum commodissimè concitare potest, quando per quadras aut per diametrum abest ab illo zodiaci gradu & puncto, sub quo nascente morbo gyrabatur. Quoniam tunc illi zodiaci portioni coniungitur, cuius vires vel ex integro, vel ex parte, aduersantur viribus illius alterius signi & gradûs qui respondebat morbi initio. Ea enim signa diuersarum semper triplicitatum existunt quæ vel per cœli medietatem, vel per quartam eiusdem partem ab inuicem distant. Lunæ autem sic configuratæ vim in nos influentem, efficacissimè naturam excitare posse ad id excernendum quod aduerso eiusdem syderis influxu fuerat in naturæ effectum concitatum, probabilissimum est. Cùm illa per varias suas phases, non humores solùm in nobis ad excretionem magis aut minùs habiles reddat, & multifariam eosdem exagitet: sed præterea partes solidas iam rarefaciat & laxet, mox easdem condenset ac firmet. Quare cùm quibusque vt plurimùm septenariis, luna tales & situs, & influentium virium mutationes subeat: per septenarios maximè, cam-

[y] Lib. 1. de dieb. criticis cap. 11.

[z] Lib. 4. colliget cap. 10.

[a] Libris de dieb. decretor.

[b] Lib. 3. de dieb. decretor. cap. 6.

dem etiam prædictos in ægris motus naturam ad crisim promouentes concitare, non inelegenter sequitur. Ea tamen aliquando perturbationis illius periodos ideò enariat: quòd nonnunquam fit cursu velocior, aut tardior solitò. Vel quia diuersis vicina sy deribus fixis, aut vagis suos effluxus paribus, aut disparibus socians influxibus, non solùm propriorum influxuum vires vel intendi, vel temperari, vel remitti, & emendari accidat: sed præterea etiam eorumdem effectus aliquando accelerari aliâs tardari contingat. Vnde euenit, quòd cùm in acutioribus morbis sæpiùs crises die septimo fiant: nonnunquam tamen accidat, illas non tantùm cum malis ægri rebus, sed salubriter etiam die sexto, octauo, & aliis fieri. Quòd præterquam testatum à Galeno legimus, [c] ac particularim octauo die ac nono crises accidere, licèt minùs fidas octano. [d] Sed & sexto, quem Pergamenus [e] Tyranno confert. Larissæa virgo apud Hippocratem, [f] integrè iudicata est: cuius crisim tertius indicauerat. Et quarto Epidemion, [g] virgo quædam eodem die iudicata refertur: ac per eam tempestatem circa pleiadum occasum, multos sexto & octauo indicatos. Nec non 5. Epidemion sect. 2. tex. 83. plurimi sexto die iudicari licet recidiuâ subsequente, referuntur. Quæ si nondum acutioribus satisfaciant, quæcumque sit specialis causa dierum criticorum, & quarumcumque periodorum morbos finientium, hoc saltem ratum firmumque habeatur inter Medicos [qui ex lotio magis quàm ex astro res ægrorum coniectantur, & de pulsu arteriarum magis, quàm de sphærarum motu sunt solliciti] longo & diuturno experimento probatum morborum quidem acutorum crises frequentissimè aduenire per septimanas; [h] scilicet die septimo, decimo quarto, & vigesimo: proximè verò ab his iudicia per quaterniones fieri; [i] ac demum per intercalarios etiam horum indicationes aliquando etiam accidere, sed minùs potentes. Decidentium ab acutis & vigesimum excedentium, quosdam constat ex Pergameno [k] per quaternarios etiam iudicari; alios per septenarios, non tamen solos vt Auerrhoi placuit [*] quosdam demum per vicenarios. Nam Abderæ Heropyto, apud Hippocratem, [l] febre ardente non exquisitâ tamen laborans, à quadragesimo ad centesimum quo perfectè iudicatus est, per vicenarios sensibiles morbi mutationes subiisse scribitur. Cuius meminit Galenus [m] in exemplum eorum qui in longum nimis morbum (per decidentiam scilicet ab acuto) inciderint. Diuturniorum verò magis notabiles mutationes, & solutiones; vel per mensium decretoriorum numerum aut annorum fieri: [n] vel per diuersas anni temporum variationes, & illustrium stellarum fixarum ortus atque occasus: frequentissimè aduenire: vt ab Hippocrate, [o] Galenoque [p] scriptum legimus. Neque tamen ita certos esse huiusmodi crisium terminos, existimandum est. quin accidat aliquando, quibusque diebus, [q] & quibusuis temporibus, iudicationes, sed rariùs pro vnoquoque morborum genere, quàm in prædictis terminis fieri.

c Lib. 1. de dieb. decr. c. 11. d Lib. 2. eiusd. operis cap. 6. e Cit. lib. de dieb. decret. cap. 4. f Lib. 3. epid. sect. 3. tex. 83. g Non longè à principio. h Gal. lib. 2. de dieb. crit. cap. 2. i Gal. ibid. & lib. 1 cap. vlt. k Lib. 2. de dieb. decret. cap. 4. 6. & 9. * Lib. 4. collig. cap. 40. l Lib. [illegible] epid. sect. 3. tex. 80. m Cit. lib. 2. de dieb. decr. c. 4. n Gal. lib. 1. de dieb. decre. cap. 10. necnō lib. 2. cap. 10. & 13. o Lib. de aëre aquis, & locis, necnon 3. epid. sect. 3. tex. 88. p Lib. 3. de dieb. decr. c. 7. q Gal. lib. 1. de dieb. decr. cap. 6.

De signis crisium, & speciem criseos indicantibus.

Capvt XIII.

Etsi coctiones, non solum crisium, sed salutaris etiam criseos prænuntias esse docuerit Hippocrates: [a] non tamen eadem sunt coctionis & crisis indicia: sed hæc inter se plurimum differunt. Siquidem vt habet Galenus, [b] coctionis signa semper bona sunt, indicationis verò non semper. Præterea signa coctionis quocumque tempore appareant bona sunt, & quo citiùs apparuerint, eò etiam celeriùs adfuturam sanitatem pollicentur. Quæ verò ad melius indicant, ex Hippocrate, [d] non statim apparent: quæ, [e] neque in augmento, neque in principio; sed in statu apparere conuenit. Decretoria ergo propriè & signa criseos prænuncia, sunt omnia illa perturbationum symptomata quæ inscii epigenomena futuras excretiones præcedunt, & materiæ iam coctæ & excernendæ concitationem consequuntur. Quæ ex Galeno [f] & Aetio, [g] sunt dispnϾæ præter morbi vim aduenientes, vertigines, sensuum perturbatio, capitis, stomachi, colli, tibiarum lumborúmque dolores, aurium sonitus, vanus ante oculos splendor, inuitæ lacrymæ, & sine prauio oculorum affectu apparentes: obliuio præterea, deliria, & comata prægressæ coctioni succedentia; vrinæ item suppressio vltra vim morbi inducta, labij inferioris tremor, rigor ingens, accessionis inconsueta anticipatio, æstuatio immodica, sitis vehemens, nausea, clamores quæruli, iactitatio, ventris insoliti rugitus, borborygmi, & similia. Quæ frequenter inerudit os Medicos terrent, eruditos verò & expertos, imminentis criseos admonent. Ex pulsu præterea futuræ iudicationis trahuntur indicia, si pulsus principio magnitudine & vehementiâ inæquales atque inordinati, cum celeritate & frequentia necnon cum aliqua nonnunquam interruptione in acuta febre apparuerint; facultatem cum irritatione grauari significantes: deinde inæqualitatem paulatim perdant, ordinémque acquirant, alti fiant, & solito vehementiores; robur facultatis indicantes, liberúmque naturæ motum.

a Lib. 2. epid. sect. 3. tex. 45. b Com. in lib. 1. aph. comm. aph. 12. d Lib. 2. epid. sect. 1. e Gal. lib. 1. de cris. cap. 8. f Lib. 1. de crisib. cap. 14. & lib. 3. c. 2. g Lib. 5. c. 23.

Tales enim vt habetur apud Galenum [h] ægros excretionibus iudicandos esse demonstrant. Tum

h Lib. 4. de præs. ex puls. cap. 12.

verò

verò proximè etiam,crisim,eamque fecutam imminere indicarut ex pulsu: cùm sistole antea celerior,ad æqualitatem celeritatis cum diastole redit. Hinc enim putredinem euictam, & contractionis vsum imminutum esse significatur.

Crisim verò iam præsentem ostendit, ipsa sensibilis vacuatio,quæcumque illa sit. Quæ tum futura est conueniens,cùm modo naturæ familiari, & per loca conferentia, peccans & coctus humor quantitate sufficienti excernetur. Nulla enim pauca vacuatio,critica est. Neque tamen excretionem copiosiorem esse oportet:quod enim nimium est,perpetuò damnatur. Quoniam fieri nequit,quin simul atque excrementa nimia quantitate vacuantur, spirituum etiam maior quàm oporteret copia non exoluatur.

Bonæ ergo Criseos signa,duo habentur apud Galenum: [i] indicata coctio excretionem præcedens,& bona tolerantia excretionis die critico aduenientis comes. Etenim [k] si qualia oportet purgari, purgentur (seu arte scilicet seu sponte) confert,& facilè ferunt. Contrà malæ Criseos indicia sunt,eam cum cruditatis signis aduenire:die non critico accidere,aliam materiam ab ea quæ morbi causa est expurgari,eàmque ab ægro difficilè ferri.

Verùm cùm non solùm crisim adfuturam præcognoscere oporteat: sed etiam qua specie criseos terminandus sit morbus præuidendum sit, vt naturam in quamcumque partem vergentem,quantum in nobis est, adiuuemus: quibus signis vnamquamque iudicationis speciem imminentem discernere valeamus,explicandum est. Ad quod primùm aduertenda est morbi species, quæ hac aut illâ excretione magis aut minùs commodè soluitur vt supra [l] insinuauimus. Tum considerandum est anni tempus, quoniam æstate aut vere, vomitu, sudoribus, vel sanguinis fluxu morbi frequentiùs terminantur: at hyeme,& autumno faciliùs per vrinas & secessum. Ætas item consideranda est,quoniam iuuenes sanguinis fluxu & sudore potiùs,consistentes & senes egestionibus & vrinis magis iudicantur.

Ita & aduertenda corporum constitutio:gracilium enim morbi,sudoribus magis;pinguium verò & obesorum, alui fluxu commodiùs decernuntur.

Particulatim autem in quam partem magis inclinet,quibusdam indiciis præuidetur. Nam primò si sanguis in superiores partes vergat, per nares postmodum excernendus, ex Hippocrate, [m] Galeno, [n] & Auicenna, [o] principio in præcordiis tensio sentitur,præsertim si exinde sursum ille repat: estque ea tensio sine dolore,phlegmonode saltem; nisi præcesserit hypochondriorum inflammatio.

Cui mox fugax anhelitus difficultas succedit, sanguine per thoracem transeunte: tum capitis dolor aduenit quodammodo grauans, extendensque & pulsans, à sanguinis scilicet copia, eiusdemque feruore caput occupante: Quem dolorem postmodum consequitur oculorum hebetudo, [p] aut oberrantis luminis apparens fulgor,vel lacrhymæ nonnunquam subsequuntur. [q] Tum oculorum,genarum etiam aliquando,& nasi rubor; aliàs infestus narium pruritus subuenit. Inter hæc autem symptomata,ea quæ postremò relata sunt,vndecumque sanguis in nares irruat, apparere consueuerunt: priora verò,tantùm eo deorsum sursum lato aduenïunt.

Vomitum præsignant, ventriculi tensio, aut grauitas cum singultu aut morsu saltem, quem sequatur respirandi difficultas, aut repentinus capitis dolor, vertigo, aut oculorum caligo, cum faciei pallore. Proximè eumdem aduenientem notant nausea, oris superioris ventriculi morsus, & labri inferioris tremor:præsertim multa ac tenui sputatione consequente.

Fluxum oris qualem ex hydrargito illiti patiuntur, prænunciat capitis tensiuus, simulque punctorius dolor; cum genarum, & gingiuarum, labiorumque sublaxo tumore: maximè si his frequens sputatio successerit; tum spontaneus fluxus, qui vt plurimùm cum lentore acris, internas oris partes exulceret.

Per secessum, futuram crisim indicat inferioris ventris inconsueta perturbatio, cum rugitibus & borborygmis, nec non & cum torminibus, morsúque circum vmbilicum. Vnde ex Hippocrate [r] quibus hypochondria ex aliqua recenti occasione per febres suspensa murmurant, lumborum dolore superueniente: ijs alui humectantur, nisi flatus erumpant, aut vrinæ multitudo proueniat materiâ scilicet hoc postremo casu in renes & vreteres per cæcos ductus versâ. Certiùs verò eamdem huius generis excretionem sequuturam nunciant, si fæces solito liquidiores reddantur, & facilitas ad egerendum maior quàm antea (præsertim cum vrinarum suppressione) sentiatur.

Quibus,si intestinorum morsus, & dolor vehemens cum externorum perfrigeratione societur, dysentericum fluxum timere oportebit.

Ad vrinas naturam inclinare,ex eo maximè significatur, quòd alterius vacuationis signa nulla appareant, ac præterea quòd noua quædam ad meiendum irritatio frequentiorque

Ff mictio

i Lib. 4. aphor. comm. 47.
k Ex 1. aph. 25.
l Cap. 21.
m Sent. 166. & 195. coacarum.
n Lib. 3. de crif. cap. vlt
o Lib. 4. fen 2 tract. 1. cap. 5 6 & seq.
p Hippoc. lib. progn. sect. 2. tex. 18.
q. Hipp. lib. 1. epid. sect. 2. tex. 80.
r Sect. 4 aph. 73.

mictio adueniat: & paulò ante vbi coctionis signa constanter apparuerint, morbique symptomata mitiora fuerint, copiosum in vrinis sedimentum, & promptè subsidens apparuerit. [f]

Per hæmorrhoides naturam criticam excretionem moliri demonstrat, tum defectus signorum alias vacuationes indicantium; tum etiam assueta expurgatio per hæmorrhoides, & sensus grauitatis, insolitique caloris in recto intestino & ano perceptus.

Per vterum naturam vacuaturam esse noxios succos pollicetur, lumborum grauitas efflatu digna, ac circum vterum & imum ventrem torminosus dolor, tensio, & feruor quidam abdomen infestans.

Sudor, consuetis vacuationibus vrinæ scilicet & alui suppressis, aduenire solet. Ac prægresso quidem rigore, si qui mouetur humor, biliosus sit & mordax, vel sine rigore si ille mitior extiterit. Aduentantem autem sudorem speciatim denotat, caloris maior solito ad externas partes totiúsque corporis ambitum effusio, cutis simul aucto rubore. Proximè autem eumdem venturum promittit, roridus quidam & calens à cute exhalans vapor. Ac tum certiùs ille significatur, [t] si pulsus vndosus sit & insigniter mollis. Quæ pulsûs differentia instante crisi apparens, talem semper excretionis speciem sequuturam certò prænunciat. Aliæ verò pulsuum differentiæ quæ crisis iudices esse feruntur, non specialem aliquam excretionem, sed plures indiscriminatim significant. Vt pulsus qui non solùm altus est & vehemens, sed etiam absolutè magnus; sanguinis fluxum criticum imminentem denotat. Per quam autem partem ille fit fluxurus, minimè detegit.

Quòd si natura plures vacuationes simul aggredi meditetur, mixtim diuersarum specierum criseos signa concurrent: eam tamen excretionem potiorem futuram esse semper sperandum, cuius potiora fuerint indicia.

Verùm vt certò & sine errore in cognitionem veniamus speciei futuræ criseos, vbi decretoria perturbatio iam innotuerit, per omnes possibilium excretionum differentias discurrendum est, & diligenter aduertendum num huius, aut illius præindices notæ solæ sint, aut mixtæ, & quàm efficaces singulæ appareant. Quibus exactè pensatis; non temerè, sed prudenter, species futuræ criseos prædicenda est.

Tandem finitâ crisi, & iudicatoria excretione cessante; num ea perfecta sit, & absque recidiuæ metu, an verò imperfecta, & relapsûs suspicionem inferens inquirendum est, per ea quæ crisim ipsam consequuntur. Hoc autem nouisse plurimùm interest, quoniam quæ iudicantur & iudicata sunt integrè, neque monere, neque nouare aliquid siue medicamento, siue aliter irritando, sed sinere oportet. [u] Si verò ad absolutam excretionem, & perfectam crisim aliquid desit, quidpiamque materiæ morbificæ residuum sit, medici officij est, ea quæ ab imperfecta iudicatione relicta sunt auxilio conueniente vacuare, ne recidiuam faciant. Illam ergo perfectam, vel imperfectam esse deprehendemus, ex corporis qualitatibus, actionibus, & excrementis. Si enim omnia hæc talia sint, qualia in sanis esse consueuerunt, faciesque sit probè colorata, & quæ antea tumida erat, detumuerit, si plus iusto non sitiat indicatus, cibos non vt priùs abhorreat, probè coquat, commodè egerat, lypara habeat, & mollia hypochondria, facile respiret, æqualem habeat pulsum & decenter remissum, cutis calorem temperatum, sensus integros, mentem quietam, somnos placidos, miniméque turbulentos, nec non vrinas reddat vrinis sanorum similes, & egestiones debitè coloratas & figuratas; integræ & absolutæ criseos certum habemus indicium. Si verò contrà facies tumida esse perseueret, aut citra icterum criticum colore aliquo non naturali sit infecta, si cibos fastidiat conualescens, acidum, aut nidorulentum nullo nouo errore commisso, eructet, importunè sitiat, tensa illi sint hypochondria, iactitationem aliquam patiatur: interruptè dormiat, & turbulenta somniet, inquietam & perturbatam mentem habeat, ac talia egerat, aut mingat quæ ab vrinis & egestionibus sanorum aliena sint, vel aliquod horum appareat; euidens signum est talem crisim imperfectam & minùs tutam esse.

De simplici morborum solutione.

CAPVT XIIII.

EAM morborum terminationem quæ in longiori tempore & paulatim fit, solutionem simpliciter appellari docuit Galenus: [a] per quam paulatim morbi marcescunt, vt idem loquitur: [b] seu per quam natura sensim materiam morbi causam per halitum & insensibilem transpiratum resoluit. Ea enim solutio seu morbi citra sensibilem vacuationem cessatio, quæ repente fit,

infida

---

f Auicen. cit. lib. 4 fen 2. tract. 2. c. 8. & Rasis lib. 12. continen. tract. 2 cap. 2.

t Ex Gal. cit lib. 3 de cris cap. vlt.

u Hipp. lib. 1. aphor. 20.

a Lib. 3. de crisib. cap 7

b Ibid. cap. 3.

infida est: maximè si ne quidem coctio vt idem Pergamenus notat, [c] antea apparuerit; hac autem viâ auctore Auicenna, [d] finiri solent tum plurimi affectus cronici; tum mitiores morbi qui naturæ aut nullum, aut paucum laborem inferunt. Magni enim vt ait Galenus, [e] iudicantur omninò: qui autem parui soluuntur solùm, maximè in ijs, qui à natura, vel per ætatem laxo admodum corporis sunt habitu, & plurimùm perspirabili, quales sunt infantes. Ita verò morbi aliquando finiuntur, quòd natura id semper eligens quod securius est, & minùs graue, in leuioribus illis morbis in quibus à morbifica materia minùs opprimitur, non vult eo vti vehementi conatu qui ad morbum per manifestam excretionem finiendum, requiritur; sed contenta est, absque labore perturbationis criticæ, materiam euictam sensim in halitum resoluere. Signum autem futuræ huiusce desitionis morborum, est quòd indicatâ naturæ supra morbum victoriâ per constantem & vniuersalem coctionem, nulla in succedente decretorio die perturbatio, sensibilem & repentinam vacuationem iudicatoriam antecedens appareat.

c Sect. 2. aph. comm. 27.
d Lib. 4. fen 2. tract 1. c. 2.
e Lib. 3. de crisib cap. 4.

De terminatione morborum quæ fit per decubitum.

Caput XV.

Etsi Galenus [a] crisis nomine eam comprehendat morbi desitionem quæ non solùm per sensibilem fit excretionem, sed illam etiam quæ per decubitum aduenit. Nos tamen facilioris doctrinæ gratià, has morborum terminationes supra [b] ab innicem distinximus. Per decubitum autem, abscessum intelligimus: vt solent etiam cæteri, referente Galeno. [c] Neque tamen per abscessum hoc loco idem planè significari existimandum est, cum eo quod Græcis ἀπόστημα propriè, & Celso [d] vomica appellatur. Cuius duplex genus à Galeno describitur. [e] Vnum cùm phlegmone in pus versâ, pus ipsum tanquam in sinu aliquo est collectum, cui vomicæ nomen propriè conuenit. Alterum cùm nullâ præcedente phlegmone, humor aliquis omnino actis statim ab initio in parte quapiam tumorem excitans colligitur. Sed per abscessum eam dispositionem intelligimus, in qua humores qui prius vel totum corpus, vel princeps aliquod membrum infestabant, exinde aliò transferuntur. [f] Aliò inquam transferuntur, atque vt ab Hippocrate [g] explicatum legimus, multifariam. Vel enim in cutem, vel in carnes, neruos ossa, aliaque partes abscedunt, multiplices generantes affectus, tubercula aliquando, aut tumores varios etiam suppurantes aliàs verò vlcera, caries, fistulas, & plurimas in cute efflorescentes pustulas, nec non cutis descammationes, capillorum defluuia, vitiligines, scabies, aliaque huiusmodi: sed aliis frequentiùs rumores. Qua ratione, natura tum solùm febres continuas [h] terminare consueuit: cum ad materiam morbi authorem à vasis foras per sensibilem euacuationem expellendam aut per halitum dissipandam impar, eamdem aliò transmittit. Hoc autem non in quibusque febrilibus morbis fieri indiscriminatim consueuit: sed in his præsertim qui concoctu difficiles sunt, non tamen exitiosi: & qui vt docet Galenus, [i] ex crassioribus, frigidioribusque humoribus fiunt, tales enim per abscessus iudicari, vt plurimùm assolent. Nam quibus febres diuturnæ, his vel tubercula, vel dolores in articulos fiunt. *

Atque tum maximè, cùm materia morbi causa ad integram perfectamque coctionem deduci exactè nequit: vti à Galeno [k] docemur dum inquit, in iudicatoriis namque abscessibus, vt crudum ita & sanabilem esse morbum oportet: concoctus enim citra abscessum solutionem nunciat.

Quod postmodum Hippocratis authoritate confirmans, quòd autem crudus vnà & malignitate carens, ait, diutiùs morbus perseuerare debeat, vt abscessum fore sperandum sit, manifestè Hippocrates [l] in libris de præsagiis ita scribens declarauit. Quicumque lotia tenuia & cruda multum temporis minxerint, nisi alia perdurationis signa adsint: in illis abscessum ad partes interseptò inferiores expectare oportet.

Neque tamen ad salutarem abscessum, materiam morbificam plurimum crudam esse necessum est. Siquidem Hippocrates, [m] at si screatio inquit, non rectè excernatur, nec vrina videatur habere bonum sedimentum, periculum clauditatis in articulo, vel multi negotij imminet. Licèt vero morbi qui ex crassis frigidisque succis excitantur, per abscessus maximè soluantur: nonnunquam tamen causi etiam per abscessus, & parotides, vt apud Hippocratem, [n] & Galenũ [o] videre est terminantur. Nam ex eodem Pergameno, * si quando prorogatâ febre & saluè affecto homine, facultas fuerit robusta, cum crassis & crudis humoribus, aut facultas imbecilla cum humorum tenuitate: medij morborum exitûs spes est.

Tales enim neque per manifestas excretiones terminantur, neque ad mortem feruntur, sed per abscessus finiuntur. Aliàs enim vt sæpius adnotatum est à Galeno, ** morbi quos humores

a Lib. 7. de crisib cap. 7.
b Cap. 10.
c Comm. 3. in 6. epid. comm. tex. 40.
d Lib. 1. cap. 7 & 8.
e Lib. 14 method cap. 10.
f Colligitur ex Galeno lib. 2 ad Glaucon cap. 7.
g Lib 2. epid. sect. 3.
h Hippoc. sect. 3 prog tex. 27
i Comm. 2. in progn. comm. tex. 34
* Hippoc. lib. 4. aph 44.
k Comm 2. in 6. epid. com. tex. 17.
l Sect. 1. prog. tex. 34.
m Sect. 3 pro. tex. 67.
n Sect. 4 lib. de rat. vict. acut. tex. 18.
o In comm.
* Comm. 2. in lib. progn. com tex. 34.
** Citat. 2. progn. comm. tex. 34 & 3. progn. 24.

committunt calidiores cum ægri viribus valentioribus, per excretionem iudicantur: & affectiones in quibus facultas debilis eſt & humores frigidi, nec per excretionem, nec per abſceſſum finiuntur: ſed aut corrumpunt ægrum, aut per quàm longo temporis ſpatio vix concoquuntur. Vt autem continuæ febres prædictas conditiones ſortitæ per abſceſſus deſinere conſueuerunt: ita ex Hippocrate, § febres intermittentes ſi erroneo modo prehenderint in quartanam degenerant, præſertim ſi autumno appropinquatint.

§ Sect. 3. pro. tex. 37.

Verum abſceſſus non ſolùm præſentes adhuc & vigentes morbos finiunt: ſed eiſdem etiam aliquando curatis quaſi in recidiuæ modum ſuccedunt: iam conualeſcentibus ægris, ex reliquiis ſoluti affectûs aduenientes. Ita notatum à Galeno legimus in librum de humoribus: [p] vbi Hippocrates, in his qui ex morbis inquit, exurgunt, ſi ſtatim manus ac pedes dolore conflictentur, in eis abſceſſus orientur. Quin imò laboribus doloribuſque aliquarum partium, morbos præcedentibus, accidit in illis morbos per modum decubitûs fieri.

p Comm. 2. com. tex. 23.

Sic enim Hippocrates, [q] ſed ſi quæ pars ait, ante morbum laborarit, ibi morbi ſedes erit: vt accidit iis qui perinthi, tuſſi, & anginâ laborant. Tuſſes enim, non ſ.cùs quàm febres, abſceſſus excitāt. Ac demum prudens natura & noſtræ conſeruationis ſtudioſa, per abſceſſus ea aliquando fieri prohibet, quæ facta eâdem viâ tolleret. Quod ſic idem Cous Senex docuit: cum decubitus quidem, inquit, [r] in quibus facta tollit; hæc ante facta prohibet.

q Ibid. tex. 26.

r Lib. 6 epid. ſect. 3. tex. 40

Cùm ergo abſceſſus aliquando ad grauiores morbos præcauendos adueniant, nonnunquam quaſi reliquiæ morborum iam curatorum appareant; aliàs verò ad morborum vigentium adhuc ſolutionem à natura procurentur: quia hos imminentes præuidere plurimùm intereſt, quibus notis id coniectari valeamus hoc loco explicandum eſt. Primùm enim cùm abſceſſus omnino fiant vt explicatum eſt, vel imbecillioribus naturæ viribus tenuem materiam foras affatim expellere nequeuntibus; aut eiſdem integris craſſum ſed crudum adhuc humorem infeſtum in particulare aliquod membrum tranſmittentibus: ſi acciderit [s] cum febre citra periculum diutiùs aliquantò perſeuerante, coctionis ſigna in vrinis apparere, nullam tamen exinde materiæ morbificæ excretionem fieri, & nullam morbi paulatinam remiſſionem ſuccedere: morbum huiuſmodi per abſceſſum finiendum eſſe coniectabimur. Etenim cùm eo caſu materia pepaſmo euicta ab infirmis viribus per manifeſtam vacuationem non excernatur, nec interim in foco contineri amplùs valeat, victrici naturæ infeſta; aliquò abſcedat neceſſum eſt. Vel ſi materiâ morbi cauſa craſſiore exiſtente, ante coctionis notas, criticæ perturbationis ſigna nulla excretione ſubſequente apparuerint: tunc etiam apparituros abſceſſus ſuſpicandum eſt. Ac maximè ſi alterutri affectus eos teneant qui minores ſint annis triginta, [t] vel hyeme adueniant. [u] Hyeme enim potiùs quàm alia anni tempeſtate abſceſſus fiunt: quoniam vt ait Galenus, [x] cùm morbi quos frigidi craſſique humores cauſant per abſceſſus frequentius terminentur; ſolent huiuſmodi humores per hyemem magis abundare.

ſ Colligitur ex Hippocrat. & Gal. ſect. 3. progn. tex. & comm. 23

t Hippoc. ſect. 3 progn. tex 24.
u Ibid. tex 29
x Comm. in tex 29 ſect. 2. progn.

Quo tempore abſceſſus tardiùs etiam deſinunt quòd ob frigiditatem ambientis humores difficiliùs exoluantur: & minùs retrocedunt, quoniam humores frigidi, frigida tempeſtate minùs ſunt ad motum habiles: ad retroceſſionem autem mobilitate eſt opus. Quod ad ætatem verò ſpectat qua abſceſſus frequentiùs accidunt, non ſibi conſentit Hippocrates. Qui cùm in prognoſticis [a] dixerit abſceſſus magis fieri his qui iuniores ſunt anni triginta; contra in Coacis [b] ſcribit illos familiariùs his accidere qui trigeſimum annum ſuperarint. Cui poſteriori ſententiæ fauent Aetius, [c] Duretus, [d] & alij vtramque tamen ſententiam amplexi neque vni magis quàm alteri fauentes, dicamus cum Foeſio, [e] Hippocratis mentem eſſe conſiſtentes ſolere frequentiùs morbos crudos per abſceſſus iudicare; ac quoniam conſiſtens ætas ea cenſetur quæ ab anno vigeſimo quinto ad trigeſimum quintum extenditur, cùm vtrobique Hippocrates conſiſtentes dixiſſe voluerit, illic annis triginta iuniores dixit, hic eiſdem ſeniores ſcripſit. Neque tamen exiſtimetur ſolos conſiſtentes abſceſſus pati: nam & iuniores, & ſeniores morbos per abſceſſus non rarò finiunt. Sed conſiſtentes magis, in quibus & humores craſſi generantur non pauci, & vires adhuc conſtant, contra quàm ſenioribus, neque ita laxi ſunt conſiſtentibus ductus ad liberam excretionem, ac iunioribus. Ita nec per hyemem ſolam fiunt abſceſſus: ſed & vere & autumno, ex aphoriſmus; [f] at illâ magis.

a Citat. tex 24. ſect. 3
b Sent. 141.
c Lib. 5 c. 52
d Lib. 1. coac. com. tex 149.
e In com prædicta ſent. coacar.

f Lib. 3 apho. 20 & 6 aph. 55.

Quoniam verò in quam partem inclinet abſceſſus iuuat etiam præcognoſcere, vt naturæ benè agenti vel ſi par eſt ſubueniamus, vel illi ſaltem minimè obſiſtamus; inquirendum nobis eſt quæ bonorum omnium in medicina author Hippocrates ad hoc præcognoſcendum velle ſcripſerit. Is ergo primò, [g] quibus inquit, laſſitudinis ſenſus eſt in febribus (ſcilicet ſeu ſpontaneæ, ſeu ex multo motu ortæ) his in articulos (vel à motu calidiores, vel quomodocũque laxiores) & circa maxillas potiſſimùm abſceſſus fiunt. Videlicet quando ob caliditatem febrilem multus humor plurimùm

g Lib. 4. aph. 31.

attenuatus

attenuatus sursum potiùs quàm deorsum fertur. Præterea, [b] quibuscumque resurgentibus ex morbis si quid laborauerit (seu doluerit pars aliqua) illic abscessus fiunt, eò videlicet iam decumbentibus morbi reliquiis, vel eò doloris vi attractis. Adde, [i] si ante morbum aliqua pars laborauerit [vnde imbecillitatem aliquam contraxerit] hìc morbum firmari. Particularim autem materiæ morbificæ decubitum ad partes superiores fieri significatur: vbi ex Galeno, [k] morbus non fuerit valde diuturnus si (vt ait Hippocrates) [l] spirandi difficultate celeriter incipiente, moxque eâ desinente: capitis dolor, ac grauitas successerit: tum coma, & sopor, ac demum surditas superuenerint. Talia enim humorum ad superna motum, & eorumdem in glandes post aures sitas inclinationem significant. [m] Ad inferiora verò membra succum peccantem decumbere indicatur, si nihil prædictorum in supernis partibus apparuerit: sed potiùs infernorum aliqua, tensionem, grauitatem, dolorem, aut phlogosim sense it.

Verùm cùm non solùm quò vergant abscessus scite expediat, sed qui boni & salubres, qui verò mali & perniciosi futuri sint, discernere oporteat: vtrorumque signa perquiramus. Quæ examinatis conditionibus in abscessu ad naturæ solamen vergente requisitis, facillimè inueniemus. Quas apud Hippocratem medicinæ lumen inquirentes, discemus ex Epidemiis, [n] tria in abscessibus esse consideranda: quò, vnde, & propter quid. Locus enim primùm in quem decumbit abscessus, attendendus est: tum sedes à qua fit transmissio, & demum, vt Galenus [o] interpretatur, nunquid naturæ vi adueniat, & morbo (vt par est ad abscessus) iam excocto: an verò humore peccante omnimodè adhuc crudo, ex vno membro in aliud planè symptomaticè delapso abscessus oboriantur.

Quòd ad locum ergo spectat in quem decumbit abscessus, illum oportet parte affectâ esse inferiorem, ab eadémque remotum, ignobiliorem, & totius materiæ morbum facientis capacem. At decubitus quidem ad inferiora salubriores esse illis qui ad superiora fiunt, eùm aliàs sæpiùs docuerit Hippocrates: tum verò clarissimè id exprimit, cùm inquit, [q] si infra vmbilicum, superiora constiterint, in inferioribus articulis, bonum est: sin suprà, non perinde morbum discutiunt, nisi suppurauerint œdemata, idest tumores quicumque per decubitum oborti. Cuius ea est tatio, quòd crassi humores qui per decubitus abscedunt, maiori labore sursum ferantur, minori verò deorsum prolabantur.

Tum præterea quia ex Galeno [r] membra superiora maius quàm inferiora discrimen adferunt, quando vtraque pari affectu vexantur.

Quæcumque verò in loco ad quem fiunt abscessus requiruntur, fusiùs Diuus ille Cous tum persequutus est, cùm quæ abscedere nata sunt inquit, [s] ea per venas, ossa, neruos, cutim, aut alia huiusmodi diuerticula abscedunt, bonaque sunt: si infra morbum fiant: qualia sunt varices, & lumborum grauitates: si à superioribus partibus ad infernas demittantur. Præsertim verò optima sunt quæ ad inferna, & infra ventrem maximè, & quàm remotissimè à morbo abscedunt. Vbi præterea locum decubitûs ad excipiendam materiam morbi aurhorem sufficere debere docuit, Temenei Neptis exemplo. Cui, cum in digitum ex morbo forti abscessus aduenisset, interiit.

Sed & materiam abscedentem in ignobiliorem partem decumbere omnino necessum est, vt passim ex variis apud Hippocratem casibus colligere licet. Quoniam aliàs nullum naturæ leuamen adueniret. Si natura iam satis fatigatâ, pars priore æquè nobilis, aut nobilior etiam, secundò afficeretur. Ideo Galenus, [t] hos igitur assolet natura inquit, in partem quamdam ignobiliorem expellere, quoties per excretionem pellere extra corpus non queat.

Secundò vnde materia effundatur in abscessûs sedem, inspicimus; vt aduertamus num rectitudo partium in ea decubitûs transmissione seruetur. Abscessus enim omnes meliùs est secundùm rectitudinem fieri, & à dextris partibus in dextras decumbere. Quod vniuersali edicto statutum est ab Hippocrate [u] his verbis, secundùm rectum & laterum intensio dolorosa, & intensiones hypochondriorum, & lienis eleuationes, ex naribus fluxiones. Quæ cum de abscessibus sursum factis speciatim dicantur: aliàs etiam quærit Hippocrates, [x] an iisdem deorsum repentibus rectitudinem etiam seruari oporteat.

Quæ controuersia, cùm ab Hippocrate expressè non dirimatur, Galenus [y] semper rectitudinem seruari debere ad salubritatem statuit. Imò in his etiam abscessibus in quibus nescitur an pars dextra, sinistráue singularis visceris transmittentis, magis alterâ laboraret, ractitudinem à natura rectè operante seruari coniectandum insinuat.

Tertiò tandem Hippocrates considerandum dixerat propter quid abscessus fiant. Quòd abscessus facti ex materia maiori ex parte aut in integrum penè euicta, morbum terminare sint apti; at eâdem crudâ planè & inconcoctâ existente, & abscessibus planè symptomaticè apparentibus,

b Lib. eodem aphor. 32.
i Ibidem aph. 33.
k Lib. 3. de crisib. c. vlt.
l Sect. 2. prog. tex. 66.
m Hipp. sent. 159. prorrhet. en partitione Foesii.
n Lib. 6. sect. 2. tex. 15.
o In comm. citat. textus.
p Lib 6 epid. sect. 1. tex. 19. & sect. 2. pro. tex 67.
q Cit. 6 epid. sect. 2. tex. 17
r Comm. 1. in 6 epid. com. tex 14.
s Lib. 2. epid. sect. 3.
t Sect 3. prog. com. tex. 25.
u Lib. 2. epid. sect. 3. & 6. epid. sect. 2. tex 12.
x Cit. 6 epid. sect. 2 tex. 14
y In comm.

aut ἀκρισίας, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidiuas portendunt.[z]

z Hipp. lib. 1. epid. sect. 2. tex. 46. a Idem lib. 2. epid. sect. 1.

Præter hæc autem, ad conditiones bonorum & salubrium abscessuum complendas, hæc requiruntur.[a] Primò vt materiæ in aliquam partem decumbentes, confertim, nec lento nimis confluxu abscedant. Lenti enim naturæ motus solent eiusdem imbecillitatem arguere: ea autem cum imbecillis est, nihil salutare molitur.

Secundò, vt membra in quæ fit abscessus, materiæ morbum facientis quantitati vt priùs notauimus, suâ mole respondeant. Quod ex prædictæ Temenei Neptis exemplo confirmatur. Ea namque cum ex valido morbo abscessum in digitum esset passa, neque ea pars morbo suscipiendo sufficeret: ex materiæ semel secretæ, & in membro in quo transmissa fuerat consistere nequeuntis, ad intra recursu interiit. Oportet enim materiam decumbentem, materiæ morbificæ respondere; aliâs quod relinquitur, vel quia agitatum nec excretum est, deteriorem conditionem concipiens naturæ grauius redditur. Vel ex continua inani irritatione naturam importunè fatigat, vnde Hippocrates[b] parui inquit in longis morbis aurium tumores, si subinde sanguis è naribus profluat, & tenebricosa vertigo excitetur exitio sunt. Vel si ἀπόςασις ὀυκ ἀξίως τῆς περιβολῆς τοῦ νοσήματος γίνηται vt loquitur Hippocrates abscessus non dignè pro complexu materiæ morbi fit: idest non respondet quantitati materiæ transmissæ materiæ recursum prouocat.

b Sent. 105. coacarum.

Tertiò enim oportet humores qui semel aliquò abscesserunt, intro non ampliùs recurrere. Nam recursus, & reciprocationes abscessuum, pessimas esse, clarè idem Senex docuit,[c] cùm si abscessus autem euanescunt, ac retrocedunt inquit nequaquam egrediente secretione (quod de abscessu peripneumoniam consequente loqueretur,) ac febre detinente, difficilis morbus est: periculum enim delirij, mortisque imminet. Idque, vel cum retrocessione materiæ, nouâ inflammatione concitatâ: vel ex spiritualium partium oppressione, suffocatione superueniente. Simul enim cum recurrente materiâ in partem vnde excesserat, alij consocianrur succi, à partibus materiam quæ in illas decubuerat, excutientibus, transmissi: qui priori materiæ coniuncti, non difficilè phlegmonem excitant, naturæ iam antea fessæ vires opprimentem. Vel recursu in nobiliorem partem facto; ab inopinato tam graui labore naturæ vis oppressa, nouo morbo succumbit.

c Sect. 2. pro. tex. 68.

Demum & die critico abscessus fieri necessum est: cùm natura definitis quibusdam diebus non ad excretionem solùm, sed ad salutares quoscumque motus excitari consueuerit. Quod ab Hippocrate expressum legimus in Epidemiis:[d] & icteri exemplo insinuatum in aphorismis.[e] Has autem posteriores quatuor conditiones, licèt ad prima illa Hippocratis consideranda capita, sic referre possemus: vt ad primum quidem caput, secunda, & tertia conditio pertineant: prima ad secundum: & quarta tandem ad tertium: maioris tamen claritatis gratiâ, lubuit separatim fusiùs explicare.

d Lib. 4. tex. 108. ex parti. Valesii. e Lib. 4. aph. 64.

Ex quibus omnibus colligimus eos abscessus optimos esse: qui mitiori & minimè periculosæ febri superuenientes, die critico, coctione plurimùm progressâ, integris naturæ viribus, confertim & secundùm rectitudinem fiunt; in partes inferiores atque ignobiliores decumbunt; & causâ morbi longè ab affectûs sede, quantitate conueniente abscedente, morbum soluunt. Contrà eos malos esse: qui aliqua ex parte à prioribus deficiunt. Atque eo deteriores, quò magis ab illis absunt. Si enim post plures recidiuas naturâ iam imbecillâ contingant, sunt perniciosi. Hinc apud Hippocratem,[f] quibus sæpiùs recidiuæ contingunt, si sextum mensem superauerint, ad tabem coxariâ ferè incidunt. Eâ scilicet diuturniorem coxendicis dolorem consequente. Præterea,[g] si vitio viscerum [morbo scilicet perseuerante,] abscessus, veluti glandularũ tumores fiant: maligni sunt. Ad quod collimans Hippocrates,[h] febres inquit, ex inguinum bubonibus ortæ, omnes malæ, præter diarias. Putres enim febres apparentes, vel perseuerantes, post infestam materiam à visceribus in propriorum emunctoriorum glandes transmissam; ratione prauitatis materiæ, seu in integrum, seu ex parte transmissæ & ex parte in principe aliquo viscere perseuerantis, planè malignæ sunt. Item qui symptomaticè, naturâ à portione materiæ irritatâ fiunt, omnes sunt mali. Ideo ex eodem Hippocrate,[i] iuxta Valesij & quorumdam aliorum interpretationem in febribus abscessus in primis iudicationibus non soluentes (qui scilicet primis indicatoriis diebus apparentes, febrem non soluũt, materiâ morbificâ integrè non abscedente) longitudinem morbi significant. Fieri enim non potest, vt morbus in quo materiæ portio naturam magis irritans, ob crassitiem, in abscessum fuit transmissa, non prorogetur in multum tempus: cùm illud necessariò impendendum sit ad materiam coctioni rebellem excoquendam. Imò si cum euidenti virium imbecillitate imperfecti huiusmodi abscessus appareant, mortis suspicionem inferunt: propter inanes naturæ motus, & concoctionis materiæ difficultatem. Quoniam verò hunc aphorismum aliter interpretandum esse plurimi existimarunt, censentes adiectiuum Græcum λυόμενα passiuè esse reddendum, & Latinè solubilia legendum: & si alij perperam se in hoc aphorismo explicando torqueant, vt videre est apud Mercurialem.

f Senten. 144. coacar. g Hippocr. 6. epid. sect. 2. tex. 10. h Lib. 4. aph. 55. i Eodem 4. aphor. 52.

Sic

Sic tamen ex Celso lubet illius sensum exprimere. Vt cùm ille hunc aphorismum interpretatus dicar,[k] notum esse longum fieri morbum, vbi quod inter febres aliquâ parte abscessit, ad sanitatem non peruenit: notat Hippocratem velle, quando inter primas febrium iudicationes abscessum fieri, contingit; parte scilicet materiæ peccantis abscedente: si abscessus huiusmodi non soluatur, seu per resolutionem, seu per suppurationem indicare morbum etiam diuturnum futurum, qui à consimili materia ad resolutionem & coctionem admodum lenta excitatur. k Lib. 2. c. 5.

Tandem transitus materiæ abscedentis, si per partes nobiles aut illis subseruientes fiat, materiâ præsertim existente crudâ, sunt periculosi: vt nos docuit Hippocrates particulari exemplo in coacis, cum ait.[l] In angina, absque vlla significatione, delati ad crura dolores, cum febre, perniciosi, naturâ enim non regulante materiam, quam irritatione potiùs quàm rationali motu aliò transfundit, transmissæ materiæ portio, solet vias inquinare, & in membris per quæ transit vitium relinquere. l Sent. 378.

De morborum permutatione seu metastasi.

Capvt XVI.

TANTA inter abscessum, quem ἀπόστασιν appellant Græci, & permutationem seu μετάστασιν intercedit similitudo, vt metastasis sub abscessu cōtineri multis videatur.[a] Galenus[b] tamen inter hæc non leuem differentiam statuit, sequutus Hippocratem[c] qui abscessus à commutationibus distinguit. Differunt autem inquit Galenus[d] quòd ἀπόστασις idest abscessus iudicationem inferat, & si in suo genere omnes bonitatatis conditiones obseruauerit, ægrum à molestiis omnibus liberet. Metastasis autem, id est commutatio, fit aliarum accessionum offensionumque principium: ita vt ea pars in quam humorum infestantium facta fit commutatio, ad mali coctionem aliud tempus exigat. Seu quod abscessus ex semicocta saltem materia factus, per integram morbi desitionem ad perfectam sanitatem tendat metastasis verò, solam morbi permutationem faciat, crudis adhuc existentibus humoribus. Quare licèt abscessus non sint perfectæ desitiones morborum, & cessatio ægrotandi, cum priore affectu iudicato, ipse iudicationis modus alius quodammodo fit morbus: tamen abscessus sunt priorum temperamenta molestiarum, graui scilicet affectu, in leuiorem, & minimè aut minùs saltem periculosum verso. Per metastases autem, priores quidem affectus finiuntur, & cessant: sed prior morbus, in alium vel æquè grauem, vel grauiorem etiam transit. a Valesius comm. in sect. 4 acutorum com. tex. 41. & Mercatus tomo 1. q. 100 num. 32. b Com. 4 in lib. acut. com. tex. 68. c Eodem lib. acut. sect. 4. tex. 68. d Ibidem.

Sed aduertendum est metastases morborum esse triplices. Vel enim transitio fit ab vna morbi specie in aliam non mutatâ sede: sed tantùm humore morbi causâ per longam alterationem, aut errorem ægri, assidentium, aut externorum ab vno in alium verso. Ita in Coacis,[e] quæ febres intermittunt, incertóque, ac vago ordine prehendunt; hæ, præcipuè autumno, in quartanam ferè transeunt. Vel ex affectuum eadem membra occupantium incremento, causâ deteriore, aut copiosiore redditâ, aut mutato eiusdem officiendi modo, morborum etiam species immutantur. Ita diuturnior vertigo, in epilepsiam, aut apoplexiam transit; pertinax aurium tinnitus, in surditatem vertitur; ad sanguinis sputum, phthisis sequitur; diarrhææ biliosæ, dysenteria succedit, quàm fluxus hepaticus, atque hunc hydropi postmodum consequitur. Vel tertiò ex transmutatione eiusdem materiæ ex vno membro in aliud, morbi permutantur. Quæ morborum permutationes, propriè metastases solent appellari. Quæ licet à quibusque partibus in quascumque fieri possint, cùm totum corpus sit transpirabile. & ex Hippocrate[f] vna sit confluxio, conspiratio vna. compatientia omnia; frequentiùs tamen permutationes illæ fiunt ab his aut illis partibus in alias cum quibus aliquod consortium habent. Quod tribus omnino modis haberi notat Galenus,[g] vel propter viciniam, vel propter familiaritatem generis, aut propter familiaritatem operis. Propter familiaritatem quidem generis, vbi neruosum, neruoso, aut venosum venoso, & cætera, consentiat. Propter familiaritatem autem operis vt cum mammæ, & consequenter thorax, partibus genitalibus compatiuntur. Sic propter viciniam, ex pleuritide, frequenter fit peripneumonia, aut empyema. Apoplexia in paralysim, aut hemiplagiam transit. Ob generis familiaritatem: nerui puncturam conuulsio sequitur. Vt ex operis societate accidit, mammarum affectus, in vterinos: & tusses, in testium tumores conuerti, aut contra. e Sent. 145. f Lib. de ali. g Comm. 1. in 1. epidem. com. tex. 4.

Imminentis autem veræ metastaseos signum, est symptomatum priorem morbum consequentium nullâ humoris morbifici vacuatione, aut coctione saltem præcedente, cessatio. Fientis verò permutationis indicium, est doloris, aliorumque symptomatum, in aliud quodpiam membrum transitio. cruditatis signis perseuerantibus. Quibus indiciis humorem loco mutari, & priore relicto in alium transmitti, iamque excipi demonstratur.

Tandem pro metastaseon prognosi sciendum est, etsi nullæ in bonis integrè reponentur, tamen

eam permutationē quę fit ex affectu graniore omnino cessante, in mitiorem ad melius cedere. Eā verò quę ex leuiore morbo in deteriorem transit: vel quę ex transmissione portionis, tantùm materię morbificę nouum affectum inducit, priore non sedato in deterius ruere, & mali esse indicij.

De signis lethalibus aut periculum portendentibus.

CAPVT XVII.

QVONIAM multa sunt ad mortem spectantia de quibus Medici iudicium requiritur, an scilicet moriturus sit ęger, quando, & qua ratione, demum an ex integro quispiam sit extinctus, quomodo liceat hæc omnia sigillatim aut præcognoscere futura, aut agnoscere præsentia, docendum est hoc capite. Quæ vt faciliùs intelligantur, primò quid sit mors, & quibus ex causis oriatur inuestigandum: sic enim faciliùs illam aduentantem deprehendemus, aut præsentem agnoscemus.

Mortem nihil positiuum esse sed solam vitæ priuationem, omnibus satis superque manifestum est cumque vita sit informantis animæ in corpore præsentia, mortem eiusdem separationem & absentiam esse necessarium est. Neque miremini nos aliter quàm visum sit plurimis mortem definire: quoniam illi per euidentiora progressi, per efficientis causæ expressionem potiùs, quàm per rationem formalem, mortem definierunt; seu illam natiui caloris extinctionem, seu aliud quidpiam esse dixerint. Animam verò ab informandi actu desistere id omne cogit, quod illi modum subtrahit corpus in ea temperie & conformatione partium conseruandi quæ illi sit qualecumque instrumentum operandi. Illud enim omni actiuæ potentiæ insitum à natura est, nunquam frustra inesse in aliquo. Vtque formæ sibi conuenientes dispositiones sub determinata quadam latitudine requirunt, vt in materiam introducantur: ita illis omninò destitutæ, in disproportionata materia contineri non possunt. Ac quia præcipuum facultatum animæ instrumentum, princepsque dispositio ad operandum requisita; est certa quædam secundùm substantiam, quantitatem, & temperiem spectanda, congruentia calidi per corpus diffusi, quod humidi præsentiâ fouetur: in calido & humido vitam dispositiuè consistere, rectè asseritur. A contrariis autem calidi scilicet suffocatione, vel extinctione: seu à contrario, seu per consumptionem pabuli, mortem effectiuè nasci iure affirmatur. Præterea quoniam cor fons est, caloris in nobis, qui inde in singulas corporis partes diffunditur: vt cor ideo esse principium vitæ receptum est; ita cum Galeno, [a] non immerito asserendum est, animal mori omnino non posse, nisi cor afficiatur. Quod seu per se, seu per accidens fieri intelligendum est. Nam aliquando cor ipsum læsionem mortis causam immediatè patitur. Aliàs verò aliarum partium vehementes intemperies, solutiones continui, aut peruersæ compositiones, mortem inducunt. Non tam ratione propriæ affectionis, quàm quod vel conceptam intemperiem in cor diffundant, vel fautorum caloris spirituum effusionem causent, vel materiam his generandis vtilem cordi detrahant, vel tandem respirationem cordis calori temperando necessariam subministrare recusent. Quæ omnia si lentè fiant, & mortes lentæ adueniunt: sin repentè, tum subiti & repentini interitus consequuntur.

Verùm qualiscumque sit formalis ratio mortis, & à quocumque mors proximè procuretur: eam imminentem præuidere enixè studendum est: seu vt illi vehementiore conatu obsistamus, seu vt saltem eos quorum interest præmoneamus. Cumque tam funesti casûs vnum illud sit certum indicium, quòd morbus ad eam vehementiam peruenerit, à qua naturam opprimi necessum sit. Quibusnam signis ingens ea morbi supra naturæ vires vehementia innotescere valeat, per ea quæ se euidentiùs sensibus obijciunt, inuestigandum est.

Quoniam verò non aliunde euidentiora indicia desumi possunt, quàm ex multiplici symptomatum genere: ab his omnino discemus, quando tanta sit inflicta facultatibus noxa, ac vitali maximè, vt eam deinceps natura reparare nequiens, morbo succumbere cogatur. Hæc autem vel sunt ipsarum facultatum actiones læsæ: vel totius corporis, aut partium aliquarum qualitates mutatæ: vel excretorum & retentorum vitia. Ex quibus vt sigillatim communia imminentis, vel suspectæ saltem per morbos mortis signa eruamus, à vitiis actionum facultatis animalis incipiamus.

Inter quæ primò occurrunt actionum facultatum principum oblæsiones. Inter quas, cùm earum omnis altio sit periculosa, vt colligere licet ex secundo aphorismorum: [b] tunc verò periculosissima est, imo & proximi interitûs prænuntia, cùm simul ingens est respirationis difficultas, & tantus respirandi conatus, vt præ feruore humidæ pulmonum substantiæ, ori spuma adueniat. [c] Inter deprauationes verò, ex quarto aphorismorum, [d] quando in febre non intermittente delirium (perpetuum scilicet vt interpretatur Valesius [e]) cum difficultate respirandi acciderit, lethale. Ab his enim

a Lib. 5. de locis aff. cap. 1

b Aphor. 42. Sect. 2. aph. 41

d Aphor. 50.

e Com. in cit. aphor.

maxima cerebri noxa indicatur, aut ingens inflammatio diaphragmatis; quæ maximi periculi plena est. Item, [f] desipientiæ quæ circa necessaria sunt, pessimæ: & quæ ex his ingrauescunt, exitium portendunt. Sed & desipientiæ quæ iam admodum fractis & debilitatis viribus succedũt, pessimæ sunt. [g] Item qui in febribus acutis, aut phrenitidibus, aut pulmoniis, aut capitis doloribus, manus ob vultum fert aut frustra venatur muscas, aut colligit festucas, aut de veste euellit pilos, aut de pariete stipulas carpit; id omne malum exitialeque est. [h]

Talia enim significant à febris immanitate facultatem imaginandi deprauatam esse, oculisque tenebras offundi. Sed & aduertimus plerumque morituros de discessu loqui, quasi peregrè sint abituri: incognito nobis more hunc patientes imaginationis errorem.

In homine prætetea moderato, [i] ferox & audax responsio & vox acuta, malum portendit: quia phreniticum est.

At lethale, si simul his præcordia intro trahantur, & tendantur. Talia enim ex ingenti interna inflammatione orta, non sine graui periculo apparent.

f Sent. 98. coacar.
g Sent. 100. coacarum.
h Sect. 1. prog. tex. 23.
i Sent. 91 coacarum & lib. 1. prorrh. sect. 2. tex. 9 & 10

Quod ad sentientes autem facultates externas pertinet: sic habet Hippocrates, [k] si in febre non intermittente quispiam sic lædatur, vt non videat (aut ex sectione prima prognosticon, [l] illi obtutus squalidus, & sine splendore reddatur) vel non audiat, iam debili corpore; quoniam ab his non solùm vim animalem prostratam esse significatur, sed iam etiam penè extinctum esse innatum calidum, quod effulgescere in oculis solet, mortem in propinquo esse iudicio est. Item ex Coacis, [m] non sitire, si sitiendi causa insit, presertimque in continuis febribus, citra distillationem à capite, malum. Seu quod delirium adesse significetur; vt qui dolorem non sentiunt his mens ægrotat: [n] seu quòd peius est, sentientem ventriculi facultatem extinctam esse exinde appareat: vt ex comment. primo in tertium Epidemion ex Galeno [o] colligimus. Ac tandem [p] in quo morbo somnus laborem facit, præsertimque vt exponit Galenus [q] in accessionum declinationibus, mortiferum. Postremò, dolores cum perseuerantia febris, lumbos & inferas sedes relinquentes, si præcordia attigerint (ob recursum materiæ in partes principes) sunt admodum exitiales. [r]

k Lib. 4. aph. 49.
l Tex. 10.
m Sent. 58. & lib. 1. prorrhet. sect. 2. tex. 21.
n Lib. 2. aph. 6.
o Com. tex. 11
p Lib. 2. aph. 1.
q In Comm. 2 Hipp. sect. 2. prog. tex. 70.

Deprauationes autem actuum facultatis motricis funestè apparentes hæ sunt. Si acutè ægrotans ipso morbi principio, sibi grauis esse appareat dum se mouere contendit, & reliquo corpore, & manibus, & pedibus periculosè habet. Cui si præter grauitatem, vngues quoque ac digiti liuidi fiant: præter ingentem imbecillitatem à vehementi oppressione ortam, caloris etiam extinctionem indicando, continuò vt scribit Hippocrates, [s] mors expectanda est. Huc quodammodo etiam pertinent, quæ antea de muscarum venatione, festucarum collectione, ac simili vano manuum errore (quem Græci referente Aureliano, [t] crocydismum, seu carphologiam vocant) diximus. Talia verò tum maximè exitialia sunt, cùm iam imbecillo ægro adueniant: quoniam inde ingens imbecillitatis incrementum significatur. Omnia enim iam ante debilitatorum deliria ex Coacis, [u] pessima. Sed præterea [x] si tremores in intensa phrenitide appareant, non solùm quòd alienati cerebri sint symptomata: sed etiam quod vitæ opes exhaustas esse significent, lethale est. Decubitus item in quo procliuis est æger, ac subinde deorsum ad pedes illabitur, in magno periculo versatur. [y] Quod vt ait Galenus, [z] ingens in se imbecillitas significetur facultatis corpus regentis. Quam virium deiectionem, in qua instar corporis inanimati omni robore prorsus & soluto & perdito, ægri prolabuntur in pedes, Hippocrates, [a] aduertente Galeno, [b] vocauit [illegible]: præter quæ etiam stridere dentibus in febribus, quibus non est à pueritia consuetum insaniam notat, [c] læso sentiendi principio: ac mortem si iam deliranti superueniat stridor; quia magnæ imbecillitatis, aut conuulsiui affectus est signum.

s Sect. 2. prog. tex. 7. & 8.
t In præfatione lib. 1. acutarum pass.
u Sent. 100.
x Sentent. 97. coacar.
y Hipp. sect. 1. progn. tex. 24
z In comm. eiusd. tex.
a Lib. 1. de humo. tex. 24
b Lib. de tremore & palp. & c. cap. 4.
c Sect. 1. prog.
d Aphor. 49.

Item si labrum, aut supercilium, aut oculus, aut nasus peruertatur, maximè iam debili corpore, prope mortem esse scribitur quarto aphorismorum: [d] quòd natura iam debilis, conuulsorio & graui adueniente affectu, facilè opprimatur. Ita si rigor incidat, febre non deficiente, ægro iam debili lethale est: [e] cùm natura iam imbecillis inutilem agitationem, & dolorosam concussionem ferre nequeat. Et à rigore perfrictiones quæ ad calorem non reuocantur, malæ [f] extinctionem enim caloris in ægrotante significant. Conuulsio item ab inanitione, & vacuationem seu artificiosam, seu spontaneam consequens lethalis est. [g] Quòd ab ea vacuatione tanta partibus nerueis procurata exsiccatio vt præ dolore, cerebro in consensum tracto, conuulsionem inducat, emendari nequeat, mortemque inferat.

e Sect. 4. aph. 46.
f Lib. 1. prorrhet. tex. 65.
g Sect. 5. aph. 2. 3. 4. & 25.

Quicumque præterea à distentione [per ardentes febres scilicet vt exponit Valesius] capiuntur, quatuor diebus pereunt: [h] quos si effugerint causâ mitiore existente, & distensione humoris defluxum consequente, sani fiunt. Pereunt autem illi, vel exhaustis viribus à vehementia doloris, vel ratione interceptionis respirationis.

h Sect. 5. aph. 4.

Vitalis facultatis vehementes læsiones quæ imminentis mortis certissima sunt indicia, ex pulsu aut respiratione innotescunt. Pulsûs abolitio summam facultatis imbecillitatem insinuans mortis

appro-

appropinquantis est signum. Post ἀσφυξίαν autem, pulsus maximè lethales, sunt languidissimi: quales sunt formicantes. Qui acutas syncopas comitantur, [i] quæ ex cordis corpore essentialiter affecto, imò verò & maligna febre tentato fiunt. Nam vt docuit Galenus, [k] pulsus formicantes facultatem quæ à febre cachoëte dissoluitur consequuntur. Myuri omnes vt imbecillitatem vitalis facultatis arguunt, ita nullus periculo vacat; præsertim si ab exolutione, non item ab oppressione facultatis nascantur. Myuri tamen in vnico ictu, deteriores myuris in aceruo, vt asseruit Saxonia: [l] quoniam maiorem imbecillitatem significat, à vehementiæ aut magnitudinis motûs tenore deficere in vna pulsatione, quàm in diuersis. Pessimi autem in vtroque genere existunt deficientes; maximéque non reciprocantes. Intermittens pulsus nisi is naturalis sit vt solet esse quibusdam, minùs quidem periculosus est in pueris, nullius periculi in senibus, in iuuenibus autem & adultis maximè periculosus ex Galeno est, [m] præsertim si frequens sit intermissio. Quæ item quò longior est: eò periculosior existit: ac maximè si paruitas, raritas, tarditas, & langor illi coniungantur.

i Gal. lib. de pulsib. ad tyrones cap. 11.
k Lib. 3. de causis puls. cap. vlt.
l Lib. 1. de puls. cap. 101.
m Lib. 3. de præs. ex puls. cap. 4.

Cum enim summæ imbecillitatis hæc sit nota, mortem esse in propinquo significabit. Vermiculans item qui nullam sensibilem euacuationem consequitur, interitum prænunciat quoniam is imbecillitatis per essentiam semper est index: at qui præter rationem, non ex vasorum vacuatione imbecilli fiunt, ex Coacis, [n] malo sunt loco. Est & conuulsiuus periculosus si in acutis febribus appareat; vt enim febri conuulsio superueniens malo est, [p] ita & conuulsiuus pulsus febri adnascens, periculo plenus. Tremulus item impropriè dictus qualem nos præcedenti tractatu, [q] descripsimus, in acutis febribus ingentem facultatis animalis imbecillitatem arguens interitum minatur. In longis tandem morbis caloris extinctionem imminere ex Galeno, [r] indicat pulsus longus, angustus, & humilis: qui admodum paruus vsu penè exoluto, longus ob ingentem maciem sentitur.

n Sent. 50.
p Sect. 2 aph. 26
q Lib. 6. c. 6. ad form.
r Lib. 1. de præs. ex puls. cap 4.
s Sect. 1. prog. tex. 24.

Signa lethalia quæ ex respiratione petuntur, sunt ex Hippocrate [s] primùm spiritus qui simul celer est & magnus. Is enim inflammationem notat in regionibus quæ sunt supra præcordia, hoc est supra diaphragma. Quæ affectio periculi semper plena est. Item qui cum raritate paruitatem coniunctam habet. Siquidem is extinctionem caloris natiui, ex Galeno, [t] portendit. Talem verò spiritum Hippocrates, per qualitatem aëris expirati exprimens, frigidum appellauit, & admodum exitialem dixit. Atque eò magis futurus est hic exitialis; si iuxta eumdem Hippocratem, [u] nares quidem spiritum frigidum reddant, per os item autem calidus vapor exeat. Calore quidem cordis eò vsque remisso, & calido eiusdem sic exoluto, vt inspiratus aër incalescere nequiens frigidus expiretur: calido autem putredinali, seu exhalationibus materiæ intra vasa putrentis, largè per ambitum oris euaporantibus. Præterea ex aphorismis, [x] luctuosa suspiria, qualia scilicet pueris lugentibus solent accidere, in acutis passionibus & quæ febrem habent comitem, praua feruntur. Quòd à motu conuulsiuo musculorum thoracem mouentium oriantur, & initium conuulsionis indicent. Quæ acutæ febri superueniens, semper periculum mortis inducit.

t In com. cit. textus.
u Lib. 6 epid. sect 4 tex. 30
x Lib 6. aph. 54.

Naturalis facultatis vitia lethalia se maximè per excrementa manifestant: de quibus mox. Interim cruditates ad summum vigorémque vsque morbi acuti perseuerantes, certum periculum minantur. Aliàs ex Galeno, [y] cruditates longitudinem quidem ægritudinis insinuant, moriturum autem vel euasurum ægrum minimè demonstrant. Item inanes omnes spontaneæ vacuationes, [z] imbecilli naturâ sæpius irritatâ apparentes, malæ. Necnon & periculo plenæ abscessuum repentinæ disparitiones & retrocessiones, vt supra explicuimus, ipso Hippocrate monente. [a]

y Cõ. 1. aph. com. aph. 12.
z Cap. 25.
a Sect. 2. pro. tex. 68.
b Lib. 4. aph. 48.

A qualitatibus mutatis hæc inter cætera futuræ mortis signa mutuamur. Primò si in febribus non intermittentibus, externa frigida sint, interna verò vrantur, & sitim habeant inquit Hippocrates, [b] [licet idipsum, siti etiam per extinctionem facultatis non apparente, sit verum] lethale. Seu id statim appareat vt pathognomonicum in lypiria, calore ab inflammatorio affectu ad intra reuocato: seu in acutis aliis accidat, vt epigenomenon vehementioris febris, quod periculosius est, calido scilicet habitûs corporis iam dissipato, & putredinali in intimo corporis crassioti materiæ adhærente. Liuidus præterea totius corporis color, qualis in percussis, aut demorsis à venenatis animalibus nonnunquam apparet: vel in his etiam qui venenum hauserunt, extremam perniciem indicat: natiuo calore iam penè extincto.

Cadauerola item illa facies ab Hippocrate descripta, [c] in qua nasus acutus, oculi concaui, tempora astricta, aures frigidæ, & contractæ fibræque earum versæ, ac cutis circa frontem dura intenta & arida, colórque totius vultus plumbeus aut luridus, si non à vigiliis, mœrore, fame, aut vacuatione manifesta talis aduenerit, præsentaneum est mortis indicium: humidi consumptionē, & calidi etiam extinctionem significans. Considerare etiam conuenit ex eiusdem Senis præscripto, [d] suspectiones oculorum in somno: si quid enim candidæ partis subapparet commissis palpebris, nec alui fluor, aut medicamentum in causa sit, neque ita dormire consueuerit æger, vitiosum id signum est, atque admodum lethale. Quoniam id fit propter imbecillitatem facultatis palpebras mouentis, quam admo-

c Sect. 1 prog. tex. 6. & 7.
d Eodem 1. progn tex 12. & 6 aph. 52.

dum

dum imbecillem esse exitiale est, quoties à causa exteriore non prodierit: amissus item & obtenebratus oculorum splendor habetur in malis: hinc enim spirituum vigorem deperire significatur. Oculi autem vt valent ex Hippocrate, [e] ita & totum corpus. Si præterea peruertatur aut liuida fit palpebra, aut labrum, aut nasus, cum aliquo alio funesto signo, mortem propè esse sciendum est. Lethale item est, ex eodem, [f] si labra resoluta & suspensa, & frigida, & alba fuerint, plurimùmque in eo statu perseuerent: cùm in animi deliquiis talia citra interitum adueniant. Moriturum item ægrum prænuntiat, si quod fuerit in ægrotante vlcus, aut liuidum, aut siccum, aut pallidum reddatur: [g] partis calore marcescente, & rectrice membri facultate fatiscente.

e Lib. 6. epid. sect. 4. tex. 28
f Sect. 3. prog. tex. 12.

Tandem lethalis est in morbo acuto ea hypochondriorum constitutio, in qua hypochondrium intentum est, durum, & dolens: [h] ab inflammatione scilicet, quæ si magna fit, breui adfuturæ mortis periculum minatur.

g Hip. sect. 1. prog. tex. 22.
h Colligitur ex Hippocrat. sect. 3. progn. tex. 27. 29. 30 & 36.

Vltimò excrementorum qualitas & modus, imminentem ægrotum interitum multifariam indicant. Ac sudores primùm ad exitium apparent qui frigidi sunt cum acuta febre. [i] Ita & qui circa caput, vultum, & ceruicem tantummodo eueniunt; [k] Hi enim licet frigidi non sint, vt monet Galenus, [l] oppressionis tamen, vel exolutionis facultatis naturalis in principe membro, cerebro scilicet indices, si cum acuta febre fiant, syncopem minantur, & adfuturæ mortis periculum insinuant. Si verò circa tales partes frigidi cum febris acutie appareant, pessimi omnium existunt: quippe qui non insuper fore, sed iam incipere syncopem indicant.

i Hip. 4. aph. 37.
k Idem sect. 1. progn. tex. 26.
l In commen. eiu. textus.

Vrinæ præ cæteris exitiosæ ex Hippocrate, [m] sunt aqueæ cum acutis febribus apparentes. Quæ tantam cruditatem indicant, quantam natura superare non possit. Ab his fœtidæ: quòd ingentis putredinis sint notæ. Nigræ item liuidæ, & virides: seu crassæ sint, seu tenues. Etenim omnes huiusmodi ingentem æstum significant. Nisi in analogis affectibus, quæ per confusionem sunt crassæ, cum ægri tolerantia mingantur.

m Sect. 2. pro. tex. 32.

Inter has autem minus perniciosæ sunt crassæ: nisi hæ & extra crisim, & nimiùm sint tales. Tunc enim & magnam vitiosi succi copiam, & magnam inconcoctionem notant: quæ in acutis affectibus si cum aliis signis lethalibus coniungantur, mortem portendunt. Ex lethalium etiam ordine sunt oleaginosæ, quæ quoquo modo perseuerantes, semper lethales existunt, continuam colliquationem indicantes.

Vomitiones etiam sua habent ad mortem præsagiendam indicia Porraceæ enim, liuidæ aut nigræ, malæ censentur. [n] In acutis quidem febribus: quoniam in his ab ingenti æstu tales succos genitos esse significantur. In tardis autem & diuturnis morbis, tertianis, quartanisque febribus, aut tumore lienis salubriter aliquando vomuntur. At omnium colorum excrementa vomere, [o] exitiale admodum est: ob magnitudinem cacochymiæ, quam præ magnitudine & varietate humorum natura superare nequeat. Ocyssimam verò abolitionem indicat vomitio liuida, si graue olet. [p] Quoniam inde extinctio caloris ab insigni putredine orta significatur. Omnes enim subputres ac fœtidi odores, in omnibus vomitionibus mali sunt. Nam vt ait Galenus [q] cuiuis affectioni permisceatur putredo, ea seipsa deterior euadit.

n Hipp. sect. 2. progn. tex. 39
o Idem sect. eadē tex. 40.
p Ibid. tex. 41
q In comm. tex. 42.

Egestiones demum si atrabilariæ sint funestæ censentur; præsertim in morborum principio. Nam ex Coacis, [r] febrienti, si atra bilis in principio supra vel infra prodierit, lethale. Quod vniuersaliùs prolatum fuit in aphorismis, [s] morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis supra vel infra exierit, mortiferum. Quin imò, quibuscumque ex morbis acutis, aut diuturnis, vel ex vulneribus, siue alio quouis modo extenuatis: bilis nigra, aut quali sanguis niger effluxerit, postridie moriuntur. Quòd imbecillitas ingens quæ ab extenuatione nascitur, aliunde orta quàm à causis procatarcticis, & prauitas intemperaturæ viscerum humores tam alienos à natura generantis, diu nequeant simul perseuerare.

r Sent. 68.
s Lib. 4. aph. 21.
t Lib. eodem aph. 23.

Præterea exitiosæ admodum sunt nigræ deiectiones, vel pingues, vel liuidæ: [u] vel vt legit Valesius, æruginosæ præsertim fœtidæ: ob causas supra [x] explicatas. Quinimo versicolores spontanee excretæ, [y] si prauis coloribus sint infectæ, ex multiplici cacochymia, plurium partium vitium indicantes, funestæ sunt. Nam quò plures partes sunt in vitio eò res ægri peiore sunt loco. Nec miremur, Hippocratem [z] dicere deiectiones eiusmodi diuturniores esse & nihilominus exitiales. Id enim Valesio interprete ita intelligendum est, vt velit Hippocrates si qui ab huiusmodi excretionibus superfint, eosdem tardiùs conualescere, quòd ad superanda multiformia excrementa longiore tempore fit opus, quàm ad id euincendum quod vnius est generis. Vltimò in grauibus omnibus morbis tam acutis quàm diuturnis, naturâ iam aliunde imbecillâ apparente, fluxus ventris adueniens, imminentis mortis indicium est: exemplo tabe laborantium aphorismo duodecimo libri quinti. Vbi quibuscumque tabe laborantibus capilli à capite defluunt, his alui profluuio superueniente, moriuntur.

u Sect. 2. pro. tex 22. & 23.
x Cap. 1
y Ex aph. 14 lib. 4.
z Cit. sect. 2. prog tex. 23.

Postremò

Postremò,[a] excretiones quæcumque quæ paruâ copiâ apparent, velut stillæ sanguinis, vrinæ, vomitiones, & deiectiones, malæ. Sed omnino deteriores, si breuibus interpositis interuallis sæpius recurrant. Quò enim frequentiùs natura frustra tentat peccantis succi excretionem facere: eò magis suæ imbecillitatis labem detegit.

Ex quibus omnibus artificiosè pensatis, cùm nobis modus pateat præuidendi num moriturus sit æger: discendum, iam est quomodo tempus mortis prænoscatur.

Quod licet cognitu difficillimum sit, tamen tunc expectanda mors est, cùm natura aduersus causam noxiam sit actiùs pugnatura: siue id venturum sit die septimâ, siue decimâ quartâ, aut aliâ quauis critica. Etenim quemadmodum si circa id tempus naturæ vis fuerit morbo superior, tunc speratur salus: ita si ea inferior extiterit, eodem tempore timendum ne æger intereat. Tunc enim ægrotantem interire necessarium inquit Galenus,[b] quando vires morbo succubuerint. Sed quando, & quoto die id præcisè euenturum sit certò cognoscere, vix nobis vnquam conceditur. Attamen quàm proximè fieri potest, hoc ipsum à consummato Medico præsagiri oportet: cum noscat quando per singula morborum tempora tum vniuersalia quàm singularia, morituri sint ægri. In declinatione enim vniuersali nullos mori contingit. Quoniam fieri non potest, vt supra docuimus ex Galeno,[c] morbo à natura euicto ægrum interire. At in principio, & intra primum quaternarium, tunc solùm moriturum quempiam suspicandum est, cùm signa omnia affectûs incipientis mala erunt, & morbus naturæ vires magno excessu superabit. Si verò aliquanto minor fuerit naturæ imbecillitas, ita vt ea possit aliquantulùm affectûs vehementiæ resistere: mortem in ægritudinis augmentum differendam, coniectandum est. Sed eam citra manifestum naturæ cum morbo conflictum affuturam. Siquidem cùm natura pluribus gradibus à morbo superatur, illa (vt notat Galenus)[d] aduersus hunc nullum init certamen. Quòd si naturæ vis morbo quidem sit inferior, sed eò vsque valida, vt audeat cum aduersario congredi: interitum ad statum vsque tardandum, iudicandum est.

Sed quo demum die periturus sit æger, certò efferri vix potest. Nam vt docuit Galenus,[e] determinati quidem sunt atque ordinati naturæ motus, cùm ea valida materiæ dominatur, suisque propriis rationibus operatur: indeterminati verò sunt, inordinati, atque adeo incognoscibiles, quando succumbit. Verùm vtcumque id etiam Galeno ipso indice,[f] coniectari possumus. Cùm enim natura morbum aggressa, conatus quosdam exerat, & sui enixûs indicia proferat per quaternarios, aut septenarios: eo die moriturum ægrum expectandum est, qui proximè futurus est decretorius, post eum indicem in quo periculosa & lethalia signa morbi victoriam indicantia apparuerint. Aliquando tamen præ celeritate morbi, & vehementia symptomatum; tum quòd extrinsecus erratum sit: mors indicatum diem præuenit.

Contrà, si quæ in contemplabili diu mala apparuerint indicia, obscura fiunt: tunc æger, vt ab eodem Galeno[g] indicatum est, decretorium proximè subsequentem excedat. Quod præsagium vt fiat exactiùs, aduertendum præterea est, num morbus per impares dies an per pares exacerbari consueuerit. Nam quibus exacerbationes fieri sunt solitæ, eisdem mortes adueniunt.

Quo vero particulari accessionis tempore quispiam sit moriturus; vt & proximè mortis horam prædicamus, duobus modis coniectatur Galenus, primò quidem[h] ex prægressa animaduersione quo cuiusque accessionis tempore deterius habere æger consueuerit: pari enim eumdem interiturum credendum est. Secundò,[i] quòd deceat eos qui propter materiæ multitudinem, vel crassitiem, aut internæ inflammationis magnitudinem exitialiter laborant; in paroxysmorum aut exacerbationum principiis interire; quoniam dum humores concitantur & commouentur, contingit calorem ad intra recurrentem suffocari.

In statu verò perire illos quorum natura morbi vehementiâ opprimitur: per statum enim, morbi vehementia maxima est. Tandem in declinatione particulari eos extingui, qui exhaustis spiritibus ob morbi diuturnitatem exolui intereunt. Cùm enim contingat per tria priora morbi particularis tempora spiritus quodammodo intro recludi parciùs per eadem exoluuntur: inclinante vero accessione, & naturâ conante partes singulas nono spirituum influxu recreare, facillimum est paucas reliquias exolui. Vnde qui sic pereunt quasi animo linquantur intereunt.

Quod verò ad modum mortis pertinet, num suffocatione, an dissolutione, aut mixtim vtroque casu concurrente, periturus sit æger: ipsa morbi species & locus affectus ex Galeno[k] demonstrabũt. Morbus enim omnis qui à repletione, obstructione, aut compressione, à materia multa aut crassa, cum tumore aut citra illum, cum fluxione aut sine illa; in corde, pulmone, thorace, gutture, faucibus, cerebro, vtero, arteriisque omnibus ac venis consistit: suffocatione finitur. Morbus autem omnis vel inanitionem inducens, vel ex ea nascens: dissolutione, seu vitalem facultatem deiiciendo perimit. Tales sunt ex Galeno,[l] ingentes omnes intemperies sine materia cordi impressæ, Siue illæ per se ab initio illud occupauerint; seu eædem alia primùm viscera tenuerint. Nec non seu illæ qualitati

venenatæ

[a] Ex sentent. 600 coacar.
[b] Lib. 3. de crisib. cap. 5.
[c] Lib. 3. de crisi, c. 5. & 9
[d] Eodem 3. de crisib. cap. 9.
[e] Citat. 3. de crisib. cap. 10.
[f] Lib. 2. de dieb decr. c. 11
[g] Ibidem.
[h] Lib. 1. de dieb. decr. c. 12.
[i] Citat. lib. 3. de crisib. c. 9.
[k] Lib. 4. de praes. ex puls. cap. 11.
[l] Loco eodem.

venenatæ focientur, feu fine illa excitentur. Item immodica omnis euacuatio, diuturnique & vehementes dolores. Tum ftomachici illi affectus à quibus fyncopes excitantur. Iecinoris præterea diuturni morbi, propter quos corpus alimento, & cor fuo genio defraudatur. Atqui vtriufque caufæ eft particeps: vt peftilens omnis affectus, febris ardens, & quæ ab internis inflammationibus excitantur: vtroque modo, tum fuffocatione, tum diffolutione interimere poteft.

Tandem quomodo mortui ab adhuc viuentibus diftinguendi fint, explicandum reftat. Nam licet in plurimis ingens expiratio quam manifefta refpirationis ceffatio fequitur, fufficiat ad mortem certo indicandam: in apoplecticis tamen, & hyftericis mulieribus, hæc nondum funt certa perfecti interitûs figna.

Quos non vel leuiffimè refpirent, quafi refpiratione viuens à non viuente diftinguatur probare multi confueuerunt.[m] Vel enim lana carminata, aut goffipium carminatum, aut candela tenuis accenfa naribus admouetur: quæ fi vel minimum à magis ocularis agitari videantur (ventis omni aditu in cubiculum negato. & femotis ab ægro ijs qui exfufflando experientibus imponant) adhuc talis refpirare credetur. Vel ad idipfum explorandum, cyathus aquæ exactè plenus, ad imum fternum propè cartilaginem xyphoidem apponitur: qui fi à moto diaphragmate vel leniffimè moueatur, aquæ portionem aliquam effundens, obfcuram teftare refpirationem indicio erit. m Gal. lib. 1 de loc. affect. cap. 5.

Vel fpeculum probè mundum & ab omni labe purgatum ori admouetur, quod à leuiffimè refpirante infectum, vitæ reliquias fupereffe fignificat.

Verùm quoniam ex Galeno,[n] ob vteri affectum perit aliquando refpiratio, folâ ea quæ in arteriis fit tranfpiratione manente, quam tamen refiduam nec interceptam tranfpirationem fenfu difcernere non poffumus: merito Ecclefiæ decreto fancitum fertur, quofcumque derepentè extinctos: feu hi apoplectici fuerint, feu mulieres hyftericæ, feu alterutrius fexûs grauiorem fyncopem paffi: nullo etiam apparente refpirationis indicio, per horas faltem viginti quatuor feruandos effe, antequam fepulturæ dentur, vt communi omnium matri credantur: ne quod frequenter accidit reanimes ex funere referantur, aut tumulati fpiritum reaffumentes defperatione capti, & in ferinam rabiem verfi, propriis digitis & manibus erofis, nufquam reuocandi pereant. Sed quoniam etiam contingit nos plerumque laborare in difcernendo, num recens ab vtero exclufi, aut exfectâ aluo educti, viuant: aduertendum frequenter expulfatione arteriæ vmbilicalis, faciliùs quàm aliunde difcerni id poffe. n Ibidem.

De vniuerfalibus præceptis ad prognofim rectè inftituendam neceffariis.

Capvt XVIII.

Cvm tria fint apud Galenum[o] quæ Medicum præfagire oportet, num fcilicet morbus ad falutem an ad exitium inclinet; tum quo potiffimum tempore alterutrum fit euenturum; & demum quinam falutis aut mortis futurus fit modus: vt ea artificiofiùs prænofcere valeamus, tria omnino nobis perquirenda veniunt. Quorum primum eft quantus fit naturæ virium fupra morbi vehementiam exceffus, aut contra. Etenim cùm à morbo euadere nullum contingat, quin natura fit morbo fuperior; nec moriatur quifquam, quin natura morbo fuccumbat: fieri non poteft futuram fanitatem præuideri, aut imminentem interitum præcognofci, nifi quis è duobus fit altero, in duello fuperior ante difcernatur. Secundò fciamus oportet, in his quidem quos fanandos fperamus, quàm magna fit aut parua materiæ peccantis refiftentia, ad naturæ cuiufque robur comparata, vt celeriùs aut tardiùs ad pepafmum deducta intra plures aut pauciores dies, vel infenfibiliter exoluatur, vel feorfim expellatur. In aliis verò quos morituros fufpicamur, quam magna aut parua fit naturæ imbecillitas ad diutiùs aut breuiùs ferendam morbi vehementiam, & plus aut minùs animalis interitum differendum. o Lib. 4. de praef. ex pulf. cap. 11.

Tertiò tandem difcendum, vel quomodo naturæ vires poffint fe à materia morbi caufa pro eius fubftantiæ modo & copia, pro ægrotantis habitu, & anni tempore extricare: vel quomodo morbus offendendo procedat, vt conijciamus quomodo is fimiliter progrediendo naturam fit oppreffurus.

Quod ad primum ergo pertinet, non ea folùm contemplari oportet quæ in ægris apparent, nobifque præfentia funt: fed ea etiã artificiosè perquirere quæ funt præterita. Principio quidem qualis effet naturalis ægrorum conftitutio, tum ex his quæ de temperamentis agentes diximus

coniectandum, tum sedula perquisitione ab ægris, eorúmque familiaribus addiscendum, quales sint ægrotantis propensiones, & mores, quæ victus ratio, quæ artes, quæ idiosyncrasiæ: vt quantum à naturali statu præsens affectus absit intelligamus. Hippocrate enim docente,[b] in morbis minùs periclitantur, quorum naturæ, ætati, & habitui, & tempori congener est morbus, quam quibus nulla ex parte est consentaneus.

b Lib. 2. aph. 34.

Quòd si propriam cuiusque naturam quantum deceret cognoscere nequeamus; ex communi omnium natura, iuxta Hippocratem, [c] conijcere oportet, quantus sit ille præsentis ægritudinis à natura recessus.

c Lib. 1. epid. sect. 3 tex. 2.

Postmodum omnia præsentis affectus symptomata sunt exactè percurrenda, vt per illa in morbi cognitionem ducamur, eiusque speciem, magnitudinem, morem, tempus, & motum distinctè cognoscamus. Mox eadem in classes ita sunt distinguenda, vt quæ ad singulas principes facultates, naturalem, vitalem, & animalem pertinent; in singulas classes referamus: & exinde in singulis classibus, hinc bona, inde mala discernamus.

Quæ vbi sic digesta discretaque fuerint, expendere conueniet quanta sit singulorum vis: vt præceptore Hippocrate, [d] eadem inter se comparando, & bona cum malis conferendo, quanta sit cuiusque facultatis vis, quantáque imbecillitas quàm licebit exactiùs cognoscamus. Et ex communi facultatum robore aut langore, totius naturæ vires aut imbecillitatem assequamur. Vbi aduertendum est nos imbecillitatis nomine non tam intelligere momentaneam & breuem exolutionem, * quæ aliqualem spirituum animalium dissipationem à causis procatarcticis excitaram sequatur: quàm permanentem, quæ ab intemperie principum membrorum cordísque maximè substantiæ inhærente nascatur. Ita robur constans esse volumus.

d Sect. 1 prog. tex. 37.

* Videatur Gal lib. 4 de præs ex puls. cap. 11.

Non enim illi fidendum est, quod per leue momentum durans, medico artificio ad tempus procuratur. Meminisse præterea oportet cuiusque facultatis infirmitatem aut robur non eiusdem esse momenti, ad totius naturæ vigorem langorémque coniectandum, maximi enim facimus vitalis facultatis robur, cùm inde vigor cæteris etiam concilietur, vt eâdem infirmâ) reliquas valere minimè sperandum est. Mox à vitali quæ ad naturalem facultatem spectant magis æstimamus: quod ab hac coctiones, secretiones, & excretiones succorum peccantium expectare oporteat. Omnium minimi facimus animalis facultatis integritatem, aut viria; si respirationem dempseris vitali famulantem, tum delirium in quo ægri remedia alimentáque auersantur: cum nec naturam fouere sine alimentis, nec morbo artis industriâ sine remediis aduersari valeamus.

Quibus omnibus cumulatim agnitis, ex Galeno, [e] naturæ vires sic conferte cum morbo conuenit; vt cognitâ hinc affectionis specie, curabili, vel incurabili; loco affecto, quòd is sit pars princeps, officialis, aut alia planè ignobilis; deprehensâ causâ leui aut vehementi: benignâ aut cacoëthe; nec non perspectâ morbi magnitudine, aut tenuitate: motu celeri aut tardo: more benigno aut maligno, ac demum tempore: inde verò naturæ viribus integris aut imbecillis: vter horum alterum superet deprehendamus. In quibus conferendis hæc sunt aduertenda. In morbi specie curabili robustas quidem vires longè esse morbo superiores, imbecillas verò ita contendere vt morbum per se curabilem longiore tempore superent, vel etiam ab eodem pro maiore imbecillitate superentur. Locum affectum principem aut officialem qui plurimum ad vitam faciat; demonstrare morbum ad imbecillibus viribus vinci non posse, à robustis non facilè superari. Causam vehementem & malignam, non nisi ab integris viribus, nec facilè reprimi. Magnos morbos, valenti naturæ magnum negotium inferre, imbecillam opprimere. Celeres affectus, infirmam naturæ vim facilè subigere, tardos posse etiam ab imbecilli natura remediis adiuta euinci. Benignos, longiore saltem tempore à natura superati: at cum malignis, firmas etiam vires periclitari. Ac demum incipientes morbos faciliùs [cæteris paribus] domari, quàm progressos.

e Lib 3. de crisib cap 5.

Quæ ergo ad morbum spectant quomodocumque occurrat inuicem combinari, si cum facultatum aut naturæ corpus regentis robore conferantur, & pateat naturam esse morbo inferiorem mortis periculum adesse denunciabimus: certius quidem, aut minùs certum, pro maiori aut minori ex essu vehementiæ morbi supra naturæ vires.

Si verò naturam superiorem esse constet, adfuturam salutem prædicemus: modò nulli interueniant errores qui Medici spem eludant.

Aduertendum autem est in conferendis singularum classium signis bonis cum malis, non oportere euentum futuri casûs prænunciare, pro maiore tantum numero horum aut illorum: sed significationi eorum credendum esse, quæ numero simul & viribus, aut significandi iuribus saltem contraria superant: vt ex Hippocrate, [f] & Galeno, [g] didicimus.

Vti enim nunquam vni & solitario signo, iuxta Pergamenum [h] credendum est.

f Cit. sect. 4 prog. t x. 17
g Comm 4. in lib. acut com tex 61.
h Com in cit. tex. 37 sect 3. prognost.

Ita

Ita neque ea quæ plura sunt numero, omnino paucioribus sunt potentiora, nisi quæ vtrusque sunt ordinis ad significandum sint æqualiter efficacia.

Nam plerumque signum vnicum efficacis notæ, eodem Galeno authore, [i] multis debilibus in significando fidelius existit. [i Lib. 3. de crisib. cap. 23]

Quæ autem ad morbi, vel naturæ vim, aut imbeccillitatem indicandam fortiora sint, aut debiliora: tum ex his quæ toto hoc opere fuere à nobis explicata: tum ex libris aphorismorum, prognosticon, prorrheticon, aut Coacarum prænotionum Hippocratis: necnon & ex libris de crisibus & de diebus decretoriis Galeni disci facillimè potest.

Ex quibus interim colligere possumus, morbum ab ijs vehementiorem prodi, quæ ægrum à sibi naturali constitutione longiùs distrahunt: aut quæ facultatum actiones ad vitam continuandam magis necessarias, grauiùs offendunt. Contra, naturam eò robustiorem indicari, quò actionum ad vitam tuendam necessariarũ integritas euidentior erit, præsertim si ex Galeno, [k] nulla præcipua pars in corpore morbum (aut æqualis scilicet intemperaturæ aut alterius generis, in facto esse) conceperit: sed potiùs morbus, humorum in conceptaculis conditorum vitio, sit in fieri. [k Citat. com. in tex. 37. sect. 1. progn.]

Sciendum præterea est, signa quæ ex se mala sunt, non semper & in quibusque idem periculum portendere: sed prout quæque magis aut minùs à cuiusque natura aliena sunt: Quæ præterea prout cum huius aut illius infirmis viribus coniunguntur, eadem deteriora fiunt; mortem vel mox etiam futuram præsagientia.

Quæ si minimùm à talis ægri naturali statu absint, vel cum robustioribus ægrotantis viribus appareant: morbi tantùm longitudinem significabunt. Ita solet Hippocrates varias signorum syndromas, aut singularium symptomatum casus referens, non ijsdem vocibus signorum malitiam exprimere: sed ea aliquando σφαλερὰ idest periculosa vocat, & à quibus praui euentûs periculum licet incertum imminet. Quæ vox plerumque etiam remediis & auxiliis medicis non appositè vsurpatis, ab Hippocrate tribuitur. Quæ verò ex morbosis symptomatibus incerti & periculosi euentûs, ac difficilis iudicij sunt notæ: ea δύσκριτα appellat. Κακὰ verò & mala, καὶ οὐκ ἀγαθὰ non bona, φλαῦρα item mala, καὶ πονηρὰ laboriosa nuncupat ea, quæ cum mala sint, ab aliis tamen bonis signis simul apparentibus vinci & superari possunt. Κάκιστα seu pessima, ea nominat quorum tanta est prauitas vt etiam bona signa quæ simul coniuncta sint superent: vel quòd nulla illis bona, periculi indicationem minuentia socientur. Ac tandem ὀλέθρια id est perniciosa, θανάσιμα καὶ θανατώδη idest funesta & mortalia ea vocat, à quibus nulla (vt plurimùm) est sperabilis salus, collapsis principum omnium aut aliquarum facultatum viribus. Nam quò plures facultates diuersi generis erunt in vitio, eò res ægrotantium in peiori sunt statu.[l]

Si verò in prædicta signorum bonorum malorúmque ad inuicem collatione, bona malis sic permisceri aduertantur, vt ea viribus sint quodammodo inter se paria: ad ferendum iudicium futuri in tali casu euentûs, exercitato Medico est opus, vt monet Galenus, [m] qui in operibus medicis talia frequenter sit contemplatus. [l Gal. lib. 2. de cris. cap. 12. & colligitur ex c. in 1. prorrhet com. tex. 2.] [m Cit. 4. in lib acut com. tex. 62.]

Interim in eo quod futurum est prædicendo, cautè procedendum, ne nimis confidenter quidpiam prædicentes, contrarium accidere experiamur.

At nec prædicta solùm & aduertere, & inter se conferre oportet: sed præterea vt certius futuri morborum casûs iudicium feramus, necesse est adnotante Coo Sene, [n] impetum morborum populariter grassantium considerare; necnon temporis conditionem obseruare. Scientes enim quæ sit species, vehementia, & mos morborum communiter grassantium, & quomodo ijdem moueri ac terminari consueuerint. Faciliùs in morbis atque euentûs consimilium ægritudinum notitiam veniemus. Non quòd per vulgarium morborum constitutiones, par singulorum sit exitus; sed quòd affectus qui à communi causa excitantur, vt plurimum consimiles sortiantur euentus. [n Sect. 3. progn. tex. 38.]

Verùm licet à principio ipsa ægritudinis, oporteat ea quæ ægrotantibus insunt & sedulò inquirere, & industriè singula ad inuicem conferre, atque hinc naturæ vis morbique vehementia, tùm quantum hic ad nocendum, illa vero ad resistendum valeat cognosci posse videatur: non tamen semper expedit, statim à principio, de morborum euentu certum & euidens iudicium ferre.

Quæ enim initio apparent & morbum necessariò comitantur pathognomonica nuncupata, morbi quidem speciem manifestant; at non item illius vim & morem sufficienter detegunt: à quibus futuri euentûs salubris aut lethalis, maximum habetur iudicium.

Quæ, cùm in augmento ex superapparentibus signis nobis innotescant: per id tempus signo-

tum omnium examen accuratiſſimè ineundum eſt, nè vlterius eius quod in ſtatu euenturum eſt prædictio differatur.

Nec deſperandum tamen, poſſe nos aliquando in primo etiam morbi congreſſu quid & quando euenturum ſit præſagire, ex ægri viribus cum morbi vehementia collatis: præſertim ſi natura longè ſuperior, & eius viribus nulla ex parte nutantibus, morbum aggrediatur: aut contra: ſic ex Galeno, ° Gymnaſtæ plurimi ex primis ſtatim motibus quibus contra ſe inuicem luctantes feruntur, victurum, & quàm celerrimè aduerſarius ſuccumbet, prænunciare conſueuerunt.

o Lib. de om. art. cap. 18.

Quòd ſi minùs euidens naturæ vigor, & propter natiuas ægri intemperies, incautam aut molliorem viuendi rationem, ætatem, anni tempus, aut ſuſpectum morbi progreſſum; nobis non liceat naturæ vires cum morbi vehementia æquâ lance conferre: prudentis erit Medici, quid de futuro euentu ſentiat ita aliis ab ægrotante referre, vt quocumque vergat affectio, poſſit deinceps priori ſententiæ quodammodo adhærendo, pro euidentiore morbi progeſſu, apertiùs efferre quid ſperet, aut timeat.

p Lib. 2. aph. 27.

Interea verò quicumque praxi medicæ addictus ſuæ famæ curam habet, vbi in addiſcendis his quæ ægris ſigillatim & per momenta etiam adueniunt diligens fuerit, & in ſingulis examinandis accuratus, præcepti Hippocratici ᵖ meminerit: nè his quæ præter rationem leuant, fidat: neque multum formidet mala, quæ præter rationem adueniant: plurima enim horum, ſtabilia non ſunt, neque valde durare, neque diu perſeuerare conſueuerunt. Accidit enim aliquando, vt natura quodammodo feſſa, duellum cum morbo remittat, & ægro meliùs eſſe videatur; & quædam quæ per id tempus excernuntur, apparentiam quamdam coctionis, ſed non perſeuerantem exhibeant: à quibus, non ſtatim oportet in ſpem ſalutis elenari. Nam Hermocrates [q] cùm die quinto vrinas tenues ſuſpenſionem habentes minxiſſet, & circa vndecimum [r] omnia illi viſa eſſent eſſe remiſſa: refertur tamen [s] vigeſimâ ſeptimâ interiiſſe: & vt habet Galenus, [t] in morbis qui citra copioſam excretionem vel abſceſſum inſignem quieuerunt, recidiua timenda eſt.

q Apud Hip. lib. 3. epid. ſect. 2. tex. 5.
r Ibid. tex. 6.
ſ Tex. 10.
t Lib. 1. de dub. decr. c. 10.
u Ibidem.

Contra, vt idem notat Pergamenus, [u] ſi aliquando cardiogmus, difficilis ſpiratio, hypochondrij tetractio, dolor capitis, oculorum caligo, delirium, & ſimilia præcedentibus ſignis coctionis mox adfuturam criſim antecedentia; aut quidpiam aliud præter vim morbi adueniens appareat: etſi vulgares Medicos terreat, doctiores tamen & expertos vel non terrebit, vel ſalutis etiam mox adfuturæ ſpe recreabit.

Cœterùm ad compendium præmiſſarum omnium præceptionum, ſic rectè morbum cum natura conferentes, vter eorum ſuperior ſit agnoſcemus: ſi quæ per fluxum durationis morbi accidunt, aduertentes, hinc quæ per ſingula morbi tempora adueniunt, inde quæ per ſingula naturæ in morbo tempora contingunt, expendentes, ea inuicem conferamus. Tempora morbi (vt colligi poteſt ex his quæ alibi docuimus [x]) ea dicimus quæ pro vario morbi ſymptomatúmque progreſſu diſtinguimus.

x Lib. 1. hu. iuſ tract. cap. 3. paulò ante finem.

Naturæ verò in morbo tempora, quæ pro diuerſo naturæ morborum medicatricis ſucceſſu, partimur in principium, augmentum, &c. In qua collatione, ſi morbi principium breue eſſe, augmentum autem promptum & vehemens adnotemus; naturam contra in principio ſemper languere nullam coctionem aggrediendo, aut morbi vehementiæ imparem, vel pro materiæ copiâ & vitio ſegniorem: naturam morbo inferiorem eſſe iudicabimus; & quo velocior erit ille temporum magni morbi fluxus, naturæque ſegnior progreſſus; eò promptiùs naturam opprimendam eſſe cenſebimus. Si verò ex aduerſo, morbus quidem lentè incrementum capiat & leue; at natura citò euidentis coctionis notas exerat. Hanc breui morbum domituram eſſe prænunciabimus. Vt ſi pari conatu naturam cum morbo progredi aduertamus, exercitato artifice erit opus qui in dubia monomachia quid euenturum ſit præuideat: occultos naturæ receſſus (quibuſque rectè examinatis) penitiùs aduertens: aut latentem morbi cacoethiam (ſeuiſſimo quoque morbi inſultu expulſo) acutiùs deprehendens. Ad quem induſtriæ gradum non difficilè perueniemus, ſi eorum omnium meminerimus quæ toto hoc tractatu docuimus.

y Lib. 3. de criſib. cap. 4.

Quòd ad ſecundum autem prædictionis caput ſpectat: aduertendum eſt quò materia tenuior ſimulque benignior eſt, eò celeriùs à robuſta natura domari. Celeritatem (ex Galeno, [y]) morbi magnitudine, anni tempore, regione, & ætate aduenientе. Eamdem verò tardiùs aliquanto euinci, ab imbecilli natura; atque eò magis, ſi motûs celeritati, anni tempus, regio, & ætas obſtiterit.

Quò autem peccans humor craſſior fuerit, eò longiore tempore indiget vt coquatur: atque eò diuturniore, quò vires intra ſpem victoriæ imbecilliores fuerint.

Cumque

Cumque natura in subordinatis motibus regularem quamdam proportionem seruet: quo lentior ea fuerit ad proferenda signa coctionis, eò etiam, vt docet Galenus,[z] ad crisim moliendam erit tardior. Secundò scire oportet, cùm nunquam contingat morbum securè desinere, nisi ex signis coctionis prædicata sit eius desitio: & cum intra vigesimum diem criticorum, indices sint quaternarij: inde verò ad quadragesimum, vt plurimum septenarij, atque inde ad centesimum vigesimum, vicenarij: ab indicatorio die, per prædicta temporum interualla, posse nos prænoscere, quoto die sequutura sit crisis, morbúsque soluendus. Ac quoniam ex Galeno,[a] eisdem (vt plurimum) diebus imbecillior natura vincitur, quibus valens morbos superare consueuit: & prægressis indicibus, sui frustranei exitûs notas exhibet: posse etiam nos, ex pari animaduersione deficientis naturæ, futuræ mortis diem prænunciare.

z Lib. 1. de crisib. cap. 19. & 2 de dieb. decret. c. 13.

a Lib. 1 de cris. cap. 10.

Postremò quod ad tertium prognoseos caput attinet: tam apertè id à nobis explicatum est superiùs:[b] vt pluribus nos indigeamus.

Quare hoc vnum tandem velim vos monere, vt si quando ea quæ toto hoc opere fuere enarrata ad exercitationem quispiam vestrum referens in primo experimento fallatur: ne propterea desperet se præsagiendi artem consequi aliquando posse: sed meminerit non perperam ab Hippocrate scriptum,[c] acutorum morborum non omnino certas esse prænotiones salutis aut mortis: & nouerit monitore Galeno,[d] sibi diuturnæ meditationi incumbendum & in exercitatione perseuerandum esse.

b Cap. 18. 19 & præcedenti 17

c Lib. 2. apho. 19.

d Lib. 1. de cris. cap. 2.

Atque hæc sunt, quæ de iudiciis morborum & Theorica Medicinæ parte, in vestram vtilitatem dicenda videbantur.

Ad laudem & gloriam Dei Optimi Maximi.







DE VITALIBVS ET NON VITALIBVS HOMINVM PARTVBVS.

EXERCITATIO PRIMA.



VM singulis cæterorum animalium speciebus vnum pariendi tempus [a] constitutum sit à natura: mirum planè videtur humanorum partuum tantam esse inconstantiam,& tam varios mulierum pariendi terminos; vt quoto à conceptu mense, aut vitales,aut citra fraudem natos censere oporteat,plerumque disputetur. Nascuntur cerui mense tantùm nono, [b] vituli decimo, cameli vndecimo, equi duodecimo;cæterisque certus est nascendi terminus, quo nec tardiùs viui,nec victuri citiùs eduntur: humani verò partus tum septimo,tum octauo etiam, nono, decimo, imò & vndecimo nati viuunt aliquando,aliàs intereunt: vnde grauissimæ controuersiæ subit occasio, quis secundùm naturam, primus sit,& quis vltimus pariendi terminus. Mox,num qui inter illos citatioris, & tardioris termini cancellos eduntur, omnes vitales sint, an tantùm aliqui viuant. Quæ vt breuiter, & quàm licebit accuratiùs excutiam: primùm in varietate partuum, causisque huius varietatis explicandis versabor; tum ad eorumdem citatiores,tardioresque terminos transiens, quos vitales esse contingat,quos verò minimè, & quibus ex causis inquirere aggrediar. Ac quamuis eadem à plurimis disputata fuerint,non pigebit lectorem hæc etiam nostra legisse, quæ sua breuitate,obseruata methodo,& interserta aliqua nouitate placebunt.

Variis temporibus,variis terminis humanos partus in lucem edi; non tam ratio, quàm experientia probat. Referunt mulieres) quibus hac in re ex Hippocrate [c] credendum est) se aliquandò septimo,aliàs octauo,sæpiùs nono,& decimo mense parere Quod obstetrices parturientibus adstantes memorant,& attestantur matronæ variæ pro variis partubus.Idipsum scripsere historici,Medici authoresque varij alterius generis. Nec varias solùm variis temporibus suos excludere partus, sed easdem non paribus terminis peperisse. Est apud Plinium, [d] Vestiliam, Caij Herdicij, ac posteà Pomponij, atque Orfiti clarissimorum ciuium coniugem, ex his quatuor partus enixam, Sempronium septimo mense genuisse; Suillium, vel [vt alij legunt] Gil'um Ruffum vndecimo, Corbulonem septimo, vtrumque consulem: tum demùm Cæsoniam Caij Principis coniugem,octauo. Eiusdem varietatis testis est locupletissimus,cum Hippocrate, [e] & Galeno, [f] summus Aristoteles:[g] qui cùm vnum pariendi tempus statutum omnibus animantibus notit,homini vni multiplex datum esse admiratur: nam septimo mense,& octauo,& nono,inquit,parere potest,&,quod plurimùm,decimo:nonnullæ etiam vndecimum tangunt. Imò vt nonnullæ,fœtus ante septimum mensem natos educarunt: ita aliæ,partum vltra annum distulerunt.

Cuius diuersitatis causas,plurimi [h] explicare conati,rem totam ex mente, vt credunt, Hippocratis eò referunt: quòd cùm humani fœtus alij aliis celeriùs, aut tardiùs formentur,alij etiam aliis celeriùs aut tardiùs in lucem edantur. Qui enim,inquiunt,celeriùs formantur, ijdem citiùs excluduntur:& qui segniùs manifesta suæ formationis lineamenta acceperint, ijdem longiorem in vtero moram contrahunt.

Quod insinuasse videtur Hippocrates cùm libro de alimento, [i] ad figurationem,inquit, triginta

a Hipp. lib. de sept partu. Aristot. 7. de histor. anim. c. 4. Gal lib. de fœt. form. cap. 1.
b Arist. 6 de hist. anim. c. 21. 22 25. 26 & 29.
c Lib. de sept. partu.
d Lib. 7. c. 5.
e Lib. de sep. partu.
f Lib. de fœtus form. c. 1.
g 7 de histor anim. cap. 4.
h Auic. lib 3 fen 21. tract. 1 cap. 2. Rasis lib. 22 contr tract 6 cap. 1. Halyabbas 1. theoric. c 34. Appon. differ. 40 in princ. & Mercat. lib 4. de mor. mulier. cap 1 & alij
i Post medi...

quinque soles, ad motum septuaginta, ad perfectionem ducenti decem: alij dicunt, ad figuram quadraginta quinque, ad motum septuaginta sex, ad perfectionem ducentos decem: alij quinquaginta ad formam, ad primum saltum centum, ad perfectionem tercentos: ad distinctionem quadraginta, ad transitum octuaginta, ad elapsum ducentos quadraginta.

k 2. epidem. sect. 3. & lib. 6. sect. 8.

Quæ idem in epidemiis [k] confirmauit; in circuitibus, inquiens, quidquid in septuaginta mouetur, in triplicitate perficitur. Ex quibus duo discimus; scilicet varietatem humanorum partuum, ex celeriore aut tardiore fœtuum formatione pendere: & naturam eam, ex Hippocrate proportionem in embryi figuratione, motu, & partu seruare; vt duplum sit tempus motûs ad tempus figurationis, & partûs tempus triplum ad tempus motûs. Sed hæc difficultati minimè satisfaciunt. Cùm enim par aduertatur in coïtu, conceptione, figuratione & formatione fœtûs, cæterorum animalium ratio, ac hominis: id semper explicandum restat, cur singulis illorum speciebus, vnum est; hominibus verò indeterminatum & varium, seu perficiendæ formationis, seu pariendi tempus. Præterea tum ex Hippocrate, tum ab experientia certum est, proportionatam illam temporum seriem, minimè constantem esse. Hippocrates enim, his, quæ ex libro de alimento excepimus, statim subdit: non est, & est. Generantur autem in his & plura & pauciora, & totum & per partes: non valdè autem plura aut pauciora, pauciora autem tot, & quæcumque his similia. Ac multò euidentiùs in epidemiis, [l] naturam eam temporum seriem non obseruare tunc docuit, cùm quod citiùs discretum & motum est, augeri rursus segniùs, & in longius tempus, scribit. Sic fœtus masculi, qui fœminis celeriùs finguntur, quòd ex calidiore & magis excocto semine generentur, segniùs augentur & crescunt: vt plurimùm tamen paribus terminis nascuntur. Illam verò temporum formationis, motûs & partûs proportionem ab Arabibus introductam experimento repugnare constat: quòd cùm, Hippocrate ipso confirmante, [m] fœtus masculi trigesimo post conceptum die per abortum exclusi, omnes articulati appareant, & pauiò ante trigesimum diem editi inarticulati aduertantur; ex Galeno autem [n] mulierumque experientia mares circa quadragesimum diem moueantur, non tam diu, atque illis visum est, post absolutam formationem moueri differant; nascantur autem postquam moueri inceperunt fœtus, qui ex illis deberent quarto tantùm mense expleto, centesimo scilicet & vigesimo die nasci.

l 2. epidem. sect. 3.

m Lib. de natura pueri. n 2. in lib. 2. epid. cõ. sex. 31

o Lib. 1. marrationum enarr. 7.

Valeriola [o] tres huius varietatis causas assignat. Scilicet quòd cum cæteris animantibus constitutum sit tempus, quo in venerem ruant; mulieres autem quocumque tempore ad coïtum ferantur: ita reliqua animalia definitum habeant pariendi tempus, mulieres verò indefinitis terminis pariant. Quòd bruta cum conceperint, se à mare iniri non patiantur, & formationem fœtûs semel inchoatam non interturbent, nec accelerent: contrà homines frequentiore coïtu; vt facultati formatrici vel calcar addunt, vel eius opus interrumpunt; sic partum formationi respondentem vel accelerent, vel retardent. Ac demum quòd cum certa & par semper sit brutorum viuendi ratio; mulierum autem irregularis & varia: hæ multa committant, quæ partus accelerent. Verum neque hæc causarum congestio quæstioni satisfacit. Quamuis enim ad abortiuos partus accelerandos, mulieres multò plura committant, quàm bruta: ad tempestiui tamen & secundùm naturam partûs terminos euariandos, vix quidquam ea possunt, quæ à Valeriola referuntur. Nam quòd bruta certis statisque anni temporibus coëant, in causa est eadem certis anni temporibus parere: & cùm mulieres quacumque anni tempestate coïtu delectentur, illas tam vere, quàm æstate, & passim toto anno parere. Sed quòd bruta definito ac certo, mulieres autem indefinito & incerto dierum, aut mensium numero, semel conceptam genituram vtero gerant: non potest à relata causa pendere. Canes enim, & domestici sues, licèt quocumque anni tempore coëant: non tamen vtero gerendi periodum sibi à natura præscriptam peruertunt.

Præterea, frequentior coïtus aborsum quidem prouocare potest, vti os laxando, & excretricem vteri titillante illâ perfrictione irritando: sed formatricis facultatis opus accelerare, aut fœtum ad partûs labores commodè ferendos citiùs disponere, minimè valet. Adde equas, cæteráque huius conditionis bruta, quæ marem fœtæ etiam admittunt, statis temporum terminis parere. Tandem praua & inordinata viuendi ratio mulierum, frequentiũ quidem aborsuum est causa, vel morbosas diatheses embryis imprimit: tempestiuum autem partum tardiorem, aut celeriorem non reddit.

p Lib. 1. de partus octomestris natura cap. 27 & 29.

q Lib. 4. de gen. anim. c. 4

Federicus Bonauentura [p] ex Aristotele, [q] aliam assignat causam, quòd scilicet homo cum omnibus animantium generibus ambigens, & vniparum, & pauciparum, & multiparum interdum sit, maximè tamen sua natura vniparum. Quà enim, inquit, vniparum est magnúmque animal, nono & decimo mense parit; non tamen ante septimum, propter magnitudinem. Quà verò pauciparum est, octauo mense fœtum edit. Sed ad hanc etiam impugnandam sententiam me multa mouent. Atque id primò: quòd si quà homo vniparum animal est, nono aut decimo mense parit; nunquam tardius mulierem parere oporteret, nec tantam varietatem in diuturniore partu obseruari,

quan-

quantam obseruatam fuisse mox adnotabimus. Praeterea deceret omnem hominis instar saepius vniparam, longiore tempore vterum gerere, neque intra quintum mensem parere. Adde, si ea causa vera esset, debere mulierem quae geminos concepit, octauo mense parere: tergeminos verò & copiosiores foetus, edere septimo, aut sexto: at singulare embryon, nunquam citiùs quam nono, aut decimo. Quae tamen omnia experientiae aduersantur: in singularibus enim partubus omnem illam varietatem obseruamus; & geminos septimestres, tergeminósque nonimestres nasci. Tandem animalia non quà magna vnipara sunt, & inde longiore tempore in vtero gerunt: aut quà parua multipara, & citiùs pariunt. Nam quaedam sunt vnipara & parua, quaedam multipara & magna: quorum singula breui pariunt. Idque verò in oue, & capra saepiùs vniparis, atque in vrso, lupo, & leone multiparis, comprobamus. Sola temperamentorum diuersitas, huius omnis varietatis est causa: calidiora enim, & quorum genitalis humor magis excoctus est plures foetus generant, quòd eorum semen & in parua segmenta facilè diuidatur, & ex singulis singuli foetus generari possint: vterorum autem calor fortis & foecundus, foetus breui effingat, effictáque eorum membra citò confirmet ac roboret. Atque vel humidiora, vel seu extensiuè, seu intensiuè minùs calida sunt, pauciores foetus generant, tardiúsque eosdem perficiunt.

Mercurialis, [t] naturam de propagatione humana & conseruatione foetûs humani sollicitam, noluisse, inquit, homines stato & constanti termino nasci, quò embryon maturiùs, aut tardiùs nascens etiam viueret. Verum neque huius potior est sententia quàm caeterorum. Etenim si ab vniuersali natura & rerum omnium conditore Deo ea esset constituta lex; vt quoquo tempore homo nasceretur, opportunè prodiret in vitam: vel oporteret nullum embryum ex integro formatum abortiuè nasci; vel illud adhuc explicandum foret, cur citra abortum humani foetus variis terminis tempestiuè nascantur: brutorum vero quaeque species certum habeant & constantem nascendi terminum. Solet enim Deus, aliquam rebus naturalibus legem imponens: eisdem id largiri, quo, quod constitutum est vel exequantur, vel subeant. Quapropter necessum est foetus ipsos quidpiam in se habere, vel matribus quidpiam inesse, quod proxima huius varietatis sit causa. t Lib. 2. de morbis mulier. cap. 1.

Quam antequam exprimamus, aduertendum est: foetus aliquando tempestiuè & ex naturae commodo nasci, partúmque nominari: aliàs intempestiuè, nec sponte naturae, sed violenter excidere, aborsúmque nuncupari. [r] Aborsum quidem indefinitis fieri temporibus, nulli omninò mirum est: seu matri vis aliqua, aut epotis, aut suppositis pharmacis inferatur; seu illa vehementioribus corporis, aut animi motibus, casu, impulsu, coitu, aut compressione lacessita: seu ex inedia, aut prauo victu conuenienti alimento foetui denegato, abortiendi occasionem subeat. Quoniam quae praeter naturam sunt, vt propter finem non fiunt, ita nullis certis finibus concluduntur. Secundùm naturam vero, non antè foetus ad partum inclinatur, quàm ad eam perfectionem venerit, ad eámque magnitudinem, sub qua semel à matre secretus, viuere, & actiones ad vitam necessarias possit exercere. Vnde Galenus, [t] partus, inquit, fit, cum foetus ita iam est perfectus, vt per os nutriri possit. Quo tempore tria illi adueniunt, quibus ad nascendum proritatur: [u] penuria alimenti, necessitas frigidioris inspirationis, & vteri ad foetum expellendum lacessiti angustia. Cum primum enim grandior fit foetus, & maiorem artuum firmitatem acquirit: non sua mole solùm, sed frequentiore etiam & aliquantulum validiore motu, incipit vtero esse molestior: tuncque ex prouidentia Creatoris, & lege naturae nostri corporis rectrici imposita, vt nascituro prouideatur, illique conueniens alimentum praeparetur: portio sanguinis, qui antea in vterum ad generationem carnium totiusque corporis incrementum confluebat, ad mammas transmittitur. Tum vero quia mater diu nequit tantum sanguinis generare, vt sibi, foetui, & mammis sufficiat: ea sensim portio imminuitur, quae in embryi alimentum destinatur. Quam penuriam foetus persentiens, vt auidiùs sanguinem per vmbilicum sugens, plus solito angitur: ita membris parciùs alimentali humido irroratis, internus calor insolitam acritudinem acquirit. Cui demulcendae cum transpiratio minimè sufficiat, embryon inspiratione sibi subuenire quaerens importuniùs agitatur; grauésque matri molestias inferens, partim proprio impetu, partim impulsu expultricis vteri iam proritatae pressus, sibi viam facere, & membranis quibus inuoluebatur disruptis [x] nasci compellitur.

r Gal. 3. de fac. nat. c. 12.

t 15. de vsu part. cap. 7. u Arist. lib. 4 de gen. anim. cap. 8. Auic. lib. 3. fen 21. tract. 1. cap. 2. Auigato aph. 57 lib. 5. Mercatus lib. 4. de mulier. affect. cap. 1. & Gal. ipse 3 de fac. nat. cap. 12.

x Hipp. libro de nat. pueri.

Quae omnia, cum intra nonum mensem frequentiùs absolui consueuerint: citiùs tamen aliquando aut tardiùs eadem fieri & compleri contingit, pro varia habitudine temperiéque rum foetus, tum matris: simulque diuersa siderum in haec inferiora influentium per id tempus configuratione. Etenim si vegetus admodum sit foetûs calor, eiusdémque artus satis firmi: matris vterus debitè temperatus, & acuti sensûs, robustam habeat expultricem: ac demum, influentia siderea vtriusque calorem & robur foueant: aut saltem posteriora haec duo simul conueniant: breuior erit foetûs in vtero mora, eiúsque praecox natiuitas.

At contrà si remissior sit fœtûs calor, molles niminmque laxi artus; infirmus vterus & torpidus, atque his consentiat peculiaris à cœlis effusa vis: fœtus, diuturniùs intra viscera matris commorabitur, & tardiùs à conceptu nascetur: & quò singula ad alteram prædictarum constitutionum magìs aut minùs inclinabunt, eò citatiores vel tardiores erunt partus. Quoties verò prædicta, eo inter se temperamento concurrent, vt vel moderata fint omnia, vel si quidpiam hinc excesserit, inde remittatur: nascendi terminum naturæ magìs familiarem obseruari aduertemus. Licèt autem in brutis quædam etiam insit consimilis temperaturæ varietas, vt in quaque specie alia aliis sint magìs & minùs calida, magis minúsque robusta: muliebres tamen partus sæpiùs quàm brutorum variari ideò contingit, quòd in latitudine humanæ temperaturæ maior sit indiuidualium temperamentorum diuersitas, faciliórque à medio temperamento lapsus, quàm in reliquis animalium speciebus.

Siquidem cùm speciei humanæ temperies omnium sit perfectissima, & in medio temperamenti, quod animalium generi accommodum est, consistat: quæ verò in vnoquoque genere in medio extremorum constituuntur, vel indiuisibilia sint, vel minimam latitudinem habeant: qui ab humanæ temperaturæ mediocritate hinc vel inde recedunt, maioris momenti recessus faciunt, quàm bruta, quæ quomodocumque inter se euarient, in latitudine eiusdem discrasiæ suæ speciei connaturalis semper consistunt. At homines à perfecta illa crasi cùm primùm deficiunt, quasi in alterius animalium speciei temperiem conuerti videntur. Vnde morum cum plerisque brutorum generibus natiua conformitas, in diuersis hominibus elucens oritur: cùm in cæteris animalium speciebus nihil tale aduertatur.

Quàm facilis autem sit à medio temperamento lapsus, ex eo intelligitur, quòd temperatum, vtrimque ab intemperatis facillimè offendatur, vixque ipsum per se, in illa mediocritate perseueret.

Quare ex humanæ temperaturæ conditione, tantæ humanorum partuum varietatis causa principaliter eruitur. Sed quanta sit hæc varietas iam inquiramus.

Plurimos septimo mense nasci, vulgari experimento, confirmatur: atque idipsum cum Hippocrate, [y] Aristotele, [z] & Galeno [a] asseruit Statius Cæcilius antiquus Poëta Gallus in Plotio.

[y z a] Locis supra citatis.

Insolet ne mulier decimo mense parere?
Pol nono etiam, septimo, atque octauo.

Quod etiam à Paulo Iurisconsulto confirmatum est, cùm statuit [b] eum qui ex iustis nuptiis septimo mense sit natus, iustum filium esse. Neque ad maturum septimestrem partum, septimum mensem attingi sat est, vt nonnullis ac Cardano [c] præsertim visum est: qui censuit partum centesimo sexagesimo tertio die editum, legitimum esse. Sed illum expleri necessum est, vt asseruit Paulus Iureconsultus, [d] cùm natum septimo mense pleno, matri ad ius trium liberorum acquirendum prodesse determinat. Mulierum enim experimento didicimus, inter septimestres eos superstites esse solere, qui septimo mense expleto sunt editi, potiùs quàm qui eodem vel inchoato, vel dimidiato nascuntur. Vnde Hippocrates [e] septimestrem pro ratione natum & viuentem, rationem habere ait, ac numerum ad hebdomadas & septenarium exactum, qui diebus ducentis ac decem compleatur. Sibi verò nec nobis minimè aduersatur idem Diuus Senex [f] cum οἱ δὲ ἑπτάμηνοι inquit, γίνονται, ἐκ τῶν ἑκατὸν ἡμερῶν, καὶ ὀγδοήκοντα, καὶ δύο, καὶ προσεόντος μορίου. Septimestres autem nascuntur diebus centum & octoginta duobus, ac parte aliqua diei. Etenim is septimestres duplicis ordinis agnoscens, hos quidem centum octoginta duorum dierum cum dimidio, alios verò ducentorum & decem dierum (vt ibidem etiam insinuauit, dum mox addit, sunt autem ex ijs septimestribus, quòd scilicet alij reperiantur, qui etiam superstites manent) non solùm ducentesimo decimo die natos, pleno mense editos existimauit, sed præterea illo centum octoginta duorum dierum & dimidij spatio, septimum mensem expleri censuit. Postquam enim dies enumerauit, quibus breuioris huius septimestris sex priores menses complentur: his igitur sic se habentibus, addit, ad septimum mensem supersunt dies non plures quàm viginti: ad septimum, inquam, non inchoandum; cùm sex completis mensibus, vnus superadditus dies septimum inchoët: sed ad eum complendum non plures, inquit, quàm viginti requiruntur. Rudis autem & supina eius esset obiectio qui opponeret, Hippocratem dies non plures viginti ad septimum mensem requirere, vt & primum, quem quindecim tantùm dierum facit expleat & septimum inchoët. Nam id ab Hippocratis sensu planè alienum quisque facilè indicabit; & præterea falsum est in vtrumque eum finem dies viginti desiderari.

[b] L. septimo mense ff. de stato hominum
[c] Lib. 1. cont. medic. tract. 3. cont. 6.
[d] Lib. 4. sent. tit. 6.
[e] Lib. de carnib. ad finem
[f] Lib. de sept. partu in principio.

Cum enim sexies viginti nouem cum dimidio, reddant centum septuaginta septem, & centesimo septuagesimo octauo die, sex mensibus integris, septimus inchoëtur: supra centum & sexaginta duos dies cum dimidio qui apud Hippocratem sex primos menses constituunt, vt ad centesimum

mum septuagesimum octauum perueniamus, non viginti requiruntur, sed quindecim cum dimidio sufficiunt. Qui tamen dimidium annum nondum implent, quem à breuissimo illo septimestri spatio compleri expostulat Hippocrates. Quare vt rem totam ad mentem Diui Seuis componamus [cuius sententiæ subscribunt Iurisconsulti] [g] duo hæc conciliemus oportet: scilicet ad principium perfectionis septimestris partûs maturescente fœtu, vt ipse loquitur, perueniri dimidio solari anno, qui est [h] dierum centum octoginta duorum horarum quatuordecim, minutorum quinquaginta quatuor, secundorum triginta septem, & tertiorum quinquaginta trium ferè: præterea talem partum septimo mense pleno editum esse. Ad quam difficultatem dirimendam, quæ plurimorum ingenia torsit, nobis viam aperit Cicero, [i] septem lunæ cursus, ad partum aliquando sufficere scribens: septem, inquam, lunæ cursus, non quibus perfectæ periodi mensium lunarium complectuntur, sed in quibus principes lunæ mutationes coniunctio & oppositio [k] interuenerint. Hippocrates ergo hic menses per principes has lunæ phases computans: septem fœtationis menses tunc plenos esse existimauit, cùm fœta septem lunares (prout explicuimus) periodos à concepto lustrauerit. Quod intra centum octoginta & duos dies cum dimidio euenire, ipse qua solet obscura breuitate docuit: vt ex propria ipsius oratione patebit. Habet enim Hippocrates. [l] Septimestres autem nascuntur diebus centum & octoginta duobus ac dimidio, & insuper accedente diei particula. Si enim primi mensis dies quindecim supputaueris, deinde quinque mensium dies centum quadraginta septem ac dimidium: in vndesexaginta enim diebus quàm proximè duo menses perficiuntur. His igitur sic se habentibus, ad septimum mensem superfunt dies non plures quàm viginti. Post aliqua verò. Est autem octauus mensis non solùm hoc tempus, sed & dies accedunt à septimo mense; & à nono, & ab ipso anno. Qui difficiles textus ita sunt explicandi, & tota simul dirimenda controuersia: vt dicamus Hippocratem censuisse si quando mulier immediatè vel paò ante pleniluninm concipiat, primum mensem supputandum esse à die concep ûs ad proximam vsque luminatium coniunctionem; atque ita diebus quindecim posse compleri. Quinque verò subsequentes menses, quos integros esse necessum est, diebus centum quadraginta septem cum dimidio constare. Ad septimum tandem complendum, non plures quàm viginti dies superesse, quibus plenilunium atque ideò vtraque lunæ vehementior mutatio superetur: & ad siccam simulque calidam lunæ constitutionem perueniatur, quæ ad partum iuuandum euidentis est efficaciæ. Vnde fœtus qui post plenilunium sunt editi, robustiores esse experimur, faciliúsque educari; illos autem imbecilliores, ægriúsque viuere; qui mox à nouilnnio nascuntur. Si verò mulierem post oppositionem concepisse euenerit: quod rel quum est dierum, cum integra subsequente lunaris discursûs periodo, vnico primo mensi imputat Hippocrates. Atque ita facilè concipimus quomodo ad octauum mensem dies accedunt à septimo, & à nono. A septimo enim mense communis ex stimationis, tunc accedunt ad octauum; cùm primus mensis, quindecim tantùm dierum erit. Quatuordecim enim cum aliqua diei parte, qui à vulgaribus septimo mensi imputarentur, tanquam ad eius complementum desiderati, erunt octaui. A nono autem accedent ad octauum: quando dies tredecim, lunæ coniunctionem præcedentes, cum perfecta sequenti periodo lunari coniuncti, vnicum primum mensem constituere statuuntur. Atque ita patet, sic computatis mensibus, vt non dierum præfinito numero primum vltimúmque expleamus; sed ita solùm, vt illi, luminarium oppositionem coniunctionémque complectantur: partum centum octoginta dierum cum dimidio, septimo pleno mense nasci. Ex quibus præterea constat, Hippocratem quem cæteri principes Medici iure sequuntur, maiorem habere rationem lunarium mensium, quàm solarium.

Atque id quidem meritò: cùm luna nostra corpora, atque hæc omnia inferiora, per hebdomadas ex quibus menses componuntur, euidentiùs quàm reliqua sidera immutet. Quoniam verò lunaris mensis vel synodicus est, vel periodicus. Synodicus magìs, quàm alter obseruatur. Quòd ea lunæ varietas quæ nobis per singulos menses apparet, pro diuerso ad solem accessu & recessu distinguatur: tum quòd eadem, intermedio lumine suas vires in hæc inferiora effundens, ab vna ad alteram coniunctionem, pro variatione luminis, suos euariet influxus. Ac periodicus quidem mensis is dicitur, quo luna diebus viginti septem, horis septem, minutis quadraginta tribus, & sex ferè secundis totum zodiacum percurrit. Synodicus verò ille est, qui à coniunctione ad coniunctionem mensuratur: & diebus viginti nouem, horis septem, minutis quadraginta quatuor, & tribus secundis absoluitur.

At septimus quidem mensis is est, quo primùm mulieres secundùm naturam parere consueuerunt. Id censuit Aristoteles, [m] apud quem fœtus, qui maturiùs quàm septimo mense prodeat, nullo pacto vitalis est: at qui septimo, hic primùm vitalis exit.

Idem censuit Galenus, [n] qui septimestris partûs ait, editionis primus terminus, esse dimidij anni tempus reperitur quippe cùm nullæ citra hoc, omnes vltra parere conspiciantur.

g l. septimo mense ff de statu homin. & l. intestato ff de suis & legit. her.
h Organum parte 2. introduct. sph. c. 1.
i Lib. 2. de diuinat.
k Gal lib. 3. de dieb. decr. cap. 3.
l in principio lib. de sept. partu.
m Lib. 7. de hist. anim. c. 4.
n Lib. de sept. partu.

Atque his, Medici penè omnes [o] assentiuntur Is, inquam, primus est secundùm naturam pariendi terminus: quòd non ante septimum mensem, fœtus possint esse perfecti. Imò & qui eo etiam mense nascuntur, ex Hippocrate & Aristotele, infirmiores esse consueuerunt, & plerumque nondum apertis narium atiúmve meatibus nasci. Quos præterea scribit Alexander, [p] simul atque editi sunt vocem non emittere: & Cardanus, [q] vnguibus imperfectis, & cute plerumque non expolita in lucem edi testatur.

Quod si aliquando nonnullos citiùs natos legerimus, & quinquemestrem puellam quæ ad duodecimum annum peruenerat, viderit Valesius, [r] duorúmque consimilium partuum meminetit Ferdinandus Mena, [s] Montuusque [t] similem historiam referat cuiusdam Pincernæ Christianissimi Regis Henrici Secundi, & Schenckius [u] plures recenseat sexto mense natos: sunt hi præcocioes partus, raritate admirandi, sed ad quidpiam certi decernendum inhabiles, cùm rara (vt ait Galenus) [x] inutilia sint ad scientiam.

Post septimum mensem, aliqui octauo etiam nascuntur. Nono pars maxima. Decimo ineunte saltem, imò & progresso, plurimi. Quinimo antiqui, frequentiùs mulieres eo mense parere crediderunt. Salomon enim, [y] decem mensium tempore, inquit, coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis. Et Menander.

Γυνὴ κυεῖ δεκάμηνος, ait
Plautus item in Cistellaria,
--- Tum illa, quam compresserat,
Decimo post mense exacto, hic peperit filium.

Et Terentius in Adelphis, compressu grauida facta est, mensis hic decimus est. Nec non Tertulianus: [z] legitima natiuitas inquit, decimi mensis fermè ingressus est. Aristoteles [a] præterea septimo mense ait, & octauo, & nono, parere potest, & quod plurimùm decimo. Apud quem nonnullæ etiam vndecimum tangunt Vti apud Hippocratem, [b] nasci etiam vndecimestres legimus. Hos imitatur Marcus Varro vndecimo mense nasci hominem posse testatus est. Qui in satyra, quæ testamentum inscribitur, vt apud Gellium est. [c] Si quis mihi filius, inquit, vnus pluresve in decem mensibus gignuntur: hi si erunt ὄνοι λύρας, exhæredes sunto: quòd si quis vndecimo mense κατ' Ἀριστοτέλην natus esto, Accio idem quod Titio ius esto apud me. Plinius [d] Vestiliam, Suillium Ruffum, vndecimo mense genuisse commemorat. Trincauellius celebris admodum inter Italos Medicus: [e] Consultus an Germana quædam mulier, quæ vndecimo mense pepererat, marito legitimum infantem edidisset: posse aliquando partum, ad vndecimum mensem protrahi, rescripsit. Verùm plurimi etiam tardiores partus referuntur. Timæus, [f] partum duodecim mensibus gestari credidit. Sic Homerus. [g]

χαῖρε γυνὴ φιλότητι, περιπλομένου δ' ἐνιαυτοῦ
Τέξεις ἀγλαὰ τέκνα.

Quam tamen sententiam Gellius ita ex Phauorino interpretatur: vt *περιπλομένου ἐνιαυτοῦ*, non confecto anno dicatur, sed affecto: vel annom Homeri tempore vt Romuli, non duodecim, sed decem fuisse mensium. Verùm quid moramur? Massurius author est apud Plinium, [h] Lucinm Papyrium Prætorem, secundo hærede lege agente, bonorum possessionem contra eum dedisse: cùm mater, partom se tredecim mensibus diceret tulisse. Auicennas [i] narrat mulierem quampiam veracem sibi retulisse, se decimo quarto mense peperisse. Renatus Thioneau Medicus historiam fœtûs in vtero viginti tres menses apud Turonenses gestati scripsit Ac demùm quod planè stupendum est, refert Albertus Krantzios, [k] Vandalem Ducis Baruch vxorem biennem fœtum parturiisse. Parémque casum nobili cuidam mulieri ad Beliquadrum Volcarum Areromicorum, semel atque iterum ante paucos annos euenisse audiuimus.

In tam varia autem fœtuum prorogatione, etsi natura portentosa aliquando tarditate humana ingenia ludificetur, & mentibus præ admiratione stuporem inferat: pro regulari tamen lege, mensem vndecimum minimè transgreditur. Quem tardissimum esse pariendi terminum docuit Aristoteles [l] cùm qui diuturniores, inquit, quàm vndecimo mense nasci videntur, latere putantur. Eadem fuit Hippocràtis sententia, qui licèt libro de natura pueri legatur asserere eas quæ vltra decem menses vterum gestare sibi videntur decipi: quoniam tamen vndecimestres nasci scripsit, [m] eò etiam prorogari partum, nec vlteriùs tamen differri existimauit. Atque ea sententia nonnullis recentioribus Medicis [n] probata legitur.

Neque obstat Vlpianum [o] censuisse, post decem menses mortis, natum non admitti ad legiti-

o Auic lib 3. fen 21. tract. 2. cap. 1 Plin. lib 7 cap 5. Auerrho in paraphrasi lib. 4 de gen. anim. Carda. lib 3 contrad. medic. tract 5 contrad 8.
p Ludouicus Bonaciolus enneadis muliebris cap. 8
r Valesius ex Hipp. in 2. epid sect 1 com tex 25 & 2. contron.
s 10 Mer. ne. lib 2 de morb mulier cap 1
t Mercatus lib. 4. de mulier. aff c. 1. Laur. lib 8 anatom. quæst. 16.
Varro etiam apud A. Gellium lib. 3. cap. 10.
p In problem.
q In cap 7. lib 3. Ptolemæi de iudiciis astrorum.
r Lib de sacra Philos c. 15.
s Com. in lib. Hipp. de sept. partu comm. tex. 7.
t Lib 4. anat. sectus mor. earum cap 41.
v Lib. 4. obs. medic. obser. 112 & 153.
x Com 4. in lib. aeer. com. tex. 67.
y Lib. sapientiæ cap. 7
z Lib de ani.
a Cit lib 7 de hist. anim.
b Lib. de sept. partu.
c Lib 3 c. 16.
d Cit. lib. 7. cap. 5.
e Lib 1. c. fil. cons. 34.
f Vt refertur ab authore hist phil inter spuria Galeni
g Lib. 11. odyss.
h Loco iam citato.
i Lib. 9. de anim. cap. 5. in medio.
k Relatus ab Schenckio in obseruat.
l Iam citato lib 7 de hist animal.
m Lib de sep & oct partu
n Cardan & Trincauellio supra.
o L. intestato §. de suis & legit. hered. §. fin.

mam hæreditatem. Necnon Accursium [p] asserere per decem menses & duos dies neque vlteriùs, mulierem posse fœtum in vtero gestare. Imò Iustinianum [q] ipsum sancire, eam quæ parit vndecimo mense perfecto, non posse affirmare partum defuncti esse; quòd in tantum tempus conceptio non extendatur. Nam vt iura iuribus opponamus, refert Gellius [r] Hadrianum Cæsarem decreuisse nasci posse hominem vndecimo mense. Et Burdegalensi Senatusconsulto anno 1593. posthumo à patre ad bellicam expeditionem proficiscente instituto, licèt vndecimo mense, ex muliere quæ secundo ac tertio etiam marito postmodum nupserat, nato; testatoris hæreditas addicta fuit. Tardiores verò omnes partuum termini, sunt omninò suspecti: in quibus licèt nihil reperiatur quod implicet, à regulari tamen naturæ lege sunt quàm maximè alieni. Vtque nulli mirum videtur, mulieres altero mense celeriùs solito aliquando parere: ita nihil vetat, ad alterum etiam mensem vltra nonum partum differri. Vlteriùs tamen tardari, etsi non sit omninò nouum: rarissimum tamen est. Quòd si aliquando maioris tarditatis casus aliquis proponatur; ne alicuius pudicitiæ iniuria fiat, vel peccandi licentia introducatur: non temerè ferenda sententia, sed antè, res maturè examinanda est. Neque mulieribus, vt placuit Hippocrati, [s] statim credendum est, namque ad fallendum mira est huius sexûs industria. Quinimò nec quemcumque partum in vndecimum mensem relatum, legitimum censere oportet. Etenim si robusta & probè temperata mulier, eucrato viro coniuncta, absente marito, vndecimo mense pariat: vix quisquam est, qui talem partum adulterio non imputet. Neque immeritò, cùm natura, quæ certis legibus regitur, & nunquam solet à consuetis operibus absque euidente causa distrahi: nesciat vtroque parente benè temperato & florentis ætatis, partum vltra consuetum tempus plurimùm differre. Non repugnare tamen mulierem tardiùs aliquando parere, ex eo constat, quòd nulla inde sequatur contradictio. Sed præterea si casu ientus matri mœror circa nonum à conceptu mensem acciderit: cur non poterit fœtus imbecillior hinc redditus, & ab inani nascendi conatu lassatus, ad resumendas vires, in longius tempus pro ratione quiescere, & faciliorem ortum præstolari? potest & mulier cuius imbecillus sit calor humidiorque temperies, sed intra cancellos aptitudinis ad concipiendum, consimilis temperaturæ maritum nacta tardiùs cæteris parere: atque in vndecimum mensem, imò & in longius tempus partum differre. Sic referente Massa, [t] sexagenaria quædam mulier; cùm ex septuagenario sene concepisset, puellam decimo quinto exin mense peperit: sed orbam & sine manibus, quæ quinque tantùm mensibus vixerit. Imò verò si aliquando præter omnem nobis manifestam rationem, & secreto naturæ lusu, contingat mulierem quòmodocumque temperatam, intemeratæ famæ, marito sociatam qui vrbana vita delectatus ab vrbe nunquam abfuerit, in tardissimos illos partus incidere; neque illam post muliebrem purgationem per aliquot menses suppressam [u] concepisse, per ea quæ viris eruditis, expertis & probis apparuerunt, causari possimus; nullum nobis effugium restat, quo freti, ignorantiæ iugo colla submittere recusantes, proterui adhuc, talem partum possibilem esse negemus. Ita Clarissimi Monspelienses Medici, re, prout tantos viros decet, examinata, nobilem illam Belliquadrensem semel fœtum viginti duorum mensium, iterúmque biennem alium peperisse, scripso testati sunt. Et Gotofredus [x] refert arbitrio Doctissimorum Parisiensium Aduocatorum approbatum fuisse viduæ partum, quæ decimo quarto mense peperisset. His circumstantiis eos mouentibus, quòd illa apud hæredes defuncti mariti diligentiùs spectata semper vixisset, quòd eorum vxoribus assidua comes semper fuisset, nec ab earum latere quodammodo discessisset, quòd hæredes ipsius defuncti nihil eius honori aut pudicitiæ detraherent, quin potiùs de solemni continuóque luctu propter mariti mortem testarentur. Atque eò magis mulieri simile quidpiam aliquando referenti credendum erit, quæ maritum sibi præsentem semper habuerit, & se habituram deinceps speret, nec alterius amoribus implicetur. Maximè cùm huius ordinis fœminæ si furtiuis delectentur amplexibus, minimè cogantur partûs tarditatem fingere: quæ norunt tot artibus fraudatum maritum eludere. Eáque verior censenda erit tam morosæ pariendi tarditatis relatio: si illi quæ solita statis temporibus menstruas purgationes pati, ex quo leuem à coïtu rigorem aduertit, vel de nausea citra, aut ciborum fastidio citra primariã vllã ventriculi affectionẽ conqueri cœpit, menses nullo modo fluxerint, ventris interim tumore sic sensim aucto, vt nũquam vltra quàm fœtæ cõueniat, decreuerit. Illæ enim quæ flatulentum veteri tumorem antea passæ, quàm verè conciperent, & se diuturniùs quàm par sit vterum gestasse existimarunt: Diuo Seue admonente, [y] vel menses sua sponte sibi primùm erupisse, vel antè egressis flatibus ventrem detumuisse probarunt, quàm viris iterum permixtæ genitutam conceperint. Ac licèt tardiores hæ fœturæ sint taræ, non sunt tamen omninò præter naturã. Potest enim fœtus nancisci talem crasim, atque eam caloris cõmoderationẽ, vt iam etiã grandiori, sola transpiratio ad cõtemperationẽ sufficiat. Sic cùm per breuissimum tempus vix possimus à respiratione nos continere: reperiuntur tamen aliqui vrinatores, qui in vnionum, corallorum, aut aliorum piscatu occupati, per vnam aut alteram horam non respirant.

[p] Super auth. de ea quæ parit vndecimo mense super verbo perfecto.
[q] In Authent. tum coilat 4 nouella 39 de restit. & ea quæ parit vndecimo mense.
[r] Gel. lib. 3. cap. 16.
[s] Lib. de sept. partu.
[t] Tom. 2 epi. epist. 29.
[u] Hipp. lib. de nat. pueri ad finem.
[x] In annotat. ad nouellam de rest. & ea quæ peper. vndecimo mense.
[y] Hipp. lib. de nat. pueri ad finem.

Poteſt & iiſdem non deeſſe vnde alantur: cùm mitior calor ſibi conſociatum humidum parciùs digerens, non tam largo pabulo indigeat. Atque eò magis, ſi mater copioſum ſanguinem citra plethoræ incommoda generet. Verùm his iam exeuſſis, quæ noſtræ exercitationis veluti præludia eſſe videbantur: quinam vitales ſint, & qui minimè inquiramus.

Vitales eos appellamus, qui ſemel ab vtero excluſi, ex ordinata naturæ lege, & euentibus frequentiſſimo experimento comprobatis, ad vitam producendam ſunt habiles. Ac licèt plurimi variis ex caſibus mox à natiuitate moriantur, cùm & plerumque adultos derepente interire contingat: à præcipiti eo interitu, minimè illos vitæ inhabiles eſſe cenſemus, qui cùm pro naturæ conditione poſſent in longius tempus viuere, obſtetricum errore, aut aduerſo quopiam caſu fuerunt extincti. Minimè vitales autem eos dicimus, qui ita ſunt nati, vt ad vitam prorogandam ſecundùm naturam ſint inepti.

z Vbi ſupra.

Antiquiores Romani vt apud Gellium [z] legimus, nono menſe aut decimo, neque præter hos aliis, partionem mulieris ſecundùm naturam fieri exiſtimarunt. Nomina tribus Parcis à pariendo dictis hinc imponentes: nonam & decimam, à partûs tempeſtiui terminis appellantes, Mortam verò ab intempeſtiuo & exitiali partu nominantes. De qua poſtrema, hic extat Liuij Poëtæ antiquiſſimi

Quando dies aduenict, quem profata Morta eſt?

a Lib. 2. epid. ſect. 9.
b Lib. de ſept. & lib. de octimeſt. partu.
c Lib. de carnibus.
d Lib. de ſep. artu.

At Hippocrates [a] puerum nutriri ſeptimo menſe, aut nono ait, aut decimo: octimeſtres verò nullos viuere ſcribit. [b] Cuius ſententiæ ita penè omnes ſubſcripſerunt: vt vulgò nullo ferè repugnante, ſeptimeſtres, nonimeſtres, ac reliqui vitales eſſe dicantur: octimeſtres ſoli minimè vitales exiſtimentur. Atque huius receptiſſimæ opinionis variæ aſſignantur cauſæ.

Hippocrates, [c] naturam res ſuas ſeptenario diſpenſare exiſtimans, ſeptimo menſe fœtus omnes ad partum excitari inſinuat: [d] túncque vel naſci, vel diuulſis tantùm pelliculis quibus inuoluuntur, ab inani conatu laſſatos, in alterum vteri latus ſecedere, indéque debiliores redditos, dies quadraginta in imbecillitate tranſigere: quibus vehementiùs aliquando ægrotent, morbo etiam in abſceſſum terminante: aliàs leuiùs afficiantur, vt ſolam imbecillitatem ſentiant, deteriúſque alantur. Quòd ſi acciderit, quempiam intra hos quadraginta dies naſci: fieri non poſſe ait, eum ſuperſtitem manere: quoniam in vtero iam ægrotanti, & labores in partu contingant, & graues alimentorum ac rerum circumſtantium mutationes, quas ferre nequit, mox superueniant.

e Alexand. Aphrod. 2. probl. 48. D. Hieronim. epiſt. 19 ad Heronianum. Apoenſis diſſ 49 Conac. lib. 4. recept. ſenten. Iuly Pauio lib. 9. & aliq um Medici, um Iuriſper.
f In opuſculo de Iſide & Oſiride.
g Plin lib. 7. cap. 49.
h Lib. 6. epid. ſect 6.
i Lib. de die natali cap. 14
k Apud Gellium lib. 15. cap 7.
l Lib. de mun di opificio.

Alij [e] in numerorum vim & energiam rem totam referunt. Author enim libri definitionum medicarum Galeno aſcripti Pythagoræos ſequutus, ideò ait ſeptimeſtres partus viuere, octimeſtres minimè: quoniam octonarius numerus, par & coniunctus, nec decretorius eſt, ſeptenarius autem impar minimè coniunctus, & decretorius eſt. Vel vt habet ex Platone Plutarchus, [f] quòd impares numeri Cœleſtibus & Olympicis Dijs tributi hominibus commoda præſtent, & bona omnia fauſtáque largiantur: contrà pares, qui noxiorum ſunt Dæmonum, nihil niſi infauſtum & noxium mortalibus proueniunt. Vel vti pluribus viſum eſt, ideò ſeptimeſtres & nonimeſtres vitales dicuntur, quòd hi numeri maſculi & monentes dicti, maximarum ſint in his inferioribus mutationum cauſæ: qui vt ſibi cognatis diebus morborum criſes operantur, ſic per menſes, natiuitatis hominum vitales terminos circumſcribunt, & per annos diſpenſati, maximas nobis mutationes procurant. Quos ideò à priſcis ſcalarios appellatos legimus: [g] ab Hippocrate verò [h] vocari legitimos, quod certa naturæ lege, morbi hominibus his annis & immittantur & ſoluantur. Necnon Cenſorinus, [i] per omnem vitam ſeptimũ quemque annum periculoſum ac veluti criſimum eſſe, climactericúmque nuncupari ſcribit. Præ cæteris autem qui ex ſeptenario & nouenario inuicem ductis producitur, ſexageſimus tertius; quod vtriuſque vim excellentiùs contineat, omnium maximè funeſtus creditur, grauiſſimum ſenibus terrorem inferens: vt contra omnium ſuauiſſimus cenſetur qui ſequitur ſexageſimus quartus, quo cũ Auguſto, [k] ſe κλιμακτῆρα communem ſeniorum omnium euaſiſſe gaudent. Septenario autem ſpeciatim tantam vim tribuunt hi numerorum fautores (cui Philo Iudæus [l] magnam diuinitatem innatam ait, & quem ſacrum ac venerandum appellat) primùm quod natura, per ſeptenarios, morbos iudicare conſueuerit. Præterea quod ternarium primum imparem, marem & formam, ac quaternarium primum partibilem parem, fœminam & materiam in ſe continens: materiámque ideo ac formam, generationis & motus omnis principia complexus, ad generationes & naturales omnes motus, maximæ ſit efficaciæ. Ac demùm quod cùm omnia in numero fiant & menſura: is ſit numerorum omnium perfectiſſimus & plenus. Perfectiſſimum quidem illum appellant quod omnes omnium numerorum rationes contineat; quippe ex ternario primo impari, & quaternario integrè pari compoſitus, paris impariſque generales numerorum rationes & elementa [m] complectatur. Plenum autem appellauit Cicero, [n] & nodum fere omnium rerum dixit. Ex quibus hunc ipſum non ad hominis ſolùm partus procurandos efficacem ferunt; ſed ad ea omnia quæ hominis naturam conſequuntur dirigenda & diſpenſanda, eundem plurimùm poſſe exiſtimant.

m Ariſt. 1. meteor ſum. 2 cap. 1.
n In ſomnio Scipionis.

Embrion

Embryon enim, inquiunt, septem diebus conformatur,[o] eius membra per septenarium dispensantur & septem mensibus firmitatem ad partûs labores ferendos necessariam consequitur. Præterea septimus quisque annus ætati notam imprimit.[p] Et natura suos motus septenario complet: viásque quibus sibi debiliori à Medico opem ferri expostulat, per septenarium disponit.

Decimo tandem lunati mense incipiente natos, ideò educari viuereque dixerunt: quòd denarius omnium sit numerorum perfectissimus, cæteros continens. Quo vt numerandi ratio perficitur: sic & tempus quo fœtus in vtero concludi potest, terminetur. At Hippocrates quidpiam etiam ad hæc numeris tribuens, nihil nouenario aut denario cõcedit: sed vim omnem in septenarium refert,[q] seu hebdomadum, seu mensium, seu quadragenariarum.

Astrologi, vt cæterorum omnium, sic horum causas ad astrorum vim referunt. Quorum tamen, non vna est, sed duplex sententia. Nonnulli enim[r] singulos planetas singulis mensibus formationi embryj feriatim præesse supponentes: principio Saturnum imperium in fœtum exercere aiunt, qui frigidus & siccus, sua frigiditate sperma coagulet, vterúmque constringendo ad genituræ complexum & conceptionem habilem reddat: siccitate vero figuram partium determinet, & molem totam ad debitam conformationem recipiendam disponat. Secundo mense, Iouem primas tenere dicunt: qui calidus & humidus, vegeto suo calore conceptam genituram fouens, & amico humore materiam ad nutritionem & incrementum operis aptam suggerens; hepatis parenchyma absoluat, & vegetantis esse tribuat. Huic in imperio Martem succedere, & tertio mensi præesse volunt: qui calidus & siccus potentiore suo calore formatum iam fœtum roborans, suaque siccitate artus distinguens; crura diuidat, brachia lateribus cohærentia separet, collum & caput in integrum efformet superfluas humiditates exsiccet, artus ad motum disponat, & cor perficiens embryo vitam largiatur. Quarti mensis Solem dominum esse affirmant: qui vinifico suo calore priora fouens, cerebri structuram absoluat, & fœtui vim motricem infundat. Venerem mox quinti mensis dominam insito sibi frigore & humore, impressam à Sole & Marte caliditatem & siccitatem temperare, carnes augere, nares, aures, os, virgam, & anum formare, necnon manuum & pedum digitos distinguere. Cuius principatui Mercurius postmodum succedens, sua siccitate[s] superuacuum humorem dissipans, fœtum ad motum robustiorem, inquiunt, reddit: & exhalationes mouens, oculos findit, supercilia, cilia, capillos, & vngues producit. Lunam demum septimo mense, operi præesse contendunt: quæ frigida & humida, perfecti fœtus membranis & carnibus, pinguedinem inferens, molem expleat, cutem expoliat, & vltimam opificio manum imponat. Quo tempore cùm omnia iam sint perfecta: si vtero gerentem eo mense parere contingat, salubrem & vitalem prodire partum aiunt; quod Luna tepido suo humore & embryum fouens, & vterum laxans, partûs labores fœtui leuiores reddat. Hinc Lucina, quæ & luna est, à parturientibus inuocatur:[t] quia proprium eius munus est, corporis rimas distendere, & meatus laxare: quod accelerando partui accommodatissimum est. Quoniam vero embryon frequentiùs solet, ad iniuriam partûs ferendam, septimo mense non satis robustum esse: vlteriorem in vtero moram trahit, vt firmamentum ac robur, quod sibi deest, assequatur. Octauo igitur Saturnum ad principatum reuocari existimant: qui vt principio fœtum refrigerando, eidémque torporem inferendo, illum matri grauem & onerosum reddat, suáque siccitate humores extenuando, embryon suo genio defraudet. Quòd si per id tempus fœtu sic affecto partum fieri accidat, non posse viuere rentur. Nono verò mense Iouem iterum fœtui dominantem, quæ perfrigerata sunt calefaciendo, & quæ extenuata adaugendo: embryum natiuo vigori restituere: ac temperato suo humore, laxando & lubricando, orificium vteri aperire aiunt, ac facilem partum reddere, vitalésque fœtus in lucem producere profitentur.

Astrologorum alij pro natura & conditione aspectuum Solis, ad signum, in quo is mouebatur, dum conceptus fuit infans, fieri inquiunt, quòd hic sit vitalis, ille verò intereat. Aspectus autem quadruplices statuunt: sextilem, quadratum, trinum, & oppositum seu diametralem. Sextili aspectu ea signa se intuentur, quæ sexta circuli parte inter se distant, & alterna serie ab inuicem disiunguntur Quadrato ea se aspiciunt, quæ quarta peripheriæ parte ab inuicem absunt: vt quæ tertia, trino: & quæ integra circuli medietate dissociantur, oppositis sibi occurrunt radiis. Sextilem mediæ amicitiæ aspectum appellant: quòd vt inquiunt, signa quæ se eo modo intuentur, in sexu, atque in altera qualitatũ conueniant. Tetragonum mediæ vocant inimicitiæ; quòd signa sic cõstituta in sexu, & altera qualitate sibi inuicem aduersentur. Trigonum perfectæ amicitiæ aspectum nuncupant: quòd signa quæ se per triangulum aspiciunt, sint eiusdem triplicitatis & consimilis naturæ. Oppositum tandem, censent esse perfectæ inimicitiæ: seu quòd, vt inquit Ptolemæus,[u] iuxta antithesim eiusdẽ generis situm nacta sint: seu vt vult Cardanus,[x] quòd maximè distent inter se mensurata diametro: seu denique vt videtur placere Pontano,[y] quòd eorũ radij sibi inuicem aduersantes obuiã facti & alteri in alteros impacti, collidentes sese, discordes & inimicas alterationes in his inferioribus excitent.

[o] Hipp. lib. de carn. ad fin.
[p] Seneca lib. 7. de benefi. in principio.
[q] Cit. lib. de carnibus.
[r] Alchabitius tract. isagogico de iudicijs Astrorum. Author lib. de comp. membror. Galeno ascriptus, atque alij.
[s] Ita Aponensis in conciliatore diff. 49.
[t] Macrobius lib. 7. Saturn. cap. 16.
[u] Lib. 1 quadripartiti c. 12.
[x] C. 6. in tex. 46 lib. eiusdem Ptolemæi.
[y] Lib. 1. de reb. cœl. c. 12.

Si ergo inquiunt,Sol signum,per quod ferebatur quando conceptus fuit foetus, opposito aspectu tempore partûs intueatur: quod septimo mense accidit: quia quicumque Solis aspectus beneuolus est,& vitæ amicus,viuus quidem nascetur infans,sed qui vix educetur, quòd signa, per quæ ille fit aspectus,acerrimas inter se inimicitias gerant. Si verò Sol signum quod tempore conceptûs percurrebat,accedente partu,trino aspectu intueatur, vt nono mense aduenit: quia ambo ea signa sunt eiusdem triplicitati ,qui nascetur foetus,perfectus & vitalis edetur. Quòd si contigerit partum in decimum mensem protrahi,quia tunc Sol pu ctum zodiaci,in quo hora conceptûs versabatur, tetragonaliter aspicit:natus quidem,inquiunt,viuet;sed cum ea difficultate,vt ex leui errore intereat. At si partus in vndecimum mensem differatur: quia sextilis radius debilis est virtutis, qui etiam tunc nascetur aiunt,cum aliqua difficultate viuet. Sed qui octauo mense prodit: quoniam tunc,inquiunt,Sol nullo aspectu intuetur signum per quod ferebatur,quando concepta fuit genitura,educari non potest,& ad vitam prorogandam ineptus esse iudicatur.

Atqu his viis,scriptores prædicto problemati satisfacere conantur. Sed in singulis aliquid inest quod nos aliò diuertat,& non patiatur nos illis assentiri.

Hippocrates enim (seu potiùs Polybius,qui libri de septimestri partu est author) præter rationē & experientiam, affectionem illam nascendi, septimestri foetui imponit: & perperam octimestres omnes per quadraginta dies vel ægrotare,vel pro infirmit te languere scripsit. Præter ationem inquam. Quòd cum pauci septimo mense sint perfecti seu mauis,vt ipse loquitur, maturi, & ad partus labores ferendos satis robusti, hi autem soli secundū naturam exitum ab vtero affectent:pauci etiam per id tempus à maternis visceribus erumpere tentent Experientia vero comprobatur, mulieres quidem aliquas singulis mensibus,non septimo solùm,insolitam quamdam vteri, aut foetus concitatio nē persentire,atque eo grauiorē quo grandior est foetus:sed plurimas etiam cōstat nullā ante molestiam pati quàm pariendi tempus aduenit,& foetus iam exclud tur. Præterea nulla potest excogitari causa,quæ foetibus quantumuis dispatiliter temperatis, æqualis semper durationis imbecillitatem ex illo septimestri nascendi conatu imprimat: ita vt nullus, ante dies quadraginta, pristino robori restituatur. Quod si nonnullæ,ferant se per octauūmensem difficillimè vteros ferre: multo plures inueniuntur, quæ ad finem noni parientes,toto eo mense,licèt embryon integra sanitate fruatur,grauiores tamen quàm octauo molestias patiantur. Quare cùm neque foetus omnes septimo mense egredi ab vtero tentent: neque quicumque id f ierint conati, cogãtur quadragenariam infirmitatem pati:propositæ hypotheseos causam n n fuisse ab Hippocrate sufficiēter assignatam,fateamur necessum est. Præsertim cum si accideret quempiam centesimo & octuagesimo secundo die (quo nasc untur etiam aliquando vitales)vt lucis vsurâ frueretur frustra moueri: posset hîc quadragenariam etiam illam infirmitatem passus in duodecim succedentibus diebus, octauo mense,& vitalis nasci Cùm enim octo lunares menses. ducentis triginta quatuor diebus & horis penè quatuordecim constent;centum & octoginta duos dies cum dimidio, quinquaginta duobus diebus super. bunt:ex quibus etsi quadraginta ad contractam imbecillitatem reparandam insumi concederemus,duod cim dies adhuc octaui mensis superessent,in quibus fœtum octimestrem, robustum,vitalemque nasci nihil vetaret.

Quæ verò ab his qui numeris fauent in medium allata sunt, licèt plurimis magnæ eruditionis viris probentur:eo solo nomine improbanda videntur,quòd numeri ad nullius rei aut productionem aut efficientiam sint apti,illisque nulla insit agendi vis nullàque facultas. Etenim cùm ex vulgari philosophorum effato,quodlibet sic se habeat ad operari,vt ad esse: numerorum verò *sola* vel minimæ sit entitatis,vel totum suum esse formale à rationis figmento mutuetur: eorumdem vel minima,vel nulla potiùs erit actiuitas, nullàque *δύναμις*. Atque ideò meritò cum Aristotele [z] Galenus [a] eorum sententiam vanam esse censuit,qui numeros principia rerum omnium esse rebantur. Et ne septenario maiorem vllam quàm aliis vim inesse credamus Reuchlin [b] summus & Cabalista,& Pythagoræu ,numerum septenarium inquit esse otiosum,nihil generantē:quem Plutarchus,[c] à Pythagoræis Mineruam quæ sterilis est,dici scribit Namque ad eam vsque vesaniam ventum fuisse,adnotauit Galenus: [d] vt numerorum hunc Mineruam alterum Dianam, atque alium Apollinem appellarint. Imò vt quæ numeris,ipsique septenario tribuuntur, meræ nugæ appareant: liberum est cuique otio abuti volenti,tot,imò & plura ad ei s vim deprimend m inuenire quot ad eius potentiam extollendam,plurimi ex vana obseruati ne, præter rationis fundamenta proponunt. Quem cùm perfectum appellant;indicant se nescire perfecti numeri conditionem.Euclides enim [e] perfectus numerus est inquit,qui suis ipsius partibus est æqualis:cumque pars [f] sit numerus numeri, minor maioris,cùm minor metitur maiorem,& s ptenariùs à nullo numero minore se præterquam ab vnitate(qua n Mathematici hoc loco numeris annumerant)mensuretur.

z Lib. 13. & 14 metaph. per multa cap.
a Lib. 3. de dieb. dec. c 11.
b Lib 3. artis Cabalisticæ paulò à principio.
c Lib. de Iside & Osiride.
d Loco recens citato.
e Lib. 7. def. 23
f Euclides lib. eod. def. 3.

Septenarius perfectus dici non potest. Senarius potiùs huius est ordinis: cuius partes sunt vnitas, binarius, & ternarius, à quorum singulis mensuratur, ab hisque coniunctis, senarius completur.

Quæ verò septenario tribuuntur, non à septenario fiunt: sed talia sub septenario per accidens fieri contingit. Crises enim non septenarius, sed Luna pro materiæ aptitudine, sæpiùs septenario promouet; facit natura. Cætera in quibus plurimi ludunt, & quibus imbecilliora ingenia illudunt, vel ad septenarium detorquentur, vel aliunde habent quòd septenario concludantur. Vnde Aristoteles [g] ætates non per hebdomadas distinguendas, sed naturæ diuisionem esse sequendam scribit. Neoclimactericorum vlla est particularis vis: quibus si moriuntur aliqui, alij per eosdem se optimè habuisse testantur. Et si velimus ad morientium annos attendere, quibusque mori aliquos aduertemus: pluresque per singulos ætatum annos ante senecturem interire, quàm ad sexagesimum tertium peruenire. Fateor per interualla quædam annorum, solere plurimos, in ægritudines citra euidentem causam incidere. Non tamen vt censuit Bonauentura, [h] ex temperamenti mutatione per ætatum successionem: cùm ea mutatio ex naturalibus principiis sensim, non affatim inuehatur. Vnde Hippocrates, [i] mutationes non ætatum, sed temporum atque speciatim magnas, quas & repentinas esse oportet, morbos parere pronunciauit. Sed potiùs vt rectè visum fuit Lemnio, [k] quòd secundæ tertiæque coctionis excrementa, paulatim in vasis cogesta, perque solidarum partium substantiam effusa, tandem aliquando deteriorem conditionem per moras contractam exerant: nisi natura excretionem quasi criticam antè molita, imminentem inde noxam præueniat. Attamen nullus est definitus terminus, ad quem vsque, neque vlterius, natura possit huius cacochymiæ pondus innoxiè sustinere: sed citiùs in quibusdam, tardiùs verò in aliis, & sæpiùs ex procatarcticis causis excitati, morbi recurrunt. Neque perturbationem quam à climactericis excitari aiunt, veram & constantem esse experimur: cùm illi, neque omnibus, nec quidem plurimis sint infesti. Inueniuntur enim qui vitam in multos annos producentes, inculpata sanitate fruuntur: alij quotannis, & quod mirum quidam ipso die natali ægrotant: [l] nonnulli cùm ad annum vsque vigesimum, trigesimum, aut alium quemcumque sani fuerint, postmodum in diuturnam ægritudinem incidentes commoriuntur: alij demum sæpiùs in vita acutè ægrotant, nulla tamen obseruata scalarium annorum gradatione. Tandem si ea, quibus septenarij potentia extollitur, essent alicuius ponderis: multo maior foret quinarii, quàm septenarij dignitas. Etenim quinarius ex ternario primo impari, & binario primo pari componitur. Qui, si natura ex numeris generationis principia mutuaretur: vt primi sunt numerorum, sic rerum naturalium essent principia.

Et quinarius qui constat ex ambobus, numerorum omnium in rerum generatione, fœtuum formatione, & partu procurando efficacissimus esset. Quæ cùm aduerterent antiqui, eumdem fœcundissimum esse dixerunt: quem Pythagorici matrimonium, & nuptialem numerum appellarunt: ex mare & fœmina compositum. In cuius gratiam quinque faces in nuptiis antiquitùs accendebantur. Eumdem rerum naturalium perfectiuum dixere [m] principium; quòd corpora soliditatem nacta à puncto, linea, superficie & profunditate; à quinario formam, complementum essentiæ tribuentem accipiant. Sed & Plato ipse [n] rerum omnium naturalium principia quinario comprehendit: eaque inquit esse, quod est, Idem, aliud, motum, & quietem. Quinimo Peripatetici rerum omnium natura constantium quatuor causas agnoscentes, ex quarum vi, distinctus ab illis emergat effectus; omnium rerum productionem quinario complectuntur. Atque ideò prisci non immeritò videbantur Apollini generationum causæ vniuersali, hunc numerum, vnitatémque dicare. [o] Quoniam quæ priùs diuersa, mutuo concursu generationem faciunt; eadem perfecto opere vnum fiunt in genito. Ac tandem Pan, quo mundum & vniuersam hanc machinam connotabant, quasi πέντε dicitur: quòd quinarius, ab illis vniuersi principium esse crederetur.

Sed omissis omnibus his numerorum nugis, in illos conuertamur: qui propositi problematis causas ad astrorum vim referunt. Quorum priores reciprocum illud planetarum per singulos mẽses in genituram dominium proponentes, ideò errare censemus: quòd si vnus omnium generationis principio Saturnus præesse dicatur, cùm dispositiones à planeta horæ cõceptûs domino fœtui impressæ, natiuam & ingenitam embryj crasim constituant: admittere etiam oporteat omnes homines Saturnios esse, & consimili temperamento præditos. Nam (vt scribit Ptolemæus) [p] semel in initio cũ pro ratione circumfusi cœli suam qualitatem semen induit: licet succedẽtibus temporibus corporatura diuersa fiat, cùm tamen propriam tantùm materiam natura augescendo sibi conciliat, magis imitatur primum illum statum suum, & peculiarem priusque impressam conformationem. Neque cæterorum planetarum influxus, possent emendare, quod principio à Saturno foret impressum: cùm prima illa & princeps configuratio ea sit, quæ totius vitæ speciem, formámque repræsentat: cuius qui dominus est, & Almutem seu vincens appellatur, idem vitæ rector dicitur; isque in reuolutionibus annuis, pro variis ad alia sidera aspectibus, varióque cum aliis concursu, casuum per inte-

g Lib 7 polit. cap. 17.
h Lib. 6. de octimestris partus natura cap. 51.
i Lib. 3. aph. 1.
k Lib. de occult. naturæ mir. cap. 32.
l Plinius lib. 7. cap. 51.
m Plutarchus in opusculo citato.
n In Sophista.
o Plutarchus in opusculo de Iside.
p Lib. 1. quadripartiti cap. 1.

gram vitam obuenientium moderator & author existimatur. Praeterea quisquam est sanae mentis qui non discerdat hoc merum esse figmentum; quòd singulis penè dierum horarúmque momentis hac aut illa concipiente.

Saturnus quasi excubias agens quamprimùm concepta est genitura, eius curam suscipiat, & primo à conceptu mense sibi in singulos foetus assumat imperium: singulique planetae constanti lege, situs ordinem obseruantes, ad menstrualem opem foetibus seriatim praestandam, sibi inuicem succedant. Ridiculum est velle persuadere, sidera quaecumque illa sint, ea officia hominibus praestare: quae, cum rationali quadam agendi libertate dispensentur potiùs, quàm naturalem eorum operandi necessitatem sequantur. Inferiora haec & elementaria, sic à coelestibus alterantur, vt pro hac aut alia siderum configuratione, alius atque alius occurrat influxus, qui in sublunaria non ex arbitrio, sed pro insita necessitate agendi operetur quantum potest. Sed demus commentitiam hanc hypothesim veram esse, & septimestres exinde probari vitales nasci. Quae tandem est illa Saturni malignitas, quae prohibeat octauo mense editos viuere, nec possit ab aliorum siderum fauorabili concursu mitigari? forsánne qui vigente cane per medios aestatis feruores, octauum in vtero mensem agunt, dum qui libero aëre ad perfrigerium fruuntur ardent, effuso à Saturno frigore torpebunt? vel intra viscera euchymae matris, circa plenilunium ipsum, per humidam simúlque tepidam aprilis constitutionem, ex alimenti à Saturno extenuati penuria marcescent? At tandem cogitent quàm falsò Saturni influentiis eam tribuant cacoëthiam: cùm Ficinus [q] memoret natum Florentiae infantem octauo à conceptione mense, mense martio, nocte, & ascendente Saturno retrogrado, qui in triennio vixerit. Si enim Saturnus in horoscopo constitutus & retrogradus, Sole sub hemisphaerio latente, octimestrem hunc passus est ad triennium vitalem nasci: ita ue is dicetur octimestribus esse infensus, vt propter eius octauo mense dominium, nullus octimestrium viuat? Nec potior est posteriorum Astrologorum sententia, qui rem totam referunt ad varios aspectus solis ad signum, per quod is mouebatur dum conceptus fuit infans. Sed enim Pico Mirandulano [r] credamus omnes illas aspectuum hypotheses vanas, nullóque probabili fundamento innixas fusè & acurè probanti: seu etiam quae Genethliaci de aspectuum amica & inimica vi referunt admittamus: multa occurrunt quae praedictorum sententiam oppugnent. Ac principio quidem quòd ex eorum suppositionibus sequeretur, deteriùs esse septimestribus, ob inimicum oppositi signi aspectum, ex occulta antithesi & contrarietate (vt loquitur Ptolemaeus) [ſ] efficienter noxium; quam octimestribus: ex eo quòd Sol non denegato vniuersali concursu, quem simul cum lumine in sublunaria omnia diffundit, hoc solùm habeat, quòd locum conceptionis nullo intueatur aspectu. Praeterea, licèt vis à Sole in haec inferiora diffusa maxima sit, vti à siderum omnium principe à quo caetera lumen mutuantur effusa: non tamen is solus, suo lumine suisque influentiis in elementaria haec agit. Sed caeteri etiam planetae, atque alij coelestes ignes aplanes, suas vires impartiuntur, suásque in haec sublunaria influentias effundunt: à quarum omnium mutuo concursu, pro diuersa siderum configuratione, vario, differentes producuntur effectus. Vnde Ptolemaeus [t] Astrologorum princeps, hoc enim acquirit, inquit, vt iuxta coeli circumfusi constitutionem in lucem edatur, cùm natura post maturitatem foetûs, ad conuenientem situm similémque illi, in quo primum informari coepit, partum vrgeat: vt meritò, & huius generis effectionum existimare conueniat significationem, esse quae in partu contingit astrorum constitutionem. Quare singularis ille Solis aspectus, non potest esse totalis causa propter quam nascentes hoc mense viuant, alio verò educari nequeant. Tandem Astrologi, indicia vitae aut mortis natorum, desumunt ex his, quae in instanti natiuitatis cuiusque, vitam nato vel dare vel detrahere, eidémque commodam nutritionem polliceri, vel negare existimant.

Sed nulla vitae aut mortis iudicia sumunt, ex diuerso solis aspectu ad signum, per quod tempore conceptus mouebatur: quin potius ex foelici aut infoelici constitutione, tum aphetae seu hylech & ptorogatoris vitae, quem Graeci κύριον τῆς ζωῆς appellarunt, & vulgò cuspis ascendentis seu horoscopi esse creditur, tum ex dispositione alcochodon idest datoris vitae, seu planetae vel domini ascendentis, vel fortissimi & fortunatissimi in uariuitate; necnon ex vi ac fortitudine anaeretarum, quos occisores vocant: vt prae caeteris fusè ab Origano [u] explicatum legitur. Non ergo septimestrem vitalem nasci, octimestrem verò non viuere, à Solis aspectuum superiùs explicata diuersitate dependet: sed aliam huius causam, etiam ab Astrologis assignari necessum est.

Quare cùm praedictarum sententiarum nulla nobis probanda esse videatur: quid ipsi sentiamus, iam proferendum est. Sed vt arduam hanc disputationem & mille tricis inuolutam, rectâ methodo excutiamus, ipsámque veritatem è controuersiarum latebris erutam propalam efferamus: primùm foetûs in vtero conformatio, quae praecedit animae introductionem, breui oratione enarranda est; mox varia partûs acceptio explicanda; exinde naturales regularésque partuum termini, ab irregula-

[q] In praefatione ad lib. 3 de vita coelitus compar.

[r] Lib. 6. in Astrologiam cap. 5. 6. & 7

[ſ] Cit. lib. 1. de iud. astror. cap. 12.

[t] Lib. 3 de iudic. seu quadrip. cap. 1.

[u] Lib. 3. intro. ephem. cap. 1. 3. & 4.

gularibus & his qui praeter naturam, sunt distinguendi: ac tandem quos vitales, quosque ad viuendum ineptos statuere expediat decernendum.

Mascula ergo genitura, mare eiaculante, & foemina alliciente, in vterum effusa: materno primùm vnitur semini, dum matrix illicò ne massa ex vtriusque seminis permixtione composita, aut excidat, aut illi externum aliquid permisceatur, se tam arctè claudit, vt ne cuspidem quidem acûs admittat. Vtque idem vterus geniali eo humore totus fruatur: se sic contrahit, vt semen vndequaque comprehensum suaui adhaesione complectatur. Quod statim sui caloris vi, quadam quasi pultacea crusta inuoluit, & leui pellicula superuestit; quae futura est totius foetûs tegumentum, quod per operis incrementa in duplicem membranam, chorion, atque amnion discernitur.

Semen verò eo inuolucro conclusum, à circumfuso calore rarefit & attenuatur: eóque in partes heterogeneas ex quibus constat distincto, insitus illi genitalis spiritus, à reliquo totius seminis crassamento secernitur. Genitalis, inquam, spiritus qui ex animali & vtriusque sanguinis in parastatis excocti vapore in testibus genitus: in facultatis formatricis instrumentum destinatus, reliquias crassioris materiae sic deinceps dispensat, alterat, disponit, & efformat, vt ex celeritate agendi, & ex gratia operis, tantum stuporem mentibus inferat, vt si spiritum hunc instrumentum Plasmatoris agnoscamus, non alium Plasmatorem quàm aut intelligentiam aliquam, aut Deum ipsum confiteamur. [x Cap. 10.] In quo conceptu Iobum insequimur, qui x stupendum nostrae mortalitatis plasma admiratus, in haec erumpebat. [y Psal. 138.] Manus tuae fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu. Atque idem in Psalmis y profitetur Regius Propheta: tu formasti me, inquiens, & posuisti super me manum tuam. [z Cap. 44.] Idipsum inclamat Isaias, z haec dicit Dominus faciens & formans te ab vtero. Quinimò Galenus formatricis potentiae vim summam agnoscens, at quis eius author esset ignorans: librum de formatione foetûs his claudit. Tantùm igitur hoc habeo, quod de causa animalium formatrice asserere posse existimem, quod summa in ea ars summáque sapientia inest. Princeps ergo tanti opificij Plasmator, seu Deus esse dicatur conditioni rerum quarum impotentiam supplet se suauiter accommodans, seu Angelus, vt Tertulliano a placuit: eo penè ordine, quem explicaturi sumus, nostri corporis formationem aggreditur & absoluit. [a Lib. de ani. cap. 37.] Cuius seriem coniectari quadantenus cùm liceat: eam tamen, vt ausi sunt nonnulli, certò exprimere nemini conceditur. Principio ergo ex crassiore illo intra pelliculam concluso liquore, qui totius figmenti materia est, tres excitantur bullae, in scaleni amblygonij figuram dispositae: quae in futuras tres principes partes destinantur. Simulque lineamenta ducuntur solidarum omnium & spermaticarum partium, quae vel foetûs corpus componunt, vel illi dum in vtero est, alimoniam suggerunt. Dúmque caeterae tenui primùm deumbratae penicillo, sensim deinceps elaborantur: vmbilicalia vasa ita absoluuntur, vt per ea sanguis ex matre & sugi & suggeri possit, tum ad concretionem carnium, tum ad totius figmenti incrementum. Mox hepar sanguinis fons, αἱματώσεως officina, & venarum principium, ex effusione tepidioris sanguinis, in dextrae bullae cauitate circum fibras in venas destinatas concrescentis, efformatur. Atque hoc quidem viscus, primò effingitur: quod facultatis naturalis atque ideò vegetantis primarium instrumentum, foetui primò vita vegetante vso, prae caeteris sit necessarium. Ad calorem autem princeps instrumentum animae suggerendum, nulla est in embryo necessitas: cùm quandiu matri adhaeret, per vmbilicalem arteriam sufficiens caloris fomentum excipiat à matre. Cumque eò iam deducta est formatio, vt quod effictum est nutritione indigeat per intus susceptionem alimenti, atque ideò vitalem formam animámque vegetandi capacem, vt informetur expostulet: tum in corpus ita dispositum, & ad eam organizationem deductum, anima rationalis infunditur: non praeexistens & à coelo delapsa: sed infundendo creata, & creando infusa, Dei imago, spiritalis, & immortalis. Anima quidem rationalis: quae vegetantem & sentientem eminenter comprehendens, vegetantis tantùm operationes exerit; mox verò sentientis etiam: vt ratione tum solùm vtitur, cùm natus infantiam iam superauerit. Quod quoto die adueniat, plerique disputant; varijque in diuersas sententias distrahuntur. Communis Theologorum, Philosophorum & plurimorum Medicorum opinio est, mares die quadragesimo animari, foeminas octuagesimo. Tunc enim primùm embryon in vtero moueri vulgari mulierum experimento confirmatur: quòd euidentis vitae, & certae (vt ita loquar) animationis manifestum signum est. Hippocrates contra libro de carnibus; seu quicumque eius libri sit author, non contemnendae authoritatis: porro, inquit, vita hominis septem dierum est. Primum etenim postquam genitura in vteros peruenit, in septem diebus habet quaecumque corpus habere debet. Mirari autem quis possit, addit, quomodo ego id sciam, verùm multa ego vidi hoc modo. Meretrices publicae, quae saepiùs de seipsis periculum fecerunt, vbi cum viris rem habuerint, sciunt quando in ventre concipiant, & postea conceptum intra se perdunt. Postquam autem iam perditus est, elabitur velut caruncula. Hanc carunculam in aquam coniectam si conspicatus consideraueris, omnia membra habere reperies, & oculorum regiones, & aures, & manus, & manuum digitos, & crura, &

pedes, & pedum digitos, & pudendum, & reliquum totum corpus manifestum. Ac quoniam illi obijci poterat, definitum conceptionis diem nesciri: statim adiungit. Satis etiam manifestum est harum rerum peritis, quòd mulier cùm in ventre concepit, statim horret, & calor, & dentium stridor consequitur, & contractio quædam [b] occupat tum articulos, tum totum corpus, & vterum segnities ac torpor. Et quæ puræ sunt hoc perpetiuntur. Quæ verò crassæ & mucosæ, pleræque non percipiunt, nec cognoscunt. Certè quatenus mihi ostenderunt, hoc ipsum se cognouisse, catenus scio an prodo. Atque hæc quidem Hippocrates, in suæ sententiæ confirmationem, tanta cura recensuit: vt nihil præter contrarium experimentum opponi valeat. In experientia autem ad hanc rem facienda, obseruandum est: effluxus, aut aborsus differentibus admodum terminis exclusos, tamen pariter conformatos apparere. Aduerti enim aliquando, die decimo quinto à conceptu effusam genituram in oui testa nondum obducti modum, tenui pellicula obductam; quæ discissa membrana nullam aliam conformationis speciem repræsentaret, quàm trium bullarum, & prætenuium fibrarum illas circunstantium: cùm tamen ex Galeno [c] colligamus, eam vix sex dierum esse conformationem. Ita & fœtus masculos paris magnitudinis, & æqualis conformationis, menstruos, & bimestres vidi. Licèt autem varium tempus inter conceptum & effluxum, aut aborsum intercesserit; parem tamen conformationem alterutrius obseruari accidit: non solùm ex eo quòd fœtus alij alijs tardiùs conformentur; seu ob diuersam seminum temperiem, differentemque eorundem consistentiam, seu ob varium vterorum calorem: sed qòd aliquando genitura aut fœtus statim excludatur, atque vtero adhærere cessat; aliàs verò intra vterum per plures dies commoretur, antequam expellatur.

Quare cùm vel non liceat, vel temerarium videatur efferre quoto die & fœtuum formatio absoluatur, & quando ijdem præcisè animentur. Hoc vnum tamen ausim affirmare [quod alibi [d] fusiùs à me disputatum est [statim atque spermaticæ partes embryi conformatæ sunt, & illi vera nutritione est opus: animam in organizatum corpus infundi, in quo primùm vegetantis, mox animalis, ac demùm etiam aliquando rationalis actiones exerceat. Quocumque verò tempore perfecta sit embryi organizatio, & seu ea ante absoluatur, seu ad quartum mensem eiusdem complementum, vt quibusdam placet, differatur: quia tamen fœtus mollior adhuc & in colostri modum vix coagulatus, sibi necessarium robur nondum est assequutus: eousque in vtero continetur, donec grandior factus, firmiòrque redditus, ad vitæ opera citra matris influxum edenda sit habilis. Quò cùm peruenerit, eámque maturitatem attigerit, vt per os assumere alimentum valeat, tunc nascitur è his causis partum prouocantibus, quas suprà recensuimus.

Sed partuum multiplex est ratio. Vel enim sponte, & secundùm naturam, fœtus legitimo tempore viuus editur: & verè, ac propriè partus appellatur: vel illata vi & præter naturam expellitur à aborsúsque, aut abortus nuncupatur: vel tertiò exciso emortuæ aut ægrè parientis matris ventre, ab vtero extrahitur; & partus cæsareus dicitur. Verùm quia non omnes eam abortûs significationem admittent, quàm varia sit eius vocis acceptio, & quo sensu à nobis sit vsurpanda; antequam vlteriùs progrediamur explicandum est. Aliqui inter recentiores, [e] abortum eum omnem partum dicunt, qui etsi viuus natus sit, viuere tamen non potest. Alij, [f] eum solum abortum appellandum censent, qui ante septimum mensem sit editus: nonnulli [g] verò duplicem abortûs differentiã statuunt: eius scilicet qui licet viuus, ante septimum tamen mensem editur; & alterius qui cùm tardiùs atque intra legitimum tempus nascitur, mortuus tamen, vel moriens excluditur. Nonius Marcellus inter Latinos [h] sic abortum ab aborsu distinguit: vt abortum vocet, propè tempus pariendi natum; aborsum verò illum dicat, qui fit in primis mensibus, cùm conceptui exordium factum est. Ita vt aborsus ab abordior, abortus autem ab aborior deduci videatur. Græci cùm multò plures voces habeant quàm Latini, quibus idipsum significant, quod nos abortûs voce efferimus, rem exactiùs distinguunt; hancque frequentiùs differentiam obseruant: vt quicumque aborsus, generali nomine ab illis ἀποφθορὰ [i] vel διαφθορὰ; [k] vel etiam ἀπόφθαρμα [l] dicatur: quasi abortus, sit quædam ad nascentis corruptionem terminata expulsio. Particulatim vero genituræ & κυήματος effluxiones intra septem dies à conceptu aduenientes, appellant ἐκρύσεις. [m] At fœtum in vtero mortuum quem natura expellere tentat, vel ipsam vi illatam expulsionem partui funestam; Hippocrates, τρωσμὸν appellare consueuit. Sic libro primo de morbis muliebribus, [n] ὁκόσα δὲ, inquit, τρωσμῶν γινομένων, μὴ ἀπαλλάσσεσθαι δύναται idest quicumque abortus facti non possunt exire. Tum eodem libro vbi de curatione abortûs tractat, ὅταν ἡ γυνὴ ἐκτρώσῃ, καὶ τὸ παιδίον μὴ ἐξίῃ, ἢν τε σαπῇ καὶ οἰδήσῃ. Idest, cùm mulier abortum fecerit, & puer non sit egressus, sed fuerit putrefactus & intumuerit; nec non in coacis. [o] Spiritus qui cum suspiriis extra fertur, & colliquatio præter rationem, in vterum gerentibus ἐκτιτρώσκει, idest abortum facit, seu in vtero latenti interitum adfert. Etenim cùm talis respiratio superabundantium fuliginum sit index, colliquatio autem latentis caloris acris & humidum

b Sic malim legere quàm cum Cornario conuulsionem dicere.

c Lib. 1. de semine cap 1.

d In parte Theor. artis in decã tract. 2. lib. 4. c. 8.

e Paul de Castro in l. uxoris abortu c. de posth. hær. instit. & Alciatus in l. qui mortui ff de verb signific.

f Mercur lib. 2 de morb. mul. cap. 1.

g Bauhin lib. 9 de nat. ocl. partu cap 5.

h Lib de diff. verbor.

i En voce vtitur Hipp. lib. 5 epid. sect. 2. agroto 10. & 11. lib. 4 eiusd. in principio. & vbi de Temenea ægra loquitur.

k Hipp. in coacis cap 14 sent. 5. ex par. Opsop & Arist. lib. 7. de hist anim. cap 3.

l Hipp. 4 epi. sect. 2.

m Hipp. lib. de sept partu & Arist. cit. 7. de histor. anim. cap 3.

n A quo inde post initium.

o Cap 14 sent 5. ex par. Opsopæi.

midum membrorum fœtæ non ſine cacoëthia eliquantis: ab his fœtum in vtero ſuffocari neceſſum eſt. Aliquando verò in aphoriſmis [p] verbo ἐκτιτρώσκει, & ἐκτιτρώσκουσι vtitur; pro eo quod eſt, fœtui, intempeſtiui partûs, ac mortis ſimul cauſam eſſe. Nonnunquam tamen τρωσμὸν Hippocrates [q] cum Ariſtotele [r] pro quacumque iam formati embryj violenta & intempeſtiua excluſione aſſumit. Demum fœtus qui iam ſeptimum menſem ingreſſi, non à natura, ſed vi expelluntur, ἐκβολὰς ſeu expulſiones & eruptiones dici poſſe ex eo coniectamur quòd Hippocrates libro quarto de morbis mulierum [s] ἐξέβαλε θῆλυ ἑβδόμῳ μηνί, ideſt puellam ſeptimo menſe eiecit, pro abortiuit; dicere maluit quàm ἐκτιτρώσκειν, aut ἀμβλώσκειν. Quod verbum atque ex eo deductum nomen ἀμβλώσεις apud Atticos teſte Galeno [t] imperfectam partûs emiſſionem ſignificabat pro quo eodem authore, Hippocrates ἀποφθορὰν vſurpare conſueuit. In tanta autem vocum varietate, & diuerſa eiuſdem Latini nominis acceptione vt quid per abortum propriè intelligi velimus explicemus, aduertendum eſt abortum conſiderari poſſe vel à Medico, vel à Iuriſperito. Medicus rei naturam attendit, parum de nomine ſollicitus, vt ſæpè Galenus monuit. Iuriſperiti verò quò iuris controuerſias propiùs ad æquitatem dirimant, ambages vocum euitantes præciſum vocibus ſignificatum imponunt, & ſe illi ſemper accommodant. Apud Iuriſperitos ergo cùm primus pariendi terminus legum decreto auctoratus ſit dimidius ſolaris annus completus; [u] atque is qui centeſimo octuageſimo ſecundo die naſcitur, iuſto primum tempore natus cenſeatur; & qui deinceps ſpirans editur, [x] licèt illicò deceſſerit, [y] teſtamentum rumpere dicatur: abortiuus autem partum efficere non videatur, [z] nec rumpat teſtamentum. [a] Sequitur apud eoſdem illum ſolum verè abortum dici, qui ante legitimum pariendi tempus naſcitur. Qui enim mortui naſcuntur, neque nati, neque procreati exiſtimantur: quibus, ne abortûs quidem nomen conceditur. [b] Atque eo ſenſu communiter apud Latinos abortûs nomen vſurpari, Plinium alióſque euoluendo, facillimùm eſt aduertere. Sic Feſtus, abortum grauidæ mulieris dici ait, quòd non ſit tempeſtiuè ortum. Et Nonius, abortum vocat, propè tempus pariendi natum. Si verò non tam vulgari vſui adhærentes, quàm ipſam rei ſignificatæ naturam ſpectantes, voces interpretemur: cùm per abortum eum fœtûs ortum intelligamus, qui partui opponitur partus autem ſit fœtûs natiuitas à naturalibus cauſis procurata, eam omnem parturitionem abortum eſſe cenſeamus æquum eſt, quæ ſit à cauſis præter naturam prouocata fœtûs expulſio. Præter naturam autem fœtus expelli exiſtimamus; vel ab intempeſtiua alimenti defectione, quacumque ex cauſa aduenerit, vel à lubrica vteri laxitate, & infirma vmbilici ad cotyledones adhæſione, vel à vehementiore matris concuſſione, quam quiuis animi aut corporis motus, caſúſue excitarint; vel à violenta abdominis compreſſione; vel demum ab exhibitis, aut ſuppoſitis his qui fœtum aut abigunt, aut euocant. Quare Paulus Iuriſconſultus naturam & neceſſariam abortûs conditionem exprimere volens, [c] abortus, inquit, & abactus venter, partum efficere non videtur. Talis autem omnis immaturus eſt, quòd vel ante id tempus editus ſit, quo primùm humani fœtus matureſcunt: vel antè ſaltem, quàm maturuerit, prout particularis ſuæ naturæ conditio requirebat. Maturitatem verò non aliam hic concipimus, quàm eam roboris integritatem, quę fœtuį neceſſaria eſt, vt lac à mamma ſugat, & per os alatur. Quò cùm peruenerit, iam perfectus maturúſque vt excidat: laxiùs adhæret vtero, & ſponte proprióque conatu erumpit in lucem

Inter hos autem naſcendi modos, is ſolùs qui partus propriè vocatur ſuos habet terminos à natura, & rerum omnium conditore conſtitutos. Qui ſolitus omnia pro ſingulorum conditione ſuauiter diſpenſare: quia hominum inæquale & diſpar eſt temperamentum, non vnum & ſingularem pariendi terminum hominibus ſtatuit: ſed prout quiſque fœtus citiùs aut tardiùs ad maturitatem peruenerit, eidem citiùs, aut tardiùs naſci tribuit.

Neque tamen ea veritas indefinita eſt, ſed vti quæ ſecundùm naturam ſunt omnia, latitudinem quamdam habent ſuæ magnitudinis & durationis, certis cancellis coërcitam ita fœtus humani, quàm citiſſimè quidem dimidio ſolari anno, ſolent ad perfectionem & maturitatem partui requiſitam peruenire: quàm tardiſſimè verò, vndecimo menſe perfecto. Maximè naturalis tamen; & frequentiſſimus naſcendi terminus, nonus menſis eſt, tam lunaris quàm ſolaris completus, aut decimus lunaris incipiens. Infrequentiores autem reliqui: atque eò magis, quò vtrinque à nono menſe longiùs abſunt. Ac quoniam & citiſſimus ille, & tardiſſimus hic pariendi terminus legibus cōprobatur: qui tam his terminis eduntur, quàm intermediis temporibus naſcuntur, partus legitimi appellantur. Qui verò cis citráque hos terminos eduntur in lucem, licèt educentur & viuant, præter naturam tamen, atque etiam illegitimi dici poſſunt. Præter naturam quidem (vt habet Ariſtoteles [d]) quòd præter eam naturam ſint, quæ magna ex parte ſit, cùm præter eam quæ ſemper & neceſſariò eſt, nihil fiat. Licèt iidem ſecundùm naturam etiam quodammodo ſint, quòd quæ magna ex parte hoc aut illo modo accidunt, poſſint etiam aliter euenire. Illegitimi autem dicuntur, quòd terminos legibus deſignatos prætergrediantur. Terminos, inquam, naturæ magis

p Lib. 4. aph. 1 & lib. 5. aph. 34. 37. 38. 44 & 41.
q Lib. de ſept. partu.
r Lib. 7. de hiſt. anim. citato cap. 3.
s In medio.
t Comm. 1. in 6 epid. comm. tex. 26.
u Lib. 15. fin. ff. de ſuis & legit. hæred.
x l. 12. ff. de liber. & poſt. hæred. inſtit.
y l. 3. cap. de poſth. hæred. inſtit.
z Paul. lib. 4. ſent. tit. 9. § 6.
a l. 2. cod. de poſt. hær. inſt.
b l. 129. ff. de verb. ſignif.
c l. 1. § ult. ff. de ventre in poſſ. mitt.
d Lib. 4. de gen. anim. c. 4.

familiares: quòd [e] iura constitui tantùm oporteat, in his quæ vt plurimùm accidunt: ex his verò quæ fortè, imò aliquo casu accidere possunt, [f] iura non constituuntur. Non tamen huiusmodi partus spurios statim iudicare fas est: sed pro rei nouitate & singulari casu, nono & particulari iudicio, quid æquum sit, maturè decernendum.

Abortiuom autem, & eorum qui ventre matris exsecto in lucem prodeunt, nullus est constitutus terminus: quòd quocumque tempore, & abortire mulierem accidat, & emortuæ ventrem exscindi.

Quibus omnibus explicatis, vt quid tandem de principe quæstione statuendum videtur, effatamus. Vitales eos omnes esse censemus, qui iam perfecti & maturi, non nisi à naturalibus causis prouocati nascuntur. Cùm enim tales ita sint à natura constituti, vt debitè formati tantum in vtero incrementum acceperint, quantum requirunt vt per se deinceps alantur & adolescant: certum est eosdem ab vtero decisos liberam auram respirantes, & lac sugentes, producendæ vitæ esse capaces. Atque ideò Hippocrates, [g] quibus, inquit, nihil intra constitutum tempus accidit, singulis partus vitales fiunt.

Qui verò illata vi ante principium septimi mensis excluduntur, ad vitam producendam sunt inepti, & vitales dici non possunt. Vi námque maturitatem præueniente, neque ali deinceps possunt neque tantæ mutationis noxiam sustinere: sed fraudati genio, & grauissimè dum euelluntur affecti, intereunt. Nec obstat Senatusconsulto Parisiensi (vt apud Renatum Chopinum [h] legitur) patrem hæredem pronuntiatum filij quinto mense exsecto ventre matris editi, ac respirasse visi. Cùm peculiare quidpiam illi casui esset annexum, quòd tantos iudices ad ita iudicandum incitaret. Etenim in eodem Senatu, casum referente Illustrissimo Domino Domino du Vair; cùm de hæreditate matris ageretur, quam pater, filio quinto mense cum spiritu ab exsecto vtero extracto, adire præsumebat: vbi Medici consulti, responderunt natum quinto mense secundùm naturam viuere non posse: quoniam Iurisperiti idem censent, ita nasci vt viuere non possit, ac mortuum nasci: [i] hæreditas, defunctæ matris hæredibus, adiudicata fuit. Idémque anno millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, ab eodem Senatu sancitum à Louerio refertur: [k] & in simili casu par fuit iudicium Senatus Aquensis anno millesimo sexcentesimo decimo quarto, causam recensente Domino Rascassio, Domino do Bagarris Senatore æquissimo. At qui septimo mense non tam nascuntur quàm abiguntur, aut immaturi cæso vtero extrahuntur, nec non qui octauo per aborsum expelluntur, minimè educantur. Vnde apud Hippocratem [l] plurimi ex septimestribus (abacti scilicet potiùs, quàm nati) pereunt: præsertim qui parui sunt, tantam mutationem difficiliùs ferentes, quàm qui sunt perfectè maturi. Qui præterea, quòd sæpius immaturi nascuntur, ab Aristotele [m] magna ex parte infirmiores esse dicuntur. Octauus autem mensis, etsi nihil habeat ex se funestum; quia tamen abortiui omnes immaturi sunt, & quò longiùs à maturitate absunt, eò difficiliùs conseruantur: qui eo mense, quem plurimi partubus lethalem existimant, per aborsum excluduntur, non minus prioribus intereunt; licèt per aliquot dies aliquando, sedula mulierum arte durent. Non tamen: octimestres omnes sunt abortiui; vt quibusdam olim Romæ videbatur, referente Gellio. [n] Etenim si citius aliqui & ineunte septimo iam perfecti nascuntur, & plerique omnes nono integram perfectionem assequuntur: quid excogitari potest quod vetet, aliquos intermediis temporibus, atque ideo octauo mense, maturos esse & tempestiuè nasci. Quæ enim ab scriptoribus efferuntur, vt octauum mensem partubus lethalem esse probetur: iam satis à nobis refutata fuerunt, Nec nouum est, octimestres plurimos vitales esse. In Ægypto enim, & quibusdam aliis in locis, octauo mense natos viuere & adolescere scribit Aristoteles. [o] Vestilia apud Plinium, Cæsoniam Caij Principis coniugem, octauo peperit. Cardinalis Sfrondatus, authore Cardano, [q] octauo mense est natus: duósque ipse Cardanus filios habuit octimestres.

Testatur Ficinus, [r] natum Florentiæ infantem octauo à conceptu mense qui triennio vixerit. Angenius, [s] duorum meminit quos octauo mense editos vitales obseruauit: atque alios scriptores, pares casus adnotasse memorat.

Sceuola & Ludouicus Sammarthani [t] referunt Carolum Borbonium eius nominis Tertium, Cardinalem, octauo mense natum: cum tamen Leonora eius mater, perturbata ex populari quadam seditione præmaturo eo partu geminos fuisset enixa. Quinimò vt docuit Aristoteles [u] non pauci qui octauo mense nascuntur, vel septimo, vel nono mense plerumque imputantur.

Nonimestres, vi & præter naturam expulsi [quos non abortiuos, sed per accidens natos dici voluit Federicus Bonauentura [x]] aut ventre matris exciso nati, neque intereunt omnes, vt eidem Bonauenturæ placuit, qui per accidens natos in nullo mense viuere posse scribit: neque tamen educantur singuli. Illi quidem vt plurimùm viuunt, qui ob maturitatem partui proximi, leuiore vi abacti; aut cæso matris vtero extracti; inoato robore, & matronarum cura, partûs molestiam superarunt. A discisso autem ventre matris, quosdam in longioris vitæ frugem erupisse, apud Plinium legitur [y] de eo qui primus inde Cæsar est dictus, necnon de Scipione Africano Maiore, & Manlio: vt de Sanctio Na-

uarræ

[e] l. iura constitui ff. de legib. & and. l. i. ex his ff. eodem.

[g] Lib. 2. epid. sect. 3.

[h] Lib. 3. de priuil. rustic. cap. 5.

[i] Argu. legis quod dicitur ff. de lib. & posth. hæred. instit. in verbo si nascatur an potest.

[k] In Selectis Senatusconsultis.

[l] Lib. de sept. partu.

[m] Lib. 7. de hist. anim. c. 4

[n] Lib. 3. c. 16

[o] Lib. 7. de hist. anim. cit. cap. 4

[p] Lib. 7. c. 5.

[q] In lib. Hip. de sept. partu

[r] In præf. ad lib. 3. de vita cœlitus comp.

[s] Lib. 2. de hom. partu cap. 16

[t] Lib. 11 hist. genealogica familiæ regiæ Francorum.

[u] Loco recens citato.

[x] Lib. 9. de nat. partus octim. cap. 9.

[y] Lib. 7. c. 9.

uar rę Rege testantur Hispanorum annales. Quos non à palpitante adhuc matre extrahi necessum est, vt visum fuit Roderico à Castro:[z] sed mortua etiam matre per aliquod breue tempus superuiuere possunt, seu à nondum extincto matris calore foueantur, seu deficiente soliro spirituum influxu, cor suo officio in illis fungi incipiat. Atque ideo Vlpianus,[a] si qua pręgnans, inquiens, decesserit, & vtero exsecto partus sit editus: non de ea quę in agone sit, sed de ea quę iam interiit, apertè loquutus intelligitur. Quod pręterea euidenti exemplo confirmatur. Legitur enim apud Valerium[b] Gorgiam Epirotam in funere matris suę vtero elapsum, inopinato vagitu feretrum portantes consistere coegisse, nouúmque spectaculum patrię prębuisse, cùm eodem momento altera iam fato functa pepetit, alter antè elatus quàm natus sit. Ex abortiuis vero nonimestribus, aut cęsonibus illi intereunt, qui ob morbosam vel matris, vel sui ipsius constitutionem, ante debitum tempus fuere violenter exclusi. Cùm enim iam essent infirmi, laborem partûs citra grauem noxam insuper ferre nequeuntes, breui moriuntur.

z Lib. 4. de morb. mulier. cap 3. an scholiis.
a l. 1. si qua pręgn. ff. vnde cognati.
b Lib. 1. c. 8.

Tardioribus autem terminis nati, quia semper maturi creduntur, neque vnquam intempestiuè nasci: vitales etiam omnes iudicantur. Quia tamen segniores illę parturitiones, innati calidi fœtûs quamdam imbecillitatem insinuant: qui tam longam in vtero, moram contrahunt, magna ex parte infirmi sunt.

Quare quicumque partus perfecti maturíque à causis naturalibus ad nascendum prouocati, hoc aut illo mense eduntur, verè vitales sunt: atque eius sunt conditionis, vt possint vitam in multum tempus secundùm naturam prorogare. Contrà abortiui & à causis prӕter naturam abacti, aut cęso vtero nati, vt plurimùm vitales non sunt: & licèt per aliquot dies cum labore viuant, vix tamen possunt secundùm naturam educari, & adolescere. Quam sententiam satis apertè pro sua obscura breuitate insinuauit Hippocrates,[c] cùm in omnibus his temporibus, inquit, insunt ad vnumquemque & vtilia multa & hostilia multa: ex vtilibus sanitas, & augmentum contingit: ex contrariis, morbi, & mors.

c Lib. de septim. partu.

Quoniam vero euidentibus signis discerni non potest, quis sponte & secundùm naturam sit editus, quis vero illata vi & prӕter naturam sit abactus: iuris antecessores eos omnes partus legitimos & adeundę hęreditatis capaces esse statuerunt, qui intra legitimum tempus sint nati, aut exsecto ventre editi, licèt illico decesserint: modo vel respirauerint, vt ab Vlpiano,[d] & à Diocletiano ac Maximino Imperatore[e] sancitum est: vel oculos aperuerint, vti in Alemanicis legibus habetur.[f] Vbi aduertendum est, nullo sapientum responso, nullo Senatusconsulto, aut plebiscito, nulláque lege, octimestrem à prӕdictorum conditione excludi: atque hos ipsos, non minùs quàm septimestres ac nonimestres, si respirantes nascantur, rumpere testamentum. Neque iniuriâ tam frequens & tanti momenti controuersia, ita à legum conditoribus decisa est: cum difficilè admodum & periculosum esset iudicium de naturali aut violento partu ferendum, quod à coniecturarum examine & testium dicto penderet. Satiúsque fuit certâ lege rem definire, etsi aliquibus nonnunquam iniuria fiat: quàm partus conditionem controuertendi datâ licentiâ, multitudini malè consulere. Nam inde vix aliquando vni familię hęreditatis iusta spes detrahitur: hinc vero, cauetur ne ambo litigantes in forenses cauillationes vniuersum peculium erogent.

d l. 12. ff. de liberis & post. hær. inst.
e l. 2. cod. de posth. hær. inst.
f l. 92. tit. de hæredit. quam mulier post partum statim mortua relinquit.



An fœtus in vtero reſpiret: & de vagitu vterino.

EXERCITATIO SECVNDA.

EA vulgaris eſt conſuetudo,vt pecorum ritu ſequamur antecedentiũ gregem:pergentes non quà eundum eſt, ſed quà itur. Nulla tamen res nos grauioribus erroribus implicat,quàm ad rumorem componi:dũ optima exiſtimamus quæ magno aſſenſu recepta ſunt,ad ſimilitudinem magis quàm ad rationem,& vitam & ſenſus componentes. Ita non tam rationis examine, quàm vſus frequentia receptum eſt;emortuis matribus,vt quod in vtero conceptum eſt viuens, viuum conſeruetur,ora bacillo diducere: quaſi exinde aërem attrahat infans, & ad tuendam vitam reſpiret. Cùm nullus ſit tam vecors & veſanæ mentis, qui rem cogitans non agnoſcat fœtum in vtero latentem,& multiplici ſepimento vallatum non poſſe ab extinctæ matris ore, per inuios tramites ſpiritum ducere, qui ne maternum quidem thoracem ingreditur.Sed illud ipſum accuratiùs examinandum occurrit,quod prædicti erroris fundamentum fuiſſe videtur:num intra materna viſcera concluſus embryo reſpiret.

Quæ inter Medicos etiam,controuerſa propheſis,varios in repugnantes trahit ſententias. Reſpirare fœtum in vtero,ex ore & naribus,aſſeruit Hippocrates bonorum omnium in medicina inuentor libro περὶ σαρκῶν: ſeu vt Mercuriali placuit, περὶ ἀρχῶν, quod non tam benè de carnibus quàm de principiis inſcribatur. Galenus,Diui illius Senis fidus interpres,& totius artis maximus illuſtrator,libro an animal id ſit quod in vtero eſt, [a] fœtum etiam ore ſpiritum ducere affirmauit. Quod à ſummis viris aſſertum,rationibus præterea confirmatur.Ea enim vitæ reſpirationiſque neceſſitudo, vt eodem Pergameno [b] authore,à vita reſpiratio, & à reſpiratione vita ſeparari non poſſit. Nec quiſquam eſt,qui per multum tempus ſine reſpiratione duret: ſed mox quiſque ſuffocatur, & perit. Eſt id præterea naturæ conſuetum,nihil fruſtra agere, neque alicuius functionis organa incaſſum effingere. Sed circa trigeſimum aut quadrageſimum diem,natura pulmones cæteráque reſpirationis inſtrumenta abſoluit. Quare decet naturam ea mox ad opus deducere, & internum calorem continuo flabello indigentem,attracti aëris perfrigerio contemperare.

a Cap. 4.

b Lib. de vti. reſpir. cap. 7. & de locis aff. cap. 7. lib. 3. eiuſd. cap. 1. & lib. 6. c. 5.

Verùm à multò pluribus,contraria theſis verior eſſe iudicatur:eſtque iam protritum, infantem non niſi in lucem editum reſpirare. Cuius ſententiæ aſſertorem habemus, ſanioris Philoſophiæ parentem Ariſtotelem: qui id conceptis verbis libro de ſpiritu [c] affirmauit iidipſum confirmatum legimus à Galeno libro decimo quinto de vſu partium, [d] proprios non alienos vt alias conceptus exprimente. Neque ab eadem opinione auerſus fuit Hippocrates,qui libro de genitura, foetum in vtero & alimentum & ſpiritum per vmbilicum attrahere profitetur. Sanguinem quidem, per venam in alimentum:ſpiritum autem vitalem ad caloris inſiti fomentum,per arteriam vmbilicalem. In eamdem partem inclinant recentiores. Et eidem rationum vis euidentiùs fauet.Nihil enim probare efficaciùs poteſt, id de quo quæritur an ſit,minimè eſſe: quàm ſi defectus cauſarum, quæ ſuo influxu illud in rerum natura conſtituunt,demonſtretur. Sed reſpirationis in fœtu nullus eſt finis, deeſtque materia. Quare & quod formæ rationem habet, embryo negatum erit: foetúmque in vtero non reſpirare manifeſtè ſequetur. Atque vt à fine probationem aſſumpti inchoëmus: finis reſpirationis ex Galeno [e] duplex eſt,ſcilicet interni caloris commoderatio, & conuenientis materiæ ad ſpirituum generationem ſubminiſtratio:quorum neutrò foetum indigere ſic demonſtratur. Calor cordis,in quo inſiti caloris in adultis eſt focus,ideò commoderationem requirit: quod cùm noſtrum hoc corpus,ad munia vitæ exequenda, certam caloris temperaturam expoſtulet: perpetuus autem cordis motus,calorem magis ac magis ſemper intendat;breui fons ille vitæ arderet,niſi refrigerantis alicuius occurſu temperaretur.

c Cap. 1.
d Cap. 6.

e Lib. de cauſ. reſpirat.

Sed embryi cor minimè mouetur. Ergo neque illi perfrigerio, aut reſpiratione eſt opus. Cor quamdiu foetus in vtero eſt non moueri, ſed ad natiuitatem vſque otiari (contra quàm cenſuit Ariſtoteles libro de ſpiritu,minùs tamen conſequenter quàm tantum virum decebat, negata foetui reſpiratione) ex eo diſcimus:quòd neque ad generationem ſpirituum,neque ad caloris per vniuerſum

uerſum corpus diffuſionem,illius motu aut opera indigeamus:ad quæ temen, neque ad alia, cordis motus in animali requiritur. Spiritus quidem abundè mater effundit, per arteriam vmbilicalem in duos ramos ſub fœtûs peritonæo ſectam,& hinc inde in arterias iliacas inſertam.

Calorem verò vt par eſt temperatum,iidem ſpiritus ſecum vehunt: quo innatum membris vitale calidum,ſufficienter fouent. Atque illa biſulcæ vmbilicalis arteriæ inſertio,per quam in corpus vniuerſum ſpiritus antè diffunduntur,quàm poſſint cordis ventriculos ingredi : euidenti nota demonſtrat ſpiritus vitales in fœtûs corde non elaborari. Quinimò quamdiu embryon intra materna viſcera continetur,ſpiritus ipſos à matre effuſos cordis fœtûs ventriculos non intrare : citra repugnantiam apparebit,contemplanti admirandum illud artificium,quo natura per id tempus vtitur,ad ſanguinem & ſpiritus pulmoni ſubminiſtrandos. Cùm enim hoc viſcus,in adultis,ſanguinem ex dextro cordis ventriculo per venam arterialem excipiat, ſpiritus autem ex ſiniſtro per arteriam venalem : dum infans in vtero eſt (vaſorum à corde manantium,atque illi adnaſcentium conniuentibus oſculis)non his,ſed aliis viis,tam alimentum quàm caloris fomentum accipit. Spiritus quidem,ab arteria aorta vitalium ſpirituum alueo,ad venam arterialem (quæ texturam habens arteriæ,tunc pari officio fungitur)per intermedium canalem transfunduntur:ſanguis autem,ex vena caua aſcendente , quæ cum arteria venali (tunc verò natura & vſu vena) per ἀναςόμωσιν coit , in hanc per patens ouale orificium illabitur.

Qui ne inde in venam cauam refluat,à membranula quadam,arteriæ venali adnata , impeditur : qua tanquam oſtiolo, & lingula in inſorio folle appoſita , ſanguinis recurſus ſiſtitur. Poſtmodum verò vbi editus eſt infans,ceſſatque à matre ſpiritus accipere:oſtia vaſorum in ventriculos cordis pertingentium patent,clauditur arteriæ venalis oſtiolum,& ſenſim marceſcit canalis ille,qui ab aorta in venam arterialem ducitur : variatòque fine,prædictorum etiam vaſorum enariatur vſus. Fœtui præterea deeſſe reſpirationis materiam,aërem ſcilicet ore naribúſque attrahendum, nemo eſt qui negauerit. Quomodo enim per ſepimenta illa ſecundinarum,quibus obuoluitur infans, & quæ præ denſitate nulli ſunt externo aëri peruia,is aërem ducet? Quòd ſi poroſas in viuente membranas, poſſe tenuiſſimæ aëris ſubſtantiæ viam præbere,obiiciatur : non poteſt tam paucus ad reſpirationis vſum ſufficere,qui tranſpirationis neceſſitati ſatisfacit. Ac demum cogitemus,infantem in vtero,compreſſis eſſe labellis, & clauſo ore : qui aliàs, à copioſo illo humore, cui ex naturæ prouidentia ad faciliorem motum innatat,cùm aëre in os ſimul aliquando ingrediente,ſuffocaretur. Et ne prioris ſententiæ argumenta,poſterioris veritatem offendant. Dicamus,Hippocratem quidem , ſeu potiùs Polybium,aut alium citati libri authorem;in anatomia rudem,in eam minùs veram inciſiſſe ſententiam cui aſſentari,magìs quàm aſſentiri,viſus ſit aliquando Galenus. Tantam verò reſpirationis & vitæ neceſſitudinem,eum reſpiratione vt tranſpirationem includit,non ita eum reſpiratione propriè dicta eſſe contractam. Experimur enim plerumque,ab vtero ſuffocatas,& graui ſyncope laborantes , ſine reſpiratione,per aliquot horas in vita conſeruari. Tandem,non propterea reſpirationis organa , incaſſum aut perperam ſunt efformata : cùm edito infante, ſuo officio ad vitam neceſſariò inſeruiant : quæ antè ideo quieſcunt,vt firmiora,naturæ deinceps vberiorem vſum præſtent.

Ex quibus, licèt iam patere videatur,non poſſe fœtum in vtero concluſum reſpirare; atque ita poſteriorem ſententiam , ſibi omnium conciliaſſe fauentium:potior tamen alia prodit, inter vtramque media. Quæ,ſi conſuetum naturæ ordinem,& frequentiores caſus attendamus, fœtum in vtero non reſpirare admittens:contrà,ſi inſolitos,ratos,& poſſibiles euentus aduertamus,fœtum aliquando intra vterum,ex naturalibus cauſis reſpirare,& vagire aſſeuerat.

Non poſſe,non reſpirantem,vagire,vocémque edere:cuique tam notum eſt , vt rudiorum etiam ſenſibus,manifeſtiſſimum ſit. Etenim cùm vox (vt ex Ariſtotele colligitur) ſit ſpontaneus, & ſignificatiuus animalis ſonus, ab aëris reſpiratione attracti,& à pulmonibus ad fauces eliſi,ictu editus:fieri non poteſt, vagientem non reſpirare. Vagiſſe infantes in vtero, Vuendrichius,[f] Libanius,[g] & Gilius Faber,[h] variis hiſtoriis comprobarunt. Quod licèt in Dæmonem referri poſſet , qui ex ventre τῶν ἐνεργυμένων, frequenter reſponſa dedit. Tamen, quia ab his qui intra vterum paulò ante partum vagiſſe referuntur;nihil articularum,ſed ſolus ploratus infantilis eſt exanditus , nullum præſtigium ſapiens:non exiſtimandum eſt,Dæmonem talis eiulatûs fuiſſe authorem;ſed potiùs, huiuſmodi vagitū ſolius naturæ,licèt inconſuetè agentis,eſſe opus.Ita ſi viceſimo die ab incubitu moueatur ouum ex Plinio ,[i] iam viuentis intra putamen vox auditur. Et ex Ariſtotele,[k] περὶ δὲ τὴν εἰκοςὴν, ἤδη φθέγγεταί τε κινούμενος ἔσωθεν, ἄν τις κινεῖ διελών.

Circa vigeſimū diem verò,iam pipit,& mouetur intus,ſi quis mouet ſeparatū. Tum paucis interiectis περὶ δὲ τὸν χρόνον τὸν πρότερον ῥηθέντα, καθεύδει μὲν ὁ νεοττός; ἐγείρεται δὲ καὶ ἀναβλέπει κινούμενος καὶ φθέγγεται. Circa verò tempus prius dictum,dormit quidem pullus : excitatur

f Lib. de monſtris.
g Lib. de vagitu vterino in notis ad § 4 & 11.
h Lib. 3 aun Miſcel.
i Lib. 10 c. 53
k Lib 6 de hiſt. anim c. 3

Ii verò

verò & caput eleuat motus,& pipit. Quòd si id familiare est pullis,sub duro ille putamine latentibus: cur non idipsum aliquando per naturam licebit humanis fœtibus, in vtero clausis? Neque nos mouet,obiecta suffocatio: quæ ab aqueo humore fœtum circumdante imminere videtur,simul atque is,ad respirandum os aperuerit.

Non enim tantus, & tam copiosus intra amnion est ille sudor (seu mauis aliunde ex naturæ prouidentia genitus humor) vt statim atque fœtus labia diduxerit, os, atque ea corporis caua in quæ hinc patet aditus,impleat. Qui quantuscumque sit in imo subsidens,totam amnij capacitatem minimè implet: per quam sic moueri fœtui licet, vt non caput solùm, sed dimidium etiam corpus, maternum thoracem versùs exerat. Aërem autem,vel tenuem spiritum aëri congenerem,ad respirationis vsum sufficientem, intra secundinas præsentem habent infantes,quo ad vagiendum etiam vtantur:vti nec pullis,sub duriore illa crusta,pipientibus, deest, qui spatia circumtensi claustri replet Ac tandem,vtrique id habent,quo ad respirandum excitentur. Pullos enim, calor pulsantis iamdudum cordis,respirare cogit. Vt qui intensior aliquando redditur, sic per interualla temperetur. Et fœtus ita possunt aliquando à feruore viscerum, & succorum, infestari: vt ante quàm valeant membranas quibus obuoluuntur disrumpere; respirando, sibi remedium quærere cogantur. Cúmque libero aëre frui, eisdem tunc denegetur: eo quo possunt, per id tempus vtuntur.

Quare ita demum sentiendum esse existimamus:non solere fœtus antequam in lucem edantur, respirare:aliquando tamen,ex naturalibus causis,nondum natos,& respirare,& vagire.



Quid monstra, quæ ex plurium coagmentatione coïuisse apparent: vnum, aut plura esse, discernat.

EXERCITATIO TERTIA.

EST Carneadem olim Cato vrbe pellendum duxerit, quòd singula in vtramque partem disputare doceret: rerum tamen nondum certò probatarum, nec euidenter cognitarum veritatem inquirere, minimè vel à Romano illo Censore vetaremur. Latet enim multorum veritas, quæ studiosa perquisitione ab imis ignorantiæ tenebris eruta, prodire potest in lucem. Sed vt desiperet qui non solùm cum Hippia se omnia scire, imò qui sciri omnia posse profiteretur: ita nec saperet, qui Archesilai diffidentiam sciendi imitatus: ne Socratis quidem hoc vnum scire, quòd nihil sciret, admitteret. Humani namque ingenij quantacumque sit imbecillitas, qua rerum essentias certa cognitione attingere prohibetur: ea tamen eius est vis, vt rerum quasdam proprietates & accidentia: atque hæc aut illa esse vel non esse, scire & citra errorem cognoscere plerumque valeat. Quantum ergo fas est, rerum quæ sciri aut probabiliter saltem cognosci possunt, inquirendæ veritati, incumbens: dum per amœna Medicinæ vireta spatior, hoc mihi controuersiæ germen examinandum occurrit. Vnde, monstra, quæ quasi ex plurium coagmentatione consistunt: vnum esse, aut plura discernatur. Quam quæstionem non iniucundam, nec infructuosam, vt pro ratione discutiamus: notandum principio est, monstrorum eius generis de quo agimus, multiplices visas esse differentias. Quædam enim bicipitia sunt, alia verò monocephala. Atque inter ea quæ gemino sunt capite: quibusdam nihil infra ceruicem duplicatum apparet. Qualis fuit vir ille, cuius Iacobus Rueffius [a] meminit: qui ad perfectam staturam excreuit, capite & humeris tantùm geminus, mira capitum inter se & affectuum similitudine. Nec non & mulier illa, anno 1541. in Bauaria, referente Lycosthene, conspecta: cuius alterum caput satis deforme erat. Aliis, ad vmbilicum vsque, duplicatur cum capite truncus: infra quem, vnius speciē referunt. Talis fuit ille fœminens partus qui in Anglia, non longè ab Oxoniensi Academia, Cardano referente,[b] apparuit. Alia vndequaque duplicia, thorace & ventre coniuncta, miro naturæ lusu visa sunt. Quorum exempla plurima passim apud scriptores, præsertímque apud Peucerum,[c] & Lycosthenem[d] leguntur. Inter hæc autem plurima, post mortem dissecta, simplici corde fuere inuenta. Tale fuit illud ad Sarzanum Italiæ oppidum infantis specie natum, cuius meminit Rhodiginus.[e] Par ille Paræi[f] semestris Parisiensis abortus, anno 1564 editus. Talis etiam erat monstrosus ille fœmineus partus, quem ante aliquot annos Toloni in Prouincia natum, Aquis Sextiis anno 1605. conspeximus: in quo cùm duo essent capita, vnicum intus latuisse cor, dissecantibus Chirurgis apparuit. Imò Cornelius Gemma[g] author est, Louanij, patrem sic commissos infantes vidisse; vt capite distincti, brachiis pedibúsque quatuor, ventre pectoribúsque copularentur: quibus tamen inuentum est per anatomen cor commune. Nec dissimilis est à prioribus earum gemellatum historia, quæ (vt prodigiosarum historiarum libro sexto[h] legitur) in Ponte Sæo oppidulo apud Andes anno 1572. natæ, partibus anterioribus à mento ad vmbilicum cohærebant, vnico tamen corde, in quo triplex ventriculus est animaduersus, non aliter atque in elephantibus inueniri scribit Aristoteles:[i] cùm tamen ex Galeno,[k] duo tantùm ventriculi in elephantum corde reperiantur. Contra biceps illa puella à Cardano[l] descripta, cùm in reliquo corpore nihil duplicatum habere videretur: cor tamen habuit in modum Græci υ. effigiatum, ex basi quidem bifidum, sed in vnicam cuspidem desinens. At quæ à Gemma[m] anno 1573. natæ referuntur, gemino capite, brachiis pedibúsque quatuor, pectoribus atque inferiore maxilla connatæ: dissecto cadauere, singulæ cor suum, sede discretum, habuisse sunt inuentæ. Alia dissimilis quidem erroris, sed non disparis ordinis monstra feruntur: quibus caput alterum ex ventre prominet. Quale fuit illud in Germania anno 1516. natum, cuius Lychostenes in Chronologicis meminit quod in viri ætatem excreuit, & cui caput aliud ex vmbilico extabat, quod pro more quoque alterius, cibum caperet.

Bicorpora & simul monocephala monstra, in quibus duo corpora vni sint affixa capiti, videri negat Cardanus.[n] Tamen & humana & bruta huius rationis visa, variorum authorum scripta testantur.

[a] Lib. 5. de conceptu & gen. hom. c. 3.
[b] Comm. in tex. 10 lib. 3 de iud. astror.
[c] In Terates.
[d] Lib. de prod. & monst. chronologico.
[e] Lib. 24 lect. antiq. cap. 3
[f] Lib. 25. c. 4
[g] Lib. 1. cosmocritica c. 6
[h] Cap. 5.
[i] Lib. 2. de part. ani. c. 4.
[k] Lib. 7. admin. anatom. cap. 10.
[l] Lib. 14. de rerum variet. cap. vlt.
[m] Lib. 1 cosmocritica.
[n] Cit. lib. 14 de rer. variet. cap. vlt.

Peucerus enim in Teratoscopia, ab Schenckio [o] adnotasse refertur, Louanij natos gemellos distinctis corporibus quæ vni adhærerent capiti. Valetiola, [p] Auenione quemdam circumlatum memorat, qui à ceruice infra esset bicorpor totus. Scribit Paræus [q] Turonensem quamdam mulierem, gemellos anno Domini 1569. peperisse, vni capiti coninnctos: quorum scheletum, à Renato Citeto famatissimo Chirurgo, acceperit. Lycosthenes in opere chronologico de prodigiis & monstris, felem domesticam anno 1552. catellum viuum enixam ait, monocephalon, de cætero bicorporem. Idem Valetiola, agnum Arelate se vidisse testatur, vno capite & ceruice, in reliquis autem bicorporeum. Ac tandem Ioannes Georgius Schenckius [r] refert Colmatiæ exclusum ab ono gallum, vnico quidem capite, reliquo autem corpore ex duobus conflato.

His frequentiora ea sunt, vt plurimorum historiis confirmatur, quæ cùm vno sint integro corpore: aliud interim illis ex dorso; pectore, aut ventre propendet, non extante, sed quasi intus immerso capite. Vidi ipse Venetiis puellam Burdegalensem, quæ decimum octauum annum vix attigerat, cuius dorso alia ex ceruice pendens alligabatur. In tanta autem monstrorum vtriusque generis varietate, vnum est quod quærimus: quænam in ea coagmentatione duplicia sint: quæ verò in mira illa partium luxuria, vnius animæ præsentia regantur.

Quædam enim aliquando citra omnem errorem, bina corpora ac distinctis animabus informata, in vnam monstrosam molem coaluisse: actionum disparitas, & mors diuersis temporibus adueniens demonstrauit. Natum in agro Florentino monstrum à Pettarcha [s] refertur, quod geminis capitibus quaternis manibus, circa genitales partes sic esset connexum, vt in geminos pedes desineret: in cuius Epitaphio leguntur hi versus.

Non verò nobis vnus, somnúsque cibúsque:
Nec rursus nobis fletus & vnus erat.
Somno membra dabat vnus, ridebat at alter:
Suggebatque vnus, flens quoque at alter erat.

Paulus Diaconus [t] prodidit, post Theodosij Imperatoris interitum, natum esse infantem ab vmbilico sursum in duo sectum, capite & pectore gemino diuersis sentiendi viribus, & dispari appetitu: quorum vno dormiente vigilaret alter, aliàs dormirent ambo simul, & qui nonnunquam se mutuis ictibus impeterent, moxque identidem flerent. Celebris tandem est historia à Buchanano [u] scripta, infantis in Scotia nati; cuius inferior pars cùm esset specie maris, supra vmbilicum geminus cernebatur. Quem Rex cùm diligenter educandum & erudiendum curasset, in musicis mirabiliter profecit, variásque linguas edidicit. Sed mirum quantum plerumque ea capita inter se voluntatibus dissentirent, quæ alias veluti in communi consultabant. Huic cùm inferna crura aut lumbi offenderentur, vtrumque caput de percepto dolore conquerebatur: cùm verò superiora membra alicubi pungerentur, ad alterum rantùm doloris sensus perueniebat. Tandem, cùm iam annos octo supra viginti vixisset hoc monstrum, parte vna interiit; mox quæ superstes fuit; dimidio sui putrescente, paulatim contabuit.

At pluribus nec dispar fuit vitæ terminus, nec in illis licuit præ breuitate vitæ, ant conformes aut aduersantes adnotate actiones.

Quæ ergo in tanta exemplorum diuersitate, duorum corporum coagmentationem esse: quæ verò, luxuriantis naturæ in vno lusum esse dicemus?

Respondet Aristoteles [x] principij ratione id iudicandum esse: verbi gratia si cor par eiusmodi est, quod vnum cor habet, vnū sit animal quod duo, id duo dicantur quæ sibi coaluerint. Quam sententiam sequuntur Philosophi penè omnes Aristotelis dicto sine examine assentientes Cuius sententiæ ea fuit princeps ratio, quam Aristoteles libro de iuuentute & senectute insinuat: [y] quòd scilicet oporteat animam in aliqua corporis parte existere, à qua in reliqua membra vim suam influat. Huiusmodi verò cor esse probat. quòd ab eo venæ exoriantur; quòd commune sit sensorium, & quasi vitæ focus, quo naturæ fomites & primordia ignis natiui contineantur; quòd primò generetur, & à quo etiam post, ordo membrorum describatur [z] Qui prætetea asserens [a] oportere principium vnum esse, vbicumque fieri potest; omniúmque locorum, medium aptissimum esse, quoniam medium vnum est, & tale, vt vndique attingi, vel æquè, vel proximè possit: consequenter facultatum omnium principatum in corde, quod in medio situm est; constitutum esse determinat. Adde cor, etiam secundùm Medicos, esse vitæ fontem: à quo si emanet vita, idem & principium viuendi, & animæ primariam sedem esse necessum sit. Quinimò & Hippocrates ipse, [b] cor præcipuè sentire asserens, idem principem esse animæ sedem, insinuasse est visus.

Tandem eùm in sacris literis, cordis voce, mens, voluntas & anima ipsa, tam frequenter significati soleant, vt id exemplis illustrare superfluum videatur: non nisi iure principatûs, quem supra cætera membra cor obtinuit, tales illi tribui significatus, existimandum est.

o Lib. de monstris.
p Lib. 1. locorum com c. 18
q Cirurg. lib. 25. cap. 4.
r Lib. de monstris n. 91.
s Lib. 4. rerum memor. cap. 9
t Lib. 11. hist. Romana.
u Lib. 41. rerum Scoticar.
x Lib. 4. de gen. anim. c. 4
y In initio.
z Lib. 2. de gen. anim. c. 4.
a Lib. 3. de part. anim. cap. 4.
b Lib. de morbo sacro.

Verùm

Verùm cùm non vnum sit & simplex, omnium animæ facultatum commune principium, vt Aristoteli placuit: sed vt eum ratione sentiunt Medici, tres illi primariò famulantes, naturalis, vitalis, & animalis, sedibus distinguantur: non poterit ex singulari principio, singularis animæ præsentia inferri. Sed potiùs quoniam in his trium facultatum principibus organis, anima suam dignitatem inæqualiter manifestat: sufficit vt ab eo in quo illustriores animæ vires emicant, & quòd eiusdem maximè princeps instrumentum est, huius rei iudicium petatur. Quod cùm duplex esse, & in vtroque opera ad quæ destinatur, integrè exerceri contigerit: non vnam vtrique, sed cuique suam præsentem esse informantem animam, censendum erit. Rebus enim tam natura quàm arte constãtibus inditum est, vt multiplicato principali ad operandum instrumento actu operante, multiplicetur & agens. Particulatim verò anima, cuius cùm ita limitata sit vis, vt pluribus intenta minor sit ad singula: nũquam poterit ea quæ in medio principali organo principaliter exequitur, per duo eiusdem rationis organa, eodem tempore, iterato operari.

Cor autem, non esse commune facultatum principium; sed primarum singulas, in singulis membris principatum exercere; his rationibus conuincitur. Primùm enim iecur per meseraïcas chylum excipiens, qui per hepatis parenchyma effusus, antequam radices venæ cauæ ingrediatur, in sanguinem vertitur: se sanguinis fontem esse proclamat. Præsertim cùm illic hæmatosim fieri oporteat, vnde excrementorum eiusdem coctionis fit secretio. At iecori vesica fellea alligatur, vt bilem expurget: eidem proximi sunt renes, sero purgando dicati: illique à læua adstat lien, melancholicam fæcem expurgans. Ab eodem præterea, tanquam ex sanguificationis fonte, venas ortum capere demonstratur. Quia duplex ille venarum series, cauæ & portæ, (quarum ductus in adultis hominibus, nullum habent inter se continuitatis commercium) in iecur inseritur. Ac porta quidem non aliunde, quàm à iecore sanguinem accipit: quem ventriculo, pancreati, mesenterio, omento, lieni, & intestinis in alimentum distribuit. Caua in eodem quasi radicata viscere, & in ascendentem ac descendentem secta: per ramos inde emergentes, toti alimoniam suggerit. Ac tantum abest sanguinem, ante in corde complementum coctiònis accipere, quàm in alenda membra diffundatur: quin potiùs à cauæ trunco ascendente, ante quàm illa se largo hiatu cordi coniunxerit, ramus oriatur, qui per cordis basim reptans illi alimoniam subministrat. Præterea sanguis qui in dextrum cordis ventriculum ingreditur, refluere in cauam non potest; vt inde in corpus reliquum deriuetur. Id enim impediunt valuulæ, ad venæ cauæ hiatum appositæ: quæ ingredienti quidem in cor sanguini patent, at regredienti clauduntur. Clariùs adhuc vltimi alimenti fontem, non in corde, vt voluit Aristoteles, sed in iecore esse, ex eo deprehenditur: quòd in fœtu, vena vmbilicalis in hepar ingrediatur; & vena caua, in cordis dextrum sinum minimè vt in adultis pateat, sed eadem cum arteria venali per osculum coëat, vt præcedenti exercitatione explicuimus.

Cor autem facultatis vitalis sedem esse, & calidi influentis fontem: tum perennis eius motus, tum quæ ab eo propagantur arteriæ, feruidum illum & spirituosum sanguinem deferentes, indicãt. Quod, si in fœtu nondum excluso, quiescit: illius vices supplet maternum cor, à quo vitalis omnis influxus, qui fœtui est necessarius, emanat. Vnde aduenit, materni animi perturbationes, tantos in fœtu motus excitare, & notas aliquando imaginationis vehementioris imprimere.

Cerebrum tandem neruorum esse originem, facultatis animalis sedem, communis sensorij organum atque animæ ratiocinantis regiam: quis est qui negare audeat, vbi ex anatomes accurata inspectione, illos cerebri sinus, retiformes plexus, fornices excrementorum varios ductus; & eiusdem medullosæ substantiæ multiplices productiones, comparibus vestitas membranis, ex quibus nerui finguntur, qui in externorum sensuum organa, & in corpus vniuersum disseminantur, aduerterit.

Quis est tam vecors, qui non sentiat acres animi meditationes, & quascumque mentis contentiones, cerebro vim inferre? Quis est inter Physiognomos, vel ipse Aristoteles, qui celerem vim aut tarditatem ingenij, cerebri conformationi aut temperaturæ non imputarit? Quis demum reperitur in Medicinæ operibus vel leuissimè exercitatus; qui non nouerit, sensuum motúsque læsiones, læso cerebro aduenire, easdémque, auxiliis non thoraci, sed capiti admotis emendari?

Inter hæc autem præcipua membra in quibus singulæ facultates suum principatum exercent: illud verè principalius erit, & maximè princeps, in quo anima, quæ sibi maximè propria sunt, singulariter operatur. At inter vegetationem, viuifici caloris influxum, & sensitiuam cognitionem, intellectioni ac discursui subordinatam (quæ singula pro cuiusque ratione, humana anima per singula primaria illa membra exequitur) illi maximè propria est sensitiua cognitio, quæ ad intellectionem terminatur. Cuius cerebrum organum est, à quo omnis sentiendi vis emanat, & in quo tanquam mentis sanctuario, omnis intellectio perficitur. Fateamur itaque necessum est, caput in quo cerebrum tanquam in arce concluditur, solidissimis ossibus tutissimè vallatum, sensuum organis tanquam speculis per ambitum ornatum, spirituum animalium mineram, neruorúmque scaturiginem: eam esse partem principem,

in qua dignitatis animæ celsitudo emicat; in qua ἡγεμονικαὶ facultates & animi principatum tenentes sua munia exercent.

Quæ his quidem acrius laborantibus maximè fatigatur:eàdem verò læsa, illarum obscuratur fulgor,dignitas imminuitur,& vis obtunditur. Quod certum tatúmque apud eos esse deberet,qui meminerunt [c] D.O.M. inspirasse,non in pectus sed in faciem Adami,spiraculum vitæ: & sublimiorem illam corporis partem principem esse animæ sedem significasse. In qua,vt ait Clemens Alexandrinus [d] animæ principatus consistere dicitur, ἐν ταῦτα τὸ ἡγεμονικὸν ἱδρῦσθαι λέγουσι. Quod professi sunt Platonici,in sublimi situm esse caput asserentes:quia intellectum,tanquam reginam facultatũ, in sublime attolli decuit:à quo,& irascibilis & concupiscibilis regerentur.

c Geneseos cap. 2.
d Lib. 2.

---- Hanc alta capitis fundauit in arce
Mandatricem operum, prospecturámque labori:
Illas inferius collo, præceptáque summæ
Passuras Dominæ, digna statione locauit. [e]

e Claud. de quarto Hon. consulatu.

Sed manifestiùs Plato,[f] est autem caput,inquit,membrum corporis diuinissimum,reliquorúmque membrorum princeps,cui totum corpus connexum,Dij subesse & parere iusserunt. Quinimò idipsum,quasi natura mouente,indicarunt prisci:qui authore Aristotele,[g] sternutamentum rem sacrã habuerunt,& sternutantes(quibus nos benè ominamur)salutare consueuerant. Atque hæc quidem, quòd illud ex capite diuino & sacro loco,vnde cogitatio(vt fatetur Aristoteles)prodeat. Theologi præterea,vt patet ex Diuo Thoma,[h] capiti supra cætera membra principatum, ordine,perfectione, & virtute influendi tribuunt. In quo animæ primariam & principem sedem esse plurimis probat Lactantius.[i] Hinc Ecclesiæ legibus sancitum est,minimè necesse est,totum baptizandi corpus immergere, abluere,vel aspergere:sed caput solum. Quòd ea sit pars principalis,vt scribit Fumus [k] ex eodem Diuo Thoma:[l] quasi proximè inde in animam instillet imprimendus spiritalis Sacramenti character. Eadem ex causa Diuus Paulus,[m] aperto capite orandum iubet:quòd cùm orantes omnia patentia Deo exhibere,atque eidem omnia submittere oporteat:solius capitis vt principis membri aperti demissione,vtrumque profiteamur. Contra veteres Ethnici,operto & velato capite, præterquam Saturno & Honori sacrificabant,vt à Plutarcho scriptum legimus.[n] Saturno quidem, aperto capite:quòd is crederetur primus cœli Regnum obtinuisse, vt habet Pausanias in Æliacis, quem hominum patrem atque Deorum dixit Orpheus:vel quòd esset veritatis pater, cui omnia patere debeant,vt ait Plutarchus. Honori item, quòd cum eo Deo maximè reuerenter agendum crederent,à quo se venerabiles reddi existimarent. Cæteris autem, velato capite sacra faciebant : quòd (etsi aliter Plutarcho sit visum)reliquos Saturno iuniores creditos, minore veneratione dignarentur. Hinc apud Varronem referente Fulgentio, [o] Tutuli sacerdotes breuium Deorum dicebantur, quòd scilicet tutulo vterentur:erat autem tutulum, pallium quo Sacerdotes caput tectabant cùm ad sacrificium accessissent. Ita in veteri etiam disciplina inoleuit,vt virtute aliqua, nobilitate, aut dignitatis amplitudine conspicuis viris,aperire caput,consensu gentium comprobaretur:cùm inferioris fortis homines,summæ manus osculo salutare sufficeret. Nam vt est apud Plautum, [p] manu salutem mittunt beneuolentibus. Vnde coniectari licet digitum à Galeno [q] salutatorem appellatum,mediũ esse digitũ:quòd cùm is longior sit,in ea ratione salutandi,ore solus attingatur. Tãdem illum capitis principatum,quibusque probari consueuisse,id vnũ indicat: quòd caput tam à sacris quàm à prophanis scriptorib⁹,frequẽtissimè pro eo quòd primũ est,princeps & præcipuũ vsurpetur.

f In Timæo.
g Sect. 33. probl. 7. & 9.
h 3. p. q. 8. ar. 1. & 4. ad cor.
i Lib. de opificio Dei c. 10.
k In summa armilla in voce baptism. n. 26.
l L. 4. senten. dist. 3.
m 1. ad Cor. cap. 11.
n In quæst. rerum Romanarum.
o In vocum antiquarum interpretat.
p In Pseudolo actu 4. scen. 2.
q Lib. de remed. paratu facilib. c. 31.

Quod verò ex Medicorum sententia opponitur,cor esse vitæ fontem,intelligatur oportet,de vitæ fomento,calore scilicet à corde in corpus reliquum influente:non de animæ informantis excellentiore cum corde adhæsu,vnde in cætera membra,per irradiationem quamdam, quasi vitam influat. Maximè cùm iam receptum sit,quandiu per arterias diffusus calor conseruari potest, etiam excecto corde animal viuere:vt cuique experiri licet eã arte quam Columbus rei anatomicæ peritissimus [r] docuit. Quod ad Hippocratem autem suprà relatum spectat. Tantum abest, illum cordi, sensuum principium tribuere:quin potiùs quid sentiat eo ipso loco explicans,cor præcipuè,& septum transuersum sentiunt inquit [per καρδίας superius ventriculi orificium intelligens]neutrum tamen prudentiæ ius habet,sed horum omnium cerebrum author est. Cuius sententiæ insistens Galenus [s] animæ principatum in cerebro esse affirmauit. Scripturæ sacræ loca,ea quæ & voluntati, & appetitui conueniunt,cordi frequentissimè tribuunt:quòd motus,qui in corpore prædictarum facultatum actus consequuntur,in corde vitalium spirituum & caloris influentis fonte,principaliter eluceant.

r Lib. 14.
s Lib. 6. apho. 50. & 7. aph. 34.

Quare,ad propositam quæstionem respondendum demùm est. A capite præsertim, sumendũ esse rei quæsitæ iudicium:vtque ea monstra quæ gemino sunt capite,si ambo sua munia exerceant,neutrúmque à consuetis operibus ferietur:ea duas habere informantes animas, eadémque exinde esse bina. Quæ verò bicephala quidem sunt,sed eorum capitum alterum habent sensibus minimè va-

lens

lens, nec conſuetam operam præſtans: itémque monocephala, in quibus vni capiti bina alligantur corpora, vnicam habere præſentem animam, atque vnicum id eſſe animal.

Quam ſententiam rationi conformem eſſe ex eo probamus: quòd cùm in diſparatis illis capitibus, ſua cuique inſint ſenſuum tam internorum quàm externorum organa; neque hæc ſibi annexis facultatibus deſtituantur, oporteat ſingulis ſuum ineſſe ſenſum communem, propriámque concedi phantaſiam. Cùm autem cognoſcitiuæ facultates, ſeu effectiuè, ſeu materialiter, ſint ſibi inuicem ſubordinatæ, vti à Diuo Thoma [t] docemur: multiplex phantaſia, plures etiam ſupponet intellectus. At duplici admiſſo intellectu, duplicem etiam animam admitti oportebit. Ac geminatam quidem phantaſiam, duos ſupponere intellectus: probatur primùm ex Ariſtotele, [u] aſſerente internum ſenſum & intellectum, ſibi inuicem proportione & numero reſpondere. Tum quia vnicus intellectus pluribus eminens phantaſiis, non haberet à quo ad hanc aut illam determinaretur, cũ ad phantaſmata ſe conuerteret. Vel ſi ab vtrâque poſſet excitari, vt ſenſus communis à diuerſis externis ſenſibus mouetur: accideret aliquando eumdem intellectum de eodem oppoſitas habere cognitiones, cùm ſcilicet diſtinctæ phantaſiæ, repugnantia de eodem concepiſſent. Quod planè abſurdum eſt: licèt enim idem intellectus cognitionem contrariorum habere queat, non poteſt tamen circa idem, contrarios & repugnantes præbere aſſenſus. Cùm autem duplex fuerit intellectus, duplicem etiam eſſe animã ideò ſequitur. Quòd fieri nequeat, proprietates ab intrinſeco emanantes ſolo numero differentes, ſimul eſſe in eodem ſubiecto: intellectus autem facultas eſt quæ immediatè recipitur in anima, & ab eadem tanquam proprietas emanat. Atque illud quidem, ab his etiam liberè conceditur, qui accidẽtia eiuſdem ſpeciei non poſſe eſſe in eodem ſubiecto vniuerſaliter negant: vt Suarez in Metaphyſicis [x] adnorauit. Neque huic ſententiæ repugnat, paritas illa affectuum, quæ in bicipite Rueffij monſtro fuit adnotata: à qua appetituum conformitate, animæ identitas inferenda videretur. Nam præterquam affectus in nobis euariant, pro diuerſis partium internarum motibus, aut pro varietate conditionis & modi ſub quo ſenſibilia nobis obijciuntur: in prædicto autem monſtro cùm nihil eſſet ſub ceruice geminatum, & vtrique capiti res ab extra vniformiter obijcerentur: neceſſariò paritas ſequebatur affectuum. Præterea ſi in geminis ex integro diſiunctis qui ex Colniorum Auenionenſium familia erãt, tanta fuit motuum affectuumque ſimilitudo, quanta à Belloforeſtio in hiſtoriis prodigioſis refertur: mirumne videbitur, parem aut maiorem apparuiſſe in duobus, qui ſub geminata ceruice, in vnum idémque corpus coaluerant.

Ex aduerſo autem vnitas capitis, vt principatûs animæ ſedem ſingularem eſſe oſtentat, & ſingulares eſſe internos ſenſus, vnicumque intellectum: ita reliquam eam corporum vni capiti annexorum commiſſuram, vnica anima informari & regi, euidenter indicat. Cuius veritatis ſpecimen in Moyſis pentateucho [y] exhibetur, cùm ſcribitur: colligat vnuſquiſque ex eo quantum ſufficit ad veſcendum: Gomor per ſingula capita, iuxta numerum animarum veſtrarum quæ habitãt in tabernaculo ſic tolleris. Clariſſimè verò eam quam ſequimur ſententiam veritati conſonam indicarunt, Guido de mõte Roeherij [z] & Iacobus de Graffiis in ſuis deciſionibus aureis; [a] qui aſſerunt monſtrum quod habet duo corpora coniuncta, quandoque debere baptizari vt vna perſona, quandoque vt duæ, ſi duæ ſint animæ. Quæ varietas ſic diſcernetur, inquiunt: cùm enim duo habuerint corpora, & duo capita, ſupponendum eſt eſſe duas animas: ſi autem vnum eſſet caput, vna eſſet anima: licèt ſint duo pectora, vel alia membra multiplicata. Quòd ſi tandem, horum monſtrorum corpora, ita aliquando connaſcãtur vt in capite duo quidem diſcernantur diſtincta occipitia, vnicum verò ſinciput & facies vna appareat: quale erat fœmineum illud monſtrum, quod Argentinæ in Alſatia anno 1603 3. Iannarij natum eſt, cuius meminit Schenckius iunior. [b] Probabilius cenſeo in his vnicum cerebrum, inconſueta mole exuberans; potiùs quàm geminatum contineri. Ita in confertis pectoribus, ſolet cor vnum conſueto grandius reperiri: quemadmodum præter ante allata exempla illud confirmat, quod ab eodem Schẽnckio ex Ioachimij Camerarij obſeruationibus libro recens citato [c] deſcribitur: in quo licèt duo eſſent capita, brachia & tibiæ quatuor, duóque viderentur agglutinata pectora, ventréſque totidem, tamen in medio pectore, cor vnicum, latum & amplum latuit.

Licèt autem quæ à nobis dicta ſunt firmis rationibus comprobentur, in ſacroſanctι tamen baptiſmatis adminiſtratione: ne quidquam tam ſalutari auxilio deſit, ſecuriùs multò agetur, ſi quæ communior eſt Doctorum ſententia, obſeruetur. Videlicet [aliquid vtrique ſententiæ concedendo] vbi ex capitum pectorumque diſtinctione clarè apparuerit, duas ineſſe animas; ſigillatim, vnus poſt alium baptizetur: cùm verò obſcura fuerit, aut dubia ea diſtinctio; vnus abſolutè, alter ſub conditione ſalutari illa aſperſione proluatur.

t 1. p. q. 77. art. 7. in corp.

u Lib. 3. de anima tex. 32

x Diſp. 5 sect. 8. num. 8.

y Exodi c. 16.

z 1. p. manipulo curatorũ tract. 2. c. 5.

a 2 p. lib. 2. c. 4 num. 21.

b Lib. de mõſtris n. 44.

c n. 47.

De possibili sexuum metamorphosi.

EXERCITATIO QVARTA.

Qvantvs sit naturæ vigor, & quàm locuples sinus ille formarum ex quo tanta in sublunarium rerum perenni generatione prodit varietas: non solùm inexplicabilis, quam conspicimus, specierum distinctio, & ingens indiuiduorum eiusdem speciei disparitas indicat: sed præterea insoliti naturæ lusus, & inconsuetæ rerum metamorphoses, polydædalæ illius varietati, miram addentes gratiam, amplissimas eiusdem gazas luculentiùs detegunt. Nouas induunt quotidie formas elementa, & seu meteora forment, seu in amicam inimicè additam mixtionem abeant, noua continuò efferunt. Fossilium, ac metallorum mira est palingenesia: & glebæ in succum dissoluuntur, succi in metalla gemmásque concrescunt: & mox eadem in limum glebas, fossiliáque vertuntur. Cassia [a] aromatica in cinamomum degenerat, sisymbrium in mentham, triticum in secale & lolium, secale etiam aliquando mutatur in triticum, hordeum in auenam, origanum in serpyllum: bombylis [b] in necydalum vertitur, & chrysalis in papilionem abit. Quæ cùm inter cætera admiramur, & quatum natura rerum reciprocas mutationes absoluere possit inquirimus: subit illa iam vetus quæstio. An secundùm naturam liceat masculo mutari in fœminam, ac vicissim mulieri in virum verti.

a Gal. 1. de antidotis cap.
b Plin. lib. 11. cap. 36.

Fœminam mutilum & imperfectum animal, ac quasi humanæ speciei fragmentum, posse in virum verti minùs absonum iudicandum existimo, cùm quibusque insitum sit ad perfectissimum suæ naturæ gradum aspirare. Vnde plurimæ perfici expetentes, cùm mutari in mares nequeant: quà datur via, mares quàm possunt maximè fieri conantur. Quòd inter cætera contemplatus Galenus, [c] inter antiquiores quosdam irrisit, qui mari quidem pudendum muliebre adnasci, mulieri autem virile nequaquam asserebant. Verùm non opus est coniecturis, neque vlteriùs ratione agendum, cùm multiplices casus in celebrium virorum scriptis legamus, quibus adueniente pubertate, & commoda ad muliebres purgationes ætate, fœminas in mares, versas constat. Ex fœminis mutari in mares, non est fabulosum, inquit Plinius: [d] inuenimus enim in Annalibus, P. Licinio Crasso, C. Cassio Longino Coss. Cassini puerum factum ex virgine, sub parentibus, iussúque Aruspicum deportatum in insulam desertam. Licinius Matianus prodidit, visum à se Argis Arescontem, cui nomen Arescusæ fuisset: nupsisse etiam, mox barbam & virilitatem prouenisse, vxorémque duxisse. Eiusdem fortis & Smyrnæ puerum, à se visum. Ipse in Africa vidi, addit Plinius, mutatum in marem nuptiarum die L. Cossicium ciuem Tisdritanum. Eadem reperit Gellius, [e] suáque auctoritate confirmat. Apud Ouidium metamorphoseon opere. [f]

c Comm. in aph. 43. sec. 7
d Lib. 7. c. 4.
e Lib. 9. noctium attica. cap. 4.
f Lib. 9.
g Lib. 24.
h Epigr. 68.

Dona puer soluit quæ fœmina vouerat Iphis.

Liuius [g] ex muliere Spoleti virum factum, inquit, nunciatum est. Ausonius [h] idipsum in brutis animantibus animaduersum notat.

--- Sed mollior agna
Astitit in tenerum de grege versa marem.

Fulgosus [i] memorat Ludouicum Garneum Salernitanum quinque suscepisse filias, ex quibus duæ natu maiores ad decimum quintum annum sexum fœmineum in virilem repentè erupto pene mutarint. Cuidam præterea Ebulensi puellæ quæ à quatuor annis marito erat desponsata, primâ concubitûs nocte virilia prodiisse. Amatus Lusitanus [k] insignis Medicus, scribit Mariam Pachecam in Esqueira Oppido prope Conybricam apud Lusitanos, adueniente opportuna mensium expurgandorum ætate, eorum loco virile pudendum foras expulisse, & Manuelem vocatum. Foësius celebris apud Mediomatrices Medicus [l] tradit Antimæologij authorem dicere, sibi visum Auscis in Vasconia virum plus quàm sexagenarium canum, fortem, & hirsutum, qui ad annum decimum quintum antea puella fuerit: tandem tamen ex casu ruptis tenuibus ligamentis, eidem pudenda erupisse, sexúmque mutasse, cùm ei nunquam antea menses effluxissent. Quod ad Vitricum Galliæ oppidum, cuidam nomine Mariæ contigisse memorat, illustris ille Pictauus Michaël Montagna. [m] Quibus forsan exemplis conuictus Mercurialis, [n] virgines aduenientibus muliebribus purgamentis mutari in mares posse admittit: alijs autem mulieribus idipsum accidere posse negat, neque vir-

i Lib. 1. exem. cap. 9.
k Centur. 2. curat. 39.
l Comm in 6. epidem.
m Lib. 1. experim c. 20.
n Lib. 6. var. lect. cap. 10.

ginibus aliàs quàm circa id tempus, quo menses profluere incipiunt, & primi libidinis signes effulgẽt. Sed miror tam variegatæ lectionis virum, non incidisse in plurimas à variis relatas historias, quibus contrarium suæ theseos, euentus veritate conuincitur. Pontanus refert Caietanam muliérculam, viro piscatori nuptam cum quo complures annos venerisres miscuerat: post quartum decimum annum ex muliere in virum transiisse, exorto repentè in muliebris naturæ loco, virili pene. Habet idem, mulierem alteram nomine Æmiliam, nupsisse Antonio Spensæ ciui Ebulano, postque duodecimum nuptiarum annum in Melium mutatum esse, cum viris conuersarum artes viriles exercuisse, tandémque vxorem duxisse relatum.

Demùm addit puellæ rusticanæ quæ villico nupserat, vbi puerum ex illo genuisset, virile membrum intra muliebrem naturam sese extrusisse. Loyerius [o] ex Diodoro Siculo refert, Heraydem Diophantis Macedonis filiam in fœlice Arabia Samiadæ connubio iunctam, peregrè agente marito phlegmonem ad pubem passam cum his symptomatibus quæ solent consimiles affectus sequi: cui Medici emollientia & suppurantia admouerunt, cumque septimo iam die suppuratus videretur tumor, loco puris exinde virile pudendum erupisse. Quinimò Hippocrates ipse, [p] Abderis (inquit) Phaetusæ Pythei coniugi cùm antea per iuuentam fœcunda fuisset, viro autem eius exulante diu menses defecissent, vnde dolores & rubores ad articulos sunt exorti: demum corpus virile tum in vniuersum hirsutum esse redditum, barbam enatam, vocémque redditam asperam. Idémque in Thaso Namysiæ Gorippi coniugi contigisse, ibidem memorat. Cuius authoritate commotus, non conuictus tamen, Mercurialis, respondet Hippocratem nolle in his corpus virile factum esse, sexûs mutatione sed roboris & vigoris augmento. Verùm Galenus [q] huius historiæ mentionem faciens, longè aliter quàm Mercurialis, mentem Hippocratis explicat: inquiens, sublatis ad os mensibus dicere eam mulierem barbam produxisse, nihil aliud esse quàm fœminam in virum mutatam. Sed præterea verba ipsius Hippocratis, non auctum solùm robur: imò expressis notis aduenisse virilitatem indicant. Addit Mercurialis, [r] exploratum quidem haberi mulieribus interdum ob menstruorum suppressionem eos humores per vniuersum corpus fundi, sicque pilos & barbam oriri, simul. que asperam vocem & alia contingere, quæ viris innasceuntur: non tamen verè eas fieri viros à quoquam mentis compote affirmandum. Attamen quoniam viros hîc non à viribus & robore appellamus, sed à sexûs apparente nota & eminente coie: prodiisse etiam eisdem prominentem mentulam, atque ita viros factas, nescio quid veter: cùm aliis exemplis idipsum euenisse viri non vulgares referant. Demum ita erat probata antiquis ea sexûs metamorphosis, vt non mulieribus solùm, sed deabus etiam contigisse diceretur. Quod indicat Virgilius, de Venere Ænea m à Troiana conflagratione liberante, loquutus.

Descendo (n. inquit) ac ducente Deo flammam inter & hostes
Expedior.

Et Caluus Antiquus Comicus,

Pollentémque Deum Venerem, dixit.

Hinc in Cypro simulachrum barbatæ Veneris colebatur, & in Attide, referente Alexandro [s] mulieres ornatu virili Veneri rem faciebant.

Quæ si vera fateri liceat, & historias narrantibus credere, nec diffiteamur fœminas aliquando abire in masculos: multò difficiliùs est creditu, marem in fœminam degenerare potiùs, quàm transire. Tantum tamen est libidinis venerisque œstrum, ac tantus furor, vt plurimis & incubare & incubari velle, si liceret, in mentem venerit: quo omnem veneris sensum, & vtriusque sexûs voluptatem probarent. Monstrum Imperij Nero, referente Tacito, [t] cuidam Pythagoræ in modum solennium coniugiorum nupsit.

Sardanapalus Assyriorum Rex, eò illecebrarum se demisit, vt relicta maiestate regia fœminam mentitus esse feratur, inter puellas & eunuchos spadone euiratior delitescens. Varius Antoninus Heliogabalus apud Egnatium, [u] conquisita Chirurgorum industriâ in fœminam mutari conatus est. Sed cassa & inutilis ars, aut potiùs impudens conatus, illum proprio sexu priuauit, & negauit alienum. Quod licet fceleratum hoc genus hominum, assequi arte non potuerit, nec nequiores alij, qui agere & pati affectant: aliàs tamen natura, errore partim, partim affectu idipsum molita, perfecit. Tyresias enim ille vates, vtra maior esset maris an fœminæ inter coëundum voluptas, Ioue, Iunonéque quærentibus arbiter apud Ouidium

Dique viro factus [mirabile] fœmina septem
Egerat Autumnos.

Hoc ipsum Ausonius [x] se probasse in seipso memorat:

Nolo tamen veteris monumenta arcessere famæ:
Ecce ego sum factus fœmina de puero.

o Lib. 1. de spectris cap. 5

p Lib 6. epid. ad finem.

q 1. in 3. epi com. sex. 4.

r Adnot. 19 in 6. Hipp. de morb. vulg.

s Lib 2. geni dierum c. 8.

t Lib. 15. ann.

u In vita Heliogabali.

x Epigr. 68.

Quod alio etiam exemplo confirmans, à fabulæ suspicione liberat.

Nec satis antiquum, quod Campana in Beneuento,
Vnus Epheborum virgo repentè fuit.

Et consimili in brutis animantibus casu certissimum facit.

Fœmineam in speciem conuertit masculus ales:
Pauâque de pauo constitit ante oculos.

Opplanus Hyænam vno anno patris vice fungi, altero matris, sibi affirmatum recensuit. Quod Ælianus licet de Hyæna quadrupede fabulosum fateatur: serpentem tamen eiusdem nominis, per vices marem & fœminam esse prodit.

Quæ omnia dum excutio: nec ausim ita crudè narratis assentiri, nec temerariè velim, tantos viros falsitatis incusare. Quidquid sit de superiorum historiarum veritate: quid natura fieri queat, & quid vterque sexus pati, expendamus. Quidam [y] priorem illam metamorphosim minùs difficilem existimantes, cùm Galenum audiant affirmantem [z] fœminam eo solùm differre à mare, tum quòd frigidior illa sit, tum quòd genitales partes quæ in hoc extra prominent, in illa intus concludantur: eas in his per quosdam caloris emicatus & effulgescentias foras aliquando efferri dicunt, atque ita fœminam in virum verti. Sed præterquam hi, masculæ metamorphoseos, nec modum nec causas attingunt: in alterius causis exprimendis, plurimùm aberrant. Primùm enim, inuersæ genitales mulierum partes, à virilibus longissimè distant: vt tum in vteri procidentia, tum vtriusque sexûs cadauera conferendo, liberiùs intuemur. Secundò nihil est in mulieribus reconditum Galeno notum, quod colis compagem imitetur. Præterea ea est vtriusque sexûs partium differentia, vt testes primùm in viris spongiosi quidem sint, non caui tamen vt in fœminis: scrotum autem à corporis vteri substantia & conformatione maximè differat. Vasa item spermatica, quæ in viris nullos emittunt surculos; in fœminis in varios diiunguntur ramos, & variis vsibus distinguuntur: deferentia item in maribus rectà feruntur in prostatas, at in fœminis partim ad matricis cornua, partim ad collum tendunt. Adde varia esse in fœminis quibus nihil respondet in viris: pterygomata scilicet, nymphas & hymen. Demum expendant sapidiores hi viri, cum vesica in fœminis vtero supereminear: num rectè, exclusis mulierum genitalibus ad efformandam virilitatem, in illo nouo cole meatus vrinarius supra non infra colem excurreret. Tandémque viderint, quonam pacto possent deferentia vasa quæ in fœminis ad vteri cornua feruntur ad meatum communem terminari, vtero in scrotum verso: quóue modo glandulosi prostates efformarentur quibus mulieres carent. Audentiores nonnulli sexum vnum in alterum ita mutari asserere videntur, vt prioris nullo manente vestigio succedat alter. Sed malim hos ludentes audire quàm seria narrantes. Quorum fabulas negligentes: quo tandem pacto tam prodigiosæ relatæ metamorphoses eueniant breuissimè aperiamus.

Quemadmodum inter elementaria corpora promiscuæ naturæ quædam aduertimus, vapores scilicet, aquæ aërisque naturam inter ambigentes: ac fuliginosas exhalationes, terram inter & ignem medias: necnon inter fossilia marchasitas inuenimus, multiplices metallorum facies referentes: & inter gemmas admirando naturæ lusu, diuersas species continuo saxo coëuntes inspicimus aliquando. Habuit enim ad manus Scheuardus nostras ingeniosus auri faber, & in re gemmaria mirum in modum solers, gemmam rotundioris fabæ magnitudine quæ ex dimidiato topazius erat, ex altero saphirus: aliasque Aluearnatem saphirum cum rubino congenitum, nullâ confusione coloris, sed duritiei conformitate sociatos. Ita in hominum cæterorumque animalium speciebus, non mares solùm aut fœminæ; sed naturæ lusu promiscui sexûs indiuidua nonnulla generantur: quibus ob communis naturæ complexum, commune etiam nomen est inditum: suntque Androgyni, Hermaphroditi, & Arsenotheles dicti. Quorum exempla apud Ruffium, [a] Schenckium, [b] & alios legere quibusque licebit. Vnum lubet Phauorinum Oratorem & Philosophum celebrem referre, & Gallum, & Prouincialem, Arelate natum: quem Rhodiginus, [c] Androthelem, id est virum, simul ac fœminam fuisse scribit. In quibus, quos Salmacis vndâ lotos fabulæ ferunt Ouidianæ, [d] licèt vterque sexus insit: e duobus tamen [vt ait Aristoteles] [e] alter est ferè semper imbecillus & inefficax, seu [vt cum Pontano [f] loquar] quasi clandestinus, soléteque is sexus cui præuigere datur, vt re, ita & nomine præualere. Hermaphroditorum autem nonnulli, iuxta recentiores, vtriusque sexûs inutili membro notantur: alij vtroque aliqualiter valent: qui vt loquitur Albertus Magnus, [g] licèt nec impregnent, nec impregnentur, in coitu tamen incumbunt & succumbunt: alij, demum altero quidem valent sexu, alterius autem leuem perferunt notam.

Quorum quatuor esse species ab Ægineta [h] feruntur: quarum tres sint in viris, vna in mulieribus. In viris siquidem aliàs in perinæo inter scrotum scilicet & anum, aliàs in medio scroto, muliebris pudendi pilis obsiti forma apparet: tertia est, in qua nonnulli veluti ex pudendo, quod in scroto aut sub scroto etiam est, vrinam profundunt. In mulieribus demum, supra pudendum iuxta pubem, frequen-

y Alfonsus Lazinus annot. in 1. Gal. com. in 3. Hipp. epid.
z Lib. 14. de vsu part. c. 6 & 2. de sem. cap. 5.

a Lib. 1. de muliebr. c. 3
b Lib. 4 obser. obst. exat. 3.
c Lib. 10. lect. antiq. c. 27.
d Lib. 4 & 14 metamor. cap. 12.
e Lib. 4. de gen. anim. c. 4
f Lib. 10. de reb. cœl. c. 6
g Lib. 18. de anim. tract. 2. cap. 3.
h Lib. 6 c. 69

tet viri genitale inuenitur, tribus quibusdam extantibus corporibus vno tanquam cole, duobus autem veluti testiculis, quas Tribades appellauit Aurelianus.[i] Tales frequentissimè captæ visuntur, in quibus veretrum ad os vuluæ prominet: quas Tragenas vocari, perinde ac si Hircenas dixetis, inquit Cœlius.[k]

i Lib. 4. tar dar. pass. cap. vlt
k Lib. 15. lect. antiq. cap. 10.

Quibus præmissis nostram in te tam graui sententiam ea mente efferre audemus, qua ingenuos viros decet: vt sua quidem liberè efferant, eadem tamen doctiorum censuræ submittant: non tacito susurru lacceranda, sed publicatis scriptis officiosè corrigenda. Fœminas ergo, dupliciter mutari in viros asserimus. Vel enim Andro theles fuerunt à natiuitate: in quibus potuit aliquando ad pubertatem vsque delituisse sociatæ virilitatis nota; pubertate autem adueniente per emicatus quosdam & ἐκλάμψεις caloris ad genitalia, augeri minutulus ille coles, & clandestinus antea sexus, alteri postmodum præualere. Quas si conuersione caloris ad masculum genitale debita conformatione donatum, sexum mutasse contingat: muliebribus sopitis affectibus, ad virorum efficaces actus transiisse contingere poterit aliquando. Sin vtrique præstò esse natura conetur: periculum est, ne vtriusque vis effœta & imbecilla reddatur. Præter has autem, fœminæ quæ solius muliebris sexûs erant participes: ita mutari in viros possunt, vt vtriusque sexûs apparentes notas referant & Arsenothelyes euadant. Mulieres enim singulæ, habent sub pube, & in eminentiori pudendi loco, particulam quamdam albatharam ab Auicenna[l] vocatam, tentiginem ab Albuchasi,[m] à Græcis verò κλιτόριν appellatam à κλείω quod est claudo & inde obscœnum illud κλειτοριάζειν deductum. Quam particulam vltra consoetum pendulam nimiúmque laxatam, cercosim id est caudam appellauit Æginetа.[n] Ea autem est huius clitoridos cum virili pene conuenientia: vt in illa non aliter quàm in hoc, duo insint nerui spongiosi & caui, atro crassóque sanguine delibuti, qui ab influente spiritu extendi, eodéque dissipato flaccessere possint. Habet præterea exiles musculos, venásque dorsum perreptantes quales in virili cernuntur. Tandémque in quoddam extremum desinit, quod glandem figura, substantia, & titillationis sensu proximè refert: vtque paritas conformationis absoluatur, pelle quadam veluti præputio contegitur. Primus qui huiusce partis admirabilem structuram accuratiùs examinasse notatur fuit Falopius:[o] post quem Coiter, Platerus, Clarissimus Laurentius, Schenckius, & Bauuhinus eamdem exactè descripserunt. Quod exile membrum, vt multis mulieribus frequentiori contrectatione increuisse legitur, cercosim generans: ita per nouas & insolitas caloris effulgescentias, seu ex diu suppressis mensibus absque suppressorum succorum putrilagine, seu natura copiosiorem sanguinem nullâ impuritate nociuum, in pubere ad excretionem accumulante; membris natiui sexûs manentibus integris, intumescere potest, & debitum virilitati incrementum accipere. Non quòd propterea incremedrum hoc colis, nouo illi viro aut hermaphrodito potiùs, ad generandum sufficiat: quoniam semen eiaculari ipsi negatum est, obcæcatis vt in spadonibus, aut negatis potiùs eiaculatoriis meatibus. Ad coëundum autem & incumbendum, vtile est & efficax: cùm prominens tum mentula affluente spiritu tendatur, eiusdémque spiritûs emissione parem illi voluptatem sentiant quàm impuberes & steriles viri coëundo sentire consueuerunt. Eam verò muliebris clitoridos conformationem subobscurè sapiens Aristoteles:[p] sexûs duplicitatem à principio generationis non apparere indicauit, sed nouâ accessione alimenti increscere insinuauit. Quòd cùm vtriusque sexûs rudimenta, cum reliquis membris effingantur: quod principio delitescit & obscurum est in infantulis virginibus, postmodum inotescat, & recens genitæ partis speciem referat.

l Lib 3. fen 21 tract. 4. cap 13.
m Lib. 1. cap. 71.
n Lib. 6 c. 70
o In obseru. anatomicis.
p Lib. 4. de gen. anim. c. 4.

Ex maribus autem, fœminas nullas contingit fieri: nisi illi priùs hermaphroditi extiterint In quibus cùm variis ex causis nonnunquam manifestis aliàs latentibus imminui possit, & languere virilium genitalium calor: tum pendulam antea mentulam contabescere continget, retrahi testes, & quasi delitescere virilem sexum, qui in vtriusque complexu ad generandum non inefficax, alteri præualebat. In cuius vicem fœmineus sexus antea clandestinus & imbecillus subueniet, iam aptus ad concipiendum factus. Quod minimè præter rationem & gratis asseritur, cùm soleant in perfectioribus hermaphroditis authore Columbo,[q] vasa eiaculantia miro naturæ commento ad vtriusque sexûs instrumenta diffundi. Ac licèt natura vtrique sufficere vtiliter nequeat: potest tamen eorum alterutro efficaciter vti. Si ergo aliquando contigerit, eum qui in prima partiû conformatione inter externas vtriusque sexûs notas, viriles habeat magis apparentes, internas autem pariliter effigiatas; insitum habere calorem eousque remissum & imbecillum vt accedente pubertate non solum vtrique sexui, sed ne masculo quidem genitalem materiam qualem & quantam par esset suggerere queat; nolit interim generatiua facultas otiari: optimè sibi natura prospiciet, si ad alterum sexum magis inclinetur, cuius generatricem vim remissioris caloris concursu conseruare fouetéque potest. Quo casu destinata ad otium membra virilitatis, quæ suo genio & alimoniâ deinceps natura defraudat, concidunt & contabescunt, delerique videtur priùs apparens

q Lib. 15. de anatom.

sexus. Ita vmbilicalia vasa, & arteria illa venam arteriosam inter & arteriam magnam producta ad diffusionem spirituum in fœtu : eodem iam nato & excreto ab vtero, inutilia cùm sint marcescunt. In prominentiis item, acrochordones, thymi, & consimiles morbosæ eminentiæ : cessante aliquando cacochymico influxu tabescentes, sponte decidunt.

Sed quomodo noui illi caloris emicatus, non ad totius pudendi efferendam molem : sed imitandæ virilitatis ergo, ad clitorim solam augendam determinantur ? Aut quanam ratione natura, quæ principio in hermaphrodito, masculinum sexum externis notis eminentiorem effinxit: postmodum ad alterum vertitur, & priorem inducto marcore deturpat ? Hoc fateor difficilimè explicari : cùm nullam liceat causam intra nos inuenire, quæ ad insolitos hos effectus producendos sufficiat. In re tamen tam ardua, ausim affirmare principem harum metamorphoseon efficientiam ad influentem siderum vim referendam esse. Cœlestia enim corpora, vt totius mundanæ massæ illustrissima sunt ornamenta : ita efficacissima agentia, quæ Philosophi vniuersalis causæ denominatione dignantur, quòd ad inferiorum omnium effectuum productionem aliqua ratione concurrant. Vnde Aristoteles, [r] mundus [inquit] qui circa terram, ex necessitate superioribus lationibus continuus est quodammodo : vt omnis eius virtus inde gubernetur. Cui subscribens D. Thomas, [s] corpora cœlestia ait, causam esse eorum quæ in his inferioribus fiunt. Atque id D. Augustini [t] sententiam sequutus affirmat : qui corpora crassiora & inferiora asserit, per subtiliora & potentiora quodam ordine regi. Imò D. Thomas [u] sexuum etiam variationem in geminis, ad vim à sideribus emanantem refert pro varia materiæ dispositione: qui & consequenter, sexuum coïtionem complexúmque illis ipsis tribueret: quod collector indicis summæ, vt tacitè expressum insinuat. Ideò cum, authore Ptolemæo,[x] pro varietate sexûs potiorum planetarum, & domini ascendentis, sitúque luminatiûm, varius genito sexus conferatur :& præterea hermaphroditi producantur ex variis corporum cœlestium configurationibus, quarum meminit Firmicus; [y] aut ex Mercurij influxu cum venere coniuncti, quemadmodum Pontano [z] placuit. Manifestum autem fit apud Astrologos per ætatis decursum astrorum reuolutiones, nouos semper imprimere casus: Zachel [a] autem insignis Astrologus dicat, nihil durabile fieri in signis mobilibus. Probabile admodum est, quando acciderit planetas sexûs datores in conceptu, in signis esse mobilibus : si adueniente pubertate aut aliàs per ætatis decursum noua quædam inciderit configuratio siderum; in qua dominus domûs octauæ quæ partium genitalium significatrix est, vt inquit Moletius, [b] & signum occupans eam domum, nec non planetæ vtrumque aspicientes ad notabilem quamdam mutationem his membris inducendam conueniant: posse tum nouos illos caloris emicatus excitari, atque ad hanc illámve partem pudendorum nouæ molis accessione amplificandam, aut contra inducto marcore extenuandam determinari: atque eam mutationem sexûs inducere, quam subite queat iam tributa corpori conformatio.

Cæterùm ita mutari sexus vt alter succedat alteri integrè deleto (quod de hyæna fabulati sunt antiquiores) omnem naturæ conatum excedit. Quoniam ad id non solùm mutatione sitûs iam genitarum partium, earúmque inuersione est opus : sed præterea vt ex dictis constare existimamus generatio quædam nouarum partium, & aliarum præexistentium abolitio requiritur. Aliàs post mutationem, in vtroque, quædam ad integritatem necessaria deficerent, quædam etiam importunè redundarent: dissimillima enim est, viri & fœminæ genitalium partium conformatio. At nouam moliri alicuius membri conformationem, ad quam nouarum partium accessione fit opus, minimè naturæ datum est, in iam genito, perfecto, & grandiore animali. Neque enim tum præsentem aptam habet natura materiam, & ad arbitrium ductilem: neque præsto est opportunum agens, actiuus ille scilicet seminis spiritus, quem complantatum appellant, supremi Opificis & Plastæ instrumentum: nec demum vlla adest vrgens necessitas, quæ gubernatricem animam, & omnium facultatum rectricem moneat ad horum operum nouitatem aggrediendam, vt in restaurandis dentibus aduertimus. Imò ne sectas quidem spermaticas partes primæ continuitati consimili medio restituere potest, sed cicatricem aut callum inducit : at multò minùs earumdem erosa in vlceribus fragmenta regenerare valet : omninm autem minimè, nunquam ante genitas membrorum particulas efformare. Neque quisquam est qui ex amplo naturæ penu consimilis effectûs vllam instantiam efferre queat. Quinimò ne à Dæmonibus quidem id fieri potest nisi præstigiosè, & per effusas falsas rerum species, quas effingere norunt : quia vitalis esset nouæ illius conformationis actus, at vitales, ab assistente forma produci nesciunt. Quod autem de hyæna fertur, ab Aristotele [c] commentitium asseritur.

At neque natura est illis sic esse necesse,
Diuisum genus est, valeant mendacia vulgi ;

Inquit Natalis Comes : [d] sed leue tantùm quoddam hermaphrodisiæ signum, in illa impressum esse ille scribit. Atque idem de rhinocerote sentiendum puto, cuius,

r 1. meteor. sum. 1 cap. 2.
s 1. p. q. 115. art. 3 in corp.
t Lib. de Trin. cap. 4.
u Eod. art. ad 4.
x Lib 3. quad. cap. 6.
y Lib. 4. matheseon cap 6 & lib. 7. c. 7.
z Lib. 10. de reb. cœlest. c. 6
a Lib. de elec.
b Lib. 2. Isagoges astron.
c Lib. 9. de histor. anim. c. 32. & 3. de gen. anim. cap 6.
d Lib. 2. de venatione.

Credere

Credere si libeat famæ, mas dicitur esse
Has species tota.

Vt aduertit idem Natalis:[e] hoc tamen ipsum animal

Et binos catulos edit, quo tempore frondes
Pallescunt, glacialis hyems quas læsit.

Nec mirum illam impressam[d] esse hyænæ notam videbitur, si integras quorumdam animalium species promiscui sexûs esse credamus. Aristoteles[f] enim ex Herodoro Heracleota refert, Trochum piscem duplex genitale maris & fœminæ habere. Quod etiam memorat Plinius.[g] Leporibus item vtrumque sexum & vtramque gignendi vim inesse, atque omnes lepores æquè gignere, ac si essent hermaphroditi, auctor est Archelaus apud Mattheolum:[h] vnde Munsterus à Gesnero citatus[i] vocem, inquit, leporem apud Hebræos significantem, terminationem fœmininam habere, quòd vnum indiuiduum habeat vtrumque sexum. Sed falsa est hæc opinio, cui plerique subscripserunt: exinde orto errore quòd vtriusque sexûs singuli, binos in inguinibus prominentes tumores habeant quos testiculos esse multi existimarunt: cùm, Rondeletio[k] authore, vesiculæ tantùm quædam sint sanie tumentes, non admodum dissimiles illis quæ propendent in fibro & Castoreum continent. Certò enim deprehensum est in horum specie, vt cuniculorum, masculos haberi, fœminas item, & quæ vtrumque sexum participent indiuidua. Quod demùm etiam de Trocho credendum existimarim. Nihilominus tamen in hyæna masculo nihil vetat illud inesse vestigium muliebris pudendi, quod adnotatum est ab Aristotele: contractâ ad intima excarni eâ perinæi quasi suturâ, cui vesicæ collum incumbit, atque ita vuluæ os mentiente.

Sed hæc ad propositam disputationem sint satis. In qua hoc vnum tandem constitutum volumus; fœminas quidem posse hermaphroditos fieri, masculi sexûs notâ ad sensum præualente: non autem viros muliebris sexûs speciem induere posse, nisi ijdem Androthelyes à natiuitate extiterint.

e Lib. 4. de venat.

f Lib. 3. de gen anim c. 6.
g Lib. 9. c. 51.
h Comm. in lib. 2. Diosc. cap. 15.
i Lib. 1. de animal.

k Lib. de amphybijs anim. cap. 6.



Quomodo ferino ſanguine epoto, homines ferinos mores induant.

EXERCITATIO QVINTA.

QVAMVIS particulatium euentuum cauſas curioſiùs inquirere, à quibuſdam inutile iudicetur: quia tamen in eo quod acutioribus ingeniis magis probatur, verſari ſatiùs eſt, quàm cæterorum ſtare iudicio. In hoc etiam ſtudij genere, nos ſingulari exemplo exercere conati ſumus: vt nobis quidem viam faciamus, alios verò excitemus ad ea perquirenda, quæ in indiuidualium etiam naturarum penetralibus latent. Quibus quæ accidunt, etſi manifeſta ſint ſenſibus: eorum tamen cauſæ, acutiſſimorum ingeniorum curioſam perquiſitionem ſæpiùs effugiunt.

Refert Martinus Vuendrichius[a] ante aliquot annos in Breſlaro Sileſiæ, quæ Poloniæ & Hungariæ ad occidentem contermina eſt, cuidam puellæ quæ ab ingenti pauore in epilepſiam inciderat, à vulgari quodam homuncione fuiſſe præſcriptum, vt felis recens occiſi tepidum ſanguinem hauriret. A quo remedio, cùm puella fuerit à ſacro morbo liberata: deinceps tamen per periodos felinas voces & imitari cœpit, & earumdem more mures venari.

Quæ mira ſanè eſt metamorphoſis. Dum enim inſolito remedio, ſatis vulgaris curatur affectus: nouo quaſi veneficio oppreſſa per interualla ratione, in prioris morbi vicem ferini inſinuantur affectus.

Cuius tamen rari casûs non Dæmoniaca, ſed planè naturalis eſt cauſa. Epilepſiam quidem cati ſanguis epotus curare potuit; cùm illi diuerſorum animalium ſanguinem mederi ſcribantur: atque illum maximè, vt ex Galeno[b] colligimus, qui attenuantis eſt facultatis. At felinum ſanguini magnam attenuandi vim connatam eſſe, ex eo cum ratione coniectamur: quòd ille ex calido admodum ſiccóque animali effluat; cuius comeſtas carnes hunc morbum diſcutere ſcribit Aretæus.[c] Quem præterea ad comitiales curandos non parùm efficacem eſſe, ideò perſuademur, quòd diuerſorum animalium ſanguis minùs attenuans, ſacro morbo laborantibus vtilis eſſe feratur. Dioſcorides[d] enim, ad epilepticos muſtelæ atque etiam teſtudinis terreſtris ſanguinem commendat. Aurelianus,[e] teſtudinis marinæ, & vituli marini cruorem, morbo comitiali vtilem eſſe teſtatur: imò & humanum. In quo eidem aſſentiuntur Aretæus, Celſus,[f] & Plinius[g] ex Septimij Florentis authoritate. Ac quidem Aretæus, vidiſſe ſcribit nonnullos nuper iugulati hominis vulneri phialam ſubijcientes, atque inde hauſtum cruorem bibentes; & malum, malo piaculo depellentes. Apud quos, vt addit Celſus, miſerum auxilium, tolerabile malum miſerius fecit. Mitiùs tamen, eodem remedio vſus eſt Trallianus:[h] qui ex Moſchione,[i] panniculi in ſanguine gladiatoris aut cuiuſpiam mortis rei intincti & cremati cinerem, vino miſcebat. Vel proprio ægri ſanguine à magnis pedum digitis leui vulnere extracto, labra & frontem, Theodori[k] experimenta ſequutus, inungebat. Quod remedij genus, cùm recentiores imitari voluerint, vt ſanguinis horrorem tollerent, ſtillatitio eiuſdem liquore vtendum cenſuerunt: cuius diſtillandi rationem docuit Paracelſus.[l]

Verùm multò difficiliùs eſt explicare, quomodo ferinus ſanguis ac felis præſertim [vt in propoſito caſu accidit] hauſtus: ſic mentem peruertat, vt qui eum potarint, feratum eiuſdem generis mores imitentur.

A qua difficultate vt nos extricemus, non placet eorum ſententiam ſequi, qui aſſerunt cum recenti tepidóque ſanguine hauſto ſimul infundi animam, quæ mox corpus quod inhabitat ad ſibi conſueta munia conuertat. Quod tamen ex Leuitico videtur inferri: vbi omnis anima ex vobis, inquit Deus, non comedet ſanguinem, anima enim omnis carnis in ſanguine eſt. Quod cùm à Carmanis olim eſſet creditum, authore Rhodigino,[m] percuſſâ faciei venâ, profluentem inde cruorem vino in conuiuiis commiſcebant, & ſibi mutuo propinabant: amicitiæ finem ſtatuentes ſanguinem guſtaſſe mutuum, quaſi ſingulorum animas in fœderis firmitatem ita confunderent. Sic apud Plutarchum in Publicola Aquileijani,

a Lib. de monſtris c. 15.

b Lib. 10. de ſimpl. medic. facult. cap. de ſanguine.

c Lib. 1. de curat. diutur. cap. 4

d Lib. 2 cap. 24. & 71.

e Lib. 1. tardarum cap. 4

f Lib. 3. c. 23.

g Lib. 28. c. 1.

h Lib. 1. c. 15.

i Lib. 58.

k Lib. 2.

l In fine lib. 3. paragraph.

m Lib. 18. lect. antiq. cap. 32.

Vitelliani, & Bruti grandiores filij, cùm de vrbe Tarquinio prodeunda conuenirent; prælibato mactati hominis sanguine, iniquum illud decretum confirmarunt: quasi communione hausti cum sanguine spiritûs, vnitatem mentis & voluntatis inducerent. Neque aliter Catilina apud Salustium, cùm ad iusiurandum populares sceleris sui addiceret, humani corporis sanguinem vino permixtum in patera circumtulit: ac cùm post exsecrationem omnes degustassent, sicut in solemnibus sacris fieri consueuit, quasi tunc singuli in communem animorum consensum eo haustu raperentur, aperuit consilium suum.

Non placet, inquam, horum opinioni adhærere. Sanguis enim inanimus est, & animalium vltimum alimentum: quòd cum vlteriore alteratione in aliti substantiam transire oporteat, non ante debuit aut potuit alendi corporis forma informari, quàm cùm ex alimento in membri naturam abierit: atque ex alimento factus sit pars animalis.

Cùm autem in Leuitico anima in sanguine esse dicitur: ita ex glossæ ordinariæ expositione id intelligendum est, quòd aliquid vitale sit in sanguine, quia per ipsum maximè in hac carne viuitur. Vnde Plinius,[n] magna, inquit, in sanguine vitalitatis est portio. Is enim vitæ fomentum est, atque vt oleum flammam in elychnio aut nutrit, aut conseruat saltem: ita sanguis, vitali igni qui nobis ingenitus est perenne alimentum suggerens, cum calore, animam, & vitam in nobis retinet atque tuetur.

n Lib. 11. cap. 38.

Quare in te admodum ardua dicamus: sanguinem cuiuscumque animalis, tum quòd in hepate generetur, tum quòd spirituum vitalium, animaliúmque perfusione luxuriet, genuinum vniuersi corporis temperamentum redolere. Atque eumdem, quòd plurimam tenuem substantiam in se contineat: in alterandis corporibus, maximæ esse actiuitatis. Quæ enim tenuia sunt facilè quæque peruadunt, ac pro conditione qualitatis sibi annexæ potentissimè operantur. Vnde minimè mirum est, si Aristoteles,[o] pro natura sanguinis, corporis vniuersi temperaturam, mores, ingeniúmque euariari scripserit. Cúmque ea sit agendi vis in sanguine: qui tepens, & quasi ab spirituum permixtione palpitans hauritur, vim habet maximam ad cerebri temperiem immutandam. Tota enim illa spirituosa substantia sanguini permixta, summa sua leuitate, sursum celerrimè aduolat: vnde cùm exhalare non possit; sed per spongiosam cerebri medullam diffundatur, eiúsque penitiorem substantiam peruadat, idipsum efficacissimè alterat, & immutat. Quapropter si ferinus sanguis aliquando, recens ab animali effusus, & tepens ab homine potetur: quoniam is maioris tenuitatis est particeps, & feruidior, quàm qui cicurum animalium est: facilè potantis cerebro eam crasim imprimet, quæ temperaturam animalis, à quo ille decisus est, referat. Ac quoniam animi mores (secundùm propensionem saltem) corporis ac cerebri maximè temperiem sequuntur: minimè præter rationem est, tam infausto pharmaco vsum, ferinos mores induisse.

o Lib. 2. de part. anim. cap. 4.

Vel potiùs, vti à melancholicis biliosisque vaporibus, aut ichoribus cerebrum importunè ferientibus, melancholicum, aut phreneticum delirium prouocatur: ita asserimus sanguinis ferini epoti spiritus & ichores, per cerebri vasa substantiámque effusos: si quando vehementiorem discrasiam tactum cerebri acriùs offendentem impresserint, furorem deliriúmque ferinum excitare.

Tactum cerebri appello, seu ipsi medullari substantiæ insitum, quem obtusum & obscurum saltem illi tribuit aliquando[p] Galenus, licet idem sæpiùs idipsum cum Aristotele[q] negauerit[r]: seu illi à tenui meninge communicatum. Sic referente Guainero,[s] sanguis ab homine ruso, dum irâ tumet, extractus, & potui datus; mentem (saltem imbecillium) in maximi furoris errorem vertit.

Nec dissimili ratione cerebrum vrsi potum, in vrsinam rabiem agere, testatur Plinius[t]; quod singulari exemplo confirmat Vuierus.[u] Ita plurimi, commanducato cati cerebro, in furorem sunt versi: vt plurimorum authoritate,[x] & vulgari consensu confirmatur. Neque aliter à rabido cane demorsi, in hydrophobiam, rabiémque ducuntur: virus enim à cane in vulnus effusum, vbi ad cerebrum per vaporem à se exhalatum, vel per propagatum inquinamentum peruenerit, ex peculiari discrasia quam primario illi & principi sensuum organo imprimit, eam furoris speciem pronocat.

Quæ ab his omnibus & consimilibus causis impressa cerebro intemperies, si quando tam vehemens sit, vt perenniter officiat, perenne etiam delirium reddit: si verò eousque sit mitior, vt fomite quomodocumque exagitato, per periodos tantùm grauius infestet; dementatio solùm per interualla recurrit.

p Lib. de plenit. cap 4.
q 2. de partib. anim c.7 & lib 3. de hist. anim cap. 19.
r Passim in lib. de vsu p. lib 7. de plac. & 1. de sudda famis c. vlt.
s Tract. de venenis c 10.
t Lib. 8. c. 36.
u Lib. 4 de præstigijs Dæmon. cap. 23.
x Ita Alex. Benedict. lib 3. c. 28. Ponzetus apud Gesnerum lib 1. de animal cap. de cato. Guainerus supra. & Mattheolus in c 25 lib 6. Dioscorides.

Verùm quia hic non ferox solùm delirium aduertimus, quod à feruido illo spirituoso vapore epoti tepentis sanguinis, imagines internorum sensuum organis impressas exagitante excitatur: sed præterea imitationem motuum & morum feræ, cuius erat ille sanguis, sub-

subsequutam adnotamus. Explicandum tandem proponitur, quomodo qui felis, aut alterius feræ sanguinem potarunt, eiusdem feræ mores æmulentur. A qua difficultate quæ verè ingenia exercere apta est, sic posse nos extricare censemus: vt dicamus, ad quodcumque delirium duo concurrere; vnum quidem quod internos sensus mentémque perturbet; aliud verò, quòd iam perturbatos, ad hunc aut illum errorem determinet. Sic vinum profusius potum, cùm deliros faciat; hunc quidem furiosum, illum verò stupidum reddit, & alium ad petulantem scurrilitatem ducit. Quod ergo in proposito casu internos sensus perturbat, est feruidus ille vapor à repente ferino sanguine epoto, in cerebrum elatus: qui suo calore sensuum organa impensiùs rarefaciens, & species illis impressas exagitans, ex perturbata & confusa specierum, quæ concitatæ sunt, repræsentatione; perturbationis simul internorum sensuum, atque inde mentis, est causa. Ita ex febre, à temulentia, atque etiam ab insolatu, & his omnibus quæ affatim cerebrum vehementiùs calefaciunt, imaginationis inordinatam quamdam perturbationem sequi probamus, quoties in eos casus incidimus.

Quod verò ad peculiare illud delirij genus, hos αἱμαπότας determinat: non vnum est, sed plura simul concurrunt.

Cùm enim cuiuscumque delirij princeps causa sit rei cuiuspiam à ratione alienæ, cum perseuerante quâdam vehementiâ, menti facta repræsentatio, & elicitus inde conceptus, supra quem intellectus minimè reflectatur: vel quòd non sit reflexionem expertus, illique minimè assuetus, vel quòd ille sui iuris esse non permittatur, ab imaginatione nimium tali errori attenta, & importuniùs suorum figmentorum phantasmata obijciente. Tantæ tamen varietatis deliriorum, quatuor omninò causas agnoscimus.

Quarum prima, est animi pathematum nullo rationis moderamine temperatorum vehementia. Sic mulierosi cùm febrientes delirant, nihil nisi obscœnum cogitant & proferunt. Auaritiori ad nummos, atque ea quæ ad rationes reddendas aut accipiendas pertinent, conuertuntur. Et ambitiosi se pro principibus gerunt. Secunda causa, est quæcumque vel tantillùm perseuerans interna cerebri noxa, quam vel humor in cerebro collectus, aut illuc per metastasim transmissus, vel vapor eò transfusus, vel quiduis aliud cerebro impressum inferat. Quæ cùm ab interno cerebri tactu percepta, imaginationi atque inde menti (quæ solent singula per externa sensuum organa excipere) repræsentetur: imaginatio, atque inde mens, eam noxam deforis aduenire concipiens, eam ad externum quidpiam, quod offensæ intus perceptæ sit analogum, efficto conceptu refert. Ita ab interno flatu cuiusdam auditorius neruus lacessitus, illi apud Galenum occasionem dedit concipiendi tibicines quosdam in cubiculo versari, quos eijci excludíque debere, continuo inclamabat. Atque huc referenda est vertigo, in qua cùm crassi vapores per cerebri ventriculos quodammodo in gyrum agantur, nos circumstantia omnia in circulum verti existimamus. Tertia causa, est facultatis æstimatiuæ, à sensatis insensatas species elicientis, error. Non aliter enim febrientium aliqui, cùm ob visûs imbecillitatem eorum oculis marmaryges obuersentur, variorum animalium sibi apparentium imagines formant, à quibus timent, aut in easdem animosi feruntur. Tandem, sola internorum idolorum inordinata repræsentatio, cum impetu & vi quadam imaginationi, atque hinc menti occurrit. Vnde leues & turbulentos homines, inquit Galenus, [y] leuibus ex causis fieri delitos.

[y] Com. 3. in lib 3 epidem. comm.tex.87.

At in proposito casu, non vna prædictarum causarum peculiare illud delirium excitauit, sed plures ex his, simul concurrerunt.

Quæ enim se Cati sanguinem ad curationem grauissimi affectus hausisse, ex astantium relatu, aut visu forsan cognouit: vbi specialem eam inæqualem discrasiam; ab epoto repente felis sanguine cerebro impressam, internarum partium tactu percepit: mox eamdem per intermedium communem sensum æstimatiuæ repræsentauit. Quæ solita insensatas amicitiæ aut inimicitiæ; similitudinis, & paritatis; vel dissimilitudinis & disparitatis species ex sensatis elicere: cùm ægra curationis spe delectata, remedij causam amaret: ex sensata illa discrasia, non tam offendente quàm cerebrum exagitante, & principum facultatum organa perturbante, conceptum efformauit contractæ similitudinis cum eo animali à quo epotus sanguis effusus erat.

Cúmque æstimatiuæ, facultas motrix obsequatur; sic affecta, & ex mollitie mentis, in reflexione intellectûs minimè exercitata, æstimatiuæ errorem ratiocinatione non emendans: voces, motus, & mores eiusdem feræ cuius erat epotus sanguis, imitari cœpit, quoties impressa cerebro discrasia exacerbaretur.

Neque aliunde quàm ex hoc secretorum naturalium riuô, discere licet quomodo Faustina Antonini Philosophi coniux, Iulio Capitolino authore, cùm gladiatorem deperiret, & amoris incen-

dio

dio tabeſceret : ex Chaldæorum conſilio, occiſi gladiatoris ſanguine poto, ſimúlque marito in ſecreros amplexus admiſſo, à mentis errore & corporis affectu ſit liberata. Poſtquam enim eo contractæ cum amato gladiatore ſimilitudinis conceptu vi epoti ſanguinis eluſa eſt, & ſibi hinc abunde pro muliebris cupidinis inconſtantia amori fuit ſatisfactum ; ac ſimul màriti concubitus, prurientem venerem geniali vnguine mitigauit : mox, tum ab Erotico errore reſipuit, tum ſoluto amore conualuit. Sed cùm per concubitum ex vi remedij, ſe quaſi in amatum gladiatorem verſam imaginaretur ; & intenta matris imaginatio, conceptui grauem notam imprimat : eo concubitu Commodum, gladiatorem magis, quàm principem concepit.

Atque ex his patere arbitror, quomodo à felis ſanguine hauſto, Breſlauiana illa puella felem per interualla imitaretur : & hypotheſi ad theſim reuocata, quomodo ferino ſanguine epoto, ferini mores induantur.



Cardiacam Gemmarum facultatem, non aliunde quàm ab elementorum crasi pendere.

EXERCITATIO SEXTA.

N fœcundissima remediorum sylua, quam ad morbos & imminentes præcauendos, & præsentes expellendos, hominibus natura suggerit: ea multiplicibus tot sæculorum experimentis comprobata varietas adnotatur, vt alia cerebro magis quàm alteri membro, alia cordi, quædam pulmonibus cæterisque corporis partibus singulatim vtilia sint. Sed vnde illis ea vis adnascatur, mirâ sententiarum repugnantiâ inter antiquos & recentiores Medicos disputatur. Nondum tamen quibus potiùs adhærere, imò & quid de antiquiorum mente sentire debeamus, satis constat. Quare sub specie inquirendi facultatem cardiacam auri & gemmarum, breui oratione propositam quæstionem examinabo. Et licèt tam Philosophi, quàm Medici hac ætate eò inclinent vnde me rationum vis distrahit: ita mihi veritatis studium cordi est, vt in eius gratiam minimè erubescam, meam sententiam à vulgari alienam, publicæ censuræ exponere: confidens posse me apud ingenuæ mentis viros, vulgatam opinionem hac velitatione erroris suspectam reddere: vt alij veritatis studio accensi, acuriùs & accuratiùs rem excutientes, quod aggredior compleant aliquando.

Duo sunt apud Auicennam,[a] quæ maximé recreare cor possunt: aromatica medicamenta, & dulces cibi. Illa, aëreum halitum ad spirituum fomentum, cordi promptè subministrant: hi copiosum alimentum toti corpori suggerunt. Sed præter hæc, tertium est cordialium genus inodorum, quodque in alimentum verti non potest: quod metalla nonnulla, gemmas, atque his similia, quæ Medicis in hunc vsum familiaria sunt, continere fertur. Inter quæ, plurimi, aurum primas tenere existimarunt. Neque illi eam facultatem Chymici solùm tribuerunt: sed plurimi etiam non vulgares Medici idem censuerunt. Vereor tamen ne plus auaritia huic concedat, quàm veritas. Inodorum enim, insipidum, ac præsertim à quo (si purum sit & obrizum) fusione deperite nihil potest: non habet vnde cordi prodesse valeat. Nihil ab eo effluit, nihil expirat, quod corporis intima permeet, arterias adeat, & ad cor vsque pertingat. Quale deuoratur, tale excernitur: & quod externo attritu perdit, tam crassum est, vt cordi recreando nunquam inseruiat. Tandem cum medicamenta non ante nos alterent, quàm per heterogenearum partium secretionem reducantur in actum: hoc omninò nobis inutile esse necessum est, quod inuictum ignibus, quantumcumque moretur in corpore, in tenuem etiam puluerem & calcem chymicè redactum, non solùm in heterogenea non soluitur, sed ne quidem vel leuiter immutatur. Hinc plurimi eos iure incusarunt, qui nummos aureaque monilia iusculis incoquebant: quòd aurum suas quidem sordes deponat, substantiæ tamen illius, nihil in decoctum abeat. Chymici vt illud tenuium partium, liquidum & potabile redderent, multa excogitarunt: hoc vnum assequuti, vt pro potabili, putabile fecerint, vti Crollius[b] ingenuus chymicus profitetur; & pro remedio, causticum deleterium præparauerint. Cuius ita suspectus est vsus; vt nulli ea quantitate qua agere in nos possit, innoxiè exhibeatur: nisi pro auro potabili, cardiacum vini spiritum flauo colore tinctum præbeant.

Auro nonnulli gemmas præferunt, & rubinos, granatos, smaragdos, saphyros, hyacinthos, margaritas, ipsúmque cyaneum magni faciunt: quorum vsum (modò veræ nec adulterinæ sint gemmæ) cordis affectionibus non leuem vtilitatem præstare, non infrequenti experimento comprobatur. Verùm vnde hoc habeant gemmæ quòd cordi prosint, in quæstione positum est.

Solent enim hoc æuo plerique omnes, in his & similibus facultatibus explicandis, ad occultas proprietates confugere: quas cœlestes, aut à tota substantia manare ferunt: elementarem crasim ad huiusmodi operationes nihil deseruire existimantes.

Quæ vt excutiamus, expedit eorum sententiam per capita referre: eámque à principe huius opinionis fauore mutuari. Is Fernelius est, qui[c] medicamentorum omnium facultates in tres ordines discernit. Ac primo quidem ordini eas tribuit, quæ ex primorum elementorum permixtione, & qualitatum simplicium temperamento proficiscuntur: eiusque aut earum qualitatum vim & natu_ tam imitantur, quæ cæteris in temperamento antecellunt: ex quibus, medicamentorum aliud cali_

a Lib. de medic. cordial. tract. 1. cap. 9.

b In basilicis chymicis.

c Lib. 4 meth. medendi c. 2 & 5. necnon lib. 2. de abd. rerum causis cap. 17.

dum est, aut frigidum, aliud calidum & siccum, vel frigidum & humidum. Secundæ classi eas assignat, quæ ex medicamentorum materia, temperamenti siue qualitatis primæ vi perfusa, suscitantur: quales sunt incidens, attenuans, incrassans, detergens, emolliens, laxans, suppurans, agglutinans, cicatricem inducens, escharam mouens, & similes. In tertium verò ordinem refert, alimentalem [d] euacuantem seu purgantem tam à toto, quàm à determinata parte; deleteriam; alexipharmacam; & peculiare membrum iuuandi aut lædendi: quas à tota rei substantia & forma primùm ac per se profici sci, ac proinde occultas totius substantiæ proprietates appellari scribit. In quibus classibus distinguendis proximè Galenum [e] est imitatus, licèt in prædictarum facultatum assignandis principiis, ab eodem re plurimùm dissideat, qui in nomine videtur conuenire. Nec motor, alios, plures constituere facultatum medicamentorum ordines; quas aliqui [f] in quatuor, nonnulli [g] etiam in quinque classes partiuntur: quòd in eo nostra minimè sita sit controuersia, quæ circa id tantùm versatur, num substantialis medicamentorum forma immediatè talia operetur, an potiùs quæ vnicuique propria est elementorum crasis. Quorum illud quidem asserit Fernelius; posterius autem, negat, dum inquit: [h] id iam manifestum agnosco rerum proprietates non ab elementis, non à materia, sed à sola forma prodire, neque has rectè occultas, sed vel formæ vel totius substantiæ proprietates appellari. Plurimùm verò à seipso aliàs dissidens [i] tales operationes non à forma proximè nasci asserit: sed facultates quasdam à cœlo simul cum forma compiodduci, quæ licèt accidentia sint, à forma tamen nunquam seiungi separatiue possint, etsi illæsa formæ substantia imminuantur: quas mox etiam, abeunte totius forma in tota substantia inhærescere profitetur; suæ sententiæ falsitatem, aperta contradictione manifestans.

Ideò verò maximè hæc opinio à veritate aliena mihi videtur, quòd neque effectus illi, quos occultis proprietatibus tribuunt, à formis substantialibus immediatè producantur: neque ab his, vllas proprietates actiuas, à primis qualitatibus Independentes, emanare necessum sit. Quod ad primum enim spectat, etsi cuiuscumque rei actio, vt ait Diuus Thomas [k] fit per formam naturæ illius; quòd ea sit princeps instrumentum quo suppositum operatur: tamen forma, quæ totam suam actiuitatem & causalem [vt ita loquar] influxum in informando insumit, nihil prætetea nisi per media instrumenta operatur. Anima ipsa rationalis, ad quascumque operationes edendas, suas habet facultates seu dependentes seu independentes ab organis, à se (vt alibi [l] probauimus) realiter distinctas.

Quare & multò magis cæteras, tales esse oportet: quæ vt imperfectiores sunt, ita minoris etiam actiuitatis & potentiæ. Cumque actiones etiam immanentes, atque eas quas in propria materia exercent, se solis immediatè non producant: multò minùs alias, quas in distans & extra se exerunt. Quam enim suæ substantiæ portionem in aliud influent, cùm tota in actuanda materia cui vniuntur, occupetur? Adde formas substantiales tunc maximè videri per se solas operari, cùm naturalia agentia ad sibi similis generationem procedunt: sed tunc singula mediis vtuntur qualitatibus primis per quas materiam ad similis formæ introductionem præparant & disponunt, ipsam autem formæ productionem non attingont: quare nihil vnquam per se & immediatè agent. Formas substantiales sibi similium productionem non aliter quàm dispositiuè attingere, etsi nouum videatur: tantæ tamen veritatis esse alio loco [m] demonstrauimus, vt peruicaciam ipsam conuinci posse non diffidam. Quod verò hoc casu magis vrget, omnis medicamentorum actio alteratio est: [n] quæ cùm inter contraria fiat, [o] substantiæ autem nihil sit contrarium: sequitur nullam substantiam posse immediatè eas actiones producere, quæ medicamentorum sunt. Tandem substantiam creatam non posse esse immediatum principium alicuius actionis accidentalis, tam ratum habent Philosophi * & Theologi: vt Scotus, [p] qui vbicumque potuit Diuo Thomæ est aduersatus cum illo [q] hac in parte conoeniat. Et Aristoteles, [r] ignis igitur, inquit, vt ignis, & terra vt terra, nihil agere aut pati nata sunt, neque aliud quidpiam: quatenus autem illis inest contrarietas, eatenus omnia agunt & patiuntur.

Alterum caput, maius negotium facere videtur: scilicet nullas facultates actiuas à formis substantialibus emanare, quæ à primis qualitatibus non pendeant. Id tamen euidenti ratione probaturum me spero. Entia, vt fert vulgare Philosophorum axioma, non sunt multiplicanda sine necessitate: sed quæ nouis illis facultatibus tribuuntur, omnia possunt ad primarum qualitatum efficientiam particulari substantiæ modo consociatam referri: quare non debent aliæ facultates actiuæ, ab illis independentes, introduci. Vt autem assumpti veritas quibusque pateat, ea quæ sequuntur aduerti expostulo. Ac primùm non solùm calorem, frigus, humiditatem, & siccitatem, id sibi habere innatum vt calefaciant, refrigerent, humectent, & exsiccent: sed præterea calorem quidem rarefacere, attenuare, heterogenea disgregare, & homogenea congregare; frigus verò illi contraria operari: humiditatem emollire, laxare, lenire, & lubricum reddere; ac siccitatem, effectus illi oppositos producere. Secundò quamcumque qualitatem primam magis aut minùs sic posse intendi, vt quemadmodum omne continuum est diuisibile in infinitum syncategorematice, vt loquuntur: ita possibilem qualitatum in-

d Lib. 2. de abditis rer. caus. cit. c. 17

e Lib. 5. de simpl. medic. facult. c. 2. & lib. 6. de compos. medic. per genera cap. 1.
f Auerrh. lib. 5 collect. c. 21. & Mercu. lib. 1. de compos. med. cap. 1.
g Scaliger in cap. 1. lib. de causis plant. Theophrasti.
h Cit. lib. 2. de abditis rerum causis.
i Eod. lib. 2. cap. 18.

k Quotlibeto 6. q. 2. art. 2.

l Tract. 1. theoretices lib. 6. cap. 2.

m Tract. 1. theor. lib. 4 cap. 3.
n Arist. 1. phys. tex. 19.
o Idem loco eodem & 8. phys. tex. 23.
* Legatur Suarez disp. 18. metaphys. sect. 2 & 3.
p Lib. 2. sent. dist. 15. & 4. sent. dist. 12. q. 3.
q 1. p q. 45. art. 8. ad 2 q. 66. art. 1. ad 1 & 4 & q. 105. art 1.
r Lib. de sensu & sensib.

tensionem posse in infinitum diuidi,& innumera reperiri quæ calida in primo,sint tamen adhuc inter se,magis aut minùs calida. Tertiò,non solùm singularum qualitatum diuersam esse agendi vim pro varia cuiusque intensione:sed præterea calorem eiusdem gradûs aliter humiditati sociatum, atque aliter siccitati coniunctum operari. Ille enim materiam in quam agit,vt calidiorem,ita seipsa laxiorem molliorémque reddit: hic contra,eamdem plus solito tendit & indurat. Quartò, vt primarum qualitatum concursus varius,temperamenta inter se distinguit: ita ipsorum elementorum substantiæ,prout diuersimodè ad mixtionem conueniunt, differentes admodum substantiæ modos in quibusque mixtis induunt: qui vt possunt in eodem genere mirum in modum euariare,ita primis qualitatibus variè combinati,illis occasionem præstant suas actiones multifariam euariãdi. Sic quod calidum est & tenuium partium,facilè intima peruadit,& in vniuersum corpus promptè effusum,pro suæ intensionis gradu singula mitiùs alterat: quod verò crassarum est partium, membrum quod attingit, tardiùs,sed acriùs afficit. Medici enim modos substantiæ appellant, tenuitatem crassitiem,raritatem,densitatem,viscíditatem friabilitatem,& similes Quintò vix vllum mixtum est,at ne vllum quidem,quod ex heterogeneis portionibus non componatur:quæ vt temperie, modóque substantiæ inter se differunt,ita vel confusæ adhuc,vel à calore seu nobis insito, seu arte parato secretæ, varié admodum operantur. Sic lapis Armenus,qui per superiora æquè ac per inferiora purgat,tenuiore portione per lotionem amissâ, vim vomitoriam perdit,deiectoriâ remanente. Et Rhabarbarum,quod in substantia post purgationem intestina astringendo roborat,infusum tantùm purgat. Demùm quæcumque sint agentia,ea pro varia natura & conditione patientis, diuersimodè agere consueuerunt. Idem enim ignis,humorem aqueum luti exhalans, lutum indurat: & pinguem ceræ humorem eliquans,eamdem emollit.Ex quibus omnibus inexplicabili varietate in diuersis mixtis concurrentibus,vt quàm maximè euariant primarum qualitatum effectus: ita exinde ingens facultatum diuersitas emergit. Imò ab hoc amplissimo omnis alterationis fonte, & omnis actiuitatis maximè efficaci principio, omnes omnium medicamentorum actiuæ proprietates deriuantur. Quarum aliquas cùm ad sua principia rectâ viâ deducamus: alias ad speciale temperamentum indeterminabili substantiæ modo consociatum,referre cogimur. Neque nobis vlteriùs progredi aliquando conceditur: quòd speciales illas qualitatum graduationes, & definitos substantiæ modos,præcisè attingere nequeamus.

Atque hæc ita se habere, præterea inde probamus: quòd substantiali medicamentorum forma pereunte,consimili tamen qualitatum temperie,parique substantiæ modo in materia perseuerante, eamdem in medicamento conseruari facultatem:& contra,his variatis,illam perdi experiamur. Sic rhabarbari infusio & sennæ decoctum:in quibus nec rhabarbari ,nec sennæ vegetalem formam residere credi potest:vim tamen purgatricem retinent.

Quòd si quispiam acutior diceret,talem huiusmodi formarum conditionem esse,vt cùm diuisibiles sint, partes formæ,partem materiæ sequantur. Sic me instare intelligat: Quòd cùm rerum essentiæ,quæ omnes à substantiali forma nascuntur,simplicissimæ sint:oporteat etiam substantiales rerum formas maximè simplices esse,& nullam heterogeneitatem in se agnoscere: atque ideò formam illam rhabarbari ad materiæ diuisionem sectam, debere vtrobique facultatem sibi congenitam conseruare,

Quod falsum esse cùm experiamur,& infusio quidem purget,fæces autem exactissimè expressæ aluum sistant:non à substantiali forma,aut à proprietatibus eamdem necessario consequentibus,tales facultates nasci par est:sed à propria cuiusque heterogeneæ partis temperatura, & substantiæ modo eas pendere colligitur. Contrà hydrargyrum licèt chymica arte mille mutationes subeat, suam interim substantialem formam retinens quod facilè in priorem naturam reuertatur: euariata qualitatum temperatura, modóque substantiæ mutato,illam sibi peculiarem vim per sputum purgandi amittit, & vel deiectorium,vel sudotificum etiam euadit. Diospoliticum eâdem seruatâ medicamentorum dosi,ex eo solùm quod cuminum,piper,ruta,& nitrum,crassiùs aut subtiliùs terantur,deiectorium fit,aut diureticum. [f] Resina verò terebinthina, larigna, & similes, pari quantitate exhibitæ:pro diuersa natura & conditione assumentium,huic aluum mouent, illi vrinas eient, & arenulas purgant. Arsenicum tandem,ne plura quæramus,si per os assumatur, vrente suâ vi, præsentaneum venenum est:exteriùs verò cordis regioni (vt alibi docuimus [t]) admotum, in pestilenti aëris constitutione,tam salutarem facultatem exerit,vt alexicacon pestis euadat. Quæ facultates ex diametro sibi inuicem aduersantes,quomodo ab eadem forma nascantur, explicari nulla ratione potest:quomodo verò pro diuerso vtendi modo idem temperamentum sequantur,non difficilè exponitur. Postremò si proprietates huiusmodi vel à forma nascerentur, vel illi congenitæ eidem necessariò adhærerent:formæ naturam proximè sequerentur,eáque integrâ,integræ:& inuariatâ inuariatæ perdurarent. Sed formis medicamentorum nullum detrimentum passis,ipso etiam

[f] Gal. lib. 4. de tuenda sanitate cap. 7.

[t] Lib. de febr. cap. 14.

Fernelio

Fernelio concedente, eorum proprietates vel imminuuntur, vel abolentur. Quare eas potiùs à primarum qualitatum temperie, quæ facillimè mutatur; & à tali substantiæ modo, qui solo medicamentorum senio variatur: quàm à substantiali forma oriri, concedamus æquum est.

Rectiùs ergo Fernelio, cæterisque recentioribus, Galenus, [u] primas qualitates effectricium facultatum essentias, tam in aliis omnibus quàm in medicamentis statuit. Cuius sententiæ, Auicennas, [x] & Auerrhoës [y] Arabum principes subscripserunt. Qui si aliquando toti substantiæ varias proprietates tribuere legantur: per eosam substantiam, peculiarem temperiem proprio substantiæ modo coniunctam intellexerunt. Quod clarè à Galeno explicatum legimus: cùm [z] ex imparitate elementorū proprietates corporum perfici, atque [a] ex innumeris elementorum alterationibus, & temperaturis, innumeras particularium corporum proprietates oriri asserit. Necnon quando actiones partium ait, [b] aliquando proficisci à temperamento, aliquando à consequentibus temperamentum. Sed clariùs adhuc, sanè naturam cùm dico, inquit, [c] vniuersam substantiam, ac temperiem, quæ ex primis elementis conflatur, significo.

Vt verò rem totam cardiacorum remediorum exemplo demonstremus: quoniam cardiacum esse, est vim habere fouendi proprium robur cordis, eiusque vires recreandi: inquiramus quibusnam mediis ad id præstandum indigeamus. Cor vitalis facultatis sedes, caloris & spirituum vitalium minera; omnium corporis partium calidissimum; cæteris visceribus, omni carne, & neruis feniorius sicetius: primùm sibi innatam temperiem, & proprij corporis firmitatem conseruari expostulat; tum ad generandos spiritus, requirit multum alimentum tam aëreum quàm humorosum, probè coctum, & ab omni putredine alienum; demùm spiritus iam genitos, fuliginoso excremento purgatos, in vniuersum corpus liberè effundi, non diffundi expetit aut dissipari. Quæ si in eo statu constiterint, vitalis facultas integra conseruatur: contrariis ostenditur. Cumque lædi à plurimis possit: frequentiùs verò spirituum inopia, intemperies, & eorumdem impuritas à mixtione crassiorum aut putrium vaporum, illi negotium facit. Ad quæ ea maximè prodesse videntur, quæ vtramque spirituum substantiam reparant, eorum immodicam diffusionem impediunt, discrasiam temperant, & impuros vapores expurgant atque absumunt. Quæ ne credantur vni deberi omnia. Primum quidem, alimentis probi succi & promptè nutrientibus, odoratisque rebus assequimur: quæ si in vno insint ambo, id efficaciùs proderit. Secundum, leuiter astringentia cum tenuitate substantiæ & proprij humoris puritate perficiūt: vt tertium intemperiei contraria. Quartum verò, sicca omnia quæ in actiuis non excedunt plurimū, & cum tenuitate partium aromatica, aut saltem inodora sunt, exequuntur. Siccantibus enim & refrigerantibus, putrescentia curantur, inquit, Galenus. [d] Et crassi vapores attenuantur mediocriter quidem calidis, quæ facilè penetrent, commodiùs verò, vt ille docet, [e] si eadem sicca sint.

Inter quos medicamentorum cordialium ordines, non alius à quarto, gemmis assignandus esse videtur. Quæ ex maiore portione terræ aquâ solutæ, & quasi in succum mu ra percolatione eliquatæ constantes: cùm partim ex longa & exquisita coctione à subterraneo sidereóque calore, partim ab igneæ substantiæ permixtione, excedentem siccitatem, partium tenuitatem, & gratum fulgorem, moderatæ frigiditati coniunxerint: eam nactæ sunt temperiem qua possint non solùm in tenuissimum pollinem redactæ, arterias peruadendo, vapores spiritibus permixtos attenuare, eosdémque à putredine vindicare, atque inde ad cor ipsum pergendo, calidiori & humidiori eiusdem discrasiæ mederi, propriumque illius robur confirmare: sed præterea propriæ substantiæ effluuio, idem (quadantenus) alligatæ, aut appensæ præstare. Neque verò earum gratus ille fulgor, huius est cardiacæ facultatis aut vehiculum aut principium, vt acutissimo Cæsari Scaligero placuit [f]: sed sola ea temperies, quæ iam indicata est. Etenim licèt is, diffusam ignis portionem per reliquam molem longa coctione deputatam, sequi dicatur: vel potiùs ab externo lumine pendeat, quod in polito densóque corpore, & cum superficiali diaphaneitate intus opaco excipitur: nihil tamen habet, quod cordi auxilietur. Non enim vitales spiritus lumine refici opus est; quos nulli luminosos esse censuerunt: vt aliquando animales lumen effudisse, adnotatum fuit. [g] Præterea gemmas cordi multò vtiliores esse experimur, si puluerata per os assumantur: quàm si cordis regioni appendantur aut annulorum palis insertæ digitos ornent. Quare aliud id est cuius operâ cor recreant, quàm fulgor ille reficiens oculos: neque excogitari aliud potest quod menti satisfaciat, quàm explicata temperies. Quòd si Auicennas aliquando [h] scribat, aliqua reperiri quæ lumen & splendorem spiritibus præbeant: per metaphoram loquitur, & solam puritatem intelligit. Idque ipse indicat euidenter, cùm addit: per illud, quod in eis est de exsiccatione, id facere. Easdem autem tenue quidpiam ex se expirare, quod purgandis recreandísque spiritibus, qua ratione explicatum est, sit vtile: plurimarum non inefficax appensio testatur. Quæ si aliquid intus operentur, & omnis actio per contractum fiat: cùm sua mole eam partem non attingant in quam suam vim effundunt, aliquid ab illis effluat necessum est, quod eam facultatem deuehat. Ita virens Iaspis appensus, authore Galeno, [i] ventriculo prodest; Aëtites vtero, & fœtui: co-

u Lib. 1. simpl. med. facult. cap
x Lib de med. cordial. tract. 1 cap. 10.
y Lib 1. col cap. 21.
z Lib 4. simpl. med facult. c. 2
a Lib de cō art. cap. 8.
b Lib. 1. de nat. fac.
c Lib. 1. temp cap 4
d Lib. 3. de med. secund. gener. cap. 2.
e Lib de attenuante vict. cap. 2.
f Exercitatione 272.
g Suetonius in Tiberio & feles radiātes habent oculos
h Lib. de med. cordial. tract. 1. cap. 9.
i Lib. 9. de simpl. med. facult.

rallum

rallus cordi : carneolus fluenti ſanguini : buffonius anthraci peſtilenti : atque alij huius ſortis lapides gemmis congeneres, alia præſtant. Tenui ego lapidem pollicis vngue vix maiorem, lacteum; quem coruinum ex coruo piſce ſuſpicarer: [k] qui ſiniſtro brachio alligatus, dolorem colicum quàm promptiſſimè ſoluebat. Sed cuius euidentius effluuium eſt, quàm magnetis : qui vaporem quemdam bituminoſum ferrum verſùs effundit, quo illud ad ſe inexplicabili totius ſubſtantiæ ſympathiâ attrahit. Vaporem bituminoſum dico : non ſolùm ex eo quòd facilè adhæreat, ſed quòd hic lapis ob bitumen quod habet ignem concipiat. Viſcidum autem eum vaporem eſſe, licèt maximæ ſit tenuitatis, craſſos aſſeres penetrans, ideò exiſtimo: quòd ſi quando magnes allio, aut peto, vel ſimili attenuantis & incidentis facultatis planta confricetur, viſcidum illum ſubſtantiæ modum amittens, ferrum non attrahat : veluti ſi pingui aliquo liquore, oleo, aut alio illiniatur; impedito ſcilicet, vaporoſo eo effluuio, ab humore illo pingui qui eius poros infarcit. Contra effœtus magnes, panno aliquandiu confricatus, rarefactâ externâ ſuperficie, & euocato vapore, rurſus ferrum attrahit. Atque ab hoc tenuioris ſubſtantiæ plurimorum medicamentorum inſenſili effluxu, varij illi prodeunt effectus, qui ex amuletis, alligatis, ſuſpenſiſque remediis ad vtentium plerumque ſtuporem emergunt.

[k] Videatur Cardan. lib. de gemmis.

Quare concludamus, cardiacam gemmarum facultatem, atque alias omnes actiuas medicamentorum proprietates; non aliunde, quàm ab elementorum craſi pendere.



Purgationem non attrahendo, sed irritando fieri.

EXERCITATIO SEPTIMA.

NON solùm Medicos decet, remediorum quibus in sanandis ægris vtuntur, vires experimento cognoscere: sed principia etiam facultatum quibus medicamenta operantur, eosdem solerti meditatione inquirere opus est. Præterquàm enim his studiis ingeniorum rubigo excutitur, & eorumdem suauitate medicæ praxeos fastidium demulcetur: sic præterea ab empirica & temeraria medendi ratione quàm longissimè abesse assuescimus, & ad rationalem curandi peritiam excolendam maxime inclinamur. Quin etiam ea nobis inde emergit vtilitas, quod principia & causas facultatum medicamentorum minimè ignorantes, quid singula per se valeant, quidve per accidens possint certò cognoscamus: & si aliquando remedia quæ nobis sunt familiaria desint, ea possimus vel artificiosè imitari, vel vtiliter immutare. Quare vbi priore exercitatione actiuas omnes medicamentorum facultates, ab elementorum crasi pendere probauimus: quid de purgantibus asserendum videatur, hac breuiter explicemus.

Purgatio quam Græci κάθαρσιν appellarunt, apud Hippocratem aliquando omnem humoris prauâ qualitate affecti, tam per aluum quàm per vomitum, vrinas, sudores, sputa, aut per menstrua vacuationem significat: [a] seu natura sponte, seu symptomaticè irritata, seu à medicamento prouocata, [b] aliquam prædictarum euacuationum moliatur. Frequentiùs tamen Medici, per purgationem quam etiam φαρμακείαν dixit Hippocrates, [c] eam humoris prauâ qualitate molesti vacuationem intelligunt, quæ per vomitum aut per aluum, vi medicamenti procuratur. [d] Iam verò vulgò, purgationis significatum eousque contrahitur: vt sola ea vacuatio purgatio appelletur, quæ assumpto, aut admoto cathartico medicamento, per inferna absoluitur. Humores autem prauâ qualitate peccantes, eos tantùm nuncupamus, qui naturam habent à sanguine specie differentem: seu sint excrementitij, seu alimentarij per putredinem in alienam naturam conuersi. Non enim vt Fernelio visum est, [e] superabundantem sanguinem, aut feruidiorem, crassiorem, vel leuiusculè putrentem, humorem prauâ qualitate affectum dicendum esse censemus: quemadmodum fusè ab Augenio [f] probatum legimus. Atque illi sunt, qui si abundent in nobis, cacochymiam inferunt: cui purgationem deberi, vulgare est Medicorum effatum. Purgationem inquam: quòd sanguis huius remedij ope ab humoribus noxiis liber purus reddatur. [g] Purgare enim, quasi purum agere dictum est: vti τὸ καθαίρειν, mundare, expiare, lustraréque significat. Atque inde medicamenta, quorum ope corpus liberatur ab humoribus excrementitiis, & putribus, à quibus omnis impuritas oritur, purgantia, & καθαρτικὰ nominantur. Quæ qua vi operentur, & tam vtile nobis officium præstent: tam discordibus sententiis iudicatum fuit, vt adhuc latere videatur.

Etenim qui Erasistratum sequebantur, & Galeni ætate florebant, existimarunt non purgari humores in vasis præexistentes, sed deleteriâ vi eorum pharmacorum quæ purgantia nuncupamus, humores contentos in vasis, in eos qui expurgarentur conuerti. Quorum sententiam non est quòd refellamus: cum eam ab omni ratione alienam quisque iudicet, & satis supérque demonstratum sit à Galeno toto eo libro qui de purgantium medicamentorum facultatibus inscribitur.

Alii feruntur censuisse à pharmacis tanquam à contrariis, ea quæ purgarentur expelli Qui cùm eam contrarietatis, & perperam suppositæ antipathiæ rationem, non explicent, suam sententiam falsitatis suspectam reddunt. Eamdem verò planè falsam ideò conuincimus: quòd si contrarietatis vi ea expulsio fieret, oporteret humores noxios non per intestina detrudi, sed vel in habitum corporis impingi, vel per cutem expelli. Etenim cùm expellentia, non ad se, sed à se, pulsa fugent: medicamenta per os in ventriculum immissa, pérque intestinorum gyros in meseraïcarum ramos, atque in grandiores venas dalata: humores in vasis stabulantes à se fugando, nunquam in imum ventrem & intestina propulsabunt.

Contraria his est, vulgaris Medicorum sententia: qui cùm Hippocrate, [h] Galeno, [i] alijsque penè innumeris, censent humores euacuandos, à medicamentis attrahi. Qui licèt modum cau-

ſamque attractionis explicantes in varias opiniones diſtrahantur: in attractione tamen omnes conueniunt.

Verùm tantæ Medicorum concordiæ non euidentis veritatis eſt cauſa: ſed rei difficilis neglectum examen. Principes enim illi viri, quorum veſtigia ſequuti ſunt reliqui, in re ardua & ad opera artis non admodum conducente: id protuliſſe maluerunt, cui quiſque faciliùs aſſentiretur; quàm quod veritati magis conueniret. Cùm autem multò ſatiùs videatur res quales ſunt agnoſcere, quàm eaſdem perſonatas, & ſub aliena imagine intueri: hoc nobis viri candidi in gratiam veritatis indulgeant, vt à vulgari ſententia prouocantes, noſtræ prouocationis cauſas dicamus. Nullius nouitatis ſtudio, ſed ſolius veritatis amore excitati. Non imbecillioribus ingeniis, vanâ loquacitate imponere cupientes: ſed rationum vi, excultis mentibus ſatisfacere deſiderantes. Etenim cùm medicamenta, humores attrahendo, purgare dicantur: ea potius naturam ad humoris noxij excretionem irritando, purgationem facere, aut ſaltem promouere videntur.

Humores, ſeu excrementitios, & putres ſuccos, à purgantibus medicamentis non attrahi, multa perſuadent. Primò quidem, quòd cùm omnis attractio à non viuente facta, vel à calore fiat, vel ad fugam vacui, vel ab occulta vi quæ in ſubſtantiæ ſimilitudine fundatur: medicamenta nulla horum modorum, humores attrahere poſſunt. Non calore, qui in plurimis viget: cùm plurima & æquè, & vehementiùs calida, ad purgandum ſint inepta. Non in vim vacui: cùm vacuum purgationi potiùsquàm purgatio vacuo ſuccedat. Tum quia inexplicabile eſt, quomodo vacuum ſic à medicamento, tam in venis quàm in inteſtinis inducatur: vt euacuatio non continuò, ſed per interualla, neque aliâ viâ quàm vel per os, vel per inteſtina fiat. Neque demùm ſimilitudo ſubſtantiæ pharmacorum cum humoribus huius attractionis cauſa dici poteſt: qui tamen vulgarior eſt, & magis probatus modus quo medicamenta humores attrahere dicantur; vt apud Galenum,[k] Oribaſium,[l] & Fernelium[m] legere cuique liberum eſt. Nam quæ ea vi attrahunt, ſolent attracto ſui, atque illud ſibi ſuaui adhæſione coniungere: vt in magnete, & ſuccino communi experimento probamus. Adde inter plurima purgantia, & humores quorum vacuationem prouocare conſueuerunt, nullam ſubſtantiæ ſimilitudinem poſſe aſſignari. Seu enim per totam ſubſtantiam formam cum Fernelio[n] intelligamus ſeu ſpecificam temperiem particulari ſubſtantiæ modo coniunctam, vt principibus Medicis familiare eſſe alibi docuimus,[o] & præcedenti exercitatione indicauimus, inter medicamenta purgantia & humores qui purgantur, neutra ſimilitudo reperiri poteſt. Non quidem ſimilitudo formarum: quæ cùm ſimiles dici poſſint, ratione mutuæ conuenientiæ; illæ verò neque numero, neque ſpecie, neque proximo genere inter ſe conueniant; nullam illis ſimilitudinem ineſſe fatendum eſt. Formarum enim quæ ſunt fundamentum eſſentiæ rerum, & per quas ſingula hoc aliquid eſſe dicuntur,[p] non poteſt alia haberi conuenientia: vt neque earumdem, aliæ differentiæ aſſignantur. Quòd ſi ex vi ſimilitudinis inde naſcentis, ea fieret attractio; Iris, Brioniam potiùs, & & Rhabarbarum; aut Sarcocola, Sagapenum; quàm ſerum vel pituitam traherent. Adde tam formas quam ſubſtantias omnes, ſi inter ſe conferantur, vel eaſdem eſſe, vel differre, vt ab Ariſtotele[q] docemur: non autem ſimiles dici. Similia enim dicuntur, inquit, & quæ idem paſſa ſunt, & quorum qualitas vna. Ac ſecundùm quæcumque contrariorum alterari contingit, id quod plura his aut magis propria habet, ſimile illi eſt. Sed neque temperaturæ ſimilitudo, inter cathartica medicamenta, & humores qui purgatione educuntur, inuenitur. Quænam enim ſimilitudo eſt inter ſarcocolam, calidum & ſiccum, ſubacre, flauum, ac friabile gummi: & pituitam frigidam & humidam, albam, inſipidam, & viſcidam. Quæve inter caſſiam, Aphticanæ ſiliquæ medullam, in actiuis temperatam, humidam, dulcem, nigram, & craſſam: cum bile, calida & ſicca, amara flaua, & tenui. Imò cum inter pituitam & vtramque bilem, ingens diſparitas aduertatur: quomodo ſena, quæ eos omnes humores, atque etiam ſerum expurgat, cum ſingulis horum, ſubſtantiæ ſimilitudinem contraxiſſe dicetur? Quando quæ ſimilia ſunt vni tertio, eadem & ſibi inuicem ſimilia eſſe neceſſum eſt. Et ne quod de ſena dictum eſt, peculiare quidpiam eſſe reſpondeant huius medicamenti idioſyncraſiæ innatum, ob heterogeneitatem ſubſtantiarum purgantium, in eodem pharmaco concurrentium. Meminerint, eamdem vim, omni purganti medicamento ab Hippocrate[r] tribui: quando, ſi eidem homini, inquit, idem medicamentum, quater in anno dare volueris; hyeme tibi pituitoſiſſima ille euomet, vere humidiſſima, æſtate bilioſiſſima, autumno nigerrima. Sed quid Hippocratis authoritate eſt opus? An non quotidie, ægrotum trullas inſpicientes, aduertimus, huic ex bolo caſſiæ pituitam detrahi, illi bilem, alteri copioſum ſerum: & Rhabarbari dilutum cum ſyrupo roſarum ſolutiuo, ab aliquibus bilem, à pluribus pituitoſa & mucoſa plurima expurgare. Præterea, ſi artificioſa purgatio fieret per attractionem ab occulta qualitate manantem: oporteret vnum ſpecie medicamentum, humorem ſpecie vnum tantùm attrahere: & cùm familiaris ille humor in corpore non redundaret, tale medicamentum ab omni actione deſiſtere.

k Locis ſupra citatis.
l Lib. 14. coll. cap. 41.
m Lib. 4. methodi cap. 5.
n Lib. 2. de abditis rerum cauſ. cap. 18.
o Lib de tem. cap. 12.
p Ariſt. lib. 2. de anima in principio.
q Lib. 4. metaph. cap. 9.
r Lib. de natu a hum. ſ. ch. 1. tex. 41.

Ita magnes ferrum solùm attrahit; & succinum festucas: quod si nullum magneti ferrum obiiciatur & nullæ præsentes sint festucæ; neque magnes, neque succinum, quidquam attrahent. At purgantia quæcumque, tam in diuersis ægris, quàm in neutro statu constitutis, quoscumque humores superabundantes expurgant, licèt alios aliis faciliùs: & si aliquando assumpta, in corpore nihil superflui expurgandum inuenerint (vti in his qui integra sanitate fruuntur) eosdem tamen, vt habet Hippocrates, [t] exoluunt: eorum scilicet (vt cum Galeno, [t] explicat Oribasius [u]) sanguinem & carnes colliquando. Quartò quæ occultâ facultate attrahunt, quoties id præsens fuerit quod infirâ vi attrahere sunt nata, toties vim suam operando manifestant: nisi vel à contrario agente, vel ab aliquo eorum vires reprimente impediantur. At medicamenta purgantia, seu in ventriculum defunctorum iniecta, seu à moribundis assumpta; quantacumque cacochymiâ præsente, minimè operantur. Quare aliâ vi, quàm attractrice illâ facultate purgant. Neque obstat, ea in prædictis extincto aut penè suffocato calore naturali, non reduci in actum: & à frigore cadaueris, pharmacorum vim reprimi. Etenim si cadauere adhuc repente, vel moribondo ægro; medicamentorum decocta, aut eorumdem diluta actu calida, in fauces alterutrius instillentur, per se apta sunt reduci in actum, cùm sint in proxima agendi potentia.

[t] Lib. 2. aph. 36.
[t] In com. eiu. aphor.
[u] Lib. 7. coll. cap. 22.

Medicamenta enim reduci in actum, nihil aliud est; quàm illa ita disponi, vt quæ ante pro suæ naturæ conditione agere non poterant, iam apta sint operari. Ad quòd, cùm id solùm requiratur, vt medicamentorum heterogeneæ partes [quarum aliæ aliarum actionem impediunt] sint ab inuicem secretæ atque ita dispositæ vt se possint patienti applicare: [x] vtrumque in purgantium infusionibus & decoctis actu calidis, inest.

Sed quid ea medicamenti à natiuo animantis calore in actum reductio, tantopere ad purgantium attractionem requiritur? nonne hæmagoga illa Galeni [y] planta, quæ deuorata sanguinem per inferna educebat, eadem à fossilo iecore, quod illi rusticus superposuerat, sanguinem extrahebat. Neque alia magnetis ad actum reductio desideratur, quàm vt ferrum quod eius potentiæ respondeat, illi intra sphæram actiuitatis obijciatur.

[x] Vti à nobis demonstr. est. lib de temper. c. 3. & alibi fusiùs explicabimus.
[y] Lib. de pur. medic. facult. cap 4.

Sed vbi iam satis probatum est, medicamenta non purgare attrahendo: deinceps demonstremus, naturâ à pharmacis irritatâ, artificiales purgationes fieri. Naturam purgationis authorem esse, insinuauit Hippocrates, [z] naturas inquiens, morborum esse curatrices: & clarè docuit Mesnes, [a] cùm medicamenta dixit, humores purgare, naturâ eius actionem inchoante, limitante, & dirigente. Qui præterea addit, humorum vacuationem esse naturæ opus: sed per medicamentum, naturæ artificis instrumentum. Instrumentum inquam, non quòd euacuationem quodammodo efficienter attingat; cùm illud neque vt contrarium expellendo, neque vt simile attrahendo operetur: sed quòd naturam vimque expultricem sopitam, quasi admotis stimulis, excitet & irritet. Quod ita se habere, plurimis rationibus conuinci potest. Ac primò quidem, quòd cùm eadem facultate, cathartica medicamenta superpurgationem faciant, qua purgationem absoluunt: euidens autem sit, & à Galeno ipso affirmatum, superpurgationes irritatione fieri: sequitur purgationem ab eadem causa pendere. Hanc fuisse de superpurgatione veterum sententiam, certissimum est. Galenus enim, cum Oribasio, euenire hypercatharses solent, inquiunt, [b] cùm purgans medicamentum vsque adeò inualuit, vt in vasorum ad ventrem pertinentium osculis, mordicationem apertionémque multam relinquat, & assiduè irritans conuellénsque corpora, vires quæ in vasis sunt dissoluat. Eamdem verò purgantibus, ac superpurgantibus, inditam esse facultatem: hoc vnum indicat, quòd drachmæ duæ rhabarbari, hunc commodè euacuent, quæ alteri, post superfluam purgationem, tenesmum, & dysenteriam causant.

[z] Lib. 6 epid. sect. 5.
[a] Lib. canon. theorem. 1.
[b] Ille quidem lib 3 de simp. med fac. c 17. his verò lib. 14. coll. c. 42.

Sed cùm eiusdem eædem sint facultates: si hic, irritatione nimiâ medicamenti superpurgatur; illum, eâdem vi, ab eodem purgari necessum est. Atque vt ignis lateres indurat, [c] ceram verò emollit, pro varia dispositione vtriusque materiæ, quæ vni ignis calori obijcitur: ita (quemadmodum à Galeno docemur [c]) illi qui habent solidas corporis partes tenuis substantiæ, atque ideò acutioris sensûs, difficilè purgationem ferunt: contrà quibus eadem crassa est, & obtusioris sunt sensûs; eamdem faciliùs perferunt. Non euariatâ facultate medicamenti: sed hoc, ob acutiem sensûs acriùs irritato, illo verò minùs acutè sentiente mitiùs vellicato.

[c] Comm. in aph. 35. lib. 2.

Secundò purgationem irritatione fieri, ex eo confirmamus: quòd vt particularia purgantia se habẽt ad particulares purgationes, ita oporteat vniuersalia se habere ad vniuersales. Ea enim facultas quæ à cerebro pituitam per os aut nares elicit, vel à pulmonibus extrahit: non alterius generis esse concipitur, quàm illa quæ ab aliis partibus, eumdem humorem per intestina educit. Sed particularia purgantia, irritando operantur: vt ptarmica, errhyna, & bechica tussim mouentia demonstrant. Quare pat erit, ex toto corpore purgantium conditio.

Tertiò cùm principia actionum sunt euidentia, & quæcumque ab aliquo agente fiunt, ea in apparentes causas referri possunt: præter omnem rationem est, ad cœlestes, & occultas causas recurrere. Sed in humorum artificiosa purgatione, nihil interuenit, quod vel ab acri qualitate purgantibus omnibus consociatâ, vel à natura per facultatem secretricem aut excretricem vim operante, non absoluatur. Quapropter in his consistere decet, neque inutiles alias causas proponere. Cùm enim purgationem hæc duo compleant, humorum peccantium ab vtili atque alimentari succo secretio, & eorumdem expulsio: ea indita sunt animantibus, quibus vtrumque præstare possint: scilicet facultas secretrix, cuius meminit Auerthoës,[d] & quam nos in criticis & quasi criticis omnibus vacuationibus experimur, atque expultrix vis, quæ omnium consensu naturali facultati famulatur. Quibus integris & perfectè operantibus, vt nihil nocuum in nobis diu commoratur: sed vel sensim varijs vijs amandatur, vel affatim aliquando maiore conatu sponte expellitur: ita eisdem extinctis inutilis & inefficax est, omnium remediorum vis. Si quando verò his ipsis imbecillioribus, excrementa & inutiles succi lentè in vasis aut aliis corporis partibus fuerint congesti: & natura ab his grauata, licèt molestiam sentiat, segnior tamen, ad id quod sibi molestum est expellendum se minimè erigat: non aliud auxilium illi necessarium est, quàm quod segnem expultricem irritet: quo veluti stimulo excitata, ad expulsionem moliendam ipsa se accingat. In quem vsum D. O. M. qui creatis omnibus rebus abunde pro cuiusque conditione prouidit: pharmacis omnibus quæ purgantia esse experimur, acrem quamdam qualitatem indidit, quæ cum facultatis expultricis verus sit stimulus, artificialis etiam purgationis sufficiens est instrumentum. Quam vim purgantibus insitam esse, admittere coactus aliquando Galenus: qualitatem acrem purgantibus omnibus consociatam esse docuit:[e] alias, acritudinem ad excretionem excitare scripsit:[f] & acritudinem pituitæ, ad deiectionem irritare:[g] necnon mora celeriter subduci, fortè ob solam substantiæ humiditatem ac lubricitatem: fortè etiam propter admixtam qualitatem quamdam acriorem, quæ deiectioni excitandæ satis esse possit.[h] A quo tamen in eo deflectimus: quòd alibi,[i] velit acritudinem illam hæc operari, quatenus intensiori calori coniungitur, qui attractionem similitudinis roboret. Etenim cùm sola acritudo, quæ calorem siccitati coniunctum, cum substantiæ modo ex tenuibus crassisque particulis mirâ concordiâ mixtis nascente, sequitur, ad id quod disputatur præstandum sufficiat: non est quòd illam attractioni, quam iam satis improbauimus consociemus. Præsertim cùm aduertamus, eos qui facilè purgationi cedunt, vbi post aliquam medicamenti in ventriculo motam illud euomuerint: nihilominùs sufficienter per inferiora purgari: non ob attractionem, quæ semoto attrahente cessaret: sed ob irritationem vasis alijsque partibus impressam, quæ excreto etiam medicamento perseuerat. Quapropter rectè author libri de renum affectorum dignotione & medicatione * apud Galenum, ex Medico quidem purgans medicamentum: ex natura verò totum negotium pendet. Hæc etenim à purgante medicamento excitata, facultatem, segregatricem aduocat, qua segreget inutilia ab vtilibus: ac vtilia quidem retentrix facultas detinet: inutilia verò expultrix facultas expellit.

d Lib. 2. coll. cap. 8.

e Comm. 4. in lib. acut. com. in sen. 7. & lib. 3 simpl. cap. 15.
f Com. in aph. 18 lib. 2. & lib. 2 de alim. facu. t. c. 39.
g Comm. in aph. 13. lib. 6
h Lib. 2. de alim. fac. c. 11.
i Lib. 5. de simpl. medic. facult. c. 17.
* Cap. 4.

Quartò, illud cuiuscumque propositi effectûs est causa, cuius agente vi impeditâ, talis cessat effectus, & remissâ remittitur. Sed quæ acrem pharmaci qualitatem retundunt, vel irritationem ab eius acritudine nascentem, à membris sentiri impediunt: eadem purgationem reprimunt, vel imminuunt. Ergo purgatio à pharmaco procurata, irritationis ab eiusdem acritudine nascentis est effectus. Assumpti veritas ex eo patet; quod qui soporoso aliquo affectu tenentur (sentiente facultate sopitâ, cui motrices naturali famulantes subordinantur) vehementioribus medicamentis ad purgationem indigeant, & dosim multò maiorem solito requirant vt purgentur, quàm cum æquali eiusdem humoris copia, sensu tactûs integro desiderassent.

Hinc Rondeletius,[k] apoplectici & phrenitici, inquit, quibus denique sensus aut sopiti sunt, aut mens laborat: seu ob sensuum præsentem interceptionem, seu propter occupationem nimiam, irritationem à medicamentis factam non sentiunt. Præterea medicamenta opiata, quæ sensus hebetant, & acritudinem purgantium retundunt: seu post assumpta, vim purgantium sistunt; seu ante deuorata, expectatam purgationem eludunt. Vbi licet πάρεργον, adnotare iuuabit, quantum illi fallantur, qui theriacam recentem probantes, illam maximi faciunt, quæ ab assumpto purgante deuorata, purgationem supprimit. Cùm id ex vi opij potiùs, quàm ab alexiteria theriacæ facultate procedat: antiquior enim theriaca, in qua vis quidem opij maxima ex parte exoluta est, sed alexiteria perseuerat, talem effectum minimè edit.

k Lib. de pur. medic. cap. 2.

Quintò ex eo etiam euidenter medicamenta irritando operari constat: quòd cùm vtero gerentes ex Hippocrate [l] difficilè ferant medicationes, nisi à quarto mense ad septimum: id non aliundè pendere possit, quàm vt interpretatur Galenus,[m] quòd per hæc quidem tempora fœtus vtero firmiùs hæreant, nec tam facilè per purgationis commotionem euellantur; ante verò & post,

l Lib. 4. aph. 1.
m In comm. ei. aph.

per

per agitationem à medicamento purgante inductam,faciliùs excutiantur. Si vero medicamenta, vel humores solùm attrahendo, vel cœlesti quadam qualitate naturæ famulante purgarent;nihil tale verendum foret,quod corpore ab inducta irritatione concusso pertimescimus.

Tandem,in eo agendi vis consistit,quo increscente illa augetur,& imminuto minuitur. Sed quacumque arte acritudinem non linguæ solùm apparentem,sed in imo substantiæ latentem,& se gustui difficilè manifestantem auferamus: quæ ante purgantia erant,purgare cessant. Contrà,si arte,leniter purgantium opportunam acritudinem augeamus: eorumdem vim catharticam intendemus. Sic lapis armenus & Cyaneus,qui lotione solâ [quæ eorum acritudinem minuit] vim vomitoriam perdunt: vstione & lotione, à quibus omnem acrimoniam deperdunt & deponunt, purgandi facultatem amittunt. Rhabarbarum præterea tenuiùs puluerarum,quia minùs potest intestina vellicare,ob minorem quam in illis moram facit,imbecilliùs purgat:& ad renes cito transiens, vrinas quidem ciet;sed vasorum excrementa,non inde simul educit. Idem de Asaro testatur Rondeletius, [a] & de diospolitico simile refert Galenus. [o] Contra Mercurius acrior effectus si præcipitetur vehementissimum catharticum euadit:at dulcessens,mitescit. Antimonium item versum in vitrum, vt acrius est crudo,eodem etiam efficaciùs purgat. Et sales ex variis plantis minimè purgantibus extracti,qui ad acritudinem perueniunt eâ mitiorem quæ in causticis reperitur:si aquâ,vel tenui & oligophoro vino soluantur,efficaciter purgant. Quare purgantiũ acritudo,idest,cuius operâ, ea purgationẽ causã.

a Lib. de pond. medic. cap 18.
o Lib. 4. de tuend. sanit. cap 7.

Verùm vt nostræ sententiæ veritatem quibusque faciliùs persuadeamus:duo diluenda occurrunt, quæ aduersus ea quæ à nobis dicta sunt, obijci possunt. Quorum primum est, plurima quæ dulcia sunt,vel saltem minimè acria,purgare. Tales sunt violarum flores & semen, cassia, polypodium, semen cartami,hermodactylus,ricini Americi fructus,& similia. Atque ideò vim purgantem , in alio quàm in purgantium acritudine consistere. Secundum est,ex his quæ diximus sequi nullum medicamentum electiuè (vt loquuntur) humores detrahere:sed quodlibet pharmacum, posse quoscumque humores expurgare.

Quod totam medicinam videtur euertere,& quotidianis experimentis aduersari. Quæ licèt nonnulli cum procaci dicacitate,ora etiam cachynno detorquentes opponant:nullum tamen nobis negotium faciunt. Atque vtinam sic cachinnantes,ad bonam mentem redirent : & re seriò examinatâ vel propositis rationibus appositè satisfacerent,vel meliùs sentientibus cederent.

Quod ad primum ergo spectat, respondemus, relata etiam medicamenta non se totis : sed eâ sui parte qua purgant, acria esse. Non tamen singulorum acritudinem, à quibusque discerni. Heterogeneæ enim medicamentorum partes, licèt exacti gustûs accurato examine plerumque discernantur:aliquando tamen,nullo possunt artificio distingui,

Seu quòd magnæ vnius substantiæ moli, alia multò minoris quantitatis,sed maioris nonnunquam actiuitatis, sit immersa. Seu quòd sapor vnius portionis mixti,ita excellat :vt gustum inficiens, illi aliarum partium sapores discernendi facultatem adimat. Seu demum , quòd medicamenti corpus tam crassum sit,atque ita compactum:vt portionum suæ substantiæ varias conditiones,minimè manifestet,nisi in tenuissimum puluerem deductum,à solerti gustu examinetur. Neque verò omnem medicamentorum acrimoniam, purgationis authorem esse opinamur : sed talem ad purgationem procurandam, requiri existimamus, quæ ad sensiles quidem corporis partes irritandas sit satis ; eam tamen minimè coniunctam habeat caloris vehementiam,partiumque tenuitatem,qua succi vel plus æquo attenuari,vel impensiùs exsiccari,ad expulsionem reddantur inepti.Etsi enim acria omnia,quà talia sunt,tenuis sint substantiæ:eam tamen tenuitatis partium mediocritatem in purgantibus inesse oportet,vt cùm à calore nostro eorum substantia dissoluitur , non tota acris ea substantia quæ illis inest,in vasa & habitum corporis effundatur;sed maiore sui portione crassiori adhuc eorumdem substantiæ immersa,eam in ventriculo & intestinis moram contrahat , quæ ad vehementiorem irritationem ibidem excitandam sufficiat. Vnde nihil ex purgantibus ita extractum , vt sublimatione , aut multâ circulatione in spirituosam substãtiam deductum fuerit; purgare aptum est. Atque hinc etiam euenit,vt ante à nobis adnotatum est , quædam medicamenta quæ crassiùs poluerata catharticam vim retinent,in tenuiorem puluerem redacta, diuretica euadere. Natura enim , in eam partem quæ ab aeri mordacique qualitate importuniùs vellicatur, id cum maiore impetu solita est transmittere : quod ex præordinata sibi lege,leuiùs mandare consueuerat.

Vt autem secundæ obiectionis telum, imbelle esse demonstremus: dicimus , iam abundè à nobis tam authoritate,quàm ratione,& experimento probatum fuisse, medicamenta non attrahere electiuè humores purgandos. Vnam tamen medicamenti speciem,sufficere vel ad omnium humorum in quibusque purgationem,vel ad eiusdem humoris in diuersis euacuationem procurandam, nunquam cogitauimus. Quatuor enim sunt,quæ medicamenta euariandi nobis multiplicem occasionem præstant:seu singula per se occurrant,seu eadem in diuersis variè combinata proponantur.

 Primùm

Primùm enim ex eo quòd partium internarum sensus, sit in nonnullis acutior, in aliis verò obtusior accidit, illos leuioribus medicamentis, hos verò vehementioribus, ad purgationem prouocari. Secundò, quia ad commodam purgationem, non solùm naturam ad excretionem irritari necessum est: sed præterea, humores etiam quodammodo ad fluxum aptos reddi conuenit; & pro singulorum maiore vel minore crassitie, aut viscciditate, naturam ad maiorem aut minorem enixum proritari necessum est. Ad quæ magnâ opus est purgantium varietate, quæ & pro varia temperie diuersas humorum species ad liberiorem fluxum quodammodo disponant: & pro varia acris suæ substantiæ tenuitate aut crassitie, naturam magìs aut minùs, atque in longius aut breuius tempus irritent. Tertiò maior aut minor humorum quantitas, & diuersus humorum situs, mitiorum aut acriorum purgantium vsum expostulat. Nam qui paucus est humor, & in primis viis stabulatur, mitioris medicamenti vsu excernitur: at copiosior, & qui per habitum artúsque effusus est; vt educatur, potentiora medicamenta requirit. Demum plurimorum idiosyncrasiæ, cùm hoc pharmaco gaudeant, aliud abhorrent: atque hoc multiplicem & indefinitam varietatem admittit. Quare minimè inutilis est purgantium varietas & cum summa Creatoris prouidentia, tot purgantium genera creata experimur: vt pro temperaturarum diuersitate, humorum varietate, inæquali copia, differenti situ, & inexplicabili plurimorum idiosyncrasia, opportuna remedia quibusque suppeterent. Quorum naturam, & differentes vires sola experientia primùm detexit, detegitque in dies.

Rem verò ita se habere vt explicuimus, eos omnes admissuros spondeo, qui verè philalites, & neutræ addicti sententiæ, ea quæ quotidie in ægrorum, aut neutrorum purgationibus adueniunt, diligenter aduerterint. Quòd si aliquorum proteruia, prædictis non assentiens, malit vulgari sententiæ adhærere: explicent huiusmodi, vnde accidat quosdam melancholicos decocto vnciæ vnius sennæ superpurgari, alios verò tam leui pharmaco ad nullam vacuationem excitari. Sic quosdam biliosos, duarum rhabarbari drachmarum infuso, cum vna aut altera syrupi rosati solutiui vncia egregiè purgari: alios autem, non aliter pari medicamento moueri, ac si iusculum sorpsissent. Exponant præterea quomodo Scammoneum, quod bilem solam à Mesuæo aliisque Medicis purgare dicitur: ad lethargicos purgandos, tantopere à Paulo, & Alexandro commendetur: cùm lethargus, à pituitoso humore originem ducat. Vel nos doceant, qua vi rhabarbari dilutum, si variis æqualiter medicamento purganti cedentibus exhibeatur, vbi etiam enemate pridie iniecto elota fuerint intestina: ab hoc bilem, ab illo pituitam, aut serum euacuet. Indicent tandem, quæ sint sequentium particularium euentuum causæ. Refert Guillelmus Fabricius,[p] Dussolpordiensem matronam quoties irasceretur, non aliter purgari solitam, ac si validum medicamentum assumpsisset. Noui ego Aquensem Mercatorem, qui ex timore, de repente in diarrhœam incidebat. Ibidem Prætoris castrensis scribæ filius quinquennis, esitatis duabus aut tribus hepatis suilli talleolis frixis: ita purgabatur, vt quater vel quinquies, præter solitum alno deijceret. Quæ omnia & similia, quàm facilè in nostra sententia explicari possunt.

[p] Centuria 1. obseru. chirur. obseru. 18.

Quare concludamus, vt natura spontaneas excretiones, vel acritudine irritata, vel copiâ pressa molitur: ita artificiosas purgationes, non attractis à medicamento humoribus fieri, sed naturam à pharmacis sic irritari, vt pro dispari illis insita acritudine, ad noxiorum succorum qui in nobis continentur excretionem, dispariliter prouocetur.



An febrientibus pisces in victu concedere permittatur.

EXERCITATIO OCTAVA.

NON solùm medici officij est, ægrorum securitati cum celeritate prouidere: sed eumdem præterea decet, quæcumque in ægrorum vtilitatem meditatur, idipsum venere, gratiáque condire. Eo tamen obseruato temperamento, vt ea quidem quæ non magnoperè lædunt, aut facilè reparari possunt, ægrotantibus cum Hippocrate,[a] concedat: in his verò quæ grauiùs offendunt se minimè indulgentem præbeat. Temeraria enim indulgentia hoc præstat aliquando, vt ea ipsa quæ corpori ad sanitatem commodissima sunt: si intempestiuè concedantur, morbos inducant, & ex morbis mortes inferant.[b] Vt contra, austeriùs agere cum delicatulis & mollioribus ægris: illos in horrorem ducit omnium quæ offeruntur, quo perseuerante vel mors, vel marcor impendent. Quoniam in summa huius æui mollitie, Medici, qui lautè degere consuetis adstant, in eas sæpè angustias incidunt: vt vel leuiusculè febrientes, nesciant quibus alant: quòd hi alimenta omnia ex carnibus, quæ suauissima & optima existimamus, respuant, atque recusent. Si forsan pisces expeterent, quibus delectati, cum potioribus alimentis postmodum redire possent in gratiam: vt quid eo casu, præstare Medico fas sit addiscamus, examinare lubet, an febrientibus, pisces in victu concedere permittatur.

Quos nulli febrienti conuenire ideò videntur, quòd cùm naturâ & temperamento à nobis plurimùm dissideant, similibus autem alamur; difficiliùs, maiorique negotio, & non absque naturalium vitium dispendio, eorum caro nostræ similis ad alendum reddatur. Vel cum maiore alteratione indigeant, vt in substantiam nostræ respondentem conuertantur: eam verò eùm molliores sint, diuturnam ferre non possint: pro alimento, abeant in excrementum. Quibus eò minùs febrientes ali iuuat, quòd & facilè corrumpantur, & sitim etiam excitent: inde putrilaginem, plurimarum febrium causam augentes: atque hinc aerius quidpiam nostris corporibus inuehentes, quod febrili calori incrementum addat. His persuasi qui vulgò Medicinam exercent, quibusque febrientibus esum piscium interdicunt. Quorum sententiæ fauit Mercurialis,[c] Iulius Alexandrinus,[d] & aliqua ex parte Auerrhoës:[e] qui in tempore epidimiali à piscibus ideò cauendum esse scribit, quòd facilè corrumpantur.

At contra antiquos Medicos legimus, pisces febre laborantibus, non solùm vt minimùm nocuos condonasse: sed etiam illos illis, vt salubres consuluisse. Zenon & Crantor, apud Plutarchum[f] quã primùm quisque in ægritudinem incideret, eidem pisces edendos indicebant. Hippocrates,[g] febrienti seu pleuritico, seu citra pleuritidem, pisces elixos ministrandos iubet: & diarrhœicis febrientibus quidem elixos, non febrientibus verò assos exhibet. Aurelianus,[h] pisces saxatiles phreniticis præbendos consulit: quos inter obsonia mediæ materiæ, seu moderatæ coctionis, & mediocris alimenti recenset. Galenus.[i] pisces saxatiles, & ex non saxatilibus, Asellos, pleuriticis exhibet: atque eosdem, pleniudine tensiua & phlegmonode affectis concedit:[k] nec non his qui siccíore sunt corporis habitu,[l] diariâ ex cutis constipatione laborantibus;[m] tertianariis,[n] & quartanariis[o] præbet. Rasis[p] item, & Auicennas,[q] inter cibos febricitantibus conuenientes, pisces enumerant. Inter recentiores verò eorumdem sententiam sequuntur, Villonouanus,[r] Sauanarola,[s] Cardanus,[t] Trincauellius,[u] Capiuaccius,[x] & Saxonia.[y] Quorum ea quidem est ratio, quòd pisces optimum alimentum præstent, tenuem sanguinem generent, facilè coquantur, & gustûs suauitate orexim excitent atque irritent. Maximè verò quod iidem, cum frigido humidóque sint temperamento, febrili[z] intemperiei vtilissimè obsistant.

Verùm neutri sententiæ integrè assentiendum iudico: quin potius mediâ viâ incedendum censeo. Ex eo enim primùm Galeni sententia minus placet, quod piscium alimentum tanti faciat: vt illud alimento quod ex carnibus sumitur, vel præferat, vel æquet. Cum enim alimentum quod ex pelagiis piscibus capitur, alimento quod nobis perdices præbere possunt æquet;[a] & saxatiles, pelagiis præferat: eosdem, carnibus optimi alimenti antepofuisse credendum est. Qui præterea in

a Lib.6.epid. sect.4.
b Hipp.lib.de affection.
c Lib 1. var. lect cap. 25.
d Lib.14 salubr. cap. 3.
e Lib 6 colle. cap. 18.
f Lib.4 sympòsion q 4.
g Lib 4. acut. tex 37.
h Lib 3 acut. passionũ c. 21.
i Com, 1. in lib acut. com. tex 27.
k Lib. 4. de tuen. san c 11.
l Lib.7 meth. cap.6
m Lib. 8. meth cap.2.
n Lib. 1. ad Glauc cap.9.
o Lib. eodem cap.11.
p Lib.10. ad Almans. c. 2.
q Fen 1. lib.4 tract. 2. c. 8.
r Consilio pro Cartusianis edito.
s Lib. de febr. cap 7. rubr. 3.
t In lib. 2. aph 18.
u Lect. 51 69 & 76 in 1. ad Glaucon.
x Lib.6. met. cap.28.
y Lib 8 Pan. cap. 30.
z Ægin. lib.1. c.95. & Actuarius lib. de spiritus anim nutritio cap. 7.
a Lib. 3. de alim ac.c, 2 a

optimorum alimentorum censu, atque inter ea quæ in medio sunt tenuantium & incrassantium; pisces saxatiles, litorales, & pelagios numerat.[b]

Sed contrà, ea omnium est piscium caro, solidiórque substantia: vt vel durior difficilè coquatur, & crassum succum generet, vel mollior & aqueæ naturæ plurimùm particeps, pituitosum succum maxima ex parte generet. Quod præterquam omnium peuè scriptorum authoritate confirmatur: eorum prætcrea experimento innotescit, qui cùm piscibus vesci consueuerint, si vitam simul sedentariam degant, blennam perenni screatu aut emunctione reiectant, atque vt de Bizantiis dicebat Diphilus.

Πάντες βλῃχώδεις εἰσὶ, μεςοὶ λάπης.

Balantes sunt omnes, pleni muco. Præterea si carnes piscibus in bonitate alimenti conferamus, quàm longissimè absunt Cetacea, à Bouina carne; Thynnus, Accipenser, & Lamia, à Verucina, Rhōbus à Vitellina; Aurata, Cornus, & Lyra, à Gallinaceis; Solea, Trutta, Lucius, Asellus, & Gobio, à Perdice, Phasanio, Columbo, & Turture. Ac demum quis est qui sapiat, nec fateatur, multò minorem & bonitatem & suauitatem piscibus saxatilibus inesse, quàm turdo, ficedulæ, & hortulano.

Secundò ideò minùs arridet posteriorum sententia, quòd pisces frigidos, humidósque esse affirmeut: cùm tamen illi, ob tenuem calidámque spirituosam substantiam qua plurimùm abundant, & à cuius vi, complexum eorumdem temperamentum efficaciùs emergit, calefaciendi, & exsiccandi facultate excellant.

Quod quia paradoxologon est, & præter vulgarem sententiam effertur; multiplici ratione, varioque experimento comprobandum. Ac primùm quidem, pisces calore plurimùm valere, ex eo constat, quòd his in aquis perpetuò degentibus, eorum internum calidum ne per summas quidem glacies suffocatur; vt discere possumus ex Olao Magno:[c] apud quem, septentrionali oceano per hyemem conglaciato, pisces licet torpidos, intra ipsum concretum gelu viuere legimus. Quod non frigidioris naturæ conditio facit, vt Aristoteli[d] & Theophrasto,[e] visum est. Omnia enim animalia apud Stagiritam ipsum,[f] caloris ope viuunt.

Sed insiti & aeris calidi efficax resistentia, id causat: quod contrarij præsentiam, ad contemperamentum, animali ad vitales actiones edendas necessarium, expostulat. Vt enim cæterorum animalium mitior calor, ad requisitum temperamentum cordis, perenni motu internum calorem fouentis, mitiore refrigerante indiget: aëre scilicet inspirato, quem calidiora vel in subterraneis cryptis in quibus interdiu commorantur, vel alto volatu longiùs à terra frigidiorem quærunt. Sic feruidioribus piscibus, aquâ ob crassitiem intensiùs refrigerante fuit opus: quæ pleno ore in proximè subiectum cor, tenui sepimento vallatum, ad refrigerium hauritur, & per scissuras aut foramina branchiis apposita, vicissim effunditur. Atque ea fuit Empedoclis, & Menestoris sententia apud Theophrastum.[g] Adde pisces, vt apud Aristotelem legimus,[h] pluuiâ per æstatem mirum in modum delectari; & per id tempus, plurimos ex mediterraneo mari in pontum fugere. Necnon septentrionalem oceanum, ex eorum relatu qui ad alciosa illa climata nauigarunt, piscosissimum esse: quód pisces, æstiui caloris & externi cuiuscumque caloris impatientes, interni caloris acritudini remedium quærant.

Secundò pisces omnes, ex Aristotele,[i] sunt voraces; & promptè in singularem ventriculum ingesta, concoquunt; vnico inter ipsos Scaro (eodem authore[k]) ruminante. Quibus ideò non multiplex datus est ventriculus, vt auibus etiam calidissimis, ad ciborum confectionem multiplici coctione complendam: cùm eorum aliqui Chamis, Lepadibus, Cancris, & Purpuris, imò & arena, Rondeletio[l] attestante, nutriantur. Sed vnicum ventriculum habent,[m] quòd eorum acerrimus & omnia facilè conficiens calor, ad assumpta vno impetu coquenda sufficiat. Neque appendices quas eorum ventriculi habent,[n] ad coctionem iuuandam partito cibo inseruiunt: sed veluti auriculæ, cordi adminiculo sunt, quando copiosior sanguis à vena in dextrum cordis sinum effunditur, vel copiosiores spiritus affatim generantur: ita appendices illæ, in cibi insolitâ vbertate deseruiunt, vt quòd copiosiùs à voracissimis animalibus deuoratum est, subsidiariè contineant. Adde nulli præterquam ruminanti Scaro, planos esse dentes,[o] quibus terrestria animalia cibos ad faciliorem coctionem atterendo præparant; sed serratos, quibus deuoranda quassant; alios esse sine dentibus, & solùm habere os asperum, vt apprehensa firmiùs retineant: quòd scilicet acerrimo suo calore, ingesta quæque etiam integra, facilè eliquent. Sed inter cæteros quàm vehemens est stellæ marinæ calor, quæ ex Aristotele[p] omnia contacta protinus absumit. Cui Plinius, tam igneum feruorem inesse scribit,[q] vt omnia in mari contacta adurat, & omnem cibum statim peragat. Ad hunc accedit febrius ille ab Scaligero[r] appellatus, qui in Arora fluuio insulæ Zeilan inuenitur, quem si quis manu ceperit, continuò febre corripitur, demisso verò liberatur.

b Lib. de bon. & vitio suc. cap. 3.

c In historia Septentrion.

d Lib. de resp. cap. 13.

e Lib. 1. de caus. plant. cap. 17.

f Lib. 2. de anim. sect. 50.

g Cit. lib. 1. de caus. plant. cap. 17.

h Lib. 8. de hist. ani. c. 19.

i Lib. 3. de part. ani. c. 14.

k Lib. 2. de hist. an. c. 3. vlt. & lib. 8. cap. 2.

l Lib. 1. de pisc. cap. 21.

m Arist. cit. lib. 2. hist. anim. c. vlt.

n Rondelet. lib. 3. de pisci. cap. 17.

o Arist. lib. 3. de part. anim. cap. 14.

p Lib. 5. de hist. ani. c. 15.

q Lib. 9. c. 60.

r Exerc. 215. n. 6.

Tertiò actem iufitam esse pifcibus fubftantiam,nou virofum illud folùm quod expirant indicat: fed prætetea quòd ab eorum efu iu fitim iucidamus. Expetitur enim quifque fe diebus quibus vefcitur pifcibus, vel in eraticula affis, vel citra atomatum permixtionem elixis; fitire magis, quàm cum catnibus alitur. Quod nun inde prodit (vt Villonouano, [s] & Alexandrino [t] placuit) quòd facilè putrefcant. Non enim tunc folùm cùm in ventriculo corrumpuntur & puttent, vnde ventriculi fubuerfiones, vertigines, aut lipothymiæ potiùs fequuntur quàm fitis: fed dum conficiuntur & vertuntur in chylum, fitim excitant. Cuius ea caufa eft, quòd cùm omne agens agendo tepatiatur: dum pifces à calore ventriculi in chylum foluuntur, viciffim fuo illo actiore calido quod exhalant, quodque in ventticuli corpus effunduntur; idipfum, atque eius ftomachum exficcando, fitim inferunt. Quinimò non fitim folùm inducunt: fed familiariot eorum efus, virufo illo fpiritu vafa fenfim perfundens, fuccos paulatim affat, & elephantiafim quam Arabes leptam appellant generat. Vnde in locis maritimis, copiofos elephanticos aduertimus: nec alibi, ftequentiora Lazateta confpicimus.

s Lib de reg. fan cap 20.
t Lib. 14. falubrium c. 1.

Priot verò minus adhuc placet fententia quòd pifces febrientibus vt omnimodo noxios deneget. Quamuis enim pifces, cæteris patibus, carnibus deteriores effe concedamus: non tamen tam aduerfa nobis eft plurimorum conditio, quin illis febrientes falubriter aliquando vefcantur. Cetaceos quidem, cartilagineos, molles, oftracodermos, cruftatos grandiores, atque eos qui in paludibus & cœnofis locis degunt, ac multò minùs terrenos & foffiles (quorum à Polybio, [u] Strabone, [x] & Athenæo [y] fit meutio) nullis ægris vtiles effe cenfemus. Quod illi quidem aut craffum, aut vifcidum fuccum generent, & difficilis fint coctionis: hi verò in chymum planè exerementitium & facilè putrefcentem vertantur. Cetaceis annumerant Phocam, Balænam, Delphinum, Lamiam, Thynnum, & Pelamydem. Cartilagineis, Torpedinem, Paftinacam, Raiam, Leuiraiam, & Squatinam quam Angelum Martegalenfes appellant, cuius vfum in contrahendis & indurandis mammis, fi plurimæ mulierum nofcerent pluris fquatinas emerent, quàm aliàs delicatiores Romani Mullos emiffe feruntur. Molles, funt Polypus, Sæpia, Loligo. Oftracodermi, Pinnæ, Buccinæ, Purpuræ, Chamæ, Tellinæ, & Cochleæ omnes. Cruftati verò grandiores, funt Locuftæ, Squillæ, Aftaci, Paguri, & Maia. In cœnofis degunt præter litorales plurimos, Anguillæ: qui omnes guftu limum redolent, aut molliore funt & pinguiore carne, quàm congeneres cæteri. Qui, licèt apud heluones, maiorem gratiam ineant: & Tyberinus Lupus, præfertim qui intra duos pontes Romæ capiebatur magno effet in prctio, vt apud Macrobium eft [z] deterioris tamen ad alendum funt conditionis; vti omnes qui iu fluminibus vrbes expurgantibus, aut grandiorum fluminum oftiis victitant, qui Galeno authore, [a] fuorum congenerum funt peffimi. Vt enim deteriore alimento vtuntur, fic peiorem nutricatum præftant. Et licet pinguiores fint, guftuique fuauiores: ex eo tamen funt deteriores, quòd ventriculum nimiùm laxent, eundem fubuertant, difficiliùs coquantur, & vifcidiorem fuccum generent. Quos omnes quamuis non folùm ægris, fed fanis etiam infalubres effe cenfeamus: non tamen cæterorum etiam, quibufque inhibendus eft vfus. Saxatiles enim qui ab antiquis omnibus maximi fiunt, nec non pelagij & litorales, in alto mari, vel in puro & arenofo litore degentes, ac fluuiatiles in puta & limpida aqua alti, & omnino qui eas conditiones retinent, quas in optimis pifcibus Galenus, [b] & Oribafius [c] requirunt: nihil habent, quod eorum vfum plurimis febrientibus interdicat. Inter faxatiles, à Galeno, [d] & Oribafio [e] numerantur Scatus, Merula, Turdus, Iulia, Fuca, & Perca: quibus Epelanetem, Eperlanum vulgo dictum, odoris & guftùs fuauiffimi, addere poffumus. Inter pelagios vero, & litorales, laudantur, Afellus, Aurata, Erithrimus, Scorpœna, Coruus, Lyra, Rhombus & Lucius commendantur. In quibus omnibus, hæc expetuntur: vt fcilicet carne fint alba, molli, & friabili. Vel fi à mollitie aliquantulum abfint, nullam faltem intet edendum vifciditatem, fapotis fœditatem, aut infuauitatem repræfentent. Cuius generis edulia, laudatum & falubre præbere alimentum certiffimum eft. Sua enim mollitie & friabilitate hoc confequuntur, vt facilè in ventticulo coquantur, & in chylum pauco labore diffoluantur. Alba vero eorum caro in eum fuccum vertitur, qui vt faciliùs ruborem in hepate contrahere eft aptus, quàm vel flauefcere, vel nigrere: ita leui coctione iu probum fanguinem potiùs tranfit, quàm in vllum excrementitium fuccum quæ illorum folidiori maffæ permixta eft, fuccum ab eifdem genitum in ea fubftantiæ tenuitate confetuet: vt ne in pituitam quidem abire valeat, fed omnino in vtilem fanguinem conuertatur. Atque ideo rectè Galenus [f] cùm de hoc pifcium genere loqueretur: alimẽtum quod ex pifcibus fumitur, inquit, non modo ad coquendum eft facile, fed hominum etiam corporibus eft falubettimum; vt quod fanguinem medium confiftentiâ generet. Medium autem voco, qui neque admodum tenuis, neque aquofus, neque vehementer craffus eft. Neque eorum natura, etfi plus à noftra diftet, quàm terreftrium, aut volatilium animalium; tam aliena eft à nobis, quam fructuum & oletum quorum pars, nullo repugnante, in febricitantium victum cedit. At neque faci-

u Lib 34 hif
x Lib 4 Geo.
y Lib. 8. Dip-nofoph.
z Lib. 3. Saturn. cap. 15.
a Lib. 3. de alim. fac. c. 25
b Lib. 3. de alim. fac. c. 30 & lib de bon. & vitio fucc. cap. 1.
c Lib. 4 fyno. cap. 2.
d Lib. 3. de alim fac. c. 28
e Lib 2. coll. cap. 49.
f Lib. 3. de fac alim. c. 2.

lius putrent quàm cætera alimenta quæ facilis sunt coctionis. Hoc enim omnibus quæ facilè à nostro ventriculo conficiuntur commune est, vt facilè etiam putrescant. Etenim concoctio quæ in ventriculo fit, est quædam quasi putrefactio: si veram, non vulgatem putredinis rationem consideremus.

Quare ita mihi dirimenda hæc controuersia videtur. Vt cùm febrium quæ ex humorum vitio generantur, duplex sit conditio: earúmque aliæ sint acutæ, ex sanguine vel bile genitæ; aliæ verò diuturnæ, quæ ex pituita, vel melancholia, seu solis, seu aliis etiam humoribus permixtis nascuntur. Cùm omnes acutè laborantes, tenuiter alere oporteat, pro varia tamen morborum acutie victûs tenuitatem augendo vel minuendo, [g] atque in plurimis acutis febribus, ne carnibus quidem vesci concedatur: sic affectis multò magis à piscibus abstinendum esse censemus, qui & deteriores sunt carnibus, & spiritu illo acri quo abundant, possent calori præter naturam in nobis aucto, & febrili igni innatum nobis calidum depopulanti incrementum afferre. Aliis verò quos diuturniores febres molestant, cùm paulò pleniore victu vti liceat, & crassi illi humores earundem febrium fomites attenuatione indigeant: nihil est quod vetet, piscium esum condonari. Præsertim si anorexiâ febrientibus familiari laborent, & piscibus delectari, eosdem appetant. Neque nociua futura ea est indulgentia, cùm alimentum quod ex prædictis piscibus sumitur, minimè sit illaudatum: & si eorum acritudo nobis suspecta sit, ea possit elixatione, aut acidulo aliquo & refrigerante condimento emendari. Maximè verò vtilis ea illis futura est gratia, quod languentem eorum orexim, cuius vigor plurimùm ad salubritatem confert, piscium suauitate excitemus, & irritemus. Quo fine Hippocrates, [h] parum deterior potus aut cibus, inquit, suauior autem, melioribus quidem, sed minimè suauibus est præferendus.

g Hipp. 2. aph. 7.

h Lib. 7. aph. 38.

Quantum autem cupediarum, quanta saporis gratia in piscibus insit: non solùm discimus ab antiquis Syris; Græcis, & Romanis in omnem luxum effusis, sed proprio etiam gustu discernimus. Syri quidem tanti pisces æstimabant, vt gustuosiores, Deos esse arbitrarentur. [i] Græci pisces ad tintinabulum vendere soliti: eosdem ὄψα per excellentiam, vt apud Plutarchum est, [k] appellabant. Romani verò, Muræenas à freto Siculo in vrbis viuaria, magnâ curâ transferebant. Atque vt antiquioris voluptatis accusator Macrobius [l] memorat, scaros Italiæ antea incognitos, ab Octauio classis præfecto multiplici nauigio transuectos, inconsueto more inter Hostiam & Campaniæ litus seminarũt. Qui prætereà, pisces in tantum pretium extulerant, vt pluris minutulos pisces, quàm solemnis sacrificij hostias emerent. Mulum vnum vix bilibrem septem millibus nummûm emit Asinius Celer. Cato qui ab Vtica nomen accepit, pisces de piscina Lucilij sibi testamento relicta, quadraginta millibus vendidit. Et Hirtij villa, licet non ampla, ob viuaria quæ haberet, quadragies sestertiûm vænit quæ centies millenos aureos excedunt.

i Xenop. lib. 1. ἀναβάσεως.

k Lib. 4. sym. q. 4.

l Cit. lib. 3. Saturn. c. 16.

Sed præteritis his variorum sæculorum erroribus, quis ita est ad temperantiam compositus, & sopiti gustûs, qui non aduertat quidpiam esse in piscibus quod ad gulæ irritamentum carnes superet? Salsum enim aliquid & subacre illis inest, quod mirè gustum delectat. Nec mirum sal enim suauissimum est ciborum omnium condimentum: & sine sale, vt aiebat Symmachus, [m] cibi omnes forent ingrati, neque vllum suauitatis condimentum acciperent.

m Apud Plutarch. in sym.

Quare his qui diuturnioribus febribus detinentur, tutò pisces concedi possunt: atque tunc vtilissimè, cum anorexia laborantes, in piscium desiderium, per se, vel etiam moniti venerint.



An sint aliquæ medicamentorum facultates occultæ.

EXERCITATIO NONA.

Qvamvis summè arduum & maximè operosum sit, ijs qui disciplinam aliquam vel tenuiter callent persuadere, ea quæ iam ante didiscerunt dediscenda esse, & animum nouâ doctrinâ imbuendum: præsertim cùm concepta sententia, difficillimarum quæstionum ingenia importunè vexantium, promptam facilémque decisionem apparenter cōplectitur.

Eam tamen philiatrorum esse ingenuitatem censeo, vt minimè eos pigeat, pro veritatis cognitione ab omni sectarum ambitiosa tuitione deficere: cum ab errorum laqueis eos, quàm maximè sibi cauere necessum sit, quòd eam exerceant artem, quæ in tam fragili, sed tanti momenti subiecto occupata, mirum in modum lubricam habet peccandi viam.

Vulgatum est fateor, occultas dari facultates, quas vel sydera in res has sublunares influant: vel quæ à formis substantialibus emanantes, nullam ab actiuis & primis qualitatibus agendi vim mutuentur: ad quas statim vulgo confugitur, cum particularium effectuum causæ ad caloris, frigoris, humoris, aut siccitatis euidentem efficientiam referri non possunt. Sed nimiùm abiecti animi est, & vecordis ingenij, nolle quæ abstrusiora sunt, paulò accuratiùs inquirere, & mentis torpori fauendo, statim profiteri ea nesciri, quæ licet sensibus minùs aperta sint, possint tatione patere. Quare operæ pretium facturum me existimaui, si vt Medicinæ tyrones ab illo ignorantiæ asylo abducam, eosdémque ad liberiorem meditationis & veritatis campum diuertam, quod in sexta exercitatione tentaui fusiùs probauero, occultas scilicet facultates quales finguntur, non dari, sed aliud esse actiuarum proprietatum principium, in cuius peruestigatione per singula genera, exerceri eruditum quemque deceat. Neque interim tam temerarius sum, vt velim profiteri aut me, aut quemquam alium posse singularium effectuum proximas causas inuenire: delectat tamen viam veritatis indicasse, vt acriores in ea deinceps excolenda suam operam seriò impendant.

Vt ergo quod aggredimur methodicè persequamur, in principio supponendum est quod omnibus patere arbitror; medicamentorum tam actiuas quàm passiuas facultates & proprietates, in quatuor ordines dispensari.

Primum tenent actiuæ illæ qualitates, quarum efficientia sensu ipso discernitur, & primæ communiter appellantur, disparis tamen inter se actiuitatis & resistentiæ: calor, frigus, humor, & siccitas.

Secundi ordinis sunt omnes illæ, quas primæ dum sibi similes qualitates in materia introducunt, passim variè immutando consequenter insinuant. Ita calori attenuandi, rarefaciendi, exoluendi, homogenea congregandi, atque his pares facultates sunt consociatæ: frigori densandi, contrahendi, transpirationem prohibendi, & heterogenea congregandi. Humiditati emolliendi, & laxandi: ac demum siccitati, indurandi & firmandi dynames inditæ conspiciuntur.

Tertio ordini illæ ascribuntur quæ per respectum ad determinatam aliquam materiam, limitatum effectum, aut membrum aliquod denominantur. Quales sunt semen, lac, aut carnem generandi, durissima quæque in struthiocamelo concoquendi, vrinas ciendi, calculum exturbandi, aut si fas sit dissoluendi, menses mouendi, supputandi, detergendi, cicatricem inducendi, & similes. Nec non & illæ quarum gratiâ medicamenta seu iuuando seu nocendo in determinata membra cui dentiùs agere comprobantur. Vnde medicamentorum quædam cephalica, alia cardiaca dicuntur, atque alia alias denominationes assumunt.

Quartum tandem ordinem illæ occupant, quæ excellentiores quosdam effectus proferentes, maximæ sunt hominibus admirationi. Qualis est Rhabarbari, atque aliorum cathartica; vomitoria in asaro, & lapide armeno; diaphoretica in carduo benedicto, & lapide bezoar; mentem perturbans seu eutatica in hyoscyamo & datura, stupefaciendi in torpedine; remorandi naues in Echeneide, lasciniæ motus compescendi in smaragdo; aërem pestiferum purgandi in rubino; ferrum attrahendi in magnete, paleas in succino, auri scobem in Milui piscis ossibus. Eiusdem ordinis sunt

idiosyncratiæ plurimæ, per quas hic astemius est, ille caseum, poma, aut quod simile auersatur, portulacam, aut quoduis aliud conficere non potest, cùm edulia cætera facilè concoquat; atque his pares.

Primo ordini quatuor illas tantùm annumeraui quas per excellentiam Philosophi actiuas appellare consueuerunt. Quod cùm à nemine antea controuerteretur, miror Sanctorium [a] licèt Aristotelem id ipsum insinuantem habeat, [b] densitatem & raritatem illis præponere, atque his primatum tribuere. Harum enim neutra per se operatiua est; tantùm abest vt sint omnium primæ. Quis enim ille est tam rerum naturalium ignarus, qui non nouerit densum aut rarum, vt densum aut rarum est, alteri admotum nihil operari illúdque nulla ratione immutare? Præterea si à raritate aut densitate calor aut frigus per se primò aliquando nascerentur: raritas calorem, & densitas frigus semper induceret. At camphora euidentis raritatis, imò & nix rara admodum refrigerant, & arsenicum prædensum causticum est. Quòd si motus rarefaciendo calefacere dicatur (cùm non item quidquam densando refrigerare fateatur) id per consecutionem aduenit, non ab effectiua raritatis causalitate. Cum enim quædam sit in materia horum aut illorum modorum substantiæ familiaritas maior cum hac aut illa primarum qualitatum, ad quarum etiam actiuitatem tales modi consequuntur: si aliquando aliunde accidat tales modos in materia introduci: consequenter vniuersalis causa particularium defectum supplens, talem qualitatem primam tali modo substantiæ familiarem comproducit: Ita quia motus in quo corporum fit aliqua collisio, collisorum partes detrahendo raritatem infert, cui familiaris est calor: causa vniuersalis, supplendo motûs in calore producendo impotentiam, calorem introductæ raritati familiarem producit. Quem ideò motus per accidens producere dicitur: quoniam cùm is solus sit apparens causa effectiua producti caloris, illi huius productio tribuitur, sed per accidens cùm talis productionis per se sit incapax. Quia verò omnis actio per accidens ad principium per se operatiuum est reducenda, non aliud in eo casu reperitur, quàm vniuersalis causa, quæ cum omnibus concurrens, deficientium solet actiuitatem supplere. Quare id ratum deinceps habendum est, non aliis qualitatibus quàm calori, frigori, humiditati, & siccitati primarum deberi, & inter actiuas meritissimè primas appellari.

a Lib. 8. methodi vit. err. cap. 7.
b Lib. 8 phys. texto 55.

Prædictarum autem omnium facultatum. Priores quidem manifestæ nominantur, quod euidens sit talium effectuum principium & causa. Posteriores vero tertij ac quarti ordinis, occultæ solent appellari: quòd vel huiusmodi effectuum causa, vulgò ignoretur: vel quod tale illorum principium esse dicatur, quod quale sit nesciatur. Quidam enim illas à cœlo rebus his inferioribus proximè imprimi, cum Mesuæo existimarunt. Alij cum Fernelio & Montano, easdem vel à substantiali forma non distingui, vel formam immediatè consequi probauerunt. Galenus illas à tota substantia prodire censuit. Vt nos, quid sequendum videatur, tribus conclusionibus exprimemus.

Primò enim dicimus, facultates quas occultas appellant, à cœlo proximè in hæc inferiora non insinuari.

Quod in eorum quidem sententia apud quos ratum est cœlos in hæc inferiora motu tantùm, & lumine agere, receptum ideò arbitror: quòd tam variæ facultates à motu & lumine toto genere differentes, ab illis prodire non possint. Sed esto, influant cœli in elementaria aliter quàm motu, & lumine: euidens tamen est, non alias qualitates ab illis in hæc inferiora effundi quàm elementariis congeneres, seu easdem in se formaliter contineant, quod probabilius censeo, seu alias habeant nobis ignotas eminentioris ordinis, elementariarum tamen productiuas. Ita ex diuerso solis accessu & recessu, caloris & frigoris, humoris & siccitatis mutationes nobis adueniunt: quatuorque anni tempestates prædictarum qualitatum eminentiâ discretæ perenni sibi succedunt ordine. Et pro variis syderum tam errantium quàm inerrantium coniunctionibus, oppositionibus, atque aliis configuratis aspectibus, in pari solis per zodiacum discursu, aliquando acriores sentiri feruores, aliàs brumales algores, pluuias nonnunquam cataclysmata penè imitantes, vel squalores horridos vigere experimur.

Idque ideò quòd planetarum & stellarum fixarum aliæ, calorem; aliæ, frigiditatem; aliquæ, humiditatem; nonnullæ, etiam siccitatem mirâ inter se varietate influant. Imò cœlos nullas alias habere qualitates actiuas: præter lumen, & quatuor quas primas vocant, ex tertiæ conclusionis confirmatione constabit.

Neque obijciat quisquam cœlos incorruptibiles esse, ab hisque inferioribus nihil pati; materiam primam habere à sublunaribus diuersam, & qualitates longè alias possidere quæ elementares eminenter contineant. Huiusmodi enim Aristotelica iam vieta sunt & veternosa. Veracior Dominus qui cœlum (inquit) & terra transibunt, mutatis saltem accidentalibus. Est noua stella quæ ad annum 1572. per biennium in Cassiopeia apparuit, nec non casmata quæ plerumque in plures dies perseuerare aduertuntur; faculæ item, & nubeculæ quæ in solis disco visuntur. Satis manifestant

cœlorum

cœlorum substantiam minimè impassibilem esse. Præterea perperam incorruptibiles cœli ideò dicuntur,quòd nulla illis vis ab his sublunaribus inferatur. Detur enim hoc esse verum : quidni tamen poterunt cœlestia corpora se inuicem alterare, vt aduersantibus,aut conuenientibus inter se radiis alia alio cum in hæc inferiora influxus,aut intendunt aut reprimunt. Quod si ab his inferioribus non identidem patiuntur, id ob distantiam, vel propinquorum elementorum nimiam raritatem aduenit. Sed neque impassibilitas illa, aliam esse cœlorum materiam sufficienter arguit cùm vermilius lapis à rubinorum genere, qui feruidissimo acerrimóque igni expositus, ne nitorem quidem perdit (in hoc adamante pretiosior) non propterea aliam à cæteris materiam primam nanciscatur.

Secundò primam hanc conclusionem ex eo probamus, quòd cùm vniformis agentis vniformiter ad passibilia applicati, actionem vniformem esse necessum sit, & cœlum per idem tempus in eodem climate consideratum, vniforme sit agens vniformiter applicatum: fieri non potest tam difformes proprietates eodem tempore in tanta mixtorum varietate apparentes, à syderibus insinuari. Vt dum lathyris vehementer purgans redditur, quomodo gummi oleæ facultas catharsin reprimens tribuetur: & dum magneti vis ferri attractrix insinuatur, quomodo theamedi ferrum repellere dabitur. Nam & Aristoteles [c] asserit, ab eodem agente non posse diuersa specie distincta produci. c Lib. 2. de gen.

Neque satisfacit si respondeatur, eam varietatem proprietatum sequi dispositiones varias rerum: à cœlo tamen singulas pro singulari cuiusque subiecti aptitudine euariatas, induci. Vel enim vnus est in singula cœlorum influxus,quatenus à syderibus effluit,euarians tamen in singulis, pro natura subiecti: vt in cera & luto aduertitur. Vel multiplex effluit à syderibus influxus, singularim vt cuique expedit distributus. Posterius hoc quidem improbabile videtur. Nam licèt sydera inter se facultatibus differant, ex mutuo tamen radiorum à singulis effluentium & se inuicem per medium refrangentium coalitu vniformis agentis vicem subeunt. Vniforme autem vniformiter agens, non potest tantam in passis varietatem inducere,nisi id ex parte passi accidat: cùm quidquid recipitur,per modum recipientis recipiatur. Præterea ea distributio singulis pro cuiusque natura facta,cognitionem aliquam imò rationis participem in distribuente requireret, vt pro ratione fieret. Qui verò soli aliisque syderibus insitum esse intellectum diceret, is ipse intellectu destiturus censeretur. Prius verò si dicatur, omnis illa diuersitas proprietatum à particulari natura rerum cœlestes influxus excipientium pendere intelligetur. Ideoque non à syderibus illas influi,sed promouente cœlo à singulis mixtis sibi innatas proprietates emergere constabit. Licèt enim cœlum non vt totale agens, sed vt vniuersale alterans, effusa semina, per diuersa interualla, pro vt maiore aut minore alteratione singula indigent,germinare faciat; illis tamen nihil vlterius tribuit,sed quodque sementis genus, pro natura sua quod sibi connaturale est producit, proprietatibus naturam cuiusque concomitantibus. Quare propiùs accedendum est ad id quod singulis inest,à quo proprietates quibusque rebus connatæ proximè prodeunt.

Verùm antequam id exprimamus, asserimus secundò formas substantiales nec se ipsis immediatè talia operari, quæ ad facultates occultas referuntur; nec tales sibi inhærentes habere proprietates.

Veritas huius conclusionis ex eo patet; quòd formis substantialibus pereuntibus, eadem proprietas occulta, vt plurimùm in eodem subiecto perseueret. Vnde euidens est sequi,tales effectus proximè à forma non prodire,nec eiusmodi facultates formis adhærere.

Probatum iam ante fuit antecedens exercitatione sexta; & constat non eamdem esse formam rhabarbari puluerati, & infusionis eiusdem, vtrumque tamen vim purgantem retinere. Et licèt lac capræ quæ thytimalo pasta fuerit,aliam habeat à thytimalo formam, illam tamen vim vehementem catharticam seruat.

Secundò prior asserti pars exinde confirmatur, quia cùm substantiales formæ per se non sint actiuæ,saltem actione alteratiuâ, quia nulli sunt contrariæ, ex Aristotele [d] autem omnia agant & patiantur, quatenus contraria sunt. Sequitur actiones facultatum occultarum quæ alterationes sunt, cùm ea in quæ agunt euidenter secundùm accidens immutent: à formis substantialibus prodire non posse. d Lib. de sensu & sensib.

Neque aduersatur huic conclusioni aquam calefactam, à propria forma pristinæ frigiditati restitui: nam id gratis asseritur. Sed vel à portionibus nondum calefactis quæ lebetis fundum tepidum conseruarunt, vel ab ambiente aëre illi frigus restituitur, non autem à forma. Quæ si eam vim haberet,haberent etiam aliæ formæ, formâ aquæ excellentiores,possentque dispositiones sibi aduersantes separato agente reprimere, & se naturali constitutioni restituere. At si intemperies aliqua æqualis semel in animalium corporibus sit introducta, ea nunquam naturæ insitæque

formæ

formæ viribus emendatur.

Quapropter tertiò dicimus, prædictas omnes facultates, non aliunde quàm à primarum qualitatum rebus quibusque inexistentium speciali intensione, ac remissione, nec non à proprio tam agentium quàm patientium substantiæ modo prodire.

Quò vero meliùs conclusio hæc intelligatur. Sciendum primò est, plurimas huiusmodi facultatum, quas occultas vocant, fabulosas esse. Falsò enim gemmæ nonnullæ gratiam conciliare dicuntur, animum excitare, memoriam firmare, & intellectum acuere: talia enim altioris sunt gradûs quàm ab insensili illa gemmarum ἀπόρροια insinuari possint, nec turchesia (vt refert Adamus Loniceus libro de aquatilibus) imminente portantis periculo rumpitur, aut rimam vel maculam contrahit. Neque Adamas præsente toxico madet. Quinimò remoræ miracula quæ apud Plinium [a] leguntur, figmenta sunt, quidquid de Caij Cæsaris quinqueremi, de prætoria naui Antonij, & nunciorum Periandri naui scribatur. Plerique enim nimiùm creduli aliorum commenta scriptis liberiùs mandare soliti, aliorum bonæ fidei imponunt. Et quod ad remoram particulatim spectat, si vera esset admirandi illius casûs historia, pateret etiam de forma piscis, in qua referenda tanta est inter scriptores discordia, vt fingendam potiùs sibi proposuisse remoram videantur, quàm describendam.

Lib. 9. c. 25. lib. 32. c. 1.

Secundò aduertendum aliquarum facultatum occultarum vim, non tam à vi agentis, quàm à passi dispositione, vel consequente quadam operatione pendere: quæ perperam solius agentis esse dicuntur: vt mox de vi cathartica explicabitur.

Tertiò notandum est, quod vulgò dicitur, actionem prædominantis esse qualitatis, non ita explicandum, vt cæterarum eidem subiecto inhærentium nulla sit actiuitas. Sed id de euidentia actiuitatis intelligendum est, cæterarum enim minùs euidens actio pro nihilo penditur. At singulas operari id probat: quod si quando inæquales discrasiæ quempiam occupent, vsu remediorum parum à mediocritate hinc vel inde deficientium experimur, vtrique intemperiei vtiliter prospici. Sic quibus frigidior est ventriculus, & simul calidius hepar, temperatis calorem ventriculi intendimus, & iecoris feruorem retundimus. Quare singulis qualitatibus primis cumulatim ad actionem concurrentibus; cùm à diuersa earum intensione & remissione dispar emanet actiuitas: non mirum est ab speciali illarum graduatione, speciales quosdam prodire effectus, qui nec caloris solùm sint, nec frigoris; sed quatuor simul qualitatum, in tali graduum concursu mixtim operantium.

Quartò aduertendum est, substantiæ seu materiæ quantæ modos, quales sunt tenuitas & crassities, raritas & densitas, mollities & durities; lentor & friabilitas; esse vaporabile, & non vaporabile, liquabile & non liquabile; ac similes: etsi per se non sint actiui, si tamen seu in agente, seu in patiente euarient singuli, aut eorum aliqui, posse operationem eo vsque immutare vt toto genere distinguantur. Ita idem medicamentum calidum in tertio, siccum in secundo, tenuium partium encrato exhibitum, diureticum erit: quod ab alio rari & laxi habitûs assumptum, sudorificum euadet. Consimilis vero temperaturæ pharmacum crassæ substantiæ, Galeno insinuante [f] acre erit & mordax: quod à raro & laxo ventriculo simulque sicco assumptum, penè causticum experimur.

Lib. 6. de simpl. medic. facult. c. 15.

Postremò adnotandum est, primas qualitates, & substantiæ prædictos modos, ita magis & minùs suscipere, vt in infinitum syncategorematicè saltem diuisibilis sit. Illa maior minórque singulorum intensio aut remissio. Atque inde possibiles sunt infinitæ combinationes, quæ ex varia primarum qualitatum graduatione, & diuerso cuiusque mixti substantiæ modo emergere possunt. Vnde ingens etiam tam actiuarum quàm passiuarum facultatum prodit varietas: quæ præterea multiplex etiam euadit, & multiplici diuersitate heterogenearum substantiarum in mixtis mirâ varietate concurrentium.

Quibus suppositis, veritas conclusionis probatur primò, ex eo quod cùm nulla sit qualitas actionis alicuius transeuntis productiua quæ primo sibi similem producere non sit nata (id enim omni agenti inditum à natura est, velle sibi simile producere) in rerũ autem natura lumen solũ, & quatuor primæ qualitates sint natæ sibi similes producere: oportet has solas esse actionum transeuntium productiuas. Quod cùm ita sit, quoniam constat operationes actiuarum omnium facultatum, quas occultas vocant, esse transeuntes: necessum est illas à prædictis tantum qualitatibus produci.

Secundò frustra aliæ actiuæ facultates excogitantur, cùm ad has vel singulatim vel cumulatim, sub variat emperie, & adiuncto modo substantiæ agentes, quæcumque referri possit alteratio: vt rem accuraté per singula genera examinanti, patere si non integrè saltem ex parte poterit.

Tertiò id verè agendi principium est, quo perseuerante actiua facultas durat, & pereunte cessat. Sed temperie,& substantiæ modo eorum quæ occultis facultatibus agere dicuntur perseuerante, eorumdem etiam vis actiua perdurat & pereuntibus cessat.

Ergo principium agendi eorum quæ occultis facultatibus operari dicuntur,non aliud est quam eorum definita temperies,& substantiæ modus.

Quod cùm plurimis exemplis à nobis iam ante probatum sit,exercitatione sexta, non est quod vlteriùs id confirmare nitamur.

Demum cùm singularibus exemplis effata generalia validissimè comprobentur; sensibus intellectum etiam ad assensum prouocantibus: veritas postremæ huius conclusionis exemplis est confirmanda. Quare à priore facultatum ordine exorsi vim sarcoticam examinemus. Quæ non ideò medicamentis inesse dicitur, quòd illa carnem sibi insitâ vi generent, id enim naturæ est opus: sed quod ea sordes vlceribus adhærentes potenter exsiccando, nec permittendo reliquias alimenti in superficie vlceris computrere; efficiunt, vt natura sublatis impedimentis vlcus carne expleat. Ita detergentia ea appellantur quæ cum tenuitate partium exsiccando, pus vlceri adhærere prohibent, aut ipsum etiam absumunt: quæ si calida etiam plus iusto sint, quia acria euadunt, detergendo mordent, aut carnes colliquando copiosiorem sorditiem etiam accumulant. Vti quæ sicca sunt, & vel crassæ substantiæ, aut saltem citra euidentem tenuitatem temperata, aut naturâ frigida, aut talia lotione reddita; vlceratis partibus cicatricem inducunt.

Cephalica ea sunt,quæ apta solui in vaporem & halitum, in exhalante substantia, vel siccitatem habent moderato calori coniunctam, vel aliam qualitatem accommodatam ad hanc aut illam cerebri intemperiem emendandam. Arteriaca,quæ cum moderato lentore fluida, in actiuis qualitatibus sunt temperata, vel substantiam molliter detergentem habent admixtam. Stomachica, quæ cum substantia mediocriter crassa, moderatum calorem, & astringentem vim habent in sua heterogeneitate connexam. Iecoraria & splenica ea sunt;quæ nacta tenuem,sed minimè euaporabilem substantiam, moderatè calidam & siccam, ad tollendas obstructiones idoneam; quidpiam habent admixtum, quod leuiter astringendo visceris tonum conseruet: inter quæ tenuiora se profundiùs insinuando, splenica euadunt, aliquantò verò minoris tenuitatis, hepati euidentiùs prosunt.

Inter ea quæ posterioris sunt ordinis extatica non alia sunt, quàm ea quæ in crassum vaporem seu exhalationem potiùs solubilia talem exhalant in caput substantiam, quæ partium sub cranio latentium tactum suâ mitiore acritudine sic feriat; vt dolorem quidem nullum inferat, at ex insuetarum sensationum errore imaginationem perturbet. Ita coriandrum recens,cum inconstanti sopore mentem turbat: quod exsiccatum & cum aceto potenter attenuante præparatum,vitium illud perdit.

Purgantia catharsim ex se non faciunt: sed purgatio naturæ magis est opus, quàm medicamenti,vt in exercitatione sexta probauimus.

Quæcumque autem eam vim habent, in hoc conueniunt, vt ea sui portione qua purgant,certam quamdam acritudinis mensuram obtineant, qua vel primas vias, vel secundam corporis regionem,vel corpus vniuersum agitatis humoribus sic irritent; vt excitata cum secretrice membrorum expultrix,noxios humores eò pellat, vbi assumpti vel admoti medicamenti vis in crassiore substantia residens acriùs vellicat. Quam crasim si præparatione aliqua vel inducamus, vel imminuamus,vel omnino mutemus;catharticam etiam vim vel acquiri, vel imminui,vel aboleri, certo experimento probantes:an non eamdem insinuatæ temperaturæ & modi substantiæ latitudinem sequi conuincitur.

Sed aduerso plurimos instare pro venenata & alexipharmaca facultate quæ omninò ad designatũ facultatum actiuarum principium referri non posse videntur. Enim verò non alius est harum quàm cæterarum ortus. Etenim quæcumque vel homini,vel alteri animalium speciei venenata credatur esse substantia,sciendum est eam non aliundè id habere,quàm ex eo quod tantam alterationem offenso corpori inferre sit nata,quæ cum vitæ perseuerantia consistere non possit: seu ea vrendo fiat, vt à causticis salibus assumptis,arsenico deuorato,aqua forti epotâ,& similibus euenit. Seu vehementissimè refrigerando vt Peruuianus ille aër qui per solitudines Chille expirat, g lactucæ itẽ succus,cicutæ & similium operari solet. Seu aliam euidentem intensiorem qualitatẽ imprimendo, seu demum ineuidente quapiam vi(vt creditur)operando. Quæ omnia sic agunt, vt cùm in illis non solũ actiuæ tales:aut tales noxiæ qualitates emineant,sed singula præterea eum habeant coniunctũ substantiæ modum à quo talem acquirant operandi vim,quę noxior sit,quàm quę ab eadem qualitate noxia alteri substantię modo coniuncta prodiret. Ita opium non solâ frigiditate soporẽ & mortem

g Iosephus à Costa lib. 3. histor. natu-ralis & moral. cap 9.

infert,cum eo nix fit frigidior: fed ab opio [licet fecundùm partes terreas aut adiunctum fibi fal, calido & aeri pruritúmque excitante) copiofus craffus & frigidus effertur vapor, qui intimè fe membris infinuans non tam refrigerando torporem partibus fenfibilibus infert; quàm fpiritus animales,quibus fe immifcet,incraffando, eofque ad inferuiendum facultatibus animalibus inutiles reddendo,ficque pro maiore aut minore hac noxa,parti vel fenfum ad tempus tollit, vel necrofim infert,toti verò ex affecto cerebro,vel fomnum temporaneum conciliat, vel mortem inducit. Ita feræ morfu aut ictu interimentes,tale quid ex fe emittunt, quod cùm infitâ quidem fibi qualitate innatam membris vulneratis crafim poffet offendere;exinde tamen magis lædit, quòd tali vel fpiritui tenui citiffimè intima peruadenti,vel craffo vifcidóque vapori ab fpiritu noftro influente impenetrabili adhæreat,quorum ope tantam acquirat actiuitatem,quantam nec folidarum noftrarum partium temperies,nec fpirituum influentium vis,poffit euincere,nec retundere quidem.Ita fi quando in nobis aliqua melancholici excrementi fanguini in venis immixti portio, quæ longiore alteratione ab infito nobis calore procuratâ in atram bilem degenerarit,facultatis excretricis vi in aliquam partem etiam externam tranfmittatur,& malignum anthracem faciat: an non fua cachoëte acritudine,calorem,ficcitatem,& magnam terreæ portionis attenuationem confequente, atque interim in fuæ heterogeneitatis vnione craffitudinem & lentorem non paruum conferuante, non folùm principio ingentem æftum in membro excitat; fed mox etiam vicinarum partium (paruæ ob mollitiem & tepidum calorem refiftentiæ) temperamentum corrumpens,& ad cor vapores excellentis putredinis à fe procuratas excitans,mortem infert. At quid habet totâ fubftantiâ tam malignum,quod à nobis non acceperit: cùm in alimento à quo id primò decifum eft,& cuius fucculentæ materiæ craffior erat & terreftrior portio, nihil haberet quod nos in vllins malignitatis fufpicionem traheret. Quare vt venenum huiufmodi intra nos genitum,ad eam conditionem peruenit,ob acquifitas qualitates tali fubftantiæ modo per multiplices alterationes inducto confociatas,ita exiftimandum eft,cætera etiam venena ex eo in nos fic operari, quòd tales aut tales qualitates noftræ tẽperaturæ corruptiuas,in tali fubftantiæ modo fortiantur,qui illas & plus folito actiuas reddat, & efficaciffimè refiftentes omni partium tam continentium, quàm contentarũ & impetũ facientium.

Quibufdam autem membris potiùs quàm aliis,in quæ etiam priùs incidunt, ideò nonnulla nocent:quod vel eorum heterogenea pars noxia,non ante ab aliis à quibus in mixtione reprimitur,integrè feparetur,quàm ad id membrum peruenerit,quod offendere confueuit. Vel cum eadem heterogenea portio.ex proprij fubftantiæ modi familiaritate,aut vaporibus furfum repentibus,aut fero, aut maffæ fanguinis huic illive impuræ portioni fibi magis familiari confocietur: non ante euidenter noceat,quàm ea fubftantia cui familiariùs permixta eft, ab aliarum focietate libera, illi vberiorem agendi vim procuret. Ita cantharidum venenata fubftantiæ portio fero foluta,non ante folet manifeftiùs offendere,quàm ferum à fanguine fit fecretum, & à renibus in veficam deftillet. Pari modo marini leporis venenofa fubftantia,in vaporem eleuata pulmonem adiens illique adhærens, in eodem vlcus excitat. Vel demum cum non datum fit cuilibet in quodlibet agere,accidit hoc potiùs membrum quàm aliud,à tali aut tali pharmaco lædi, ob fpecialem cuiufque membri conftitutionem aut pharmaci crafim: ratione cuius,hoc vel illud membrum,illi quidem pharmaco magis, alteri verò minus refiftit;aut contrà. Neque aliundè contingit ab aeri & falfa deftillatione à capite in thoracem & ventriculum fimul decitante,pulmones quidem vlcerari, ventriculum autem aut nihil pati aut folam fitim contrahere.

Alexipharmaca autem naturam nobis magis amicam nacta,vel manifeftis fibi innatis qualitatibus,per quas nobis infitis auxilio funt,excellentes venenatorum qualitates oppugnant:vel fibi proprio fubftantiæ modo tali primarum qualitatum temperaturæ coniuncto, cum veneni fubftantiæ modum deftruunt,cuius ratione præfertim,talis veneni actiuitas vehementior apparebat,& noftræ naturæ corruptionem potentiùs procurabat. Ita elephantiafim ab vftæ melancholiæ aut aerioris pituitæ faltem malignitate excitatam,incipientem quidem reprimit veronicæ decoctum per plures dies potum;eamdem verò progreffam etiam curant,tum viperæ tum vulgarium anguiũ elixæ carnes efæ, tum hydrargyrum illitum. Et cancrorum fluuiatilium cinis,aut gentiana,venenum hydrophobiam inferens emendant. Qui effectus non aliundè accidunt, quàm ex eo quòd à prædictorum vi,calorem & ficcitatem tenui admodum fubftantiæ modo inhærentes confequente; talium venenorum humorofus aut vaporofus lentor craffitiefque eorum actiuitatem noftræ naturæ corruptricem intendens,fic attenuetur vt eorum fubftantia peruadi faciliùs poffit,eáque liberè peruasâ,malignitas ei adiuncta iam inde retufa,deinceps,naturæ viribus,integrè vincatur & fuperetur.

h Cap.63. Quoniam verò noftra fententia,quod ad facultates actiuas fpectat,vera effe ex prædictis cõuincitur:eiufdem veritatem in paffiuis proprietatibus comprobemus: Quas non alterius effe conditionis.ex eo licet coniectari: quod cùm Galenus in arte parua [h] dicat ventriculi feu potius orificij

fupe-

ſuperioris,temperiem naturalem,aut æqualem ſaltem(vt plurimi interpretantur) ſibi ſimilia appetere;præternaturalem autem aut ſaltem inæqualem,contraria,euidẽter inferimus ex varietate temperierum æqualium & inæqualium ventriculi diuerſas appetentias excitari,& ab hoc,hunc,ab illo, illum cibum magis aut minùs expeti vel abhorreri.

Quod ex eo confirmatur,quia mutatis per ætatem ventriculi temperaturis,& mutari appetẽtias aduertimus:eúmque cui priùs dulcia placerent,eadem poſtmodum faſtidire,& acidis delectari,aut contrà experimur. Ita qui frigida non ferebant,mox eiſdem maximè iuuari plerumque probamus.

Sed ſingularis hic caſus dictorum veritatem euidentiſſimè inſinuat. Eſt in hac Prouincia vir admodum nobilis qui cum abſtemius ſit,quoties in febrem incidit abhorret aquæ potum ; & vino gaudet,cuius horrorem repetit à febre liber. An non hæc ſydera conferunt? aut ſubſtantialis ipſa forma tribuit? vel potiùs ventriculi ac præſertim ſuperioris orificij propria æqualis temperies; quæ in appetentiæ ſede euarians,appetentiam etiam pro ſua conditione immutat.

Demum ſententiam hanc non aliunde quam à veritatis ſinu emergere Galeni, viri vndequaque oculatiſſimi teſtimonia confirmant. Is enim cum huiuſmodi facultates non vni aut alteri qualitatũ, ſed toti ſubſtantiæ tribuendas toties inclinant: quid aliud ſignificat: quàm eaſdem ex particulari cuiuſque mixti primarum qualitatum craſi,& ſingulari modo ſubſtantiæ ex multiplici miſcibilium per multas alterationes temperatione acquiſito,naſci. Is enim cum non aliam mixtorum formam agnoſceret,quàm peculiarem primarum qualitatum temperiem,& materiam à ſibi cohærẽte quantitate ſic atque aliter modificata non diſtingueret:quid aliud per totam ſubſtantiam eumdem intellexiſſe exiſtimabimus,quàm ambo hæc ſub tali graduatione & ſpeciali modo coniuncta. Quæ ex his conſtare abunde poſſunt,quæ tum libro de temperamentis,tum exercitatione ſexta docuimus.

Verum ne quiſpiam credat nobis eſſe perſuaſum,peculiarium horum effectuum qui occultis facultatibus tribuuntur,immediatas cauſas in aperto eſſe,& cognitu faciles: nouerit is,earum genere cognito,patere quidem viam ad illas accedendi ſed attingi ideò non poſſe,quod ſpecialis & multominùs indiuidualis primarum qualitatum graduatio, definitúſque ſubſtantiæ modus & heterogenearum ſubſtantiarum præciſa varietas,mutuáque in mixtione proportio, nequeant ab vllo intellectu humano, (Galeno ipſo [1] atteſtante) deprehendi. 1 Lib. 3. methodi cap. 7.



Num liceat periaptis seu amuletis ad morborum curationem vti.

EXERCITATIO DECIMA.

QVAM peruersè sapiunt plurimi, qui futurorum minùs solliciti ex solo præsentium sensu permoti, tanta caducæ huius mortalitatis prorogandæ cupidine, sanitatisque tuendæ desiderio tenentur, vt malis etiam artibus indulgentes, quodcumque in spem longioris vitæ aut recuperandæ sanitatis quantumvis impium proponitur, exequantur.

Ea fuit sceleratissimi illius magi Bombast Paracelsi dicti nefaria sententia qui nihil referre inquit,[a] an Deus, Angelus, vel Diabolus ægro opem ferat, modo curetur æger. Ad quod abnuitur illo Lucæ 1. salutem ex inimicis nostris & de manu omnium qui oderunt nos.

Qui præterea scribit.[b] Cum ergo diaboli ac immundi Spiritus ita comparatum naturæ lumen habeant, vt nomina pro herbis vsurpent, eur nos id pro virtute naturali non admittamus?

Huius impietati adhærent vulgares plurimi, quidam (quod ferro ignéque puniendum foret) etiam scientes dæmonis opem implorari: alij qoos ab errore æquum est vindicari, non discernentes quid naturaliter fiat, quidque latente cacodæmonis auxilio compleatur.

Ac quoniam ex hoc capite maximè dubius est amuletorum frequens vsus: decere nos censui, hoc die in tam celebri auditorum corona, amuletorum vires inquirere, & licita ab illicitis discernere.

Amuletum non omne illud remedij genus appellamus, quod vel aduersum quæcumque mala medicamenta, vel præsertim contra fascinationes & veneficia quomodocumque ministratur: licet sub priore significatu vsurpari videatur, ea vox à Plinio,[c] posteriore verò sensu amuleta à Græcis peculiari voce βασκάνια appellentur, ἀπὸ τοῦ βασκανίου quod fascinum est.

Sed per amuleta ea intelligimus quæ à Græcis περιαμμάτα & περίαπτα nominantur; hoc est collo alterive membro circumligata seu suspensa: quæ etiam ἀποτρόπαια & φυλακτήρια dicuntur.

Verùm ea est inter hæc differentia, vt huius quidem generis quæcumque occurrunt περίαπτα καὶ περιάμματα dicere cùm ea speciatim ἀποτρόπαια appellentur quæ ex superstitiosa magiæ vanitate proficiscuntur. Vnde qui apud antiquos ἀποτρόπαιοι θεοὶ idest malorum depulsores vocabantur ex inferorum erant numero vt apud Macrobium[d] legimus: qui quæ ἀποτροπαίους Græci nominant auertentes appellant. φυλακτήρια verò ea nuncupantur, quæ vulgò breuia dicuntur, & chartis inscripta in spem tuitionis eius qui ea gestauerit circumligantur: Quæ Iudæis olim familiaria erant vt ex Matthæi 23. discimus, à Thalmidistis Tephilim & Totaphoth. Loyerio[f] referente dicta. Propriè verò apud antiquiores Hebræos (ex Lyrano[g] Diuum Hieronymum citante) erant quædam chartæ in quibus decalogus scribebatur, quas in coronæ modum capiti circumponebant ad quarum imitationem, chartulæ quæcumque in quibus vel orationes Diuo Leoni tributæ scribuntur, vel aliæ ex nefanda charta virginea in qua varij characteres sint depicti confectæ, quæ à quibusdam feruntur ne à ferro, aut sclopetorum globulis vulnerentur, φυλακτήρια nuncupantur, vt ex glossa in can. si quis 16. q. 5. In verbo phylacteriis colligimus.

Amuletorum autem non vnum est genus: sed eorum quatuor esse differentias aduertimus. Quædam enim diuina sunt, alia diabolica nonnulla vana, alia demum naturalia.

Diuina ea appellamus, quæ vel ex reliquiis rebusve Sacramentalibus constant, vel orationes & inuocationem diuini nominis scripto, exaratam continent, citra vllam superstitionem, vanamque obseruationem.

Diabolica, aut superstitiosa saltem ea omnia dicimus, quæ non solùm ex imaginibus, characteribus, aut vocibus peregrinis nullius significatus & magicis constant: sed & quæ ex characteribus, verbis, rebúsque quibuscumque etiam sacris componuntur, si eis aliquid adiunctum sit falsum, aut quod peccatum includat; aut vanam & superstitiosam aliquam habeat annexam conditionem ad effectum consequendum necessariò obseruandam.

Vana illa nuncupamus, quæ ludicrum aliquod aut scurrile commentum continent: seu ea ad imitationem magicorū ἀποτροπαίων sint efficta, seu ad placitum iocantis efformata: qualia sunt quæ apud

a Lib. de morbo cad. & lib. de cœlesti medicina ex impressione P. Pernae basil. b In fragm. de vim imag. n 14. tom 9. edit. Palthemano.

c Lib. 25. c. 9.

d Lib. 1. Saturn. c. vlt.

e Versu 5. f Lib. 8. de spectris c. 6. g In citatum caput B. Diui Matthæi.

apud Renodæum [h] & Fernelium [i] legimus. Quibus præterea ascribi potest antiquorum fascinum, cuius Varro [k] & Plinius, [l] meminerunt.

Natnralia demum ea vocamus, quæ sibi insitis à natura viribus corpus cui appenduntur aut admonentur, in melius alterando immutant.

Quorum vt breuiter sed quàm accuratiùs liceblt vires sigillatim expendamus; & quorum vsus licitus sit, quorumve illicitus doceamus: aliquot conclusionibus rem totam expediemus.

Dico ergo primò, Amuletis quæ diuina appellauimus licitum esse vti: sed reuerenter, eóque animo, non vt ex vi operis infallibiliter præsumptum effectum edere credantur; sed quòd Deo miserante reuerenter portatis, speratum consequamur effectum.

h Lib. 1. inst pharm. c. 12.
i Lib. 2. de abditis rerum causis cap. 16
k Lib 6. de lingua Latin.
l Lib 28. c. 4

· Licere quidem illis vti, piorum virorum quotidiano confirmatur exẽplo, & approbatur à D Thoma [m] quem sequuntur Abulensis in c. 30. Matth q. 38. Salmeron, [n] Delrio, [o] Emanuel, [p] atque alij.

Neque obstat D. Chrysostomum, [q] in partem Euangelij transcribentes & sibi alligantes inuehi: quòd cui Euangelia nihil prosunt in auribus posita, nequeant eumdem circa collum appensa saluare: satiúsque sit ea in corde poni, quàm iuxta collum suspensa gestari. Sic & Diuus Hieronymus [r] Pharisæos arguit phylacteria portantes: quòd verba legis essent in corde portanda, non in corpore.

Sancti enim huiusmodi Patres, in eos tantùm inuehuntur qui his vtuntur appensis, non ad Dei misericordem beneficentiam suâ pietate excitandam, quam sacrorum verborum, reliquiarum, aut rerum sacramentalium reuerenti gestatione testantur: sed ad id quòd sibi proponunt intentum ex vi operis consequendum.

m Sec. 2. q. 96. art. 4. ad 1.
n In eumdem Matth. sext. tom. 4. trã. 32
o Lib. 1. disq. mag c. 4 q 4.
p Lib. 1 part. 2 q. 4. sect. 3.
p In aph. in voce reliquia.
q In opere imperf. super matth. omil 4
r In cat. c. 23. D. Matthæi.

Eadem verò, cum magna reuerentia collo aut alteri corporis parti appensa esse portanda; ex eo constat, quòd cùm ea in honorem Dei & Sanctorum eius gestentur, si irreucrenter nos ad illa habeamus nos Deum & Sanctos minùs reuererij indicemus.

Imò qui illis irreuerenter vtuntur, in sacrilegij periculum incidunt, & pro irreuerentia modo etiam committunt: vt Emanuel do Valle de Moura opusculo primo de incantationibus siue Ensalmis luculenter probat.

Neque tamen existimandum est, ea ex vi operis vel sanitatem vel aliud simile bonum conferre: cùm nulla sit in illis physica vis talium bonorum effectrix.

s Sect. 2. c. 6. n. 19. & 23

Quemadmodum enim ex Abulense, [t] verba nec habent virtutem aliquam naturalem ad aliquid physicè causandum, nec ex determinatione Dei: & ex Diuo Augustino [u] verbum Sacramentale operatur non quia dicitur, sed quia creditur. Ita reliquiæ & aliæ res sacræ, non alicuius aporrhiæ vi agunt: sed vt ait citatus Emanuel do Valle de Moura [x] quod Deus illarum intuitu sæpè nobis beneficia conferat, seu à Sanctorum quorum reliquias portamus intercessione commotus, seu à rei gestatæ repræsentatione, seu à gestantis indicata inde pietate prouocatus.

Quare rectè Holcot, [y] licèt fas sit inquit, verba Euangelij & alia sacra ad collum portare pro infirmitate depellenda, ex deuotione tantùm: nefas tamen est, si putes quòd illa verba ex propria virtute curent & prohibeant morbum.

t Sup. & in c. 15 exo q. 3.
u Tract. 4 in Ioann.
x Cit. opusc. 1 de ensalmis sect. 2. cap. 14 num. 19.
y In lib. sap. sect. 15

Dico secundò. Statuæ, sigilla, annuli, aut schedæ quæ characteribus ignoti significatûs, aut imaginibus nihil pium referentibus insigniuntur; necnon & quæcumque naturalia aut sacra, quæ vanas obseruationes comprehendunt; Christianis vsui esse prohibentur: quod in talium vsu, suspectum sit pactum cum dæmone expressè aut tacitè contractum.

Veritatem huius conclusionis primùm pontificia probat authoritas quæ huiusmodi periapta condemnat 26. q. 5. Canone. Si quis Ariolos, can non liceat, & can. nec mirum: nec non q. 7. can. non obseruetis. Quod etiam lege ciuili prohibitum esse colligimus ex l. Præses §. Medicos D. de extraordinariis cognitionibus nec non ab Athalarico Italiæ Rege apud Cassiodorum [z] qui maleficos quoque inquit, vel eos qui ab eorum nefariis artibus aliquid crediderint expetendum, legum seueritas insequatur.

z Lib. 9. variarum c. 18.

Nec miremur l. eorum C. de maleficiis & mathematicis magica remedia humanis quæsita corporibus permitti: quoniam Diocletianus & Maximianus A A. qui eam legem tulerunt, cùm dæmonum essent cultores, eorumdem operâ vti, modò ea in apparens bonum cederet non improbabant.

Ea verò omnia ideo prohibentur, quòd in eorum vsu suspectum sit pactum cum dæmone contractum: cùm nullum liceat habere cum tam iniquo hoste commercium: tale autem inprædictorum vsu pactum interuenire, affirmatum à D. Augustino legimus [a] cùm scribit, vt quod eis videtur herbis, & lapidibus, & animantibus & nosis certis quibusdam ac vocibus ac figurationibus atque figmentis quibusdam etiam obseruatis in cœli conuersione motibus syderum, fabricari in terra ab hominibus potestates idoneas variis effectibus exequendis: totum hoc ad eosdem ipsos dæmones pertinet Indificatores animarum sibimet subditarum, & voluptaria sibi ludibria de hominum erroribus exhibentes.

a Lib. 10 de ciuit. Dei c. 11

Iustam autem esse eam suspicionem id probat, quòd cùm huiusmodi aut ex se nullius sint efficientiæ, aut si ex se nata sint aliquid operari (quales sunt res naturales) tamen citra adiunctam sibi superstitiosam obseruantiam, id quod ex illis spectandum promittitur, nequaquam præstent: non iniuriâ in suspicionem incidimus, hæc non aliunde quàm à dæmone his tanquam signis vtente, agendi vim mutuari.

Imagines quidem, & characteres nihil per se operari nullámque habere in se physicam vim effectricem, contra famosum illum Magum Paracelsum qui lib. 1. Philosophiæ sagacis [b] scribit, naturam vires suas deponere in verba, non minùs quàm in herbas, & radices, similiter & in gamaheu & imagines sic probatur.

Nemini dubium est, omnem horum inferiorum actionem saltem alteratiuam, non aliunde prodire, quàm ab actiua aliqua qualitate sui similis productiua. Sed in imaginibus & characteribus vt tales sunt, nulla inest actiua qualitas vt docet D. Thomas [c] ergo nec quidquam operari per se possunt.

Maioris tanta est euidentia apud eos qui philosophiam vel leuissimè degustarunt, vt probatione non indigeat. Minor autem facilè probatur, quòd in prædictis ex Aristotele [d] nihil insit præter compositionem ordinem & figuram; quæ nequaquam actiuæ sunt qualitates, à quantitatis (nullius ex se efficientiæ) externo modo, aut variis terminis emanantes.

Falluntur enim qui aiunt figuram actionis aliquod esse principium ex eo quod Aristoteles [e] dicat grauia quæ figuræ sunt acutæ velociùs ferantur plana verò tardiùs.

Quoniam ea euariatio velocitatis motûs, non pendet à figura vt ab aliquo efficiente et influente in id quod mouetur: sed sic disponendo rem motam vt faciliùs medij resistentiam superet, ita propinquitas agentis ad passum nihil ponit nouum in agente quo potentiùs agit: est tamen conditio cum qua agens potentiùs agit.

Ita licet per sculpturam, vt ait Camill. Leonardus, [f] aliquid à lapidis aut gemmæ superficie detrahentem, virtus lapidis dearticuletur, hoc est liberior reddatur ἀπόῤῥοια, & effluuium spirituosæ substantiæ ab ima gemmæ substantia exhalantis: non tamen sculptura vt sulptura, physicè concurrit ad vim aliquam imprimendam gemmæ, sed moraliter tantùm, scilicet auferendo extremam superficiem ab ambiente vitiatam, & actiui spiritûs liberum effluuium prohibentem.

Multò verò minus censendum est characteris picturam in charta exaratam quidpiam physicum in se continere, quod notabilis alicuius effectûs sit principium: cum neque encaustum, neque figura ex encausto effecta, neque ipsa actualis figuræ impressio; aliquid actiuum chartæ imprimant, vel aliquid in se actiuum contineant.

Etenim vel oporteret omnes characteres & quascumque imagines esse physicè actiuas, quod falsissimum est: vel si id aliquibus tantùm conuenire dicatur, necessum est id vel ex particulari talium characterum natura pendere, vel à Dei instituto rerum omnium & earum efficientiæ authore, vel tandem peculiarem aliquem syderum influxum illis eam vim impertiri.

Quorum cùm nullum sit admittendum, nec characteres nec imagines efficacem vllam vim habere euidentissimum esse sequetur.

Nam quod ad particularem characteris naturam spectat, certum est illam naturam habere sibi annexam physicam vim, cùm characteris tota ratio in solo talis figuræ artificialiter efformatæ modo consistat: figura autem ex D. Thoma [g] non arte solùm sed à natura etiam rebus impressa sit omni physica actiuitate destituta Quare & omni characteri eamdem denegatam esse constabit.

Quòd si aliquod Dei institutum proponatur (vt placet iniquo illi Paracelso toto lib. de origine morborum inuisibilium) id vel ex scriptura, vel ex certa aliqua reuelatione nullo suspecta titulo vel ex Catholicæ Ecclesiæ approbatione confirmandum foret: quod plane ἀδύνατον est.

Sed neque ex syderum influxu aut characteres, aut alia quæcumque artificialia, eam mutuari vim possunt: quidquid dicat Ferrariensis in cap. 104. lib. 3. contra gentiles, minùs ad mentem D. Thomæ in fine eiusdem capitis expressæ, & contra ea quæ clarè ab hoc ipso [h] efferuntur.

Nam si particularis ille influxus, metallicæ sigillorum substantiæ vel encausto ex quo characteres pinguntur curatricem v.g. talis morbi facultatem imprimeret, oporteret omni simili metallo aut atramento in eadem domo talis influxûs actiuitati submissa conclusò parem vim imprimi, quod falsissimum est. Vel (vt inquit Ferrariensis) oporteret cœlum tali particulari metallo per id tempus fuso & cuso vel sculpto, per quod durat peculiaris illa ad talem effectum producendum efficax constellatio, talem facultatem ideò insinuare, quòd per huiusmodi alterationem & artificialem mutationem id disponatur ad effectum influxûs excipiendum, quem simile metallum nullam nouam alterationem passum admittere nequeat.

Quod Ferrariensis inuentum etsi characteribus non faueat est tamen etiam in imaginibus & sigillis falsum.

b Tom. 10. p. 167. edit. Palthenianæ.

c Lib. 3. contra gent. cap. 105.

d Lib. 10. phy tex. 46.

e Lib. 4. de cælo tex. 45.

f Lib. 3. de lapid. cap. 4.

g In lib. 3. sententiarum dist. 13. q. 2. art. 1. ad 2.

h Lib. 4. contra gent. cap. 105. & 22. q 96. art. 2. in corp.

Primum enim nunquam casu probatum est metalla sub hac aut illa constellatione fusa & cusa tales acquirere facultates; quod tamen accidere oporteret, si exinde aurum, argentum, æs, & similia ad tales syderum influxus excipiendos disponerentur: cùm tamen non solùm in monetariis ædibus, in quibus cuditur signaturque pecunia, sed etiam vbi metallorum venæ excoquuntur, depurantur, & in panes & laminas dispensantur, tot metalla quotidie similes alterationes subeant.

Præterea dum huiusmodi metalla à vehementi ignis ardore figuantur, inepta videntur ad excipiendos eos saltem syderum influxus, qui qualitates influunt, aut dissimiles, aut etiam aduersas igni: quas tamen admittant oportet sigilla plurima quæ concepisse dicuntur facultates curatrices eorum morborum qui vel ab intemperie calida aut sicca nascuntur, vel easdem sibi adiungunt socias.

Talis ea facultas est, consumptionis vt loquitur maleferiatus ille Paracelsus, seu taliis cerebri curatrix in sigillo lib. 1. Archidoxis Magicæ [i] descripto. Necnon quæ reuum calculo & arenulis aduersari fertur alteri ascripta sigillo. [k] Aut quæ ad sistendos menses efficax inesse scribitur sigillo ab eodem exarato; facultas item ad ambusta qualem habere sigillum leonis à se delineatum [l] profitetur.

Tertiò si quispiam inculpatæ fidei testaretur non semel & casu sed sæpius & ex vi remedij, aurum argentum aliúdve metallum sub determinata constellatione eliquatum, & quomodocumque cusum citra omnem vanam obseruationem & imaginum aut characterum impressionem, admirabiles effectus, quos sigillis tribuunt, produxisse: facultatem talium operatricem à syderum influxu impressam esse, si non affirmare, saltem suspicari liceret. Sed nullus legitur qui testetur metalli vllius massam nullo charactere notatam, tales effectus edere. Quare neque à syderum vi huiusmodi energiam emanare existimandum est.

Quod si instet aliquis, non singulari cuiquam metallo fuso tales influxus imprimi; sed ex plurium simul sub talis cœli configurationis concursu fusorum temperamento speciales illas facultates emergere. Admittas saltem oportet sigilla ex singulari metallo fuso effìcta, qualia sunt sigilla signorum zodiaci apud Arnaldum Villonouanum [m] & varia apud Paracelsum in Archidoxis magicis, necnon sigilla ex singulari metallo etiam citra fusionem elaborata, quale est illud aduersus tenum affectus à Tralliano [n] descriptum, nec non imagines singularibus gemmis sola sculptura impressas, quales plurimæ habentur apud Camillum Leonardum: [o] vel vana esse, vel vim quam illis tribuunt Magi, à characterum potiùs impressione quam à syderum influxu accipere.

Quare cùm certum sit artificialem illam sigillorum, annulorum, gamaheu, & statuarum sculpturã, necnon imaginum & characterum picturam, neque ex se [vt probatum est] neque ex parte sculptoris (qui quod in se non habet non potest alteri communicare) posse tam efficacem facultatem sigillo aut sehedro imprimere: sequetur necessariò sigilla, annulos, & phylacteria magica non aliunde, vt docet D. Thomas [p] quam ex virtute agentis extrinseci operari.

Quod cùm nec Deus sit, nec angelus, eodem D. Aquinate [q] authore: illud autem intellectuale esse oporteat, vt ad signi præsentiam moueatur, quemadmodum accepimus ab eo ipso D. Thoma [r]: apparet, hæc non aliunde vim suam accipere quàm à Dæmone [vt habetur citato can. nec mirum, [s]] qui ab his tanquam signis ad ea exequenda excitetur, quibus (vt habet Iclianus Assirius, [t]) volens se ex pacto cum mago inito obligauit. Eiusdem autem ordinis (assentiente D. Thoma [u]) esse censemus, res naturales & sacras vanis obseruationibus alligatas: quòd dæmon vtrisque ad decipiendos incautos ac credulos, tum rerum naturalium scrutatores, tum etiam pietatis cultores, vti consueuerit. Qui authore etiam Porphyrio, [x] lapidibus & herbis adhibitis alligat quosdam, aperit clausa ostia, vel aliquid eiusmodi mirabiliter operatur.

Quòd si quæratur, quomodo morbos curare dæmon valeat, Medicorum auxiliis minimè cedentes totque alia admiranda præstare.

Sciendum naturalem vim dæmonis [quam sub multis metaphoris expressam apud Iobium [y] legimus] tantam esse; vt non impeditus vel à D. O.M. vel ab angelo saltem superioris ordinis, ea omnia exequatur, quæ vel actiua passiuis quæcumque imaginabili industriâ & quàm maxima celeritate admouendo fieri possunt; vel per motum, aut motûs interceptionem, addendo, detrahendo, vniendo diuidendo, eleuando, deprimendo, laxando, cogendo, in ordinem reuocando, influentes spiritus speciesve sensibilium impellendo, reprimendo, transferendo, aut aliter absolui queant. Quibus mediis, quàm stupendi effectus miraculi ideam referentes fieri possint; his qui in rerum naturalium meditatione aliquantulùm fuerint versati, abundè constare potest.

Verùm quantacumque sit dæmonis potentia, maximæ impietatis est, D. O.M. nostrum omnium Creatore, & misericordi suâ prouidentiâ conseruatore neglecto, ad infensissimum humani generis hostem conuerti: vt satius omninò sit ærumnas omnes pati vitæque ipsius iacturam facere, quàm dæmoni in spem euidentis etiam fructûs adhærere.

Nam vt D. Chrysostomus [z] inquit, etiam si verè sanarent, satius tamen esset emori, quàm ad

i Operum Paracelsi tom. II pag. 117
k Ibid p. 119.
l Lib. 2 eiusd. operis p. 131.

m Lib. de sigillis
n Lib 9. c 4.
o Cit. lib. 3. de lapid à c. 12. ad finem.

p Opusc. 34. de occultis operib. natura
q Cap. 106. lib. 3. contra Gentiles.
r Ad finem cap. 105 eiusd libri.
s 26 q. 5.
t Orat contra gentes citatam à Delrio lib. 2 disquis. cap. 4. sect 4.
u 2. 2. q. 96. art. 4. in corp.
x Epist. ad Anebuntem Ægyptum vt refert D. Au lib. 10. de ciuitate Dei cap. 11.
y Cap. 40.

z Contra Iudæos.

Christi hostes accurrere, atque ita sanari. Quid enim prodest curare corpus, anima pereunte.

a Genes. 3. versu 2. b Cap. 40. versu 27. c Lib. 4. Regum cap. d Ioannes c. 8. versu 44. e Sap. cap. 2. versu 44. f Epist. 1. Pet. c. 5. versu 8. g Epist. 1. ad Corint. 6. 10.

Quare verba Dei audientes,[a] ponam inimicitias inter semen tuum & semen eius, dæmonem infensissimum nobis inimicum credamus. Et vt monebatur Iob[b] meminerimus belli, scilicet cum dæmone iam initi & per integram vitam continuandi. Sciamus Deum esse in Israël, vt non eamus ad consulendum Beelzebuth[c] nec credamus illi,[d] qui cum homicida fuerit ab initio, & in veritate non steterit, quia non est veritas in eo, decipere nos cogitat; cuius inuidiâ[e] cum mors introierit in orbem terrarum; nec cesset circuire[f] quærens quem deuoret;[f] nos perdere studet. Dæmoniaca ergo omnia detestemur & leuissimam etiam suspicionem commercij cum tanto hoste abhorreamus Apostolo[g] ipso prohibente, nos fieri socios dæmoniorum.

Dico tertiò vana omnia & scurrilia amuleta ad iocum efficta, etsi nullius sint energiæ, plerumque tamen ex vi imaginationis profuisse feruntur. Quæ διάφορα esse censemus, nisi dicamus ea Christianos non decere, qui de quocumque etiam verbo otioso rationem sunt reddituri.

Hæc nullius esse efficientiæ ex eo patet, quod neque à natura, neque ex instituto amuletum præparantis, ea apta sint aliquid operari.

Seu enim ex ridiculo aliquo verbo, seu ex scommate in charta scripto, seu ex segmentis vnguium, pilis aut aliis quisquiliis quæ primo occurrerunt panno aut charta inuolutis constent: certum est illis nullam inesse naturalem vim morborum curatricem. Neque ex instituto præparantis, cùm is amuletum huiusmodi ad risum & iocum tantum concinnasse putatur.

Cum tamen aliquando talia profuisse doceat experientia: non aliunde prodiit effectus, quam ab his motibus qui in corpore excitantur ex vi imaginationis eius cui tale quidpiam fuit appensum.

Is enim vel conceptâ vt plurimùm spe, vel timore etiam aliquando, ab interna corporis alteratione quæ alterutrum pathema sequitur, redire ad sanitatem potuit.

Etenim ab spe dilatato corde, corporeque vniuerso, humores qui antea in parte aliqua incuneati detinebantur morbum fouentes, mox laxatis vasis cùm liberiùs ab influente calido peruadantur, vel putredinis vitium perdunt, vel à partium continentium excitato sensu ibidem diutiùs stagnare non feruntur.

A timore vero, cùm vasa & partes singulæ contrahantur, & à contractione singularum expultrix robustior reddatur; quod membrorum imbecillior antea vis à minera ad focum non integrè expellebat, fermentum recursûs febrilis relinquens, tunc fortior, in integrum se ab humore noxio extricando, à putredinis fomite se etiam perfectè liberat. Atque ita diuturnas febres curatas non raro probatum est experimento.

Tandem vt quæ naturalium amuletorum sunt iura & ad forum medicum magis pertinent explicemus.

Dico quartò gemmas plurimas reperiri, metalla, plantas, aut plantarum partes, animalia quædam, & animalium partes; quæ corpora quibus appenduntur, aut alligantur euidenter alterent: quorum licitus est vsus: non tamen quæcumque de naturalibus amuletis feruntur aut scribuntur, habenda sunt pro veris.

Conclusio hæc plures habet partes: quæ sigillatim confirmandæ sunt.

Prima pars plurima in rerum natura dari affirmat, quæ collo aut alteri corporis parti suspensa corpus nostrum alterare valeant.

h Lib. 7. obs. med. obseru. 120. & 125. i Lib. 9. de hist. plant. cap. 14. k Lib. 4. cap. 167. l Tract. 12. c. 4

Quod non efficaciùs potest quàm per inductionem confirmari. Probatum enim est sæpe, cantharides non solùm genu & pedi admotas, sed etiam in pera gestatas mictum sanguinis prouocasse: vt variis exemplis comprobat Schenckius.[h]

Apud Theophrastum[i] Thelyphonum quadrupedes quascũque eadem die enecat, si genitalibus folium vel radicula imponatur. Thymelea boum vlcere verminoso laborantium collo suspensa vermes enecat, eadémque ex Dioscoride[k] ventri mulieris imposita partum extinguit.

Sed vt quæ vtilia sunt potiùs quàm noxia proferamus, ex Darignana[l] nemoralis bufo per medium ventrem in longum sectus, & lumbis impositus ac alligatus, ascitem curat; aquam per vias vrinæ educendo.

m Lib. 6. sim.

Apud Galenum[m] pæonia radix collo suspensa morbum comitialem curat: quod & nos in lactante puella sumus experti. Vbi etiam refert idem Pergamenus, si lino marinæ purpuræ sanguine infecto, & quo vipera sit præfocata, collum patisthmiis laborantis obuinciatur, curari.

n Lib. 9. eiusdem operis.

Qui prætereaⁿ periculum se fecisse ait, Iaspidem virdem sine Nichepsi Regis sculptura, stomachum seu ventris os adiuuare. Quo loco prætterea memorat, lapidem Ophitem suspensum morsis à vipera prodesse. Nec non hieracitem & indicum, profluentem ex hæmorrhoidibus sanguinem sistere. Ad quod armillã ex corneolis brachio alligatã vt carnẽ attingat valere plurimũ, expertũ est.

vt

Vt ex Monarde [o] Iaspis Indicus ad omnem sanguinis fluxum reprimendum valet, si parti à qu fluit sanguis proximè alligetur.

Stercus album lupi apud eumdem Galenum, [p] ventri vt ilia attingat alligatum dolores colicos so lnit, Vt vmbilici Infantis frustum annulo sic inclusum, vt carnem attingat, ex Tralliani [q] authoritat & recentiorum experimento. Coruinus item lapis in corui piscis capite iuuentus, si palpitante pisce mense maio, & crescente luna extractus brachio sinistro alligetur, ex Camillo Leonardo [r] eidem ex perientia fauente, colicos cruciatus demulcet.

Nephriticus lapis [u] cuidam Smaragdi æmulus & ex albo virescens, ad curandos & præcauendo dolores hepatis, ardorem renum mitigandum, arenulas & calculum expellendum mirum in mo dum prodest.

Refert Idem Monardes [x] ex noua Hispania lapidem quemdam aduehi nigrum, lenem, grauem, & figuræ oualis, qui sub vmbilico alligatus suffocationes ab vtero reprimat. Quod etiam præstare solet Aetites qui ex Dioscoride [y] brachio sinistro alligatus, vel vt probauimus ad vmbilicum suspensu abortum præcauet; contrà coxæ alligatus, partum accelerat.

Apud Scribonium Largum [z] hyænæ corij particula primò inclusa & brachio sinistro suspensa, hydrophobiæ amuletum est.

Et apud Trallianum [a] aranea ad quotidianam brachio sinistro alligatur. Vt ex Dioscoride [b] vermis in dypsaci capitulis inuentus collo suspenditur ad quartanas. Et à nonnullis folia sambuci, sed ad imitationem digitorum manus propiùs efficta, & tusa, carpis ad tertianæ curationem admouentur. Quod remedium habuit in nonnullis effectum sæpius nullum: & illa particularis foliorum formæ obseruatio, vanitatis & superstitionis suspecta est.

Tandem ex Plinio [c] succinum non solùm infantibus pro amuleto collo alligatur: sed ex Callistrato vrinæ etiam difficultatibus potum alligatumque prodest.

Neque interim prætereundum est, ad pestis præcautionem, placentam sesquuncialem ex vtroque arsenico, & gummi tragacanti mucagine efformatam: aut bufonem siccum crassiusculè puluerat um, tenui serico panno cum tantillo gossipij inuolutum: nec non hydrargyrum cannâ conclusum si collo suspendantur vt cordis regionem attingant, plurimùm valere, multorum recentiorum experimento confirmatum.

Atque hoc vltimum magnam habere vim ad colici doloris curationem & præcautionem expertum habeo. Verùm ad quid tam multa conferimus. Plura legantur apud Trallianum [d] Dioscoridem [e] Plinium [f] Marcellum Empiricum [g] Arnaldum de Villanoua [h] Fernelium [i] atque alios recentiores varios.

Secunda vltimæ nostræ conclusionis pars, naturalibus his remediis vti citra tamen omnem vanam obseruantiam licere asserebat.

Quod probatur primò ex can. vlt. 26: q. vlt. vbi dæmonium sustinenti licet petras vel herbas habere sine incantatione tamen.

Non quòd ab his dæmonis speretur directa expulsio: sed quòd per hæc, affectus orti ab humorum motu à dæmone intra corpus concitato, aliquando conquiescant.

Secundò confirmatur, quòd cùm can. nec mirum. §. ad hæc 26. q. 5. ligaturæ execrabilium remediorum quæ ars medicorum condemnat, reprobentur; eorum vsus permitti colligatur, quæ ars medicorum admittit.

Galenus autem [k] cui cæteri melioris notæ medici assentiuntur, substantia est (inquit) quæ suspenditur non voces barbaræ. vt quidam facere præstigiatorum assolent; quando & aliâs expertus sum substantias quæ in aliis affectibus similiter operarentur.

Quod si can. admoueant eadem 26. q. 7. dicatur ex D. Augustino herbarum ligaturas laqueos esse, & insidias antiqui hostis: intelligendus est Beatus August. de his quæ superstitionem aliquam adiunctam habent, quam à dæmone suggestam existimandum est, vt in se remedij gloriam expressè aut tacitè conuertat, quam D. O. M. bonorum omnium soli authori debemus.

Probatur demum secunda hæc conclusionis pars, quòd his ad curationem præcautionémque morborum vti liceat quæ ex vi sibi innata & à Deo illis concessa, huic aut illi morbo mederi sunt nata: sed quæ in naturalium amuletorum censu reponimus ex vi à natura sibi indita: huic aut illi morbo mederi sunt nata. Ergo & illis ad morborum medelam vti licebit.

Ea vero talem habere à natura vim id docet quod nullo alio addito quod vel ex se vel vt signum operetur, tales effectus ab huiusmodi appensis aut alligatis sequi experientia probetur:

Quare cùm pro ratione his vti periammatis liceat, nihil nos morabitur Caracallæ apud Spartianum interdictum, quo eos condemnare statuit qui contra tertianas & quartanas febres periapta gestarent: eò enim forsan impulsus, quòd tertianâ laborans admotis periammatis non fuerit curatus, atque huic

inde remediorum generi infensus, omnem eius vsum proscribere destinauit.

Ita Carolus nonus Rex Christianissimus apud Paræum,[l] cùm probasset lapidem bezoarticum sibi oblatum vt certum aduersus venena antidotum; nihil profuisse furi cuidam domestico, morti destinato, cui (se permittente) fuerat à pharmacopola exhibitum hydrargyrum & sublimatum, in ignem mitti iussit, licèt non careat is lapis magna vi, ad malignitatem intra nos à putredinis excellentia conceptam emendandam, ad crassos humores attenuandos, spiritus à crassarum exhalationum impuritate liberandos, & excretionem per ambitum corporis tam insensibilem quàm sensibilem procurandam.

l Lib. 20. c. 36

Demum quod in tertia conclusionis parte dicitur, non omnia quæ naturalibus amuletis tribuuntur habenda esse pro veris: non minoris est veritatis quàm cætera.

Ea enim intoleranda mendaciorum impunitas, vt cuique quæ libuerit fingere concedatur: vti plurimorum tanta est credulitas, vt quod à quocumque scriptum legerint, indubitatæ veritatis sibi esse persuadeant.

Neque tamen omnia improbanda, vt nullius efficaciæ: quò inclinare videtur Sanctorius[m] minus sibi persuadens, quæ exterius admouentur nihil apparenter in cutem agentia, posse in imo corporis quidquam operari.

m Lib. 3 methodi vitandorum errorũ cap. 11.

Quare vt quæ verè periaptis inesse possunt, ab illis quæ falsò eisdem tribuuntur distinguamus: scire primùm oportet, nullum inueniri amuletum quod per se ex naturali vi aduersus dæmones quidquam possit. Cùm enim dæmones substantiæ sint spirituales ex D. Thoma,[n] neque ex eodem[o] vllo modo subdantur actioni cœlestium corporum; moltò minùs subdentur actiuitati aliorum corporum imbecilliorum in agendo: nisi ex diuina constitutione, aut ecclesiastica benedictione, ad altioris efficientiæ gradum eleuentur.

n Prima p. q. 51. art. 1.
o Ibid q. 115. art. 5. in corp.

Quod cùm suboleret Theophrastus Eresius, absorda illa putentur [ait] quæ alligata, veneficio aduersantia vocitantur, & tum corporibus tum domibus vnicè opitulari creduntur.

Præterea nihil sperandum est à naturalibus amuletis, quod à corporum alteratione sit independẽs, vt gratiam principum conciliare, diuitem aut doctum facere, atque his similia.

Tandem quod probabiliter ab aliquo agente naturali fieri posse censemus non ante nos id cuiusquam amuleti operâ consequi posse credendum est quàm quod à probatæ fidei authoribus accepimus, experimento commisserimus.

Experimentum autem non semel aut bis fieri sufficiet, vt ineuitabilem speremus effectum: sed Galeni[p] dicto standum est, qui si ex medicina aliqua [inquit] videris purgatos sex vel septem homines, dicere certè non poteris quòd omnes posthac homines ex necessitate purgabuntur. Tum alibi.[q] Quare si quis post me æquè studiosus & veritatis vehemens amator extiterit, ne temerè nec subitò vbi bis terue vsus expertúsque sit, ferat sententiam.

p Ad finem com. in aphor. 11. sect. 3.
q Lib. 7. de compos. medic. per genera cap. 4.

Contingit enim vt in indiuiduali vel symptomatum affectum concomitantium syndrome, vel ægrotantis temperie, vel ambientis constitutione, aliquid insit quod sæpius probatum experimentum frustretur.

Atque ideò si contrà aliquando quod alij sunt experti, nobis primò experimẽtum facientibus iuxta spem non cesserit, ex eo quòd vel minorem dosim remedij vsurpauerimus, vel eo intempestiuè vsi simus: minimè desperandum est posse nos aliàs speratum effectum consequi.

Sed demùm antequam finiamus, ad complementum huius tractationis duo sunt explicanda: quorum primum est vnde nobis amuletorum naturalium vis innotuerit; alterum verò qua ratione eadem operentur.

Ac quidem quod ad primum spectat, certum est talium remediorum vires rationis indagine non potuisse detegi: sed vel casu, vel per reuelationem innotuisse.

Casu multas medicamentorum facultates fuisse detectas, prætetquam frequenti probatur experimento: id præterea docuit Galenus[r] cùm multa ex casu obseruata memorat. Nec non cùm[s] casum genus experimenti esse ait, &[t] quando facultates à proprietate substantiæ manantes, solâ experientiâ cognosci docet.

Ab angelis verò tum bonis tùm malis plurima didicisse colligimus, partim ex Tobia,[u] partim ex Plinio[x] qui numinum profectò muneris ait, talis inuentio omnis est. Quod peculiari exemplo confirmat,[y] referens cuiusdam militantis in prætorio matrem vidisse in quiete, vt radicem syluestris rosæ quam cynorrhodon vocant, mitteret folio bibendam: casoque accidisse, vt milite à morsu canis incipiente aquas expauescere, superueniente epistola orantis vt pareret religioni, seruatum est ex insperato; ac postea quemque auxilium simile tentasse.

r Lib. qui medicus seu introductio inscribitur c. 1.
s Lib. de sect. cap. 2.
t Lib. 9. de facult. simpl. c. de lapidibus
u Cap. 6.
x Lib. 27. c. 5
y Lib. 25. c. 2

Neque enim ab vsu remediorum naturalium quæ forsan primò dæmon vt quempiam ad se alliciat docuit, abstinendum est: modò ea fiot merè naturalia, neque illis superstitiosum aliquid sit adiũctum,

&

& faltem in actu exercito firmiter propofuerimus, nolle nos vllius remedij gratiā dæmoni debere.

Tandem quod ad poftremum huius conclufionis pertinet, quomodo exteriùs admota corporíque appenfa vifcera intimaque membrorum alterent. Sciendum eft, mixta omnia quæ ex multiplici elementorum coitione conftant,heterogenea omnia effe,eámque habere partium fubftantiæ varietatem,vt cum terreftri portione à qua foliditas corporum prodit, & humidâ aqueâ vel pingui totam mixti compagem vniente:alia fit fpirituofa & tenuis,quæ plùs aut minùs,nec non in longius aut breuius tempus ex fingulis mixtis exhalat,pro maiore fui & copia & tenuitate; maiore aut minore totius mixti raritate aut denfitate,& perfectiore aut imperfectiore cohæfione partium heterogenearum eiufdem. Quæ prætetea maioris minorifve eft actiuitatis, tum pro varia actiuarum qualitatum fibi infitarum combinatione & iotenfione,tum pro fubftantiæ exhalantis modo multifariam euariante, tum pro maiore aut minore cum his aut illis membris fympathia & antipathia mixtim ab vtroque aut ex alterutro prædictorum fonte nafcente.

Ex ἀπορῥοίᾳ ergo & affluxu fpirituofæ huiufmodi mixtorum fubftantiæ,appenforum omnis actiuitas prodit.Cuius licèt tam effluuij quàm propagationis modum,nec fpecialis actiuitatis certum & immediarum principium defioire valeamus:eius tamen effectus aduertimus.

Effluxus huiufmodi periaptorum Galeno probatos conftat [a] rationabile itaque erit (Inquit) aut partes quafpiam à radice defluentes,ac deinde per infpirationem attractas, affectos iftos locos curare:aut aërem à radice affiduè mutari & alterari. [a] Lib 6.fimplicium ca de pæonia.

Sed quis euidenter hanc ἀπορῥοίαν non aduertit in odoratis omnibus,à quibus quod exhalat tenue cæteros feofus præter olfactum fugiens,vnicum odoratum ferit.

Ita omnia penè exteriùs admota,per propriæ fubftantiæ quoddam effluuium fe in intima corporis infinuantia,corpus noftrum alterant. Atque ita vt emplaftris etiam & linimentis variis abdomini admotis aluum ad excretionem citemus,imò & purgationem etiam promoueamus.

At quid pluribus opus eft ad huius effluuij confirmationem, nonne plurimorum medicamentorum vis,cephalicorúmqne præfertim,cordialium & diaphoreticorum quæ per os affumuntur, vis à congenere effluuio prodit.

Ea tamen eft affumptorum & fufpenforum diuerfitas:quòd affumpta à calore noftro attenuata, eorúmque heterogeneitate folutâ operentur;fufpenfa verò fponte ex fe effundant quod per cutis poros in corporis varias partes citra refiftentiam infinuatum, admirandos illos ibi producat effectus,vbi vel fibi repugnantes inuenit qualitates,aut fubftantiæ modum fe remorantem; aut congenerem fubftantiam,cui confufum,eidem fua focietate potentiùs operati tribuat.

Ex quibus primò infertur naturalia amulera non effe perpetua,fed fenio eorum facultates imminui: alia tamen aliis in longius aut breuius tempus durare, prout eorumdem fubftantia carie aut alio quouis modo,celeriùs aut tardiùs corrumpitur.

Præterea hinc etiam conftat,plurimorum vires vel ex nimia attenuatione effluentis fubftantiæ, vel ex fuppreffione effluxûs,effœtas reddi.Ita magnes fi allio aut nicotianaperfricetur,vifcidâ illius bituminosâ exhalatione nimiùm attenuatâ,ferrum non trahit. Et contrà fi oleo aut pingui aliquo liquore illiniatur:fuppreffâ eâdem exhalatione,ob pororum extimæ fuperficiei infarctum,ceffat illud ipfum præftare.



INDEX
AMPLISSIMVS RERVM OMNIVM, QVÆ IN HAC PRIMA PARTE THEORICA CONTINENTVR.

EX SINGVLARI LIBRO PROLEGOMENΩN.


Ethodus doctinæ triplex. fol. 1.
Diuisio totius operis. fol. 2.
Medicina vnde dicta, Ibid.
Medicinæ antiquitas, Ibid.
Chiton Centaurus Chirurgiæ antiquus autor à quibus genitus. Eiusdemque coæui & sectatores celeberrimi. Ibid.
Apollo & Æsculapius, pro sole & aëre medicinæ dij habiti. ibid.
Medicatrina, & myropolium, quid. & quomodo distinguatur. ibid.
Medicorum principum tempora. Eorum conditio apud antiquos nunquam abiecta. ibid. ibid.
Medicina variè descripta. propriè definita. ibid.
Habitus scientifici & artificialis animaduersiones. ibid.
Medicina quomodo scientia, & qualis. fol. 4.
Medicina quomodo ars, & in quibus hæc coniecturalis. ibid.
Quomodo dicatur scientia practica vel speculatiua. f. 5.
Medicina sub diuerso respectu est practica & speculatiua.
Scientialis habitus medicinæ nos ad alia facilitat quam habitus artis. ibid.
Medicus Physicus, & clinicus, de quibus intelligatur ibid.
Medicina subalternatur physicæ. ibid.
Obiectum scisorificum quid, & quotuplex. fol. 6.
Medicinæ obiectum materiale & formale. ibid.
Aristotelis opinio reiecta, circa obiectum medicinæ. ibid.
Medicinæ obiectum totale seu adæquatum, quod ibid.
Medicinæ partes à Galeno. fol. 7. eiusdemque diuisio à recentibus autoribus. ibid.
Medicorum secta, quid, & quotuplex, necessaria sit. ibid
Empirica secta, quæ. Eidem familiaris experientia quid, & vnde. ibid.
Remediorum inuentio, quotuplex. ibid.
Dogmatica secta, quæ. Eiusdē doctrinæ generalia præcepta. ib
Illius, atque Empiricæ sectæ inuentores, sectatores, & instauratores. fol. 8.
Indicatio, quid à Galeno & aliis. Vnde sumpta. ibid.
Analogismus, quid. Eiusdem ab Empirico differentia. ibid.
Themison laodiceus, sectæ methodicæ spurius author. Eiusdem sectator & propagator Thessalus Trallianus. absurda artis medicæ breuis theoremata pollicitans. ibid.
Quorum inania præcepta, & vnde orta. fol. 8. & 9.
Agathinus lacedæmonius sectæ medicinæ Epicynthetcæ inuentor. fol. 9.
Paracelsus hæreticus, magicæ potiùs quàm medicæ sectæ excogitator. Nouorum medicinæ principiorū somniator ib.
Academiarum institutū optimū pro educatione iuuenum.. ib.
Chymia pharmaciæ ministra, veræque medicinæ famula. ib.
Paracelsia ignorantiæ & nequitiæ fautrix. ibid.
Medicis tyronibus, quæ dotes, citra doctrinam animi & corporis, necessariæ. fol 9. & 10.
Medicorum studiorum ordo. Quinam habitus scientifici illis conueniant. Quale eorumdem tyrocinium. fol. 10.
Medicinæ studium vniuersale, quot annorum spatio peragendum. Quid eadem, non lectione sola, sed frequentata inspectione doceat. ibid.
Medicum qualem esse oporteat. Cum vtilioribus eiusdem propensionibus animi. ibid.
Medicus, quibus potissimum doctrinæ partibus mentem illustret. ibid.
Medici apparatus. In primo ægrotantis aditu. ibid.
Eius ad morbosum, & adstantes locutionis materia. fol. 11.
Medici prudentia in prognosi facienda. Eiusdem in dubio periculosoque affectu maturum iudicium. ibid.
Medicorum concilium, qua methodo instituendum. In remedij tunc inueniendi exequutione quale examen. Quænam

fibi in colloquiis suis præcauenda occurant: fol. 12. Quid virtutis apud egenos, peregrinos & alios ægros exercere ex Hypocrate valeant.

Finis Prolegomενων.

Ex Libro primo

DE ELEMENTIS.

Medicinæ scientia, quomodo practica & speculatiua dicatur. Duos habitus inde qua ratione distinctos contineat. fol. 13.
Corporis humani consideratio, cuius ordinis in medica scientia. ibid.
Natura, quot modis sumpta. Quid apud metaphysicos & physicos intelligatur. fol. 14.
Natura à medicis communique voce accepta, quid, & quotuplex. ibid.
Natura vniuersalis quid. ibid. Eiusdemque denominationes plurimæ. ibid.
Natura particularis, quid, & quotuplex. Quomodo eadem dicatur forma, facultas, & propensio naturalis. fol. 15.
Temperamentum pro forma corporis sumptum à Galeno, natura pro temperamento accepta ab Hypocrate & Galeno. fol. 15. & 16. ab eodem, pro calido innato. Ab aliis pro genitalibus mulierum. fol. 16.
Naturæ appellationes variæ. Eius pro frequentiori significatu definitio. ibid.
Natura corporis humani quomodo definita. ibid.
Elementorum & principiorum acceptio communis, & confusio apud Aristotelem. Horumque definitio apud eundem. ibid.
Elementa variè definita ab Aristotele. Ipsorum differentia, quomodo definiat Galenus. ibid.
Elementi propria definitio, quænam, illius essentiam constituant, quomodo ab internis principiis naturalibus distinguantur. ibid.
Natura elementi dilucidè à Galeno exposita, quid in eodem (minimum) dicatur. Eiusdem clarissima ex Auicenna definitio. fol. 17.
Elemento solo corpus humanum non constare probat Hypocrates. ibid.
Paracelsi vana opinio, & robatio circa tria omnium corporum principia: qui merito, dari quatuor elementa declarans alibi, palynodiam canit. validisque argumentis aliunde expugnatur. ibid.
Elementa plura quatuor nobis occulta dari, probat Picus Mirandulæ Comes. fol. 18.
Elementariam terram, duplicem inueniri opinatur Icetes Pythagoreus. ibid.
Phænomena per vastum æthera vagari excogitauit Thicon Brahe. ibid.
Elementum ignem sub lunæ concauo, nullum præter nostrũ familiarem esse philosophatur Cardanus. ibid.
Elementa quatuor omnium veluti rerum primordia constitui probatur. ibid
Elementum ignis est sub concauo lunæ. noster ignis visibilis elementi ignei essentiam non participat. fol. 19.
Prometheus pro igne cælesti, mixtorum generationi concurrere fingitur. ibid.
Aristotelis textus interpretatio, quo ipse aërem pro igne vsurpare creditur. ibid.
Hypocratis loci difficilis explanatio, ad doctrinam quatuor elementorum, ignisque præsertim confirmandam. ibid.
Elementarius ignis familiari nostro analogum nomen scilicet πῦρ assumit. ibid.
Elementorum qualitates quatuor, cur primæ appellatæ. quomodo ipsarum aliæ actiuæ, & aliæ passiuæ dicantur. f. 20.
Caloris vnde humiditas, & siccitas frigoris. ibid.
Elementorum primę facultates actiuę omnes, & aliquando passiuę dicuntur. ibid.
Calor & frigus primarum qualitatum actiuę magis, & maxime calor. quare illas languidissimas hypocrates appeller. ibid.
Temperamenti particularis tota ratio per saporem exprimitur. ibid.
Elementorum primariæ qualitates, qua ratione in intenso, & in remisso gradu existant. ibid.
Elementa, quo contrarietatis ordine, vnam actiuam & alteram passiuam qualitatem sibi connotatam in compositione admittant. ibid.
Elementum quodlibet in mixto tres obtinet qualitates, quęnam sit tertia illa qualitas, & quomodo existat, circa eandem obiectiones, & solutio. fol. 21.
Elementa, nullas qualitates secundas pręter primas assignatas sibi vendicant. In hanc sententiam obiectiones, & solutio. ibid.
Elementum ignis, quid; obiectiones circa definitionem, & solutio. fol. 21. & 22.
Aëris qualitates diuersę à plurimis excogitatę contra communem Aristotelis sententiam, quod à quibusdam siccus credatur, & ab aliis temperatus. ibid.
Aëri quamplurima exposita, qua ratione exsiccata conspiciantur, exemplo lignorum montanorum, & carnium aëri nocturno expositarum. fol. 22.
Aëris temperati crediti, rationes quorundam. quorum inanibus propositionibus respondetur. fol. 22. & 23.
Aër, omnium elementorum humidissimum, eiusque definitio. ibid.
Aër, ex contactu aquę redditur frigidus non humidus ex Aristotele. cuius obscuri textus fit explanatio. ibid
Humidi, & madidi distinctio. ibid.
Aër nimine calidus esse, probatur contra Aristotelem, experientia solis, & quarumdam mundi partium varie distemperatarum. ibid.
Astas sub æquatore cur breuior, vt in ardente fyrio longior. ibid.
Aër frigidus esse à natura ostenditur, & propria illius regio assignatur. ibid.
Aër in media regione frigidus, non per antiperistasim. ibid.
Aëri summe humido remissum frigus melius copulatur quam calor Eiusque frigoris summa vtilitas. ibid.
Aëreæ substantiæ spiritus in viuente calidissimi, & plurima eiusdẽ substantiæ medicamenta calida, cur dicantur. f. 24.
Aëre aperto, cur frigus acrius quam nubilo. ibid.
Aurora cur frigidior vespera. ibid.
Aqua frigida est in summo, quomodo definiatur, in eandem factæ obiectiones, soluuntur. ibid.
Aqua humida in summo, qua ratione dicatur à Galeno. ibid.
Aquæ frigiditas vnde maior quam antea, si ipsi acetum permisceatur. ibid.
Aquæ concretio in gelu, vnde. ibid.
Terra elementum maximè impurum, siccum in summo & frigidum in remisso quomodo definiatur. ibid.
Terra frigida in summo à quibusdam probatur. quorum obiectiones facilé soluuntur. fol. 25.
Raritas & densitas non sunt de essentia elementorum terra in mineris profundioribus semper calida. ibid.

Elementorum qualitates denominationis eiusdem, tam sibi inhærentes quàm mixtis communicatæ sunt eiusdem speciei. ibid.
Elementa symbola facilliùs quàm à symbola conuertuntur inter se. ibid.
Elementorum facultates prænominatæ, in homine, & bellus sunt eiusdem speciei. ibid.
Elementorum qualitates nominis eiusdem, pro diuersitate subiecti, distingui specie probant nonnulli. ibid.
Elementarias prædictas facultates, specie differre non ratione mixti, sed tantùm corporis simplicis, quorum argumenta ad hanc opinionem & ante dictam superandam, contrariis rationibus soluuntur. fol. 26
Qualitatis intensio, quid dicatur. ibid.
Elementariæ qualitates non à formis elementorum emanant, sed illas veluti necessariæ dispositiones in materia præcedunt. ibid.
Elementorum primæ qualitates, nullomodo sunt formæ ipsorum substantiales, contra nonnullos. ibid.
Elementis qualitates aliæ inexistentes, nullam entitatem substantialem in illis obtinent, aduersus aliquos. fol. 27.
Elementorum formas distingui essentialiter à suis qualitatibus, probatur ex Hyppocrate & Galeno, in aduersarios, contrarium de eorumdem opinionibus sibi conformibus arbitrantes. ibid.
Elementa, cur dicantur prima principia materialia mixtorum. ibid.
Mixtionis species tres à Chrisippo enumerantur ibid.
Mixtio perfecta claré definitur apud Aristotelem, & obscure apud Scaligerum. ibid.
Mixtionem veram, non ex vno sed ex pluribus elementis constare oportet, contra Conimbricenses. ibid.
Mistioni substantiali, omnia simul elementa occurrere non semper necessarium, vt ignis. ibid.
Miscibilia, cur facilè diuisibilia & mutuo fiut passibilia ad complendam vnionem. ibid.
Misceri quæcumque apta sunt, eandem materiam primam debent habere. fol. 28.
Compositioni medicamentorum, cur aliqua facilè misceantur, alia verò nunquam. Ibid.
Mixtionis modus qualis sit, miscibilium vnio quid dicatur. ibidem.
Mixtorum heterogeneitas, vnde. Illius concursus triplex, qua ratione eorum interitus fiat. ibid.
Mixtum, obtinere tantum refractas qualitates elementorum, probatur, contra Stoicos. fol. 29.
Mixto, nullæ substantiales formæ elementorum inhærent actu contra Auicennam & Fernelium. ibid.
Mistio, & generatio in quo conueniant, & distinguantur. ib.
Reactio in vniuersum, quid. & quotuplex. fol. 29. & 30.
Reactionis priuatiuæ dictæ definitio. fol 30.
Reactionis priuatiuæ probatio. quid reactio positiua; eamque non dari obijciunt nonnulli. ibid.
Resistentiæ vis maior & minor, à diuersis substantiæ modis adiuuatur; exemplo sensibili concretorum, & tenuium discrepantium inter se. ibid.
Reactionem positiuam dari, & frequenter inueniri probatur. ibid.
Reactionis positiuæ existentiam. Argumenta dubie afferentia quæ exponantur, quænam ex parte reijciantur. fol. 31.
Resistentia; actiuitas, intensio, ac remissio formaliter inter se distinguuntur definitione propria. Ibid.
Reactionis necessitas, vnde. ibid.
Reactionem positiuam negantium opiniones soluuntur. f. 32.
Antiperistasis ex communi erroneaque sententia, quid dicatur. fol. 32. & 33.
Nonnulli effectus ipsam veluti causam quodammodo indicantes. fol. 33.
Contraria positiuè, non producuntur à contrario, sicut qualitas seipsam intendere non valet. ibid.
Intensio qualitatis quomodo fiat. cur lumen reflexum intendatur. ibid.
Antiperistasis nullas species imaginarias actiuas denominatas consequitur, propter vsum non necessarium. ibid.
Aëris media regio, cur frigidior æstate quàm hyeme contra bonam opinionem circumobsistentiæ. ibid.
Antiperistasis vera, duplex Cuius experientiæ enumeratæ explicantur; videlicet cur flamma hyeme densior; thermales aquæ intensiùs feruent. fol. 34.
Exhalationes calidæ intra nubes accendantur. Cur animantium corpora hyeme, & ad septentrionē robustiora; phiala aqua plena soli exposita frigidior quàm antea; & aurora frigidior nocte existat. Ad quā accedit aliqualiter intensio caloris febricitantis, aut suspensi vindicati à morte. ibid.
Aqua igni aspersa, cur illum reddat acriorem. Contra rationem veræ antiperistaseos. ibid.

EX LIBRO SECVNDO.

De Temperamentis.

Temperamenti doctrina, cur sequatur tractatum de elementis. Eius denominationes variæ. fol. 35.
Crasis quid propriè significet. ibid.
Temperamenti essentia à pluribus perperam excogitata, quorum alij formam esse substantialem mixtorum aut partium similiarium dixerunt: quibus contrarium est ostensum, & ijs quadantenus adhærens Galenus ab iniuria vindicator f. 36
Nonnulli quandam dispositionem accidentalem seu qualitatem simplicem, aut singularem & compositam simul, variè prodoctam existimauere, quibus etiam assertio negatiua fit. Cæteri harmoniam, & concentum esse principium qualitatum scripserunt: quorum rationes non valere declaratur. ibid.
Temperamenti propria definitio: quid in hac Galenus cum suis sectatoribus familiare cunctis substantiæ modis comprehendat. ibid.
Temperamento non conueniens relatio. ibid.
Temperamentum aqueum, terreum & simile, in medicamentis. Eiusdem pro consimilibus strictius significatum, quid connotetur. ibid.
Temperamentum nullibi apte definitur apud Galenum, quare. De quo nonnulla essentialia apud eundem passim inueniri probatur. Eiusdemque attributa quædam declarantur. ibid.
Temperamentum, tota substantia dictum ab eodem, quid. ib.
Substantiæ modus, quid; & qualis dicatur. Cum differentiis quibusdam. Aliquot eiusdem attributa. ibid.
Temperamentorum vniuersalis diuisio, vnde. Eiusdem prima differentia qualis sit. ibid.
Elementariarum qualitatum in mixtis refractarum habitus bifariam consideratus. ibid.
Temperamentum absolutum, quid & quotuplex. ibid.
Temperamentum respectiuum, quid dicatur. ibid.
Temperamentum homogeneodes, quid, & quotuplex, sicut heterogeneodes, quomodo definitum.
Temperamentum æquale homogeneodes duplex. Eiusque definitio. ibid.
Temperamentum ad pondus, quid: & quotuplex Sicut ad iustitiam temperatum, quomodo definitum fol. 38.

Index.

Temperamenti inæqualis homogeneodis diuiſio, in ſimplex & compnſitum, quorum differentiæ, & definitiones traduntur. ibid.
Temperamenti beterogeneodis productio. Eiuſdemqne duplex conſideratio. ibid.
Temperamenti heterogenei iuxta binam animaduetſionem diuiſio, in æquale, & inæquale, cum diagnoſi ipſorum. ibid.
Temperamentum æquale heterogeoenm duplex, ſecundom apparentem æqualem commenſurationem qnalitatum, & ſecundum voiformiratem effectus: quorum defioitiones aſſignaorur. ibid.
Temperamentum inæquale heterogeneum duplex, inxta inæqualitatem graduationis qualitatum, & ioxta difformitatem effectoa: quorum definitio. ibid.
Rhabarbati facultas in purgando, & aſtringendo diuerſa, vnde. ibid.
Opii vis diſſimilis in prutitu excitando; & ſopore conſiliando. ibid.
Temperamenti reſpectiui denomioatio, vnde eius differentiæ. fol. 39.
Temperamentum ad pondus duplex, cum modis quinque conſtituentibus. ibid.
Temperamentum ad pondus abſolntè conſideratum, non ex pari elementorum libramento conſiſtit. ibid.
Temperamentum dari ad pondus abſolutum quadruplex probatur. fol, 40.
Temperamentũ dati ad pondus reſpectiuũ, demonſtratur. ib.
Temperatiſſima hominis pars quænam dicta. ibid.
Eius temperaturæ ſimilis in toto corpore impoſſibilis exiſtentia. fol. 41.
Temperatiſſimnm cunctorum animalinm, humanum corpns iudicatur. ibid.
Temperatiſſimi cognitio cæterorum norma, qualis hominis ſit habenda. ibid.
Signa temperatiſſimi hominis ex Galeno, qnalia. ibid.
Temperamenti neceſſaria diagnoſis, quænam priùs memoranda inſtruit, fol. 42.
Signa temperamenti calidioris corporis totius homiois. ibid.
Signa temperamenti frigidioris; cæterorumque ſimplicium vt humidioris, & ſiccioris totius. ibid.
Sigoa, temperamenti calidioris & humidioris, atque aliorum compoſitorum, putà calidioris & ſiccioris: frigidioris atque humidioris, frigidioris ſiccioriſqne totius. ibid.
Venarum latitudinis, & anguſtiæ cauſa. ibid.
Habitus craſſi & gracilis, ratio. ibid.
Capillorum copia, paucitas, & criſpitudo; vnde. fol. 43.
Signa differentiarum vtrioſqnè ſexus. ibid.
Hermaphroditi & Arſenothelies, ſexus vtriuſque naturam eſſentialem participant. ibid.
Temperamentum vtriuſque ſexus, quale; & quod perfectiſſimnm. ibid.
Temperameotum hominis reſpectu mulieris, calidum & ſiccum eſſe probatur. ibid.
Temperameotum mulieris priori contratium, ſcilicet frigidum & humidnm eſſe concluditur. ibid.
Fœmina imperfectior viro, cur dicatur à Galeno. ibid.
Mollities maior carnium fœminæ qnàm maris, non in hominibus tantùm, ſed in cæteris animantium ſpeciebus, adnotatur. ibid.
Formatricis facnltatis robuſtioris effectus. ibid.
Fœmina ſãguine copioſiori, & liquidiori ſemine magis aqueo, iiſque minùs coctis, viro; cur abundet. ibid.
Thoracem & hypochondria in viro, cur ampliora, quàm in fœmina. ibid.
Fœminæ quæ non morboſæ, minimnm ſangninis menſtrui euacuent. ibid.
Marem calidiorem eſſe fœmina, non probant rationes Galeni & Ariſtotelis. ibid.
Fœminam habere ſanguinem calidiorem viro ex Hippocrate quid reſpondendum. ibid.
Ætatnm partitio diuetſa. Vnde tres tantum gradus à quibuſdam conſtituuntur. Alij quatuor ætates enumerant, ex temperameoti varia conſtitotione, aut annorum mutabili ſtatu. Cæteri plures ordines faciunt, à quibus, & aliis nonnullæ ipſarum etymologiæ deſcribuntur. Eiuſdemque ætatis definitio propria inueoitur. ibid
Clima terræ chaldæorum, quid. ibid.
Ætatũ familiarior diuiſio & circũſcriptio ab auroribus. ibid.
Ætatum, temperatiſſima iuuentus dicta. ibid.
Temperamentum quod pueritiæ & iuuentutis, cum temporali cuiuſque termino. ibid.
Caloris in pueritia & iuuentute excedentis diſtinctio per intenſionem aut extenſionem qualitatis. Obiectiones quorumdam allatæ ſoluuntur. ibid.
Temperamentum ſenectutis ætatis, ibid. & decrepitæ; quomodo defioitũ. Cum deſcriptione tẽporum vtriuſque. f. 46.
Terræ vniuerſæ globns, in zooas & climata quomodo diuidatnr. ibid.
Zonæ terræ partes, qnid. Zonarum deſcriptio. ibid.
Zonarnm numerus, & denominationes. ibid.
Climatis definitio & circumſcriptio. Eiuſdemque partium enumerandarum opinio diuerſa. ibid.
Sol, qua ratione orbem ſuo motu ſpirali peragrans, diuerſas regiones peculiari temperie ootatas efficiat. ibid.
Clima primum recentiorum calidiſſimum & ſicciſſimũ, illius ſitus; quantitas cœleſtiſque globi aſpectus. Quot, & quales anni tempeſtates ſint. Eiuſdemqoe tẽperaturæ inæqualitas magna. Singularum regionum huic ſubditarũ deſcriptio; cum propriis cuiuſque temperaturis. Illarum præcipua, influxu cœlorũ terræque viribus parta bona connumerãtur. ib.
Malacæ regnum, qualem temperiem obſeruet. fol. 47.
Molucarum diuiſio. temperatura & frugum abundantia. ibid.
Sumatra, cuius temperaturæ, & de copia aromatum. ibid.
Zeylan inſulæ, qualis aërea conſtitutio. Eius fructus præcipui. Incolarum naturalis habitus. ibid.
Maldiuarum inſalobritas, ob aëris, inſectarum, & morborum endemiorum moleſtiam. ibid.
Æthiopiæ orientalis, & occideotalis temperatura. In cuius prioris montibus ædes ſacra viſionis. ibid.
Inſula ſancti Thomæ, quale temperamentum obſeruet. Eius ſitus; & aëris in diuerſis anni temporibus conſtitutio. ib.
Americæ Auſtralis ex primo climate conſtitutio aërea; ſitus; quantitas; & globi cœleſtis aſpectus. ibid.
Marium, climati primatio ſubditorum inſalubritas quænam, ex aëre, anni temporibus, & affectionibus morboſis. 50.
Climatis primarii æſtuoſiſſimi, cur aliquando calor mitiſſimus, ibid. In eodem pluuiæ copioſiores quàm in cæteris mundi Zonis. fol. 48.
Climatis ſecundi temperatura, priori ſimilis. ibid.
Climatum ſubſequentium tertij, & quarti recentiorum quænam aëreæ diſpoſitiones; ipſorum ſitus diuerſi, cum regionibus comprehenſis. ibid.
Africæ maior pars, cuinam climati ſubdita; eius aërea diſpoſitio; ſitus, & quantitas: cum regionibus contentis. ibid.
Clima quintum, cuius temperaturæ, & bonorum fauore donatum. Enumeratio vrbium celeberrimarum huic ſubditarum; nec non Heroum incolarum, qui floruerunt. ibidem.
Climata Borealis aſpectus, primique hemiſpherii reliqua videlicet à ſexto ad decimũ vſque numerata, quã tẽperaturã

obti-

obtineāt,ſicut eiuſdem ordinis, à decimo ad decimum nonum,quænam climatum conditio aërea ibid.
Chinæ regio, cuiuſnam climatis: quæ præcipua vrbs eiuſdem ibid.
Syriæ vrbes celeberrimæ: eius climatis conſtitutio ibid.
Floridæ ſitus in America;proprium clima; & vnde dicatur. ibidem.
Hyems,vbinam horrida; quæ oceanus in craſſiſſimum gelu concreſcit fol. 49.
Climata aſpectus Auſtralis,poſterioriſque hemiſpherij, quam præcipuam aëris temperaturam poſſideant: exemplo quarumdam prouinciarum ſibi ſubditarum ibid.
Magellani freti ora,quæ dicta,Patagonum: cuiuſnam climatis,ſitus,& temperatura ibid.
Chilè prouincia.vnde dicta. Eius conſtitutio aërea, ſitus, & proprium clima ibid.
Climatum diuerſe temperatorum cauſa triplex, cum exemplis ibid.
Loca temperamento calidiora atque humidiora, ſicut frigidiora & ſicciora, aliaque calidiora & ſicciora, ex quibus cauſis orta:cum exemplis ibid.
Hyemis ſæuitia, cur maior aut minor in climate feruente, quàm in alio ibid.
Anni veterum, & Neotericorum definitio fol. 50.
Illius incrementi & decrementi differentia. Cum eiuſdem maximæ aut minimæ durationis adnotatione ibid.
Anni naturalis diuiſio, pro vario ſolis progreſſu in dies & tempora ibid.
Diei ciuilis diſtributio in quadras,& minutiores alias portiones.Cum deſcriptione & denominatione ſingularum ibid.
Æquinoctium vernum,& Autumnale,quid. ibid
Anni temporum diuiſio ſecundum aſtrologos per æquinoctia & ſolſtitia. ibid.
Eorumdemque alia apud Medicos, pro ratione aëris diuerſimodè temperati,& vario ſolis motu ibid.
Veris definitio diuerſa ab Aſtronomis & Medicis. ibid.
Æſtas, varie ab Aſtronomis & Medicis deſcripta. ibid.
Autumni tempus, Aſtronomis & Medicis diſſimile, quid dicatur. Cum eiuſdem Græcorum nominum ſignificatione.
Hyemis natura diuerſimode apud Aſtronomos & Medicos conſiderata. ibid.
Solſtitium æſtiuum,& hybernum definitum. ibid.
Vergiliarum ortus,& occaſus definitio. ibid.
Pleiadum ortus,& occaſus,quid dicatur. ibid.
Arcturi ortus,& occaſus,quomodo definiatur. ibid.
Syrij ortus,& occaſus deſcriptio. ibid.
Anni temporum diuiſio à Grammaticis. ibid.
Hyems, trifariam diuiditur. Eiuſdem φυταλία quid dicatur. ibid.
Æſtatis diuiſio à Medicis in duas partes. Eiuſdem ὀπώρα quid dicatur. ibid.
Veris temperatura. ibid.
Effectus; eiuſdemque morbi familiares, vnde producantur. Quomodo exercitationi ſimile quid, ad corpus plethoricum,& cacochymum habeatur. fol 51.
Æſtatis productio,& temperatura; eiuſdemque caliditas cur maior in hoc hemiſpherio,quàm in meridionali Effectus in procreatione humorum, & morborum in corpore ſibi familiarium. ibid.
Autumni inæqualis,intemperies quænam; & vnde illius effectus in humorum,ibid. & morborum cauſa. fol. 52.
Hyemis,quale tēperamentū Eiuſdē effectus in corporibus. ib.
Temporum affectibus variis,quæ corpora magis obnoxia reddantur. ibid.
Temporum varietatibus nullatenus offenſa natura,ſed potius recreata. ibid.
Partium,humanum corpus integrantium diuiſio vniuerſalis; & definitio. Adnotatio eorum quæ viam facilitant cognitioni temperamentorum cuiuſlibet partis. ibid.
Partes ſpecificè diſtinctæ in corpore viuenti quæ dicantur ibidem.
Cutis pars corporis temperatiſſima, ad quam reliquæ comparatæ variam denominationem ſortiuntur. Illarum ſigna partis cuiuſlibet temperamentum indicantia, vnde petantur. fol. 53.
Frigidum actu in corpore viuente temperato, cur nunquam reperiatur. ibid.
Partium calidarum corporis viuentis diſtinctio, ſecundum magis & minùs; & vnde ducantur. ibid.
Cerebrum,cur particeps caloris copioſi. ibid.
Spirituum animalium influxus impeditus, qua ratione membra ad paralyſim,& atrophiam deducat. ibid.
Teſtium,caloris maioris cauſæ,& effectus. ibid.
Pinguedo,cur adipe calidior. ibid.
Concretionis vtriuſque in animali ratio. fol. 54.
Partium frigidarum corporis, (ſub ratione mixti) examen diuerſum. ibid.
Humor cryſtallinus pars viuens,quomodo dicatur. ibid.
Partium humidarum viuentis diuiſio, vnde orta. ibid.
Partium ſiccarum corporis humani diſtributio. fol. 55.
Partium principum,& principalium diſtinctio; cum enumeratione ſingularum. ibid.
Temperamentorum partis cuiuslibet inueniendorum ratio.
Signa temperamentorum partium, è tribus cauſis potiſſimum deſumpta, ibid.
Signorum indicantium temperiem partium ſingularum ordo. fol. 56.
Capitis perfectiſſime menſurati conformatio. ibid.
Thoracis optime temperati delineatio. ibid.
Abdominis temperatiſſimi deſcriptio. ibid.
Artuum ſuperiorum,& inferiorum temperatura digniſſima. ibidem.
Cerebri probe temperati notæ. ibid.
Pilorum generatio;& cauſa diuerſa. ibid.
Illorum differentia,ratione ætatum;& optima temperies. ib.
Cordis,& pulmonum bene temperatorum ſigna. ibid.
Iecoris,& ſibi famulantium partium vicinarum perfecta temperies. ibid.
Sanguinis puriſſimi ſigna,quo tempore appareant ibid.
Renum exactè temperatorum notæ. ibid.
Teſtium bonam temperiem,quænam indicent. ibid.
Vteri ſecundum optimam naturam conformati ſigna. ibid.
Signa temperamenti optimi corporis totius in mare & fœmina (e a colore. ibid.
Cerebrum magnitudine vitiata procreatum, quid indicet. ib.
Eiuſdem figuræ deprauatæ prognoſis. fol. 57. & 58.
Cerebri calidioris notæ,effectus;& morbi. fol. 58.
Caluitium,qualem in cerebro temperaturam demonſtret ib.
Capillorum nigredo aſcititia, cur non ſemper calidi cerebri iudicium. ibid.
Cerebri frigidioris ſigna, affectus præternaturam, & actiones. fol. 58. & 59.
Cerebrum ſiccius & humidius ſeparatim,quæ ſigna,morbi,& effectus conſequantur. fol. 59.
Cerebri calidi & ſicci indicia,affectus præternaturam,& operationes. ibid.
Cerebri calidi & humidi,frigidi & ſicci,necnon frigidi & humidi ſigna,morbi,& effectus. ibid.
Thoracis amplitudo,cur ſignum animi generoſi. ibid.
Cordis calidioris tantum notæ. ibid. Eius effectus. Et vnde eiuſdem temperies varios animi affectus indicet. fol. 60
Generoſitatis definitio. fol. 60.& 61

Iracundiæ,& iræ definitiones,cum vniuscuiusque differentiis definitis fol. 61.
Partium principalium temperaturæ dignoscendæ quod indicium adhibendum fol. 62.
Cordis frigidioris, humidioris, sicciorisque separatim signa, effectus,& morbi familiares ibid.
Cordis calidioris & sicctoris, sicut calidioris & humidioris signa,& effectus ibid.
Cordis frigidioris & sicctoris, frigidioris humidiorisque signa ibid.
Iecoris calidioris notæ,& effectus fol. 63. & 64.
Iecoris frigidioris signa,cum effectibus 64.
Iecoris humidioris signa,& effectus ibid.
Iecoris siccioris notæ cum effectibus ibid.
Iecoris calidioris & humidioris indicia,& effectus:sicuteiusdē aliorum temperamentorum compositorum fol. 64. & 65
Iecoris calidioris & siccioris,frigidioris & humidioris, frigidioris & siccioris notæ,cum effectibus 65.
Pulmonum calidorum signa,& effectus ibid.
Vocis plures differentiæ,& causæ ibid.
Pulmonum frigidorum,humidorum,siccorumque notæ cum operationibus fol. 66.
Pulmonum calidorum & humidorum signa,& effectus ib.
Pulmonum calidorum & siccorum,reliquorumque temperamentorum, vt frigidorum & humidorum, frigidorum & siccorum indicia;cum morbis familiaribus ibid.
Ventriculi calidioris signa;causæ,& effectus ibid.
Ventriculus calidior,vnde melius concoquat quā appetat ib.
Ventriculi appetitus quid dicatur, ibid. Eiusdem varietatis causæ in cibis eligendis fol. 67.
Ventriculi calidissimi signa;effectus;cum morbis ibid.
Ventriculi frigidi notæ, ibid. Sicut frigidissimi ; cum operationibus vtriusque fol. 67. & 68.
Ventriculi humidi indicia,effectus,cum morbis 68.
Ventriculi sicci signa,& operationes ibid.
Ventriculi calidi & humidi, aliorumque eiusdem temperamentorum, vt calidi & sicci, frigidi & humidi, frigidi & sicci notæ,effectus,& morbi ibid.
Lienis calidioris signa,operationes,& morbosi affectus ibid.
Lienis frigidioris notæ,effectus,& læsiones ibid.
Lienis humidi & sicci cum cæteris partis huius temperiebus compositis,vt calidi simul & humidi,calidi & sicci,frigidi & humidi,frigidi & sicci indicia, ægritudines familiares, & effectus ibid.
Renum calidiorum notæ,& effectus ibid.
Renum frigidorum,humidorum,& siccorum diuisim , sicut eorumdem calidorum simul & humidorum , calidorum & siccorum,frigidorum & humidorum,frigidorum & siccorum signa,operationes,& morbi fol. 69. & 70.
Testium calidiorum notæ,& effectus 70.
Testium frigidorum,humidorum,siccorumque diuisim, sicut consimilium calidorum simul & humidorum , calidorum & siccorum,frigidorum & humidorum,frigidorum & siccorum signa,operationes,cum ægritudinibus ibid.
Vteri calidi,frigidi,humidi,siccique diuisim. Sicut eiusdem calidi simul & humidi,calidi & sicci,frigidi & humidi, ib.
Frigidi & sicci indicia, ægritudines,& effectus fol. 71.
Mixtorum,calidum,frigidum,humidum, & siccum disiūctim consideratum duplex ibid.
Mixti,calidum aut frigidum actu,quid dicatur, eiusque diuisio. Sicut potentia denominatum mixtum quomodo diuidatur,ibid. Cum variis in hoc definiendo opinionibus solutis ibid.
Cuius propria natura definitur,cum exemplis fol. 72
Qualitatum primarum termini,quomodo definiti. Stationes variæ maioris vel minoris intensionis consimilium fol.73
Qualitatum primarum in mixtis gradus à philosophis innumerabiles,ibid. Earumque à Medicis ad quatuor deducti, cum cuiuslibet definitione,& exemplis fol. 74.
Qualitatum calidarum & frigidarum, quales vltimum gradum participent ibid.
Qualitatem exsiccantem in vltimo gradu nullam constitui à Galeno, quomodo intelligatur. Eamque verè assignari, probatur ibid.
Qualitatem humectantem quarti ordinis , secundum quid dari contra nonnullos,qua ratione respondeatur ibid.
Calefactiuum quidpiam plus aut minùs alio, non ea sola intensiona & remissione caloris,sed aliunde dictum ibid.
Mixtorum actiuitas maior aut minor ea peculiari modo substantiæ dependens. Quorum modorum proprietates in agendo & patiendo declarantur ibid.
Medicamentorum facultates , cur experientia magis , quàm ratione dignoscantur. Cum exemplis ibid.
Calidum,qua ratione homogenea congregare , & disgregare heterogenea dicatur ; cum definitione eiusdem. Cuius calidi non semper proprius effectus rarefactio. Quomodo calor aliquando refrigeret & congreget heterogenea ib.
Frigidi definitio,& effectus diuersi ibid.
Humidum,quomodo definiatur;eiusdemque effectus. fol. 76
Sicci definitio;cum effectibus propriis ibid.
Qualitatum,quænam à philosophis secundæ nuncupentur ib.
Medicamentorum facultates actiuæ trium generum à Galeno constitutæ,quibus quartum à recentioribus additū , ib.
Quarum productio malè exposita à neotericis, meliùs autorum principum veris opinionibus declaratur ibid.
Substantiæ totius nomine,quid intelligatur ex autorib. f. 77.
Experientia in perquisitione facultatum medicamentorum quid fiduciæ præ cæteris habeat,quamuis sui comitem rationem consequatur.Eiusdem iudicium,remediorum quorumdam probabili exemplo adnotatur ibid.
Medicamentorum facultatibus per experientiam inquirendis. Quot obseruanda occurrant fol. 78.
Medicamenta assumpta dicta,cur non eodem modo atq; adhibita operentur;quorum exempla aliquot numerantur fol. 79.
Medicamentorum vsus,varium vtendi modum expostulans in his quæ sensibus dissimilia apparent;exemplo psyllij ibid.
Medicamentorum vires in corpore humano potiùs quàm in alio viuente considerandas esse ibid.
Medicamentorum, quænam patibilitas facilis aut difficilis fol. 79. & 80.
Medicamentorum modi substantiæ diuersi pro examine facultatum ipsorum 80.
Medicamenti experientia nondum facta, quos perquisitionis modos in illius præscriptione obseruare oporteat ibid.
Medicamentorum virium inquirendarum modus desumptus ex consimilium præparatione,& instrumentis eiusdem necessariis ibid.
Medicarum facultatum inueniendarum in mixtis via,ea quibus deprompta ibid.
Medicamentorum colores, infida consimilium excedentium virium indicia ibid.
Medicamentorum odores,qua ratione facultates ipsorum detegere possint ibid.
Odor,quomodo definiatur ; eius subiectum , & principium quale productiuum ibid.
Medicamentorum odores , cur imperfectam cognitionem ipsorum virium potentissimarum ostendant, ibid. Cum exemplis fol. 81.
Odoratorum quædam ex Galeno dicta,& à quibusdam malè intellecta ibid.
Medicamentorum sapores , cognitionem certam de agnoscendat

cetida illorum temperie ostendunt; quorum accidentium vt subiecto inhaerentium absurda sequuntur, ex opinione quorumdam, ibid. Quae soluuntur;& modus eliciēdi qualitatem excedentem per gustum praescribitur ibid.
Saporis naturae inuestigandae & diuidendae, multorum sententiae reiectae, eiusdem differentiae propriae. fol. 82.
Sapor insipidus,quid dicatur. In quibus inueniatur, & causa eiusdem ibid
Saporis acerbi,& austeri definitiones; cum exemplis. Ipsorum conuenientia,distinctio,atque causae ibid.
Saporis acidi definitio,causae,& effectus: cur ex illo haemodia potissimum excitetur,& sulphuris calcanthique liquores talem referant fol. 82. & 83.
Sapor acetosus,quid, Aceti productio,causae & effectus f. 83
Saporis dulcis definitio,causa,& exemplum ibid.
Saporis pinguis & salsi definitiones,causae, exempla, & effectus. Cum quorumdam salium natura inter se differentiū perquisitione ibid.
Sapor amarus.quid dicatur,causae,effectus,cum exemplis adversariorum opiniones difficiles soluuntur fol. 84.
Saporis acris definitio,causae,effectus,& exempla ibid.
Saporum singulorum temperaturae,quas facultates elicere soleant ibid.

EX LIBRO TERTIO.

De Humoribus.

Hvmorum cognitio,quem ordinem doctrinae sequatur: eorum vtilitas apud authores. Quomodo dicantur analogicè elementa fol. 85.
Humoris denominationes variae,& definitio integra ibid.
Chyli definitio,qualitas,& causa.ibid. Illius elaboratio, quomodo fiat;cur non sit mutatio essentialis, probatur contra Pergamenum: consimilis distinctio ab ὀπῶ seu succo ibidem.
Humoris appellationem,quae mereantur & quae non ibid.
Humorum generationis primarium tempus,eiusdemque vsus maximus. Vanae Paracelsi, aliorumque sententiae soluuntur, circa huiusmodi succorum productionem necessariam ib.
Humorem melancholicum pro hydrope seu aqua vsurpari, quomodo intelligatur ab Hyppocrate fol. 87.
Humorum diuisio vniuersalis in alimentarios,& excrementitios hic definitos: Priorum differentiae in primarios & secundarios,cum definitione singulorum ibid.
Humores alimentarij quot sint,& quomodo definiantur: eorum vnio perfecta ad complendam massam sanguinis ib.
Galeni textus male à quibusdam auditi expositio fol. 88.
Pituita excrementitia cur tutiri animal,vel etiam aliis succis excrementitiis, quomodo intelligatur apud Aristotelem & Galenum ibid.
Sanguinem,esse alimentum omnium partium, non autem semen,chylum,& excrementitios humores, probatur contra nonnullos:quorum opiniones soluuntur ibid.
Fibrarum rectarum vsum esse propter attractionem,probatur glandium in anum immissione aduersus aliquos fol. 89.
Humorum alimentariorum massa heterogenea, quando secundum aut praeter naturam existat ibid.
Humorum excrementitiorum secundum naturam differentiae,denominationis eorumdem expositio ibid.
Bilis excrementitiae secundum naturam generatio,effectus, & definitio ibid.
Melancholiae excrementitiae secundum naturam definitio, productio,causae,& effectus fol. 89. & 90.
Pituitae excrementitiae secundum naturam definitio, eius situs,& productio fol. 9.
Humores alimentarios secundum naturam, differre inter speciem,probatur ibid
Humorum secundorum productio , ipsorumque denominationis interpretatio ibid
Humorum secundariorum diuisio. Illorum definitiones ex Auicenna,cur non admittantur fol 9
Humorum secundariorum numerus, & singulorum natura definita à Galeno, ibid
Textuum Galeni malè citatorum expositio ibid
Sanguis bifariam sumptus,variè definitur apud Gal. fol. 91
Sanguinis,propriè dicti,familiaris situs , eiusdem per varios ductus distributio,& vtilitas, ibid
Illius generatio , causae, atque definitio fol. 92
Consimilis diuersum ab autoribus temperamentum constitutum,eiusdemque verum assignatur : cum improbatione caeterorum ibid
Sanguinis praedominij in corpore temperato signa , effectus cum variis causis ipsum producentibus : eiusdemque vitium duplex ibid
Sanguinis extrauasati concretio,taurini exemplo, vnde ib
Plenitudinis diuisio vniuersalis,singularumque definitio ib
Plenitudinis signa ex tribus potissimum petita , quae dicantur fol. 93. & 94
Plenitudinis adversa,& ad vires signa singulariter distincta 9.
Sanguinis vitium ex qualitate,triplex.Cum descriptione causarum vniuscuiusque ibid
Sanguinem putrere sub forma aliena , probatur ex Aristotel. & Galeno contra nonnullos:eius effectus ibid
Sanguinem praecisè sumptum,sub forma propria putrere non posse,sine praeuia eiusdem in alium humorem (scilicet bilem,aut ichorem alimentariam) mutatione ostenditur fol. 94. & 95
Sanguinem pro massa omnium succorum alimentariorum comprehensum,facile putrere per se & sub propria forma probatur fol. 95
Pituitae appellationes variae , & diuisio vniuersalis in excrementum secundum,aut praeter naturam:Eiusdem secundum naturam humoris vtilitas in pluribus membris, cum aegritudinibus variis,iisdem superuenientibus ab excessu ibid
Saliua,quid,& vnde dicta:quomodo distinguatur à pituita,& cum illa conueniat : eiusdem in partibus productio , cum laesionibus fol. 96
Pituitae superabundantis indicia à tribus desumpta: naturalis ad illam constitutio,cum familiaribus morbis , Eius causae atque symptomata frequentiora ibid
Pituitae praeter naturam genitae denominationes diuersae,eorum differentiis eiusdem ibid.
Pituita acida,vnde dicta,& quomodo definiatur: eius generatio duplex totidemque sedes occupans : cum enumeratione causarum fol. 96. & 97
Pituitae vitreae definitio,atque productio:illius situs,causae,& differentia cum priori:eiusdemque nomina significatio f. 97
Pituita salsa,quid,& vnde dicta:illius causae,effectus,& generatio ibid.
Salsedo,vnde fiat ibid.
Aqua,cur rerum elixatarum saporem facilè admittat ibid.
Pituitae generationi non interuenit mixtio bilis, contra Auicennam,aliosque:quorum obiectiones in hanc sententiam allatae soluuntur ibid.
Pituitae gypseae definitio,situs, productio, causae, cum effectibus ibid.
Mucus,quid dicatur,sedes illius,causae,& laesiones ibid.
Crudus succus,quomodo cum pituita conueniat,& ab eadem distinguatur,eiusque diuisio,Definitio causae,situs, & effectus fol. 98

Pituitam, instar cæterorum humorum putrere ostenditur. Species eiusdem, facilioris aptitudinis ad putredinem: cum læsionibus ipsarum. ibid.
Bilis diuisio vniuersalis in humorem secundum, vel præter naturam, prioris definitio, Eiusdem variæ appellationes, generatio, & situs. ibid
Bilis flauæ, à pallida generis eiusdem differentia, cum causis vtriusque. ibid.
Bilis secundum naturam prædominantis in animali signa, ex quibus orta: naturalis propensio ad illam causæ producentes, cum symptomatibus eandem consequentibus fol. 99.
Bilis præternaturam, duorum generum: eius ab alimentario humore differentiarum causæ; appellationesque, & effectus consimilis specierum ab excrementitio humore diuisio, vnde petatur. ibid.
Bilis rufa, quomodo cum vitellina conueniat, & distinguatur, causæ consimilium colorum, & productiones. Humoris eiusdem differentiæ in bilem flauæ maioris, & minoris, cum definitione, situ, & productione vtriusque. f. 99. & 100
Bilis vitellina, vnde dicta, & vbi producatur: eiusdem denominationes aliquot, cum causis, & effectibus. fol. 100.
Bilis æruginosæ denominationes variæ, generatio, & causa. fol. 100.
Bilis cærulea, quid, & vnde dicta: cum variis appellationibus eiusdem. ibid.
Bilis vtraque præcedens, æruginosa scilicet & cærulea, cur malignitatis causæ dicantur. ibid.
Bilis prassina seu porracea, vnde dicta, productio illius, sedes, causa, cum effectibus: eiusdemque à sanguine per morsum venenatum, conuersio. ibid
Melancholiæ diuisio generica in humorem secundum, vel præternaturam: cum definitione prioris, Eiusdem generatio, situs. ibid.
Et quorumdam circa eius vtilitatem opiniones reiectæ, cum constitutione aëris, & regionis ad illius productionem facienda. fol. 101.
Melancholiæ secundum naturam prædominantis signa quæ, desumpta ab ætate, victus ratione, & affectibus præternaturam eidem familiaribus. ibid.
Melancholia præter naturam duorum generum, cum eiusdem causis, Illius excedentis notæ, nec non morbosi effectus. ibid.
Melancholici humoris nomenclaturæ ab autoribus diuersæ: eius differentiarum signa distinctiua. ibid.
Bilis atræ nomenclaturæ læsiones variæ eius generatio, & causæ. fol. 102.
Melancholici cur ingeniosi dicantur fol. 103.
Ingenij præstantissimi, quænam facultates requirantur. ibid.
Serum quomodo definiatur: eius productio, causæ, & effectus ibid.
Seri falsedo, colorque citrinus, vnde. ibid.
Seri copiosi indicia quænam; & vnde petantur, eiusque morbi congeneres. ibid.
Ichoris definitio, & generatio duplex: eius causæ, cum effectibus; & quomodo à sero distinguatur. fol. 103. & 104
Ichoris denominationes variæ, & morbi familiares. fol. 104.
Flatus definitio: eius conuenientia, & differentia à vapore. ib.
Vapor, quid dicatur: quomodo conueniat, & distinguatur à flatu: eius productio, cum causis. ibid.
Vapor, cur plurimùm in statu sicco dissoluatur, in humido verò paucissimum: quonam tempore læsiones afferat vinenti. ibid.
Flatus materia, causa, & productio. ibid.
Flatuum in melancholicis generatio, vnde. ibid.
Halitus generatio, & species illius diuersæ. fol. 105.
Flatuum læsiones per morbos, & symptomata. ibid.
Flatuum differentiæ: eorumdem abundantium signa: & vnde petantur. ibid.
Humorum mixtio varia: tria adnotanda in perquisitione eorumdem. fol. 106.
Humorum mixtio ex parte materiæ, ibid. Quotuplex. f. 107.
Humorum miscella ex parte sedis, quot modis consideretur. ibid. Eorumdem differentiarum causæ quinque vniuersales. ibid.
Humorum mixtionis diuersæ, signa distinctiua (ex parte materiæ, sedis, & causarum) vnde eliciantur. ibid.

EX LIBRO QVARTO.

De semine, & sanguine menstruo.

Generationis principia proxima & materialia quæ. f. 108.
Semen, vnde dictum, eius variæ denominationes expositæ ibid.
Semen, quarum partium viuentis principium materiale habeatur. ibid.
Seminis definitio: eius materia sanguis & spiritus, non autem colliquamentum corporis totius, neque excrementum vltimi alimenti, contra Hippocratem & Aristotelem. fol. 108. & 109.
Semen qua ratione producatur: eius vasa qualia sint; variæque eorumdem appellationes. fol. 109.
Semen ex tribus principibus corporis partibus emanare ostenditur. ibid.
Semen perfici in testibus demonstratur, contra Aristotelem. fol. 110.
Eunuchi, quales sint, quomodo distinguantur secundum nonnullos, ab spadonibus. fol. 111.
Semen absque testibus, qua ratione prolificum dici possit; exemplum quarumdam obseruationum eiusdem apud auctores. ibid.
Naturæ lusus in hermaphroditis, aliisque. ibid.
Seminalium partium genera tria. ibid.
Ægyptiorum sanctio quænam circa seminis negationem in mulieribus. fol. 112.
Semen mulieris inutile ad generationem, quomodo tueatur Aristoteles, alii verò tale non dari, qua ratione & exemplis probent. ibid.
Semen è muliere exire, idque prolificum esse ostenditur. ibid.
Seminalia instrumenta in fœminis, non veluti papillæ in hominibus iudicantur. ibid.
Semen muliebre impropriè ab Aristotele pro humore excrementitio vsurpatum, & contrarium veris rationibus, probatum, ibid.
Molæ generatio in vtero, vnde pendeat. fol. 113.
Semen muliebre negantium opinio, & exempla contrariis, verissimisque rationibus soluuntur. ibid.
Semen animalis non esse animatum, contra nonnullos ostenditur. fol. 114.
Semen ex rorida sanguinis substantia potiùs quàm ex alia, vt materiali sui causa produci, ostenditur. ibid.
Animæ definitio. fol. 115.
Seminis potentiam incapacem esse productionis formæ substantialis, probatur. ibid.
Formas omnes substantiales immediate produci à Deo declaratur. ibid.
Animæ vnio cum corpore, qua ratione conseruetur. ibid.
Formam educi de potentia materiæ, quomodo intelligatur. ibidem.

Forma-

Formatricem fœtus, causam nullam in rerum natura scire profitetur Galenus. ibid.
Formatricem causam reperiri in semine, quibus argumentis probent aliqui à Galeno reiecti. ibid.
Formationis fœtus causam, nullam certiorem præter Creatorem, vel eius creatam aliquam intelligentiam; & eandem (quæ generationis custodiæ præfuit) assignari posse, ostenditur. ibid.
Formatricem causam deum esse: vel substantiam spiritualem & cœlestem, probatur apud Galenum & sacros scriptores. fol. 116. & 117.
Superstitio Romanorum in inuocandis numinibus, quæ præessent custodiæ hominum: eorumdem pro Angelis vsurpatio. fol 117.
Causarum inueniendarum in rebus, quod studium, & examen faciendum. fol. 118.
Animam rationalem infusam à conceptu ante omnem organisationem, semini habitaculum suum formare credit Fienus. Cuius sententiæ vt vanæ contrariis firmioribus tolluntur. ibid.
Formatricis facultatis opera duo quænam. ibid.
Deus creator animarum, & corporum, quomodo intelligatur. fol. 119.
Formatricis exemplar, quod dicatur. ibid.
Seminis vtriusque (maris scilicet, & fœminæ) intra vterum eiaculati miscella, quænam fiat, & quam crasim inde recipiat. fol. 120.
Fœtus similitudo ad parentes iuxta conformationem integram vel læsam partiū aliquarū, vnde oriatur. f. 120. & 121.
Fœtus cum parentibus temperies, vel intemperantia eadem quomodo fiat. fol. 121.
Fœtus aliquando sanus, licèt ab vno generante plurimùm morboso productus, qua ratione existat. ibid.
Fœtus dissimilitudo ad parentes, ex tribus potissimùm causis emanans. fol. 122.
Astrorum influxum, & aspectum in conceptu maximam vim obtinere probatur. ibid.
Imaginationis maternæ impetum, causam esse formationis diuersæ, ostenditur cum exemplis. ibid.
Echo, quo modo producatur. fol. 123.
Dissimilitudo inter homines cur maior, quàm in aliis animantibus. ibid.
Dissimilitudo prolis & parentum à dispari seminum concursu per diuersos generationis ordines, quomodo producta. ibidem.
Monstra ex causis tribus potissimùm orta. ibid.
Monstrorum causa primaria, vitium materiæ seminalis, quale, & quotuplex illud sit. ibid.
Monstrorum variæ causæ, quæ dicantur. ibid.
Sanguis muliebris ad vsus varios naturâ diestus. ibid.
Sanguinis menstrui vsus proprius, & vnde sic dictus: cur in animalibus non assignetur. fol. 124.
Sanguis menstruus quonam potissimum pubertatis anno incipiat. De ætate teneriori, qua secundum aliquos talis excerni visus fuerit. ibid.
Sanguinis menstrui excretionis quantitas quæ requiratur; dies quot debeantur eidem, quænam ætas mulieris, periodum illius obseruet. ibid.
Sanguis menstruus in iunioribus cur nouilunio, vetulis autem plenilunio frequentiùs excernatur. ibid.
Quove tempore, eiusdem sanguinis desitio dicatur. fol. 125.
Sanguinis menstrui excreti qualitas diuersa, pro distinctione subiecti. ibid.
Sanguinis menstrui cum alio humore deprauati & mixti cognitio. ibid.
Sanguinis menstrui effusio, die sexto vel septimo post conceptum, quid significet. ibid.
Sanguinem menstruum mulieris benè temperatæ alimentum esse fœtus optimum, probatur contra nonnullos. fol. 126.
Sanguis menstruus mulieris cacochymæ, quomodo affectus varios & symptomata producat. ibid.
Sanguis menstruus, naturam participat communem sanguini intra venas detento. ibid.
Sanguinem menstruum, non esse excrementum tertiæ coctionis aduersus aliquos, sed eumdem cum sanguine venarum, ostenditur. ibid.
Excrementa tertiæ coctionis duo, quænam. fol. 127.
Sanguinem menstruum copiosum, non ex substantia reliquiarum puri alimenti quotidie superstitem emanare, probatur. ibid.
Sanguinem menstruum, non concurrere efficienter ad fœtus efformationem, contra aliquos demonstratur. fol. 128.
Deipara Virgo, quomodo in sacratissimi corporis Christi opere suum sanguinem purissimum contribuit. ibid.
Conceptionis vtilitas, eius definitio. Quomodo eadem exequatur. ibid.
Conceptioni necessarium maris, & fœminæ semen: vtrumque non eodem instanti, sed post breue tempus concurrere ostenditur. Idque intra vterum simul retineri oportet. f. 129
Vteri concipientis, quæ operatio; Eiusque magnitudo. ibid.
Vteri hiatus & superfoetatio, post conceptum, quando. ibid.
Genitura, quid propriè dicatur; eiusque denominatio diuersa. ibid.
Semen virile nutriri ex muliebri, quomodo intelligatur. ibid.
Conceptionis tempus productiuum vniuersale, & particulare quale sit. ibid.
Conceptionis absolutæ indicia. ibid.
Fœtus partes quænam primariæ ante alias efformentur, earumdem incrementum. fol. 131.
Fœtus partium, quod complementum necessarium. fol. 132.
Fœtus formationis ordo in quatuor tempora diuisus à Galeno. ibid.
Membranarum fœtus productio. ibid.
Amnios inuolucrum fœtus internum quod. Quid contineat, cum partibus adiunctis. ibid.
Chorion membrana exterior quæ; eius vsus, cum sibi adhærentibus partibus descriptis ibid.
Allantoides, in quibus animalibus non reperiatur. ibid.
Iecur præ cæteris principibus partibus primum efformari, probatur. fol. 133.
Cordis productio cum sibi officialibus partibus; eius necessitas fœtui post iecur. ibid.
Cor neque primum viuens neque vltimum moriens esse ostenditur contra Aristotelem. fol. 134
Cerebrum, quando efformetur, illius vsus fœtui. Cum descriptione partium, eidem vtilium. ibid.
Cor fœtus in vtero, cur nullo refrigerio, neque per vmbilicum respiratione indigeat. ibid.
Vmbilicalium arteriarum ligatio ab experimento Galeni, quid indicet. ibid.
Cerebrum priùs operari quàm cor, ostenditur. ibid.
Maris plasmatura celerior illâ foeminæ. ibid.
Hippocratis loci repugnantes sibi inuicem. ibid.
Aborsus autoribus seueræ leges à plurimis traditæ. ibid.
Animam rationalem infundi masculo foetui die quadragesimo, sicut foemineo, octuagesimo, quomodo probetur ex communi sed non certiori sententia. fol. 135.
Foetum anima vegetante & sentiente successiuè ante rationalem non posse informari, probatur contra plurimos. fol. 136.
Animam rationalem, totam esse in singulis partibus, informare corpus immediatè, absque alterius formæ interuentu

eamque simplicem haberi, non aliarum comitem, ostenditur aduersus aliquos. ibid.
Animam rationalem, die septimo conceptionis informare fœtum contra communem sententiã demonstratur. f. 137.
Solutio circa ea quæ pertinent ad animæ rationalis infusionem. fol. 138.

EX LIBRO QVINTO.

De facultatibus, & actionibus.

Facultatis animæ appellatio diuersa: illius differentia in actiuam, & passiuam secundum Physicos; apud Medicos autem pro actiua solùm vsurpata, cuius entitas non respectiua, sed absoluta iudicatur. fol. 139.
Operatio animæ pro immanente, & transeunte simul accepta secundum Medicos. ibid.
Operatio immanens & transiens, quid dicatur separatim ibid.
Formæ denominatio varia; & diuisio apud Philosophos. ibid.
Forma substantialis hominis ad quam categoriam pertineat eius cognitio in medicina maximè vtilis. ibid.
Quomodo definiatur: illius attributa merè spiritualia, contra plurimos. fol. 140.
Facultatum animæ diuisio in quinque genera ratione obiectorum, apud Philosophos. ibid.
Facultatum secundum Medicos distributio in genera tria, sub rationali differentia principum organorum. ibid.
Facultatis naturalis operatio, situs; denominatio diuersa: cum partibus eadem fruentibus, definitio eiusdem. fol. 141.
Facultatis vitalis vsus; appellatio diuersa: eius operatio; situs; definitio. Quomodo in frigidis, calidisque animalibus diuersimodè operetur. ibid.
Facultatis animalis definitio, & denominatio varis vsus partium sibi familiarium. ibid.
Facultatem animæ, ab ipsa distingui realiter ostenditur, contra nonnullos. fol. 142.
Facultates organis distinctæ, quomodo distinguantur inter se. fol. 143.
Animæ rationalis munera duo in corpore, quænam; quales operationes ex his producantur. ibid.
Facultatum geneticarum trium animæ, quæ necessitas, f. 144
Facultas animalis quot species eiusdem ordinis contineat: quomodo cæterarum vt vitalis, & naturalis sit directiua. ib.
Facultatis animalis dignitas; sedes; & operatio diuersa. ibid.
Appetitiua facultas & motiua, quomodo distinguantur inter se. ibid.
Facultatem transfundi vel illabi, communis locutio & impropria. fol. 145.
Cerebri, cæterarumque partium principum cum testibus nobilitas; & vsus subordinatus. ibid.
Naturalium facultatum duplex finis: diuisio in generantem, nutrientem, & auctricem; necessitas. fol. 146.
Nutritiua facultas, quomodo definita ab Aristotele; eiusque officium. ibid.
Alimenti conuersio simplex, & composita. ibid.
Auctricis facultatis munus, quod. ibid.
Nutritio dispositiuè sumpta, in quot grados diuidatur: compositiue vsurpata, qualis; & quomodo definiatur. ibid.
Nutritiua facultas, quare non distinguatur ab anima. fol. 146. & 147.
Accretio, quid dicatur: eius terminus: obiectiones in illam rejectæ. Eius motus ad terminum quotuplex, cum definitione vtriusque. fol. 147.
Accretio per motum corporeum, vnde producta: cum exemplis causæ illius diuersæ. ibid.
Auctrix facultas, quomodo à nutrice distinguatur. fol. 148
Alimenti conuersionis causa duplex. ibid.
Generatrix facultas, quid: quotuplex; cum definitionibus specierum. ibid.
Generatricis facultatis, & formatricis duratio nulla in fœtu perfecto. ibid.
Nutritiuam facultatem, durare per vitam ostenditur. fol. 148. & 149.
Cuius famulæ describuntur. fol. 149.
Secretiuæ seu discretiuæ officium, quod: eius differentia ab imaginaria eiusdem denominationis Auicennæ, illius operatio duplex; & circa quæ versetur. ibid.
Secretricis differentia ab excretrice, & retentrice. ibid.
Attractricis facultatis officium, finis, sedes illius pro alimento, sero, semine, aliisque aduocandis fol. 150.
Attractionis veræ causa; attrahentium partium differentia. Illius definitio, & operatio circa alimentum. ibid.
Fibræ rectæ, quibusnam partibus frequentiores & firmiores inhæreant: necessitas earumdem. ibid.
Retentricis facultatis vsus, & effectus: sedes in quibus conspiciatur, fibræ quænam eidem inseruiant. ibid.
Coctricis facultatis officium, eius operatio. fol. 151.
Coctio vera, quotuplex. ibid.
Coctio, bifariam considerata, cum definitione. ibid.
Chylosis, & chylus quid dicantur, eiusque locus proprius. ib.
Ventriculus non chylo nutritus contra Galenum, quinam perfectiua concoquere dicatur. ibid.
Hæmatosis vera, quid: impropria, quomodo vicem prioris subeat, cur eiusdem ope quam plurimos ad tempus nutriri experiamur, illius sedes impropria. fol. 152.
Hæmatosim in iecore tantùm celebrari, non in venis aliisque partibus, ostenditur contra plurimos. ibid.
Chyli cum sanguine intra venas meseraicas cõfusio nulla. ibi
Homiosis, quomodo definiatur. ibid.
Pepsis & Pepasmos, quid dicantur: differentia vtriusque, cum causis. fol. 152. & 153.
Pepasmi appellationes variæ, & productio. fol. 153
Expultricis facultatis officium, operatio, quibus fibris vtatur, sedes præcipuæ, cum effectibus. ibid.
Naturalium facultatum ab anima distinctio. ibid.
Coctrix potentia, quomodo ab aliis naturalibus distinguatur. ibidem,
Attractricis, retentricis, & expultricis facultatum distinctio inter se. fol. 154.
Vitalis facultatis acceptio ampla & stricta: quomodo eadem variè denominetur: eius necessitas, operatio, causæ, sedesque præcipua. ibid.
Cordis appellatio diuersa apud antiquos, illius calor, vnde. ib.
Motus, quomodo calorem & frigidatem causet. ibid.
Vitalis facultas, & pulsifica non à parte rei, sed tantùm formaliter quomodo distinguantur, cum definitione. ibid.
Cordis, arteriarumque motus non dissimilis, contra plurimos, exempla, quæ probent eorum conuenientiam. fol. 155.
Calorem in animantibus, non ex attritu spirituum arteriarum sed ab illarum insito calore dependere, ostenditur. ibid.
Pulsus definitio, cum causis essentialibus: illius efficiens vnica causa quæ, aduersus Galenum, & alios. ibid.
Pulsus finis, quis, eius motus & quies quotuplex, cum denominationibus vtriusque. fol. 156.
Pulsus diuisio vniuersalis in simplicem & compositum. ibid.
Pulsus simplicis distributio in absolutum & respectiuum, cuius prioris, species quamplurimæ in quatuor gradus distinguntur. ibid.

Pulsus species quot ex quantitate motus. ibid.
Pulsus mediocris, quot modis in omnibus differentiis intelligatur. ibid.
Pulsus differentiæ ex qualitate motus. ibid.
Pulsus diuisio ex parte quietis intermediæ, ex facultate, & ab arteriæ constitutione. ibid.
Pulsus differentiæ inanes ab autoribus nonnullis allatæ, & reiectæ. fol. 157.
Pulsus differētiæ respectiuæ, in quot ordines distribuātur ib.
Pulsus rhithmus ab Herophylo inutilis contemplationis & vsus ad medicum, à Galeno quomodo definiatur, cum notis eiusdem, fol. 167. & causæ illius fol. 157.
Pulsus eurhythmus, arhythmus, pararhythmus, heterorhythmus, ab Herophilus excogitati, quomodo describantur, fol. 167. & 168. horum causæ & subiecta. fol. 157
Pulsus æqualis quid, & inæqualis: cum posterioris diuisione in ordinatum, & inordinatum. fol. 158.
Pulsus inæqualitas duplex systematica & singularis: cum prioris expositione, & definitione. ibid.
Pulsus inæqualitatis systematicæ diuisio iuxta duplicem modum communis vtrique differentiæ alia distributio, & definitio cuiuslibet, fol. 167. cum causis. fol. 158.
Proportio Arithmetica quid, & Armonica. ibid.
Pulsus miurus, quid dicatur: vnde denominetur, fol. 169 vnde producatur. fol. 158.
Pulsus decurtatus deficiens, quis, vel decurtatus simpliciter dictus, aut decurtatus, reciprocus, vel decurtatus inæqualis, fol. 168. & 169. causæ ipsorum. fol. 158.
Pulsus deficiens reciprocus, quis. ibid.
Pulsus intermittens, quid dicatur, & intercurrens, fol. 168. eius causa. fol. 158.
Pulsus dicrotus non durus quomodo ab intercurrente (cum sit eiusdem ferè naturæ) distinguatur, fol. 168. causa eius dem. fol. 159.
Pulsus duos dicrotos quietem intermediam admittere, contra Galenum & alios autores probatur, quorum obiectiones, contrariis rationibus tolluntur. ibid.
Pulsus inæqualitatis singularis, diuisio. fol. 159. & 160.
Pulsus intercisus, vnde dictus: quomodo definiatur, eius differentiæ: cuius ordinis existunt caprizans, & impar citatus, quorum natura describitur, fol. 160. cum causis vtriusque. fol. 169.
Pulsus dicrotus seu bis pulsans, quid dicatur. Eius productio & natura variè ab autoribus tradita, & deinde clare exposita, fol. 160. causæ illius. fol. 169.
Pulsus innuens, seu eminulus, quid, & circumnuens seu prominulus, quomodo fiat, fol. 160. cum causis. fol. 169.
Pulsus dictus cauda forienta quis, antimyurus quomodo definitus, fol. 161. horum causæ. fol. 169
Pulsus vibratus, cuius ordinis babeatur; eius differentia à dicroto. ibid.
Pulsus dicrotus durus non vibratus, quis, fol. 162. cum causis eiusdem. fol. 169.
Pulsus compositi differentiæ, vndosus quis, & cur ita appelletur, fol. 162. illius causæ. fol. 170.
Pulsus vermiculosus, formicans, vibratus, conuulsiuus, serrinus, & tremulus quomodo definiantur: vnde eorum denominationes, fol. 162. horumque causæ. fol. 170.
Pulsus becticus, quid dicatur, fol. 163. illius causæ. f. 171.
Pulsus quis varius, temperamentorum; ætatum; corporis habituum, & sexuum. fol. 164.
Pulsus strepentis, & palpitantis definitio, fol. 163. & 170. causæ vtriusque. fol. 165.
Pulsus causarum examen, vt efficientis varietas quænam, & finis duplex eiusdem, qualis. fol. 170. & 171.
Diastoles definitio. ibid.
Systoles, quomodo definiatur. ibid.
Pulsus causæ primariæ, atque secundariæ quæ dicantur. ibid.
Pulsus, causarum essentialium quænam sibi proprios semper producant, quæ autem alios non continuos, sed ad tempus tantùm sibi familiares eaciunt. fol. 165.
Pulsum celerem aucto vsui esse magis familiarem, sicut vsui imminuto paruum, ostenditur ex Galeno aduersus aliquos. ibid.
Pulsus magnus quid indicet ex parte causæ, & subiecti. fol. 165 & 166.
Pulsus parui causæ, & productiones. fol. 166.
Pulsus mediocris, & alius, vnde in quibus excitetur. ibid.
Pulsus humilis seu profundi, lati, angusti, longi, breuis, celeris tardi, frequentis, ibid. rari, & vehementis, causæ. fol. 167.
Pulsus languidus, durus, & mollis, vnde: in quibus producantur. ibid.
Pulsus æqualitas, & inæqualitas, vnde. ibid.
Pulsus ordinati, & inordinati causæ. ibid.
Pulsus inæqualitatis systematicæ completæ, & incompletæ causæ. ibid.
Respiratio, ad quam facultatem animæ pertineat, illius significatum duplex, varia denominatio, cum vtriusque definitione. fol. 171.
Transpiratio, quid. & eius variæ denominationes. ibid.
Respirationem, sub communi significatu acceptam non separari à vita profitetur Galenus: eiusdem distinctio à transpiratione, per quam non est necessaria ad vitam. ibid.
Respirationis motus duplex, & qualis: vtriusque finis, eiusdē cum pulsu conformitas, atque differentia. fol. 171.
Respirationis diuisio vniuersalis in simplicem & compositam: cum prioris differentiæ, in absolutam & respectiuam distributione. fol. 172.
Respirationis specierum absolutarum primaria sectio magnam, paruam, & mediocrem. Cum diuisione magnæ in alias differentias, ibidem. ipsarum (magnæ [illegible] & paruæ) causæ. fol. 172.
Respiratio magna verè, quomodo definiatur, eius appellatio diuersa. ibid.
Respirationis magnæ apparenter, definitio. ibid.
Respiratio sublimis, recta, difficilisque, qua ratione exponantur. ibid.
Respiratio mediocris quæ: eius appellatio diuersa. ibid.
Respirationis paruæ definitio, cum denominatione variata.
Respiratio celer, & tarda quid: sicut frequens, & rara: vehemens, & imbecilla: calida, & frigida: nec non fœtens, & suaueolens. ibid.
Respirationis differentiæ respectiuæ, cur similes cum eiusdem denominationis speciebus pulsus. fol. 172. & 173.
Respirationis species compositæ, quinque, & quænam. fol. 173
Respirationis causæ, formalis, & materialis, quæ. ibid.
Respirationis vsus duplex, & qualis. ibid.
Respirationis efficiens duplex, quæ. Ipsarumque (vna scilicet facultas) eiusnam generis causa dicatur illius. ibid.
Motus voluntarij opera, duorum generum. ibid.
Respirationis instrumenta, causarum eiusdem munus subeuntia, quotuplicia, & qualia. fol. 173. & 174.
Respirationis differentiarum causæ, ex tribus potissimum desumptæ. fol. 174.
Expiratio magna, celer, atque frequens, ex quibus causis: quale subiectum earumdem variè dispositum. ibid.
Inspiratio magna, frequens & celer, vnde. In quibus reperiantur. ibid.
Respirationis rhythmi, & arrhythmi causæ quæ. fol. 174
Respiratio magna & rara, sicut parua & densa, in quibus adueniant, cum causis earumdem diuersis. ibid.
Respiratio sublimis, & conspicua, vt parua, celer, & densa, ex

quibus causis,quiue affectus consequantur. ibid.
Respirationis paruæ,tardæ,& densioris,sicut inæqualis & inordinatæ,paruæ,densæ,& sublimioris causæ : cum dispositionibus corporeis earumdem susceptiuis. fol. 174. & 175
Respirationis ad manum & conspicuæ, sicut sonoræ, causæ: cum affectibus consimilium. fol. 175.
Stertor,quid,quotuplex,cum diuersa illius denominatione. ib.
Animales facultates,cur sic appellatæ,diuisio generica in tres ordines. ibid.
Cognoscitiuarum facultatum in corporeas, & spirituales diuisio: cum vtriusque descriptione, & differentiis corporearum expositis. ibid.
Sensus externi,quot,cur sic dicti:ipsorum quale obiectũ ibid.
Sensibilium in organo, receptio intentionaliter facta, quid: cum causis,& productione. ibid.
Sensatio,quid dicatur:quænam tria se consequentia in eadem reperiantur. ibid.
Visus organum, quod, eius primarium principeque instrumentum,cum obiecto proprio. fol. 175. & 176.
Luminis,& lucis definitiones. fol. 176.
Coloris apparentis,& veri definitiones. ibid.
Visus operatio,quomodo exerceatur, eiusdem medium diaphanum,quale:quid species visibilis agat. ibid.
Auditus organum,quod,primarium instrumentum, eiusdem proprium obiectum. ibid.
Echo,qua ratione producatur. ibid.
Sonus,quid dicatur,quomodo facultati sensus proprij repræsentetur,& exequatur. ibid.
Olfactus organum,quod:eius instrumentum princeps, cum obiecto. fol. 177.
Odor,quomodo definiatur. ibid.
Gustus organum,quod:eius primarium instrumentum, proprium obiectum:quomodo illius operatio eliciatur. ibid.
Saporis definitio. ibid.
Tactus subiectum,quod : illius differentia pro varietate partium,vsus maximus,obiectum,eiusdemque operatio. ibid.
Sensuum externorum quorundam obiecta communia. ibid.
Sensus omnes externos, præter visum, sine medio operari probatur experimentis pluribus. ibid.
Sensuum internorum numerus:eorum inter se distinctio. ib.
Sensus communis definitio, fol. 177. & 178. eius nominis expositio, atque existentiæ illius probationes: quomodo distinguatur ab imaginatione. Obiectum illius:quomodo talis exequatur,quale consimilia organum. fol. 178.
Imaginatio,seu phantasia,idem:quomodo definiatur; cur ita denominetur;eius operatio quæ;cum obiecto. fol. 179.
Memoriæ officium,duplex. ibid.
Æstimatiua,quomodo ab imaginatiua distinguatur, & cum eadem conueniat: illius obiectum, operatio diuersa in rationabilibus,& brutis:cum proprio eiusdem organo. f. 180.
Cogitatiua facultas eadem cum æstimatiua Brutorum; qualis in homine habeatur,vel quam digniorem sequatur. ibid.
Reminiscentia facultas,quomodo definiatur: cuiusnam ordinis sensuum internorum dicatur. ibid.
Cognoscitiua facultas spiritalis variè appellata: illius inhærentia quænam;obiectum, triplex operatio eiusdem; cum sui muneris conditionibus. ibid.
Intellectus,quomodo speculatiuus,& practicus dicatur. ibid.
Intellectus, qua ratione per directam cognitionem obiecta repræsententur;quonam modo per reflexam. f. 180. & 181.
Intellectus,à memoria intellectiua quomodo distinguatur. fol. 181.
Appetitiua facultas,quotuplex: quænam dicta naturalis; cum illius subiecto. Definitio appetitus generis eiusdem. ibid.
Appetitus cognoscitiui diuisio in sensitiuum,& intellectiuum vtriusque denominationes variæ; quomodo definiantur obiectum quod,cum subiecto eorumdem. ibid.
Appetitus sensitiui operatio quænam;illius diuisio in irascibilem & concupiscibilem:cum vtriusque distinctione. f. 182.
Voluntas,quid dicatur:quotuplex;modus operandi circa proprium obiectum, ibid.
Motiuæ facultatis definitio; illius vsus ad vitam necessarius; proprium obiectum:diuisio in imperantem & exequẽtem: cum vtriusque descriptione,& differentia. ibid.
Actus imperatus,quomodo fiat:ab elicito, & ab anima qua ratione distinguatur. Qualis ipsorum subordinatio naturalis,eiusdem denominatio diuersa. ibid.
Motiuæ imperantis organũ,quotuplex, & quale:generis eiusdem scilicet motiuæ,exequentis musculus tanquam instrumentum cur existat in sua homogenea substantia, neruea,& fibrosa. fol. 183.
Fibrarum musculi ad omnem motum localem,quis vsus. ibid.
Motricis facultatis actiones, vnde suam distinctionem assumant. ibid.
Motus qua ratione integer,deperdito tactu maneat. ibid.
Vocis necessitas quæ in animantibus nonnullis:quid eiusdem vicem subeat in quibusdam,vt piscibus, illius varia appellatio; quomodo definiatur: eius differentiæ plures iuxta amplam significationem, cum conditionibus requisitis. fol. 184 eiusdem propriè dictæ species à quinque capitibus desumptæ. ibid.
Vocis causæ:materialis,formalis,& finalis. fol. 185.
Vocis efficiens,organum duplex,quod, & quomodo alia eidem famulantia:cum præcipuo eiusdem instrumento. ibid.
Locutionis vsus maximus, denominatio diuersa: quomodo distinguatur à voce. Illius variæ differentiæ, prout à Grámatico & Rhetore,vel à Medico consideratur. ibid.
Locutio vitiosa,quæ:& quæ sine vitio. ibid.
Locutionis,& vocis variè læsarum nomina significatiua affectuum. ibid.
Vocis magnæ & paruæ,causæ. fol. 186.
Vox acuta simpliciter,acuta & magna,acuta & parua, (exilis dicta) vnde producantur. fol. 186. & 187.
Vocem grauem,claram,& raucam,quæ producant. fol. 187.
Vocis liberæ & flexibilis,causæ. ibid.
Locutionis causæ:materialis,formalis,cum finali. ibid.
Locutionis,efficiens,organa varia quæ:eorumdem,quod præcipuum. ibid.
Locutionis perfectæ,sicut vitiatæ,causæ. fol. 187. & 188.
Loquelæ balbutientis,& hæsitantis causæ. fol. 188.
Locutio blæsa,vnde producatur. ibid.
Balbuties,cur melancholiæ prouentum ex multorum sententia arguat,cùm illius generatio ab humiditate oriatur. ib.

De calido innato & humido primigenio.

LIBER SEXTVS.

FAcultatum animæ ad operandum instrumenta, quæ, & quotuplicia. fol. 190.
Vitæ natura variè à plurimis inuestigata: eius duplex acceptio. ibid.
Vitæ essentialiter,& accidentaliter consideratæ definitiones. fol. 190. & 191.
Vitam,non esse conseruationem solam facultatum,omniumque actionum,neque permanentiam calidi innati in humido radicali,probatur contra plurimos. fol. 191.
Vitæ,quantum sit necessarius calor. ibid.

Caloris & calidi innati quæstiones ambiguæ apud plurimos, vindenam exortæ. ibid.
Caloris à calido differentia, vtriusque proprietates singulares & communes: quomodo scriptores Græci, meliùs quàm Latini, cuiusque naturam voce propria exponant. f. 192.
Caloris viuentium subiectum principale, quod. fol. 193
Calidum natiuum substantia esse ab omnibus creditur. f 193. & 194. multorum variæ & confusæ sententiæ circa substantiæ eiusdem qualitatem declarandam. fol. 194.
Caloris duo genera: naturalis, quid dicatur. ibid.
Calor præter naturam, quid. fol. 195.
Caloris naturalis species diuersę secundùm plurimos. ibid.
Caloris sublunaris speciem vnicam constitui, probatur. f. 196.
Calor naturalis, & præter naturam, quomodo distinguantur. circa distinctionem vtriusque, scilicet inensionia diuersitatem obiectiones, cum responsionibus. ibid
Calor præter naturam, cur actiones & crises æquè ac naturalis calor producat. fol. 197.
Caloris specierum diuersarum argumenta productiua, quæ rationibus diriment. fol. 197. & 198.
Calidi innati opiniones antiquorum inutiles. fol. 198
Calidum innatum, quomodo definiatur, eius acceptio vniuersalis. ibid.
Calidum innatum, quotuplex. fol. 199.
Calidi innati & fixi definitio, cum causa. ibid.
Calidi acquisititii definitio: eius in igneum conuersio. quidve aduentitium dicatur. fol. 200.
Calidi influentis vtilitas in animali: quinam spiritus, illius naturam subeant. ibid.
Calidum influens duplex, naturale scilicet, & præter naturam, cum definitione prioris. ibid
Calidum influens præter naturam quid dicatur. ibid.
Caloris in animali attributa, naturalis quis, & quis præter naturam nuncupetur propriè. fol. 201.
Calidi infixi dotes præcipuæ. ibid.
Calidum acquisititium & congenitum, quomodo conueniāt, quibusque inter se distinguantur. fol. 202.
Calidi infixi vtriusque intemperies, quos effectus producant. ibidem.
Calidi influentis munia quæ. Quomodo idem nutriti dicatur. ibid.
Calidi influentis motus perennis, causæ, & finis. fol. 203.
Calidum influens, quæ communia cum calido fixo attributa participet; quibus modis idem suffocari dicatur. ibid.
Calidi influentis præter naturam vitia. ibid.
Calidi infixi & influentis complexus, quod nomen assumat; & variis qualitatibus afficiatur. ibid
Humidi quæ necessitas ad vitam. fol. 204.
Humidi substantiam diuersam esse à calido ostenditur. ibid.
Substantiæ modum in viuentibus animalis partibus triplicem inueniri, probatur. ibid.
Humidi à quibusdam diuisio, & acceptio, non probata. f 205.
Humidorum vitalium diuisio vera: cum cuiuslibet productione, & causis. ibid
Humidum partium solidarum, quotuplex; illius appellatio diuersa. ibid.
Humidum radicale, vnde dictum; & aliter denominatū. f. 206.
Humidi radicalis, à primigenio distinctio, secundùm aliquos. ibid.
Humidi cum calido quæ cohærentia. ibid.
Humidi nulla consumptio à calido, ex quibusdam. ibid.
Humidi triplicis variè consumpti subordinatio, quæ. ibid.
Humidi in diuersis hominibus dissolutio pro temporis spatio distincta. fol. 207.
A sitiæ & priuationis alimenti studiosorum quam plurima exempla apud autores. ibid.
Humidum absumi à calore, & quonam modo, ostenditur cum responsionibus obiectionum circa huius consumptionem. ibid.
Spermaticas partes neque nutriri, neque humectari, aduersus nonnullos, ostenditur. fol. 208.
Corporis status consideratio duplex. fol. 209
Corporis substantia, qua ratione varietatem non admittat, quonam vero modo distinctionem recipiat. ibid.
Humidum substantiam ex vtero materno generatam, congenitam posse bonitate superare, probatur. ibid.
Corporis substantia medicè accepta, quot modis consideretur. ibid.
Corporis substantiam per nutritionem & augmentum productam, ea conformationis primaria, meliorem esse ad naturalia munia obeunda, declaratur. fol. 210.
Humidum post nutritionem adeptum, cæteris melius reperiri posse ostenditur. ibid.
Humidum ad vitæ durationem producendam cæteris aptissimum, quodnam habeatur. ibid.
Humiditatem reproduci posse in corporibus per ætatem atte factis, modo naturali, demonstratur. fol. 210. & 211.
Humidi reproductionem inventione admodum exsiccato nullo auxilio medico fieri, probatur. fol. 211.
Fabulosæ historiæ fluminum & fontium producentium lenibus iuuentam. fol. 212.
Mortis acceptio duplex: cum diuersa vtriusque descriptione.
Mortis definitio essentialis. ibid.
Mortis naturalis & præter naturam, causæ. ibid.
Calidi innati extinctio variis modis producta. ibid.
Humidi consumptio, provt mortis naturalis, autbor dicitur, qualis audienda. fol. 213. & 214.
Marcoris naturalis productio, & causæ. fol. 214.
Moriendi necessitas naturalis, vnde. Causam illius, non esse appetitum materiæ primæ ad nouam formam, & infinitam vim facultatum, ostenditur contra nonnullos. ibid.
Humidum non exolui à calore, sed à calido, probatur fol. 214. & 215

Ex libro septimo.

DE SPIRITIBVS.

Spiritus necessitas in animali; illius acceptio varia, quomodo à Medicis denominetur. fol. 216.
Spiritus natura, impropriè à diuersis autoribus intellecta. ib.
Spiritum, vnicum tantùm genere atque specie constituendum probare nititur Argenterius: alii, cum Galeno plures assignant, in eorum nomine non conuenientes; diuisio propria consimilium in spiritus fixos & influentes; eum priorum allata essentia. fol. 217.
Spiritus influentis distributio in vitalem, atque animalem. vtriusque existentia necessaria & realis: qualis inter se distinctio, & per ductus diuersos separatio fol. 217. & 218.
Spiritus naturalis, sedes propria, quæ: eundem non dici influentem, probatur. fol. 218
Iecur, effusionem nullam substantialem, præter alimentum, recipere, ostenditur. ibid.
Chyasmus neruorum, vbinam. ibid.
Cerebri ventriculi anteriores perforati, ad quem vsum. ibidem.
Spiritus naturalis influentis vsum nullum, & per consequens non dari, contra Laurentium aliosque ostenditur. ibidem.

Spiritus vnitatem ab authore citato probatam, contrariis & firmissimis rationibus tollimus. fol. 218. & 219.
Spiritus, nullos esse animales, aduersus nonnullos probatur. fol. 219.
Spiritus animales præsertim lucidos esse, experientiis demonstrant nonnulli. fol. 220.
Lucis, luminis, & splendoris distinctio, cum vniuscuiusque descriptione. ibid.
Spiritus animales non esse luminosos omnes, neque vllos per se, sed visuales tantùm per accidens ostenditur: cum exemplis. fol. 221. & 222.
Spiritus vitalis, materiam esse sanguinem & aëra demonstratur: quomodo consimilis elaboretur, qualis sit substantia eiusdem. fol. 221. & 222.
Spiritus animalis, vbinam producatur: eius materiem (præter sanguinem arteriosum) esse aërem per nares inspiratum, ostenditur experientia. fol. 222. & 223.
Cuius generationis modus exponitur. fol. 223.
Rete admirabile in cerebro reperiri contra aliquos: patet inspectione: cuius vsus, forma, & operatio describuntur. ibid.
Spirituum animalium post receptionem formæ in diuersas partes necessariasque, effusio. ibid.
Cerebri ventriculus postremus, quo insigni nomine donetur à Galeno. ibid.
Spiritus animales non effundi in ventriculos cerebri, sed in plexu choroide integrè absolui. fol. 224. probare aduersarii nituntur: fol. 225. quibus, argumentis contrariis & validissimis respondetur. ibid.
Natura semper præparationis rerum studiosa, antequam nouam formam introducat. fol. 224.
Natura solita instrumentum idem, pluribus vsibus accommodare, vt patet exemplis. fol. 225.
Spiritus influxi constituunt essentiam calidi innati. quorum vsus maximus in viuente describitur. fol. 226.
Facultas animalis; quomodo corporis partibus diuersis communicetur, authorum varia opinio. ibid.
Facultatem animalem, neque membrorum continuitate, neque beneficio spirituum propagati, ostenditur. ibid.
Facultatis animalis, modus effusionis, verus. fol. 22?.
Spiritus animales diffundi per neruos, probatur experientia. ibidem.
Neruorum opticorum meatus, cur patentiores aliis. fol. 228.
Spirituum animalium munera. ibid.
Spirituum animalium causa, cur phrenitici per aliquod tempus furibundo conatu moueantur, & corpus aliquando mox ab auulso capite subsiliat. ibid.
Facultas vitalis, quomodo influat in diuersa corporis membra. ibid.



EX TRACTATV SECVNDO.

Libro Vnico. De sanitate, & optimo corporis habitu.

Breuis præfatiuncula de Medici munere. fol. 229.
Sanitas, quomodo propriè definiatur. fol. 230.
Sanitatis confusa & diuersa definitio ab autoribus. ibid.
Sanitas, quomodo in categoria qualitatis, & relationis constituatur. ibid.
Sanitas absoluta, quid dicatur: secundum quid denominata, quomodo definiatur. ibid.
Sanitatis differentiæ, & à quibus desumptæ. fol. 230.
Sanitas deficiens, quæ dicatur, cum diuisione illius. f. 231.
Sanitatis varietas, quonam modo discernatur. ibid.
Sanitatis secundum habitum dictæ; & secundum affectionem, definitio. ibid.
Sanitas dubia, quæ; & quænam inæqualis denominata. ibid.
Sanitas optima, quænam dicatur: illius varia denominatio; cum fructibus eiusdem. ibid.
Sanitatis optimæ, quod subiectum proprium. fol. 232.
Sanitatis optima in animali temperatissimo ad iustitiam, signa ab effectibus desumpta. ibid.
Habitus bonus, simpliciter quid: qualis, naturæ vniuscuiusque conueniens, ibid. quisve athletarum, idemque periculosus. fol. 233.
Habitus periculosi, incommoda. ibid.
Vitæ durationis & varietatis causa, perperam à nonnullis excogitata. ibid.
Vitæ longitudo, à quibus causis producatur. ibid.
Vita cur diuturnior terrestrium, quàm aquatilium: plantæ syluestres cur domesticis diuturniores. ibid.
Vitæ diuturnioris causam, non humidum merè pingue (vt voluit Aristoteles); sed humidum non liquabile à calido haberi, ostenditur. fol. 234.
Vita longæua, quodnam temperamentum naturæ vniuscuiusque accommodatum, sibi aptissimum respiciat. ibid.
Vitæ diuturnitas, quam temperiem ex prædominio humorum reliquis vtiliorem sibi expetat. ibid.
Vita humana ante diluuium quàm post, cur longior extiterit. fol. 234. & 235.
Roboris corporei definitio ex Aristotele: eius attributa, cum enumeratione quorumdam insignium facultate tali. fol. 253.
Roboris maximi, productiua quænam naturalis constitutio. ibidem.
Robur humanum, quæ exoluant, ibid.
Roboris productionem quo modo siccitas, & qua ratione calor simul adiuuent. ibid.
Robur animalis, quænam pars eiusdem significet. ibid.
Roboris augmento, cur densitas præter iam dicta multùm prosit. ibid.
Roboris animalis conditionum enumeratarum argumenta ab exemplis petita, huiusmodi confirmantia. ibidem.
Robustiores cur ruricolæ vrbanis, qui loca petrosa incolunt, sicut phrenitici, quàm alij contra. ibid.
Robusti corporis signa à Galeno desumpta. ex pectore variè conformato, cum exemplo. fol. 236.
Roboris signorum syndrome ab Aristotele. ibid.
Spiritalis substantia in homine, cur anima vitarum dicta. ibidem.
Animæ distinctio à mente iuxta antiquos plurimos. ibid.

Index.

Animæ distinctio à menta iuxta antiquos plurimos. ibid.
Animæ appellationes diuersæ. ibid.
Ingenium vnde dictum, quomodo definiatur apud Aristotelem, & Ciceronem, cum variis eiusdem denominationibus. ibid.
Ingenii partes quænam dicantur, cum illius dotibus. f. 237.
Ingeniorum discrimen à temperamenti diuersitate omnino pendere, probant quamplurimi. Quorum opiniones illegitimas esse, ostenditur. fol. 237. & 238.
Ingeniorum varietas, vnde potissimum oriatur. f. 238 & 239.
Intellectus functiones tres. fo. 239.
Ingenium, quænam ex passiuis qualitas, plurimùm adiuuet.
Ingenij productrix calor variè dispositus. fol. 240.
Melancholici, quinam ingeniosi dicantur. ibid.
Ingenij productioni, quæ cerebri peculiaris substantia satisfaciat. ibid.
Obliuio, cur celerior in docilibus ad discendum, & in aliis tardior reperiatur. fol. 241.
Memoria, iudicioque simul præstantium exempla. ibid.
Memoris, quid dicatur, eiusdemque motus duplex. fol. 242.
Iudicij definitio, illius acceptio diuersa cum duplici fine eiusdem. ibid.
Memoria & iudicio simul valere posse, qua ratione dicatur. ibidem.
Memores, iudicio minùs valere vt plurimùm, & contrà, quomodo intelligatur. ibid.
Memoria, cuiusnam ætatis magis sequax iudicetur. ibid.
Iudicium, in qua ætate copiosius vigeat. ibid.
Temperamentum in medio constitutum, cur nulli vitio præsertimque externo obnoxium dicatur, & contrà fol. 243.
Constitutionis corporeæ faciliùs, vel difficiliùs ægrotantis cognitio plurimùm necessaria: quibus medicinæ partibus magnopere faueat. fol. 244.
Constitutionum à media deerrantium genera duo. ibid.
Constitutio quænam corporum (considerata primarum qualitatum intemperie) ægrotantibus opportunissima dicatur. ibid
Constitutionum corporearum [habita ratione temperamenti æqualis] quænam simpliciter salubrior, vel insalubrior dicatur. ibid.
Difflatio occulta, quid nuncupetur. ibid.
Constitutio quænam corporis morbosa in adolescentia, & in reliquis ætatibus admodum salubrior ad vitam longæuam habeatur. ibid.
Et contra. fol. 245.
Constitutio corporea quæ salubrior, vel insalubrior comparatè sumpta, dicatur. ibid.
Constitutionum corporearum (considerato substantiæ modo diuerso) quæ salubrior, aut insalubrior esse dicatur. ibid.
Constitutionis salubris acceptiones quatuor: eiusdem dictæ, simpliciter, salubris; salubris simpliciter semper; salubris, vt multum, sicut salubris vt nunc definitiones. fol. 246.
Constitutionis insalubris appellationes totidem, sed diuersæ cum definitione. ibid.
Constitutionis neutrius acceptiones tres: cum variis distinctionibus vtriusque. ibid.
Constitutio insalubris & neutra, qua ratione intra latitudinem sanitatis constitui dicantur à Galeno. ibid.
Constitutio neutra decidentiæ, & neutra conualescentiæ quæ. fol. 240 [illegible] 2[illegible]7.
Constitutio neutra, quomodo medium quid inter sanitatem & morbum habeatur. fol. [illegible]47.
Constitutionum prædictarum distinctio inter se [illegible] ipsarum. fol. 248.
Constitutionum corporearum, pessima quænam habeatur. ibidem.
Constitutionum corporearum signa desumpta ab effectibus, & quinam tales enumerentur. fol. 249.
Constitutionis salubris simpliciter semper, sicut salubris simpliciter signa. ibid.
Constitutionis salubris vt multum; & salubris vt nunc, signa quæ. ibid.
Constitutionis neutræ primi modi, secundi, & tertii signa.
Constitutionis insalubris simpliciter, insalubris simpliciter semper, insalubris vt multum, & insalubris vt nunc, signa. fol. 249 & 250.
De morbo morborum causis & symptomatibus deque morborum iudiciis in vniuersum. fol. 251.
Refert rationem methodi quam sequitur. ibid.

TRACTATVS TERTIVS.

Ex Libro primo, De natura & differentiis affectuum præter naturam.

Affectuum præternaturam cognitio vniuersalis, quam necessitatem afferat Medico: eiusdem vocis [præter naturam] acceptio diuersa secundum aliquos, reiicitur. ibidem.
Affectus præternaturam, tria esse summa genera, ostenditur. fol 252.
Morbi naturæ, communis opinio reiecta. ibid.
Morbum, esse accidens, eiusque subiectum corpus viuens denominari, probatur. fol. 253.
Morbi ratio in ente absoluto, non autem respectiuo considerata. ibid.
Morbi essentiam formalem, esse malum positiuum non priuatiuum, contra aliquos authores demonstratur. ibid.
Morbi definitio completa, quæ; eiusdemque genus proximum: affectus, cum huius diuersa appellatione, & significatione propria. ibid.
Affectus seu passionis acceptio duplex; cum distinctione vtriusque. ibid.
Morbus, quonam modo pro suo genere definito, dicatur dispositio, eiusdem vocis interpretatio contra aduersarios. fol. 254.
Morbi genus dispositio, distincta entitas à suo definito. ibidem.
Morbi genus prædictum distingui tantùm formaliter à reliquis definitis, probatur. ibid.
Morbi definita varia, quomodo diuersas categorias amplectantur. ibid.
Morbus à vitio, qua ratione distinguatur. fol. 2[illegible]5

Præter naturam nomine, in definitione morbi, quid excludatur. ibid.
Morbi cauſa, per quam particulam eiuſdem definitione traditam, diſtinguatur ab eodem. ibid.
Morbus, ſolus non lædere actionem dicitur, ſed quid aliud, & quale dicatur. fol. 255. & 256
Facultas, quomodo non dicatur læſa, ſi eiuſdem actio vitietur. fol. 256.
Morbi, definita voce (ſenſibiliter), quænam excludantur. ibid
Morbi definitioni, obiectiones nonnullæ afferuntur: quibus per contraria argumenta reſpondetur. fol. 257.
Morborum differentiæ eſſentiales, à quibus petantur; qualis eorumdem diuiſio habeatur. ibid.
Morborum ſumma genera, tria. De primo (ſcilicet intemperie) quid; quotuplex; quamve corporis partem occupet. ibidem.
Intemperies ſimplex, & compoſita, quid: cum diuiſione prioris. fol. 258
Intemperies compoſita quadruplex: cum definitione vnius cuiuſque. Intemperiei ſimplicis, & compoſita diuiſio communis; in intemperiem cum materia, & ſine materia. ibidem.
Intemperies cum materia, & ſine materia, quomodo definiantur. ibid.
Intemperiei vniuerſalis, alia diſtributio in æqualem & inæqualem: quarum definitiones adnotantur. ibid.
Morbum materiæ à nonnullis excogitatum nullum dari, præter intemperiem, oſtenditur. fol. 259.
Coctionem perfectiorem, aut imperfectiorem diuerſus ventriculi ſubſtantiæ modus, qua ratione producat, cum exemplis. ibid.
Temperies apud Medicos accepta pro aggregato, & quid tale. ibid.
Morbum formæ innouatum ab aliquibus, nullum aſſignari, probatur. ibid.
Morbum ſubſtantiæ totius aſſerentes rationes tanquam inanes, contrariis argumentis tolluntur. ibid.
Mala conformatio, ſecundum morborum eſſentialium genus, cuiuſnam partis affectus dicatur: cum diuiſione eiuſdem. fol. 260.
Forma aut figura vitiata, ſpecies vna prædictæ malæ conformationis pro quibus accipiatur, eius differentiæ, cum definitione. ibid
Magnitudo deprauata, ſpecies altera morbi prænominati, quomodo definiatur, cum differentiis nonnullis. f. 260. 261
Numerus partium enarratus, tertia ſpecies malæ conformationis, quis morbus, cum illius differentiis. fol. 261.
Situs partium præter naturam immutatus, quomodo definiatur, eiuſdem diuiſio. ibid.
Solutio continui, tertium & vltimum morborum eſſentialiũ genus, cui parti conuenire dicatur, cuius continui nomine, contiguum quoque comprehenſum eſt eiuſdemque definitio. ibid.
Solutionis continui diuiſio in completam, & incompletam: cum vtriuſque definitione, diuerſaque nominum appellatione. fol. 262.
Solutionis continui completę diuiſio in ſpecies diuerſas, & variæ conſimilium denominationes. ibid.
Morbus ſimplex, quid dicatur, illius diuiſio in materialem & immaterialem: cum definitione vtriuſque. ibid.
Morbi compoſiti definitio, eiuſdem diuiſio in implicatum & propriè compoſitum: cum vniuſcuiuſque deſcriptione. ib.
Morbi compoſiti propriè dicti diſtributio, in compoſitum ratione formę, & compoſitum ratione materię: cum vtriuſque definitione. ibid.
Morbus implicatus, quid, eius diuiſio, cum ſpeciei cuiuslibet deſcriptione. ibid.
Morbus primus & ſecundus, quid dicatur poſterioris diuiſio; cum ſpecierum ſingularum definitionibus. ibid.
Morbus per epigeneſim, metaptoſin, & per metaſtaſim quid, dicatur. ibid.
Metaſtaſis, quid, & quotuplex. ibid.
Morbi idiopathici, & ſympathici definitio, vt hæreditarii acquiſiti, & congeniti: cuius vltimi varia appellatio habetur. ibidem.
Morbus paruus, & magnus: quid vtriuſque ſpecies communes quot; & vnde deſumptæ. fol. 263. & 264.
Morbi parui vel magni abſolutè dicti, definitio. fol. 264.
Morbi magni vel parui, reſpectiui denominati, duorum generum, quomodo definiantur. ibid.
Morborum quis proprie magnus dicatur; eiuſdem diſtributio in maiorem, & maximum: cum vniuſcuiuſque deſcriptione. ibid.
Morbi benigni, & maligni definitio, vnde appellatio: cum maligni, ſeu cacoetheres dicti varia ſignificatione. fol. 265.
Morbus contagioſus, & non contagioſus quomodo definiantur. ibid.
Contagium quid. quot modis producatur: cum ſpeciebus aliquot contagioſorum affectuum. ibid.
Morbus contagioſus, cur non ſemper malignus. ibid.
Morbos, maleficio magorum ſagarumque contractos haberi, probatur, cum exemplis. fol. 266.
Morbi diuiſio in celerem & tardum, vnde ducatur: cum prioris definitione, & in quo celeritas ægritudinis attendatur.
Morbi celeris, atque acuti ratio communis, & particularis. ib.
Morbus tardus, quomodo definiatur. ibid.
Morbus breuis, ſimulque tardus, ſicut celer, & longus, qua ratione poſſint exiſtere. ibid.
Acutorum morborum differentiæ: cum definitionibus conſimilium. fol. 266. & 267.
Acutos proprie dictos ſemper habere coniunctam febrem, reliquos improprie dictos abſque febre eſſe poſſe, oſtenditur. fol. 267.
Morborum diſtributio in continuos & intermittentes vnde: cum definitione priorum. ibid.
Intermittentium morborum definitio: diuiſio in ordinatos & inordinatos, definitos, cum appellatione illorum diuerſa. fol. 268.
Morborum in vniuerſales & particulares: horumque in externos, & internos diuiſio, vnde, cum definitionibus. ibid.
Morborum diſtinctio in populares, & diſperſos, vnde: cum priorum appellatione diuerſa. ibid.
Epidemicus morbus, quid: quotuplex, eiuſdem ſpecierum definitiones. ibid.
Sporadum morborum definitio, denominatio varia. ibid.
Peſtis aut morbus peſtilens, ſub quo genere affectuum præter naturam contineatur. ibid.
Morborum in fieri, & in facto eſſe definitio, vnde illorum orta diuiſio. ibid.
Habituales morbi, quod genus ægritudinum ſequantur. ibid.
Morborum diſtributio in frequentes, raros, & nouos: conſimiliumque definitiones. ibid.
Morbi noui, quales ab authoribus enumerati. fol. 268. & 269.
Morborum temporis anni, & temporis peculiaris ægritudinis diſtinctio ſpecifica. fol. 269.
Principium in morbis, quot modis ſumatur: eiuſdem diſtinctio, vnde: tale triduo minimè circumſcribi, probatur aduerſus Theſſalum, cum definitionibus illius differentiarum. ibid.
Augmentum morborum, quomodo definiatur, eiuſdem appellatio diuerſa. ibid.

Index

Status morbi temporis definitio,& varia denominatio. ibid.
Declinationis tempus morbi, quid. ibid.
Morborum temporis peculiaris, distinctio vniuersalis. ibid.
Morborum diuisio in typo carentes,& typum habentes,cum descriptione singularum differentiarum. fol. 270.
Typus,quid. Eius diuisio in primum & secundum,eum definitionibus vtriusque. ibid.
Typorum distinctio alia in persistentes,& mobiles, cum diuersa illorum appellatione,atque definitione. ibid.
Typi simplices,& compositi,quinam dicantur. ibid.
Morborum diuisio quænam,à causarum varietate. ibid.
Morborum distinctio ab exitu consimilium diuerso,in salubres, periculosos, & lethales; cum definitione priorum, ibidem.
Morbi periculosi quinam dicantur:qui lethales sint. ibid.
Morborum,in criticos & non criticos diuisio, cum eorumdem descriptione. Alia diuisio,in eos qui recidiuâ faciunt, & illos qui in integrum soluuntur. ibid.
Recidiuæ morborum,quid. ibid.
Causæ morborum vniuersales, quot i consimilium materia, quomodo definita, & quotuplex: formalis etiam causa, quid: quidve finalis eorumdem [si aliqui. constituatur. ibidem.
Efficiens causa morborum in vniuersum, quot genera contineat, cum illius definitione. fol. 270
Procatarctiqua causa affectuum, quid, eiusdem appellatio varia. fol. 270. & 271.
Antecedens causa eorundem, quomodo definiatur: denominatio illius diuersa. fol. 271.
Contineus causa,vnde sic dicatur ab autoribus diuersis: quomodo à Galeno definiatur, eiusdem appellationes variæ. ibidem.
Continentis causæ diuisio. Illius concomitantiam necessariam esse morbo, qua ratione probetur aduersus plurimos. ibid.
Causas morborum vniuersalium,præcedentes, non semper in illis admittere subordinationem,ostenditur. ibid.
Morborum productioni occurrentia, non eosdem tamen inferentia, quot, & quænam: quonam modo eadem producere affectum sint apta. fol. 272.
Ægrotandi facilitas,aut difficultas.vnde,& qualis. ibid.
Efficientis morbificæ diuisio,in causam per se, & causam per accidens,cum prioris definitione. ibid.
Causa efficientis per accidens appellata,quotuplex, cum vtriusque definitione, ibid.
Causarum efficientium per accidens distinctio,in generantes, augentes,& cooperantes,vnde oriatur:cum definitionibus singularum. ibid.
Causæ generantis distributio in principalem, adiuuantem, & conditionem sine qua non: tales quonam modo definiantur. ibid.
Intemperiei simplicis,& compositæ.causæ. fol. 273.
Intemperiem cum,aut sine materia dictam.quæ producant.ib.
Intemperierum æqualitatis,& inæqualitatis causæ. ibid.
Intemperies æquales introductæ corpori, cur dicantur indolentes,sicut inæquales dolorificæ. ibid.
Mala conformatio natiua,vnde dependeat. ibid.
Modum substantiæ partium, naturalem depravare, quænam solita. fol. 273. & 274.
Figuræ vitiatæ,causæ. fol. 274.
Cauitates corporis præternaturam,à quibus afficiantur. ibid.
Magnitudinis depravatæ specierum,causæ. ibid.
Numerum partium euariarum,quæ efficiant. ibid.
Situs partium præter naturam immutati,causæ. ibid.
Solutionis continui,causæ. ibid.
Morbum simplicem,& compositum,quæ producant.fol. 275.
Humorum congestionis causæ. ibid.
Fluxio humorum,à quibus causis dependeat. ibid.
Morbus primus,& secundus,vnde producantur. ibid.
Idiopathicus morbus,quam causam intueatur. fol. 276.
Sympathicus affectus,vnde oriatur. ibid.
Sympathia quotuplex:cum variis eiusdem causis. ibid.
Hæreditariorum morborum,causæ. fol. 277.
Congeniti morbi,magni,parui,atque ascititij; à quibus producantur. ibid.
Formatricis facultatis error,vnde oriatur. ibid.
Benignorum affectuum causæ. ibid.
Maligni morbi,à quibus diuersimodè excitetur. f. 277.& 278
Contagiosorum affectuum causæ. fol. 278.
Contagium,quot modis,quibusve perficiatur. f. 278. & 279.
Contagii,corpora quænam ex habitu peculiari sint magis susceptiua. fol. 279.
Morbi,via naturali,aut extra naturam [vt per maleficium a dæmone] quomodo excitentur. ibid.
Celerium,tardorumque affectuum causæ. ibid.
Acutorum morborum, secundum diuersitatem specierum, causæ. fol. 279. & 280.
Continuitas in morbis,à quibus causis oriatur. fol. 280.
Intermissio affectuum,vnde procedat. ibid.
Ordinati,& inordinati morbi,à quibus causis dependeant ib.
Morborum vniuersalium,& particularium causæ. fol. 281.
Populares morbos seu communes,quænam inducant. ibid.
Sporades seu dispersi affectus,à quibus producantur. ibid.
Endemiorum morborum causæ. ibid.
Pestilens constitutio,à quibus causis excitetur. ibid.
Morborum fientium,& habitualium,causæ. ibid.
Morbi noui,frequentes,atque rari,vnde oriantur. f. 281.282.
Morborum tempestatibus aduenientium,causæ. fol. 282.
Morborum longitudo,a quibus producatur. ibid.
Morbi breues.vnde dependeant. ibid.
Morbi ea temporibus particularibus denominati, sicut ex affectibus cum typo alii,& alii sine eo,ex quibus causis communibus oriantur. ibid.
Morbi à causis propriis nuncupati, quas agnoscant sui causas. ibid.
Morborum salubrium,& periculosorum, causæ. fol. 283.
Lethalium affectuum distinctio,eum causis. ibid.
Morborum exitum triplicem,quænam causæ constituant. ib.
Recidiuæ morborum,à quibus causis producantur. ibid.
Symptoma vnde sic dictum:illius acceptio vniuersalis; varia significatio,& propria appellatio apud Medicos. fol. 284.
Symptomatis definitio iuxta contractius significatum. f. 284.
Symptoma,qua ratione dicatur morbi causa. ibid.
Symptoma,alterius symptomatis causa, cur esse non possit, contra nonnullos. ibid.
Symptomaticus morbus,quam ob causam appelletur. f. 285.
Symptomatis diuisio in tria genera,& quænam. ibid.
Actio læsa de genere symptomatum, quot species contineat; cum abolitæ eiusdem dictæ exemplis. ibid.
Actionis depravatæ, sicut imminutæ, modi varii: cum exemplis. ibid.
Excretorum vitium genus vnum symptomatum, quo modo diuidatur: eorumdem vitium in re ipsa,quot species comprehendat. ibid.
Et consimilium in via læsionis, differentiæ: prædictorum quoque vitium (vt pendens à propria causa) quomodo distinguatur. fol. 286.
Retentorum vitium de genere symptomatum, quot modis consideretur. ibid.
Qualitas mutata, genus symptomatum, in quot species distinguatur. ibid.
Singultus, somnus, & sternutatio, cuiusnam symptomatis

esse dicantur. ibid.
Oscitatio, & pandiculatio, facultatis excretricis symptomata. ibid.
Tussis,ad quod symptomatum genus reducatur. ibid.
Dolorem,symptoma esse sensus tactus ostenditur. ibid.
Doloris essentiam completam, quot ingrediantur. Eius causa materialis, atque formalis,quaenam. fol. 286. & 287
Dolorem constituentia, sensatio, offensae & tristitia, quomodo distinguantur inter se, quosve actus diuisos afficiant. ibid.
Dolorem,qua ratione inuestigent Medici. fol.287.
Doloris causa efficiens & immediata,quaenam dicatur. ibid.
Symptomati in actione laesa, quaenam effectiuè concurrant. ibid.
Symptoma laesae actionis fieri à vitio facultatis,quomodo intelligatur, per quid laesionis varietatem admittit: cum exemplis. fol. 288.
Facultas,quomodo dicatur causa symptomatis actionis laesae. ibidem.
Organum,qua ratione inseruiat actionis laesioni, cum enumeratione eiusdem aliquot defectuum,quorum interuentu praedicta laesio sequitur. ibid
Actionis laesae propter organum vitiatum,exempla. ibid.
Obiectum productionum symptomatis actionis laesae, varie consideratum,eius modus operandi, pro distinctione specierum. ibid.
Actionis laesae ex obiecto vitiato,exempla. fol. 288. & 289.
Excretorum,vel retentorum vitium genus vnum symptomatum,à quibus causis oriatur. fol. 289.
Coloris mutati in corpore humano, speciei symptomatis, causae quaenam,cum exemplis. ibid
Aer, quomodo colorem varium efformare valeat in animali. ibid
Color in cute humana,ab humoribus intus genitis, qua ratione euariet,cum exemplis eiusdem. ibid.
Coloris cutanei distinctio ex succis à circumferentia ad centrum conuersis,quomodo producatur,cum exemplis. ib.
Vocis praeter naturam vitia diuersa,vt elangosa,rauca,& tremula,à quibus oriantur. fol. 290.
Locutionis vitia,vnde:cum exemplis. ibid.
Sonus deprauatus de genere symptomatis qualitatis mutatae, à quibus causis excitetur:cum exemplis. ibid.
Foetoris causae. ibid.
Sapor humorum animalis,corruptus,vnde. ibid.
Tactilium qualitatum vitia,ex quibus causis producantur. ibidem.

Ex libro secundo.

DE IVDICIIS MORBORVM.

Dignosis quam vtilitatem curationi morborum praestet. fol.291.
Prognoseos certa cognitio,qualem honorem & gloriam Medico afferat,illumque ab iniurijs liberet. ibid.
Prognoseos denominatio communis, pro quibus sumatur: eiusdem proprium significatum, cum appellatione diuersa. ibid.
Praeteritorum in morbis cognitio,quid dicatur;eiusque varia denominatio. ibid.
De iudiciis morborum,inscriptio libri vnius, quid sibi velit. ibidem.
Πρόγνωσις; προῤῥησις; & πρόνοια; quomodo distinguantur inter se. ibid.
Prognosi in denuncianda,quaenam antea à Medico praestanda suoi ex Hyppocratis:illius studium maximi momenti apud eundem. ibid.
Medicus doctus ab indocto,per quid distinguatur. fol. 292.
Prognostica cognitio,quàm difficilis & ardua habeatur.ibid.
Signum,quomodo definiatur propriè. ibid.
Signorum diuisio in salubria, insalubria, & neutra: quorum singula subdiuiduntur. ibid.
Signa memoratiua bifariam considerata, quaenam propriè intelligatur vsum habere in morborum curatione. ibid.
Signa diagnostica,quae dicantur:eorum appellatio diuersa, & diuisio. ibid.
Signorum vniuersalium,quodnam caetera antecellat. ibid.
Signa Pathognomonica quaenam dicta,cum exemplis. ibid.
Signorum syndrome,quid. ibid.
Signa conuenientia, quomodo definiantur, & diuidantur. ibid.
Signa Epiphaenomena vel Epigenomena, quomodo definiantur,varia illorum denominatio,cum exemplis. fol. 293.
Signa assidentia quaenam dicta,diuersa eorumdem appellatio, atque exempla. ibid.
Signorum prognosticorum diuisio. ibid.
Signa critica,in quo genere constituantur,ipsorumque diuisio. ibid.
Signa salutoria quaenam dicta, & quomodo aliter denominatio. ibid.
Signa τεκμήρια quae;eorumdem appellatio diuersa. ibid.
Signa diagnostica cum prognosticis; qua ratione inter se conueniant,vel differant. ibid.
Signa diagnostica,& prognostica,ex quibus eruantur. ibid.
Pulsus, quorum certam notitiam praebeant ad vsum medicum. fol.294.
Pulsibus productis,ex causis pluribus aequaliter, quid sit obseruandum. ibid.
Pulsus, qualium affectuum praeternaturam habeantur notae. ibidem.
Pulsus, qua ratione cognitionem manifestam partium affectarum detegant,exemplo pleuritidis. ibid.
Pulsus, cuius beneficio potissimum viatur vt virium robori diuersimode constituti index certissimus iudicetur. ibid.
Pulsus vehementia, quomodo facultatem robustam indicet. ibid.
Pulsus vibrati distinctio, per quam aliquando consimilis validae facultatis semper est nota, aliquando non. fol. 294. & 295.
Pulsus magnitudo, & celeritas qualis, vt eiusdem facultatis robur producatur. ibid.
Facultatis vitalis imbecillitas duplex: cum prioris definitione. ibid.
Facultas vitalis verè imbecilla denominata, à duabus causis potissimùm excitatur: quales hae habeantur: quaenam imbecillitatis conditionis eiusdem, firmiter firmae appelletur: consimilis imbecillitatis, quinam pulsus certum indicium demonstrent. ibid.
Facultatis vitalis imbecillitas maior,vel minor, quibus signis pateat. ibid.
Asphyxia,quibus ex causis prodeat,cum enumeratione aegrorum,quibus illa per dies aliquot apparuerit. ibid.
Pulsus quis, habeatur maximae infirmitatis virium nota. ibidem.
Pulsus intercisus,quid praesagiat. fol. 296.
Facultatis imbecillitas apparens dicta, quomodo definiatur: quorum pulsuum author dicatur. ibid.
Pulsuum inaequalium cum ordine aut sine illo,quis peior existimetur. ibid.

Pulsus quinam, arguant suæ causam imbecillitatem facultatis ex varijs ac duabus causis potissimum compositam. fol. 296.

Pulsus qui, morbos difficilis curationis indicent, quive desperatæ salutis indicia præbeant. ibid.

Respirationis organum præcipuum, quod facultati cuinam tale famuletur, & à qua [vt causa est efficiente] dependeat fol. 297.

Respirationis in vniversum, qualis vsus ad Medici practicam operationem. ibid.

Respiratio facilis & libera, quid boni præsagiat in morbis, & præsertim acutis. ibid.

Respiratio libera, quibus in morbis indifferens habeatur. ib.

Respiratio libera: in quibus affectibus nullam fiduciam præ se ferat. ibid.

Respiratio parua & crebra, quorum morborum nota habeatur.

Respiratio magna & rara, quarum ægritudinum indicium existat. fol. 297. quomodo eadem affecti denominentur. fol. 298

Respiratio magna & frequens, quos morbos indicet. ibid.

Respiratio propter vsum duplicem inæqualem, quos affectus præter naturam sequatur. ibid. Sicut celer respiratio, qualium affectuum dicatur nota. ibid.

Respiratio (in qua fit duplex intro reuocatio) quid in febribus, aut extra, præsagiat. ibid.

Respirationis interceptæ indicium in morbis. fol. 299.

Respiratio calida, sicut frigida, quorum affectuum præter naturam notæ dicantur. ibid.

Sudor varie ab authoribus definitur: illius quænam propria essentia. Eiusdem materia, excrementum liquidum multiplex, & quale. ibid.

Agonia affectus animi, quomodo definiatur. fol. 300

Sudorem cruentum dari naturaliter, probatur contra plurimos. ibid.

Sudoris causa finalis, & efficiens, quænam. ibid.

Sudoris acceptio diuersa, quatenus secundum vel præter naturam esse dicitur. ibid.

Sudoris causa formalis, & sine qua non, quænam. ibid.

Sudorum differentiæ, prout in sanis aut alijs non morbosis considerantur. fol. 301.

Sudor sanorum copiosus aut paucus, quid: vel sine labore corporis excretus ab vniuerso corpore aut partibus eiusdem, quid significet. ibid.

Sudoris fœtor in eisdem non morbosis adueniens, cuius conditionis habeatur; & vnde ortus. ibid.

Sudoris ægrotantium diuisio in criticum & symptomaticum: cum prioris distributione in alias species, quæ definiuntur. ibid.

Sudoris critici appellatio diuersa: cum definitione sudoris boni, atque ordinis eiusdem. ibid.

Sudor symptomaticus, quomodo definiatur: quid mali significet. ibid.

Sudor symptomaticus, In quibus morbis imbecillitatem facultatis retentricis; & in alijs redundantiam humorum ostendat. ibid.

Sudor, quinam, aliaque excretio symptomatica. possit esse vtilis ægrotanti, quæ vero non. fol. 301. & 302.

Sudoris symptomatici species tres, quænam. fol. 302.

Sudor symptomaticus, & copiosior qualis habeatur, ibid. Eius appellatio varia; quid mali præsagiat in morbis. ib.

Sudor symptomaticus & parcior ordinis, quis dicatur: illius denominatio diuersa; quid non boni significet in ægritudinibus, & febribus præsertim: quibus ex causis ortum ducat. fol. 303.

Sudor symptomaticus qualitate, quomodo definiatur: ibid. Eius differentiæ quales; vnde desumptæ; quid in morbis prædicant, præsertim à sapore & odore deducti. ibid.

Sudores symptomatici qualitate & de genere tactilium vt frigidi, quales euentus varios ægritudinū portendant. ib.

Sudores symptomatici, ratione temporis aut modi diuersi excretionis, quales habeantur; quod indicium in affectibus ostendant. fol. 304.

Sputum, vnde dictum: quomodo à græcis denominetur, eiusque acceptio communis. ibid.

Sputi vsurpatio propria secundum Medicos, quæ, quomodo definiatur. ibid.

Sputamen, sputatio, & screatus, qua ratione distinguantur; cum varijs consimilium appellationibus. ibid.

Sputi in varias species diuisio, & vnde sumpta. ibid.

Sputum, ex parte illius quod exscreatur, quot contineat differentias. ibid.

Sputum, ratione substantiæ, diuisum in syncerum & permixtum: quorum descriptiones traduntur, & singulorum propriæ notæ in ægritudinibus diuersis afferuntur, ibidem. Ex eiusdem substantiæ modo, distinguitur in tenue, & crassum. Quorum etiam in ægritudinibus varijs notę peculiares inueniuntur, sicut, ab eodem capite, fit distributio sputi in crudum & coctum. Quorum definitiones propriæ assignantur, Et quid in affectibus pręter naturam prædicent, demonstrant. ibid.

Sputum, ex parte qualitatum, & coloris præsertim, quomodo diuidatur: cuius species omnes describuntur, consimiliumque in morbis præsagia. ibid.

Sputum ex parte saporis, quale. Eiusdem differentiæ definitæ. cum iudicijs circa easdem consideratis. ibid.

Sputum fœtidum, quod signum singulare in prauis dispositionibus obtineat. ibid.

Sputa, ratione temporis, diuisa quæ. Quid ve in ægritudinibus prænuntient. ibid.

Sputum, ab excernendi modo, variè distinctum. Cuius differentiarum indicia propria circa morbos enumerantur. fol. 305. & 306.

Vrinarum vsus maximus ad diagnosim prognosimque eliciendā, quid boni, quidve mali ex his pronunciatur. f. 306.

Vrinæ, quarum ægritudinum notas securas pręcipuè ostendant. ibid.

Vrinarum consideratio, quomodo in cunctis morbis significare aliquid possit. ibid.

Vrinarum certa fides pro omnibus affectibus, quid præstet. ib.

Vrinæ sanorum, sicut ægrorum, quomodo variè definiantur. ibid.

Vrinam in sanis non ex liquore semper potulento produci ostenditur, Eidemque portionem bilis admisceri probatur. ibid.

Vrina sana quibus signis detegatur. ibid.

Vrinæ sanorum, in quibus sedimentum non admittant, contra plurimos. Quorum vrinæ, cur sedimenti plus vel minus pro distinctione subiecti recipiant. fol. 307.

Vrinæ sedimentum bonum, quale. ibid.

Vrinæ ægrorum in species diuisæ, quęnam. ibid.

Vrinarum morbosarum diuisio prima, vnde ducatur, propter quam alia est tenuis, & alia crassa; alia diaphana, & alia opaca; quarum intermedia mediocris denominatur. ibid.

Vrina tenuis, quæ dicatur: cum eiusdem causis, qualem statum in morbis significet. ibid.

Vrina tenuis simul & lucida, vnde: quid præsagiat. fol. 308.

Vrina crassa, à quibus excitetur. Eius differentię, quarum alia est apparens, & alia vera: apparentis crassities in vrina propter quam dicitur perturbata, causa: consimilisque perturbatæ species quæ, ipsius differentiarum productio,

atque

atque in morbis, singularum propria presagia, ibid.

Vrina opaca, quomodo definiatur, eius causa, cum iudiciis circa ægritudines. ibid.

Vrinę diaphanę definitio, & causæ. Eius significatio, pro iudicio affectuum. fol. 308.

Vrina mediocris, quid: illius causa & præsagium. ibid

Vrinarum diuisio, ratione quantitatis, in moderatas, atque immoderatas: Priorum descriptio qualis, atque causa. Posteriorum: ex quibus aliæ copiosiores, & aliæ pauciores traduntur definitiones, causæ, & significationes in morbis. fol. 308. & 309.

Vrinarum colores, in quot genera distributi, vnde plures species exurgant. fol. 309

Vrinæ albæ (seu aqueæ & lucidæ consideratæ) quale iudicium in affectibus, qualibet connotent: illarum causæ, & definitiones, & [seu consimiles niueum vel lacteum colorem referentes] quomodo definiantur: à quibus excitentur, quidve præsagiant. ibid.

Vrinarum nigredo, quotuplex in vniuersum. ibid.

Vrina liuida, & fusca, quænam: ipsarum differentiæ communes, quot. fol. 309. & 310. causæ consimiles earumdem, quæ, cum variis denominationibus. fol. 310.

Vrina atra, vnde, quidve significet. ibid

Vrinam liuidam, non semper caloris extinctionem portendere, ostenditur aduersus aliquos. ibid.

Frigiditas vehemens in vrinæ, qualia ab authoribus intelligatur. ibid

Vrinarum color citrinus quot species complectatur ibid.

Vrina pallida, vnde, eius varia denominatio, quid variis in morbis significet. ibid.

Vrina citrina, quomodo definiatur, ex quibus excitetur quidve in affectibus præsagiat. ibid.

Vrina flaua, quæ propriè dicatur, causæ illius cum iudicio in morbis. fol. 310. & 311.

Vrina rufa, quid, illius appellatio diuersa, causæ, & præsagia. fol. 311

Vrina fulua, quænam: eius productio, cum significatione in affectibus. ibid.

Vrinarum color rubeus, quotuplex. Subrubea vrina quæ dicatur: à quibus causis orta quarum ægritudinum varia iudicia contineat, cur sic denominetur. ibid.

Vrinæ rubeæ, quomodo diuidantur. Primæ speciei, quænam definitio, causæ, & in morbis indicia. Posterior, quid dicatur: quorum affectuum iudicium contineat, à quibus excitetur. fol. 312.

Vrina prærubea, quot habeat differentias, eius variæ significationes illius ordinis vrina colore vineo tincta, quomodo definiatur, causæ eiusdem, cum morbis, quos eadem contratur. Vt consimilis conditionis, quænam passei coloris dicatur, vnde excitetur, in quibus ægritudinibus iudicia præbeat. ibid.

Vrinarum color viridis quotuplex. Herbacei coloris vrina, quomodo definiatur. Eiusdem diuersa appellatio, vnde excitetur, quidve in morbis præsagiat. ibid.

Vrina oleaginea, quotuplex, definitiones speciecum illius, causæ. fol. 312 & 313. & significationes in affectibus. 313.

Vrinarum diuisio, ex odore, sicut ab excernendi modo. ibid.

Vrinæ non olentes, & olentes, quomodo definiantur, à quibus causis ortæ, quænam consimilium præsagia. ibid.

Vrinæ suppressio seu ἴσχουρία quomodo definiatur causę & præsagia. ibid.

Vrinæ difficultas seu δυσουρία, quid, eius causæ, quorum morborum symptoma habeatur. ibid.

Vrinæ stillicidium seu στραγγουρία vnde producatur, eius definitio, quidve in morbis significet. ibid.

Vrinæ contenta bifariam considerata, quatenus in sanis, vel in ægris conspiciuntur, materia sanorum quænam. fol. 313.

Vrinæ contentorum in ęgris, quot differentiarum genera adnotentur. fol. 314.

Vrinæ contenta, ratione quantitatis, & temporis, quomodo distinguantur, ipsorum in morbis significationes, cum causis. ibid.

Vrinę contenta ęqualia, aut inęqualia quomodo intelligantur & describantur diuersimodè, ipsorum productio, atque in affectibus prę̨sagia. ibid.

Vrinę contenta, ratione loci quotuplicia. ibid.

Hypostasis vrinarum, quomodo definiatur, eius varia nomina. ibid.

Enęorema in vrinis, quid, diuersa appellatio illius. ibid.

Nephele, quid in vrinis dicatur, eius materia diuersa quę, quomodo cum enęoremate conueniat, vel distinguatur ab eodem. ibid.

Vrinę nubecula, vnde producatur. ibid.

Hypostasis vrinarum, quot consideranda complectatur. Hypostaseos substantia triplex, mediocris, tenuis, & crassa. Priorum differentiarum, causę quęnam, definitiones, cum indiciis morborum. ibid.

Hypostasis crassa in vrinis, quot summa genera, atque differentias eorumdem contineat, quorum distinctio describitur, ibid.

Vrinarum grumi vnde, & quid significent. ibid.

Vrinarum pus, & caruncule, ex quibus oriantur, consimilium prę̨sagia in affectibus. ibid.

Vrinarum hypostasis seu sedimentum similaceum, sicut orobeum, quomodo vtrumque definiatur, varia denominatio, vnde, cum diuersis significationibus in morbis. ib.

Vrinarum sedimentum laminosum, sicut furfuraceum dictū quęnam dicantur, à quibus causis, ortum ducant, qualia ipsorum indicia pro morbis. ibid.

Colliquationem sequitur, partiumque solidarum non posse ex affectibus fieri, probatur contra nonnullos. fol. 316.

Sedimentum capillare in vrinis, vnde, quidve in affectibus prænunciet. ibid.

Sedimentum arenosum, præsertim rubens aut flauescens à quibus excitetur, quid in prauis dispositionibus connotet. ibid.

Vrinarum arenas subsidentes non semper vesicam laborare calculo, ostenditur contra celeberrimos authores. ibid.

Vrinæ, subsidentia diuersa, qualia pus, semen, & pituita, quibus notis si excreta sint, detegantur. ibid.

Sedimentum bonum vrinarum, quot dotes participet fol. 317.

Sedimentum rubrum, quid significet. ibid.

Vrinarum nubecula rubicunda, candida, atque nigra, qualia in ægritudinibus diuersis indicia portendant. ibid.

Vrinæ innatantia pinguedo, bulla seu spuma, & corona, quænam dicantur: denominationes variæ consimilium, vnde producantur: qualia præsagia in morbis significent. ibid.

Vrinarum suspectioni, quot occurrant meditanda. fol. 317. & 318.

Vrinæ colorem & odorem, qualia immutare valeant. f. 318.

Excrementa alui præter naturam, quot genera contineat: tale secundum naturam dictum, quomodo definiatur, eiusque conditiones. ibid.

Excrementum alui præter naturam, consimile quid, eius differentiæ, vnde formaotur, & qualea. ibid.

Excrementa consimilia, pro consistentia scilicet, distincta, quænam. Primæ speciei, nimirum liquidorum appellatio varia, causæ diuersæ; cum signis consimilium in ægritudinibus. fol. 318.

Excre

Excrementa consimilia duræ prædicti ordinis quæ, varia de nominatio, vnde producantur, quid in morbis connotent. fol. 318. & 319.
Excrementa consimilia mediæ eiusdem diuisionis, quænam, quotuplicia, ex quibus causis orta, cum præsagiis consimilium in affectibus. fol. 319.
Coctio diuersæ excrementorum alui præter naturã; quid. ib.
Excrementorum consimilium mixtio inæqualis, quæ. ibid.
Excrementa consimilia diuisa, habita ratione substantiæ, qualia istius ordinis æqualia dicta, quænam, vnde, quidve significent. Eiusdemque diuisionis inæqualia, quæ à quibus causis producta, quid in affectibus prænunticnt. ibid.
Excrementa consimilis generis diuisa, ab speciali substantiæ modo. ibid.
Excrementa consimilia spumosa, & pinguia, quænam varia singulorum denominatio: causæ diuersæ: & in morbis præsagia. ibid.
Excrementorum pinguedo, quotuplex, quales eiusdem differentiæ, propter consimiles, variæ in affectibus indicia. fol. 319. & 320.
Excrementa consimilia, ramentosa, cruenta, pituitosa, biliosa, & calculosa, quanam: variè denominata: causæ singulorum, & in ægritudinibus significationes. fol 320.
Excrementa consimilia diuisa, habita ratione quantitatis, quænam. Vnde denominationes pro speciebus ducantur. huiusmodi copiosiora, pauciora, sicut mediocria appellata, quæ, causæ, & præsagia.
Excrementa consimilia diuisa, colore multiplici considerato, qua. vt ex illa, excrementa alba, flaua, flammea, & rubra, quænam: cur talia sic appellata, denominationes variæ, causæ diuisæ, cum significationibus propriis circa ægritudines. ibid.
Excrementa cõsimilia viridia, quæ, vnde, & qui Indicent f. 321
Excrementa consimilia nigra, à quibus causis producantur, quomodo definiæ, quænam corumdem in morbis præsagia. ibid.
Excrementa consimilia distincta quænam, ex parte odoris, vt talia fœtida, & alis non, quæ dicantur, causæ. Quidve in affectibus connotent. ibid.
Excrementa consimilia distributa, ab excernendi modo. f. 322 vt frequenter, rarò, paulatim, & confestim, quænam aducnire dicantur: illorum productio diuersa: atque in morbis præsagia. ibid.
Excrementa consimilia diuisa, cum sono, aut sine illo; quæ, à quibus causis excitentur: quidve in ægritudinibus portendant. ibid.
Excrementa consimilia, cum dolore, & absque eodem producta, vnde causentur: cum illorum præsagiis circa morbos. ibid.
Excrementorum intuitioni, quænam accidant considerãda, & præstanda. ibid.
Coctio, quot modis apud Medicos accipiatur. Eiusdemque nomenclatura viria. fol. 323.
Cruditas, quid dicatur. Eiusdem, atque coctionis indicia pro affectibus. ibid.
Signa coctionis, atque cruditatis, vnde petantur. ibid.
Signa coctionis & cruditatis excrementorum narium & oculorum, quænam. ibid
Lemiæ in oculis, quid. ibid.
Signa coctionis cruditatisque sordium in auribus, puris, sanici & ichoris, quæ. fol. 324.
Signa coctionis cruditatisque vasorum partiumque inferiorum, quoi, & quænam. ibid.
Signa coctionis cruditatisque sputi, cum significatione varia eiusdem in morbis. ibid.
Signa coctionis, cruditatisque vrinarum: cum illarum præsagiis. ibid.
Signa coctionis cruditatisque excrementorum alui, prognosis consimilium. fol. 325.
Signa salutis futuræ in vniuersum, qua ratione detegantur. ib.
Signa salutis futuræ specifica, vnde sumantur. ibid.
Signa salubria facultatis vitalis, quæ. ibid.
Signa salubria facultatis naturalis, fol. 325. & 326. quomodo inueniantur, & quæ. fol. 326.
Signa salubria facultatis animalis. ibid.
Signa salutis futuræ communia, desumpta à facultatibus, quænam. ibid.
Morborum exitus descriptio varia, propria definitio, quomodo diuersè distinguantur, eiusdem legitima diuisio. f. 327.
Crisis, vnde dicatur, illius apellatio diuersa, & quæ propria, ib.
Iudicium, cui sic dictum ad prognosim, vnde hæc vox deducta. fol. 327. & 328.
Criseos significatum duplex, vtriusque consideratione, quomodo bifariam definiatur, & proprias significationes retineat, fol. 328.
Criseos perfectæ, sicut imperfectæ, particulæ definitæ quomodo exponantur. ibid.
Criseos bonæ, conditiones, quot, & quænam. ibid.
Criseos vniuersalis, modi quot, quinam diuersi, cum exemplis. fol. 328. & 329.
Criseos bonæ, & malæ, quibus temporibus morborum adueniant. fol 329.
Pugna Cadmea, quid. ibid.
Criseos productionum tempus in dic, quod dicatur. fol. 330.
Criseos modus, quis securior præ cæteris habeatur. ibid.
Dierum obseruatio maxima apud antiquos. ibid.
Dierum, in decursu morborum, vsus plurimus apud Medicos, quales ab eisdem nuncupati. ibid.
Dierum decretoriorum variæ distributio. ibid.
Dies critici perfectè dicti, quomodo definiantur, appellationes illorum diuersæ, & numerus. ibid.
Dies indicantes quinam, fol. 330. & 331. numerus, & denominationes variæ. fol. 331.
Dies intercidentes, quomodo aliter dicti, illorum definitio, & numerus, ibid.
Dies vacui seu medicinales; cur ita nuncupati, quomodo definiantur, numerus eorumdem. ibid.
Dierum decretoriorum diuisio legitima per classes. ibid.
Dierum coumerandorum in morbis, initium quod, & quotuplex. fol. 332.
Dierum computatio quænam in affectibus per recidiuam aduenientibus, cum exemplis. ibid.
Dierum varia enumeratio pro diuersitate ægritudinum. f. 333.
Dies decimus quartus, & vigesimus, quomodo dicantur decretorii, cum sint pares. ibid.
Dierum decretoriorum vigesimus primus, cur non dicatur finitor tertiæ septimanæ, vt vigesimus. ibid.
Mensis medicinalis, sicut lunaris, quis dicatur: quotuplex. fol. 333. & 334.
Dierum decretoriorum termini (scilicet à quadragesimo ad centesimum vigesimum) quibus in affectibus inueniantur. fol. 334.
Dierum decretoriorum, causæ variæ ab authoribus constitutæ, quænam. ibid.
Dierum decretoriorum causam, non esse motum humoris peccantis, probatur aduersus aliquos. fol. 335.
Criseos causæ certiores, quot enumerentur, & quæ. ibid.
Luna, qua ratione habeatur causa criseos. fol. 335. & 336.
Dierum criticorum regula communis adnotanda pro acutis, aut diuturnis affectibus. fol. 336.
Signa criseos, & coctionis, quomodo distinguãtur inter se. ib.
Signa criseos futuræ, quænam, vnde petantur. ibid.

Signa criseos imminentis, quænam. ibid.
Signa criseos præsentis productiua, quæ. fol. 337.
Signa criseos bonæ, atque malæ, quot ab authoribus, Hyppocrate, & Galeno enumerata, & quænam. ibid.
Signa crisim indicantia, ex parte speciei affectus, anni temporis, & constitutionis corporeæ, quæ dicantur. ibid.
Significatiua criseos particularis. Vt, per nares in hæmorrhagia: per os, in vomitu, & oris fluxu. Per secessum, venas, hæmorrhoides, & purgationes menstruas, in partibus inferioribus, sicut ex toto per sudorem, quænam. Quomodo detegantur. fol. 338.
Criseos specificæ inueniendæ modus quis. ibid.
Signa criseos perfectæ, & imperfectæ, quænam certissima habeantur. ibid.
Solutio morborum simplex dicta, quos affectus consequatur, eius definitio, cum signis, illam futuram indicantibus. fol. 338. & 339.
Decubitus in morbis, acceptio propria, cum denominatione diuersa. Eiusdem definitio. fol. 339.
Abscessus varia appellatio, & quotuplex in vniuersum. ibid.
Decubitus exempla, quos morbos, consimilis inuadat natura, quanam ratione operetur in eodem, eius materia humoralis, quæ requiratur. ibid.
Decubitus, quando recidiuetur in ægritudinibus. fol. 340.
Signa decubitus futuri, eiusdemque productiuum tempus. ibidem.
Signa decubitus, in propriam corporis partem vergentis. fol. 340. & 341.
Decubitus, pro conditionibus suis, quot contineat inuestiganda. fol. 341.
Decubitus indicia salubria, atque insalubria (ex parte loci ad quem.) ibid.
Decubitum bonū, & malū indicantia, ratione sedis, ex qua. ib.
Decubitus consideratio, propter quid. ibid.
Decubitum integrum, quæ conditiones producant, cum exemplis. fol. 342.
Decubitus imperfecti, notæ. ibid.
Metastasis morborum; vt abcessus consimilium, pro eadem nuncupatus ab aliquibus: quomodo tamen ab authorum maiori parte, distinguantur inter se. fol. 343.
Metastasis, quid; quotuplex, cum exemplis. ibid.
Metastaseos modi tres, quibus illa perficitur, quales, cum enumeratione affectuum huic subditorum. ibid.
Signa metastaseos imminentis, eiusdemque fientis, quæ. ibid.
Metastaseon prognosis. fol. 344.
Mors, quomodo definiatur, causæ illius vniuersales. ibid.
Mortem non posse contingere animali, absque læsione cordis, qua ratione probetur. ibid.
Mortis aduenientis signa vnde desumantur. ibid.
Signa lethalia facultatis animalis abolitæ. fol. 344. & 345.
Signa lethalia facultatis animalis deprauatæ. fol. 345.
Signa lethalia facultatis vitalis, vnde sumantur, quænam. fol. 346.
Signa lethalis facultatis naturalis vitiatæ, quæ. ibid.
Facies cadauerosa, aut Hyppocratica, quomodo describatur. ibidem.
Signa lethalia qualitatis mutatæ, quænam. fol. 347.
Signa lethalia sudorum, & vrinarum, quæ. ibid.
Signa lethalia vomitus, egestionumque, quænam. ibid.
Mortis futuræ, tempus vniuersale; sicut particulare morbi, quod assignetur: eiusdem dies prænuncius, sicut proprium accessionis tempus, quod dicatur. fol. 348.
Mors, quibus modis diuersis corripiat ægrotantes, cum distinctione eorumdem, pro varietate affectuum ibi relatorum. ibidem.
Mortui, à viuentibus, vt apoplecticis, hystericis, syncope affectis, aliisque, quomodo distinguantur. fol. 349.
Præsagium in morbis, circa quæ vniuersalia occupetur. ibid.
Prognosis, ad omnes affectus, fol. 349. & 350. quod præceptum primum, contineat. ibid.
Signa indicantia malitiam ægritudinibus, quibus nominibus diuersis, apud authores Græcos vsurpentur. fol. 351.
Prognosis, quonam præcipuo morbi tempore sit instituenda. ibidem.
Medici prudentia quænam, in iudicio ferendo ægritudinum. fol. 352.
Prognosis generalis quæ, ex collatione temporum naturæ, & morbi. ibid.
Prædictioni communi morborum, fol. 352. & 353. quod præceptum aliud secundo loco adnotandum tradatur. ibid.
Præceptum practicum pro custodienda fiducia & spe, circa morborum sollicitudinem. ibid.

FINIS.

Ad maiorem Dei gloriam.

DE VITALIBVS, ET NON VITALIBVS, hominum partubus.

EXERCITATIO PRIMA.

Pariendi tempus determinatum animantibus, sicut indeterminatum homini, à natura præscriptum cum exemplis. fol. 355.

Partus hominum tempus, quos inferiores superioresque sui, terminos habeat, ex authoribus. ibid.

Partus humani varietas, vnde ex Hypocrate atque Auicenna oriatur. ibid.

Partus proportionem cum formationis tempore introductâ ab Arabibus, repugnare, experimento probatur. fol. 356.

Partus diuersi in hominibus causam, non esse frequentiorem & inordinatum coitum; neque mulieris rationem victus irregularem, probatur contra Valeriolam. ibid.

Partus diuersi in hominibus causam, quod homo animal voiparum & multiparum sit, repugnare experientiæ atque rationi, probatur contra Federicum Bonauenturam. fol. 356. & 357.

Partus diuersi in hominibus causam, non esse humani fœtus propagationem necessariam, demonstratur aduersus Mercurialem. ibid.

Partus naturalis excretio, quot & quales comprehendat causas. ibid.

Partus naturalis causas, esse penuriam alimenti, necessitatem frigidioris inspirationis, nec non vteri ad fœtum expellendum lacessiti angustiam ostenditur. ibid.

Partus naturalis varietas, vnde propriè causetur. fol. 358.

Partus diuersi in hominibus causa, diuersa consimilium temperatura, cur dicatur. ibid.

Partus septimestris, intra quot dies perfectus dicatur, contra Cardanum. fol. 358.

Partus septimestris obiectiones & difficultates, quomodo soluantur atque exponantur. fol. 358. & 359.

Partus robustus aut imbecillus, quomodo efficiatur ex lunæ statu diuerso. ibid.

Partus, cur mensem lunarem quam solarem potius sequatur. ibid.

Mensis lunaris diuisio in synodicum & periodicum: cum descriptione vtriusque: quisve illorum, partui vim maiorem conferat. ibid.

Partus quinquemestris, & sextimestris vitalium exempla, quæ, vt rarissima, nihil ad scientiam faciunt: Quos tamen vt plurimum vitæ expertes esse ostenditur: nec non septimestrem, licet vitalem, infirmum sæpius haberi probatur. fol. 360.

Partus decimestris, & vndecimestris approbatorum exempla. ibid.

Partus duodecimestris, tridecimestris, quatuordecimestris aliorumque non valde receptorum exempla. ibid

Partum vndecimestrem, non esse legitimum probant Iurisconsulti: Vlpianus scilicet Accursius, & Iustinianus quorum opinio ab aliis authoribus nobis familiaribus reiicitur. fol. 361

Partus tardioris legitimi conditiones, quas oporteat Medicum intueri, eiusdemque ordinis, illegitimi atque adulterini, notæ quænam. ibid

Partu tardiore quonam modo fœtus intra vterum commorari diutius valeat. ibid

Partus vitalis, & non vitalis, quis dicatur. fol. 319. 362 & 370.

Partus vitalis, & non vitalis, menses communes. fol. 362

Partus vitalis & non vitalis secundum varia tempora, quæ denominationes ab antiquis excogitatæ sint, vt Parcæ Nona, Decima, & Morta. fol. 362

Annus septenarius in vita sæpius occurrens, quot nominibus diuersis notetur. ibid

Partus septimestris, nouimestris, atque vndecimestris vitalium: sicut octimestris non vitalis, causæ quæ à Medicis & Philosophis diuersæ excogitatæ fuerint. quænam ab Astrologis inuentæ. fol. 363

Partus vitalis & non vitalis causæ secondum Astrologos fol. 363. & 364. Ex diuerso solis aspectu quadrifariam celebrato, quænam. fol. 364

Partus septimestris causam, affectionem nascendi tunc temporis, sicut octimestris authorem, infirmitatem esse nullatenus validam haberi probatur contra Hypocratem sub alia significatione, Polybium denominatum. f. 364.

Partus productioni, numerum peculiarem nihil ex se operari, probatur aduersus plurimos. fol. 364. & 365. De numero septenario, reliquorum non perfectissimo. ib

Climactericorũ vis nulla peculiaris pro immutatione corporum: quomodo aliquando per annorum interualla, aliqui citra euidentem causam incidere in ægritudines dicantur. fol. 365

Quinarium numerum, esse magnæ efficaciæ apud veteres legitur: quibus numinibus talem offerret antiquitas. ibid

Partus vitalis, & non vitalis causam, non dici influxum varium planetarum, ostenditur, neque cinsdem authorem, esse solis cum aliis signis aspectum proprium probatur. fol. 365. & 366

Semen qua ratione ab vtroque parente elicitum, & intra vterum contentum inseruiat generationi. fol. 367

Fœtus conformationem quæ præcedant, quonam tempore post conceptũ, eadem fiat, quove modo exequatur. f. 367

Anima

Animæ infusio post tempus aliquot conformati fœtus, à qua causa immediata producatur: eiusdem animæ operationes quænam in corpore organizato primariæ celebrentur. fol. 368.
Partur triplex in vniuersum, naturalis, præter naturam, & cæsareus: cum definitione vniuscuiusque. ibid.
Aborsus, & abortus acceptiones variæ: quomodo à nonnullis distinguantur inter se: & nominis vtriusque etymon. ibid.
Abortus Latinorum, quot variis vocibus apud Græcos efferatur, eiusdemque gradus varii. ibid.
Abortus, alia à Iurisperitis, aliaque à Medicis definitio. f. 369.
Abortus causæ plurimæ, quot, & quænam. ibid.
Partus naturalis legitimus & illegitimus, quomodo propriis terminis describatur iuxta communem authorum sententiam. ibid.
Partus octimestris vitalis aliquando, exempla. fol. 370.
Partus abortiuus & cæso matris vtero eductus, quis vitalis aut non vitalis habeatur secundum tempora natiuitatis distinctionem. fol. 370 & 371. cum exemplis. ibid.
Partus eductio per vteri sectionem, quonam tempore præstanda. fol. 371.
Partum vitalem, & non vitalem, quibus temporibus oriri necessarium est. ibid.
Partus vitalis, & non vitalis conditiones, quibus fœtus bonorum parentum hæres constituatur, aut consimilibus priuetur, vt apud Iuris Antecessores legimus. ibid.

An fœtus in vtero respiret: & de vagitu vterino.

EXERCITATIO SECVNDA.

Fœtum respirare in vtero, quomodo authoritate Hyppocratis & Galeni, atque rationibus leuibus probetur. fol. 372.
Fœtum nullomodo spiritum ducere intra vterum, qua ratione prædicti authores aliique celebres demonstrent. ibid.
Fœtus cor non moueri intra vterum ostenditur. f. 372. 373.
Fœtus, quorum beneficio sustentetur & viuificetur in matrice. fol. 373.
Fœtus respirantis in vtero authores prænominati, quomodo intelligantur. ibid.
Fœtum non posse vagire intra vterum probatur: contrarium authores nonnulli statuunt, quorum opiniones conciliantur. ibid.
Vocis definitio atque compositio propria, quæ. ibid.
Fœtum non solere respirare, ante egressum vteri, probatur. ib.
Aliquando nondum natum vagire spiritumque trahere, probatur, cum exemplo familiari pulli intra ouum detenti. fol. 373. & 374.

Quid monstra, quæ ex plurium coagmentatione coïuisse apparent: vnum aut plura esse, discernat.

EXERCITATIO TERTIA.

Ingenij humani conditio, quàm varia. fol. 375.
Monstra, in quot summa genera distinguantur. ibid.
Monstrorum bicipitium, & monocephalorum exempla. ibid.
Monstrorum gemellorum historia. fol. 376.
Monstrorum coagmentationis causa distinctiua, vnde secundum Aristotelem desumatur. ibid.
Animæ sedem præcipuam & vnicam, esse cor nititur probare Aristoteles. ibid.
Cor non posse dici vnicum & principale animæ domicilium, probatur aduersus Peripateticos. fol. 377.
Cor non vltimi alimenti fontem, sed iecur esse, demonstratur contra Aristotelem: idem cor, sedem facultatis vitalis calidique influentis fontem haberi, probatur. ibid.
Cerebrum originem neruorum, nec non facultatis animalis præcipuum locum dici, ostenditur aduersus nonnullos. ib.
Caput, partem esse principem, in quo anima nobiliores perfectioresque actiones producit. fol. 377. & 378. validis argumentis & authoritatibus demonstratur. fol. 378.
Ecclesiæ decretum pro baptismatis institutione, ad dignitatem capitis efferendam, quale sit. ibid.
Capitis aperti, aut velati pro diuersis sacrificiorum temporibus, ceremoniæ antiquorum, vnde, & ad quem vsum. ibid.
Tutulum antiquorum, quod genus vestimenti fuerit. ibid.
Digitus medius, cur salutator denominetur. ibid.
Cor, sedem præcipuam esse animæ, quomodo intelligatur secundum Hippocratem & sacram paginam, idemque fontem vitæ haberi, qua ratione exponatur. ibid.
Facultates cognoscitiuæ sibi inuicem subordinatæ, quomodo intelligantur. ibid.
Phantasiam, semper præsupponere intellectum, eundemque necessariò, animam indicare præsentem, probatur. fol. 379.
Monstra, vnius animæ vel duarum ex vnici capitis, aut duplicis præsentia, participationem habere probatur. ibid.
Monstrorum, duarum animarum participum aut vnius, signa quænam. ibid.
Monstra prioris vel posterioris ordinis, quoties aquam baptismalem recipere oporteat. ibid.

De possibili sexuum metamorphosi.

EXERCITATIO QVARTA.

Transformatio plantarum atque metallorum in naturam diuersam possibilis, cum exemplis. fol. 380.
Transformationis sexus muliebris in masculeum historiæ quamplurimæ, & authorum celebrium sententiæ. ibid.
Transformatio sexus muliebris, quibus temporibus aduenire soleat. fol 380. & 381.
Transformationis sexus muliebris, opinio apud Hippocratem quomodo à Galeno aliisque exponatur. fol. 381.
Transformationem sexus muliebris, non solùm in humanis, verùm etiam in diuinis factam excogitarunt veteres. ibid.
Transformationis sexus masculei in fœmineum desideria à nonnullis suscepta, quos effectus deprauatos consequuta fuerint, iuxta exempla enumerata. ibid.
Transformatio sexus masculei in brutis quibusdam exhibita, quænam declaretur. fol. 382.
Genitales partes maris & fœminę plurimùm differre inter se ostenditur, contra authores aliquos. ibid.
Naturæ lusus in corporum inanimatorum promiscuis naturis exempla eorumdem. ibid.
Sexus vtriusque participantia animalia, quibus diuersis nominibus donentur. ibid.
Hermaphroditorum definitio quæ. fol. 382. & 383. diuisio,

cum

om figuis partium. fol. 383. Per quas facilè tales agnoscantur tam in virili quàm in *Muliebri* sexu. ibid.
Hermaphroditea Natura, in quibus animantibus aliquando inueniatur; quodve proprium nomen, talia recipiant. ibid.
Transformationem naturæ muliebris in virilem, duplicitet fieri ostenditur. ibid.
Androtheles & *Artenothelyes* nomen,cui nam sexui potissimùm conueniat,& quando. ibid.
Clitoris pars pudendi muliebris, quid; vnde dicatur; acceptiones diuersæ eiusdem; quibus notis, cum pene virili conueniat: quamve ægritudinem nimia sui laxitate producat. ibid.
Coitus mulieris cum altera, quibus modis effici possit; cur tamen inde generatio fieri nequeat. ibid
Marem non degenerare in fœminam,nisi hermaphroditus antea fuerit;illoque casu quomodo fiat. ibid.
Transformationum diuersa um in brutis,rationalibusque causæ principales vnde producantur. 384
Hyænæ commentitium ab Aristotele,quale. ibid.
Hermaphroditorum animalium exempla ab Historicis relata, quid veri falsique comprehendant. fol. 385.

Quomodo ferino sanguine epoto, homines ferinos mores induant.

EXERCITATIO QVINTA.

SAnguinem animalis epotum ab hominibus, producere in illis ferinos mores,declaratur exemplo. fol. 386.
Sanguinem animalium,quorumdam atque hominis, epilepsiæ mederi probatur. ibid.
Ferinorum morum hominis ab epoto animalis cruore excitatorum causam,non esse animæ simul cum recenti tepidoque sanguine hausto infusionem probatur contra nonnullos. ibid.
Sanguinis humani hauriendi ceremoniæ solemnes apud Antiquos,quem vsum intuerentur. fol. 386.& 387.
Sanguinis ferini hausti effectus, à quibus causis ortum ducant. fol. 387.
Hydrophobia,ex demorso cane cur excitetur. ibid.
Delirium ferox,qua ratione ab epoto sanguine animalis producatur. ibid.
Delitij productionem commune generantia duo, quænam. fol. 388.
Vinum,quomodo internos sensus turbet. ibid.
Delitij differentiarum causæ quatuor,quæ. ibid.
Pathematum animi vehementia, qua ratione delirium excitet;cum exemplis. ibid.
Cerebri noxa interna tantillùm perseuerans,cur author delirij habeatur;cum exemplis. ibid.
Vertiginis causa quænam. ibid.
Æstimatiuæ facultatis error, quomodo delirium producat, cum exemplis. ibid.
Idolorum internorum repræsentatio inordinata cum impetu occurrens menti, cur delirij causa habeatur; exempla eiusdem. ibid.
Sanguinis ferini epoti ferinos mores inducentis, causæ propriæ. ibid.
Sanguis humanus epotus ab eadem causa, & commu-ni hausti ferini cruoris, quomodo oriatur; cum exemplo. fol. 38[illegible]

Cardiacam gemmarum facultatem, non aliundè quàm ab elementorum crasi pendere.

EXERCITATIO SEXTA.

REmedia topica & singularia à natura inuenta pro affectorum partium curatione. fol. 390
Cardiacorum remediorum genera tria, quænam; eius ordine eorumdem,metalla ascribantur. ibid
Auro, maximam vim cardiacam inesse, ostendunt plurimi aduersùs quos,contrarium probatur. ibid
Medicamentorum facultates, in quot genera distribuantur à Galeno: vnde consimilium diuisio oriatur. fol. 390.& 391
Medicamentorum facultatum causæ à Fernelio allatæ, variis in locis operis eiusdem, contradictoriam sententiam arguunt. ibid
Medicamentorum facultates, non à formis substantialibus immediatè produci ostenditur, contra nonnullos. ibid
Medicamentorum facultates actiuas à formis substantialibus emanare creditas fol. 391. & 392. nullo quàm à primis qualitatibus pendere probatur. fol. 393. Quorum exempla & experientiæ afferuntur. ibid
Medicamentum simplex vel compositum,aliàs delectorium fieri: aliàs diureticum euadere,vnde oriatur: cum exemplis ibid.
Medicamenti facultatem,toti substantiæ elementorum tribui quomodo intelligatur apud Galenum. fol. 393
Cardiacum remedium,quid dicatur. ibid
Facultas vitalis,quomodo valida,aut infirma censenda. ibid
Facultatem consimilem corroborantia validioremque essentia, quæ dicantur; quorum ordo genericus præscribitur. ibid
Gemmæ,cuius ordinis cardiacorum existant: illarum natura qualitates,causæ,& vsus quinam. ibid
Gemmarum vim cardiacam, non ab ipsarum grato fulgore tanquam facultatis vehiculo dependere ostenditur, contra Scaligerum. ibid
Gemmas,plus cordi puluerata & assumptas;quàm integras & admotas prodesse,confirmatur. ibid
Cardiaca aliquot inueniri, quæ suo fulgore recreare cordi dicuntur,quomodo intelligatur apud *Auicennam*. ibid
Amuleta & admota parti remedia quonam modo eidem morbosæ salutem afferre valeant,cum exemplis. fol. 394
Magnetis cum ferro sympathia quæ. ibid

Purgationem nō attrahendo, sed irritando fieri.

EXERCITATIO SEPTIMA

PVrgatio,quomodo à Græcis nuncupetur, illius acceptiones variæ,eiusdé propria vsurpatio atque definitio. f. 395

Humorem praua qualitate noxium, non sanguinem corruptum alioque modo vitiatum; sed succum alium à natura sanguinis distinctum, intelligendum esse probatur contra nonnullos. ibid.
Caenchymia, vnde excitetur. ibid.
ὑδραγωγά, remedia, τὰ καθαίρειν pro quibus sumantur: consimilium etymologia. ibid.
Erasistratorum sententia à Galeno reiecta, circa operandi modum purgantium medicamentorum. ibid.
Purgantia, non operari in humores noxios per vim contrarietatis, ostenditur. ibid.
Purgantium operationem, non fieri attractionis gratiâ, probatur. fol. 396.
Purgantis nullam similitudinem substantiæ cum humore euacuando adnotari, demonstratur. fol. 397.
Medicamentum reduci in actum, quomodo intelligatur, & historia cuiusdam hæmagogæ plantæ apud Galenum. fol. 397.
Medicamentorum operationi circa humores, quonam modo se gerat natura. ibid.
Purgantis, naturam irritando agere in humores probatur. Cum modis, quibus vtatur eadem ad operandum. ibid.
Purgationem complentia duo, & quæ. fol. 398.
Purgantibus omnibus esse inditam qualitatem acrem à natura, quâ eadem commoueatur, apoplecticorum, & phreniticorum exemplia. ibid.
Vtero gerentes, pro diuersitate temporum cur faciliùs, aut difficiliùs purgantia medicamenta ferant. fol. 398. & 399.
Medicamenta dulcia, vbinam facultatem purgatoriam recondant quâ natura commoueatur. ibid.
Medicamenta crassiùs puluerata vim catharticam retinere, eademque in tenuiorem puluerem redacta diuretica euadere, vnde fiat. fol. 399.
Purgantium medicamentorum electionem diuersam quæ indicent, illorum distinctio. fol. 400. vnde petatur. ibid.
Purgantium exempla nonnulla ab authoribus relata, quibus medicamentum non attractionis vi, sed per naturæ irritationem purgare declaratur. ibid.

An febrientibus pisces in victu concedere permittatur.

EXERCITATIO OCTAVA.

Medici indulgentia temeraria eiusdemque austerum monitum, quid mali ægrotantibus excitet. fol. 401.
Pisces febricantibus non esse concedendos, quænam rationes, & authoritates aliquorum suadeant. ibid.
Pisces non nocere febricitantibus, imò prodesse eisdem, quænam celebrium authorum opiniones confirmet. ibid.
Piscium alimentum, cuius qualitatis particeps dicatur. fol 401. & 402. Eorumdem natura, vsus, & substantiæ distinctio consimilium, ab animalium vescibili carne fol. 402.
Pisces, calefaciendi exiccandique facultate vigere, probatur contra plurimos. ibid.
Piscium voracissimus & calidissimus, quis habeatur. ibid.
Piscium esus frequentior, cur sitim, imò aliquando elephantiasim producat, vnde frequentiora in locis maritimis, quàm alibi, Lazareta. fol. 403.
Piscium noxiorum ægrotantibus & sanis, genera quæ enumerentur. ibid.
Piscium quinam, naturam cetaceorum sequantur. fol. 403.
Pisces qui, ascribantur cartilagineis. ibid.
Pisces ostracodermi, quas species contineant. ibid.
Piscium crustatorum differentiæ nonnullæ. ibid.
Pisces quinam in cœnosis & paludibus degant. ibid.
Piscium salubrium statui sano atque morboso, quot genera, & quæ dicantur: consimilium conditiones optimæ, quænam. ibid.
Pisces saxatiles, in quas species diuidantur. ibid.
Pelagiorum, & litoralium piscium differentiæ quædam enumeratæ. ibid.
Pisces salubres ex antedictis, quando febrientibus conuenire possint. fol. 404. Quibus verò detentis febre, tales nunquam concedere oporteat. ibid.
Pisces nonnullos, carissimo pretio antiquitùs emptos fuisse, indicant muræ narum, scarorum, mulorumque exempla. ibid.

An sint aliquæ medicamentorum facultates occultæ.

EXERCITATIO NONA.

Medicamentorum facultates, in quatuor ordines distinctæ: consimilium pro gradu quolibet, denominationes, cum exemplis. 405.
Raritatem & densitatem non dici posse qualitates primas medicamentorum, sicut cæterorum mixtorum, probatur contra nonnullos, exemplo niuis & camphoræ. ibid
Medicamentorum facultatum, quænam (iuxta diuisionem prænominatam) priores, & quæ posteriores habeantur vnde ipsarum diuersa principia: quomodo huiusmodi, variis nominibus vtantur. ibid.
Facultates occultas vulgò dictas atque posteriores, non à cælo proximè in hæc inferiora insinuari ostenditur. ibid.
Cœlos esse corruptibiles, eosdemque, materiam primam sublunaribus consimilem obtinere, probatur. fol. 407.
Facultates occultas, non à formis substantialibus emanare immediatè, nec consimiles ipsis inhærere demonstratur aduersus aliquos. ibid.
Facultatum occultarum, plurimas fabulosas esse probatur: exemplo nonnullarum gemmarum. fol. 408.
Substantiæ modus, pro agentis, aut patientis diuersitate operationem cuariare ostenditur. fol. 408. & 409.
Facultates occultas, non aliunde quàm à primarum qualitatum rebus quibusque inexistentium speciali intensione, ac remissione, necnon à proprio tam agentium quàm patientium substantiæ modo prodire, ostenditur. fol. 408.
Opium, qua ratione soporem & mortem inducat. fol. 410.
Venenum extrà adueniens, aut intùs productum, quomodo suum effectum eliciat. 410.
Alexipharmacum circa sibi oppositum venenum, quonam modo operetur. ibid.
Facultatum occultarum effectus, non habere causas euidentissimas propter indiuidualem qualitatum primarum graduationem, ostenditur. fol. 411.

Num liceat Periaptis, seu Amuletis ad morborum curationem vti.

EXERCITATIO DECIMA & Vltima.

Amuletum, quid propriè dicatur, illius acceptiones variæ, quibus vocibus Græcis, & Latinis aliter exprimatur, eiusdem diuisio: quidve diuinum, tale dicatur. fol 412.
Amuletum diabolicum, aut superstitiosum, quonam modo describatur. ibid.
Amuletorum (vani dicti, & naturalis) definitiones. fol. 412. & 413.
Amuleti diuini vsum esse licitum quomodo probetur. fol 413.
Amuleta superstitiosa, aut diabolica minimè ferenda esse à Christianis, demonstratur. ibid.
Characteres, & imagines nullam vim physicam possidere ad curationem morborum ostenditur. fol. 414.
Sigilla, annulos, aliaque phylacteria magica pro medela ægritudinum non aliunde quàm ex virtute agentis extrinseci (dæmonis scilicet) operari, probatur. fol. 415.
Amuleta vana & scurrilia nullius efficientiæ, imaginationis vi plerumque morbosis affectibus profuisse ostenditur. fol 416.
Amuleta naturalia plurima, corpus nostrum alterare, ipsique nocere nonnulla, probatur cantharidum, & thelyphonij plantæ admotione. ibid.
Lapidum variorum: vt Iaspidis viridis, & Indici. fol. 416 & 417. Ophitis, Corneoli, Coruini, Æitis, Anonymi ex Hispania delati, atque Hieracites Indici, Amuleta, (secundum admotionem variam) affectibus propriis oppitulari, confirmatur authoritate. fol 417.
Animalia integra, vt bufo nemoralis, aranea, vermis capitulorum dypsaci, aut consimilium partes aliquot, vel excrementa, vt hyænæ corij particula, vmbilici infantis frustum sanguis purpuræ marinæ, sicut lupi stercus album. & succinum, pro phylacteriis diuersimodè parata, plurimùm profuisse corpori morboso legimus apud probatissimos Medicos. ibid.
Plantas, & mineralia aliquot, maximam vim instar Amuleti obtinere ad profliganda mala corporis probatur exemplo radicis pæoniæ, thymeleæ (quæ aliàs muliebri partui nocet) sambuci hydrargyri & arsenici vtriusque. ibid.
Amuletis physicis vti (citra vanam omnem obseruantiam) licitum esse, demonstratur.
Amuletum nullum inuenitur, quod per se, & vi naturali aduersùs dæmones quidquam possit. fol. 418.
Amuletorum præscriptionem nullam esse faciendam, quin priùs ab Authoribus probatæ fidei certum experimentum acceperimus, Galeni consilio standum. ibid.
Amuletorum naturalium facultas noscibilis, vnde petatur. ibid.
Mixtorum compositio, & operatio quænam. fol. 419.
Ἀπορροία quid dicatur, & qualis in mixtis. ibid.
Amuletorum effluxum manifestum dari, probatur à Galeno ibid.
Amuletorum naturalium vis, quonam modo operetur. ibid.
Amuleta naturalia, non facultatem specificam continuò producere: sed aliquando illam refundi, probatur exemplo magnetis. ibid.
Amuleta ab assumptis (secundum dissimile operatis) quibusnam distinguantur. ibid.



ANTONII

MERINDOLI

CONSILIARII MEDICI,

Et in Aquensi Academia
primarij Professoris Regij,

ARTIS MEDICÆ

PARS POSTERIOR.



AQVIS-SEXTIIS,

Typis IOANNIS ROIZE dictæ Regiæ Vniuersitatis ordinarij Typographi. 1633.

INDEX CAPITVM
TRACTATVS DE FEBRIBVS.

DE nomine & definitione febris. Capur primum. fol.1.
De Febrium differentiis. Cap.ii. fol.4.
De vniuersalibus febrium,causis.Cap.iii. fol.7.
De communibus febrium signis. Cap.iv. fol.8.
De vniuersali febrium curatione. Cap.v. fol. 9.
De febris ephemeræ cognitione,& curatione. Cap.vi. fol.10.
De febrium putridarum essentia,& causis. Cap.vi. fol.14.
De febrium putridarum differentiis, & differentiarum causis. Cap.viii. fol.19.
De signis febrium putridarum. Cap.ix. fol 30.
De vniuersali febrium humoralium, seu putridarum curatione. Cap.x. fol.33.
De febre sanguinea,seu synocho putri. Cap.xi. fol.26.
De malignis & pestilentibus febribus. Cap.xii. fol.43.
De Febrium phlegmaticarum,seu quotidianarum differentiis. & curatione. Cap.xiii, fol.55.
De biliosarum febrium differentiis, & curatione. Cap. xiv. fol.63.
De melancholicarum,& quartanarum febrium differentiis,& curatione. Cap.xv. fol.73.
De febris hecticæ cognitione,& curatione. Cap.xvi. fol.79.
De compositarum,& implicatarum febrium differentiis, cognitione,& curatione. Cap.vxii. fol.90.
De febrium symptomatibus. Cap.xviii. fol.97.
De immodico sudore in febribus. Cap.xix. fol.98.
De Exanthematum, ecthymatumque differentiis, & curatione. Cap.xx. fol.99.

INDEX LIBRORVM SECTIONVM, ET CAPITVM, TRACTATVS DE MATERIA ET FORMVLIS MEDICAMENTORVM.

Proœmium. fol.112.
De materia medica. Liber primus. fol.113.
De syrupis & quibusdam simplicibus humores purgantibus & certa membra roborantibus, sectio prima: de syrupis & aliis pituitam præparantibus. ibid.
De syrupis & aliis bilem præparantibus. Caput ii. fol.114.
De syrupis & aliis melancholiam præparantibus. Cap. iii.
De syrupis compositos humores præparantibus. Cap. iv. ibid.
De syrupis & aliis certa & determinata quædam membra speciatim roborantibus, ac primo quidem de cephalicis, seu cerebrum corroborantibus. Cap. v. fol.115.
De syrupis & aliis fauces & pulmones roborantibus. C. vi. ib.
De syrupis & aliis cor roborantibus. Cap. vii. fol.116.
De syrupis & aliis vterum roborantibus. Cap. viii. ibid.
De syrupis & aliis iecur roborantibus. Cap. 9. fol.117.
De syrupis & aliis renes roborantibus. Cap x. ibid.
De syrupis & aliis ventriculum roborantibus. Cap. xi. fol.118.
De syrupis & aliis lienem roborantibus. Cap. xii. ibid.
De syrupis & aliis intestina roborantibus. Cap. xiii. ibid.
De syrupis varios humores purgantibus. Cap. vlt. fol.119.
De medicamentis compositis, variè diuersa membra alterantibus sectio secunda. ibid.
De medicamentis compositis, caput alterantibus. Caput primum. fol.120.
De compositis medicamentis cor alterantibus. Cap. ii. ibid.
De compositis medicamentis iecur alterantibus. Cap. iii. fol.121.
De compositis medicamentis pulmones alterantibus. Cap. iv. fol. ibid.
De compositis medicamentis ventriculum alterantibus Cap. v. fol 122.
De medicamentis compositis lienem alterantibus. vi. ibid.
De medicamentis compositis intestina alterantibus. Cap. vii. ibid.
De medicamentis compositis renes & vesicam alterantibus Cap. viii. fol.123.
De compositis medicamentis vterum & virilia alterantibus. Cap. ix. ibid.
De compositis medicamentis ad venena & contagiosos affectus vtilibus. Cap. vlt. ibid.
De lenientium & purgantium simplicium medicamentorum viribus: sectio tertia.
De lenientium cathalogo: quæ delicatiores cum purgent aliis ἰσχυρότερα seu stercora tantùm educentia euadunt. Caput primum. fol.124.
De simplicium medicamentorum, benignè purgantium bilem, viribus & dosibus. Cap. ii. ibid.
De simplicium medicamentorum, benignè pituitam purgantium viribus ac dosibus. Cap. iii. fol.125.
De simplicium medicamentorum, benignè melancholiam purgantium viribus ac dosibus. Cap. iv. ibid.
De simplicium medicamentorum serum purgantium viribus ac dosibus. Cap. v. ibid.
De simplicium medicamentorum bilem vehementiùs purgantium viribus ac dosibus. Cap. vi. fol.126.
De simplicium medicamentorum pituitam vehementiùs purgantium viribus ac dosibus. Cap. vii. ibid.
De simplicibus medicamentis, melancholiam vehementiùs expurgantibus. Cap. viii. fol.128.
De simplicibus medicamentis, serum vehementiùs purgantibus. Cap. ix. ibid.
De purgantium medicamentorum compositorum viribus & dosibus. Sectio quarta.
De compositis medicamentis benignè pituitam purgantibus. Caput primum. fol.129.
De compositis medicamentis, pituitam vehementiùs purgantibus. Cap. ii. ibid.
De compositis medicamentis, bilem benignè purgantibus. Cap. iii. fol.130.
De compositis medicamentis, bilem efficaciùs purgantibus Cap. iv. fol.131.
De compositis medicamentis, mitioribus & vehementioribus melancholiam purgantibus. Cap. v. ibid.
De formulis medicamentorum, quæ Medicis in ordinaria praxi sunt in vsu. Liber secundus. ibid.
De internorum remediorum vsitatioribus formulis. Sectio prima. fol.132.
De aquis stillatitiis. Cap primum. ibid.
De apozemate. Cap. ii. ibid.
De iulapiis. Cap. iii. fol.133.
De syrupis. Cap. iv. ibid.
De emulsionibus. Cap. v. fol.134.
De potionibus. Cap. vi. ibid.
De bolis. Cap. vii. fol.135.
De pulueribus. Cap. viii. ibid.
De opiatis. Cap. ix. fol.136.
De eclemate seu de linctu vulgò lohoch. Cap. x. ibid.
De conditis. Cap. xi. fol.137.
De pasta Regia. Cap. xii. ibid.
De pilulis. Caput. xiii. ibid.
De tabellis. Cap. xiiii. fol.138.
De trochiscis. Cap. xv. ibid.
De glandibus. Cap. xvi. ibid.
De pessariis & nascalibus. Cap. xvii. fol.139.
De clysteribus. Cap. 18. ibid.
De iniectionibus. Cap. xix. fol.140.
De Errhinis. Cap. xx. fol.141.
De Nasalibus. Cap. xxi. ibid.
De gargarismis. Cap. xxii. ibid.
De masticatoriis. Cap. xxiii. ibid.
De generalibus quorumdam medicamentorum nomenclaturis in remediorum internorum quotidiano vsu vsitatis. Cap. vlt. fol.142.
De externorum remediorum formulis. Sectio secũda. fol.143.
De oleis. Caput primum. ibid.
De linimentis. Cap. ii. fol.144.
De vnguentis. Cap. iii. ibid.
De ceratis. Cap. iv. fol.145.
De emplastris. Cap. v. ibid.
De sparadrappo. Cap. vi. fol.146.
De cataplasmate. Cap. vii. ibid.
De sacculis. Cap. viii. fol.147.
De cucuphis. Cap. ix. ibid.
De frontali. Cap. x. ibid.
De collyriis. Cap. xi. fol.148.
De Trochiscis. Cap. xii. ibid.
De pomis odoratis. Cap. xiii. fol.149.
De fotibus. Cap. xiv. ibid.
De epithemate. Cap. xv. ibid.
De balneis. Cap. xvi. fol.150.
De semicupio. Cap. xvii. fol.151.
De vaporatiis. Cap. xviii. ibid.
De stupha. Cap. xix. ibid.
De synapismo. Cap. xx. ibid.
De dropace. Cap. xxi. fol.152.
De vesicantibus. Cap. xxii. ibid.
De Caustico. Cap. 23. & vltimum. fol.153.

PROOEMIVM

TRACTATVS DE FEBRIBVS.



Niuersum Medicinæ opus in duas à nobis distribui partes theoricam scilicet & practicam, monuimus aliàs in ipsis totius operis Prolegomenis. Quare absoluta prioris partis tractatione, quam meritò theoricam seu speculatiuam diximus, quòd circa solam obiecti Medicinæ contemplationem versetur: ordinis & instituti ratio postulat vt ad posteriorem partem practicam scilicet quæ operandi medendique modum explicat, accedamus. Huic autem posteriori parti iure theoricam præmisimus, quòd cum incogniti nulla sit curatio, necesse est Medicum exactam habere priùs tùm humani corporis quomodolibet constituti, tum affectuum præter naturam idem corpus infestantium notitiam, quàm remedia non minus tuendæ valetudini quàm morbis propellendis accommoda, scitè tutoque præscribat. Etsi verò hæc practica pars ordine quidem dicatur posterior, priori tamen vt dignitate non cedit, sic ipsam vtilitate superat. Etenim frustra naturam hominis contemplatur Medicus, frustra temperamentorum varietatem inuestigat, frustra triplicis status corporum salubrium insalubrium & neutrorum differentias perquirit, frustra demum morborum essentias, causas & symptomata perscrutatur, nisi ampla remediorum, quæ practica suppeditat, supellectile instructus, vnicuique morbo conuenientem sciat medelam apponere. Quod cum præstat Medicus, verum & vltimum Medicinæ finem assequi dicitur, cùm eiusdem officium non tam speculari sit quàm mederi. Curatio siquidem per se exercetur à Medico, vt docet Galenus,[a] dignotio vero atque prænotio propter curationem. Ad quam rectè instituendam apprimè necessarium esse duximus singularum febrium essentias, differentias, causas, signa, prognostica, & curationem, nec non materiam Medicam & vsitatiores remediorum tam internorum, quam externorum formulas non omissis eorumdem dosibus explanare; A Febribus omnes pene morbos comitantibus exordium sumentes.

[a] Lib. 1. de ratione victus in morbis acutis.

DE FEBRIBVS.

De Febribus.

CVM resolutiuæ methodi quam hac posteriori artis parte insequimur ratio expostulet, vt ab vniuersalioribus ad ea quæ magis particularia sunt sensim transeamus: postquam generalia medendi præcepta absoluimus, sic ad specialia delabi destinamus; vt primùm de his affectibus in specie curandis tractemus, qui si non in prædicando, saltem in informando sunt vniuersaliores, & frequentiùs humana corpora infestantes, Medicorum operam sæpiùs exquirunt; de reliquis etiam postmodum acturi qui & rariùs nocent, & partes aliquas determinatim occupant. Quare cùm prioris illius conditionis sint febres: quæ & omnes corporis partes simul lædunt, & cùm per se solæ frequentes sint, prætereà parum abest, quin omnibus periculosis affectibus immisceantur. In quibus curandis ita occupamur, vt vix vnquam aliis ægris sanandis præesse soleamus, quàm febrientibus. Cæteros enim affectus, Chirurgi, Pharmacopolæ, Pseudochymiatri, Agyrtæ, & mulierculæ curandos suscipiunt. Quinimò vulgarium plurimi quacumque ægritudine laborent, modò sint à febre liberi, se minimè ægrotare existimant. Quæ antiquorum etiam mentibus infixa fuit opinio. Nam Ciceronem legimus [a] scribentem, cùm decimum iam diem grauiter ex intestinis laboraret, nec probaret se non valere, quòd febrem non haberet, fugisse in Tusculanum. Hinc præ cæteris omnium morborum generibus, huic soli, ob nocendi frequentiam & vehementiam superstitiosa Antiquitas templa dicauit, vt à Valerio Maximo [b] Plinio [c] atque aliis quos memorat Dalechampius in notis ad citatum Plinij textum, relatum habemus. Quòd ea religione sperarent se à tam frequentis molestiæ noxa: vel demulcendo vel auertendo liberari.

a 7. Epist. 16
b Lib. 2. c. 5
c Lib. 2. c. 7.

Verùm augustiorem religionis speciem habuisset hoc institutum, si vt morbo aliis salubriter superuenienti, & plerumque salutari phanum & sacra decreuissent. Solet enim febris, pluribus aliis affectibus ad salutem plerumque superuenire. Siquidem apud Hippocratem [d] conuulsioni superueniens febris à morte liberat. Eadémque, dolores circa hypochondrium sine inflammatione obortos soluit. [e] Necnon & plures alios tollit affectus, qui vel ex obstructione nascuntur, vel ab spiritu flatuoso excitantur; vel inæqualem aliquam intemperiem sequuntur. Ea enim tum quæ obstruunt extenuat, tum flatus dissoluit, tum temperaturæ potest æqualitatem inducere (vti docuit Galenus,) [f] Imò & ad quoscumque frigidos affectus sanandos eadem conducit: seu illi à præsente aliqua materia foueantur, seu in solitaria & mera intemperie consistant eodem Pergameno authore. [g] Hinc grauedini & raucitati adueniens eas certò concoquit ex eodem Galeno. [h] Quare cùm à febribus aliquando vitæ periculum impendeat, aliàs ad salubritatem ab eisdem auxilium speretur: seu periculum quod minantur, auertamus, seu vt spem auxilij quam suggerunt in salutarem fructum conuertamus: Operæ pretium est Medicis, febrium naturam, differentias, signa, prognosim, & curationem exactè cognoscere: ne in horum aliquo minùs versati, si quando facto peccauerint, ad internecionem vsque offendant. Rectè enim ab Isacio [i] scriptum est, hoc genus morbi non tolerare medici ignorantiam. A quâ vt quantum in me est, vos vindicem: id totum quod mei est ingenij ad tractationem hanc, vt par est, enucleandam nulli labori parcens lubens impartiar.

d 5. aphor. 5.
e 6. aph. 40.
f In comm. cit. aphor.
g 2. aph. 44. comm.
h 3. in 6. epid. com. tex. 10.
i In principio tract. febriū.

De nomine & definitione febris.

CAPVT PRIMVM.

FEBRIS vt author est Isidorus [l] à feruore Latinis dicta est, quòd sit abundantia caloris. Ita apud Græcos πυρετὸς appellata ἀπὸ τοῦ πυρὸς hoc est ab igne nomen sumpsit: vt docuit Galenus. [m] Imò cùm vehementissimam febrem significare vult Hippocrates, ignis nomine vti consueuit: ita [n] Philini vxorem (inquit) ignis corripuit; & [o] Cleonactidem ignis inuasit; & [p] Metonem moxque Erasinum & Clazomenium etiam. Idque animaduersum fuit à Galeno. [q] Contrà idem Cous Senex leuiùs febrientem calefactum tantùm dixit. Vt [r] frater vxoris Aristei fatigatus itinere incalescebat, & [s] Adolescens in Melibœa ex potu & multa venere multo tempore calefactus decubuit. Neque verò præter rationem sentire videretur, qui febrem à februo antiquo verbo deduce-

l Lib. 4. orig. cap. 6.
m 3. in lib. de fract. com. tex. 8.
n 3. Epid. sect. 3. agro 4
o Ibid. agr. 6.
p Ægroto 7.
q 3. in 1. Epi. t. cō tex. 19. & lib. de comate cap. 3.
r 2. epi. sec. 2
s 3. epi. sect. 2. ægroto. 2 iti.

ceret,quod idem est,ac purgo,vt author est Nonius ex Vartone : quòd febris corpora plerumque ab excrementis,ea sensim absumendo,expurget.

Est autem febris calor præter naturam auctus, à corde in vniuersum corpus diffusus, actiones sensibiliter lædens. Quæ definitio causalis est,febris formam & materiam idest subiectum explicãs. In qua calor præter naturam auctus dicitur, vt morbi species sub qua continetur febris,intelligatur. Est enim morbus in intemperie,vt habemus apud Galenum.[t] Est inquam intemperies, non vt hæc respectiuum aliquid connotat:sed vt quid absolutum tantùm significat. Vt abundè colligi ex his potest,quæ de morbi definitione & natura tractantes diximus.[v] Vbi mirari Augenium virum Clarissimum licet qui[x] affirmans propriam febris formam & essentiam esse calidam intemperiem, cuius causa continens sit calor præter naturam : mox[y] omnium febrium commune genus esse qualitatem passibilem scribit. Cùm enim calor præter naturam sit ipse calor intensior quàm natura requirat,atque is sit id quod in intemperie calida concipi potest absolutum: intelligi non potest intẽperiem calidam vt à calore præter naturam distinguitur,aliud esse quàm respectiuum quid, quod nec patibilis qualitas dici potest,nec morbus. Sed magis adhuc eumdem admiror cùm audeat[z] affirmare ad mentem Galeni calorem præter naturam non esse rationem formalem febris cùm contrarium euidenter legatur[*] ac ipse Augenius[a] calorem præter naturam substantiam febris complecti iuxta Galeni doctrinam sexcentis locis diligentissimè expositam fateri & affirmare cogatur.

Est ergo febris calida,vt explicatum est,intemperies eãque simplex,vt fusè probant, Massarias[b] & Valesius.[c] Quare febris rectè dicitur calor præter naturam auctus : cum siccitas quæ illi consequenter vt plurimùm adiungitur,quemadmodum Galeno placuit[d] tunc solùm adueniat, cùm caloris vis iamdiu inualuit. Neque siccitas quæ immodicum calorem consequitur,inter morbosas intemperies statim numeratur;sed ante oportet illam actiones manifestè lædere. At neque siccitas necessariò febri vt febris est coniungitur : cùm antè ephemera genita concipiatur,quàm vlla sicca intemperies sit introducta. Imò & in putridis plurimis febribus pituitosis,& pestilentibus ; corpus nimio potiùs humore diffluit quàm exsiccetur. Quare rectè cum Galeno[e] non secundùm Hippocratem modò & præclarissimos Medicos,sed etiam secundùm communem omnium hominum notionem;essentia febris est præter naturam caliditas. Apud quem etiam ibidem, primæ,præcipuæ,& ex propria febrium essentia acceptæ differentiæ,sunt quæ per calorem traduntur. Ita vt ad textus sibi inuicem apparenter aduersantes conciliandos dicere possimus in omni febre calidam intemperiem actu solam aduerti;illi tamen in potentia siccam coniungi.

Neque obstat Hippocratem[f] velle victum humidum omnibus febricitantibus præscribendum, quod non nisi ad contrariam intemperiem corrigendam institutum esse videtur, vt Galenus ipse[g] sentit. Nam vt rectè Mercurialis aphorismum interpretatur;[h] Hippocrates appellat victum humidum,non qualitate:sed modo substantiæ,hoc est liquidum. Galenus ita[i] vtrem dixit repletum humida materia pro liquida,& picem humidam pro liquida. Humidum autem victum hoc est liquidum febricitantibus præscribit Hippocrates quòd ad febrientes alendos, quorum concoctrix est debilis,is sit accommodatior. Faciliùs enim est impleri potu quàm cibo: vt idem inquit[l] quod Galenus[m] refici & renutriri interpretatur. Ita Hippocrates ipse[n] qui citò indigent adiectione, illis humidum,ad recuperandas vires,inquit,remedium est optimum:vbi autem adhuc citius, per odoratum. Et aphorismi qui decimum sextum illum libri 1. tum antecedunt, tum consequuntur, ita eam vocem interpretandam esse demonstrant. Postquam enim quibus ægris magis aut minus tenuis victus conueniat,à 4. ad 10. explicasset:mox quando cibare expediat 11. & 13. exponit;exinde qua copiâ cibos offerre deceat 14. & 15. docet : 16. quâ formâ,& quoties tandem 17. determinat. In quibus omnibus de cibo agit sub ratione alimenti.atque vt ad tuendas vires pro varietate, speciei temporisque morborum,ætatum & anni temporum illo vtimur:nequaquam ad illius qualitates actiuas respiciens per quas medicamentosus efficitur.

Præter naturam auctum febrilem calorem diximus,vt illum qui per ætates ad consistentiam vsque secundùm naturam intenditur,atque etiam natiuum omnem tam plurimorum sanorum quàm quorumvis neutrorum exquisitè temperati calorem excedentem excludamus. Præter naturam inquam auctum:quòd ad eam intensionem venerit, quam particularis natura citra functionum sibi consuetarum offensam ferre nequeat. Enim verò auctum dicimus : quòd licet idem sit specie cum præexistente naturali:in eo tamen quòd per additionem gradûs,ex naturali & naturæ facultatibus ad operandum inseruiente, factus sit præter naturam & animali infensus ; atque ideò in eo ipso calore, qui intensior est redditus, sed sub ea ratione prout intensior euasit, formalis notio febris consistat. Quare rectè Galenus, frequentissimè febrem ait esse calorem natiuum conuersum in igneum:non conuersione substantiæ,sed conuersione qualitatum.

Quod temperatus antea calor cum proportionatum esset naturæ instrumentum ; natu-

t 8.meth.c.1.
v Lib.1.trac.3.p.theorica.
x Lib. 1. de febr. cap.10.
y Eod. c. 10. lib.1. de febr.
z Lib.2. c. 4.
* 1. in 6.ep. com.tex. 29.
a Cit. lib. 1. cap. 10. p. 41
b Lib. 5 prac. in exam.definit.febr.
c Lib. 5. controu. cap.18.
d 1. de rat. vict. acut. comm.tex.18 7 meth. c. 8. & alibi.
e 1. in 6.epi. com.tex.29.
f 1.aphor.16
g In comm. eiusd. aphor.
h Lib.5.prat. cap. 1. & in comm. eiusd. aphor.
i Lib. 4. de dignoscendis pulsib. cap.1.
l 2.aph.11.
m In comm. eiusd aphor.
n Lib. de ali. prope finem.

talis diceretur: qui idem mox in intemperatum conuersus per additionem graduum igneo propiùs respondens, & ad naturæ famulatum ineptus eiusque functiones lædens, præter naturam dicatur, idèmque febris nuncupetur. Non enim id solùm quod naturali & temperato est additum febris esse dicitur, sed totus ille qui ex prioribus téperati gradibus & superadditis, à quibus intemperatus redditur, vnicus, simplex & singularis, sed intensior exurgit. Ac quoniam quæ ad hanc materiam pertinent mille ambagibus abscriptoribus intricantur, ex indiscreta caloris & calidi natura: qui hæc integrè & explicatè intelligere volet, ea attentè legat & examinet, quæ libro de calido innato à nobis scripta sunt.

Postmodum febrilem calorem à corde diffundi asserimus: vt primarium illius subiectũ explicemus. Idque iuxta Galenum.[o] Non quòd ibi primò illum accendi oporteat, cùm aliquando in capite primùm, vel articulis sentiatur, ex insolatu aut vehementiore exercitio natus: vt docuit Galenus.[p] Nec non in iecore, referente eodem Galeno[q] vt 1. in 3. epid. comm. tex 5. aut alibi, vt passim apud Galenum legitur. Sed quòd vbicumque calor accendatur præter naturam non ante febris dicatur quã cor vnà calefiat, vt docet Galenus.[r] Vel etiam secundùm quid sui calefactum sit. Illud enim cum sit innati caloris fons: vt naturalem in reliquum corpus effundit, ita vbi semel præternaturalem conceperit, eumdem proximè in alias corporis partes solùm aptum est & expendere. Nam vt idem Galenus scribit[s] intemperies per vniuersum corpus effusa indui non potest, quin prius cor occuper. Ac multò minus de ea id sentiendum est, quæ calida cum sit, celeriter ac quasi de repentè vniuersum corpus inuadit, vt solet febris.

Ita verò is calor à corde diffunditur, vt necessariò cordis substantiam in omni febre secundùm quid calefactam esse oporteat: vt rectè docuit Mercurialis[t] febris enim morbus est cor afficiens, eiusque primò actiones lædens. At morbus, vt passim apud Galenum habetur, & nos[u] fusè probauimus 1 qualitas quædam est permanens, quæ solùm in parte vitam habente recipitur: vt colligitur ex Aristotele.[x] Nulla autem in corde pars est viuens, præter ipsius substantiam, spiritus enim & humores intra ventriculos contenti, nullius sunt vitæ participes: vt à nobis probatum est.[y]

Neque propterea febris omnis est hectica; quæ tum adest, cum calor, cordis corpus occupat ex Galeno.[z] Nam oportet ad hecticam omnem cordis substantiam calere, & adæqualem intemperiem peruenisse. In cæteris autem sufficit, idem secundum quid sui, incaluisse: vt colligitur ex Galeno ipso.[a] Dum enim calefit, & ad inæqualem intemperiem ducitur, quidpiam iam inest in eo calefactum: quoniam in omni motu, semper est aliquid iam motum, vt scribit Arist.[b]

Diffundi eum calorem in vniuersum corpus, prætorea diximus, cum Galeno,[c] vt adæquatum febris subiectum notaremus. Febris enim ideò vniuersalis morbus appellatur, quòd corpus vniuersũ occupet. Quod tamen cum modificatione aliqua intelligendum: nisi scilicet ea diffusio communicari impediatur, vt in rigore febrili, lipyria, epiala & colliquantibus quæ ad interitum inclinant. Quæ modificatio à Galeno insinuata[d] expressè legitur apud Auicennam.[e] Impeditur in rigore, quia per id tempus, spiritus intrò retrahuntur, vt cordi præstò sint, ad resistendum putrido vapori occurrenti. Sic enim cum excellentissimo Massaria malim respondere, quàm cum Trincauellio[f] negare in principiis febrium febrem adhuc accensam esse. Quod licèt in hoc casu tueri possemus: cum nihil inconueniat, febrem quæ suum acquirit esse successiuè, antè incipere quàm perfici. Tamẽ in lipyria ad Massariæ responsum recurrendum est: & fateri oporter, febrilem calorem tunc ad extrema minus diffundi; quod (vt docet Galenus[g] per eas febres, igneus viscerum calor, instar cucurbitæ, à partibus externis ad se trahat cum spiritibus & sanguine, calorem. In febre vero epiala, eadem caloris per omnes partes effusio impeditur, quia cum illa authore Galeno[h] à pituita vitrea, aut humore crudo illi congenere, & inæqualiter putrescente, ac moto generetur: ea eius humoris portio quæ nondum putrescit, admodum frigida & viscida quam nullus influens calor peruadere queat, eam partem quam proximè attingit impensè refrigerat vel vt habetur apud eundem Galenum[i] si pituitosus succus qui frigidus est quemque Praxagoras vitreum appellat, & amara bilis quæ calida est simul abundent ac per sensibilia membra per se vel per vapores & exhalationes moueantur, nihil miri est vtrumque à cubante pari modo sentiri. In colliquantibus demum febribus, extremorum membrorum calido in integrum ferè exoluto, vt habet Galenus.[l] Ipsóque penè deficiente influente: corpora tactu frigida apparent: cum tamen igneum calorem intus conceptum contineant: non aliter atque calci aduenire conspicimus, calido quidem extremæ superficiei ab aëre ambiente suffocato, interiùs calido igneo per calcinationem acquisito intus latente.

Tandem vt naturam caloris illius præter naturam aucti, quem febrem appellamus, integrè exprimeremus, diximus, eum actiones sensibiliter lædere, ex Galeno,[m] vt illi, morbi rationem formalem attribueremus: quam prioris definitionis termini, non satis exprimebant.

o 1. de differ febr. cap. 9. 9 meth cap 9 10. eundem cap. 8. & cit. lib. 1. epid. com tex. 29.
p Lib. de causis procatarcticis cap 2
q 1. in 3. epi. comm tex 5.
r Catat. lib. 1. de diff. febr. cap 3.
s Lib. de marasmo. cap. 1.
t Cit. lib. 3. pract. cap. 1.
u Cap. 1. lib. 2. tract. 3. partis theor.
x Lib. de sensu & sensib. c 1.
y Lib de spiritibus.
z lib. 1 de diff. febr. c. 1.
a 3. de praesag. ex puls. cap 2.
b Lib 6 phys. tex. 40. & 41
c 1 lib de causa morb. cap 2 lib. de affec. morb c. 3 & lib 2. metho. cap. vlt.
d Cit. com. 1. in 6 epid. com. tex. 29.
e Lib. 4 fen 1 tract 3. c. 50.
f Cap 3 in lib. 1. Galeni de diff febr.
g 1 progn. comm. tex. 4.
h Lib 2. de diff febr c 6.
i Lib de inaequali intemper. cap. 8.
l 4. in 6. epid. com. tex. 30.
m 8. morbod. cap. 1.

Actiones autem in plurali diximus: vt de omnibus intelligatur non tamen de singulis generum: sed de generibus singulorum. Licèt enim simul & vitalis, & naturalis, & animalis facultatis operationes aliquæ lædantur: non tamen omnes semper cuiuscumque generis actiones offendũtur. Quòd aliquando, crudorum coctio, flatuumque discussio, meliùs per febres fiat, motusque & enixus robustiores in nonnullis per phrenitides appareant, & in plurimis sensus sint integri: in aliis, diuersorum excrementorum consueta fiat excretio. Singulas autem facultates corporis rectrices in aliquo per febres lædi ideò necesse est: quia cum in quacumque febre calidum membris infixum vitium contraxerit, quòd vel incalescat: vel iam etiam incaluerit: idipsum verò sit princeps facultatum animæ instrumentum fieri non potest, naturalis, animalisque facultatis functiones vndequaque illæsas esse, cum calidum innatum à naturali temperie fuerit ad intemperiem versum. Maximè verò naturales, quarum præcipuum instrumentum cùm sit membrorum crasis, quæ per febres in calidam discrasiam conuertitur: easdem pre cæteris lesionem hinc pati necessum est.

De febrium differentiis.

Capvt II.

QVAMVIS communis natura febrium, ea vna sit, quam recens explicuimus: multifariam tamen febres inter se distingui, & experientia, & ratio comprobauit.

Quocumque autem modo aliæ ab aliis distinguantur, eas ab inuicem vel essentialiter, vel accidentaliter differre necessum est. Quarum essentia, si ex parte formæ consideretur, quia ea simplicissima est, nullis differentiis potest in diuersas species contrahi. Nulla enim est caloris præter naturam aucti, quà talis calor est, varietas, quæ specificam diuersitatem inferat. Pro varia enim intensione & remissione, magis aut minùs suscipiens: non propterea specificam varietatem induit. Si verò ex parte materiæ, seu primarij subiecti (quod & illis essentiale quadantenus est) febres spectentur cùm non idem sit singularum febrium subiectum, poterunt inde aliquam distinctionem essentialem admittere: præsertim si ex primarij subiecti varietate, lędendi diuersitatem acquirant. Atque ideò Galenus [a] id quidem rectè protulit, differentias quæ à materia sumuntur, in qua hic calor præter naturam accenditur, maximè proprias esse. Sed in ea materia, multiplicique subiecto explicando, ideò peccare videtur, [b] & cum eo viri percelebres plurimi: quòd non cordis solùm corpus pro febris subiecto statuat, sed humores etiam & spiritus qui in eius ventriculis continentur. Nam vt superiore capite docuimus, & aliàs fusiùs probauimus, cuiuscumque morbi subiectum oportet esse partem viuentem: cum is primò & per se actiones lædat: quæ vt à parte viuente optimè constituta integræ eduntur: ita ab ea sola malè affectâ lædantur oportet. Humores autem, imò & spiritus ipsi in ventriculis contenti, vt nullã habent cũ partibus continuitatẽ, ita nullam cõmunionẽ vitæ participant.

a 1. de diffe. febr. cap. 1.

b Cap. 1. de diff. febr. c. 1.

Quare, saluo doctiorum iudicio, vt eam varietatem primarij febrium subiecti artificiosè explicemus, rem totam ita esse concipiendam existimo, vt dicamus Cor non aliter ac cætera mixta eam habere partium heterogeneitatem, vt tota eius moles triplicis substantiæ concursu compleatur, quarum vna tenuior cæteris, & quasi vapor quidam aliis immixtus, spirituosa appellatur: altera priore quidem crassior sed humida, quæ si aliquando separata consisteret, sola diffluerET, & reliquarum compago quædam est, humorosa nuncupatur. Tertia demum terreæ corpulentiæ præ reliquis maximè est particeps, totamque cordis compagem in suę molis soliditate constituens, solidę nomen obtinuit. Quarum non solùm aliæ pre tenuitate substantiæ faciliùs aliis, atque aliæ contrà pre crassitie difficiliùs aliis incenduntur. Vt cùm spirituosa caloris incrementum conceperit reliquę nondũ incaluerint, & humorosa ante præter naturam caleat quàm solida mediocritatem insiti sibi caloris amiserit. Sed præterea singulæ ex concepto igne seu calore præter naturam variam reliquo corpori nocendi rationem subeunt. Etenim cùm primùm spirituosa cordis substantia supercaluit, totius corporis innatum calidum à naturali temperie distrahere illud calefaciendo aggreditur. Vbi verò humorosa iam accensa est: illius naturalem corrumpit crasim. Ac demum cum solida eiusdem visceris portio calorem præter naturalem contraxit: tum primum calidi innati humidique eidem consociati substantiam ipsam exoluere adoritur.

Quapropter cùm in corde primario febrium subiecto triplex substantia reperiatur, quarum cuilibet calor præter naturam in nobis auctus peculiariter insideat, atque inde modum inmittet reliquum corpus lędendi, ac demum curationis indicationes dispares suggerat. Iure antiqui ex triplici ea differentia subiecti tres primarias & principes febriũ differentias constituerunt: ephemeræ scilicet, humoralis seu putridæ, & hecticæ.

Ephemeram eam vocamus, in qua spirituosa cordis substantia à calefactis currentis spiritibus, aut

sin-

sanguinis supercalefacti vapore incaluit: dum interim calefiunt reliquæ, & influens calidum distẽperatum, innatum calidum membris infixum alterare aggreditur, vt illud consimiliter immutet.

Humoralem cum Auicenna, aut putridam cum Galeno eam dicimus, in qua ab humorum quorumcumque putridorum, aut etiam biliosorum efferuescentium tantùm fuligine non spirituosa solum, sed præterea humida eiusdem visceris substantia supercalefacta est, dum incalescit solida: & natiuum calidum, per immodicum humidi consociati calorem, solitò acrius euasit.

Hecticam demum eam nuncupamus, in qua ex vehementia calefacientis, & aptitudine corporis cordis, cum aliis heterogeneis cordis partibus solida eius portio, atque ideò tota simul eiusdem substantia accensa est, & iam innatum calidum, per efferuescentiam moxque etiam per consumptionem humidi sibi maximè familiaris, corpore ad marcorem tendẽte, exoluitur atque destruitur. Fieri enim non potest crassiorem illam cordis portionem tardiùs calorem concipientem accendi, quin cæteræ ad calorem admittendum multo magìs habiles, succendantur. Nam vt scribit Galenus [c] omnis substantia tenuis promptiùs alteratur quàm crassa. Hinc non potest natura, se propriis viribus extricare ab hectica: cum habitualis ea intemperies, omnem cordis corporisque vniuersi substantiam occupans, corrigi non possit; quòd nulla detur eius pars quæ natiuam temperiem retinens, exterarum vitium emendet. Vnde præterea vt frequentiùs ante tenuiores substantiæ accenduntur quàm solida, ita rarissimè hectica in primis diebus fit, sed ephemeræ succedit, aut putridæ: ex Gal. [d] nonnunquam tamen, ob magnam præparationem in valdè siccis, solidiorem ipsam substantiam, simul & semel nulloque sensibili medio interuallo intercedente, cum reliqua cordis substantia, à principio accendi contingit, vt adnotauit idem Galenus, [e] vbi aduertendum est quòd licèt solius spirituosæ substantiæ incendium plus iusto auctum ephemeram nuncupemus: nequaquã tamen si cum illa humorosa etiam simul impensiùs incalescat; ephemeram dicimus humorosæ coniunctam esse; vti nec corde secundùm omnes sui partes præter naturam æstuante, ephemeræ humorosam & hecticam consociari afferimus: sed quia vtroque casu vincum totale subiectum secundùm plures sui partes accenditur, & conformis est artis operum intentio quæ emendandæ putredini atque hinc febri tollendæ incumbit, vnius humorosæ febris, aut hecticæ tantùm nomen illi aucto incendio tribuimus. Si tamen febrilis ardor habitualis quomodocumque contractus putrescentem nanciscatur materiam, aut feruidiorem bilem, à quibus calor præter naturam impressus foueatur; putridam hecticæ coniungi dicimus: quòd non ante hecticæ curationi, quæ totius corporis refrigeratione & humectatione absoluitur, intendere possimus, quàm emendata sit putredo à qua præternaturalis calor perenniter fouetur. Etenim ad artis opera, omnia dirigentes, ob indicationes quæ operum artis sunt directrices euariatas, ipsas etiam denominandi rationes sic variamus: vt morbis quidem complexis, qui vniformiter in indicando procedunt, simplex nomen tribuamus: aliis autem qui nos in difformes indicationes minimè subordinatas pertrahunt, multiplex nomen concedamus.

Prædicta verò febrium diuisio, in ephemeram, humorosam & hecticam, ea est quam essentialem dicimus. Quam si quispiam malit appellare diuisiònem accidentis in subiecta etsi minùs appositè; tamen quia vtrumvis dicatur, nihil ad artis opera conducit, minùs curandum esse existimamus. Sciendum tamen est principes has febrium differentias infimas non esse: sed singulas adhuc, in alias species distingui. Quæ quales sint, & vnde distinctionem mutuentur, suis locis infra cùm singularũ subdiuisiones persequemur, explicabimus. Aduertendum demum est præter relatam principem & essentialem febrium diuisionem, plures alias apud classicos authores inueniri, quæ ab his capitibus desumuntur, quæ merè per accidens febri adueniunt. Ex quibus, eas differentias iam satis fusè sumus persequuti, quæ aliis etiam morbis communes sunt; cùm de secundariis & accidentalibus morborum differentiis ageremus. [f]

Atque hinc aliæ simplices, aliæ compositæ, aut complicatæ appellantur. Quæpiam item primariæ vel per essentiam dicuntur, quòd ex seipsis inceperint & nulli priori morbo superueniant. Aliæ symptomaticæ, quòd alios consequantur affectus, scilicet vel partis alicuius inflammationem, vel mesenterij aut viscerum obstructionem; quibus curatis, curentur & illæ. Non quòd verè symptomata sint, sed quòd per modum symptomatis, à præcedente altero morbo inferantur. Atque ita eos Galeni textus interpretari oporter, in quibus febres huiusmodi accidentia appellantur, & aliis eadem ratione respondere, qui nolunt febri nomen symptomatis conuenire. Quædam etiam magnæ, seu intensæ, aliæ paruæ, seu remissæ dicuntur: vt notat Gal. [g] Nonnullæ boni moris, & benignæ; aliæ cacoëthes, & malignæ. Quædam breues, aliæ longæ. Quædam acutæ, aliæ lentæ: quas etiam molles appellat Hippocr. [h]

Quæpiam continuæ nominantur, aliæ intermittentes. Et inter has nonnullæ statæ dicuntur à Plinio [i] quæ constantẽ periodũ obseruãt: aliæ erraticæ, vocantur & vagæ quæ ordinem nullum sequuntur. Aequoniã ordo duplex est, vel typorũ vel inuasionis: harum aliæ quidem sunt secundùm typum

c Cit. 1. de diff. febr. c. 1.

d 2. de crisi cap. 13.

e 1. de differ. febr. cap. 5 & 1. de praes. ex puls. c. 7

f Cap. 3 lib. 1 tract. 3 partis 2 theorica.

g 1. de differ. febr. cap. 1.

h Lib. de flatib.

i Lib. 2 cap.

inordinatæ, quæ nonnunquam tertianæ typum imitantur, mox quotidianæ, aut quartanæ periodos ſequuntur; aliæ demùm quæ conſimilibus diebus inuadentes, diſparibus horis incipiunt. Inter quas quæ conſuetam horam præueniunt, præoccupantes dicuntur: quæ ſi forſan antè repetant, quã prior acceſſio in integrum deſierit, ſubintrantes nuncupantur. Quæ verò tardiùs mouentur, tardantes nominantur. Quædam prætereà incipientes, aliæ increſcentes, vigentes, aut declinantes appellantur. Quædam item æſtiuæ, autumnales, hybernæ, aut vernæ. Necnon quædam diurnæ, aliæ nocturnæ dicuntur. Quædam demum ſporades, aliæ epidemicæ.

Verùm febribus peculiare eſt, neque aliis morbis commune: vt pro varietate ſymptomatum quæ febres conſequuntur, plurimæ aliæ febrium differentiæ vel externæ potiùs denominationes apud antiquos ſcriptores legantur. Hinc enim quædam ad tactum mites, aliæ acres & mordaces nominantur. Atque ex his aliquæ promptè exardentes, aliæ poſt inſurgentes, aliæ quæ à manu vincuntur ſeu quarum acritudo à tangente non diu ſentitur: vt habetur apud Hippocratem.[l] Quæ non vt Galeno[m] plurimiſque vtriuſque interpretibus viſum eſt, ſubſtantiales ſeu eſſentiales ſunt differentiæ. Non enim formalis ratio febris in calido præter naturam conſiſtit: ſed in calore ipſo præter naturam aucto & intemperie, affectúque præter naturam de genere qualitatis. Quare huiuſmodi differentiæ, quæ à diuerſitate calidi, per ſpecialem intemperiei & cauſam & gradum geniti, per cutem citò, aut lentè euaporantis, vel effumantis, atque aliter aut aliter tangentis manum afficientis, deſumuntur, accidentales ſunt potiùs quàm eſſentiales. Nam talem aut talem euaporationem vel effumationem calidam cordis & totius corporis intemperiem ſequi, planè accidentariũ eſt, & ad exiens mutatum ſymptoma huiuſmodi referendum. Nonnullæ iterum, valde rubræ, aliæ valde pallidæ, aliæ liuidæ apud eoſdem Hipp & Gal.[n] appellantur, ex colore quem humor, à quo febres variæ excitantur, cuti plerumque imprimit.

Quædam ἀσώδεις ſeu faſtidioſæ dicuntur, quæ cum anxietate & inquieta corporis iactatione adueniunt Aliæ pruriginoſæ, appud Hippocr.[o] ex conſociato perenni pruritu appellatæ. Aliæ laborioſæ, in quibus laſſitudinis ſenſus ineſt. Aliæ ſingultuoſæ, in quibus vel longo tempore ſingultus durat, vel per totum morbum vnà cum febre intenditur.

Aliquæ πεμφιγώδεις nuncupantur apud Hippocratem[p] per quas apud quoſdam vel flatuoſæ, aëreo quodam halitu per cutem effluente; vel ſpirituoſæ quæ ab igneſis ſpiritibus excitantur; vel ſynochi non putres, quas in flatiuas vulgarium pragmaticorum aliqui appellant, quòd venas diſtendant: vel ardentes quæ veluti ſcintillarum exilientium manuique occurrentium ſenſum præbent; vel peſtilentes, ob erumpentes puſtulas aſpectu terribiles intelliguntur. Quæ duo vltima ſignificata magis Galeno placent.[q] Etſi prætereà πεμφιγώδεις dicantur quæ per caloris intenſionem puſtulas, φλυκταίνας & φλυζάκια appellatas excitant ex authore definitionum medicarum.

Quæpiam ſyncopales vocantur, quæ vel cum animi deliquio aut ſyncope inuadunt: vel per acceſſionis durationem frequentem habent ſyncopem, atque harum duplex eſt differentia, vt infrà explicabitur.

Aliæ colliquantes nominantur quæ ſuâ cacoëthiâ colliquationem inducunt. Quædam etiam auriginoſæ apud authorem definit. medic. quòd icterum à principio vel augmento coniunctum habeant.

Nonnullæ prætereà ſiccæ atque humidæ à Galeno dicuntur[r] non ſolùm eo ſenſu quo ſimiliter efferuntur ab Hippocrate.[ſ] Quòd ſcilicet tangentis manui vel vdus vapor, vel ſicca fuligo occurrat: vt ſalſuginoſas idem eas dixit, quæ in modum tractati ſalis aut muriæ manum vellicant. Sed ſiccas illas nominat in quibus vehemens ſitis vrget, lingua ſcabra aduertitur, cutis tanquam corium duratur, & magnus eſt vniuerſi corporis ſqualor. Humidas verò eas appellat, quas Græcis ἑλώδεις dici ait, quaſi vliginoſas dixeris. Qua voce eas intelligi ſcribit, per quas à primo ſtatim die ægrotantes ſudant, ſudoréque ipſo parùm aut nihil leuantur. Quæ cùm ſatis aperta ſint: illud non leuem habet difficultatem quòd ſiccas à Græcis τυφώδεις nuncupari ſcribat. Has enim veternoſas appellari poſſe, voluit Mercurialis[t] & Erotianus in onomaſtico eaſdem eas eſſe interpretatur, quæ cum torpore fiunt. Ac tandem Foeſius[u] in voce τύφος docet apud Hippocratem ea voce attonitum ſtuporem nuncupari. Contra ex vocis notatione fumoſas & ardentes, vt explicuiſſe videtur Galenus, intelligere oportet. Τύφω enim fumum exciro & incendo dicitur. Quas ideò Galenus[x] ſuccendentes appellat, cauſo longiores. Vnde etiam alij τυφώδεις eas nominant, quæ internarum partium eryſipelata conſequuntur, vt phlegmonodes, eas quæ inflammationibus adueniunt. Atque ita Fernel.[y] Aëtius verò[z] typhodem eam ſolam nuncupat, quæ hepatis eryſipelas ſequitur.

Quæpiam adhuc horrificæ dicuntur, quòd totum corpus vel perfrigeratione, vel moleſta concuſſione diuexent. Aliquæ lipyriæ nominantur, in quibus præ ardore partium internarum, ſpiritibus introrſò retractis, calor externas partes relinquit: vt docet author def. Medic. Galeno aſcriptarũ,

&

l 6. Epi ſect. 1. tex. 29.
m 1. De dif. febr. cap. 1.
n Locis vocatis citatis.
o Lib. 2. de morb. mulier.
p Cit. ſect. 1. lib. 6. Epid.
q In comm. citat. tex.
r Lib. aduerſ. Lycum c. 2.
ſ Citat. ſect. 1 lib. 6 Epid. tex. 29.
t Lib. 5. varia. lect cap 3.
u In œconomia toc Hip
x 1. aphor. comm. 12.
y Lib. 2 path. cap. 2.
z Lib. 5. c. 89.

& insinuat ipse Galenus[a] ἀπὸ τοῦ λείπεσθαι πυρὸς, quòd in illis ignis seu calor externa desetat. Cùm tamen Actuarius[b] nominis notationem eamdem referens, naturam longè aliam illis ascribat: inquiēs has febres cum magno quidem horrore inuadere, frigido ac crudo succo in cutem per accessionem effuso, sed nullum euidentem calorem ei succedere, eo ipso scilicet humore vix putrescente. Ita in nominum impositione euariant scriptores, & inter proteruos indissolubiles quæstiones excitant: quas prudentiores effugientes, in propositæ rei natura indaganda veritatis amore occupantur.

a Lib. de inæquali intemperie cap. 8.
b Lib. 1. meth. cap. 1.

Aliæ epialæ nuncupantur, in quibus ex Gal.[c] vniuersi corporis vel exiguæ portiones, calorem simul & frigus sentiunt: vel vt habet Paulus[d] in quibus simul & rigent & febricitant, παρὰ τὸ ἠπίως ἀλεαίνειν, quòd blandè & leniter calefaciant. Cùm tamen Aristophanis Scholiastes in vespis dicat ἠπίαλον esse τὸ τοῦ πυρετοῦ κρύος id est febris frigus & πυρετοῦ πρόδρομον seu febris præcursorem.

c Cit. lib. de inæquali intemp. cap. 8.
d Lib. 2. c. 36.

Est & antiqua quædam febris apud Latinos denominatio, quercera & querquera. Quarum quercera fortem & vehementem significabat, vt apud Gellium est[e] forsitan nomine à quercu per metaphoram mutuato. Querquera verò, à Græco καρκαίρω quod est resono aut tremo deriuata: ea dicebatur, quæ cum frigore, tremore & concussione inuadit; vt ex Lucilio, & Plauto comprobat Mercur.[f]

e Lib. 10. noct. att. c. 1.
f Cit. lib. 5 var. lect. c. 1.

De vniuersalibus febrium causis.

Capvt III.

MATERIALEM, formalémque febrium causam, iam antè explicuimus. Finalem nullam agnoscunt, cùm præter naturam sint. Quare de efficiente tantùm nobis agendum restat hoc capite, & de facili aut difficili aptitudine subiecti, ad talis affectus impressionem suscipiendam.

Quod ad primum ergo spectat Ex his quæ iam antea docuimus apertum est, ea omnia febres excitare posse, quæ calorem nobis insitum ita intendant, vt incrementum illud caloris ad cor vsque pertingens, toti corpori vti indicatum est communicetur. Quod ita necessarium est, vt nullus feruor, nulla inflammatio, nihil tam vrens concipiatur; quod quomodocumque nos calefaciat, antea febrem excitasse dicatur, quàm cor secundùm quid sui in calefacto esse constituerit; prout capite primo satis aperto sermone explicuimus.

Talia verò omnia à Galeno[a] ad quinque referuntur. Quorum primum est, cuiuscumque corporis formaliter aut eminenter calidioris ea vicinia & applicatio ab extra, quæ illi ad suam vim nobis imprimendam sufficiat. Sic insolatus & omnis calidior cœli constitutio, diuturnior in hypocausto mora & longior calidioris balnei vsus, ac similia febres accendunt.

a Lib. de cau. morb. cap. 2. & 3. de diff. febr. cap. 3.

Secundum, est vehementior omnis interni calidi tam influentis, quàm fixi attenuatio & feruor, ab aliqua nostrarum actionum ad nimiam contentionem progressâ excitatus. Ita solicitudines, curæ, animique acriores anxietates, ira, imò, & tristitia spiritus ad ima contrahens & liberè transpirare impediens, immoderata item exercitiâ, venus, inedia, & longiores vigiliæ: seu humores & spiritus plurimùm attenuando, seu eosdem ac præsertim calidos exagitando, seu etiam solidiores artuum partes ad inuicem atterendo, atque ita totius corporis calorem intendendo, febres inferunt. Quinimò proprius etiam ipse cordis motus, si frigida quantùm par esset inspiratione destitutus non prohibeatur commoderatum calorem qui in nobis est intendere, ac præsertim in his qui rariore sunt & siccióre corde ad caloremque in eodem concipiendum sunt magìs habiles, citra alterius causæ concursum febrem potest excitare. Non vt affirmabant illi in quos agit Mercatus[b] quòd cordi insitus sit tam intensus calor qui si à frigida respiratione non reprimatur contra naturam sit & febrem faciat. Sed quòd cùm motûs sit calefacere, perennitas motûs cordis possit ex se tantum calorem in nobis excitare si frigida inspiratione non reprimeretur, vt ad intensionem præternaturalem eueheretur.

b In disput. Med. 1. tract. singul. disp. 1.

Tertium, à quo excitari potest in nobis febris, est putredo: per quam cùm fiat separatio calidi & humidi, à sicco frigido: separatum illud minúsque commensuratum, quodammodo feruet; atque eius calor per separationem ac secretionem eorum à quibus in mixtione temperabatur, quasi intensior redditus, efficacius manifestatur.

Quartum est diuturnior retentio fumidi calidi continuò ex solidiore membrorum substantia effluentis: quod copiosiùs intrò asseruatum, quæque vehementiùs calefacit.

Quintum, est eorum quæ assumuntur tam ciborum & potuum, quàm medicamentorum calidior temperatura: quæ non innati calidi atque ideò contemperati substantiam augendo, sed nouum caloris gradum noua alteratione imprimendo, nostrum calorem intendunt.

Quod verò ad alteram partem huius capitis pertinet, quisque magìs aut minùs paratus est febre

corripi: vel pro varia temperie, vel pro diuerſa corporis textura. Omnis enim effectus faciliùs aut difficilius in quocumque recipitur, ob maiorem vel minorem reſiſtentiam paſſi: quam vel modus ſubſtantiæ ſubminiſtrat, vel repugnantium aut conuenientium qualitatum intenſio remiſſioue. Etenim vt à ſymbolo in ſymbolum facilior, ita à diſſymbolo, difficilior eſt tranſitus.

Pro modo quidem ſubſtantiæ: corpora quò rariora & tenuiora ſunt, eò faciliùs ab extra alterantur: quò verò & craſſiora & denſiora, eò faciliùs ab intra offenduntur, & contrà.

Ex parte verò temperamenti: quæ corpora celeriùs & leuiori ex cauſa febrem concipiant, non vna eſt & concors authorum ſententia. Galenus enim, ab Auicenna; & vterque à ſeipſo diſſentire videtur: vt conſtare poteſt examinando ſeptimum & octauum caput libri octaui methodi apud Galenum, & caput ſecundum ad quintum fen primæ libri quarti apud Auicennam.

Tamen res ad veritatem ita determinanda videtur: vt cùm varia ſint febrium genera; ad ſingula, ſingulorum temperamentorum diſpar ſit aptitudo. Nam ad febres quidem diarias, atque etiam ad hecticas, maximè diſpoſiti ſunt calidi & ſicci, qui omnium facillimè inflammantur: mox ab his calidi tantùm: tum ſicci tantùm, quarto calidi & humidi, & quinto temperati. Contrà minùs diſpoſiti ad prædictas febrium ſpecies, ſunt primo frigidi & ſicci: at minùs adhuc frigidi tantum, atque omnium minimè frigidi & humidi, quorum corpora & difficillimè feruent & tardiſſimè exſiccantur.

Ad putridas autem febres, multo propenſiores rectè iudicantur, primùm calidi & humidi, cum in his qualitatibus putredinis ſeminarium conſiſtat: tum humidi tantum, tertio calidi tantum, quarto calidi & ſicci, quintò temperati. A putredine vero concipienda magìs alieni ſunt, frigidi & humidi, magìs adhuc frigidi tantum, at plus his ſicci tantum, atque omnium maximè frigidi & ſicci. Atque inde non ſolum ob prudentiam & temperantiam ſenes ægrotant minus, ex Hippocr. [c]. qui aliunde ob innati calidi imbecillitatem morbis ſunt obnoxij, vt habet Galenus [d]. ſed ex propria etiam temperie, rariùs febriunt.

c 1. aph. 39. d. In comm. eiuſdem aph.

De communibus febrium ſignis.

Capvt IIII.

QVONIAM plurimorum morborum natura, ratiocinatione potiùs quàm ſenſu deprehenditur; illos ex ſolo ſymptomatum comitatu, quo ſtipari conſueuerunt diſcernimus. At febris quæ cæteras ægritudines nocendi vbertate præcellit, non ſuo ſolùm ſe comitatu prodit: ſed ipſa etiam præ reliquis apparere gaudet. Quæ cùm ſuam habeat eſſentiam in calore præter naturam aucto, quem vel tangenti Medico diſcernere liceat: vel ſi intus lateat, ab ægrotante ſentiatur: ipſa per ſe ſatis manifeſtatur. Quia tamen calor, ad modicum temporis interuallum citra ſenſibilem noxam plerunque increſcens, febris non eſt: quo comitatu ſtipata febris incedat, etiam diſcendum eſt; vt eam certò agnoſcentes, nonquam fallamur. Quæ quoniam variam ſpeciem induit, non eiſdem ſemper ſymptomatibus ſtipatur. Quædam aliquando quaſi lictores præmittit ſui aduentûs præuuntios; laſſitudinem, capitis grauitatem, coloris totius mutationem, artuum torporem, ciborum faſtidium, nauſeam, oſcitationes, pandiculationes, & ſimilia. Aliàs ſine his, cum rigore, vel horrore, & corporis concuſſione aduentat. Nonnunquam de repente aduenit, variâ plerumque ſuccedente ſymptomatum turbâ: quæ pro ut diuerſa eſt febris cauſa, aut in febriente humorum apparatus, eiuſdémve aut totius aut membrorum principum vel cæterorum imbecillitas, differentia apparent, & naturâ, & numero. Nam vt rectè adnotauit Fernelius [a] cùm febrem inſcendentis cauſæ vis, aut humoris ipſa moles, aut vapor non in omne corpus æquabiliter effunditur; ſed in aliquam partem præcipuè impingit: pro illius conditione, ſymptomata exurgunt. Cum etiam ante febrem, pars quædam corporis, vel à natura, vel humoris cuiuſdam veteriſve mali vitio, imbecilla erat; tametſi æquabilis ſit corporis affectio: pars tamen iamdiu offenſa, prima omnium iacturam & incommoda perſentit: & ſi quod in vlla corporis parte vitium olim delituit, id plerumque excitatur cum febre. Ea tamen quæ frequentiùs febrientes variè infeſtāt, ſunt capitis ac bregmatis maximè dolor, lumborum ardor, vigiliæ aut inquietus ſaltem ſomnus, corporis ad voluntarium motum imbecillitas aut torpor, ſitis, linguæ ariditas, guſtûs deprauatio, ciborum faſtidium, æſtus ingens, & corporis iactatio, reſpirandi difficultas cum ſpiritualium membrorum oppreſſione, nauſea, vomitus, alui fluxus, ſingultus, animi deliquium, delirium, & alia huiuſmodi: quæ, varias febres, variè conſequuntur, nec ſingula ſingulas comitantur.

a Lib. 4. pathol. cap. 19.

Verùm præ cæteris omnibus ſymptomatis quæ febri famulatum præſtant eámque ſequuntur, familiarior eſt perſeuerans pulsûs celeritas ſingulari inæqualitati coniuncta. Cùm enim febris cor neceſſariò occupet, pro cuius intemperie pulſus variant: eiuſdem calore præter naturam aucto, & pulſus vſum augeri neceſſum eſt. Cui plurimùm aucto, & facultate nōdū infirma, magnitudine & celeritate,

ac nonnunquam etiam copulatâ crebritate, subuenire studet: quando verò eadem per iam contractam intemperiem imbecillior est reddita, cùm non possit magnitudine subuenire, celeritate satisfacit nisi vel ea imbecillior admodum sit, aut durior arteria. Tunc enim frequentiâ, magnitudinis & celeritatis defectum supplet: vt habemus apud Galenum.[b] Ac quia frequentiùs, naturæ robur in febribus ita imbecillum est, vt non possit magnum pulsum edere, rariùs verò tam infirmum, quin celerem edat: celerem pulsum, febribus esse familiarem diximus. Quod Galeni doctrinæ conforme est qui[c] iure sanè inquit, celeritatem febricitantium pulsibus perpetuam esse censuerunt plurimi medici, atque præstantissimi: perpetuam tamen intellige, nisi facultatis imbecillitas, aut illi propria aut consequens aliquod symptoma febri consociatum, eam impediat.

b 1. de caus. puls. cap. 5.

c Lib. 3. de praes. ex puls. cap. 3.

Celeritati verò pulsûs, inæqualitatem etiam, eámque singularem coniungi dicimus: quòd in vno quoque febrium genere, perfrigerationis & expulsionis fuliginum dispar sit necessitas. Quod aduertens Galenus[d] omnibus febribus (inquit) arteriæ in vno pulsu inæqualitas communis est.[e] Eum à febre securum existimat, cuius pulsus nullum inflammationis signum habuerit, & omnino inæqualitas in vna arteriæ compulsione non apparuerit. Perperam enim Fernelius[f] & Augen.[g] non semper eam inæqualitatem febricitantium pulsui inesse aiunt: quòd ea sit propria cordis per essentiam [id est secundùm propriæ corporis substantiam] calidioris. Siquidem iam ante docuimus, in omni febre, cor secundum aliquid sui, calorem præter naturam contraxisse, Neque propriæ doctrinæ memor illic videtur Augenius, qui cum[h] multis probet subiectum febris esse solidam cordis substantiam, oportet simul admittat in omni febre cor per essentiam factum esse calidius. Neque pulsus ex eo inæqualis redditur, quòd cor per primariam affectionem incaluerit, calore ab aliis partibus illi minimè communicato: sed quòd cum in propria substantia calorem præter naturam contraxerit, vsus inequaliter increuerint.

d Lib. 8. ad Glauc. cap. 6.

e Lib. eodem cap. 2.

f Lib. 4. path. cap. 2.

g Lib. 2. de febrib. cap. 7.

h Cap. 4. eius. libri.

Ea verò inæqualitas quæ penes diastoles & systoles ad inuicem collectam celeritatem attenditur, non eiusdem rationis est in omnibus febrium generibus: sed magnam in singulis diuersitatem recipit, vt infra dum cuiusque generis signa propriis capitibus referemus, explicaturi sumus.

Sed vbi generalia febrium diagnostica signa expressimus, prognostica etiam excutiamus, Quæ licèt meliùs in specie inferiùs per singula capita sint explicanda, & plurima quæ ad hoc caput pertinẽt persequuti simus:[i] hîc tamen hoc etiam adnotemus, febrem vnam ex causis esse, quæ perducit ad mortem; vt aiebat Galenus.[l] Quæ qualiscumque sit minimè negligenda est: quòd ex mitiore facilè in deteriorem neglecta vertatur. Atque vt animaduersum est à Sauanarola[m] cæteris paribus periculosiores sunt, quæ senibus, mulieribus, hyeme, exercitari consuetis, non assuetis ægrotare, & imbecillibus adueniunt: quàm si Iuniores, viros, æstate, otiosos, febrire solitos, & robustos inuaserint. Siquidem ex Hippocrate.[n] In morbis minùs periclitantur quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori, magìs congruit morbus: quàm quibus secundùm nihil istorum congruit. Est etiam illud febribus vt cæteris morbis commune ex eodem Hippocr.[o] circa principia & fines omnia imbecilliora, circa status verò & vigores omnia vehementiora. Quod in febribus præsertim maximè notandum est, vt & conuenientem victûs rationem, & rationalem medicationem per singula tempora instituamus. Demùm & hoc aduertendum, non ita noxiam esse febrium conditionem: quin illi aliquando accidat, ad salutem aliis morbis superuenire, vt in præfatione suprà docuimus.

i Lib. de indiciis morborũ.

l 4. aphor. comm. 15.

m Lib. de feb. cap. 3.

n 2 aph. 34.

o 2. aph. 30.

De vniuersali febrium curatione.

Capvt V.

Cvm ad febrium vt cæterorum morborum curationem sufficiat, contrariis agere, quibus morbus expugnetur: soli perfrigerationi incumbentes, calorem illum superauctum [quem febrem appellamus] abundè retundemus. Verùm quia dum morbo obsistimus, conseruandarum virium semper habenda est ratio: ita perfrigerandi ille scopus temperandus est, ne vltra cuiusque natiuam temperiem quemquam perfrigeremus. Ac quoniam qui præter naturam auctus est calor, si causam habeat præsentem à qua intenditur: multò difficiliùs remittitur, quàm semel eâ causâ sublatâ: in eo, principio laborandum est, vt causam febrem incendentem tollamus, & postmodum in curandis morbi reliquiis occupemur. Quòd si symptomata quæ semel sanato morbo cessare consueuerunt, eam molestiam ægrotanti inferant, quæ ferri non possit donec morbus regulari via curatus cesserit: diuertendum est à recta methodo in securiorem, & symptomati vt vrgentiori prospiciendum. Quæ omnia, cùm triplici instrumentorum genere exequamur: victûs ratione, pharmaciâ & chirurgiâ. Quomodo his cum fructu vti oporteat, & singula vtiliter præscribere: non est quòd hic doceamus, vbi vniuersalia artificiosæ curationis dogmata priori libro diffusè sumus persequuti; re-

liqua verò quæ ſpecialius explicanda ſunt, dum ſingulas febrium ſpecies percurremus, ſigillatim docenda ſint. Quare à generali, ad particularem de febribus tractationem transeamus.

De febris Ephemera, cognitione & curatione.

Capvt VI.

Calor præter naturam, in ſpirituoſa, & tenuiſſima cordis ſubſtantia accenſus, atque inde in vniuerſum corpus diffuſus, actiones lædens: eam febris ſpeciem conſtituit, quæ quoniam vt facilè excitatur, ita non difficilè ſoluitur & breui ceſſat, ephemera ſeu diaria appellatur; quaſi vt plurimum intra viginti quatuor horas terminetur. Ita apud Ariſtotelem [a] & Cicer. [b] animal quoddam quod intra diem naturalem naſci & emori refertur, ephemerum appellatur. Et apud Theophr. Dioſcor. & Nicandrum, Ephemerum bulbi quoddam genus nuncupatur, vulgari hermodactylo reſpõdens, quod copioſiùs eſitatum intra diem ſuffocat.

a 5. de hiſt. anim. cap. 19
b 1. Defend.

Verùm non vna diariarum conditio eſt. Quæ licèt ab vnitate primarij ſubiecti, & ipſæ vnitatem accipiant: tum duratione inter ſe diſtinguntur, tum cauſâ, vtrimque curatiuis indicationibus differentes, vnde Medici maximam occaſionem accipiunt morbos diſtinguendi. Ephemerarum ergo alia legitima eſt, alia ſpuria. Ac legitimam quidem aliam exquiſitam, aliam non exquiſitam, agnoſcimus. Legitimam & exquiſitam eam appellamus, quæ à cauſa externa & procatarctica minimè perſeuerante, ſpiritibus ſupercalefactis accenditur: & intra diem naturalem, per inſenſilem tranſpirationem finitur. Non exquiſitam eam dicimus, quæ à præincipiente & externa quidem cauſa ſpiritus accendente, ſed perdurante excitatur. Quæ ideò ad alterum aut tertium diem prorogatur: & ephemera producta nuncupatur. Spuriam eam appellamus, quæ vel ab interna aliqua cauſa, leuius & mitius incendium in ſpiritibus procurante, vel à quacumque ſanguinis feruorem inferente excitatur. Quæ ſolet vltra viginti quatuor horas, ad quartum vel quintum vſque diem aliquando efferri, & eum madore, aut ſudore definit. Cuius vltimæ differentiæ, à ſanguinis feruore cauſatæ, quam ſynochum non putrem dixerunt recentiores: ea iterum eſt diuerſitas: quòd vel à principio ad finem feruor ille ſibi æqualis perſeueret, acmaſticam vel homotonam faciens; vel ſenſim increſcat & epacmaſticam ſeu increſcentem faciat: aut demum ſenſim decreſcat, & paracmaſticam ſeu decreſcentem cauſet.

Sed quæritur, num ephemeram continuam ſemper eſſe contingat: an verò eadem intermittens, per periodos aliquando inuadat. Saxonia omnem ephemeram poſſe habere periodos aſſeruit. [c] Quod in exquiſita ephemera, & ſynocho, falſum eſſe ex eo colligitur: quòd cùm in his ceſſante ſemel febre, nullus relinquatur fomes, nullum etiam poſſunt periodicum habere recurſum. In quibuſdam tamen quæ vel cum defluxu in determinatam aliquam partem, aut à crudorum ſuccorum agitatione, vel à non magna cutis obſtructione naſcuntur: talis plerunque recurſus aduertitur. In prioribus, quidem abſque vlla certi typi obſeruatione: in poſterioribus verò, etiam cum typo; vt habemus clarè à Galeno inſinuatum. [d] Imminutâ enim obſtructione per primam acceſſionem, & febri exinde definente: fieri poteſt vt obſtructione nondum integrè ſoluta, vel fiat nouæ materiæ appulſus ad cutem, vel conſtrictione cutis ab ambiente circa veſperam perfrigeratæ, noua fiat fuliginum ſuppreſſio, quæ febrem ad quartum aut quintum paroxyſmum verè ephemeram renouet: vt docuit Galenus ſupra. Talem enim non licet putridam appellare: cùm hæc maiorem obſtructionem requirat, quæ tantùm poteſt à multitudine, craſſitie, aut viſciditate humorum perſeuerante excitari.

c Cap. 3. lib. 8. Panthe.
d Lib. 8. met. cap. 4 præſertim in fine capitis.

Cauſa proxima & immediata febris ephemeræ, eſt tenuis omnis & mitis ſupercalefacta in nobis ſubſtantia: quæ conformitate naturæ, tenuiorem illam cordis ſubſtantiam conſimiliter alterat. Vel quæ licet acrior, præ paruitate tamen ſubſtantiæ, non poteſt ſuam agendi vim alteri cordis ſubſtantiæ imprimere quàm ſpirituoſæ.

Remotior & mediata cauſa, feruorem illum inferens: alia eſt per ſe, alia per accidens; & vtraque multiplex. Per ſe quidem id præſtant, calidior aër, aut ſolis feruidiores radij, thermarum vel hypocauſti acrior vapor, exercitium vehementius, animi feruidi motus, vt ira. Tum quæ intus aſſumuntur calidioris temperaturæ, potus, & cibi: ſeu etiam acriora medicamenta, tam aſſumpta quàm admota. Ac demum pauca exhalatio putris, ex bubone, furunculo, phymate, & conſimilibus alenata; quæ per arterias diffuſa, ſpiritus primùm accendit, & per hos ſpirituoſam cordis ſubſtantiam inflammat. Vel tandem copioſior ſemiputris vapor, ab humore crudo per vaſa aut habitum corporis concitata; vel à copioſiore lacte in mammis coaceruato; vel à cibis in ventriculo corruptis, ſeu in nidorem verſis: aut ab epoti meri copia ebullientibus. Necnon à fœcibus inteſtinorum diuturniùs retentis eleuatus, & per concalefactos ſpiritus, aut per ſe etiam aliquando, tenuiorem illam cordis ſubſtantiam accẽdens. Ab his autem ephemeras nonnunquam excitari colligere licet ex Galeno [e] Trall. [f] Aëtio. [g] Et fusè

e 8. meth. 5.
f Lib. 12. c. 7.
g Lib. 5. c. 68

probatum legi poteſt apud Saxoniam [h] huiuſmodi enim vapores cum ſpiritibus in arteriis conſuſi, ita miteſcunt; vt ſuperfluum calorem retinentes, prauam illam qualitatem putredinis ſobolem perdant. Ac proinde priori illa acredine deſtituti: non putridam, ſed ephemeram tantùm febrem accendant. Ab eiſdem tamen putridæ etiam aliquando inducuntur, ſi in corpore humorum quipiam ſit apparatus ad putredinem concipiendam aptus.

Per accidens verò ad hoc ipſum concurrunt, curæ, vigiliæ, inedia, triſtitia, timor ingens, & cutis cōſtipatio à frigore aut aſtringente balneo. Quæ, vel ſpiritus vehementius agitando, aut attenuando: vel eoſdem circum præcordia cogendo: vel ſolitum fuliginum effluuium cohibendo, eoſdem ſpiritus inflammant.

Speciatim autem, legitimæ & exquiſitæ febris ephemeræ cauſa, eſt ſpiritus, in ventriculo cordis & proximis arteriis contentus, ab externa quacumque & procatarctica cauſa, præter naturam accenſus, conceptum incendium ſpirituoſæ cordis ſubſtantiæ communicans.

Illegitimæ verò & ſpuriæ, cauſæ, ſunt: vel ſuppreſſum fuliginoſi excrementi effluuium: vel exhalatio effuſa ex mitiore quacumque putredine, in loco à corde diſtanti conceptâ: vel demùm vapor ab efferueſcente ſanguine eleuatus. Quem cùm plurimi proteruiùs aſſerunt, non ephemeram, ſed ſynochum non putrem generare: de voce digladiantur. Cùm enim tria tantùm ſint febrium genera: ephemerarum, putrium, & hecticarum: & ſynochus ille neque habitualis ſit, neque putris: ephemeris febribus annumeretur neceſſum eſt. Maximè cùm mitis ille & minimè acer vapor, nequeat ob reſiſtentiam aliam cordis ſubſtantiam quàm ſpirituoſam accendere. Quæ enim minoris ſunt actiuitatis, ea tãtùm quæ minoris etiam ſunt reſiſtentiæ alterando euincunt. Quæ ne quiſpiam, noſtra eſſe figmenta calumnietur; ſciat nos hac in parte Galenum ſequi: qui [i] ſynochum non putrem à ſolo ſanguinis feruore excitatum, inter ephemeras recenſuit. Cui etiam ex recentioribus aſſentiuntur Saxonia. [l] Augen. [m]. Cæſalpinus [n] Mercatus [o] & Doncanus. [p]

Signa febris ephemeræ, ex modo caloris, pulſu, reſpiratione, & vrinis deſumuntur: vti ex Galeno diſcimus [q] & Tralliano. [r] Calor quidem qui præcordia thoracem ſcilicet & abdomen palpanti occurrit, licèt ad naturalem collatus acrior ſit aliquantulùm: reſpectu tamen caloris cæterarum febrium ſuauis eſt & mitis. Calidum enim quod à ſic febrientibus exhalat, nec acre eſt, nec mordax; & ſi per interualla manum tangentis vellicet, minimùm durat ea vellicatio.

Pulſus ephemerâ laborantium, ſolet eſſe magnus, celer & vehemens, necnon & frequens aliquando. Celeritatem auctus calor infert; magnitudinem idem auctus vſus, cum facultatis robore. Nondum enim intemperies hæc quaſi fugax naturæ vigorem exoluit. Atque hinc etiam vehemens euadit. Sed ambæ èæ differentiæ, pulſui ſic febrientium inſunt; niſi ex cauſa facultatem infirmante, febris excitetur. Tales ſunt vigiliæ, inedia, venus, triſtitia, diuturnior ſolicitudo, & ſimiles. Imò ſi à crapula, aut ebrietate aliquando eadem inducatur: cùm hinc vires opprimantur, in magnitudine & vehementia, quædam inæqualitas aduertitur: vt de pulſuum languidorum cauſis tractantes docuimus. [s] Frequens autem pulſus, tunc ſolùm apparet in his febribus, cùm vel multò auctior eſt vſus, vel exolutis aut oppreſſis viribus, non poteſt facultas, vſui, celeritate ſatisfacere: præterea cùm omnem febrilem pulſum, ſingularem inæqualitatem celeritati coniunctam habere dixerimus: inæqualitas ephemerarum propria, ea eſt, in qua celerior quidem eſt diaſtole, ſyſtole autem mediocris. Cùm enim perfrigerationis, quàm expurgationis fuliginum maior ſit in hac febre neceſſitas: natura verò per diaſtolem refrigerationi prouideat, & per ſyſtolem expurgationi fuliginoſorum excrementorum: illam hâc celeriorem eſſe omninò neceſſum eſt.

Reſpiratio, pulſui planè reſpondet. Sed adnotatæ illæ differentiæ in reſpirationē euidentiores ſunt, quàm in pulſu. Eius enim in hoc affectu celerior ſaltem aut etiam maior eſt inſpiratio, quâ frigidus aer attrahitur: quam expiratio, per quam fuligo expellitur.

Vrinæ, quia nullum per has febres contractum eſt in venis vitium, ſanorum vrinis proximè reſpondent & coctæ apparent: niſi à cruditatibus, & crapulâ ephemera inducatur. Quo caſu, cruditatis notas præ ſe ferunt.

Quæ omnia cùm apparuerint: ſi ab externa & procatarctica cauſa minimè perſeuerante, febris ſit accenſa, legitimam & exquiſitam eam eſſe ephemeram indicabunt.

Non exquiſitam verò, cauſæ perſeuerantia ſignificabit.

Spuriæ autem ſigna, ſunt: vel prægreſſa cutis refrigeratio ab ambiente: vel aſtrictio à balneo aluminoſo, vel effumatio per cutem aliquantò inſuauior quàm in legitima: vel prægreſſus bubo, aut ſimilis affectus. Particulatim verò vrina rubicundior, & venarum turgentia, cum tenſiua laſſitudine, eius notæ ſunt, quæ ab efferueſcente ſanguine concitatur.

Signa diſtinctiua remotiorum cauſarum, etſi ex relatu ægri vel adſtantium, certiùs quàm aliundè deſumantur: poteſt tamen faciiè quiſque ex prædictis, & facie curioſiùs inſpectâ, leui ratiocinatione,

h Cit. 8 part. cap 3.

i 9. meth. 2. & 2. de diff. febr cap 9
l Lib. 8 panthei cap. 4.
m Lib 1. de febr. cap 9.
n Lib 2 art med cap. 6.
o Lib. 4. de febribus.
p Lib. 1. de febr cap 6.
q 1. de differ. febr. c. 7. & 1 ad Glauc. 2.
r Lib. 12. c. 1.

s Cap. 9. Lib. 6. tract. 1. p. theorica.

in cuiusque notitiam venire. Eam tamen quam crudi ſucci per corpus concitati promouent, leuis perfrigeratio, aut horror præcedens, ſpeciatim manifeſtat.

Quod ad prognoſticum ſpectat, Omnis ephemera, ex ſe, periculo vacat: præſertim vero exquiſita. Quæ cum multa inſenſili euaporatione, intra diem naturalem finitur. Non exquiſita, plena etiā ſecuritatis eſt: modo tamen, neque in ratione victûs, neque in aliis ita peccetur, vt iam ſuperauctus calor acrior reddatur, aut ſiccitati totius incrementum addatur. Sic enim ephemera facilè in hecticam degenerat. Præſertim ſi natiua ægri temperies calida ſit & ſicca: atque is, bile abundet, gracilis ſit, & hirtus. Vel etiam vt ſcribit Auenzoar [t] in putridam tranſit, quando humores inuenit incommenſuratos, & ad putredinem præparatos. Spuria non multò deterior eſt, prioribus. Vnde Hippocrates [u] febres ex inguinum bubonibus ortas, omnes malas dixit, præter diarias. Attamen ſi negligentiùs tractentur: ac præſertim quæ à crudis humoribus concitatis, & magìs adhuc quæ à ſanguinis efferueſcentia naſcuntur: facilè in putridam mutantur. Et poſterior, ſi notabili plethoræ ſuperueniat, periculum minatur, diſruptionis vaſorum, aut repentini etiam interitus.

t Lib. 3. tract. 1. cap. 1.
u 4. aph. 55.

Curatio harum febrium, licèt à plurimis prætermittatur: quòd antè finiantur, quàm aduocentur Medici. Quia tamen plurimi, quam primùm vel leuiſſimè ægrotant, recurrunt ad Medicos, & quia huiuſmodi febres neglectæ, aut ex commiſſo errore, in deteriores tranſire conſueuerunt: expediet de earum etiam curatione, per ſingulas differentias quadantenus euariante, tractare.

Legitima ergo ſic curanda eſt. Vt perſeuerans cauſa primùm tollatur; tum per id, quod cauſæ, quæ illam excitauit, contrarium eſt, eidem prouideatur, ex Galeno. [x] Ita vt, ſi ea ex laſſitudine ſit orta, quietem imperemus. Si à vigiliis, ſomnum prouocemus. Si ab inedia, cibum humidum facilis tum coctionis tum diſtributionis præſcribamus: quòd ſi balneum, cuipiam hoc caſu volupe eſſet, id tamen quia aliqua ratione exoluens eſt, cauendum.

x 1. ad Glauc. c. 3 & com. aph. 48. lib. 2.

A ſatietate verò & crapula, ortâ diariâ, vacuatio inſtituenda eſt, vel per vomitum ſi ægri facilè vomant, & quæ ingeſta fuerunt in ventriculo adhuc commorentur. Vel per ſeceſſum ſi ægrotantes aut difficilè & cum labore vomant, aut ex tempore ab aſſumptione tranſacto quæ pliſmonem fecerant, in inteſtina delapſa coniectemur. Vel demùm per vrinas quando ex largiore alterius diei meri potus, febris aduenit. Vomitum autem non niſi leuioribus prouocabimus. Scilicet, ex aquæ tepidæ duabus partibus, & aquæ florum araneiorum, aut olei aliquantulùm mucidi portione vnâ. Vel ex tepentis aquæ, aut decocti hordei, atriplicis, aut ficuum tribus partibus, & parte vna mellis roſati, aut oxymelitis. Vrinas ciemus, ex decocto radicum eryngij, aut apij, & ſeminum frigidorum maiorum, vel conſimili. Aluum autem exonerabimus, præſertim iniecto tali clyſtere aut ſimili.

℞ fol. mal. pariet. & betæ ana m. j. caricarum par. vj. ſeminum fœnic. ʒ iij. flor. chamæm. p. j coquantur in aqua q. ſ. vt artis eſt, in colaturæ ℔. j. ß. diſſol. cathol. ℥ j. mellis roſati ℥ iij. olei roſati ℥ j. miſce fiat clyſter. Vel ſi clyſteres recuſet, exhibeatur talis bolus. ℞. medullæ caſſiæ recenter extractæ ℥ j. aut ʒ. x. aniſorum condit. & puluerat. q. ſ. miſce fiat bolus capiat horâ commodâ iuſculum ſtatim ſuperbibendo. Vel ℞. lenitiui & medullæ caſſiæ ana ℥ ß aut ʒ vi. miſce fiat bolus capiat cum ſaccharo Sed præaſſumat aniſorum conditorum drachmas aliquot. Quòd ſi bolum deuorare nolit. Præſcribatur conſimilis potio. ℞. cathol. ʒ. j. medullæ caſſiæ ʒ ß. infundantur in ptiſana vulgari q. ſ. cum pauco aniſo, ex colatura tertiò iterata fiat potio. Vel ℞. ſenæ oriental. ʒ ß. garyoph. n. iiii. infundantur in decocto violar. & cichorei q. ſ. expreſſ. diſſolue ſyrupi roſ. ſolut. ℥. ij. miſce fiat potio. Vel tandem ℞. mannæ calabrinæ ʒ ij. diſſoluantur in iure pulli, aut ſero caprino fiat potio, capiat duabus horis ante cibum. Si verò in his locis verſemur in quibus ægri non facilè purgantur: poterimus præſcriptis addere potentiora, etiam quæ dacrydium admittunt. Satiùs enim eſt fortioribus vt par eſt purgare: quàm ſolis mitioribus, corpus exagitare. Aliàs autem in mitiorum & minimùm calefacientium vſu inſiſtendum eſt.

Atque ita pro cæterarum cauſarum varietate procedendum: vt hylaritas, triſtitiæ, rerum neglectus, curis & ſolicitudini, ſecuritas ac confidentia, timori opponantur.

Demum, ſi aliquæ appareant contractæ intemperiei reliquiæ, ad eas tollendas pergendum eſt: refrigerando, & humectando.

Atque hoc, non tam ad ſiccitatem iam impreſſam emendandam. quàm ad imminentem præcauendam. Quod exequemur, vel in tepentis aquæ balneum, ægrum immittentes: vel refrigerantia, ſed actu tepida epithemata, cordi & iecori admouentes: vel capiti ab inſolatu feruidiori, aut lumbis magìs æſtuantibus, perfuſiones ex oxyrrhodino, aut poſca, ac ſimilibus, æſtate quidem non calefactas, aliàs verò leniter tepefactas præſcribentes.

Cum his victum refrigerantem ſimul & humectantem exhibere conueniet. In quo piſces etiam ſaxatiles, & pelagii in alto mari alti, aut littorales in puro & arenoſo littore verſantes conceduntur. Ad potum his vinum vtile eſt, præſertimque album, tenue & oligoforum, aut ſufficienti aqua dilu-

tum. Quòd tali potu natura promoueatur ad expulsionem halituosi illius excrementi, quod natura vel per insensilem transpiratum, vel per madorem, solet in his febribus expurgare.

Abstinendum tamen à vino est, si caput doleat, si ingens sit incendium, vel ægri temperatura & ætas, anni tempus & regio, ad feruoris incrementum inclinent. Quo casu, vice vini, decoctum hordei seu vulgaris ptisana, aut aqua saccharata, aut syrupus violatus, capillarium, gelatina cerasorum, aquâ leuiter coctâ, soluta, vel in septentrionalibus regionibus tenuis cereuisia conuenient.

Non exquisita tamen & producta, quæ alterum diem prætergreditur: quoniam ex prauo corporis apparatu, plethorico aut cacochymo, minatur, ne in continuam aliquam aut continentẽ transeat: hoc etiam requirit, vt phlebotomiâ, aut purgatione, vel vtroque etiam remedio imminens illud periculum auertatur; prout præsens corporis apparatus, vel alterum vel vtrumque remedium expostulat.

Spuria, quæ à bubone, aut phlegmonosis pustulis excitatur, inflammatione per remedia particularia & topica mitigatâ, negato vini vsu, tenuique victu præscripto, ex eodem Galeno [y] facilè curatur. y Cit. 1. ad Glauc. cap. 3.

Quæ à crudorum succorum motu & distillatione nascitur: ita curatur. Vt si distillatio dispersa sit, & vaga, nec exhaustæ simul sint vires, præsensque sit plethora notha: sanguinis missione primùm sit opus: vel purgatione, si mera sit cacochymia. Mox verò quiete, moderato somno, leni frictione post somnum, & in humidioribus temperamentis, mediâ, aut parco victu vti conueniet. Et si concitati humores, in determinatam partem irruant: per ea curabitur, quæ habita primùm ratione totius, postmodum partis tum mandantis, tum accipientis prouidentiam habeant. De quibus, suo loco agetur.

Quæ à cutis astrictione nascitur, quam frigus, aut balnei astringentis vsus induxit: vel balneo, vel molli frictione, & sudoris leui prouocatione curatur. Citra aliud remedium quidem: si nullum aliud sit annexum corpori vitium. Vel his præcedentibus vacuationibus, quas præsens corporis constitutio insinuabit. Prouocabimus autem sudorem: aquis scabiosæ, buglossi, cardui benedicti, & nucum exhibitis ad ℥ viii. aut ix. cum pauco saccharo ad gratiam addendam aquis: vel ex decocto caricarum & lentium non excorticatarum, cum ℈ ß salis absynthij, aut scabiosæ. Vel si post bolum ex granis sex aut septem lapidis bezoar & vncia dimidia conseruæ borraginis deuoratum, vncias sex aut septem aquæ scabiosæ potandas exhibeamus. Vulgares, duo aut tria oui lutea sorbent; vel ℈ j. aut ʒ ß. zinziberis, cum vini cyatho hauriunt, & super impositis stragulis sudorem prouocant.

Quæ verò ab obstructione causatur, si fortè aut multi, aut crassi & lenti humores ad cutem impacti, eam intulerint, à magnis remediis inchoandum erit: ne re neglecta in synochum, aut aliam putrem transeat. Quare si multi hi fuerint, atque à plenitudine causetur obstructio: sanguinis missione est opus, quæ & plethoram, & obstructionem soluat. Si verò crassi tantùm sint, aut viscidi: primùm succi huius conditionis qui in primis viis stagnare consueuerunt, & in venas possent irruere; leniente medicamento sunt detrahendi. Mox attenuantibus & detergentibus, quæ infrà quando de pituitosis febribus agemus recensebimus, vti conueniet: quibus ea succorum vitia emendentur. Postmodum verò vbi succos illos purgationi cessuros aduertemus: eorumdem vacuationem per purgantia opportunè moliemur. Et si quidpiam sub cute residuum esse videatur; id sudore prouocato, post balneum, & leuem frictionem, in integrum exoluendum erit. His autem posterioribus sanguinis missionem præscribere, minimè conuenit: quoniam obstructio ab ea causa nata, curari per sanguinis missionem non potest. Vt habet Galenus. [z] Quòd si ea sit vtriusque succorum vitij, plethoræ scilicet & cacochymiæ z 11. meth. cap. 14. in eodem ægrotante confusio: vt crassis viscidisque succis, in habitum effusis, cutis obstructio sequatur; at in venis plethora etiam notha simul adsit, vnde natura crassa illa excrementa in cutem totius emunctorium expulerit: vel à succis vtrinque peccantibus mixtim obstructio fiat. Præstabit, principio quidem sanguinem mittere: mox autem succi vtroque nomine vitiosi parte emissa, ad tollendas obstructiones & crudos illos succos expurgandos accedere. Atque in illis quidem, etiamsi plenitudinis signa non adsint: principio tamen vena secanda est, ex Galeno. [a] Quòd licet per obstructionem a 8. meth. c. 4 cutis à crassis & viscidis succis, syndrome plethorica minùs euidenter appareat: in vasis tamen plenitudo adsit, quam & venæ turgentes & subrubentes vrinæ indicabunt. Quem esse Galeni sensum in b Cit. cap. 4. lib. 8. meth. difficili illo textu [b] existimo. Ad cuius examen Augenius penè integram decimam disputationem [c] c Lib. 6. de curand. rat. per miss. san. destinauit.

A sanguinis autem feruore excitata febris, seu ephemera notha, seu synochus non putris appelletur: ad sui curationem duo requirit. Perseuerantis scilicet causæ ablationem, & intemperiei iam impressæ emendationem. Quæ auxiliis à diæta, chirurgia, & pharmacia petitis, exequemur.

Victus ratio, in rebus non naturalibus debet ad intemperiem quidem euincendã esse refrigerans:

ad succorum autem in vasis efferuescentium quantitatem minuendam, attenuans requiritur. Aër ergo, eligatur frigidus; vel talis reddatur aspersa per cubiculi pauimenta aqua communi, oxycrato, aut aqua florum violarum, rosatum, vel nymphex; aut foliis etiam tum prædictatum herbarum, tum salicis, populi, vitis, & similium. Cibus sit cremor hordei cum seminibus frigidis, panatella ex iure pulli parata; aut tenue ius veruecinatum & vitellinarum carnium, endiuiâ, acetosâ, lactucâ, aut borragine alteratum. Potus sit aqua hordei, vel saccharata, aut in qua iulep violatum, syrupus ex succo aranciorum, limonum, de agresta, aut consimilis dissoluatur. Vinum omninò his denegandum est. Imo his ægris vehementer sitientibus, vel misso iam sanguine, vel ægro phlebotomiam recusante: vtilissimum remedium est, copiosa frigidæ potio. In cuius præscriptione, hoc casu, non ea omnia obseruare oportet, quæ in synocho putri ex Galeno [d] & Aëtio [e] obseruanda proponuntur. Sed sufficit ægrum nulla viscerum obstructione laborare, frigidam potionem non abhorrere, & ei ventriculum imbecillem non esse. Ægrotante enim sic affecto, nullum est remedium, post sanguinis detractionem, quod & promptiùs & securiùs sanguinis feruorem refrigerando & humectando compescat. Si verò notatæ illæ conditiones desint, minùs tutum erit hoc auxilium: à quo, noxa potiùs, quàm medela impendebit. Præterea iniungenda quies est, somnúsque conciliandus, temperandi animi pathemata, & aluus per se aut arte libera conseruanda. Quod vltimum, commodissimè absoluemus clysteriis, quæ emolliendi fæces, & refrigerandi vim habeant. Ex decocto hordei, maluarum, atriplicis, violarum, lactucæ, ac similium: cum melle communi despumato, rosato, aut violato pauco sale, & oleo vel communi, vel rosato, violato, aut nenupharino, pro minore aut maiore ardore admixtis. Et si tardior sit ad excernendum æger, lenitiuo etiam aut electuario catholico addito.

d 9. meth. 5. e Lib. 5. c. 72.

Ex Chirurgia, præsentaneum remedium est, sanguinis missio: vt docuit Galenus. [f] Quam pro viribus largam esse oportet: cùm febres eæ, plethoræ semper coniungantur, & periculum sit grauioris affectûs, putredine superueniente ex vacuationis defectu. Neque hoc genus auxilij differendum est: sed statim à principio, aut cùm primùm vocamur, præmisso, vel dilato clystere, ad eluendam aluum, eámque regionem temperandam, administrandum. Quo prætermisso, vt monet Galenus, [g] periculum est ne febris quæ citra putredinem concepta est, in putridam transeat. Num autem in his sanguinem ad lipothymiam vsque ducere expediat, à nobis explicabitur. Quòd si dum sanguinem mittere cogitamus, sanguis ex vtero, vel hæmorrhoidibus fluere incipiat ex Aëtio [h] permittendum est naturæ euacuare quod destinat. Quæ si tantum euacuet quantum plenitudini par est, nihil moliendum nobis relinquitur: si verò parcior sit vacuatio, quod deest ad sufficientem euacuationem, arte supplendum est. Vel si suffocantem plethoram aduertamus, natura autem lentè nimis vacuationem à se tentatam persequatur vtile fore censeo, eas venas incidere, quarum sectio naturam à proposito non auertat: parciùs tamen sanguinem mittendo, quàm si natura nullam vacuationem tentasse mittere oportuisset.

f Cit. 9 meth. cap. 4. & 5.
g Eodem 9. meth. cap. 4.
h Lib. 5. c. 71.

Demum pharmacia, sua etiam cum fructu ad hunc affectum remedia confert: tum interna, vt iulapia & apozemata: tum externa, vt tepentis aquæ balnea, epithemata & linimenta: cordis, hepatis, lumborumque regionibus admota. Quæ omnia ad temperandum eorum viscerum, maiorúmque vasorum æstum, ab efferuescente sanguine conceptum vsurpantur. Eadem autem infra particulatim referemus, cùm de synocho putri tractabimus. Purgantia verò huic morbo vt plurimum minimè conueniunt. Cùm solus veniat temperandus succorum feruor, & nulla sit expurganda prauitas: Si tamen tale sanguinis incendium ab obstructionibus excitetur, quas crassi & viscidi humores genuerint: refrigerantibus, attenuantia, incidentia, & detergentia, pro tollendis obstructionibus, admiscere conuenit: tum præparati humores, benignorum pharmacorum ope erunt expurgandi. Sed de his, fusiùs in putridarum curatione dicetur.

De febrium putridarum essentia & caussis.

Capvt VII.

VT ab accensa mitiori & minùs acti in nobis contenta materia, cordis spiritosa substantia sola frequenter inflammatur. Ita si putre quidpiam, calorem præter naturam intra nos conceptum per exhalantem à se substantiam ad cor vsque diffundat, quia id ad calorem in nobis excitandum maioris multò actiuitatis existit: non tenuiorem solùm illam cordis substantiam, sed humorosam etiam accendit, febrémque inducit, quæ ex primario subiecto humorosa, ex frequentiore autem immediata causa, putrida nuncupatur. Eorum enim sententiæ (vt suprà [a] docuimus) adhærere non possumus, qui affirmatunt primarium harum febrium subiectum

a Cap. 1. & 2.

tum esse humores puttes in ventriculo cordis contentos. Qui,dum aliquo nomine, cor febris putridæ primarium subiectum esse,comprobare astruunt:his febribus id tribuunt, quod omnes malignas seddetet. Quis enim purrem humorem,imò & putrescentem, in cordis ventriculo contineri concipiat:qui inde lipothymias,& syncopes,variáque alia maligna symptomata consequi non intelligat?

Cùm autem huius generis febrium ratio, à primarij subiecti particulari determinatione specificetur; hoc secundum febrium genus sic definire licet,vt dicatur calor præter naturam in humorosa cordis substantia accensus,indéque in vniuersum corpus (nisi impediatur) effusus, actiones sensibiliter lædens.

Causæ immediatæ febris humorosæ & putridæ,sunt vapores ex putri quacumque substantia,foco,membro,vermibus,aut recrementis quibusdam eleuari,& ad cor pertingentes: acriore suo calore,humorosam illius substantiam accendentes. Necnon vapores qui ab efferuescente excrementitia bile excitantur:consimilem affectum inferentes. A qua postrema causa,licèt nonnulli ephemeram tantùm excitari tueantur,vt visum fuit Valesio,[b] & Saxoniæ.[c] Tamen vbi actior ille humor semel etiam citra putredinem efferbuerit:non potest enim tanta acritudine, in eo conquiescere, vt cordis solam spirituosam,substantiam accendat:quin potiùs humorosam etiam inflammet. Quare malim,febrem inde natam;inter humorosas recensere. Cùm ex Galeno discamus,ardentem etiam, quam diariis nullus annumerabit,à solo bilis circum præcordia feruore,excitari:vtcolligitur ex eodem [d] atque eo maximè prædictam febrem ad hoc genus refero : eùm in curatiuis indicationibus, magis cum humorosis & putridis,quàm cum ephemeris communicet:vt infra explicabimus. b 5 cont.c.1 c Lib.8 pan cap.4. d 1 in 1. E com tex 9. e Lib. 2 febr cap.1

Neque nos ab hac sententia distrahit Sennertus qui [e] negat à bile non nisi putrente febrem excitari,quòd bilis flaua licèt calida sit,tantum tamen feruorem qui ad febrem generandam sufficiat inducere non potest,vt in ictero & aliis morbis biliosis videre est. Quin potiùs miror virum celebrem non aduertisse,bilem flauam,tenuem,calidam & siccam ad efferuescendum facilem admodũ esse,ex inedia,curis,immodicis exercitiis,ira,& insolatu,multóque faciliùs, cùm abundat in vasis, efferuere,quàm sanguis temperatior,qui tamen synochum non putrem efferuens excitat. In ictero verò nihil mirum febrem non semper excitari. Non enim tunc bilis efferuescendo in cutem effunditur:sed sensim per cholidochum non expurgata & sanguini immixta diffunditur in cutem. At quando naturæ infesta & vasa vellicans per modum criseos;non citra feruorem ex repentina secretione,in commune emunctorium affatim amandatur:an non magnam habet, æstuosam, & asodem febrem tantæ excretionis præcursorem,& feruoris comitem. Quæ ab excretione cessat, quando feruida exhalatio ab humore antea concitato elata,eodem integrè in cutem transmisso, cessat in cor efferri.

Sic quando sanguinis ichor prædictam bilem redolens effertur, & robustâ expultrice in determinatam habitûs corporis partem transmittitur;transmissiones, acutissimas febres habere coniunctas quotidie experimur.

Mediatæ febrium humoralium causæ sunt,primùm quæ copiosiorem bilem citra putredinem in vasis inflammant:tum quæ putredinem ad cor vndeuis effumantem,in nobis generant. Bilis, sui feruoris causas non alias agnoscit quàm alij fucci. Putredinis autem causæ,non eædem ab omnibus statuuntur. Quas antèquam inquiramus,primò ipsa putredinis natura,explicanda est. Ad cuius cognitionem vt perueniamus.

Sciendum primò est,putredinem esse passionem quamdam & mutationem rei putridæ. Eámque vel in fieri considerari;& vt est in via vel in facto esse,seu vt ad terminum perducta est. Sub qua postrema ratione comprehensa,est mixtorum interitus; vt ab omnibus affirmari ait Zabarella[f] non tamen naturalis,vt addit Zabarella,sed violentus. Cùm enim mixtum vt mixtum non aliter intereat quàm per dissolutionem in miscibilia: mixtum in partes heterogeneas ex quibus constat trifariam dissoluitur. Primùm quidem & naturaliter per marasmum,seu lentam exiccationem. Quæ naturalis dicitur,non quòd à natura sit intenta:sed quòd à naturali mixti constitutione sequatur. Calidum enim quod in vnoquoque mixto est,ex sibi insita actiuitate in consociatum humidum semper agens (celeriùs tamen aut tardiùs prout minùs aut magìs heterogeneorum mixtio in vnoquoque coagmentata est)illudque sensim exoluens,ad mixti etiam dissolutionem sensim tendit,solâ relictâ portione terreâ friabili, quæ humido assumpto non ampliùs sibi cohæret. Secundò celeriùs multò,& ab externo agente, ideóque violenter, per combustionem mixtum ad dissolutionem perducitur:humidâ aqueâ substantia effumante,pingui in ignem conuersâ, & siccâ portione in cineres abeunte. f Lib. 2. mixtur gen & inter. c.

Tertiò minore aliquantò celeritate,sed ab externo etiã agente, & nũquam ab innato principio,licèt

ab implicito aliquando efficiente, vt mox explicabitur, atque ideo violenter etiam mixtum, per putredinem in sensibilia heterogenea dissoluitur.

g 4. meteor. sum. 1. cap. 1

h Loc. cit.

Vnde ab Aristotelo[g] putrefactio, simplici generationi (quæ scilicet elementorum mixtionem sequitur) contrarium maximè commune dicitur. Quare complera & absoluta putredo est actualis dissolutio mixti in miscibilia, sed non quæcumque. Quæ quoniam prioris substantialis esse cessatio est, atque ideò mutatio quædam ad id quod non est: rectè ab Aristotele [h] corruptio nuncupatur. Sic enim Aristoteles putrefactionem definit, vt eam dicat esse corruptionem eius quæ in quocumque humido propriæ & secundùm naturam caliditatis, ab aliena caliditate, quæ & ambientis est. Vbi cùm cuique liberum sit philosophari: non tam corruptionem dici caloris vellem, quàm mixti per dissolutionem proprij & secundùm naturam calidi, in vnoquoque humido, à calido externo. Quoniam mixtum est quod per putredinem corrumpitur, non calor qui solet in putrescentibus intendi. At ne calidum quidem: quod etsi ab humido putrescentium dissoluatur, nondum tamen in re putri corruptum, & in alienam substantiam mutatum aduertitur. Meritò verò putredo, ab Aristotele corruptio appellatur: quoniam corruptio eodem authore [i] dicitur esse mutatio in id quod non est, ex eo quod est. De qua corruptionis specie & mixtorum interitu vt mixta sunt, cùm philosophi sit tractare qui omnes rerum naturalium passiones examinat: rectè sub eo genere, putrefactionem ab Aristotele definitam esse existimamus.

i 5. phys. tex. 7

Ad Medicos tamen, cùm contemplatio illius finalis putredinis, quæ viuentia immediatè nunquam attingit, minùs pertineat: sed magis illos deceat, eam solam alterationem quæ ad dissolutionem mixtorum vltimatè terminatur, extra terminum contemplari: aptissima videtur ea putredinis definitio per quam à Galeno [l] dicitur esse mutatio totius putrescentis corporis substantiæ, ad corruptelam, à calido externo. Mutatio enim ad corruptelam denominatur: vt putredo, esse in fieri intelligatur; quasi non attingens, sed tendens ad corruptelam. Etsi verò eæ duæ definitiones genere inter se differant, tamen in reliquis, sub diuersis terminis re conueniunt. Aristoteles enim peculiarem hanc corruptionis mixtorum rationem explicaturus; non nisi per causas talis interitûs effectrices & per præcedentem alterationem eam exprimere poterat. In qua præuia alteratione, totam naturam conceptæ à Galeno putredinis, & quæ viuentia attingit, consistere diximus. Vt autem rem totam apertissimè doceamus, causam dissolutionis mixti in miscibilia per putredinem, eiusque exordium, progressum, & finalem interitum explicare oportet.

l 11. meth. cap. 8.

Mixtum licèt multiplicem substantialem mutationem subire queat, & vel aliam mixti speciem possit induere, vel in vnum elementum vt in ignem per combustionem aliquando, aut in aliud aliter conuerti; nunquam tamen veriùs vt mixtum est corrumpitur, quàm cùm illud in miscibilia, ex quibus potentiâ inexistentibus componebatur, dissolui contingit; quod illi inter cætera per putrediné accidit. Cuius dissolutionis efficiens causa, nulla calore efficacior imò nec aptior concipi potest: cuius proprium est, heterogenea disgregare, & homogenea congregare. Cum enim illa miscibilium coitio ad mixtionem, sit heterogeneorum congregatio: dissolutio mixti per putredinem, eorumdem erit disgregatio. Ac quoniam internus innatúsque calor etsi tandem quidpiam simile præstet, nunquam tamen ex instituto propriæ compaginis dissolutionem aggreditur: sed formæ mixti instrumétum, eamdem quantùm potest in proprio subiecto cõseruare satagit. Quare calor putredinis author non alius est quàm externus: vt cum Galeno, censuit Aristoteles. Modò hic per τὴν θερμότητα τῦ περιέχοντος, cum omnem calorem intelligat, qui vel in externo subiecto formaliter aut eminenter inhæret, seu in ambiente insit, seu à sideribus influens per ambientem transfundatur; vel in ea ipsa substantia inest. Quæ ipsi etiam putrescenti substantiæ contagij vitio, aut per impeditam transpirationem præter naturam immixta esse concipitur, vt passim docet Galenus. Atque ita intelligendum esse Aristotelem cum experientiâ eorum quæ intra se & in frigido ambiente putrescunt, conuincit ratio. Hic autem licèt intrò conceptus, solet etiam externus appellari: seu quod suæ intensionis principium capiat ab extra: seu quòd ei substantiæ insit quæ verè alia est à putrescente licèt illi permixta: & omninò adeò calor is externus appellatur, quia inertis principiis, substantiali scilicet formæ est aduersus. Neque vero externus omnis calor, putredinem infert: vehementior enim, mixti humidum in integrum absumens potiùs, quàm dissoluens à sicco, putredinem inhibet. Sic dum caniculæ æstus viget, plurima meridiano soli exposita, diu imputrida conseruantur. Atqui trepidior est & liquare quidem humidum potest; idem verò nec regulare & excoquere, nec absumere valet. Ita sub lunæ radiis, & vigente austro, humida quæque facilè putrescunt. Semper tamen calorem putrefacientem, vel intensiorem, vel magis actiuum, & omninò potentiorem esse eo qui naturalis est corpori putrefacto, necessum est. Aliâs ille, huius subiectum dissoluendo non corrumperet. Hinc, quæ ab intus concepto præter naturam calore putrescunt: omnia, per impeditum fuliginosi calidi effluuium, seipsis calidiora redduntur.

Subiectum verò & materia putredinis, propriè quidem est totum ipsum mixtum quod dissoluitur: sed id in quod primò putrefaciens operatur, est humidum, quo diffluente facilè mixtum dissoluitur, sicci cum humido colligantiâ cessante. Humidum autem quodcumque, dixit Aristoteles. Quòd cùm in mixtis multiplex sit humidum, vt chymicæ solutiones demonstrant, quodcumque ad mixti colligantiam interueniat, hoc ipsum per putredinem liquari & solui oporteat. Neque humidum solùm aqueum, & facilè diffluens quodcumque scilicet tam internum, quàm externum: subiectum est putredinis, vt quibusdam placet: sed quodcumque. Nam & pinguia, licèt tardiùs, putrent. Humidum tamen aqueum quia vt minùs excoctum faciliùs soluitur, ita ad faciliùs putrescendum disponit. Vnde quæcumque tali humido humidiora, celeriùs putrent: & quæ pingui aut lento humido, & quocumque minus dissolubili constant: alieno humido aqueo imbuta, vel eodem illis affuso, ad proprij humidi facilorem dissolutionem præparantur.

Cùmque tales sint putredinis causæ, eiusdem huiusmodi est progressus, & totius putrescentis corporis substantiæ ad corruptelam mutatio.

Vt heterogeneitas in mixtis magis sensibilis, est humidarum siccarúmque partium simul in mixto vnitarum: ita in putrescentibus primò humidum à sicco ante terminatum & siccum vicissim coagmentans, ab externo calido putredinis & dissolutionis mixti authore sensim eliquatur, & per partes secernitur. Sensim (inquam) & per partes, quia dispositionum ad corruptionem introductio; successiua est actio. A qua humidi eliquatione & secretione, fit vt, quæ putrescunt omnia, principio seipsis (vt dicebat Aristoteles [m]) humidiora reddantur. Mox verò, quia calidum mixtorum humidæ substantiæ eorumdem familiariter assider, dum humidi & sicci compago dissoluitur, & humidum calido perfusum, cessat à sicco frigido vt solebat contemperari: simul calidum incipit ab humido secerni. Quod secretum, nec ampliùs à mixtione coërcitum, quasi efferuescens, facit vt hinc putrescentia seipsis calidiora euadant. Postmodum quia in huiusmodi dissolutione humidum rarefactum & attenuatum minùs quàm antea à consociato calido regulatur: à putrescentibus corporibus inimicum nobis & ingratum expiramentum exhalat, ex quo fœtent putrescentia. Fœtor enim putrescentium omninm est sequax: vt legitur apud Galenum. [n] Atque eò magis, quò humidiora extiterint. Quæ enim admodum sicca sunt, dum paucum humidum quod illis admixtum est sensim separatur, sensimque in tenuissimum & imperceptibilem vaporem exoluitur, fœtere non aduertũtur.

Ea vero humidi à sicco dissolutio sicus sensim progressa, vbi in animalibus ad eum statum peruenit, vt eum introducta mutatione, etiam in solis succis, & inde communicatâ membris intemperie, vitæ munia exercere non possint, emoritur animal. Quo extincto, putredo tandem ad extremum in cadauere pergens: eò vsque deducitur, vt heterogeneorum illa coïtione dissolutâ, nequeat ampliùs mixti forma in tali subiecto consistere. Ac tunc corruptio mixti aduenit: & vel in imperfectiora mixta dissoluitur, vel in prima miscibilia demum abit, quorum singula specie non autem numero easdem suas formas reassumunt.

Aliàs verò, ea humidi à sicco dissolutio, cùm successiuè fiat, variaque habeat sui progressûs momenta, & varios status: multò ante (vel putrefaciente semoto, aut imbecilliore reddito: vel ex circumstantium membrorum aut aliorum resistentia) consistit aliquando, quàm integra heterogeneorum compago dissoluatur, aliquâ solùm humidi portione eductâ. Quæ putredo, vt notat Zabarella [o] secundùm partem à plurimis appellatur. Quæ in humoribus intra nos putrescentibus, & in membris ad necrosim per gangrænam tendentibus, frequenter apparet. Ad quam attendens Galenus [p] putredinem alterationem appellauit: quòd maximè apparens mutatio quæ per eam aduenit, sit secundùm qualitates mutatio. Quæ licèt aliquantò progressa, ad viuentis substantiæ interitum perueniat: non tamen ad mixti pertingit exitium. Atque ideò sub conditione conceptam, idem Galenus, [q] mutationem ad corruptelam nuncupauit. Quòd & viuentium partes, & quæ in viuentibus continentur, extremam illam putrefactionem non antè sentiant, quàm tales intemperies viuenti sint impressæ, cum quibus seruari vita non possit. Quâ amissâ, cum quod sequitur, ad perfectam mixti dissolutionem ducens, non sit medicæ contemplationis: Galenus, in prioris naturâ explicandâ conquieuit. Totam autem substantiam corporis putrescentis mutari, ideo ait: quod & temperies naturalis, primarum qualitatum graduatione euariatâ mutetur: & modus substantiæ à Medicis appellatus, per qualemcumque humidi dissolutionem, peruertatur. In quibus Galenum totius substantiç rationem statuere, iam sæpius à nobis demonstratum est.

In semiputribus autem, animalia aliquando generantur: quòd humidum pingue semisecretum à sicco, vi calidi sibi adhuc consociati, aut externi etiam alterantis: dispositionem quamdam ad organizationem aptam recipiat. Quam vniuersalis causæ concursus, alia deficiente aggreditur: & animâ ex potentia materiæ (prout sanè intelligendum est) eductâ, perficit.

Sed quispiam forsan cauillator, superiora cauillare studens, Aristotelem obijciet [r] asserentem

[m] 4. meteor.

[n] Lib. 1 simp. cap. 13.

[o] Cit. lib. 2. de gen. & interitu mixti c. 16. & vlt.

[p] Lib. 5. simp. cap. 6.

[q] Cit. lib. 11. meth. cap. 8.

[r] Cit. 4. met.

putrefactionem etiam propriè dici in his, quæ secundùm partes corrumpuntur, cùm separata fuerint à natura ratione cuius, omnia alia præter ignem putrescunt; cùm terra, aqua, & aër, sint materia igni. Quæ nihil eorum quæ à nobis asserta sunt euertunt. Putredo enim, non solùm perfectè mixtis; sed & quomodocumque mixtis conuenit; quæ ab externo calido heterogeneorum dissolutionem pati possunt. Elementa verò quæ circum nos sunt impura & quadantenus mixta, singula imperfectæ illius mixtionis pati dissolutionem possunt, ab ambiente calido & igne singula dissoluente. Ignis autem quantumuis impurus, non potest: quia à nullo calidiore alterari potest, & ad elementarem puritatem reduci. Potest tamen eius portio corrumpi, & propriâ naturâ amissâ, in alterius elementi conditionem degenerare: vt alia etiam citra putredinem in se inuicem per reciprocam corruptionem & generationem transeunt.

Quare, ad inquisitionem causarum putredinis in nobis excitatæ redeuntes dicimus, putrescendi plures esse causas; nec solam prohibitam transpirationem, vt plurimis visum est, putredinem tam humoribus inuasis quàm mẽbris ipsis inferre. Et licèt ea putrescendi occasio sit admodum frequẽs: quòd vt dicit Galenus[s] calida & humida quæcumque in calidis locis contenta, nisi difflentur facillimè putrescant. Non tamen ea solùm quæ inculcata sunt, & perspiratu prohibita putrescunt: sed alia præterea multa, quæ putredini sunt opportuna: vt habetur apud eumdem Galenum.[t]

s 12. meth. cap. 4.

Omnis autem putrendi occasio, vel ex parte materiæ oritur, vel ex parte agentis excitatur. Materia intra nos facilè putrescens, est, primùm quoduis humidum, quod vbicumque consistat, non regitur à natura, vt ait Galenus[u] seu quòd à calido influente parciore peruadi non possit, seu quòd ab imbecilliore partium continentium calido ad congruentem alterationem penetrari nequeat.

t Lib. de inaequali intemperie cap. 7. u 2. de diff. feb. cap. vii.

Secundò humida quæcumque substantia quæ difflari impeditur; seu ob copiam, seu ex obstructione aut constipatione viarum. Tertiò deprauata alimenta in ventrem ingesta, seu prauitatem à putredine iam ante concepti accipiant, vt frumentacea quæ situm aut rubiginem contraxerunt: seu ea prauitas in superabundantia humoris excrementitij consistat, qualis in hortariis fructibus, cucumeribus, peponibus, persicis, moris & similibus adnotatur: quæ cum à calore nostro euinci non possit, ab accepta alteratione in putrilaginem vertitur. Quartò cibi intempestiuè assumpti, & primo nondum concocto superingesti; eidem, & sibi cruditatis atque inde peruersæ alterationis & putredinis causam procurantes. Vel iidem peruerso ordine deuorati, vt qui facilis sunt coctionis, oua, lac, & similia post astringentes, & diu in ventriculo commorantes ingesti. Qui hinc legitimam coctionem supergressi, pro pepsi pepseos vitium contrahunt aliquando.

Et demùm omnis excrementorum copia, quæ vel coctricis facultatis vitio, vel expultricis imbecillitate, vel ob errorem aliquem admissum in vsu sex rerum non naturalium, in nobis colligitur vitali naturæ curâ destituta; ad putredinem concipiendam aptissima est.

Sciendum enim quæcumque in nobis seu ex materiæ vitio, seu ex caloris imbecillitate congruẽtem coctionem effugiunt: vel vitium vstionis aut eius æmulæ alterationis ex superexcoctione contrahere: vel à cruditate plerunque & leui ex causa in putredinem illabi; calore viuentis habente se illis pro externo.

x 1. simp c. 15

Agentia verò quæ facilè in nobis putredinem excitant, hæc sunt: primùm septica medicamenta, de quibus Galenus abundè egit.[x] Tum intempestiuus labor, balneorum superfluus vsus, fuliginosi excrementi suppressum effluuium, & id omne quod calorem præter naturam excitare potest in nobis. Inter quę maximè eminet, particularis aëris constitutio, cum tepido calore corpora laxans: seu id per manifestam qualitatem operetur, vt solet perseuerans austrina constitutio: seu à latente siderum influxu vi accepta, vt in pestilentibus plurimis tempestatibus aduenit: Tandem putris omnis substantia, spiritus aut humor per contagium nobis communicatus, qui suum inquinamentum & vitium in eas, quas attingit partes, aut succos latiùs diffundens, putredinem in nobis excitare potest.

Quæcumque verò & vndecumque in nobis sit excitata putredo, ex se quidem febres inducere est apta: attamen si ea in pauca materia concepta sit, vel eadem minùs sit vaporosa, vt nihil in cor effundat, id nunquam præstabit. Quare ea solùm ad id præstandum sufficiet, quæ vel sua vehementia, vel sufficientis exhalationis copia ad cor pertingens, eiusdem humorosam substantiam inflammare potest. Id enim, ad huiusmodi febrium generationem, planè requiritur.

y Paradox. 3 decad. 2. z Lib. 12. c. 2.

Verùm antequam ad alia transeamus, hic tantillùm hærendum est: vt Iouberti sententiam exaratam,[y] & à Tralliano antè insinuatam[z] referamus. Vbi febres ac præsertim salubres; ab humoribus excrementitiis excitatas: non ab illis putrescentibus, sed vel feruescentibus solùm, vel vstionem patientibus, generari scribitur. Quam, putredinis naturâ non satis examinatâ, mordicus tuetur Joubertus. Putredinem enim non nisi in facto esse, vt definita est ab Aristotele, vel proximè ad terminum accedentem, & fœtori iam consociatam considerat.

Quam si in fieri, vt à Galeno descripta est, concepisset: illam ipsam afferuescentiam humorum

quam admittit,quæ aliqualem humidi à ſicco ſecretionem induxerit,putredini aſcripſiſſet. Namque verò ea ſenſibile exordium eſt illius diſſolutionis mixti,quam externum calidum heterogeneos diſſociando molitur. Atque vt intelligatur, quæſtionem penè eſſe de nomine:efferueſcentiam humorum, à parùm progreſſa putredine,eo tantùm diſcernimus,quòd,efferueſcentia,ſit ſimplex alteratio à calido externo in illis producta,quæ humores aut ſubſtantiam rei putrentis , inſolita rarefactione exagitat:putredo verò,ſit paſſio quædam,in patiente à calido externo introducta , ad heterogeneorum ſenſibilem aliquam diſſolutionem progreſſa.

De febrium putridarum differentiis, & differentiarum cauſis.

Capvt VIII.

MVltiplices febrium differentias antè quidem [a] retulimus,quæ omnibus febrium generibus,aut plurimis ſunt communes. Hic verò eas recenſere oportet , quæ putridarum ſunt propriæ. Quæ ex tribus capitibus trahuntur:ſcilicet vel ex vario putredinis gradu; vel ex ſui fluxûs & perſeuerantiæ modo,vel ex diuerſitate humorum in quibus putredo concipitur. — a Cap. 4.

A primo fonte manat diſtinctio putridarum,in ſimpliciter putridas,& peſtilentes. A ſecundo fluût tanquam riuuli,continuæ & intermittentes.

Continuæ,duorum ſunt generum:vel continuæ abſolutè dictæ, quas Græci circum Galeni tempora συνεχεῖς appellarunt:vel continentes,quas συνοχοὺς iidem nuncuparunt;vt habetur apud Galenum. [b] — b 3 in 3 epi. comm. tex. 2.

Continuæ ſimpliciter vocatæ,eæ dicuntur,quæ cùm ad intermiſſionem & ἀπυρεξίαν ſeu infebricitationem vſque non perueniant,donec ex toto ſoluantur:tamen per periodos exacerbantur. Harum verò quædam incompreſſum aſcenſum patiuntur vt loquitur Galenus. [c] Aliæ etſi ſine intermiſſione perſeuerent,tamen cum euidente annotatione per certas periodos ad exacerbationem redeunt. Annotationem ſeu recurrentis febris ſignificationem & ἐπισημασίαν Gal. [d] appellat occurſum eorum ſymptomatum quæ febrium intermittentium acceſſiones præcedere conſueuerunt. Qualia ſunt perfrigeratio,horror,rigor,thoracis compreſſio,ſopor,oſcitatio,& ſimilia. Incompreſſam verò annotationem quam ille ἀπὸ τοῦ θλίβω i. comprimo ἄθλιπτον εἰσβολὴν nominat [e] eſt febrilis exacerbatio abſque perfrigeratione,horrore aut ſopore;ſeu ſine inæqualitate,& illaborioſa febris acceſſio, vt prædictam vocem ἄθλιπτον interpretatur Valeſius. [f] Primi generis continuæ, ſimpliciter tales dicuntur : quæ à plurimis continuæ proportionatæ vocantur , quòd ſui generis intermittentibus quadam typi proportione reſpondeant. Poſterioris verò ordinis febres ſubintrantes vulgò appellantur. Quæ quòd non eundem ſocum habeant cum prioribus,ſed parem cum intermittentibus : ad intermittentes referuntur. — c 1. de differ. febr. cap. 9. d 2 aphor. comm. 1. e Lib. 3. de praſ. ex pulſ. c. 2. & cit. 1. de diff. febr. cap. 9. f In comm. ad cit. tex. lib. 2. de diff. febr.

Iterum verò continuæ proportionatæ multiplices ſunt,pro variis exacerbationum periodis:nomina earum intermittentium aſſumentes,quarum periodos imitantur ; vt docet Gal. [g] Vnde continuam quotidianam,continuam tertianam & etiam continuam quartanam dicimus. — g 2. de criſ. c. 6.

Continentes,ſynochi,& concluſæ dictæ:illæ ſunt,quarum vnica eſt acceſſio,à principio morbi ad finem vſque perdurans.

Quæ,vel legitimæ ſunt , vel illegitimæ. Legitimas eas appellamus , quæ ex ſanguine putreſcente naſcuntur:vt colligimus ex Auicenna [h] Paulo [i] Aëtio. [l] Atque hæ vel exquiſitæ ſunt vel non exquiſitæ. — h Lib. 4. fen 1 tract. 2. c. 1. i Lib. 2. c. 28. l Lib. 5. c. 25.

Exquiſitas eas nuncupamus,quas ſanguis in maioribus vaſis putreſcens excitat. Non exquiſitas autem vocamus eas,quæ ſanguine in determinata aliqua parte putrente,naſcuntur.

Illegitimas verò & nothas eas dicimus,quæ ex bile excrementitia ortæ, ardentium nomen meruerunt: De quibus infrà agemus.cùm de bilioſis febribus tractabimus. Ardentes autem quas bilis excrementitia excitat,ſynochis annumerari,videre eſt apud Galenum. [m] — m Cit. 2. de diff. feb. c. 2.

Harum autem vtræque,non aliter atque in ephemera ſpuria à ſanguine efferueſcente nata docuimus : vel ſunt homotonæ , & acmaſticæ , vel anabaticæ , & epacmaſticæ , vel demum etiam paracmaſticæ.

Intermittentes febres eas nuncupamus, quæ ad integram infebricitationem & apyrexiam peruenientes,ad tempus quidem ceſſant,mox autem repetunt. In qua intermedia quiete,quando nulla eſt ſenſibilis actionum læſio (vt plerumque accidere experimur) ſed ſolius antecedentis cauſæ & fomitis perſeuerantia continuat:ſi ſubtiliùs rem examinemus,ſic affecti [contra Rodericum à Veiga [n]] non propriè ægrotare dicendi ſunt ; ſed eos in neutra eſſe diſpoſitione affirmandum : vt adnotauit Mercurialis [o] & Galen. [p] Tales enim eſſe ſine febre dicit,aliquid tamen illis præter naturam remanere,à quo per circuitum febris regeneretur. Quo manente,quando nulla coniuncta eſt ſenſibilis actio- — n Com. in c. 1. lib. 2. de diff. feb. ... o Lib. 3. pract. cap. 8. p 3 de placit. Hip. & Plat. c. 2. & 4 aph. 63.

num læſio, morbum præſentem eſſe, non admittet Medicus. Etſi quæpiam laſſitudo adſit aut corpor neutralis ſtatûs familiaria ſunt huiuſmodi accidentia.

Ex tertio demum capite, febres aliæ ſanguineæ dicuntur, aliæ phlegmaticæ, aliæ bilioſæ, ac demum aliæ melancholicæ nuncupantur. Ac quoniam horum humorum ſinguli, ſolent modum quêdam durationis in febribus ſibi magìs familiarem ſeruare: & quæ ex ſanguine fiunt ſine intermiſſione affligere conſueuerunt: quæ à pituita naſcuntur, & frequentiùs intermittunt, & tum ſingulis diebus repetunt; quæ à bile oriuntur, alternis diebus redeunt; & quæ à melancholia, quarto quoque die reuertuntur; ſanguineas, ſimpliciter continentes, & ſynochos appellamus: Pituitoſas verò quotidianas vocamus. Quæ ſi continuò durent, cum addito, quotidianæ continuæ dicuntur: ſi verò intermiſerint, ſine addito, quotidianæ denominantur. Bilioſæ autem, tertianæ; & melancholicæ, quartanæ nuncupantur: parem inter ſe diſtinctionem præterea admittentes, qualem in quotidianis explicuimus.

Quarum præterea ſingulæ, ſi à ſyncero humore, à quo nomen accipiunt excitentur: exquiſitæ ſui generis appellantur: ſi verò à diuerſis ſuccis ſimul putreſcentibus oriantur, nomen prædominantis humoris aſſumentes, nothæ epitheton ſibi adſciſcunt. Vt ea febris quæ à ſola & ſyncera bile generatur, exquiſita tertiana nominatur: ſi verò à bile quidem excedente, ſed vel pituita vel melancholia ſimul mixtis excitetur, tertiana notha nuncupatur. Atque denominationis ratio huic ſimilis, in cæteris febribus pariliter concipienda eſt: De quibus omnibus, fuſiùs infra ſuo ordine agemus.

Sed antequam aliò vertamur, ſingularum harum differentiarum cauſas inquiramus. Simpliciter putridas excitat, quorumcumque humorum vulgaris putredo: modò vaporem putrem, ad cor peruenientem effundat.

Peſtilentes autem facit, excellentia putredinis, quam communis quæpiam cauſa inducat: vt fuſiùs infra docturi ſumus.

Continuæ abſolutè dictæ, & συνεχεῖς ab excrementitiis humoribus producuntur, vt plurimùm in maioribus vaſis inter alas & inguina magnâ copiâ putrentibus. Etenim vt febris continuitas non interrumpatur, oportet eâ copiâ ibi putredinem concipi, vnde per plures dies ad cor liberè, & perſeueranter effumet. Vt autem cum ea continuitate, periodica exacerbatio coniungatur: neceſſum eſt materiam putreſcentem non totam ſimul in venis contineri, ſed dum portio eius in venis & continuæ febris foco accenſa eſt, in eaſdem nouam materiam per certa interualla aliunde transfundi, vt mox explicabitur. Quæ materia non alterius generis eſſe poteſt, quàm excrementitij humoris: cùm alimentarij nòn alibi quàm in vaſis cumulentur; excrementitiorum verò ſinguli, ſua habeant conceptacula à quibus transfundi poſſint in vaſa.

Non tamen inconuenit, tantam eſſe quantitatem humoris in determinata parte putrentis: vt non ante ceſſet febris, quàm noua materia ad focum tranſmittatur, quæ concepti incendij continuationem foueat: vt in his quas ſubintrantes appellant, accidit.

Continentes & ſynochi, ex copioſiſſimo humore, ſine vlla nouæ materiæ acceſſione, in maioribus vaſis putreſcente, generantur. Ac quidem legitimæ & exquiſitæ ſynochi, ex ſolo putreſcente ſanguine, maſſam alimentariam conſtituente naſcuntur. Qui ſi in maioribus vaſis putreat exquiſitam facit: ſi verò in locis determinatis putreat, non exquiſitam generat. Ex ſanguine quidem putrente legitimam ſynochum excitari: apud quoſdam receptum eſt. Is enim vbi ſemel, ac præſertim intra vaſa, putrere incipit: putredine facilè ſerpente, non antè definit tetrum ex ſe vaporem ad cor effundere, quàm in integrum putredo reprimatur. Eius autem putredo, à vehementi occaſione cum magno feruore affatim concepta: ſi ſenſim à partium continentium integro robore reprimatur, paracmaſticam facit: ſi verò cauſa putredinis cum natura æquis viribus ad ſtatum vſque colluctetur, acmaſtica producitur: at ſi ea fuerit putrefacientis vehementia, vt naturæ partium humorem putreſcentem circumſtantium, reſiſtentiam ſuperet, epacmaſticam inferet.

Verùm, eodem ſucco extra maiores venas & in determinata parte putrente, continentes febres excitari: apparet in omnibus magnis & exquiſitis Inflammationibus, tam viſcerum quàm aliarum partium. In inflammationibus autem, ſanguinem extra vaſa effuſum, & ſubſtantiam partium occupantem, putrere, explicatum eſt à Gal. [q] Neque contrarium ſentientes nobis ſatisfactum putent: cùm admittunt id quidem verum eſſe quod dicimus, in febribus ſymptomaticis: nullam tamen ſynochum per eſſentiam generari, quin ſanguis in grandioribus vaſis putreſcat; nihil enim vetat, in minoribus vaſis parùm à corde diſſitis, ſanguinem non difflatum putrere, & ad cor vapores ſuos putres continuo appulſu effundere, febrémque concluſam & continentem, nulla periodicarum exacerbationum ſucceſſione quaſi recrudeſcentem producere: quemadmodum colligere licet ex Galeno. [r]

Sed prædictis aduerſari videtur primùm Hippocrates [ſ] vbi cum calx corrumpitur (citra putreſ-

q Lib. de inæquali intemperie cap. 3.

r 5. De loc. aff. circa initium cap. 7.

ſ Lib. de fract. par. 2. tex. 22. & 23.

centem sanguinem] acutas admodum & continentes febres fieri scribit, cutde per arterias calcis noxas sentiente: vt ait Galenus. [t] Sed noluit ille Diuus Senex de continentibus loqui quas recentiores Græci *συνοχῶς* vocarunt: sed de his quas ipse *συνεχεῖς* nominat, & quas rectiùs interpres continuas appellasset. Præterea Galenus occurrit qui [v] sanguinem nonnunquam quidem ait, in his particulis quæ inflammationem patiuntur putredinem subire: atque ex eo, simpliciores, seu mitiores quàm ex aliis humoribus febres fieri; Accessionum verò proportionem, ex tertiano præcipuè circuitu assumere: vt ex pleuriticis, qui maximè rubidum expuunt, confirmat. Quare ex putrescente sanguine non semper fieri continentes: ad quod respondeo, nolle Galenum, tertianos circuitus in his febribus, quæ inflammationes consequuntur, semper aduerti; sed si eas per periodos exacerbari contigerit seu sanguine ex parte in alium humorum degenerante vt sibi placere insinuat, seu aliter tertianis circuitibus respondere. Verùm quid de hac periodicatione febrium sanguinearum tam symptomaticarum quàm earum quæ per essentiam dicuntur, sentiamus, infra [x] explicabimus. Vbi etiam controuersiam de sanguinis putredine ex prædicto Galeni textu natam excutiemus.

t In comm. loc. cit.
v 2. de diff. febr. cap 9.
x Cap. de synocho putri.

Intermissionis autem febrium ea est causa: quòd vbi materia putrens; seu per putredinem, seu vi naturæ partium circumstantium absumpta, dissoluta, excocta, aut expurgata est; per certa quædam temporis interualla, noua in putredinis fomitem minera colligatur.

Quod vt intelligi faciliùs possit, sciendum est excrementitios humores secundùm naturam quidem in nobis ad certam quantitatem generari, in destinatis receptaculis colligi, & per conuenientes ductus solere excerni. Nonnunquam verò ex prauo victu, aut partium intemperie, vel meatuum obstructione, copiosiùs aliquando accrescere & cumulari quàm naturæ conueniat. Quo casu tales excrementitij succi partim in venas diffunduntur & sanguini miscentur: vnde multiplex sanguinis impuritas excitatur: partim ijdem in minutiora quædam vasa abdominis, circum viscera, pancreatis, vel mesenterij ipsius eadem obstruentes impinguntur. Vbi semel inculcati si expultricis languidioris vitio eò vsque commorentur, vt impeditâ transpiratione & calidi influentis liberâ peruasione prohibitâ, putredinem in determinata aliqua parte concipiant: deteriores hinc & acriores redditi, nouámque molestiam vasis atque ipsi membro infarcto à putredinis acrimonia lacessito inferentes; pro eius vigore & sensûs acutie, vel in vicina sed patentiora vasa expelluntur: vel in eâdem sede vano enixu concussi exagitantur.

Ex alterutra autem commotione, ab ea materia putri exhalatio effumat, quæ ad cor perueniens, febrim excitat; quam acrior ille calor, putredinis tum author tum sequax, semel in eo humore conceptus tandiu continuat: quandiu accensus humor, putridum vaporem ad cor effundit. Qui non actu exhalare cessat, quàm (vt loquitur Galenus [y] assatus sit, paucis remanentibus reliquiis, vel naturalis circumstantium partium calor illum ad pepasmum deduxerit, aut earumdem vigor extra corpus expulerit. Quo semel consumpto, si intemperies eius membri, à quo ille copiosior generatur, perseueret, atque alterius partis in qua idem colligitur & putret, imbecillitas & vitium duret: post aliquod interuallum. Humor priori similis in consimili sede congeritur, & putret, febrisque recursum facit. Ac quidem si in materia iterum congesta, ante putredo renouetur quàm prior consumpta sit: nulla apparebit febris intermissio, sed vnius remissionem, alterius excipiet accessio. Si verò prius extinctus sit ille focus; quàm denuo congestus humor reaccendatur: antè prior cessabit paroxysmus, quàm secundus reuertatur.

y 2. de diff. feb. cap vi.

Verùm statim quæritur. Cùm in continuis, quas proportionatas appellant, excrementitij humores in maioribus vasis putreant: vbinam ijdem, cùm intermittentes accendunt identidem putrent? seu vt vulgò loquuntur, vbinam intermittentium est focus?

Quæ ita controuersa, & tanta sententiarum varietate intricata quæstio: vt vix liceat in re admodù difficili, sibi abundè satisfacere. Attamen pro nostro more, & veritatem inquirendi libertate: quod potius apparebit, efferemus.

Sed antequam quid sentiendum videatur proponamus, hoc vnum principio scire expedit. Febrium intermittentium focum in ea corporis regione & sede constituendum esse, in qua (cùm frequentissimæ sint intermittentes) excrementitij humores facilè congeri possint, nec difficilè putrere: & ex cuius suppositione, causæ eorum quæ in febrium tam principio quàm declinatione apparent, facillimè explicentur.

Iterum verò & id sciendum est, in febribus quibuscumque intermittentibus, duas saltem, aut tres etiam aliquando partes, esse in vitio. Quarum prima est, viscus aliquod quod naturali facultati subseruiens, vel humorem excrementitium maiori copia & genuit & generat quàm naturalem & salubrem statum deceat: vel eumdem abundantiùs quàm par sit congerit, quem præ expultricis imbecillitate segniùs expurgat. Vnde Galenus [z] ait, vix quotidianam excitari, quin ventriculus sit læsus, tertianam, quin iecur sit in vitio aut quartanam, quin aliquod sit in liene peccatum.

z 1. ad Glau. cap 5.

Secundò

Secundò,aliqua semper est pars in quam materia illa peccans copiâ aut qualitate molestior, cùm à primario eo viscere aut sibi vicinis sedibus contineri vlterius nequear,tanquam in ignobiliorem & imbecilliorem transmittitur:& in qua,cùm ille ipse humor minùs ab influente spiritu peruadatur,nec liberè transpiret,primam putredinis labem concipit. Quam ægri corporis partem, febris mineram appellamus:quòd vti in mineris,semel effosso metallo,vi tamen metallurgica remanente, consimile iterum ex succo à supereminente terra instillante ibidem regeneratur : ita & illic, absumpto humore qui primò putruit:sed materiæ antecedentis fonte instillare in mineram perseuerante, alius in minera congestus humor iterum putreat.

Eadem enim pars, vbi à molesto illo defluxu imbecillior est reddita, & à frequentata putredine, vitium in se contraxit:non solùm humorem excrementitium ad se transmissum vt imbecillis excipit, sed etiam vt putrilaginis inquinamento infecta,quod sibi in alimentum distribuitur, aliquando corrumpit,& illi labem humoris putrescentis prauitati assimilem,communicat:Atque vtroque nomine, putredinis fomitem retinere censetur. Quia verò aliquando,non ita imbecilia est ea pars, in qua vitiosus humor putredinis rudimentum accipit;quin eo succo putrere incipiente,à noua acritudine irritata eumdem principio febrilis annotationis à se excutiat : tertium eo casu locum concipimus, in quem excussus ille humor effundatur,& in quo ex concepta putredine quasi feruens, inde ad cor, donec in integrum consumptus fuerit,continenter effumet. Quem locum focum appellamus:quòd putrens humor veluti accensus,illic quasi assari pergat & absumi. Nec tamen focum semper alium esse à minera asserimus. Plerumque enim vna eadémque pars,febris est minera & focus:quòd humor qui in vitio est à minera non excussus,ibidem ad extremum ardeat,vbi putrere incepit. Aliàs verò,ita focus à minera differt:vt non officio solùm:sed sedibus etiam distinguantur: quando scilicet pars in qua congestus humor putrere incipit, talis inquinamenti impatiens illud à se quò licet,pellit.

Oportere verò has inter se partes disiungere atque illas relatis aut consimilibus vocibus earum distinctionem exprimentibus efferre,ex sequentibus patebit. Primùm enim certum est, eos humores qui febres intermittentes excitant,licèt iecoris,ventriculi,aut lienis vitio copiosiores quam par sit generentur:non tamen in iecore ventriculo,aut liene vt plurimùm putrere. Etenim si humor quispiam eorum membrorum substantiam infarciens tantam putredinem conciperet,vt febrem excitaret:multò grauiora symptomata sequerentur,& pro dignitate principis membri,& pro acutie sensûs ventriculi,& pro copia vasorum in liene;quàm soleant in febribus intermittentibus apparere. Sed prætetea vbi ille humor qui [pars materiæ antecedentis,vitio alicuius prædictorum viscerum iamdudum collectæ] principio putrens primum paroxysmum induxerat, vel excretus vel mitificatus est, & prima desijt accessio:an non debet nouus humor alicubi extra prædicta viscera, & cryptas materiam antecedentem continentes colligi, vbi pro agentis & patientis aptitudine celeriùs aut tardius putreat; vt alter paroxysmus renouetur? Quòd cùm ita sit,debet etiam aliquis locus assignari,in quem & præter solitum transmissus humor congeratur,& in quo congestus putreat. Ac demum nullum eorum qui medicinam exercent fugit,principio accessionum,non solùm perfrigerationes, horrores, & rigores accidere:sed vitiosi etiam humoris & febrem concitantis manifestas frequenter excretiones fieri. Quæ quoniam non aliter accidere posse intelliguntur,quàm eo humore qui putret, agitato & moto ab ea sede in qua collectus fuerat & putrere cœperat:necessum est eum humorem loco moueri, atque illuc effundi,vbi feruorem à putredine illatum continuet : quousque vel consumptus, vel excretus,vel in integrum mitificatus fuerit.

Quæ cùm ita sint:exponendum tandem restat,in qua corporis regione & putrere incipiant, & in integrum ferueant humores qui febres intermittentes excitant. Cuius difficultatis mirum in modum controuersæ explicationem, iubet ad maiorem perspicuitatem,in aliquot conclusiones partiri.

Quare dicimus primò aliam vt plurimùm sedem esse in qua putris ille humor qui febres intermittentes excitat accendatur,ab illa in qua qui continuas generat putrere consueuit, quod contra Ioubertum asseritur, qui[a] scribit,continuarum & intermittentium eumdem esse focum,scilicet cordis ventriculos. Huius autem absurdam esse sententiam,facilè intelliget, qui conditionem febrium complicatarum excutiet. Complicatas eas appellamus, vt infra fusius proprio capite explicabitur, quæ eumdem eodem tempore afficientes,ab inuicem tamen & inuasionis modo,& perseuerantiá, & desitione discernuntur. Ita in vera hemitritæo,in qua cum quotidiana continua tertiana intermittens coniungitur apud Gal.[b] facillimum est & intermittentem continuæ superuenientem aduertere; & tertianam à quotidiana,symptomatibus vtrique propriis discernere. Idipsum in hemitritæo maiore dicta licet obseruare,in qua,quartana continua tertianæ exquisitæ copulatur apud Guainerium[c] Veluti licet subobscurius,quando apud eũdem,[d]tertiana notha intermittens tertianæ puræ continuę consociatur. Aut aliàs cũ tertiana intermittens,intermittẽti etiam quotidianæ coniungitur. Quæ si pituita & bile,aut bile flaua & melancholia,in eodem loco simul putrentibus excitarentur : potiùs

a Paradox.4. decad.1. d2
b 1.de differ. febr.cap.8.
c Lib.de febr. diff.2.tract.5 cap.1.
d Loco cit.c.1

quam

vna fieret febris notha, humoribus illis mixtim putrescentibus, quàm distinctæ febres.

Eò verò magis displicet ea Iouberti sententia, quòd focum prædictarum febrium cor esse velit: Hoc enim grauioris noxæ impatiens, non posset illud incendium, ac multò minus putredinem incendij causam, intra proprios ventriculos citra deliquia, & syncopes, sustinere. Adde à materia quacumque intra ventriculos putrente, facultatem vitalem aut suffocandam esse, aut saltem vehementer opprimendam: cùm à solis vaporibus ab vtero aut crapula eleuatis, soleat aliquando extremam oppressionem pati, quam paruus & depressus pulsus cum systematica magnitudinis & vehementiæ inæqualitate significat. Atque ea maximè oppressiò in continuis appareret: quas à multo crassoque humore excitari ait. Quas tamen, materià miri noc maligna existente, absque graui noxa & sine vitalis facultatis sensibili oppressione, ad aliquot dies perseuerare aduertimus. Cum interim ex solo sanguine citra putredinem maiore copià in dextrum cordis ventriculum effuso, cum ingenti virium prostratione & asphyxia, intra quatriduum, Clarissimum Dominum de la Coste in vectigalium & subsidiorum regiorũ huius Prouinciæ curia consiliariũ meritissimum, extinctum viderimus. Præterea quis ille est qui non aduerrat, tam copiosum humorem per febres etiam intermittentes aliquando putrentem, vt per excretiones quæ ad paroxysmi declinationem, aut per crises fiunt indicatur: nullo modo in corde, eiusque ventriculis contineri potuisse. Ac demum quis ille est, qui cùm adnerterit plerosque ex febribus continuis interiisse, eorũ tamen dissectis cadaueribus, aliquid in cordis ventriculis reperérit, quòd materiæ febrilis illic antea putrentis vestigium repræsentaret.

Tandem & illud in eius sententia displicet: quod dicat humorem à vasis in cor transmissum, à corde iam antea distemperato & calidiore accendi. Quomodo enim intermittet febris, si continua supponitur morbosa calidior cordis intemperies, humorem per interualla transfusum incendens: cùm febris sit calor præter naturam in corde primùm accensus.

Quare, vt ex communi sententia continuæ ab humore excrementitio in maioribus vasis accenso nascuntur, ita & intermittentes, ab eiusdem rationis succo extra maiora vasa putrescente, sed cor per vapores à se effusos accendente, excitari necessum est. Quod cùm ad quæstionem integrè explicandam non sufficiat.

Dico 1. non alium esse frequentiorem febrium intermittentium focum, quàm abdomen. Quæ conclusio plurimis aduersatur: quorum sententia est, humores qui febres intermittentes accendunt, à venis in habitum corporis effundi, ibique putrere. Quod clarè assertum fuit à Gal. [e] Cùm tamen solùm dicatur [f] putrentem materiam à vasis per sensiles partes deferri: atque [g] admittatur, vbiuis humores coaceruentur, ibi putrere. Huius sententiæ fundamentum, vti ex Tralliano [h] colligimus, esse videtur totius perfrigeratio, illéque horror & rigor qui in principiis paroxysmorum sentitur. Quæ symptomata, ex eò prodire existimarunt, quòd cùm humor noxius à vasis per partes sentientes in ambitum corporis effunditur: vel sua frigiditate perfrigerationem causet; vel maiore aut minore suà acritudine, rigorem horrorémque inferat.

e Lib. 1. de diff. febr. c. 2.
f Lib. eod. c. 6.
g Lib. eodem cap. vlt.
h Lib. 12. c. 8.

Verùm huic sententiæ assentiri non possumus. Primùm quòd cùm ad putrescendum prohibita transpiratio plurimum iuuet, putredinem verò libera transpiratio impediat & reprimat: nõ possunt humores, qui in grandioribus vasis conclusi nondum putruerunt (aliàs iam febrem excitassent) per ambitum corporis diffusi putrilaginem concipere. Ita paleæ limo permixtæ, & in aceruum congestæ, cum nondum per putredinem in simum abierint, si per campum aliquem effundantur, tantũ abest quod putreant, quin potius à putredine præseruantur.

Neque obstat humorum in habitum effusorum transpirationem posse ab obstructione cutis inhiberi: atque ideò eò expulsos, & impediri ne transpirent, & protinus puttere. Non enim tanta ea semper est in huiusmodi febribus cutis obstructio post varios præsertim sudores per antecedentes paroxysmos apparentes, vt humor qui in carnes cuti subiectas sparsim transmitteretur, affatim putreret. Nam & multa bilis alterutra, per icterum copiosior, quàm in febribus per cutem effusa; minus quam illa transpirans: & copiosissima pituita per ἀνασάρκαν & incipientem leucophlegmatiam, nec ibi putrent, neque febrem excitant.

Præterea vix potest ab vllo tem debitè examinante concipi, in quartana & quotidiana intermittente, melancholiam excrementitiorum humorum crassissimam, & pituitam maximè viscidam: tam promptè ab intimis vasis in ambitum corporis per insensiles ductus principio paroxysmorum efferri, ipsasque densas musculorum membranas tantà celeritate peruadare. Tunc maximè, cum spiritus, per febriles annotationes seu principia paroxysmorum, ad intima recurrentes, motum illum impedirent: & externæ partes refrigeratæ, humori transmisso difficiliorem aditum præberent.

Adde, in complicatis febribus ex continua & intermittente: non posse in ea sententia explicari, quomodo cu m antecedens febris intermittentis causa minus acris, minúsque molesta extra

venas

venas pellitur, non simul excutiatur ille humor, qui continuæ causa est. Etenim cùm in eodem loco contineantur, & iam putrens molestior sit, facultatémque excretricem acriùs irritet; deberet potiùs à vasis in habitum expelli, quàm ille qui nondum putrens à venis in cutem pelli dicitur: vbi mox putrere & paroxysmos renouare affirmatur. Neque enim satisfacit, crassiorem eum humorem esse qui continuam causat, tenuiorem verò illum qui intermittentem producit. Etenim quando tertianæ continuæ quotidiana intermittens coniungitur: vt habetur apud Galenum [k] & Forest. [l] tenuior & copiosior in venis putret, extra verò qui crassior est & in minore quantitate.

[k] 2. de differ. febr. cap 8.
[l] Lib. 3. obser. obseru. 10.

Quod ad rigorem verò spectat: eum aliunde prodire quàm à prædictis authoribus explicatur, capite sequenti docebimus.

Quare in abdomine febrium intermittentium focum rectè constitui (vt à Fernelio assertum fuit [m]) hæc conuincunt. Primùm quòd humores excrementitij qui in ventriculo, aut hepate generantur, vel in venis eisdem contiguis aceruantur, aut qui in liene & vesica fellis continentur: non faciliùs inde in alias partes, quàm in varias abdominis sedes, ac præferrim capillamenta vasorum mesenterij pancreatis, vel omenti etiam aliquando amandentur. In quibus quàm facilè (vt loqui solent plurimi) præ viarum angustia, & vicinarum glandium conditione humores incuneentur: & quàm facilè ibidem transpirare prohibiti putreant, neminem latet. Etenim eæ partes, prædictis visceribus sunt maximè vicinæ: ramis eiusdem venæ portæ, singulæ irriganturt canales ad expurgationem humorũ excrementitiorum à natura deputatos, continent: & præ glandium frequentia, aut glandulosâ substantiâ ad humores aliunde transmissos excipiendos, sunt quàm aptissimæ. Ibidem verò congesti humores ex eo facilè putrent: quòd humida calidis locis contenta facillimè putreant, nisi diffletur.

[m] Lib 4. pathol. cap. 9.

Præterea qui aliter opinantur non possunt causam reddere plurimorum symptomatum, quæ in hoc febrium genere, atque earum præsertim principiis apparent. In nostra verò sententia euidens est, quomodo per intermittentium febrium initia, & vomitus & excretiones per anum adueniant. Necnon qua ratione cardiogmi, partium spiritalium compressiones, tusses, ventriculi dolores, intestinorum cruciatus, stranguriæ, oscitationes, pandiculationes, torpores, comata, capitis dolores, & deliria etiam consequantur. Cùm enim humor qui in aliqua prædictarum partium putret, à sede in qua primùm putrere cepit excutitur: facilè per meseraicarum ramos, vel in ventriculum, vel in intestina ex parte pulsus, prædictorum symptomatum magnam partem infert. Vel dum exagitatur & feruet, per vapores ex se eleuatos, os ventriculi, & thoracem & caput variè pro sua natura & copia offendit. Ex quibus qua ratione illa symptomatum turba enascatur, facilè explicari potest.

Quod autem in conclusione dictum est, non alium esse frequentiorem febrium intermittentium focum quàm abdomen: ideò appositum est, quòd licèt febres quæ intermittunt, si primariò accendantur, nec alicui continuæ succedant, focum habeant in abdomine: Illæ tamen quæ ex continuis in intermittentes degenerant, & citra perfrigerationem, horrorem, rigorémque repetere consueuerunt: possint ex materia minore quantitate in aliquem ex venæ cauæ ramis inter alas & inguina sitis, à grandioribus vasis aut aliquo viscerum transmissâ, ibique putrente excitari. Vnde in prima conclusione focum continuarum, ab intermittentium foco alium vt plurimùm esse, diximus: quòd aliquando & humor extra maiora vasa continuò putrens, continuam febrem faciat, vt supra probatum est, & in grandiorum vasorum aliquo, pauca materia aliunde transfusa, possit intermittentem inducere.

Postremo, vt exactè quod ad hanc controuersiam pertinet, excutiatur, dico humorem qui in minera putrere incepit, vbi in minutioribus abdominis vasis congestus putredinis labem contraxit, dum excutitur ab expultrice partium, in quarum minutioribus vasis continetur: aliquando parte sui vaporosâ magis aut minùs acri in vicinas membranas & partes sensiles ferri, quas petuadendo perfrigerationi, horrori, aut rigori (vt capite sequenti explicabitur) occasionem præstet: portione alterâ aliquando in ventriculum aut intestina effundi, vnde vomitus aut excretio per aluum sequatur: reliquum verò in grandiora & proximiora vasa, venas, & cœliacas arterias præsertim dispergi, vbi feruere aut putrere perseueret, donec vel à calore præter naturam concepto in halitum absumatur: vel per pepasmum mitescens, pars quidem illius ichorosa per sudorem aut copiosiores vrinas expurgetur, crassior autem & fœculentior per emulgentes arterias in vrinarum sedimentum abeat, vt docet Gal. [n]

[n] Lib. 3. de præs. ex puls. cap. 7.

Quæ conclusio, licèt prima fronte videatur in Mercati sententiam inclinare: plurimùm tamen illi aduersatur. Is enim, vult humorem febris causam in venis contentum & nondum putrentem ita à natura ad illum expellendum irritatã dum expellitur diuidi: vt pars & plerumque maxima, in alterutrius ventris caua, per opportunas vias expurganda pellatur: pars in exiles venas, vbi putreat transmittatur: & tenuissima minimáque eiusdem portio extra venas ad carnosas & sensibiles partes, citò euanescens propellatur. Nos vero materiam febris antecedentem sæpiùs à visceribus &

[o] Lib. 6. de feb. cap. an in feb. interpolatis humor intra venas putrescat.

gran-

grandioribus vasis illis contiguis in determinatam abdominis sedem transmitti dicimus : cuius minutula vasa impleat: vbi congesta, nec transpirans putrilaginem contrahat. Et in cæteris licèt minus ab illo dissentiamus, non integrè tamen eidem consentimus.

Quantum autem quæ vltimâ hac nostrâ conclusione dicuntur ad rem totam explanandam & controuersiarum obiees elidendos faciant: quæ iam protulimus examinanti, & aliorum sententias cum nostra conferenti, patebit.

In Mercatum verò affirmantem omnium febrium intermittentium materiam antecedentem in maioribus vasis stabulari: vnde nondum conceptâ putredine, sed aliâ prauâ qualitate molesta, pro parte in exiles venas vbi putreat, transmittatur: Eandem rationem detorquemus, quam ipse illis obijcit, qui humorem peccantem à venis in partes sensiles transmitti asserentes, eundem ibidem statim putrere dicunt.

Quòd scilicet ea humoris portio, quæ à maioribus venis vel in habitum vel in minutiora vasa transmittitur, non possit eo ipso momento, quo vel per habitum effusa est, vel in angustiora vasa detruditur, putrere, & putrem in cor effumationem effundere. Quod tamen in vtraque sententia necessariò sequi intelliget, qui concipiet humorem à maioribus vasis expulsum nondum apud illos putredinem contraxisse. dum autem transmittitur, seu cùm à Galeno torus in habitum, seu cum Mercato parte sui in carnes & partes habitûs sensiles, aliâ verò in minutiora vasa: partes quidem sensiles peruadeodo, perfrigerationem, horrorem aut rigorem inferre: in habitum vero effusum, aut in minutula vasa impactum, statim à perfrigeratione insolitum inferre calorem & febrem. At non posse transmissum humorem, ac maximè eum crassus & viscidus est, tam cito putrere, vt pene in momento id fieri dicatur: nullus est qui non videat, si naturam putredinis, vel perfunctoriè etiam intelligat. Nolim tamen negare, aliquando humorem ex dyscrasia aut imbecillitate viscerum copiosiùs genitum & intra vasa sanguini permixtum, vasorúmque impuritatem causantem: à vasis grandioribus, sensim in abdomen in spem excretionis, à natura transmitti; vbi in minutioribus diuersarum partium vasis impactus nec transpirans, putredinem concipiat. Ille tamen non qualis à vasis transmissus intelligitur, putredine quasi in instanti conceptâ febrem statim excitat: sed in abdominis vasis veluti ineuocarûs prohibitæ transpirationis vitio sensim putredinem contrahit, & exagitatus postmodum suos feruidos vapores in cor effetendo prægressis symptomatibus annotationis comitibus, febrem infert.

Verùm in ipsis febribus vel cùm inuadunt, vel cùm ad paroxysmi defitionem vergunt, humores qui in vitio sunt potiùs à minoribus vasis ad maiora quàm contra, vt Mercato placuit, à maioribus ad minora expelli: plurima alia à prædictis probant.

Ac primùm, id ex sudore qui in declinatione febrium intermittentium effunditur, demonstratur. Quòd cùm sudor ille febrem finiat, eumdem reliquiarum materiæ febrilis excretionem esse oportet. Quæ si in minutioribus venis ambitus corporis concluderentur: non possent in habitum ad sudorem transmitti, quæ iam habitum occuparent: neque ad tantum sudorem quantum plerumque effundi aduertimus huiusmodi reliquiæ sufficerent. Si verò materia illa putrens in maiora vasa ac præsertim arterias cœliacas effusa supponatur: facilè intelligetur tum ichorem ex humore putrente eliquatum, putredine iam mitificatâ, materiam sudori præstare, & ex maioribus vasis facilè in habitum diffundi; tum serum in vasis contentum, & ex parte per febris durationem efferuescendo acriorem redditum, copiosiorem sudori materiam ministrare.

Secundo euidentiùs id probat sedimentum quod per febrium inclinationes, ipsarúmque intermissiones in vrinis aduertitur. Illud enim cùm non aliunde, quàm à vasis excerni queat, vnde sero permixtum in vesicam expellitur: manifestè significat, non aliter ac eliquatus ichor per sudores euacuatur, ita crassamentum eiusdem humoris qui per febrem putruit, ab eisdem vasis, à quibus sudor emanauit, per vrinas in sedimentum expurgari.

Tertiò, nisi humores putrentes intra vasa atque ea patentiora asserentur: sed in minutulis & capillaribus vasorum ramis, ipsaque partium sensibilium substantiâ, ad extremum putrere perseuerarent: omnes intermittentes, aut earum pars maxima, spuriarum ephemerarum naturam sequerētur, vt ex his quæ causas illegitimæ diatæ explicantes diximus, patere potest. Quod tamen præter omnium Medicorum mentem, & præter rationem diceretur.

Quartò, si humor in partium sensibilium substantia aut minutulis earum vasis contentus, febrem continuaret: eùm qui per sensiles partes effunditur, horrorem aut rigorem faciat; idem in illis putrere perseuerans, ad finem vsque vigoris paroxysmi, horrorem, rigorémque continuaret. Quia non solùm tristem illum sensum continenter inferret, sed intensiorem. Pergente enim putredine acrior effectus, & parti affixus: maiorem molestiam imprimeret, quàm dum eamdem celeri motu peruaderet.

Aliquam verò portionem eiusdem humoris à minera febris excussi, atque eius præsertim vaporosam substantiam, per sensiles vicinorum membrorum partes diffundi (quæ pars nostræ conclusionis probanda restabat) non solùm perfrigeratio, rigor, horror principio accessionum apparentes indicant: sed varia etiam alia symptomata probant, quæ pro affectis diuersis membris intra abdomen, aut circum ipsum consistentibus, per febriles recursus exoriuntur. Talia sunt cardiogmi, cardialgiæ, singultus, tusses, respirandi difficultates, & quæ his respondent. Etenim non aliunde ea exoriuntur, quàm ex eo quòd tenuior portio humoris à minera febris excussi, in os vẽtriculi, diaphragma, thoracémque transmittatur. Quòd si aliquando febrium recursus fieri experiamur, citra omnem perfrigerationem & horrorem: tunc humorem in ipsa minera in integrum puttere, neque inde excuti sciendum est, & eamdem esse mineræ & foci sedem.

Verùm vt quod in præsentem locum distulimus intelligatur, consequens est doceamus, quomodo continuatum febrium exacerbationes adueniant. Quod licèt ex prioribus colligatur, euidẽtiùs tamen ad Galeni mentem [p] sic explicare lubet. Cùm inter continentes, & intermittentes, continuæ proportionales dictæ, sint mediæ: quòd æquè ac priores à principio ad finem serie continuata ferueant, & in posteriorum morem periodicas exacerbationes obseruent: ita eædem continentes in eo imitantur, quòd humor qui per illas puttet in maioribus vasis accendatur; intermittentibus verò respondent, quòd humor qui per cõtinuas puttet, non sit totus in vasis simul collectus, sed ab aliquo viscere præter naturam affecto in vasa sensim transfundatur: vbi postquam vitium quod ad putrendum sufficiat contraxerit, per interualla, constantesque periodos exacerbationes moueat.

Sed tandem vt prædictarum omnium differentiarum putridis febribus conuenientium causas explicemus, cùm ex humorum diuersitate in quibus putredo concipitur, febres in sanguineas, pituitosas biliosas & melancholicas distinxerimus: restat Iouberti sententia his repugnans examinanda. Is enim [q] febres omnes quas putridas vocat, à bile excitari profitetur: quòd ea facillimè incendatur, & humores cæteri ex se frigidi, nisi illi permisceantur, vix ad tantum feruorem deducantur. Quæ videtur esse Hippocratis sententia, qui [r] febres omnes à bile nasci clarissimè docuit & [s] humorosas febres quascumque, ex bile fieri insinuat.

Verùm licèt concedamus, bilem facillimè accendi, sæpiúsque humorem hunc quàm alium febres inducere: atque ideò Hippocratem, [t] singularis huius humoris nomine, pro suo loquendi more, cæteros intellexisse. Tamen non solius bilis aut feruor aut putredo febris humorosæ est causa: sed alij etiam succi, vt puttere possunt, ita & febrem generare. Alios enim humores febres etiam excitare, & mitior in plurimis febrientibus exhalantis calidi conditio, & sopor, torpor, linguæ mollities, sitis carentia, & similia (quæ cum efferuescente bile minimè consisterent) atque ipsæ etiam aliorum succorum citra bilem in febribus excretiones, indicare consueuerunt. Quod ad Hippocratem vero spectat [u] quis nescit illa ad tantum authorem non pertinere. Sed vt Galenus docuit [x] legitimum quidem esse libri principium: finem de victûs ratione tractantem, Polybum habere authorem: medium autem, in quod Galenus secundum commentarium edidit, insertum fuisse à rudi quodam & imperito librorum Hippocratis depravatore, qui de febribus, itémque de venarum ortu differens; plurima tum Hippocrati aduersa, tum sensibus repugnantia protulit. Quare cùm alimentarij & excrementitij humores singuli puttere possint: possunt ijdem, pro diuersa cuiusque natura, differentes febres excitare. In quibus hoc maximè aduertendum est, sanguineas nullam intermissionem experiri: pituitosas, cùm intermiserint, singulis diebus repetere: biliosas, altetnis recurrere, & melancholicas, quarto quoque die reuerti.

Vbi tria disquirenda occurrunt. Quorum primum est, num inter morbos solæ febres periodos seruent: & inter has, sanguineæ per periodos exacerbentur; aliarum verò periodi, num sint plures tribus. Secundum an prædictæ febres, semper eum typum seruent: vt pituitosæ quotidie, neque tardiùs repetant nec citiùs: biliosæ, alternis diebus nec frequentiùs recurrant, & melancholicæ, non aliàs quàm quarto quoque die reuertantur. Tertium demum, vnde prodeat relatas febres, frequentiùs prædictas periodos obseruare.

Quod ad primum ergo spectat. Sciendum est, periodum seu circuitum à Galeno [y] appellari morbi reditum ex ijsdem ad eadem, per ordinem & circulum quemdam. Et typum definiri ordinem intensionum ac remissionum. Cum ergo præter febres, alij morbi, vt dolores podagrici, insultus epileptici, capitis dolores, aurium tinnitus: aut similes, per determinata quædam interualla aliquando recurrant: alios etiam morbos à febribus, periodicos esse admittemus. Sed num inter febres, sanguineæ etiam per determinatas periodos exacerbentur, maximè est controuersum. Galenus enim vt hoc capite retulimus [z] febres ait, internas phlegmones consequentes tertianos circuitus assumere. Quod etiam continentibus aduenire profitetur. [a]

Vbi liquere scribit, cum sanguis putrescere cœperit, non amplius bonũ remanere, sed iam ad amaræ bilis

p 2. de diff. feb cap. vlt.

q Paradox decadis 2

r Lib de nat. hum. sect. 2. tex vlt.

s 7. aph 42.

t in aphor.

u Lib. de nat. hum.

x In comm. lib. cit.

y Lib. de mor. tempor. c. 2.

z Lib. 2. de diff feb c. 9

a Lib 2 de diff. feb. c. 12.

bilis naturam transite:atque ideò triplex omninò esse simplicium febrium genus, quæ enim addit, ex sanguine putrescente fit iam quodammodo biliosa est. Quod scriptores vulgò ita interpretantur vt dicant, sanguinem putrere incipientem, ex parte pinguioris substantiæ in bilem degenerare: qui mutatâ substantiâ, bilis periodos deinceps seruet. Contra Auicennas [b] & febrem ex sanguine putrescente fieri asseuerat, & eamdem nullas plerumque exacerbationes pati.

b Lib. 4 fen 1 tract. 2. c. 43.

Quam controuersiam sic definiendam existimamus, vt dicamus febrem synochum legitimam, simplicem & nulli alteri complicatam, non posse ex se periodicos recursus pati: seu sanguis putrescens, per aliquod tempus suam naturam licèt alteratam retineat, seu statim parte sui tenuiore in bilem flauam aut ichorem bilis naturæ æmulum conuertatur. Etenim cùm Galeno ipso authore [c] morbi per periodos recurrant vel ob nouam generationem materiæ morbum facientis in membro læso: vt in suppressione vrinæ à calculo, vno excluso, alio iterum genito adnotamus. Vel ob iteratam congestionem consimilis materiæ in morbi sede, vt fieri aduertimus in recurrente melancholia idiopathica Vel ob nouam transmissionem in partem primariò laborantem: quæ frequentissima est causa periodorum in morbis ac præsertim in febribus, vt docet Pergamenus, [d] vel demum ob repetitam excussionem materiæ in affecta parte contentæ: vt in doloribus nephriticis aduertimus, & in febribus ipsis, materiâ putrente, per recursus à minera excussâ. At sanguine præsertimque in vasis putrente, nulla prædictarum causarum interuenire potest, quæ febrilem periodum causet. Non enim sanguis per interualla deuuo generatur in venis, neque ibidem de nouo congeritur, aut eò affatim per certa interstitia aliunde pellitur, aut attrahitur, nec demum inde excutitur: cùm sanguis non alibi secundùm naturam quàm in venis contineatur, nec nisi sensim ab eisdem in membrorum alimoniam effluat, aut eò à iecore influat, semper vasa plus aut minus implens & sibi totus continuus. Cuius si maior aut minor copia hodie quàm postridie putreat; nō hoc ex aliquo capite prodit à quo per periodos puttere dicatur: sed ex eo tantùm quòd causa putredinis author maiorem aut minorem sanguinis portionem corrumpat, & putredo plus aut minùs serpat per humorem illi continuum, cui primùm impressa est putredinis labes.

c Sub finem lib. 2. de diff. febr.

d Cit lib. 2. de diff. febr. cap. vlt.

Nec potest nos à prædicta sententia diuertere, qui respondebit sanguinem quidem ex se per periodos non moueri: sed quia vt Galenus sentit cùm primum putret, pars eius tenuior & pinguior in bilem flauam vertitur, fit vt ex insito bili motu, per periodos pallidæ bili familiares deinceps moueatur. Verùm licèt sanguinis illa dissolutio fiens, quæ est mutatio totius sanguinis substantiæ ad corruptelam ita procedat vt sanguinis ichor à reliqua eius crassiore substantia sensim secernatur: non tamen ille ichor bili respondens verè flaua bilis est. Et licèt id detur sanguinem (vt dictum est transire in bilem: nisi tamen illa ipsa bilis putreat, & consimilis humoris denuo putrentis, in febris focum noua fiat transmissio, neque biliosa fiet febris, nec periodicas exacerbationes patietur. In casu autem de quo agitur, nec putrentis humoris partes heterogeneæ dissolutæ statim putrent, nec aliunde noua in venas consimilis bilis fit transmissio. Et si per putredinem perseuerantem noua quædam fiat consimilis bilis generatio: ea tamen, vt putredo continua est, ita continuò fit, non autem per interualla, quæ periodicæ exacerbationi occasionem præstent. Neque enim sufficit bilem flauam intra vasa putrere vt febris inde nascens per periodos exacerbetur. Nam febris ardens ab excrementitia bile intra maiora vasa citra nouam transmissionem putrente orta, nullas exacerbationes patitur. Quæ si bilis vbicumque putrescens etiam absque noua vlla transmissione, periodica excitaret caloris præter naturam incrementa, periodicas exacerbationes necessariò pateretur.

Veruntamen cùm experientiâ constet febres ex massa sanguinis putrenteortas, à principio ad finem vsque aliquando absque vllo periodico incremento perseuerare Galeno ipso authore [e] aliâs verò tertio quoque die grauiores reddi. Atque eas maximè quas internæ inflammationes excitant. Imò & easdem singulis diebus sub noctem ingrauescere. Sciendum est, id non peruenire ex natura humoris putrentis, cui inditum sit periodicos huiusmodi motus obseruare: sed alia est talium periodicarum exacerbationum causa. Tunc enim absque vlla periodorum obseruatione febres sua percurrunt tempora, cùm soli humores alimentarij massam sanguinis complentes, citra omnem aut notabilem saltem excrementitij humoris permixtionem putrent. Atque id quidem ideò quòd sanguini semel inducta labes (natura inchoatum duellum continuante, nec illud per interualla remittente) eousque in eadem materia perseueret, donec vel à natura victrice putredo per pepasmum domitetur, vel contra ea, naturam aut ex parte opprimat, membrum ad necrosim deducens, aut eamdem in integrum animali extincto perdat.

e Lib. 9 met. cap. 3. & 4.

Periodicationes verò in febribus prædictæ conditionis cùm appatent id primum ex eo fit quòd natura solita duelli & induciarum cum morbo alternare vices (vt de crisibus & diebus decretoriis agētes suo loco docuimus) diebus moueatur imparibus; & acriùs ad morbū vincēdū per eoldē excitata: materiāque putrentē magìs exagitans, vt effumationis, ita etiam caloris incrementum causet.

Ac quia nonnunquam mitiora principia vitiorum ſanguini impreſſorum initio natura minùs aduertit, neque ad monomachiam ſe primo ſtatim die erigit: ſolent plerumque naturæ motus in morbis præſertim ſanguineis diebus paribus ex Hippocrate obſeruari, vt colligitur ex eodem. [f]

Secundò ſingulis diebus aliquando ſub veſperam tam continentes exquiſitæ, quàm quæ ſymptomaticæ dicuntur, ideò exacerbantur; quòd per id tempus, magis quàm præcedentibus horis, repreſſa tranſpiratio, & feruorem febrilem, & partium inflammatarum dolores augeat. Tertiò cùm in hoc febrium genere regulares nonnunquam aduertuntur incompreſſæ annotationes tertianarum æmulæ: non alia excogitari ratio poteſt, quàm quòd continenti complicetur continua ſeu tertiana, ſeu alia, putrente ſcilicet ſimul cum ſanguine, excrementitio humore bilioſo, aut alio. Qui per interualla ab abdomine in vaſa tranſmiſſus periodicas exacerbationes cauſet, eo quo paulò infra explicabitur modo. Ita ex Auicenna [g] in febribus internas inflammationes conſequentibus tales adueruntur periodi, quales ſunt (inquit) materiæ quæ effunduntur ad apoſtemata earum. Vel quòd per caloris præter naturam contracti vitium, in iecore, aut alimentis conceptum bilis excrementitia maiori copiâ quàm antea cœperit generari: quæ deinceps in maiora vaſa ob præcedentem febrem imbecillia per regularia interualla tranſmittatur & putreat. Vnde Aponenſis [h] inquit, in ſynochis exacerbationum periodos non ante diem quartum ſolere obſeruari.

Cùm ergo ſanguineæ febres ſeu ſynochi legitimæ ex ſe per periodos non exacerbentur: ſed illæ ſolùm quæ ab excrementitiis humoribus excitantur, atque inter illas intermittentes maximè. Solent quidem hæ frequentiùs non plures periodos admittere quàm quotidianam, tertianam, & quartanam. Quibus longiores ſe nunquam adnotaſſe docet Galenus. [i] Quòd ſi tardiores aliquando recurſus apparuerint, ſuſpicari ſe ait, eos potiùs ob errorem victûs accidere, quàm ab interna tranſmiſſione in partem determinatam, regulariter aduenire: imò, erroris & peruerſionis artis, talia credentes incuſat. [l] Attamen Hippocrates quintanæ, ſextanæ, & nonanæ febris meminit: [m] & cum Auicenna [n] Raſis [o] prædictarum, & ſeptenæ etiam mentionem facit. Recentioréſque nonnulli, octanam & decumanam etiam referunt, menſtruam atque annuam. Quarum omnium periodorum exempla varia, ad proprios authores relata, legi poſſunt apud Schenchium. [p] Tum apud Foreſtum. [q] Vbi notandum exiſtimo, illum in ea obſeruatione, exemplum referre quintanæ, quam ſextanam iudicauerim. Nam cùm ea quatuor diebus naturalibus intermitteret, quinto verò repeteret: ſi vt ſolemus in breuioribus periodis, ita in hac, & antecedentis paroxyſmi diem, & alium in quo poſtmodum febris recurrit numerando includamus, vt faciendum eſſe colligitur ex Galeno. [r] Talem periodum ſex diebus conſtare inueniemus, eámque febrem ſextanam potiùs eſſe, quàm quintanam. Quæ diuerſæ ſed raræ & infrequentes febrium periodi, etſi aliquando appareant: non tamen plura tribus humorum excrementitiorum genera ſtatuenda inſinuant. Omnes enim tardioris recurſûs febres, ab iiſdem humoribus naſcuntur, à quibus & aliæ: vt mox explicabitur.

Quod ad ſecundam quæſtionem pertinet. Dicimus non ſolùm aliquas febres inueniri, quæ nullam ſeruant periodi paritatem, ſed vagæ ſunt, & incerto errore vagantur: quas ideò Græci πλανήτας appellant, nos erraticas nuncupamus: ſed prætterea experientiâ probari, bilioſas febres ſingulis aliquando diebus inuadere, quas duplices tertianas nominamus; pituitoſas contrà, in alternos dies binos vnius diei differre aliquando circuitus, ſcriptum eſt à Foreſto ſingulari obſeruatione: [s] melancholicas demùm citatiores habere periodos; atque inde duplicem triplicémque quartanam nominari, familiare eſt Medicis praxim exercentibus, & legi poteſt apud Galenum [t] ſed & tardiùs multo nonnunquam melancholicas repetere docuit Auicennas, qui [v] aſſerit quintanas, ſextanas, & ſimiles ab humore materiæ quartanarum homogeneo excitari in minori quidem quantitate, ſed qui ſit craſſior, ac maximè ex melancholia phlegmatica.

Tertia verò & vltima illa quæſtio, multo difficilior eſt cæteris. In qua quidquid dicatur, non omni ex parte ſatisfacit: habéntque ſingulæ ſententiæ aliquid, quod mentem remoretur: & cui non omninò intellectus acquieſcat. Neque enim illa ſingulis humoribus familiarior periodorum ratio, omnino à diuerſis planetarum pendet aſpectibus: vt Aponenſi videbatur. [x] Quem refutat Picus Mirandulanus. [y] Etenim oporteret ſub eadem cœli configuratione non niſi vnam ſpeciem febris ſaltem in eadem ciuitate poſſe excitari: cum tamen eodem penè momento, in grandioribus præſertim & populoſis vrbibus, varias febres diuerſos occupare experiamur. Sed neque à ſola humoris copia, vt Alexandro placuit, febrium periodi euariant: vt probat Mercurialis. [z] Non ab ſpecifica cuiuſque humoris proprietate, vt cenſuit Gentilis: aut eiuſdem particulari natura, vt loquitur Altimarus. [a] Quoniam tantam periodorum varietatem minimè adnerteremus in febribus ab humoribus eiuſdem generis excitari, ſi pro ſola cuiuſque natura & proprietate euariarent.

Cùm enim vna ſit cuiuſque humoris natura & proprietas, quemlibet vnicam periodum ſeruare, neque vnquam ad aliorum humorum periodos diuertere oporteret. Neque [vt Fernelio viſum eſt [b])

f Lib. 2. epid. ſect. 3. tex. 13. & 14. & lib. 3 ſect. 3 text. 14. & 83.

g Lib. 4. fen 1 tract. 4 c. 13

h Differ. 89

i Comm 3. in lib. 1. epid. com. tex. 2. 7. 9 & 13.

l Cap. 2. libr contra eos qui de typis ſcripſerunt.

m Cit. text. lib. 1. epid.

n Lib. 4. fen 1 tract. 1 c. 67

o Lib. 30. continent. tract. 10 cap 1.

p Lib. 6. obſ. de obſeru. 61 ad 66.

q Lib. 3. obſ. in ſchol. obſ. 43

r Lib. contra eos qui de typis ſcripſerunt cap. vlt.

s Lib. 5. obſ. obſeru. 12.

t Tom alibi tam 2. de criſ. cap. 7.

v Cit. lib. 4. fen 1 tract. 2 cap 67.

x Diff. 88 p. 3

y 3 contra aſtrolog. c. 17

z Lib. 5. præ- ctic. cap. 8.

a Part. 2. de febr. cap. 10.

à proprietate putredinis singulorum humorum certa ea periodicatio prodit. Quoniam putredinis proprietas non solùm pro materiæ diuersitate euariat: sed etiam pro causarum putredinem inferentium varietate, imo & pro earumdem intensionis ac remissionis differentia. Ex quibus cum mirum in modum varia emergat putredinis humorum proprietas: si exinde diuersitatia febrilium periodorum causa nasceretur, oporteret earumdem numerum pene esse infinitum, pro indefinita non indiuiduali solùm, sed etiam speciali, tam discrepantium humorum secundùm & præter naturam genitorum, euariatâ putredinis proprietate.

b 4 pathol, cap 11.

Quare si quidpiam in re tam difficili in medium afferendum est; videtur, omnem diuersitatem periodorum febrilium, pendere à varia ea aptitudine, quæ in singulis humorum speciebus inest, putrescendi ad eum vsque gradum putredinis, à quo membrum in quo est minera & fomes febris, ad excussionem materiæ putrescentis irritetur. Cùmque humores tam eiusdem quam diuersæ speciei, alij aliis citiùs aut tardius multiplici ex causa ad eum putredinis gradum perducantur: accidit febrilium circuituum alios citatiores, alios tardiores esse. Ea autem varietas aptitudinis diuersæ, penderitum ab speciali humoris natura, & copia: tum à partis, in qua febrilis minera est, diuerso & sensu & robore, maioréque aut minore intemperie.

A particulari quidem natura humoris, aduenit febres ex pituita excrementitia secundùm naturã genita quotidie recurrere. Non solùm quod humidior, facilè putrescat: sed præterea quòd viscidior cæteris, copiosius inquinamentum putredinis in minera relinquens, fit in causa celerioris corruptionis eius quæ secundò in mineram influit. Vt aduertit Galenus.[c] Cùm tamen vitrea frigidior tardiúsque putrens, in epiala, ex Auicenna[d] & Hollerio,[e] tertio quoque die aliquando, aut quarto, vel maioribus etiam fortasse interuallis commoueatur. Melancholia quarto quoque die frequentiùs periodicat. Quòd crassior & terrestrior, non solùm difficiliùs putrescat: sed etiam minùs inquinamenti in minera reliquat. Media inter vtramque est bilis: quæ & siccior pituitâ, & humidior melancholiâ, tardiùs illâ, citiùs autem hac purret: & priore quidem minus inquinamentum in minera relinquit, sed posteriore abundantius. A maiore autem aut minore humoris copia, non solùm accidit pituitam solitam in nobis maximè abundare, frequentissimas obseruare periodos, quotidiéque reputrescere: melancholiam verò quæ minimâ copiâ in nobis generatur, rarissimos circuitus facere, atque in quartum diem frequentiùs differre febris exacerbationem: & bilem in vtriusque medio consistere. Sed præterea inde plerumque aduenit, circuitus febrium ab eiusdem speciei humore genitarum, multifariam euariare: tum aliquot horis citiùs, aut tardiùs recurrendo: tum vt scribit Herculanus[f] quòd sicut phlegmaticæ propter paucitatẽ phlegmatis paroxysmant paroxysmis tertianæ, sic etiam aliquando cholericæ, propter eius multitudinem, paroxysment paroxysmis quotidianæ.

c 2. de diffe febr. cap 4
d Lib. 4. fen 1. trac 2. c 49
e Lib. 2. de morb intern. c. de epiala.

Ab obtusiore autem, vel acutiore sensu partis in qua febris fomes conseruatur, atque ab eiusdem vario robore, maioréque aut minore intemperie: quis est qui non concipiat, eandem consimilis humoris copiam celerius aut tardius putrere, celeriúsque aut tardius ad expulsionem conciri: vnde periodorum frequentia, aut raritas maior, euidenter aduenit. Et licèt in particulari cuiusque humoris natura (quam propria temperies, propriusque substantiæ modus constituunt) familiarior ille periodorum recursus præsertim fundetur: ex prædictis tamen omnibus variè combinatis, ingens ea periodorum febrilium varietas nascitur, quam quotidiana experientia manifestat.

f In cap. 53 fen 1. lib 4 Auicenna.

Verum in tanta typorum non satis explicabili diuersitate, clariùs multo exponetur: cur paroxysmorum febrilium aliis aliis sint longiores. Id enim Galeno authore[g] ex tribus causis oritur. Quarum prima, est humoris multitudo, aut paucitas: crassitudo, aut tenuitas, frigiditas aut caliditas. Secundò virium ægri robur, aut imbecillitas. Tertiò demum habitûs, seu texturæ corporis raritas, vel densitas. Quoties enim humor est multus, frigidus, crassus: vires imbecillæ, & densus corporis habitus: longissimi sunt paroxysmi. At quando humor est paucus, calidus & tenuis, vires robustæ; & corpus ægri ratum: breuissimæ fiunt accessiones.

g 3 de differ feb. c. 3. & 1

Tandem periodorum ordo & constantia, ab æqualitate materiæ secundùm eius naturam, & copiam, à paritate roboris membrorum, tam mandantium quàm recipientium; & ab obseruata simili victûs ratione nascuntur. Circuituum autem inconstantia & inordinatio, à contrariis.



De signis febrium putridarum.

Caput IX.

a 1. de diff. feb. c. 7. b Lib. 4. fen 1. tract. 3. c. 2.

Febrium putridarum signa,tam diagnostica,quàm prognostica, hoc capite inquirimus. Diagnosticaea appellamus, quæ illas præsentes indicant & easdem à cæteris febrium generibus discernunt. Quæ Gal. [a] & Auicennas [b] à sex capitibus peti docuerunt. Scilicet à calidi effumantis conditione,à pulsu,ab vrinis,ab inuadendi modò, à symptomatibus febrem consequentibus , & à præcedentibus causis. Atque hæc non diuisim sed coniunctim sumpta, febres à putredine ortas à cæteris certò dissociant. Ac primò calidum quod à febricitantibus exhalat cùm in ephemera laborantibus respectu ad cæterorum febrientium calidum,sit mite, in hecticis verò principio quidem suaue,sed postmodum mordax percipiatur:in putridis contrà principio plus aut minùs acre à tangente sentitur,mox autem mitius apparet,& Medici hærentem manum vix pungit.Secundò in putridis,pulsus peculiarem quamdam habet inæqualitatem tum systematicam tum singularem;Collectiuam quidem , quòd cùm in his febribus, natura putridis vaporibus facultatem opprimentibus variè reluctetur,modò celeriorem,modò minùs celerem pulsum faciat , aliquando vehementem, aliàs languidum : prout scilicet facultas vel ab onere opprimitur , vel se aduersus materiam opprimentem erigit. Præterea quòd vt dicebat Gal. [c] in principio quidem putridarum pulsus submersus & profundus,paruus,angustus,frequensque sentiatur:per augmentum verò & vigorem eleuetur magnúsque ac velox reddatur. Singularis autem eiusdem pulsus inæqualitas,ea est, quam Galen. [d] febrilem inæqualitatem appellat:quæ non in eo consistit (vt Stephano Atheniensi placuit [e]) quòd extremitates dilatationis velociores sint mediis : sed quod in principio præsertim & augmento febrium putridarum,ea sit disparitas velocitatis diastoles ad systolen : vt cùm maior sit necessitas expellendi copiam fumidorum excrementorum quàm contemperandi calorem præter naturam auctum,systole velocior sit diastole.

c 1. de præs. ex puls. c. 7. d 1. ad Glau. cap. 4. e in tex. 45. b. cit.

Tertiò,vrinæ cùm in cæteris febribus semper appareant coctæ,vel simillimæ coctis , quod serum & illi permixta æqualiter alterentur in putridarum tamen principio vt plurimùm sunt crudæ , vel obscura coctionis rudimenta præ se ferunt;humoribus scilicet nondum per pepasmum separatis. Dixi vt plurimùm,quo rum pestilentes exciperem;in quibus per integram morbi durationem vrinæ plerumque sunt simillimæ sanis:tum vt admonerem,eas per initia cæterarum febrium quando natura nondum aggressa est materiam peccantem,non differre ab vrinis sanorum.

f Cit. 1. ad Glauc. c. 4.

Quartò etsi nulla aliquando peculiaria accidentia febres putridas præsertimque mites comitentur,vt habet Galenus [f] sæpiùs tamen varia infesta symptomata quæ in aliis vix, aut ne vix quidem apparent,minùs mites:& plura malignas huius ordinis febres consequuntur. Talia sunt capitis dolor,iactigatio,nausea,vomitus,ingratus sapor linguæ impressus assumpta omnia inquinans, eiusdem linguæ nigredo,animi deliquium,deliria & similia.

Quintò,vt frequentiùs ephemeræ & hecticæ primariò inuadentes,à vehementioribus causis procatarcticis & euidentibus excitantur:ita putridæ,solent magìs ab internis & antecedentibus promoueri. Licèt enim præcedens aliqua causa externa,febriendi occasionem dederit : non tamen illa citra apparatum humorum peccantium,potuit putredinem concitasse.

Demùm putridis febribus particulare est,cum perfrigeratione,horrore,aut rigore inuadere. Vel saltem præuiam quamdam habere lassitudinem,aut cacochymiæ signum aliquod præmittere.Quod si quædam ephemeræ quas leuior cutis constipatio excitat, cum perfrigeratione aut horrore inuadant:tales in putridarum sunt confinio,& vt plurimum in eas degenerant. Inter illas autem putridas,quotidianæ cum perfrigeratione;tertianæ cum rigore ; quartanæ vero in principio cum horrore,vbi autem durauerint & iam sint progressæ,etiam cum rigore inuadunt. Sed quales sint hi affectus & quibus ex causis excitentur disquirendum hoc loco videtur.

Perfrigeratio quæ quotidianarum intermittentium exacerbationes inchoat, & cum pandiculatione & oscitatione sæpissimè aduenit (quas copiosus vapor minimùm acer artuum aut mandibulæ tantùm musculos replens & contrahens excitat.) Est frigoris quidam sensus,qui in externis,aut extremis saltem corporis partibus,absque vlla concussione,aut vibratione sentitur. Quam frigiditatem non frigidus quidam vapor causat,qui ab internis partibus ad externas irruens, his refrigerationis sensum imprimat:sed illa priuatiuè tantum causatur ex defectu influentis spiritus vitalis. Qui per earum febrium initia ad ima corporis euocatus,externa membra destituit. Intro vero reuocatur,vt cordi à putri vapore qui à minera aut foco febris ex putrente pituita eleuatur oppresso,suppetias ferat.

Rigor

Rigor, qui authore Galeno [g] nulla etiam subsequente febre aduenit aliquando; licèt contrarium visum fuerit Hippocrati. [h] Et qui exquisitæ tertianæ, ac iam progressæ quartanæ paroxysmos præit: est musculorum totius corporis motus concussiuus, cum vel sine actuali refrigeratione, quo facultas animalis parti sensili ab aliqua causa noxia irritatæ compatiens, quod molestum est expellere conatur. Rigorem quidem musculorum totius corporis motum esse concussiuum, docuit Galenus. [i] Atque in eo formalis rigoris ratio consistit. Eumdem verò sæpiùs cum perfrigeratione apparere dixit idem Pergamenus [l] quod bifariam contingit. Ac primùm si quando crassa frigidaque pituita per otium & crapulam in habitu collecta, ab exercitio, ita, balneo, aut consimili causâ coniuncta agitetur, rigorem simul cum manifesta perfrigeratione prouocat: vt in epiala: & citra febrem nonnunquam, quemadmodum duabus historiis confirmatum est à Galeno. [m] Partibus scilicet musculosis à frigidiore pituita exagitata perfrigeratis, & simul ad noxij expulsionem irritatis. Aliàs verò cùm acriores succi seu ex determinata abdominis sede per initia febrium tertianarum intermittentium, seu à maioribus venis proximè ante continuatarum crises in vapores ex parte soluti per partes sensiles effunduntur: externa primùm refrigerantur, mox etiam rigent. Atque hæc ideò, quòd cùm natura primò quidem conetur per spiritus in corporis ambitum diffusos, præsto esse internis partibus sensibilibus quæ per eam vaporis acris effusionem læduntur; iisdem intrò recurrentibus, externæ partes calido influente destitutæ frigent. Quoniam verò id, ad offensam reprimendam non sufficit, facultas animalis parti læsæ compatiens, & ex instinctu organis sibi subseruientibus imperans: per musculorum concussionem, nititur quod lædit expellere. Atque perfrigerationi præcedenti, statim succedit concussio & rigor. Quorum sensus vt plurimùm à lumbis incipit, vt cum experientia docuit Hippocrates. [n] Quòd nerui à lumborum vertebris per abdomen disseminati, & primò læsis partibus compatiantur, & primò in musculos per quos iidem dispergunttur, concussionis imperium communicent. Aliquando verò rigorem absque vlla actuali refrigeratione diximus excitari: cùm tamen sic etiam rigentes se perfrigerari existiment, vt animaduersum est à Galeno [o] & nonnullis vehementiore tertiana licèt intermittente laborantibus aduenit. In quibus, calidus ille acérque vapor qui à materia in minera concussa exhalat, tantæ est tenuitatis vt quàm citissimè in corpus vniuersum effusus, & habitum ipsum corporis [vt notat Galenus [p]] sua acredine infestans, recursum spirituum ad intera remoretur. Iidem verò sibi ideò frigere videntur, cùm non sint perfrigerati: quòd imaginatio, ea quæ internarum partium affectiones consequuntur, cum his accidentibus concipiat, cum quibus similes affectus nobis ab extra adueniunt. Vti melancholicorum, phreniticorúmque errores indicant: & qui ex vario corporis affectu in diuersa somnia feruntur confirmant. Rigere autem ab externa causa, non aliàs sæpiùs quàm perfrigerati, solemus.

Concussiui autem huius motûs, quem rigorem appellamus, efficiens causa: nec sola est materia morbifica, vt palpitationis, nec facultas simul cum causa morbifica vt tremoris; sed sola facultas, imbecillis quidem ad resistendum ob acutiem sensûs partium, vt Galenum explicamus. [q] Sed robusta ad expulsionis enixum: vt Auicennæ sententiam interpretamur. [r] Facultatem autem intelligimos non spontaneo instinctu agentem, sed à causa noxia irritatam: non aliter admodum quàm in conuulsione. Ea tamen est differentia, quòd facultas per solum materiæ transcursum irritata, rigorem faciat: Quæ acriùs læsa à causa in parte neruea consistente, conuulsionem inferat. Quemadmodum Galeno ipso docente, [s] ex leuiore causa, tussiendi impetus quem Græci κίρχνον vocant, ab acriori verò, tussis excitatur.

At noxium molestúmque illud rigorem pronuncans, licèt sit varium: acre scilicet pharmacum vlceri delicatiorum impositum, combustio, puris aut semiputrentis materiæ à phlegmone aut à vasis in abscessum excursus, & occurrentia frigida quæ calidam effumationem continuo à nobis difflantem confertim intro reprimunt. Tamen hoc loco per noxium illud, solùm intelligimus halitus, aut humores qui per sensiles corporis partes moti, nec liberè permeantes eas vel sua acritudine mordent, vel insito frigore contrahentes, vehementiùs infestant.

Horror tandem inter rigorem & perfrigerationem medius, quem debilissimum rigorem vocat Hippocrates, [t] subita totius cutis & suppositorum musculorum cum vel sine perfrigeratione inæqualis commotio, quam excretrix facultas à noxij alicuius occursu irritata causat. Eam autem euidentiorem cutis quàm musculorum subiectorum in horrore commotionem rectè descripsit Galenus [u] cùm inquit, quando per exigua valde interualla ac totâ cute inæqualitas & veluti asperitas consistit, nonnullis particulis depressioribus, nonnullis elatioribus apparentibus; fit id symptoma quod horror appellabatur. Cuius causæ proximæ sunt eædem quidem quæ rigoris: sed materiam vel copiâ minorem, vel qualitate mitiorem esse oportet, vel tardiùs motam: & partium læsarum hebetiorem sensum, vel robur ad resistendum maius.

Cæterum, tribus his symptomatibus, perfrigerationi scilicet, horrori, & rigori; atque his duobus præ-

g Lib. de inæquali intemp. cap. 8. lib. 2. de symp. caus. cap. 5. lib. 4. de tuend. san. cap. 2. lib. 2 de tuend. san. c. 2. lib. 2. de diff. febr. cap. 5. & lib. de tremore cap. 7.
h Lib. 2. de morb. tex. 115
i Cit. 2. de sympt. caus. c. 5 & 4. de tuend. san. c. 2
l Lib. de tremore cap. 6
m Cit. lib. de tremore c. 7.
n 6 epid. sect. 3. tex. 19.
o Cit. lib. de tremore c. 6.
p 2. de diff. febr. cap. 1.
q 10 meth. 4
r Lib. 4 fen 1 tract. 2, c. 6.
s 2. de symp. caus. cap. 5, in medio.
t Cit. 1. de morb. tex 114
u 3. in 3. epid. comm. tex. 29

ſertim,commune eſt eas habere differentias:vt alius ſit criticus,alius periodicus,alius demum ſymptomaticus. Criticum (licet minùs ſtrictè) eum rigorem appellamus,qui per febrium continuatarum ſtatum & vigorem apparet:quod criſem & ſubitam ſenſibilem excretionem morbos ſoluentem,vel irritum naturæ conatum proximè antecedat. Hinc Hippocrates [a] à febre ardente habito, rigore ſuperueniente,fit ſolutio. Et [b] ſi rigor incidat febre non intermittente,ægro iam debili, lethale eſt. Nec non [c] quibus in febribus ſexto die rigores fiunt,difficile iudicium ſequitur. Periodicum verò illum dicimus qui febrium intermittentium paroxyſmos inchoat, cuius Hippocrates meminit.[d] Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres ſoluuntur. Symptomaticum tandem eum nominamus, qui vel initio febrium continuatarum aduenit, vel citra febres aliquando excitatur.

a 4. aph. 58. b Aphor 46. eodem lib. c Aphor. 29. eodem. d 4. aph. 63.

Signa diſtinctiua differentiarum febrium putridarum,ex primo & tertio capite deſumptarum, infra perſequemur:quando propriis capitibus de ſingulis illis ſpeciebus tractabimus. Continuas verò ab intermittentibus cum inchoant ipſoque initio diſcernere non ſemper eſt facilè, perſeuerantes tamen facillimè diſtinguemus.

Quare vbi iam ſatis quæ ad prædictarum febrium vniuerſalem diagnoſim ſumus perſequuti : ad earundem ſigna prognoſtica explicanda conuertamur. Quæ vel eas imminentes produnt, vel qualis futurus ſit earum ſucceſſus indicant.

Imminentes ſignificant,ſpontanea laſſitudo,frequens non aſſueta pandiculatio & oſcitatio , ad motum torpor,ſomnus turbulentus,vigiliæ inconſuetæ & à nulla manifeſta cauſa procuratæ,hypochondriorum tenſio,vaſorum turgentia,difficilis reſpiratio , pulſatilis capitis dolor , inappetentia, nauſea copioſa fœtentium excrementorum excretio,& ſimilia quæ humorum ad putredinem inclinantium copiam denotant.

Quod ad futurum autem ſucceſſum pertinet. Primùm febres longas aut breues futuras indicabunt ex Hippocrate [b] acceſſiones & conſtitutiones morbi,anni tempora ,circuituum ſucceſſiua incrementa,ſymptomata mox apparentia,vrinæ,alui excrementa, & ſudores. Quæcumque enim ex materia frigida,& hyeme vel autumno excitantur,quarum paroxyſmi aut exacerbationes lentè ingraueſcunt,& mitia habent ſuccedentia ſymptomata,cum vrinis,& alui recrementis crudis,ſudoribus nullis:longitudinem portendunt.

b 1. aph. 12.

Quæ verò contrà,ex calida tenuique materia,æſtate aut vere accenduntur , & promptè ad magnum vehementiæ incrementum euehuntur,cum ſæuis ſymptomatibus , & excretorum cruditate , breues ſunt,ſed lethales. At quæ citò miteſcunt cum celeri excrementorum coctione : ſalubrem breuitatem pollicentur.

Quæ demum inter vtraſque nutant, mediæ ſunt conditionis. Sed & quibus acceſſiones fiunt quacumque horâ dimiſerit febris:ſi ſequenti die eâdam horâ inuaſerit,difficilis (hoc eſt tardæ) iudicationis eſt malum;[c] febres enim ſtati & conſtantis motûs,ſeu eâdem ſemper horâ recurrant, ſeu pari proportione anticipent:cum à firmitate cauſarum,illam accipiant certi motûs conſtantiam,difficulter ſoluuntur. Item febricitantium non omninò leuiter,permanere corpus, & nihil minui : vel etiam plus,quàm ratio poſtulat,colliqueſcere,malum Illud enim morbi longitudinem : hoc verò imbecillitatem ſignificat. [d] Necnon [e] febricitanti ſi ſudor crebrò accidit,febre non deficiente , malum : prorogatur enim morbus,& multam ſignificat humiditatem.Per anni præterea conſtitutiones in ſiccitatibus quidem febres acutæ fiunt [f] in pluuiarum autem multitudine , magna ex parte fiunt febres longæ.

c aph. 30. l. 4. d 2. aph 28. e aph. 30. l. 4 f 3. aphor. 7

Ex quibus vero maior aut minor ſecuritas immineat,grauiuſve aut leuius periculum timeatur : præterquam ex his quæ libro de iudiciis morborum docuimus patere poteſt breuiter etiam hîc ſecundùm doctrinam Hippocratis explicare iuuabit. Febres enim quæcumque non intermittentes, tertia die fortiores fiunt magìs periculoſæ:quocumque autem modo intermiſerint,periculum abeſſe ſignificant; [g] & licèt non omnes continuæ ſint lethales,eædem tamen periculoſæ. Etenim [h] acutorum morborum non omnino tutæ ſunt prædictiones,neque ſalutis,neque mortis. Interim quibus circa dentes in febribus lentores naſcuntur,vehementiores febres fiunt [i] humore ſcilicet à capite diſtillante,& vaporibus ab infernis ſedibus eleuatis circa dentes præ ardore febrili concreſcentibus. Quod ſi ad eam vehementiam febris ſit euecta,vt ægrorum in frigido ambiente commorantem (ita ſcilicet vt ei quidem frigidum inſpirare liceat,ab eodem tamen tranſpiratio non reprimatur) vehementer vri adhuc contingat:exigua ſalutis habenda ſpes , vt habet Galenus [l] quod vehementiſſimi interni incendij ea ſit euidens nota.

g 4. aph. 40. h 2. aph. 19. i Aphor. 53 lib. 4. eiuſ. l 11. meth. 5.

Quæcumque præterea continuæ,quibus grauiora ſymptomata ſuperueniunt , cæteris ſunt periculoſiores. Hinc in febribus non intermittentibus,ſi partes exteriores frigidæ, interiores vrantur, & ſitim habeant, mortale [m] quia ad inflammationis aut eryſipelatis in aliqua profundiore corporis

m 4. aph 48.

parte

patre indicium est,& vel maximè malignas, vel lipyrias sequitur. Item à febre habito, si tumore non existente in faucibus strangulatio repentè euenerit lethale. [n] Quòd sit periculosissimæ anginæ superuenientis nota. Si autem morbo acuto alius acutus superueniat, lethale. Et si ei quem febris tenet ceruix repentè peruertatur & vix possit deglutire (ex laxatis ad interiora vertebris à repentina musculorum ceruicis inflammatione) tumore [in faucibus manifesto] non existente, lethale. [o] Item frigidi sudores cum acuta febre facti, mortem significant: cum mitiore, longitudinem morbi. [p] Præterea si in febre non intermittente, labrum aut supercilium aut oculus aut nasus peruertatur (qui conuulsiui sunt motus) si non videat, aut non audiat [propter sensibilis facultatis imbecillitatem] iam debili corpore (scilicet infirmitate etiam vitalis facultatis se manifestante) quodcumque horum factũ fuerit, prope est mors. [q] Et quando in febre non intermittente, spirandi difficultas fit, & delirium, [seu talia cerebri vitium, seu partium spiritalium inflammationem sequantur lethale. [r] Præsertim si talia symptomata consociata continuæ febri, continuò assideant.

Similiter in febribus, circa ventrem vstio fortis, & morsus oris ventriculi, malum, [s] ob periculum erysipelatis ventriculi. Item in febribus acutis conuulsiones & circa viscera dolores fortes, malum. [t] Talia enim cùm disiunctim apparentia sint mala: illud, ob grauem offensam principi parti cõmunicatam: hoc verò propter phlegmonosum viscerum affectum: si coniuncta adueniant deteriora erunt. necnon. [u] Quibus in febribus acutis, atque adeò ardentibus, inuoluntariè effluunt lachrymæ: his est (siquidem reliqua non sint exitialia) è naribus sanguinis eruptio spectanda. Qui incommodè habẽt, his non sanguinis eruptionem, verùm mortem portendunt. Illis enim effluunt lachrymæ, si signa coctionis præcesserint; quòd natura ad excretionem per nares inclinans: vapores præuios effundat, qui ad internum oculi angulum in lachrymas concrescunt, & materiam expurgandam imminere monstrant. His verò ob imbecillitatem facultatis retentricis glandium oculorum, atque ideò totius cerebri infirmum robur, sponte effluunt. Cerebrum autem & partem principem, prauis aliis signis simul apparentibus imbecillem esse, lethale est. Præterea in febribus, à somno timores, aut conuulsiones, malum. [x] Nec mirum vbi enim somnus laborem facit, lethale. [y] Et in febribus, spiritus offendẽs, malum. Conuulsionem enim significat. [z] At febri superuenire conuulsionem malum est. [a] Tandem febricitanti sudor (aut alia vacuatio à qua febris solutio sperari posset) superueniens, si febris non soluitur, malum. Prorogatur enim morbus, & multum humorem significat. [b] Item si rigor inciderit febre non deficiente, iam debili existente virtute, mortale. [c] Decretoria enim quæ non decernunt (morbum scilicet soluendo aut minuendo saltem) lethalia sunt, aut difficilis iudicij. [d] Et vani omnes facultatis excretricis conatus, materiæ morbificæ malam qualitatem, infirmúmque naturæ robur ostendunt, Quod in acutis affectibus, valde est perniciosum.

n 4 aph 34
o Aph. 35. eiusd. lib. 4.
p Aph. 17. eiusd. lib.
q Aph 49. eiusd. lib.
r Aphor. 50. lib. 4. eit.
s Aph 65. l. 4
t Aphor. 66. eiusd. lib. 4.
u Aph 52. lib. 4. & 1. progn. tex 10 & 1. epid. sect. 2. tex. 80
x Aph 67. l. 4
y 2. aph. 10
z Aph. 64. eiusdem 4.
a 2. aph 26.
b Cit. id ante aph. 56. lib. 4
c Aph. 46. eiusd lib. 4.
d 2. ep sect. 1.

De vniuersali febrium humoralium, seu putridarum curatione.

Capvt X.

CVm omnis curatio quæ rationali methodo instituitur, per indicationes progrediatur; ita in describenda febrium humoralium seu putridarum curatione, procedendum est nobis; vt primùm inuentis generalibus indicationibus, mox & quo ordine, & quibus auxiliis, illis satisfacere oporteat explicemus.

Indicationes autem curatiuæ omnes, à duobus præsertim fontibus eruuntur: à morbo scilicet, qui contrariis curatur; & à natura quæ similibus conseruatur, vt fusè [a] explicabimus.

Natura quidem ad sui conseruationem alimenta requirit, quæ & illi per morbum imbecillæ, minimum negotium inferant; & nullum sua qualitate fomentum morbo subministrent.

a In meth. med. ... c. 4 5. & 6.

Morbus autem hic cùm sit calida intemperies, frigidis remediis indiget, vt curetur. Et quia immodicus calor exsiccando procedit, humidis etiam opus est: vt exsiccatio quæ per accidens sequitur, præcaueatur, & caloris actio secundùm id retundatur.

Verùm quia præsente causa impensiùs calefaciente, humore scilicet putrente aut efferuescente, vix ac ne vix quidem immodicus ille calor reprimi potest: enitendum est, vt putredinem coërceamus, feruorémque temperemus; & si quid putrefactum est, vel superassatum, quod in naturalem statum restitui nequeat, consequenter expurgetur.

Feruorem solius excrementitiæ bilis hic consideramus: cui vti prouidere oporteat, infra quando de biliosis febribus particulatim tractabimus, docere conabimur.

Putredo autem, etsi à pluribus causis vt suprà docuimus excitetur: duæ tamen sunt eminentiores cæteris & frequentiores. Quarum prima est, aëris ambientis specialis constitutio, ea quæ in nobis contenta sunt aut solidas etiam partes corrumpens.

Altera verò est, prohibita transpiratio, seu materiæ, seu viarum vitio adueniens.

Putredini ab aëris ambientis praua constitutione, sideriúmque influxu nascenti, qua arte prospiciendum sit; paulò inferiùs, quando in specie de febribus pestilentibus & malignis agemus, explicaturi sumus.

Prohibita autem transpiratio, quia obstructionem sequitur, vel maiorum vasorum simul cum obstructione cutis, aut citra hanc, vel minorum vasorum: non antè libera reddi potest, quàm omnis auferatur obstructio.

Ac cutis quidem obstructio fit, vel densatis exiguis meatibus ab externo frigore: aut eisdem astrictis ab astringente balneo aluminoso, calcanthode, ferreo, aut simili: aut eiusdem poris infartis, tam à crassis & lentis humoribus, quàm à succis, qui ex ira feruentes affatim & cum impetu in cutem ruunt. Vasa autem obstruuntur, vel ab humorum copia, & sanguinis massa, maiora vasa ad vires replente: vt in exquisitis continentibus, quas synochos putres appellant. Vel secundò ab excrementitiis tantùm humoribus, copiâ & qualitate, crassitie scilicet & viscíditate peccantibus. Quod in bis omnibus intermittentibus accidit, quæ à crassis viscidisque succis generantur: necnon in continuis proportionatis quæ eiusdem sunt conditionis, & in quibus nulla est plethoræ nothæ suspicio. Vel tertiò eadem obstruuntur vtroque concurrente vitio multitudinis scilicet & crassitiei, ac viscíditatis humorum excrementitiorum. Quemadmodum aduertimus tum in plurimis continuis quæ cum intermittentibus complicantur: tum in his continuis proportionatis in quibus plethora notha à crassorum viscidorumque succorum permixtione aduertitur: & in illis intermittentibus in quibus plethora quidem in venis, cacochymia autem extra vasa adnotatur.

Quæ cùm ita fiat, eùm ex Galeno [b] quod vltimum in resolutoria methodo est inuentum, id primum omnium in curatione sit peragendum: ab obstructionum curatione, auspicandum erit. Mox satagendum, ne putredo serpat. Tertiò quod semiputre aut naturæ inutile redditum fuerit, expurgandum. Ac tandem si quæ residua sit intempeties, temperanda.

[b] 11. meth. cap. 10.

Quare primùm quibus auxiliis obstructiones tollere oporteat, perquirendum est. Quæ cum neque in eadem semper sede consistant; neque ab eisdem, sed à diuersis causis generentur: non eodem sed differentibus remediis, pro varia causæ & sedis conditione, illis subueniendum esse videtur; vt à Galeno expressum legimus. [c]

[c] C. 11. meth. cap. 8.

Et quia hæc, non satis concinna methodo, imò imperfectè à vulgaribus scriptoribus explicari consueuerunt: nos enitemur rem totam sic docere, & in communibus præceptis ita instruere iuniores, vt facili arte in curandis febribus, quasi manu ducantur.

Ergo si in maioribus vasis sit obstructio, quam succorum alimentariorum copia inferat: ex his quæ de scopis mittendi sanguinem [d] disputabuntur, sanguinem venâ sectâ mittendũ esse statim indicabitur. Eâ copiâ, quam superabundantia requirat, & vires tam præsentes, quàm quæ ad morbi vsque solutionem requiruntur, ferant. His [cùm expediet] præmissis auxiliis, aluinam colluuiem purgãtibus, quæ ibidem præmittenda docuimus.

[d] In vniuers. meth. cap. 7.

Quòd si prædictæ vasorum obstructioni coniuncta sit cutis obstructio: eidem mox prospiciendum est, pro natura causæ quæ eamdem obstructionem intulerit; vt à Galeno explicatum est. [e] Si enim cutis à frigore densata sit, molli frictione, rarefactione & illitione cum oleo amygdalarum dulcium cutem laxante, illi subueniendum est. Frictione illitionem, & illitione frictionem comitante: ne à rarefactione, illitio poros occludat: sed cutis ab illitione laxata, faciliùs à frictione rarescat. Eiusdem autem astrictionem emendare conueniet, vel illitione laxante leniterque digerente, ex oleo liliorum, aut amygdalino cum æquis chamæmelini portionibus: vel tepente aquæ dulcis balneo. At si crassities, lentórve succorum, eandem excitauerit: suprà, quibus tollenda sit, [f] docuimus, & mox iterum explicabimus. Demum si à succis per iram feruentibus, & simul cum impetu in cutem irruentibus, facta sit cutis obstructio, sudore per ea prouocato quæ [g] fuere recensita, illi medebimur.

[e] C. 11. met. cap. 4. & 7.

[f] Cap. 6.

[g] Cit. cap. 6. huius libri.

Si obstructionem autem grandiorum vasorum causet sola vtriusque ordinis humorum simul mixtorum copia: eodem phlebotomiæ remedio primùm, mox etiam (obseruatis obseruandis) purgatione opus erit. Cùm enim non alia ratione securiùs quod in vasis superabundat detrahatur, quàm sectâ venâ: ad impuritatem prætereà tollendam, humoribus excrementitiis vel turgentibus vel coctis: purgatione etiam indigemus. Neque obijciatur, quod colligitur ex Auicenna, [h] sanguinem esse frænum bilis, si quando hæc putrens aut efferuescens sanguini in vasis permisceatur: illumque eo casu detrahendum non esse. Etenim si bilis sanguini per vasa confundatur, quanta sanguinis portio respectu ad totam massam effunditur, tantùm & bilis respectu ad id quod sanguini permixtum erat, detrahetur.

[h] Lib. 4. fen 1. tract. 2. c. 7 paulo post principium.

Et quod reliquum erit sanguinis, æquè erit residuæ bilis frænum, atque tota sanguinis moles, totam illam bilem reprimebat.

Si

Si verò multa bilis in aliqua parte grandiorum vasorum:pauco sanguini permixta, non liberè transpirans putreat;in cæteris tamen vasis etiam superabundet sanguis;quia huius copia magìs impedit liberam bilis in prædicto loco putrentis transpirationem, erit etiam ille incisâ venâ educendus. Quo casu,non erit phlebotomiæ improbandum auxilium,si fortè à celebrata sanguinis missione febrilis feruor increscat:scilicet humore illo putrente,vapores putres copiosiores quàm antea,ad cor & vniuersum corpus mox effundente. Siquidem eo remedio omisso, per impeditam transpirationem succorum in vasis contentorum, certior interitus sequeretur : calido innato per oppressionem suffocato. Et licèt quod præscribitur,ad eum fructum qui sperabatur non perueniat:non propterea culpandum est,vt solent vulgares:qui non aliter quàm ex euentu,de præscriptis Medicorum iudicant.

At si vtrumque vitium humorum scilicet copiæ, & crassitiei aut viscíditatis ad obstructionem vasorum:seu in eadem sede,seu in diuersis,concurrere aduertatur:imò & cutis etiam adsit obstructio. Quid eo casu agendum sit optimè Galenus [i] his verbis explicuit. Si plures causæ aliquando coibunt omnibus per contraria occurres. Siquidem fieri potest,vt & coarctatum sit corpus, & exigui meatus densati,& multi simul ac lenti humores subsint In huiusmodi autem causarum complexu,cœpisse à sanguinis missione conuenit : ac abundantiâ vacuatâ tum ad extenuandos humores venire,ab hoc ad remittenda quæ sunt constricta,& rarefacienda quæ sunt densata. i 11.met.c.

Quòd si excrementitiorum humorum sola crassities aut viscíditas,citra multitudinem in vasis, aut suspectum sanguinis motum obstructionem faciat,inutilis quidem est phlebotomia:sed pro ratione antecedentis materiæ,quæ posset à primis viis in partem obstructam deobstruentium remediorum vsu decurrere,quia (vt notatum est à Galeno [l]) eius quod facere potest obstructiones, affluxum compescere oportet,purgatione (quæ sola cruditatum primas vias occupantium in partem obstructam affluxum compescere valet) erit opus. Ad vitium autem succorum,obstructionémque tollendam ex eodem Galeno [m] aduersus crassitiem quidem attenuantia conuenient, viscíditatem autem incidentia & detergentia emendabunt. Quia verò horum plurima calida sunt,à quibus metus est ne putredo & febris augeantur : ea in hunc finem eligenda erunt, quæ citra manifestum calorem obstructiones reserare possint. Qualia forent radices cichorei, lapathi ac præsertim acuti, graminis,asparagi & brusci:cichorei,endiuiæ,capillarium ac similium folia : oxymel dilutum,syrupus acetosus,& his paria. l Cit. 11. meth c. 10 m Li. eod cap. 8.

Tandem si obstructio quæ febri occasionem præstat, sit in abdomine, vt solet in febribus intermittentibus accidere. Antequam quid agendum sit doceamus,distinguendi sunt casus. Vel enim cum abdominis obstructione,nullum in grandioribus vasis plethoræ exquisitæ aut nothæ vitium coniungitur:imò parcus est sanguis. Quæ partim ex colore habitûs,& vasorum concidentia, partim ex pulsu & vrinis deprehendi possunt. Vel contra alterutrum peccatum inest. Atque iterum, vtroque casu,abdominis obstructio,vel à crassis fit &viscidis humoribus,vel à tenuibus,aut mixtim ab vtrisque. Si ergo mesenterij &circumstantium obstructio,citra peccatum in maioribus vasis accidat:eáque vel à tenuibus humoribus,bile scilicet flaua,aut alio qui sero sit eliquatus causetur : aut plismone simul coniungatur. Citra venæ sectionem,leni medicamento quod minorans appellatur, & cuiusuis irritans primam regionem non transgrediatur,moliri purgationem oportebit , vt quod in motu est aut fluxile,atque ideò quadantenus turget,euacuetur. Tum ad ea quæ obstructiones tollunt,per iulapia,apozemata,fotus.& semicupia,si expediat,transeundum est. At si eadem à crassis & viscidis succis inducatur,qui omninò infarti sint & hæreant:nec phlebotomia indigemus, neque antè purgatione est opus quàm & humores attenuati sint & incisi , & partes obstructæ laxatæ fuerint. Si verò plethora simul seu exquisita seu notha,in vasis deprehendatur , obstructione in abdomine ex tenuibus & ex parte turgentibus natâ : primùm leni medicamento expurgatio facilè cedentium procuranda,mox mittendus est sanguis Atque ita,ne præmissa sectione , praui illi humores facilè mobiles,trahantur in venas,& feruore illic inducto , affectum grauiorem reddant. At si humores firmi sint & infarti,phlebotomia tantùm principio indigebimus,præmisso aut subsequente clystere,ad fæces aluinas eluendas;mox verò ad ea quæ vitium humoris obstruentis emendent, & obstructionem tollant,transeundum erit.

Verùm cùm ex prædictis duo videantur sequi,neque omnem obstructionem, sanguinis missionẽ indicare,neque omnem febrem putridam phlebotomiam ad sui curam exposcere. Videmur in primo,vulgari plurimorum sententiæ aduersari:qui liberè profitentur, prò tollendis obstructionibus nullum remedium magìs præsentaneum esse phlebotomiâ. In secundo verò,à manifesta Galeni sententia discedere : qui [n] scribit,salubertimum igitur vt prædiximus est,in febribus venam incidere: non continentibus modò,verùm etiam aliis omnibus,quas putrescens humor concitat. n 11. meth cap. 15.

Quod ad primum spectat,grauissimè falluntur qui ad quamcumque obstructionem tollendam, san-

sanguinis missione opus esse determinans. Siquidem ab obstructione vt obstructio est, eius reseratio tantùm indicatur. Reseratio autem, materiæ obstruentis ablationem requirit. Quæ quia multiplex esse potest, nec quiuis humor vbicumque obstructionem faciat, inde vena secta detrahitur: non omnis obstruentis materiæ ab obstructa sede ablatio, per sanguinis missionem absolui poterit. Quis enim ille est in arte medica tam rudis, qui sibi persuadeat pituitam putrem aliquam abdominis partem, meseraicarum ramos, aut simam iecoris partem obstruentem, venâ cubiti aut poplitis sectâ, ab obstructis sedibus detrahi? Imò quis ille est; qui, cùm talis aut alius eius ordinis humor posset eo auxilio à prædictis partibus euocari, velit excrementitium & inutilem succum, à primis viis, ad secundam corporis regionem attrahere. Quando potest citra omnem noxam, & humorum in maioribus vasis contentorum inquinationem, minorante præmisso, mox attenuatis vel incisis, & detertis humoribus obstructionem illic causantibus, demum illos purgante medicamento exhibito detrahere, & obstructionem in integrum reserare.

Fateor ad liberandas obstructiones in secunda corporis regione, & vasis intra alas & inguina genitas, vtilissimam esse phlebotomiam: quæ per effusum sanguinem, mediocres venas deplens, efficere potest vt illæ à proximioribus, hæ à contiguis ad vitandum vacuum aliquid attrahentes, quod tandem in venis obstructis est, detrahatur.

Sed mesenterij, splenis, cani iecoris, pancreatis, & similium partium obstructiones, præsertim ab excrementitijs humoribus nullâ consociatâ plethorâ genitas, nullâque præsente suspicione fluxuri sanguinis: venâ sectâ curandas, planè absurdum est.

o Lib. 8 met cap 4. & 11 eius'd cap 10.
p Cit. 8. met
q Tom 2. epi lib. 4 epist. 1. & lib. 6. de curand. rat. per vena sec cap. 4.

Sed obijciunt Galenus.[o] In quibus locis docet non antè reserandis obstructionibus, etiam à crassis & tenacibus succis, studendum esse, quàm venam secuerimus: etiamsi plenitudinis signa non adsint, vt habet idem Galenus,[p] In quibus locis interpretandis, præsertimque illo posteriore, etsi mirum in modum se torqueat Augenius.[q] Tamen id vnum sentio, Galenum in neutro prædictorum locorum agere in vniuersum de obstructionibus curandis: nec quidquam in alterutro contra ea quæ dicta sunt sentire. Octauo enim meth. de cutis obstructione curanda, per detersoria seu foris cuti admota, seu intrò in corpus accepta tractans ante eorum administrationem, sanguinem mittendum: ne quæ foras trahunt aut impellunt, vnà cum his quæ obstruunt, etiam aliud quidpiam attrahant, aut impellant, & quæ ab intrò foras feruntur, aliquid secum ex his, quæ in vasis continentur, rapiant. Quo casu, & nos si febris aut obstructionis etiam causa antecedens, in vasis & intra cauæ ramos, seu multo sanguini permixta contineatur, seu quòd à venis in sedem obstructam fluxio timeatur: venæ sectionem, deobstruentium vsui præmittendam esse censemus. Ne dum rarefacientibus, attenuantibus, incidentibus, detergentibus, aut diaphoreticis pro liberanda obstructione vtemur; noua materia, à venis in curem obstructam pellatur aut attrahatur.

In 11. autem meth. de continentibus aut continuis saltem, tantùm locutus, vt ex totius libri discursu patet: statuit non ante vasuasam multitudinem, accedendum esse ad obstructionem curandam quàm crassi & lenti humores multo sanguini in vasis permixti genuerint. Cùm enim in his febribus humores qui per obstructionem transpirare prohibiti putrent, in vasis grandioribus contineantur, iure antea conuenienti vacuatione per sectam venam deplenda sunt vasa, quàm attenuantibus, incidentibus, aut detergentibus vtamur: ne succi exagitati, maiore copiâ in partem obstructã impingant. In vtroque autem loco, Galenum plenitudinem obstructioni coniunctam supponere, ex eo constat: quòd in eiusdem cap. 10. lib. 11. in quo alterum ex 8. meth. locum interpretatur, vacuandam multitudinem dicat, quam idem esse cum plenitudine & plethora, notissimum est Medicis. Sed euidentissimè quid vtrobique sentiat exposuit[r] cùm conditiones ad phlebotomiam imperandam in continentibus necessarias, recenset.

r Cap. 14. eiusd. lib. 11.

s Lib. 5. c. 69

Nec moueantur nos ea verba lib. 8. meth. Etiamsi plenitudinis signa non adsint. Nam præterquam in eo Galeni textu, alicuius mendi est suspicio: cùm apud Aëtium, qui quæ scribit[s] videtur ab illo Galeni loco transcripsisse, legatur, si sanè etiam plenitudinis signa adfuerint in corpore. Præterea cùm velit Galenus, integris viribus, nec tamen pueto aut seni, sanguinem detrahendum esse: quando addit, etiamsi plenitudinis signa non adsint; id tantùm intendit, non expectandam esse plethoricam syndromen. Quòd citra eum concursum signorum plenitudinis ad vasa, in multis qui per intermedias ætates febricitant facilè sanguis ad vires abundet.

t Cit. 11. meth 14.
u Cap. 94 art med.
x. Aph. 21.

Cæterum quæ à nobis dicta sunt Galeni doctrinæ minimè repugnare discere oportet: primùm ex eodem Galeno[t] dum ait obstructionem [scilicet à crassis & tenacibus succis genitam] sanguinis missione non curari: tum ex his quæ ille, de curandis obstructionibus vniuersim docuit.[u] Vbi inter cætera inquit, in his quæ quantitate damnantur, indicationem esse euacuationem: inuent oem autem eorum quæ ad ipsorum sanationem perducunt, partim ex affectu (obstructione scilicet, & materia eius causa) plurimùm verò ex ipsis affectis particulis sumi. Etenim vt habetur apud Hippocr.[x]

quæ ducere oportet quò maximè natura vergit per loca conferentia eò ducere conuenit. At humores excrementitij in abdomine præsertim stabulantes, vt magis ad aluum vergunt: ita eosdem in prædictis casibus, per eam viam vacuari, magis quàm per aliam confert.

Quod ad secundum verò pertinet, & generale illud Galeni effatum, de mittendo sanguine in quacumque febre putrida duo occurrunt examinanda; quid scilicet in rei veritate sentiendum sit, & quid Galeno probarum videatur.

Ne verò in alterutro discutiendo, plusquam par sit immoremur: aliorum opiniones subticentes nostram exprimamus sententiam. Ac quidem de propositionis illius veritate, ita sentiendum apparet: vt raro quidem adueniat, constantibus viribus, oportere in febribus putridis à sanguinis missione abstinere: hoc tamen auxilium: non semper esse necessarium censemus: neque à febre putrida per se indicatum. Quod efficacissima ratione demonstrauit Augenius [y], cuius hic est discursus. Cùm rationales Medici per indicationes in agendis dirigantur, si venæ sectio in omnibus putridis celebranda sit, eam ab omni febre putrida indicari necessum est: atque id vel à febre vt febris est, vel ab eadem vt putrida est. Sed à neutro horum indicatur, sanguinem mittendum esse. Quare non in omni febre putrida, vt putrida est, venam esse secandam indicatur. Assumptum probatur non à febre vt febris est, quia hinc sequeretur, & in omni ephemera, & in hectica sanguinem ducendum esse. Quòd quàm sit falsum, cuique notissimum, hecticis enim misso sanguine, ad immedicabilem marasmum via pararur. Sed nec quatenus putrida: cùm putredo sanguinis missione minimè curetur, vt docuit Galenus [z]. Nec obstructionem (scilicet à crassis & viscidis succis genitam) nec putredinem per sanguinis missionem curari posse, scribens. Quare in putridis febribus, vt in aliis omnibus affectibus, non aliunde venæ sectio indicatur, quàm vel à plenitudine exquisitâ aut nothâ, tam vniuersali quàm particulari, præsente aut imminente: vel à sanguinis & humorum sanguini permixtorum motu, à quo offensa ægro impendeat. Quorum omnium indicantium aliquo, in putridarum febrium, non continuarum modò, sed etiam intermittentium principio apparente, & constantibus viribus: sanguinem mittendum esse indicatur. Cùm autem omnia hæc aberint, ab eodem remedio, vt non indicato, abstinendum sequitur. Quæ vera esse, & Galeni doctrinæ consentire, à nobis abundè comprobabitur [a]. Neque verò Galenus prioribus aduersatur in eo textu [b], qui aduersariorum est Achilles. Nam ibi de continuis tantùm febribus loquitur, nullam intermittentium mentionem facere intendens.

Id autem declarat, tum totius libri institutum: in quo de indicationibus curatiuis febrium intermittentium non meminit. Tum consequentia ipsa Galeni verba significant, dum inquit, leuata namque quæ corpus nostrum regit naturâ, exoneratóque eo quo veluti sarcina premitur, haud ægrè quod reliquum est, vincet. Etenim cùm venæ sectio, non aliundè quàm à venis euacuet: humor autem qui febres intermittentes per interualla reuocat, non in venis maioribus putrear, sed sæpiùs à distemperatis visceribus in determinatam abdominis sedem, vbi est minera putredinis, transmittatur: non posset natura per venæ sectionem, eâ sarcinâ leuari, qua solet in eo febrium genere premi. Sed in continuis etiam proportionatis cùm excrementitij humores putrentes, in vasis contineantur: rectè Galenus non in continentibus modò, verùm etiam aliis omnibus (scilicet intermissione carentibus) quas putrescens humor concitat, vbi præsertim nec ætas nec vires prohibent, venam incidere, salubertimum esse it. Sic enim natura, peccante succo, quo veluti sarcina premitur, exoneratur. Vel dicamus Galenum censuisse in omnibus febribus putridis tam continuis quàm intermittentibus humores à quorum putredine illæ inferuntur, vel in vasis putrere, vel inde in ambitum corporis effundi: atque ideò vtilem semper fore phlebotomiam, seu vasa deplendo & transpirationem liberiorem reddendo, seu materiam febris antecedentem imminuendo. Verùm cùm eam Galeni sententiam quod ad intermittentes spectat falsam esse iam antea docuerimus: nihil mirum & falsum id à nobis iudicari quod inde sequitur. Præsertim cùm Galenus etiam multiplici experientia confirmatus, in nonnullis intermittentium generibus sanguinis missionem vt inutilem imò & noxiam neglexisse legatur.

Vbi ergo aperiendis obstructionibus prouisum (vt prædictum est) fuerit: satagendum est, ne putredo vlteriùs serpat; atque ea quæ in corpore iam concepta est emendetur. Quod ex Galeno [c] requirit in fiente quidem & incipiente putredine, refrigerationem, ventilationem, & semiputridorum concoctionem. In facta verò aut saltem sensibiliter progressâ euacuationem. Quæ ergo putrent, refrigerantibus, attenuantibus, & acritudinem vel malitiam humorum mitificantibus sensim à putredine vindicantur.

Quam humoris putrentis mitificationem cùm Auicennas [d] & reliqui Medici coctionem appel-

y Lib. 9. curand. ra per sang mi, cap. 9.

z 11. met. cap. 14.

a In quinto meth med c.
b Cap. 15 lib 11. meth.

c 11. meti cap. 13.

d Lib 4. fen 1 tract 2. cap. 1

lant: per coctionem non intelligunt pepsim, & eam concoctionis speciem quâ id quod coquitur in coquentis substantiam conuertitur; sed pepasmum, quam vocem Hippocratis interpretes [e] maturationem reddunt;& Galenus omnem ad medioere temperamentum adductionem significare scribit. Est enim pepasmus, ea naturæ coquentis actio, quâ, aduersus quæcumque in nobis præter naturam alterata insurit, intenta; eorum prauam qualitatem emendat, & ad statum reducit sibi conuenientem, aut saltem minimè noxium. Vt illi opposita cruditas, nihil aliud est, quàm perseuerantia alterationis, à causis præter naturam procuratæ. Quemadmodum rectè, licet alijs verbis, assertum & comprobatum est à Paterno [f]. Nam & Hippocrates, vt testatur Galenus [g], cocta vocare consueuit, excrementa quæ mutata nutrise non possunt, modò à natura ipsa euicta sint: cruda verò, quæ non sint euicta.

Nolumus tamen cum Auicenna asserere, coctionem, mitificationémque humorum putrescentium, seu vt eius interpres loquitur digestionem, esse æquationem eorum ad consistentiæ mediocritatem, per incrassationem tenuis, & attenuationem crassi. Id enim planè est à ratione, & principum medicorum, Hippocratis & Galeni sententia alienum; vt confirmatum est à Paterno suprà, & à nobis explicabitur in vniuersali methodo medendi cap. de purgatione.

Siquidem bilis & ichores, ob inhibitam transpirationem putrentes, tantùm abest per ea quæ potenter incrassant mitificari: quin potiùs illis inde putredinis incrementum aduenit ab inducta crassitie, obstructione inaucta, & transpiratione magis prohibita.

Quibus autem auxilijs singulorum humorum putrilaginem reprimere oporteat: proprijs capitibus explicabimus, quando particularim de singulis febrium putridarum speciebus agemus. Interim hîc adnotare oportebit, post magna illa remedia febrium initio pro ratione vsurpata: quæ deinceps præscribentur ita esse componenda; vt simul & semel obstructionibus reserandis pro humoris obstruentis conditione inseruiant, putredini obsistant, & conceptum calorem temperent.

In quorum vsu eousque perseuerandum est, donec succi qui in vitio sunt, vel vniuersim vel ex parte saltem sint mitificati, & ad pepasmum deducti. Quod enim semel putruit, aut ex humoribus excrementitijs etiam efferbuit; quia licet coctione mitificatum, inutile naturæ euasit: vbi à natura victrice secretum est ab vtilibus, conuenienti vacuatione expurgandum est. Atque id quidem, tum pro humoris conditione, tum pro naturæ inclinatione. Etenim ex Hippocrate [h] concocta oportet medicari, non cruda. Et ex eodem [i] si qualia purgari oportet, purgentur, confert, & leuiter ferunt: sin minus, contrà. Quæ ducere autem oportet, quò maximè natura vergit, per loca conferentia eò ducere [l] vtque medicari æstate superiores magis, hyeme verò inferiores oportere inquit Hippocrates, sic & aliquando per sudores, vrinas, vterum, aut aliter peccantes succi, pro cuiusque naturâ, aut sede opportunè non solùm sponte; sed arte vacuantur: maximè si quando imperfectum naturæ motum iuuare expediat. Atq; vt nonnunquam humorum simul peccantium inæqualitas non patitur totam succorum qui in vitio sunt molem simul concoqui: sed pars post partem, ad pepasmum ducitur. Ita pugationem, non semper vna vice moliri conuenit: sed iteratis vicibus, vt naturam sensim & per partes concoquentem, sensim & per partes, ab oneris molestia subleuemus.

Cùm verò natura robusta, & valens, à Medico conuenienter adiuta, vniuersam materiam peccantem mitificauerit, secreuerit, & per iudicationem excerner: ipsam rectè agentem contemplari oportebit, eique negotium committere. At vbi à vacuatione destiterit: aduertere conuenier, num suo officio integrè satisfecerit. Etenim quæ iudicantur & iudicata sunt integrè: neque mouere, neque nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere conuenit. [n] Si verò aliquæ supersint reliquiæ: quia quæ relinquuntur in morbis, recidiuas facere consueuerunt [o] quæ superierint mox exhibito pharmaco detrahere conueniet, vt recidiua imminens auertatur.

Tandem vbi detracto incendij fomite, & materia peccante vacuata si residuus sit in membris importunus aliquis calor, huius intemperiem emendare oportebit, tum refrigerantibus iulapijs aut conuenientibus decoctis, seu apozematibus, tum epithematibus, quæ principum viscerum regioni tepida admoueantur: imò & si expedire iudicetur, repente potabilis aquæ balneo, vt infrà, per singula huiusmodi febrium genera explicabitur.

Verùm dum prædicta omnia aduersus morbum & eius causam exequimur, naturæ eiusque viribus per alimenta succurrendum est. Quæ talia ministrari oportet, vt dum vires refouent, morbo etiam aduersentur, & remedij conditionem, cum cæteris rebus non naturalibus, sibi quantum licet adsciscant: vt ab Hippocrate docemur [p], non solùm enim Medicum, seipsum præstare oportet officio fungentem, sed etiam ægrû, & assidentes, & externa. Quomodo autẽ singulos cibare oporteat, & quid in quibusque, pro variis casibus sit obseruandû, fusè à nobis explicabitur Ar quibus quæque ali

e 6. epid. sect. 5. text. 6.
f 3 parte lib. de humor. purg. in princ. morbor.
g 2. in lib. acut. comm. text. 44.
h Aph. 22. l. 1
i Aphor. 25. lib. eiusdem.
l Aph. 21. l. 1
m 4 Aph. 4.
n Aphor. 10. lib. 1.
o Ex lib. 6. epid. sect. 2. text. 22.
p aphor. 1. lib. vniuersf. meth. med. c. 2

ali conueniat,infra docebimus:dum in specie de singulis his febribus agemus.Hoc tamen quod ad horam cibationis pertinet, & repetere & addere iuuabit : quod apud Stephanum Atheniensem [r] legitur. Alimentum præcipuè dandum esse,quando ipsum natura concoquere ac conficere potest. Concoquit autem,quando libera,aut quàm maximè sibi licet integras habet vires, nec à febris calore & incendio vexatur. Quare illud in interuallo dandum est. Si enim in accessione demus, facultas quæ à febris intemperie deiecta est, ipsum superare non poterit. Alimentum autem non concoctum,materia fit febris. Quæ docuisse voluit Hippocrates [s] cùm ait. In accessionibus, abstinere oportet: nam cibum dare nocuum est. Et quibus per circuitum fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet. Dandum ergo est alimentum in interuallis, intermittentium quidem; in continuis verò cum fit μυσπυρεξία, id est febris diminutio,quæ interuallum imitatur. In continentibus autem, quæ omni apparente remissione carent; his horis quibus æger dum valeret cibari consueuerat: cibum, naturæ; horæ autem electionem, consuetudini tribuentes.

r. in lib. ad Glau.com text 39.

s. 1. aph. 1

Quæ omnia, cùm vt prædictum est, in regulari febrium curatione obseruare oporteat: accidit aliquando nos ad irregularem curandi methodum diuerti, ob occurrentium symptomatum vehementiam. Quemadmodum aliàs explicabimus: [t] & à Galeno docemur.[u] Vbi hoc generale præceptum habetur, pro viribus metiendum esse quanta sit febris, quantùmve ex accidentibus periculum immineat: atque ad id quod vehementius ac difficilius est intendendum, non posthabitâ omninò etiam alterius curâ. Inter particulares autem casus quibus attendendum esse docet, ille est notatu dignus: quòd si quis febricitet (inquit) & adsit plethorica dispositio: verùm ex recentibus cruditatibus sit,ac morsum sentiat, affictùmque os ventriculi; vel si etiam humorem aliquem malum euomuerit, & in huius transitu non parum fuerit offensus, adeò vt grauiter se habeat atque anxiè. Nunquid hic, ad febrem respicientes, solam multitudinem euacuare tentabimus? (quod alioqui sine molestiâ faceremus) An prius oris ventriculi prouidebimus, ac deinde postquam circa hoc benè se habuerit, quam corrigerit totius corporis euacuationem faciemus? Mihi quidem ita agendum videtur. Multos etenim sæpiùs vidi; qui ita affecti erant, quosdam interijsse, alios ad extremum periculum fuisse perductos, cùm Medici eos euacuare tentassent, antequam os ventriculi corroborassent.

t. cit. lib. vniuersal. meth. me cap. 5.

u. lib. 11. meth cap 1 & lib. 1. ad Glauc cap. 1

Ita cum in principijs accessionum, à cibis abstinere oporteat: tamen vel ob aduenientem syncopen, vel ob ventriculi morsum in biliosioribus, & ficcioribus, ineunte accessione; Galenus cibum, imò & panem vino intinctum exhibuit, vt habetur. [x]

Quomodo autem singulis symptomatibus occurrere & subuenire oporteat: partim ad finem huius libri,partim alijs docebimus, cùm de particularium morborũ curatione tractabimus.

x. lib. 10. meth cap. & 12 eius cap. 6.

De febre sanguinea, seu synocho putri.

CAPVT XI.

Medici qui Galenum sunt sequuti, eam differentiam inter febres συνεχεῖς seu continuas, & συνόχους seu continentes statuerunt: vt continuas eas appellent, quæ licèt omni sensibili intermissione careant, tamen remissionem aliquam, & subsequentem exacerbationem absque annotatione euidente experiuntur.Continentes autem eas nuncupent,quæ non solùm nullam habent intermissionem; sed præterea quæ à principio ad finem nullam exacerbationem, aut sensibilem periodicam remissionem admittunt. Quarum alias legitimas esse, alias illegitimas docuimus suprà [a] Legitimas eas appellantes, quæ à sanguine putrescente excitantur, & quartum putridarum genus constituunt. Sed graues hac de re excitatæ leguntur controuersiæ, inter Galenum sibi ipsi minùs consentientem (vt illi opponit Auerrhoes) [b] & Auicennam [c]. Ac quidem quod ad Galeni locos ab inuicem dissentientes spectat: illos conciliare conati sumus [d]. Quia verò inter Medicos plurimi, sententiæ Galeno impositæ adhærent; alij verò Auicennæ partes sequuntur: etsi nolimus in singulorum sententijs, varijsque interpretationibus exequiendis hærere: ne tamen quæstionem hanc indecisam relinquamus: insinuatam suprà [e] sententiam breuiter repetemus,

a. cap. 8.

b. 4 collig. cap. 11.

c. lib 4 f 1. tract 2. cap 44.

d lib de h morib cap.

e Cap. 8.

Sciendum ergo est, dum hìc sanguinem dicimus: nos eum alimentariorum humorum complexum intelligere qui in sanis corporibus etsi heterogenearum sit partium,tamen ab omni excrementitiorum humorum sensibili permixtione liber, in venis continetur. & succorum seu τῶν χυμῶν appellatione,intelligi consueuit,vt insinuatum habemus à Galeno [f].Quem putrere posse,cùm mixtorum naturam & conditionem sequatur: ex his quæ suprà, [g] iuxta Medicorum & Philosophorum mentem de putredine disputauimus, vberrimè constat, eúmque per pepasmum mitificatum in pus aut substantiam puri respondentem conuerti docuit Galenus. [h] Eo verò putrente, quoniam à

f Lib. de p uitud cap. 1

g Cap. 7.

h Lib. 1. diff.feb cap

vaſis cordi continuis (in quibus continetur) euaporatio putris perenniter effertur ; neque aliundè nouus in vaſa refunditur , cùm non alibi quàm in vaſis idem contineatur : febrem verè continentem, & nullis exacerbationibus recrudeſcentem excitat. Cuius vt ſuprà explicatum eſt , æquè atque non putris , triplex eſt differentia. Ea enim vel homotona eſt , vel paracmaſtica , vel epacmaſtica : ſeu eodem tenore perſeuerans , decreſcens , aut increſcens. Quòd ſi eiuſdem conditionis ſanguis in determinata ſede , ac maximè cordi propinqua , vel cuius ampla ſint vaſa putrilaginem concipiat : continentem quidem, ſed non exquiſitam,& potiùs ſymptomaticam infert. Quæ quibus ex cauſis periodicas aliquando patiatur exacerbationes ſuprà [k] explicatum eſt. Tertiò ſi ſanguis in vaſis maioribus , copioſæ bili , aut alteri etiam humori (quod rariùs accidit) permixtus , mixtim putreat , ſed ita vt ea impuritas,nulla conſimilis humoris excrementitij noua acceſſione foueatur : continentem illegitimam generat. Quartò demum , eo ſimiliter mixtim putrente , nouo tamen excrementitio humore per interualla ab hepate , ventriculo , aut liene in vaſa transfuſo : ea fit febris , quæ pro cuiuſque humoris ſanguini permixti per certas periodos exacerbationem paſſa.continuæ proportionalis nomen accepit,& pro humoris computrentis naturâ,quotidiana,tertiana, ſeu à Galeno [l] τριταιοφυὴ , vel quartana continua appellari conſueuit. Vix enim hi humores ſoli intra venas putrent ; ſed ſanguinem cui commiſcentur , pari vitio inquinant : vt de bile docuit Auerrhoës [m]. Tandem ſi excellens putredo , totam ſanguinis maſſam inuadat , pro exquiſita ſynocho, malignam continentem aut peſtilentem facit , vt cap. ſequenti docebimus.

k cit. cap. 8. præcedente.

l lib 2.de dif. febr.cap 2.

m Cit 4.col. lig. cap. 32.

Inter has autem omnes febres , à ſanguine ſolo , aut alijs humoribus permixto putrente excitatas : eam ſimpliciter ſanguineam & legitimam atque exquiſitam ſynochum putrem, ſeu continentem appellamus : quam alimentariorum ſuccorum maſſa venis concluſa , magna ex parte putreſcens excitarit.

Quare legitimæ ſynochi cauſæ ; vel ſunt remotæ, vel proximæ. Sub remotis ea omnia comprehendimus, quæ ſanguinem copioſiorem generant. At proximas eas eſſe dicimus , quæ in ſanguine putredinem , non tamen illam excellentem malignitatis comitem , cauſant. Prioris ordinis ſunt , modicè calidior ægri temperies , adoleſcentia & quæ illi ſuccedit ætas, temperata anni conſtitutio, euchymorum ciborum liberalior vſus , otium , & conſueta aliqua ſanguinis vacuatio ſuppreſſa. Quæ ſi omnia , aut maxima ex parte concurrerint , copioſiorem ſanguinem colligunt. Poſterioris ordinis ſola eſt cutis aut vaſorum in habitu plethorico aut euchymo ſaltem non leuis obſtructio : quæ à prohibita tranſpiratione vel ſtatim , vel aliquali feruore priùs introducto putredinem inferre eſt nata.

Signa legitimæ continentis & exquiſitæ ſanguineæ , ex ſex illis communibus fontibus ex quibus ſigna putridarum emergunt , erui conſueuerunt. Primum enim calidum quod ab his exhalat, vaporoſum quidem eſt , ſed ſubacre. Pulſus magni ſunt , & celeres , plerunque etiam frequentes , in mollitie mediocres : & communem putridis inæqualitatem , retinentes. Vrinæ ſubrubræ ſunt , & craſſæ ; principio quidem , vt plurimùm turbidæ , ſine ſedimento : in augmento verò ad ſtatum vergente , cum ſedimento rubro. Prætereà ea præceſſiſſe conſueuerunt , quæ vel copioſiorem ſanguinem generant ; vel in euchymo corpore , magnam & repentinam cutis obſtructionem intulerunt. Quintò hæc febris , ſeu cum , ſeu ſine perfrigeratione , horroréue principio inuadat:tamen citrà omnem manifeſtam & ſenſibilem remiſſionem atq; exacerbationem, ad extremum perſeuerat vel eodem tenore , vel ſenſim increſcendo, vel paulatim ad extremum decreſcendo. Eadem demum , familiarem habet tenſiuum capitis dolorem, cum ridiculis aliquando delirijs,rerúmque rubrarum per ſomnum viſis. Atque hæc ob multos ſed minùs acres vapores, à vaſis ſurſum in cerebrum eleuatos Nec non ſic febrientes lumborum dolor vexat,ex feruore ſanguinis in grandioribus vaſis putreſcentis. Oculorum item , genarum , ac reliqui corporis inconſuetus rubor hos ægros tenet : ob immodicam ſanguinis copiam: aut eiuſdem licèt parciùs abundantis feruorem.

Quod ad prognoſim autem pertinet. Acuta eſt hæc febris. Nam cùm breui finiatur ex Galeno [n] eſt etiam periculoſa , vitæ theſauro per eam putreſcente. Omnium tamen periculoſiſſima , eſt epacmaſtica. Cui ſi per errorem aliquem vehementiùs increſcente putredine, malignitas & cacoëthia adueniat : quæ ſe prauis ſignis , vt lipothymijs, extremorum perfrigerationibus , anxietate cum difficili reſpiratione coniuncta, & nigris aut liuidis ſaltem papulis , manifeſtet , funus & exitium portendit. Ab ea verò homotona minus periculum minatur : & minus adhuc ea , quæ paracmaſtica nominatur. Solet tandem hoc genus febris , ſæpiùs hæmorrhagiâ, ſudoribus, aut per vrinas die quarto, aut ſeptimo vt plurimùm ſolui. Nonnunquam rubris etiam papulis per cutem effuſis , modò tamen tales excretiones cum his conditionibus fiant , quas ad laudabilem criſim requiri docuimus. [o]

n 3 de criſib. cap.4.

o Li.de iudic. morb.cap.11.

[o] Quæ verò illegitima est synochus, aliquando etiam euacuatione per aluum terminatur. Si enim alui fluxus legitimæ synocho superueniat, malum. Vt rectè notatum est à Mercato: [p] maximéque si in principio soluatur aluus. Nam præterquam ea euacuatio, materiam morbi causam non euacuat: præterea principio vires quadantenus exoluit, vt deinceps coctioni perficiendæ sint impares.

Curatio huius febris, generales putridarum indicationes sequitur: primúmque expostulat, vt quàm celerrimè refrigerante & emolliente enemate aluina colluuie expurgatâ, sanguis venâ sectâ largè ducatur. Ea scilicet copiâ, quam plenitudinis conditio requiret, & vires ferent: partitis vicibus potiùs, quod largiùs peccat extrahendo: quàm vnicâ venæsectione ægrum ad lipothymiam deducendo. Ducatur autem sanguis primùm ex basilica dextra, satis largo vulnere, tum si expediat iterare, ex sinistra (nisi suppressa hæmorrhoidum aut mensium vacuatio, febri occasionem dederit) tunc enim satius erit, ex inferioribus venis sanguinem mittere.

Clyster autem phlebotomiæ præmittendus, sit huiusmodi. ℞ folior. atripl. viol. lact. & malu. ana m. i. semin. fœnic. ʒ. i. flor. borrag. & viol. ana p. i. coquantur in aqua q. s. in colaturæ ℔ i. vel ℔. i. ß dissolue lenit. & cassiæ cum sacch. ana ℥ i. mellis viol. ℥ iii. misce fiat clyster.

A sanguinis missione: quoniam inchoans ipsa putredo ichorum & tenuiû excrementorum per antecedentem feruorem genitorum, colluuiem introducit: iuuabit leni purgatione, naturam ab illa inutili sarcina subleuare: aut saltem crudam illuuiem errore victûs in primis viis collectam eluere. Atque id quidem ex rhabarbari diluto in tenui thamarindorum decocto, vel sero lactis caprini: in cuius expressione infundatur medulla cassiæ, vel diaprunum simplex, triphera persica, lenitiuum, catholicon, aut quid simile, & colaturâ factâ, dissoluatur (si expediat) syrupus rosatus solutiuus, vel de cichoreo cum rheo, aut ex rosis Damascenis paratus. Vel manna in sero lactis soluta exhibeatur: aut tandem etiam electuarium aliquod ex prædictis, in decocto communis Medicinæ dissolutum. rusticis & minùs delicatis, qui difficiliùs aliquantò soluuntur: vel vtrisque supradicta sub boli forma ministrentur. Et ne leuia hæc citra fructum exhibeantur: oportebit in maiore aut minore dosi pro cuiusque natura ad purgandum facili aut rebelli, singula præscribere.

Ab his, si curis obstructio febri occasionem dederit, illi (vt capite præcedenti explicatum fuit) mederi oportebit. Exteriùs quidem per frictiones leues, & illitiones: interiùs verò per iulapia, aut apozemata, quæ refrigerando attenuent & incidant, vt non solùm febrilis ardor retundatur, sed etiam quod obstructiones fouet emendetur, idipsum autem quod putret mitificetur.

Inter refrigerantia hic vtilia sunt, viola, semperviuum minimum, lactuca, portulaca; & nymphæa quæ refrigerando etiam incrassant, ad feruorem mitigandum ex eo idonea. Necnon acetosa, oxylapathum, trifolium acetosum, dens-leonis, endiuia, pruna acidula, hordeum integrum, & cichoreum: quæ refrigerando etiam attenuant aut detergunt, ad obstructiones auferendas vtraque facultate vtilia. Cæteris autem temperatiora sunt borrago, & buglossa, eorumdémque flores, at refrigerando robur etiam partium tuentur rosæ rubræ, lens palustris, & tres santalorum species.

Ad efficaciùs attenuandum valent radices graminis, acetosæ, asparagi, & pentaphyli, capillarium omnium folia, lupuli hepaticæ, scabiosæ, & agrimoniæ, semina frigida maiora, acetosæ, violarum, atque his respondentia. Incidunt simul & attenuant, acetosa, trifolium acetosum, acetum ipsum, succus pomi assyrij, limonum & auranciorum acidorum, necnon acidus liquor sulphuris, oleum vitrioli atque his paria. Sed liquores sulphuris & vitrioli sufficiet ad quatuor aut quinque guttas vt plurimùm in refrigerante aliquo iulapio, aut aqua saccharata dissoluere.

Sit hoc vulgaris iulapij exemplum ℞ aquar. cichorij & nymphææ ana ℥ ii. aut ℥ iii. vel decocti vtriusque aut consimilium ℥. v. syrupi de endiuia simpl. & de limonib. ana ℥ i. misce fiat iulep. Vel pro Apozemate ℞. rad. gram. & pentaphylli ana ℥ i. fol. viol. endiu. & acetosæ ana m. i. sem. 4. frig. maior. ʒ ß flor. borrag. & nymph. ana p. i. coquantur in aqua q. s. in colaturæ ℥. xv. dissol. syrupi de cichor. simpl. & de succo auranc. ana ℥ iii. misce fiat apozema clarum, aromatizatum ʒ i. pulueris elect. triasantali, aut diamargariton frigidi, pro tribus dosibus.

In quorum remediorum vsu, ad septimum diem inclusiuè (nisi febris antè soluta fuerit) perseuerare expediet; semel aut bis in die illis vtendo pro ægri tolerantia: & prout maiore vel minore alteratione succorum putrescentium indigebimus. Septimo verò transacto, cùm iam signa coctionis apparuerint: naturâ, nihil aut non sufficienter pro morbi solutione moliente: vel natura inæqualiter coquente, & parte materiæ peccantis orgasmum quemdam indicante, ante septimum etiam, & die sexto: ad id quod iam putruit, & pepasmo mitificatum est, aut orgasmo agitur euacuandum, vtilis futura est purgatio.

[o] Lib. de iudicus morb. cap. 11.
[p] Lib. 6. de febr. cap. de febr. sanguin.

Ad quam mitiora quidem conveniunt: sed eâ dosi, vt possint ægrotantem purgare. A calidioribus enim pharmacis & acribus, quæ scammonium aut similia admittunt, in his febribus omninò abstinendum est, præsertimque æstate. Ad infusum autem rhabarbari, & decoctum sennæ, agarici, seminis carthami, polypodij & similium transire licet in synocho illegitima: & si qui purgandi sunt, mitioribus aliis non cedant, hæc in sufficiente dosi illis præscribere oportebit Si tamen circa quintum diem, coctionis signis manifestè nec obscurè apparentibus, nullâ obstructione, nulloque tumore visceera infestante, & ventriculo non infirmo, æger magno æstu premeretur, & frigidam appeteret; atque eò maximè si omissa fuerit sanguinis missio, nec patiatur æger sibi venam incidi saluberrimum foret, ex Auerrhoë, [q] nec præter Galeni sententiam, [r] tantam tali ægro frigidam exhibere, imò & niue refrigeratam (si illi fuerit assuetus) quantam vno haustu potare ad satietatem posset. Quo remedio, non solùm æstus extinguitur: sed etiam natura ad salutarem excretionem plerumque promouetur. Idipsum verò auxilium prædictis conditionibus non obseruatis, grania inferret nocumêta. Coctionem enim retardaret, obstructiones augeret, tumores intenderet, vêtriculum ad atoniam deduceret, Imò & non assuetus frigido potui, grauiter lædetetur. Nam & consuetudini plurimùm tribuendum, ex Hippocrate & Galeno aliâs docuimus. A purgatione autem à Medico conuenienter institutâ, aut postquam natura vacuationem criticam, perfecerit, si reliquiæ aliquæ caloris præter naturam appareant: vel ante etiam, si cum vehementi feruore, vitalis facultatis aliqua se prodat imbecillitas, & nulla appareat in hypochondriis tensio: epithemata cordis & iecoris regioni admota actu tepida, sed potentia refrigerantia simul & corroborantia vtilissima erunt, ex vtrique illi symptomati succurratur. Sint ergo hæc in exemplum ℞ aquar. acetos. Nymph: & viol. ana. ℥ iii. (atque hæc quidem ad refrigerandum) succi limon ℥ i; (ad penetrationem maiorem) pulu. diamarg. & confect. de hyacintho ana ʒ i. ß pulu. cort. citri. ʒ ii. (quæ omnia ad robur facultatis excitãdum præscribuntur) misce, fiat epithema pro regione cordis ℞ aquar. aut decocti lact. cichor. & solani hortensis, ana ℥ iiii. (ad refrigerandum) aceti rosati ℥ i. [ad penetrationem] pulueris electuarij triasantali, & diarrhodon ana ʒ i. ß diamargar. ʒ i. (ad robur hepati conciliandum) misce fiat epithema pro regione iecoris.

[q] 7 colliget cap. 8.
[r] 9 meth. & 11 vtrobique c. 5. & 1 ad Glau. c. 13

Capiti ad dolorem sedandum, & somnum conciliandum (his præsertim diebus, in quibus nulla apparent futuræ hæmorrhagiæ aut sudoris indicia) frontalia possunt admoueri, ex ramentis cucurbitæ recentis, floribus nymphææ & violarum, lacte cum tantillo aceti, ouorum albumine, cum aqua rosarum, & aliquot aceti guttis agitato: vnguento populeo, cum conserua violarum & consimilibus. Vel in eumdem finem patique cautione habitâ, modò scilicet menstrua aut alia vacuatio spontanea & critica non expectetur poterunt tibiarum lotiones sub vesperam præscribi, ex tepente decocto lactucæ viol. nymph. capitum papau. folior. salicis & similium. Necnon lumbi ad infestum feruorem demulcendum, liniri poterunt ex cerato refrigerante Galeni, santalino, aut vnguento rosato Mesues oxycrato lotis: vel grandiora frusta longioris cucurbitæ, illis admoueri. Sed iterum memioisse oportet indicante Foresto. [s] Vtroque hoc remedii genere cautè vtendum esse: ne iam apparentibus coctionis signis, caput, aut lumbos impensiùs refrigerando, criticos naturæ motus per hæmorrhagiam à naribus aut venis sedis, per sudores, atque alios interrumpamus: & nimium ægrorum molestiæ mitigandæ indulgentes, morbum deteriorem reddamus.

[s] Lib. 2. obs. obseru. 22.

Tandem si reliquis omnibus symptomatibus, & febre ipsa quiescentibus, caloris quædam acritudo, & cutis siccitas perseuerare aduerteretur: nullo remedio efficaciùs tales reliquias emendaremus, quàm tepentis aquæ balneo.

In ratione victûs ad consimiles scopos collimare oportet. Sicque affectos expedit, aërem purum & per se vel arte frigidum inspirare. Non tamen eorum corpora frigido exponi fas est: præsertim si cutis constipationem sint passi. Eosdem tenuiter quidem, sed refrigerante & cibo, & potu ali oportet. Atque ideò liquida potiùs quàm solida, illis præscribenda sunt alimenta. Qualia sunt cremor hordei, ius pulli, aut iunioris capi, & vitellinæ carnis: alteratum acetosâ, endiuiâ, lactucâ, aut buglosso Vel in quo dissoluta sit medulla panis in aqua prius macerata & expressa. Ad carnium autem saporem plurimis infestum corrigendum, admisceri iusculis potest vel succus agrestæ, vel limonii, aut aurancii acidi tantillum. Vel in eodem cappares aceto conditæ aqua bulliente primùm lotæ, pro ægrotantium gustu incoqui poterunt. Imbecillioribus, gelatinæ etiam concedi possunt: quæ aceti rosati, aut succi limonum pauxillum, citra omnem aromatum permixtionem admiserint. His ipsis vtilis erit, aqua carnis in duplici vase præparata: aut ius semiassæ vetuecinæ carnis expressæ, cum iusculo ad tertias mixtum, & leni igne simul excoctum.

Potus sit aqua fontana inculpata, cum vino granatorum acido dulcium, aut aqua cocta, in qua saccharum vulgare, rosatum, aut violarum, acidum citri conditum, aut cerasorum gelatina dissoluantur. Vel aqua hordei, cum syrupo violato, de limonibus, auranciorũ, acetoso simplici, de agresta,

graoatorum acidorum,aut fimili. Quibus fi in vehementi ardore, & excellentioris putrilaginis fufpicione,duæ aut tres ad fummum guttæ olei feu liquoris fulphuris,aut vitrioli addantur: & magnam potui gratiam,fuo acore conciliabunt, & attenuante ac incidente fua vi, ad putrilaginem reprimendam plurimùm proderunt. Septentrionalibus,tenuis cerevifia etiam conceditur: cùm illis huius generis familiaris fit potus. Vinum omnioò denegandum eft:nifi morofitas, aut imbecillitas ægri , nos ad id concedendum cogant. Tunc verò imbecillum,& oligophorum eligatur. Quod fi album foret ex vinea recenter fata & probè culta : non inutile Iudicabitur imminente crifi , ad iuuandum naturæ motum,& excretiones quas natura molitur proritandas.

Tales etiam ægros ab omni animi pathemate liberos effe oportet, nihilque illis ab aftantibus procurari,quod mœrorem,iram,aut animi contentionem prouocet. Ad fanitatis imminentis confidentiam funt adducendi, & à defperatæ falutis funebri moleftia omni arte auertendi. Ac tandem , vt aluum liberam habeant procurare oportet,ac faltem alternis diebus ea per clyfteres exoneranda eft.

De malignis & peftilentibus febribus.

Capvt XII.

Maligni fignificatio, moltò amplior eft quàm peftilentis. Maligni enim,mali moris , & cacoëthes affectus, illi effe dicuntur à Galeno [a] qui vbi rectè adminiftrentur (ideft conueniens eorum habeatur cura) nihilo fiunt mitiores. Vnde ille. [b] Cacoëthes & malignos morbos , morofos appellat : quibus opponit εὐήθεις id eft beneficos , & εὐτρόπους id eft qui facilè ad bonum vertuntur. Malignorum autem duo funt genera. Vel enim maligni dicuntur illi omnes morbi, qui quacumque ex caufa orti,feu ex vehementia caufæ,feu ex dignitate partis affectæ,feu ex eiufdem imbecillitate, id habent vt difficillimè euincantur. Sic [c] vlcera difepulota quæ difficilè ad cicatricem deducuntur, cacoëthe & maligna appellat Galenus. Item [d] maleficas febres nominat,quarto die interimentes: [e] fic vehementem & interimentem febrem malignam nuncupat. Demúmque [f] febres à principibus corporis partibus affectis ortas,malignas dici poffe afferit. Aliàs & magìs propriè maligni morbi febréfque præfertim malignæ illæ appellantur,quæ ab excellenti quadam putredine generantur. Hinc Galenus ipfe. [g] Singuli hi affectus ferè [ait] non funt cacoëthes, vti de facro igne diximus paulò ante nonnunquam verò etiam funt cacoëthes,vti nunc, quòd putridus effet qui abundabat humor.Sic [h] Malignitas abundantis humoris ex magnitudine confiftit putredinis. Necnon [i] putredine increfcente morbos prioribus maligniores viguiffe refert.

a 3. in 1. epi. com tex 1.
b 2. de rat. vict. acut. comm. tex. 20.
c 3. de comp. medic per genera cap. 18.
d 1. progn. com. tex. 8.
e Lib. de bonitate & vitio fuccorum cap. 1.
f In præfat. 2. epid.
g 1. in 3 epi. com. tex 32.
h Eod. 3 in 3 epid. comm. tex. 29.
i Ibid. comm. tex. 50.

Quia verò in ea putredinis excellentia) cuius ratio mox explicabitur) datur adhuc magìs & minus,contingitque vnum aut alterum aliquando ex vehementia quidem putredinis in eis excitatæ febrire,eodem tamen morbo populariter non graffante ; aliàs verò accidit ex vi caufæ alicuius communis,plurimos per idem tempus congenere febre teneri ; imò nonnunquam etiam eandem fe per contagium diffundere:duæ hinc malignarum febrium propriè dictarum fpecies emergunt. Prima eft earum,quæ de fporadicarum numero aliquos particulatim affligentes,fimpliciter & fine addito malignæ nominantur:quas & continuas & intermittentes etiam aliquando effe contingit,modò grauiùs multò ægrotantes afficiant & cum indiciis excellentioris putredinis quàm vniufcuiufque fpeciei cõditio vulgo ferat. Altera differentia illarum eft quæ malignæ fimul & peftilentes appellantur ; quafi peftis naturam imitantes. Ac pofteriorum adhuc duæ funt fpecies. Aliæ enim imitatione tantum peftilentes vocantur,quòd popolariter graffantes communem habeant caufam à qua ingens illa putredo malignitatis fundamentum infinuatur. Aliæ verò propriè peftilentes nuncupantur, quòd pefti ideft morbo epidemico & contagiofo confocientur. Licètenim peftis apud antiquos , nullius determinari & certi morbi fit nomen , vt habet Galenus [l] ea tamen eft apud eofdem peftis idea,vt quicumque morbus vno in loco [ciuitate fcilicet aut prouincia] multos vna tempeftate inuaferit , & multos perimat,peftis dicatur. At vulgo peftis nomen inditur vel malignæ omni febri populariter cum contagio graffanti,quam malignæ papulæ,anthraces,& bubones vt plurimùm comitantur ; vel frequentes etiam anthraces cum bubonibus contagiofis,feu febris interueniat,feu fine illa illi appareant,peftis appellantur. Verùm quid propriè fit peftis tunc examinabimus , cùm de pefte fpecialem tractatum Deo annuente inftituemus. In quo etiam fi quid refiduum fit poft abfolutum hoc caput, quod ad febres peftilentes contagiofas pertineat,inquiremus. Etenim hic præfertim de febribus malignis tam propriè & fimpliciter dictis,quàm de his quæ per imitationem peftilentes nominantur, agere intendimus. Quæ enim malignæ largiore fignificatu appellantur , nullam aliam curandi rationem expoftulant quàm quæ fibi congeneribus debetur : vel id folùm præterea requirunt , vt ad latentem malignitatem ex materiæ vitio prodeuntem emendandam , & ad laborantis membri lan-

l 1. in 1. epid. comm. text. 9. & cit. 6. in 3. epid. comm. tex. 20.

guidum robur reparandum, attendamus.

Sciendum interim hoc loco est quamuis febrium pestilentium contagiosarum genus ex parte principis primarijque subiecti quæsitum tale sit, vt omnes meritò ad hecticas referantur: quum insignis illa excellénsque putredo quæ pestilentes contagiosas excitat totam cordis substantiam impetat, & illi se insinuare studeat, illius humidi à sicco dissolutionem procurando: quia tamen externum agens quod huiusmodi putredinem nobis imprimere nititur pro particulari suo agendi modo primò vel spiritus per arterias influentes, vel humores vasis contentos, vel partes ipsas solidas totámque corporis molem inficit, ideò pestilentes contagiosæ à plurimis, in ephemeras, humorosas, & hecticas distinguuntur. Nec refert Clarissimum Massariam [m] ephemeram pestilentem non admittere, quòd (vt ille inquit) ephemera quidem sit salutaris, pestilens autem perniciosa & pro maiori parte homines perdat. Nam salutaris quidem ea est, quæ ephemera simpliciter dicta à simplici alterutrius sanguinis venosi scilicet aut arteriosi efferuescentiâ spirituosæ cordis substantiæ imprimitur. At quæ à putrescentibus spiritus influentibus, toti cordis substantiæ putredinem insinuare conantibus excitata ephemera pestilens nuncupatur, tantùm abest vt salutaris sit, quin potiùs perniciosissima est. Spiritus autem influentes putrere posse quis controuertet? cùm ex Arist. [n] omnia præter ignem saltem per miasmatum & putrinum inquinamentorum permixtionem putreant, & putredo omnium mixtorum sit naturalis interitus, spiritúsque influentes in censu corporum mixtorum habeantur. Difficiliùs tamen hi, fateor, putrent, quàm crassiores aliæ & humidiores mixtorum substantiæ: quòd cùm sint admodum tenues & perfectè excocti, humidum à sicco difficillimè possit ab externo calido in illis dissolui. Quare non nisi ex vehementi actiuitate & excellenti putrefacientis vi, tantum vnquam vitium contrahunt. Atque ideò febris quæ semel ab his putrescentibus excitatur admodum maligna est, promptissimi contagij, & ante interimens quàm efficientis illa actiuitas in humoribus aut partibus solidis parem effectum impresserit.

[m] Lib 5. praxeos cap. 24.

[n] 4 meteor. cap. 2.

Causas febrium quæ malignæ minùs propriè appellantur, etsi hoc loco explicari non conueniat: quia tamen vix alibi commodiùs eas exprimere licet, dicimus esse vel humoris copiam & crassitiē, ad quam emendandam naturæ sic ægrotantium vires sint impares: vel excrementitium quempiam humorem plurimùm à natura alienum, seu in determinata abdominis sede putrentem, aut effetuescentem saltem; seu per vasa diffusum & suum virus libetiùs ad cor effundentem: vel particularem viscerum aut totius corporis intemperiem & imbecillitatem; vel graues errores in principio ægritudinis ab ægris, astantibus, aut Medicis etiam aliquando commissos.

Causa febrium, quæ propriè malignæ nuncupantur, vna est in genere, scilicet excellentia putredinis. Ea verò putredinis excellentia penes aliquod ex his tribus attenditur, scilicet vel penes substantiam putrescentem, vel penes putredinis progressum, vel penes causam quæ putredinem substantiæ putrescenti insinuat. Penes substantiam quidem putrescentem ea putredo excellens appellatur, quæ in materia admodum adusta, & per se maligna, concepta est: qualem cēsemus bilem porraceam in vasis genitam, æruginosam, ysarodem, & atram: quibus si putredo quæpiam accesserit, verè malignas febres excitant: penes putredinis verò progressum illam excellentem appellamus, seu humoribus excrementitiis, seu massæ sanguinis aduenientem, per quam humidi seu proprij ichoris humorum à reliqua terrestriore substantia, aut humidi aquei ipsorum ichorum à proprio sale dissolutio sit plurimum progressa. Quæ quatenus tanta est vt heterogenearum partium putrescentis mixti dissolutarum actiuitas naturæ magnam molestiam inferat, & ab eadem emendari non possit nisi per dissolutarum partium materiæ putrescentis excretionem, excellens appellatur. Maior autem aut minor ea est excellentia, prout magìs aut minùs heterogeneorum dissolutio fiens fuerit progressa: seu heterogeneis dissolutis, seu multò minùs quàm pro naturali conditione requiritur inter se cohærentibus, & singulatim suam actiuitatem importunè exprimentibus. Sic plurimis synochis sporadibus malignitas adiungitur: quando massa sanguinis etsi non semper tota sed in maioribus saltem vasis magnam putredinem conceperit, eóque maligniorem quò lentiùs concepta non antè se explicuerit, quàm intensiuè magìs quàm extensiuè fuerit plurimùm progressa.

Penes causam tandem putredinem substantiæ putrescenti insinuantem, excellens putredo dicitur: quæ licèt nondum plurimùm sit progressa, nec fœtoris adhuc vestigia introduxerit, à tantæ tamen actiuitatis causa introducitur, vt & celerrimè operetur, & difficillimè eidem resistatur.

Prouentum præadustæ illius & malignæ materiæ causant, particularis anni siccior calidiorque constitutio, & indiuidualis seu acquisita seu ingenita ægri temperies succorum portionem assans Eamdemque abundè suggerit, in prædictis maximè, prauorum potuum & eduliorum vsus, vti earum aquarum potus, quæ à macerata cannabe fuerint infectæ, aut aliter quomodocumque putres, fructuum item horatiorum & facilè putrescentium copiosior esus: necnon frumenti, & leguminum quæ situm contraxerint, frequentata comestio: ac demum carnium fœtentium, ictarum fulmine,

aut

morbo talibus animalibus epidemio enectarum esus. Ad citatiorem putredinis progressum facit, vel particularis innati calidi imbecillitas per oppressionem inducta, in his præsertim qui delicatiùs & lautiùs alti, otiu indulgent; vel opportunà venere feruorem in succis concitarunt; vel in mœrorem aliquem, quem euulgare non audeant, inciderunt. Etenim cùm huiusmodi multis abundent succis qui à calido influente imbecillo & segniter moto minimùm persuaduntur: ingentem in vasis putrilaginem concipiunt.

Tandem causæ putrefacientis vehementia, tunc præsertim annotatur; cùm ob actiuitatis excellentiam, & persuasionis celeritatem, quod occurrit agens naturæ nostræ resistentiam efficacissimè, & nonnunquam etiam promptissimè superat & euertit. Ita cœlorum maligni influxus in epidemicis ac pestilentibus maximè constitutionibus, excellentes putredines inferunt: & venenatæ animalium pharmacorumque nonnullæ effusiones, potentissimè corpora nostra corrumpunt.

Causæ febris per imitationem pestilentis dictæ quatenus maligna est, pares sunt priori. Quatenus autem vulgò popalatiterque grassatur, communis quædam est causa in qua multi communicant, & à qua plurimi passim simul & pariliter offenduntur. Huiusmodi sunt publici fontes putrilagine aliqua inquinati, vel prauorum eduliorum, qualia suprà recensuimus, vulgaris esus, in caritate annonæ, vel malignus aër, & putri exhalatione, aut putrefaciente qualitate infectus. Talis est qui vel à prauis subterraneis exhalationibus insensibiliter euaporantibus inquinarur, vt qui apud Homerum iliados λ. iumenta & pecudes primùm offenderat; aut à barathris & speeubus in imo terræ latentibus recensque per terræ motus dehiscentibus euaporat: vt prope Neapolim suo tempore accidisse refert Villonouanus [o]: vel à non humatis cadaueribus per bellorum strages exsi, à piscibus in sicco post oceani æstus relictis, & animalium quorumcumque morticiniis, multum vaporem putrem effundentibus inficitur, vel ab stagnis & paludibus per summam æstatem putrescentibus. & non purgatis vrbium cloacis, diffuso inquinamento corrumpitur: vel denium qui à syderum influxu per austrinam constitutionem diu perseuerantem, & suo tempore humana corpora ac præsertim humores in vasis contentos facilè corrumpentem, inquinatur.

Causæ febris pestilentis contagiosæ eædem sunt quæ pestilentis per imitationem dictæ: sed quæ ad maiorem sæuitiam & vehementiorem malignitatem peruenerunt: ac tantam vt ab his qui tali febre laborent, & per respirationem transpirationèmque abscedant inquinamenta à Græcis μιάσματα appellata quæ ab aliis quomodocumque prædispositis inspirando aut tràspirando accepta, parem eorum corporibus labem imprimant, vnde tales contagiosæ dicuntur. Etenim contagium nihil aliud est quàm infectio quædam per corpulentum quidpiam aut vaporosum ab ægro corpore effusum sanis communicata, parem affectum admittendi insinuans, qualis in effundente fuit: seu per medium fomitem, seu per effusionem in distans, seu per contactum fiat, vt [p] fusè à nobis explicatum est.

Signa febrium tam propriè & simpliciter malignarum, quàm pestilentium: penè sunt inter se secundùm magis & minus tantùm vt plurimùm differentia. Vt tamen excellentis putredinis quæ malignas & pestilentes febres ab aliis putridis distinguit, duplex est constitutio: ita signa huiusmodi febres indicantia, bifariam se produnt. Putredo quidem cùm suam ex eo fortiatur excellentiam, quod vel materia quæ putret & multa sit, & vehementer putreat, seu dissolutio heterogeneorum in ea magnum progressum faciat: vel quòd vehementia actiuitatis aut tenuitas substantiæ causæ putrefacientis sit tanta, vt non ante putredinis in imo corporis introductæ progressus manifestetur, quàm animal ad interitum deduxerit. Sic febres quæ ex primi ordinis excellenti putredine nascuntur, euidentiora suæ cacoëthiæ signa proferunt: quæ verò alteri suam malignitatem acceptam debent, multò deteriores; vix illam ante manifestant, quàm ægrum interimant.

Per singulos ergo signorum putridarum febrium fontes discurrendo. Primò calidum quod ab ægris alterutrà harum febrium laborantibus euaporat, aliquando tangentibus mite apparet, nec se ægri infesto calore vexari conqueruntur. Aliàs ingenti æstu torquentur, & quod ab eisdem euaporat tangentium manus importunè ferit. Quoniam ex Galeno [q] sæpius febrium pestilentium calidum tam ab extra impressum, quàm intrò præter naturam conceptum, magis est colliquans & dissoluens humidum, quàm deurens: quod à sic affectis exhalat, vaporosum potius & mite apparet quàm acre. Illud autem quod in febribus simpliciter malignis, quæ ab ingenti feruore succorum in imo corpore putrescentium generantur, vel in aliis minus propriè appellatis quæ viscerum inflammationem sequuntur; effunditur, æstuans est & deurens.

Pulsus, pro harum febrium differentiis, mirè euariant. Illi tamen præter quam communem omnibus putridis inæqualitatem obseruant: præterea quatenus facultas aliàs per oppressionem à copia aut à maligna euaporatione, aliàs verò per essentiam magis aut minus imbecilla est: solent principio quidem, esse in magnitudine mediocres, celeres, frequentes, inæquales & inordinati, mox

[o] Lib. 4. breuiarij cap. 32

[p] In part theor. & tract. 3. lib. 1 cap. 6.

[q] Lib. 9. de simpl. medic. facult. cap. de terra samiâ.

parui, frequentes, languidi, & sine ordine inæquales. Ac demum cum ingenti paruitate & tarditate, frequentes admodum euadunt, celeritatem mentientes, & languidissimi. Verùm aliquando corde non ab alicuius euidentis intemperiei vehementiâ lacessito, sed latentet procedente putredine ab aëtis aut alterius ingenti cacoërhiâ; pulsus mediocres secundùm omnes differentias apparent, optimos etiam Medicos (vt ait Galenus)[r] fallentes. Cum quibus plurimos interiisse refert idem Pergamenus ibidem in ea magna pestilentia quæ suo tempore viguit.

r Lib. 3. de presa. ex puls. cap 3.

Vrinæ in malignis febribus, pro varietate causarum aliquando sunt crassæ ex flauo rubescentes; aliâs tenues sed flammeæ; nonnunquam variæ cum corona viridi, aut ex flauo subrubescente: quandoque totæ virides aut subobscuræ & leuescentes apparent, seu à maximo æstu, seu ab insiti calidi extinctione. Plerunque etiam oleagineæ effunduntur, ob colliquationem has febres aliquando consequentem. At sæpè in ijsdem, maximéque in pestilentibus, similes sunt sanis; seu quòd liquamen succorum quos ingens putredo colliquat, naturalis seri conditionem æmuletur, vt in diabete etiam aduertimus: seu quòd à caloris partium solidarum imbecillitate, calidi exolutionem consequente, & putredinali feruore simul concurrentibus, quædam velut moderatio coctionis appareat in vrinis.

Alui exerementa in malignis propriè dictis, vt plurimùm liquida sunt, diuersorum colorum, admodum fœtentia, & pinguia aliquando à colliquatione, quæ vel semper vel plerunque febres pestilentes consequitur, vt ait Galenus[s] eadem verò, in nonnullis tam malignis propriè dictis, quàm pestilentibus compacta, & quasi à sanis excreta visuntur; putredine in imo vasorum latente, & natura nihil eius quod putret excernente.

s. in 3 epid. com. tex. 57.

Causæ prægressæ; vel malignitatis, vel pestilentis etiam conditionis, suspicionem non difficilè inferunt.

Symptomata tandem, & plurima & grauissima his febribus superueniunt. Varia tamen variis pro natura particularis materiæ putredinis labe infectæ: & peculiari ægrotantium natura, membrorúmque tam principum quam officialium diuersâ imbecillitate. Ex quibus aduenit aliquando malignè febrientes vigilijs perennibus & delirijs infestari; aliâs cataphoræ, & profundi sopores, memoriæ læsiones, graues aliquando anhelitûs fœtores: vomitus graue olentes, animi deliquia, & syncopes eisdem accidunt. Quosdam siris ingens vexat: alij cum linguæ asperitate & nigredine, absque delirio, non sitiunt, effœto superioris orificij ventriculi sensu. In omnibus autem, morticis facultatis ingens deiectio adnotatur. Necnon inappetentia, & maximum ciborum fastidium: vt scribit Hipp.[t] Plurimis ac pestilentibus maximè papulæ per cutem vniuersam effunduntur: nonnunquam pulicares, aliâs latæ: aliquando rubræ: aliâs liuidæ, aut nigræ. Quibusdam aphtæ, parotides, bubones, aut carbunculi adnascuntur. Naturâ enitente, à partibus principibus, in earumdem emunctoria, os, aut alias externas partes, deponere quod illam offendit, & opprimit. Facies plerunque his Hippocratica est: id est qualis ab Hippocrate lethalis esse prognostici, descripta est[u]. Nonnulli tam repentino aliquando interitu ruunt, vt vix vllo sensibili symptomate præcedente veluti fulmine icti, pereant

t. epidem. cl 3. text 58

u 1 prognost. text. 6. & 7.

Signa distinctiua differentiarum, sunt admodum difficilia: quòd minus liceat, symptomata acutissimarum harum febrium, quæ Medicis ipsis ob contagium periculum minantur, accuratè obseruare. Attamen malignæ simpliciter dictæ, omnia habent symptomata principio, vt plurimùm, mitiora sensim increscentia, absque bubonibus, aut antracibus: sed plerunque exanthemata seu papulas proferunt & nondum populariter grassantur. Pestilentes autem per imitationem appellatæ, prioribus hoc addunt quòd vulgo quidem grassentur, & plurimos perdant, sed sint absque contagio: populariter enim ex eo vagantur quòd communem habeant causam, cuius efficientiæ plurimi submittuntur. At sine contagio sunt quòd illis laborantes nulla effundant inquinamenta consimilem morbum aliis inferentia.

Quod cùm maximè controuertendum aduertam, explicandum est fusiùs. Vbi velim ingenuas mentes aduertere in morbis populariter grassantibus plurimùm interesse num per contagium communicentur, ita vt qui ad tales ægros accesserint ab eorum inspiratione possint infici, necnon illos attingendo, aut quæ illis vsui fuere, vestes, stragula, & similia in suum vsum conuertendo, vel num ideò passim vagentur, quòd à causa communi illos inferente plurimi offendantur. In primo enim casu, ne in publicam perniciem lethalis morbus diffundatur, commercium cum infectis interdicendum, & illis solùm permittendum qui vel charitate proximi, vel spe lucri periculum subire non recusant. Quæ verò ægrotantibus vsui fuere vel igne absumenda sunt, vel pro cuiusque conditione antè purganda, quàm in aliorum vsum veniant. At in posteriore casu non interdicto commercio, aut publica quærenda sunt remedia quibus illi communi causæ obsistatur, aut pro cuiusque natura ea præscribenda, quæ singulos à talis communis causæ noxa auertant.

Plurimùm ergo intereſt nouiſſe inter epidemicos morbos qui ſunt contagioſi, qui verò non. Illos peſtis nomine vulgò comprehendimus: quos ſcimus tantæ eſſe perniciei, vt relictis in fomite miaſmatis ſe in alios diffundant. Præter quos inter epidemicos nullos contagioſos eſſe cenſendos exiſtimo. Etenim cùm qui epidemici ſimul & contagioſi eſſe dicuntur omnium ſint pernicioſiſſimi, & ſæuiſſimi, eoſdem efficaciſſimo & pernicioſiſſimo contagio ſe communicare credendum eſt. At non alius eſt efficacior & periculoſior contagij modus illo, quo effuſi inquinamenti virus inanimatis etiam corporibus impreſſum, inde congenetibus animantibus in parem perniciem inſinuatur. Nam & hoc ipſum quod fomiti imprimitur, per medium etiam aërem effuſum, & per immediatum contactum communicatum, eoſdem inficiet, quos ex fomite inquinat.

Quòd ſi nulla talis contagij veſtigia epidemicos morbos ſequantur, quantumuis eos malignos agnoſcamus & efferamus, contagioſos tamen appellare non licet. Etenim cùm appareat tales morbos nullum ſui inquinamentum relinquere in his quæ ægris huiuſmodi vſui fuerunt. Nec conſtet alios ab eo quod illi tranſpirando effundunt infici, cùm à plurimis citra omnem noxam tractentur, & halitus quem expirant, ab aliis innoxiè inſpiretur. Admittendum potiùs videtur communis cauſæ vitio plures in ſimilem affectum incidere, quàm vnum ab alio per contagium morbum accipere. Præſertim cùm in tali epidemica conſtitutione aduertamus morbos huiuſmodi in plures gliſcere, qui alios ægrotantes non inuiſerint, quàm in illos propagati qui ægris aſtiterint aut apud illos fuerint. Neque tribuendum eſt contagio, ſi qui laborioſiùs ægris adfuerint per integram morbi perſeuerantiam vigiles, illis quæ oportebat ſingula miniſtrantes mox in parem morbum inciderint. Nam & inconſueto labore ſe ad morbum præparant, & vigentis conſtitutionis vitio talem ſpeciatim, qui vulgò graſſatur, concipiunt. Sic aduertimus per æſtatem plerunque delicatiores, etiam tertianarijs cum ſpeciali quodam affectu aſſidentes in tertianam incidere, quam propterea nullus contagioſam appellabit.

Peſtilentes tandem contagioſæ à prioribus vehementiore malignitate, celeriore pernicie, & præſertim contagio diſcernuntur.

Inter has autem humorales, ipſo principio vehementiſſima habent ſymptomata: vti vomitiones, cum animi deliquio, ſæuiſsimos capitis dolores, mox accedente delirio, & æſtu vehementiſsimo comitante: quibus aut bubones, aut anthraces ſuperueniunt, vel ſaltem liuidæ nigræue papulæ, huius generis febre affectis mox à principio efflorēſcunt.

Ephemera peſtilens, ſe particularim prodit ex inſigni admodum virium proſtratione, interno æſtu & iactigatione, pulſu plurimùm langido, & diaphoretico ſudore: citra vllam excretionem, internam putredinem atteſtantem: necnon ſine bubonibus & anthracibus: promptè vel interimens vel ſpem ſalutis promittens.

Hectica peſtilens, vti ex Galeno [x] colligere poſſumus, hoc habet: vt qui ea corripiuntur, parum ad ſenſum præter naturam immutati, in eodem penè ſtatu perſeuerent, ſe ne febrire quidem exiſtimantes. Pro ſpeciali tamen maiore aut minore vehementia cauſæ, ſolidis partibus putredinem inferentis: cum maiore etiam aut minore celeritate, ægros ad interitum ducunt. Nullos enim ex his liberari certum eſt: cùm, vt ait Galenus, nulla excogitari medicina poſsit, ad putredinem quæ in corde ſit.

Verùm non leuis hic occurrit quæſtio, quomodo in peſtilentibus febribus (in quibus ſemper vitalis facultas, verè ſæpius, aut apparenter ſaltem, à principio ipſo imbecilla eſt) poſsit mediocris pulſus & qui ſanorum conditionem imitetur apparere: vt adnotatum diximus à Galeno [y] Qui eò inclinare videtur, vt talem pulſum hecticis peſtilentibus proprium faciat. Verùm ſi claſsicorum authorum ſcripta euoluamus, hunc pulſum, vel quibuſque peſtilentibus ſatis familiarem eſſe inueniemus: vel ſaltem, in ſingulis illarum ſpeciebus, eum aliquando apparere. Quare talis quærenda eſt cauſa, quæ omnibus peſtilentibus febribus ſit communis. Mercurialis [z] exiſtimat eum pulſum his ideò accidere: quòd cùm facultas pulſifica eorum ſit debilis, & neceſsitas euentationis ingens; natura omni conatu vſui ſatisfacere ſtudens, impedita ab imbecillitate magnum & celerem facere, moderatum faciat: vt apud Galenum [a] imbecillus, ſed impulſus, moderatè ambulat: non aliter ac robuſtus, non concitatus ſolet. Sed ea ſententia, ex eo non placet: quòd talium pulſus frequentes eſſe oporteret, vt [b] docet Galenus; imò & inæquales etiam. Quia cùm non poſsit facultas quæ ſupponitur imbecilla, plurimùm in eo enixu perſeuerare: vſus autem neceſsitate continuante, oporteat eamdem intermiſſo conatu, enixum per interualla reſumere: & eamdem inæqualiter pulſare neceſſum erit. Quare cùm ea mediocritas pulſus quæ in peſtilentibus febribus aduertitur, non ſecundùm vnam aut alteram differentiam attendatur: ſed ſit abſoluta, & ſecundùm omnes differentias (vnde talem affectum, optimos etiam Medicos fallere dicat idem Galenus) malim exiſtimare, cùm in his febribus, grauis ea quæ noſtris corporibus imminet noxa,

x 3. de præſ. ex pulſib. c 3.

y Cit. 3. de præſag. ex pulſib. cap. 3.

z Lib. 3. practicæ cap. 17.

a 1. de cauſ. pulſ. cap. 8.

b Cit. 1. de cauſ. pulſ. [illegible]

non

non tam primarum qualitatum temperiem euertat, quàm mixtionis coalitum aggrediatur plerunque euenire, principio vitalem facultatem secundùm essentiam (vt medicè loquimur) non admodum infirmatam, & non tam à vehementia caloris, quàm ab indiuiduali putrefacientis temperie, substantiæ modo, & agendi perseuerantiâ lacessitam, mediocres pulsus facere: quòd ea, & sibi conuenientis temperamenti conditionem, in proprio organo ferè integram ad tempus retineat; & ab vsu, vix sensibiliter aucto, minimùm irritetur.

Signa autem distinctiua causarum; ex his quæ diximus, ad ea quæ prægressa fuerint attendendo, facilè discernentur.

Quod ad prognosim pertinet. Ea, vel ad præuisionem imminentis affectûs dirigitur: vel ad decernendum, qualis præsentis morbi futurus sit euentus. Quod ad primum spectat: malignam aut pestilentem febrem imminere præuidebimus, tum ex corporum aptitudine ad putredinem concipiendam; tum ex causarum eam inducentium præsentiâ. Apti illi maximè censentur, qui ex frequenti crapula, & otio, molestâ plethorâ infarcti; vel cacochymiâ ex prauorum eduliorum vsu grauati, difficilè difflantur: atque inde facillimè humorum putredinem contrahunt. Præsertim si mœrori succumbant, aut veneri nimiùm indulgeant. Illinc enim liberè transpirare prohibentur: hinc verò plurimùm exoluti in magnam virium imbecillitatem facilè incidunt. Ad causas autem malignitatem, aut pestilentiam inferentes cognoscendas: & ab his quæ iam antè de causis docuimus veluti manu ducemur, & ab inconsuetis casibus, rebusque præter solitum apparentibus instruemur, vt malignitatem præsagiunt imò & indicant; si grassantium morborum curationes, solito sint difficiliores: si sæuiora symptomata morbos vagantes comitentur, quàm pro singulorum specie consueuerint: si ex benigno & miti principio, præter apparentem causam, multò deteriorem conditionem per augmentum acquirant. At pestilentiam etiam futuram prænuntiant, ranarum, bufonum, locustarum, erucarum, papilionum, similiumque insectorum, atque aliorum animalium ex putredine genitorum solitò frequentior multò prouentus: esculentorum aëri expositorum, consueto citatior putrefactio: ouium, & iumentorum, præter manifestam occasionem vulgaris interitus: aut auium inter volandum deficientium, casus.

Futurum euentum, funestum ex his morbis suspicari perperuò oportet; & licet ex malignis febribus, non omnes intereant: illæ tamen, quamuis artificiosè omnique diligentia adhibita tractentur, suis ægris minantur exitium. Pestilentes propriè dictæ eò sunt deteriores: quòd cum malignitate, contagium sibi consocient. In quibus curandis, solertem Medicum esse oportet: ne dum alios liberare conatur, ipse in laqueos incidat. Inter has autem, hectica certi est exitij. Ephemera, citò, non certò tamen, interimit: cùm aliqui, ab illa euadant. Humoralis verò, aliquanto minùs periculosa est cæteris. Cuius maius aut minus in vnoquoque ægrotante periculum ex his, quæ aliàs [c] docuimus, facilè discerni potest. Particulatim autem sanguinis stilla (vt plurimorum authoritate confirmatum legere licet apud Saxoniam [d], admodum perniciosa est; tum ex Mercuriali suprà, parotides in his febribus sunt exitiales: quòd tardi motûs abcessus, ex materia maligna, principi parti ita vicini: non possint naturæ iam imbecillæ, grauem & funestum laborem non inferre. Est prætereà quorumdam experimento probatum, eos qui in partibus superioribus carbunculum patiuntur, vix vnquam euadere: quod ob partium principum viciniam, carbunculi omnes maligni & pestilentes, qui in corporis trunco apparent, lethâles sint.

c Lib. de ind. morb. & hoc libro cap. 9.
d Tract. de phanigmis sect. 5. cap. 18

Ad prophylaxim & præcautionem febrium malignarum præsertim si suspecta sit aëris constitutio tunc vigens: principio plethora misso sanguine, aut si leuior ea sit sensim attenuante victu minuenda est: & cacochymia iteratis mitioribus purgationibus ex rhabarbaro, tamarindis, agarico, senna, polypodio, aloë lotâ, tripherâ persicâ, pilulis ruffi, & similibus corrigenda. Ab his cauendo, quæ aut vehementiora æstum in humoribus ipsoque corpore excitabunt: aut nimium humectantia, vt cassia, & pruna, quæ ventriculum laxando, eius vigorem exoluent. Mox si quæ sint in visceribus, aut vasis obstructiones: per attenuantia, incidentia, & detergentia reserandæ. Aut si quis sit intus conceptus feruor, per refrigerantium, simulque attenuantium acidorum vsum, Vtque praui humores qui colligi in nobis possunt, lentâ sed perenni vacuatione excernantur: fonticuli, præsertimque in tibijs aperti, admodum sunt salutares. Præter hæc, ab illis omnibus abstinendum est: quæ in causarum censu, malignas febres inferre posse, docuimus. Ac ne natiua intemperies aut innati calidi imbecillitas, quidpiam ad earum febrium generationem conferat: humidiora quidem corpora, ea arte siccanda sunt; vt nec vires exoluamus nimia siccitate, nec infestum calorem vehementiùs exsiccando, per accidens inuehamus: sicca verò, in pristina temperie conseruanda. Singulorum prætereа, spiritus, cor, cerebrum ipsum, odoratorum vsu recreare conueniet. Vita hilaris quibusque per id tempus salutaris est. Probi succi alimentis, moderatâ copiâ vescendum. Mediocria ante pastum exercitia plurimùm iuuant. Balnea, corpus laxando &

exoluendo

exoluendo nocent. Ac multò magis freqnens venus. Tandem aluum habere liberam, admodum salubre est: cuius exeremen torum excretio quotidie procuranda.

Pestilentium verò febrium præcautio præter superiora: tria habet, summæ vtilitatis specialia præsidia. Quorum primum & securissimum est, citò ea loca relinquere, in quibus pestilentes morbi non vagantur solùm, sed immiuere etiam iudicantur: in loca plurimùm inde distantia abire. & tardè ad priora reuerti; neque antea, quàm certa & confirmata cessatæ pestilentiæ signa, appareant.

Secundum auxilium, in emendatione prauitatis aëris consistit. Quem in prædictis constitutionibus, Hippocratis & Aeronis Agrigentini exemplo; à putrilagine & pestilenti vitio purgare poterimus, frequentibus & magnis vicatim accensis ignibus. In priuatis autem domibus tum eodem auxilio, tum per suffitus odoratorum: qualia sunt ligna iuniperi, pini, lauri, cupressi, rorismarini, saluia item, thymus, serpyllus, baccæ iuniperi, thus, ladanum, benzoinum, storax, & odoratiora cætera, moscus, zibetum, & ambara. Ex quorum varia mixtione suauissimi fiunt suffitus. Si tamen cum mulieribus versemur quæ facilè in hystericos affectus incidant: ab illis suauiùs olentibus abstinendum. Quorum vice illis vtilis erit assa fœtida, galbanum, castoreum, ruta, mentastrum, & similia. Ex suauioribus autem odoraris, trochyscl, aues cypriæ, sphætulæ, & consimiles formulæ, pro ditioribus effinguntur. Et qui domo egrediuntur, nec possunt illas anathymiases circumferre, vt circumambientis & inspirandi corruptelam emendent debent se munire odoratis pulueribus, sacculis, pomis, & similibus Quorum inficiendorum artem explicabimus in formulis, vel iuuabit spongiam, aceto rosato, alliato, aut garyophillato; aqua vitæ aut cœlesti imbutam, naribus admouere, cùm nos externo aëri exponemus. In eumdem vsum parati poterit acetum, ex infusione radicum angelicæ, zedoariæ, cyperi, valerianæ, baccarum iuniperi, foliorum dictamni, scordij, rutæ, aloës. myrrhæ, aut similium, crassiusculè puluerisatorum: quo nares, tempora, carposque illiniemus. Ac tandem, qui cum infectis conuersantur meminerint nec laneis, nec gosypinis indui, nec villosis vllis vestibus, neque his omninò quibus crassus & infectus ægrorum vapor adhærere facilè posit.

Vltimum prçcautionis remedium, est antidotorum familiaris vsus. Inter quas vinum odoratum, & allium, pro vulgaribus & rusticis, optima sunt. Sed primatum tenent theriaca & mithridatium: quæ etiam pueris sed minimâ quantitate exhibere iuuat, parciùs tamen æstate. Ab his, aliæ multæ commendantur: vt Oruiatani antidotus, & quç ad Moybanum refertur ab Schenkio [e] & Heurnio [f] descripta. Aut quç ex mox referendis ad therapiam & curationem, à quocunque erudito pręscribi possunt. Quarum, talis est vsus: vt ab ℈. ß. ad ʒ. I. pro ętate ęgrotantium, singulis diebus mane solæ, vel cum tantillo vini, aut aliqua cordiali aqua assumantur. Ad hoc ipsum vtilissimum illud est, & compositu facile remedium, quod ex viginti rutæ foliis, duabus ficubus, totidem nucibus & modico salis grumo simul tusis componitur: & cum vini tantillo assumitur. Vel sic etiam concinnatur.

e lib. 7. obs. f Lib. 2. met. cap. 5 par. 3 de corde i... mutiora.

℞. caricarum pinguium, iuglandium & fol. rutæ ana ℥. iii salis ℥. i. ß. singula seorsim in mortario tundantur, mox iterum mixtim tusa, cum syrupo de limonibus q. s. ad formam crassioris opiatæ reducantur. De qua ℥. ß. aut ℥. i. singulis diebus mane assumatur. Vtiles sunt etiam aquæ theriacales, aqua cinnamomi, & imperialis. Quarũ quia variæ sunt descriptiones, & plurimæ minùs artificiosæ: sit vobis hæc nostra in exemplum, quç ad syncopas & malignas febres est salutaris.

℞. radicum angelicæ, helenij, veronicç, altilis, tragopogoni, & pentaphyli ana ℥. ii. fol. dictamni cretici, scabiosæ, maior. melissæ, menthæ, & card. bened. ana m. i. corticum mali assyrij, & aurancij siccorum ana ℥. iii tenuioris canellç ℥. i. garyoph ʒ. ß. macis ʒ. ii. confect. alcher. & de hyacintho ana ℥. ß. aquæ rosar. libras iiii. vini albi odorati ℔. ii. radices & folia exsiccentur in vmbra: tum pulueratis omnibus, admisceantur confectiones, & macerentur cum liquoribus, super cineribus calidis, in cucurbita vitrea rectè obturata per horas 48. tum superposito alembico, distillentur in cineribus.

Demum in hunc finem multorum experimento nec citra rationẽ, maximi fiunt duo hæc in amuleti vicem gesta, scilicet hydrargyrum, paruâ aliquâ phialâ molli corio obductâ, aut simili aliquo vase, cannâ, aut fistulâ inclusum, & collo suspensum. Vel placenta ex arcenici albi seu crystallini ℥. i & rubri, seu sandaracæ Græcorum ʒ. ß cum mucilagine gummi tragacanthi confecta, panno lineo aut sericeo inuoluta, & cordis regioni appensa. Cui si admixta sint quædam alia alexipharmaca, vt quibusdam scriptoribus visum est: nec deterior, nec vix efficacior euadet.

Ad therapiam harum febrium primùm indicationes omnibus communes proponemus: mox auxilia quorum ope singulis indicationibus pro diuersitate affectûs satisfacere oporteat, referemus.

Indicationum partim his febribus & cæteris putridis cõmunium partim his propriarum. Prima, est obstructionum si quæ in nobis sint vnde prohibita trãspiratione, putredo nascatur, reseratio. Secũda, putredinis excellẽtis quæ malignitatis est fons, curiosior emẽdatio. Tertia, partium omniũ principũ,

& cordis maximè corroboratio: ne ab exhalationibus quæ ex fomento malignitatis eleuantur, tam facilè opprimatur. Quarta materiæ putrentis euacuatio. Quinta symptomatum superuenientium emendatio. Sexta tandem naturæ per conuenientia alimenta conseruatio.

Prima indicatio, citra controuersiam sese offert in his malignis febribus, quæ ex putredine ab internis causis ortâ, vel ab imbecillitate calidi innati per oppressionem genitâ, suam malignitatem contraxerunt. In his enim, cùm excellens ea putredo, à prohibita transpiratione succorum nascatur: hæc autem ab obstructione in vasis pendeat; hanc statim demere oportet. Quod fiet sanguine quidem misso si plethoræ, aut exquisitæ aut nothæ indicia appareant. Galeno ipso, nos ad hoc remedium, his excitante, quæ Critonis casum examinans prodidit [g]: minore tamen copiâ sanguinem vnâ vice vacuare hîc conuenit, quàm pari alio casu liceret: ne vires iam imbecillas, fusiore euacuatione impensiùs exoluamus. Ac quidem, si sanguinem mittere concedatur, id statim in principio præstandum viribus integris. Nam vt habet Crato [h] in his febribus vel intra tertium diem mittendus est sanguis, vel omittenda est illius emissio. Quòd si venam secare non concedatur: vel hirudines venæ quam aliàs tunderemus, aut ano admotæ, vicem phlebotomiæ supplebunt: vel cucurbitulæ, naribus potiùs quàm scapulis applicatæ, vt maior fiat à corde reuulsio: vel surarum scarificationes. Cuius remedij vsum, vtilissimum se probasse refert Oribasius [i]. Si verò solius cacochymiæ, citra omnem plethoram, se signa prodant, & malignitas ex succorum potiùs prauitate, quàm aliunde nascatur: purgatio magis, quàm alia vacuatio conueniet. In alterutra tamen euacuatione procurandâ cauendum ne natura alicuius excretionis ad cutem vel emunctoria incipientis notas insinuet. Malignum enim illud, quod ad expurgationem semel secretum est à natura, non nisi ad perniciem, intra venas reuocatur.

g 1. in 1. epid. com. text. 26.

h Lib. 2. consil. ab Scolzio collectorum consil. 18.

i Lib. 8. c. 20.

Purgationem verò si quando præscribere oporteat, satiùs erit pharmaca mediocrium virium eligere, quàm vehementioribus vti. Quòd si aliquando legamus, salutare fuisse antimonium: id tamen minimè securum est, imò periculosus talium vsus. Quæcunque verò ea sint, quæ à nobis vsurpentur; seu qualia suprà in prophylaxi recensuimus, seu alia. Illis semper cardiacum aliquid admiscendum est, quod tamen opium non admittat. Quò & deleteria qualitas omnibus penè purgantibus familiaris, retundatur: & vires, vacuatione quadantenus exolutæ, salutari illo subsidio refoueantur. Sed ad alterutram aut vtramque vacuationem (si quando vtráque, plethorâ scilicet & cacochymiâ concurrentibus, sit opus) maximam virium rationem habere oportet. Quæ si non admodum fuerint infirmæ, modum quidem vacuationi imponent: eam tamen non integrè prohibebunt. Si verò effœtæ iam sint: alijs auxilijs quàm vacuantibus ægris subueniri expostulant, his scilicet quæ attenuando, incidendo, & detergendo, vasorum infarctus aperiunt, & obstructiones soluunt. Quæ omnia tam in his malignis febribus quas recèns expressimus, quàm in pestilentibus, quas eduliorum prauitas concitauerit, obseruanda sunt. In quibus præterea obseruandum est si duo illa magna remedia requirantur, postquam intestina clysmate fuerint elota; sanguinis missionem, purgationi esse præmittendam, nisi ventriculus sit nauseabundus, aut vomituriat æger. Quo casu antè expurgandum erit quod ventriculo innatat, quàm vena tundatur. Quòd si mulier huiusmodi febre laborans cum cœpisset stato mensium tempore menstruam purgationem pati, quam natura interrumperet & per anadromen concitatum sanguinem ad superiora peruerso motu reuocaret, simulque nauseabunda esset: videretur citra moram inferiores venas esse tundendas, vt institutum primò secundùm naturam motum iuuaremus, & transcursum ad cerebrum reuocaremus: mox ad tollendam nauseam lene pharmacum exhiberemus.

In alijs autem malignis febribus ex facultatis naturalis atoniâ, aut calidi innati per exolutionem imbecillitate ortis; necnon in pestilentibus quas maligna aëris conditio procurauerit: num principio vacuatione sit opus, seu venâ sectâ, seu exhibito medicamento; ea est inter Medicos (quod ad pestilentes saltem pertinet) colluctatio, vt alij partem affirmatiuam sequantur, alij contrà negatiuam cum pertinacia tueantur. In quorum placitis examinandis si occuparemur, quia tractationem hanc multò prolixiorem iusto redderemus: sufficiet nostram proferre sententiam. Quæ media incedit via. Pro talium enim febrium differentijs his, aut illis, assentiendum esse existimamus. Etenim in illis omnibus in quibus euidens est virium prostratio, facultatum atoniam seu per intemperiem toti substantiæ aduersantem, seu per exolutionem inductam consequens: alexipharmacis potiùs vires reparantibus, & malignitati obsistentibus est opus, quàm vacuatione vlla, præterquam fœcum, quam per clysteres lenes procurabimus. In pestilentibus verò, si ea sit humoralis; & putredo, præuio apparatui plethorico aut cacochymo superueniat: statim febris initio nondum effœtis viribus sanguinis missione, aut leni purgatione ad primam regionem eluendam, aut vtraq; etiam indigemus, pro apparatus præcedentis conditione. In mittendo autẽ sanguine quantũ, & vnde mittere oporteat, maximè considerandũ est. Etenim si vires ex pulsu, phlebotomiã ferre posse iudicẽtur;

satiùs

fatiùs erit ex venis inferioribus quàm ex superioribus sanguinem educere. Quòd si ob nimiam spirituum exolutionem venam secare vereamur: vel hirudines ano admouebimus; vel natibus & coxis cucurbitulas scarificatas apponemus, vel furatam scarificatione (si patiantur ægri) vtemur. Qui enim in nulla pestilente febre etiam cum euidente plenitudine venam secari censent: non aduertunt, putredinem multò grauiorem sequuturam, vel qualitatem illam venenosam in qua pestilentiæ essentiam sitam esse imaginantur, sæuiorem multò futuram, quàm si imminutâ plethorâ liberiorem in vasis transpirationem procuremus. Ne tamen spiritus affatim exoluantur: venam secando meminerimus, vtilius esse sanguinis missionem iterare, quàm eundem vnica vice copiosiùs effundere. Si verò nullus aut paruus in his ægris appareat plethoricus aut cacochymus apparatus: securiùs multo ab vtraq; dictarũ vacuationũ abstinebimus, alterantium alexipharmacorũ vsu contenti: quàm si alterutra vsi, vel leuẽ imbecillitatẽ virium eo casu procuremus, quo illas quàm maximè integras habere studemus, vt putredini nõ ab intra genitæ, sed ab extra inductæ potentiùs resistatur. Quòd si occurrẽs febris pestilẽs, vel ephemera sit, vel hectica: nullũ ex tali vacuatione cõmodum sequetur: sed viribus perperam infirmatis, ex dubio casu, ægrorũ res in certã perniciẽ ruent.

In pestilentibus autem omnibus, seu præmisisse licuerit magnorum remediorum alterum, vel vtrumque, seu ob virium imbecillitatem ab eisdem abstinendum esse indicatum fuerit: maximè conueniet sudorem, aut saltem insensilem euacuationem per cutem prouocare, ad eorum ichorum expurgationem qui statim principio harum febrium ab excellenti putredine generantur: aut ad tenuissimi cuiuscunque virus transpirando admissi, vel aliàs in nobis geniti expulsionem. Quod exequemur vel exhibitis aquis quas cardiacas vocãt, scilicet scabiosæ, nucum, cardui benedicti, bardanæ, vlmariæ, & similium ad vncias octo, cum dragma semis, aut scrupulis duobus theriacæ veteris: vel cum granis nouem aut duodecim pulueris bezoar non adulterati, cum decocto radicum pentaphyli & pauci ligni sassaphras, aut horum vice cum iusculo præsertim, si minùs aliquanto robustus sit æger; cauendo tamen ne prædictus puluis liquori immisceatur, sic enim in fundo semper subsideret nec deuoraretur, sed cum cochleari exhibendus. Ab assumpto autem sudoriphico potu, ægrum lenibus stragulis aliquanto plus solito cooperire conueniet, per dimidiam aut integrã horam si ferat continere: & per interualla succo granatorum, gelatina ex berberis, aut succo ribes, ad faciliùs ferendum sudorem, eumdem refouere. Cauendum tamen nè violentiùs illic aut diutiùs detineatur, & nè vllâ lypothymiâ aut imbecillitas grauior ægro accidat. Sudor postmodum accuratè detergẽdus, ea celeritate, lenitudine, & industriâ: vt æger nullam grauem molestiam patiatur, & maximè vt nullo modo perfrigeretur, ne vel minima virulentæ exhalationis ad intra fiat repercussio. Tandem ab exsiccato sudore, & illita cordis regione, carpisque ac tarsis, cardiaco quopiam linimento: resouendus & renutriendus erit æger, conueniente iusculo, gelatina, vel sorbilis oui vno aut altero luteo, pro ægrotantis arbitrio. Vbi ergo priori huic indicationi per prædicta auxilia prouisum fuerit: ad ea quæ secundæ indicationi satisfaciant conuertamur oportet. Et procurandum est, ne concepta iam putredo vlteriùs serpat; imò in integrum, si fas sit, oppugnetur: atque huic maximè indicationi insistendum. Ad quam his casibus, non leuia medicamenta, sed efficacissima proderunt. Nam vt vehemens est causa quæ putredinem infert: ita potentia admodum ea esse conuenit, quæ illi efficaciter obsistant. Talia verò & tenuium partium esse expedit, vt corpus vniuersum promptè peruadant, & manifestè exsiccantia, quò putredini quæ in vnoquoque humido fit, aduersentur. Eadem autem ad frigidum vergere, aut minimùm calida esse oportet: ne febrem augeant. Huiusmodi plurima sunt, tam ex animalibus quàm ex plantis, & fossilibus excepta. Quæ pro varietate æstus febrilis, intensioris putredinis, constitutionis ægrorum, & anni temporis enariamus: alia alijs præferentes, aut plura variè componentes & inter se artificiosè temperantes. Ex quibus fiunt varia, iulapia, syrupi, pulueres, opiatæ, condita, tabellæ, pilulæ, & multa alia mira concinnitate præscripta remedia, pro Medici ingenio & solerti industria.

Animalia præ cæteris nobis suggerunt lapidem bezoarticum, cornu vnicornis, rhinocerotis, alcis & cerui (præsertim quæ recens emergunt) ebur item, margaritas, & os de corde cerui.

Plantæ immensam nobis remediorũ syluam subministrant. Præcipua verò sunt, radices angelicæ, gentianæ, helenij, scherzoneræ, sucisæ seu morsus diaboli, zedoariæ, imperatoriæ, aristolochiæ lõgæ, carlinæ, petasitis, veronicæ alrilis. vincetoxici, pentaphyli, contrayeruæ ab Hyspanis dictæ, & pimpinellæ. Itẽ folia, succi, aut aquæ stillatitiæ in balneo mariæ extractæ, & sales chymico manganio præparati; galegæ, dictamni, scherzoneræ succisæ, scordij, scabiosæ, cardui benedicti, vlmariæ acetosæ, veronicæ maris, & rutæ: aqua iuglandium immaturarum, succus mali assyrij, limonum, & aurantiorum: eorumdem cortices, & semina, semen ocymi, gariophyllati, napi, acetosæ, hyperici, cardui benedicti, baccæ iuniperi, grana chermes, flores garyophyllotum, calendulæ, iasmini, buglossi, borraginis, & rorismarini: lignum aloës, santala, sassaphras, & similia.

Inter fossilia, reperiuntur coralia, quæ piscatu potiùs quàm effodiendo eruuntur: bolus armena vera, terra lemnia non adulterata quam sigillatam appellant, vel eius vice Blesensis, terra samia, & melitæa; necnon flores sulphuris, eiusdemque & vitrioli stillatitij liquores. Itemque lapidum pretiosorum, smaragdi, rubini, hyacinthi, saphyri, & granati fragmenta, atque aurum ipsum, quod vel in tenuissimas bracteas ductum & pulueratum, vel candens in vtili liquore sæpiùs extinctum, in vsum medicum venit. Solutum autem & potabile vel noxium est, aquis stygijs & causticis solutum & permixtum: vel si quod ignibus inuictum est, aliqua arte solui possit in liquorem vtilem, ea paucis aut nullis potiùs cognita est: & ab antiquis chymiæ professoribus hyeroglyphicè & obscurissimè descripta, vt apud illos videre est, & fusè constat ex his quæ Libauius multis capitibus[l] persequutus est.

[l] Lib. 1. syntagm. arcanorum alchymiæ.

Verùm, cùm in præsignatum finem tam numerosa prodeat remediorum cohors: duo explicanda occurrunt. Quorum primum est, num ea omnia quæ recensuimus ad prædictum scopum sint vtilia. Alterum verò qua arte illis vti conueniat. Neque enim quoties insigni putredini obsistere cogitamus, seu illa iam malignam aut pestilentem febrem induxerit, seu eadem nobis per contagium immineat; impunè conceditur, remedia illa quæ retulimus, sine delectu assumere.

Quod ad primum spectat. Sunt qui de lapidum pretiosorum fragmentis dubitent: & nullas illis inesse vires ad putredinem emendandam iactent; meraque Arabum esse figmenta, quæ de eorum viribus circumferuntur. Alij stillatitios illos sulphuris, & vitrioli liquores, planè condemnant. Quod & aciditate sua astringendo, obstructiones augeant, & igneo suo calore febrilem ardorem initum in modum intendant. Verùm cùm pulueratæ gemmæ, & in tenuissimum pollinem deductæ attenuante & exsiccante suâ vi, putredini aduersentur; spiritus à prauis fuliginibus expurgent, & corroborent, vt in selectis exercitationibus probauimus, earum minimè condemnandus est vsus. Prædicti autem liquores, quidquid videatur Syluatico[m], si pauca quantitate, ad duas, tres, aut quatuor guttas: succis, aquis decoctis, & syrupis refrigerantibus, aut alijs remedijs per os assumptis admisceantur: plurimùm ad nostrum institutum prosunt. Etenim summâ illâ tenuitate substantiæ quâ pollent, tum pro vehiculo sunt cæterorum, & facilè quæque peruadunt, tum infarctus soluunt, & vi admodum exsiccante ad putredinem reprimendam valent. Quæ verò illis astrictio inest, ea potiùs summæ illius tenuitatis frænum est, quàm procurandæ obstructionis occasio. Neque caustica eorum vis timenda est: cùm minima ea copia, magnæ quantitati refrigerantis alicuius liquoris permixta, facilè retundatur.

[m] Contro. 48.

Quod ad secundum pertinet in prædictorum vsu plurima aduertenda sunt. Ac primò ad præcautionem, odoratas illas & amaras radices atque herbas, paulò calidiores; vel masticari tantùm debere, vel dimidij scrupuli aut vt plurimùm vnius quantitate singulis diebus cum conserua aliqua relatorum florum, aut aliter assumi debere. Temperatiora verò cætera, etiam præsente febre posse variè ad curationem etiam eâ dosi administrari: quam vel in formulis remediorum, vel in præceptis componendorum medicamentorum exprimemus. Secundò aduertendum est iam febrientibus, nunquam prædicta sola exhiberi: sed vt morbu & eius causæ simul conuenientibus remedijs prospiciamus, excellenti quidem putredini per præcedentia prouidendum; sed febri etiam per ea simul quæ refrigerant consulendum esse. Frigida quæ in hunc vsum vsurpamus, ea sunt quæ superiore capite ad consimilem intentionem recensuimus. Quibus maiore copia assumptis, aliqua prædictorum ad putredinem euincendam vtilium permiscemus: ea conditione, vt quò febrilis æstus intensior fuerit, calidior ægri temperies, & tempus anni feruidius, refrigerantibus ea admisceamus alteri scopo satisfacientia, quæ minimum caloris habent. Qualia sunt, quæ ex animalibus, præter lapidem bezoarticum, mutuamur. Vel ea adhuc commodiora existunt quibus etiam refrigerandi vis annexa est. Quales sunt acidi illi omnes succi, tum hoc capite, tum superiore relati. Si verò putredinis vehementia præualeat, & febrilis calor sit mitior, æger temperamento frigidior, anni tempus alsiosum, & illuuies humorum crassior. Tunc mitiùs refrigerantibus, & moderatè calidis, quæ efficaciter attenuando exsiccant, largiùs sunt immiscenda. Tertiò, notandum est pro diuersis casibus, varia etiam ex prædictis esse eligenda. Si enim natura excretionem aliquam ad cutem moliatur, quam iuuare oporteat, aut sudores mouere: lapis bezoar, carduus benedictus, eiusque succus, decoctum, aqua stillatitia, & sal: aqua iuglandium, scabiosæ, hyperici, vlmariæ, & decoctum sassaphras, maximè commendantur.

Si contrà vires à nimio insensibili spirituum effluuio, sudorum excretione, aut euacuatione per aluum labentes, tueri oporteat: bolus armena, terra lemnia, samia, melitæa, & similes, summo sunt adiumẽto. Vnde Galenus[n]: qui per eam pestilentem tempestatem, inquit, cuius eo loco memini bolo armena non curabãtur, nullũ aliunde commodum sentiebant. Cùm tamen aliàs in febribus purè & simpliciter malignis, huius ordinis remedia, ob astrictionẽ qua plurimũ valent, cautè sint vsurpãda

[n] 9. simplic. cap. de terra Samia.

Ne

Ne cùm exficcando profunt, obstruendo grauiùs offendant.

Si verò cordi robur addere, & temperamenti mediocritatem, conseruare studeamus: margaritæ, coralia, santala, varia illa cornuum genera, lapidum preciosorum fragmenta, & aurum præligantur.

Ac demum, si humores in quibus putredo concepta est, attenuare cogitemus, & obstructiones soluere: radices amaras,& odoratas herbas, ac semina quæ recensuimus, cæteris præferemus.

Quartò, vt prædictæ agendorum indicationes, mixtim variè occurrunt, quibus pro diuersis casibus variè subuenire intendimus: ita in singulorum ægrorum cura, remedia quæ recensuimus ea arte eàque prudentia miscere conuenit, vt indicationibus quæ à morbo, natura ægri, & aëre ambiente trahuntur, in integrum satisfaciamus.

Tandem aduertendum est, non solùm remedia iam relata sub plurium externarum internarúmque formularum specie administrari: sed præterea solere non compositis & antidotis longo vsu probatis vti: non solùm ad malignitatem auertendam, sed ad eandem reprimendam. Tales sunt theriaca, mithridatium, confectio alchermes,de hyacintho, puluis diamargariton, de gemmis, lætificans Galeni, & similes. Quæ, ac præsertim theriaca, & quæ calidiora sunt, si acrior sit febrilis ardor, parcè admodum intus assumenda exhibentur: miniméque æstate. Liberè verò gratiora, ad aromarizationem iulapiorum, & apozematum vsurpantur. Et exteriùs, omnia huiusmòdi, materiam præbent epithematibus, cum aquis cardiacis, & odoratis: necnon emplastris; si cum conseruis, & balsamo orientali, aut peruuiano misceantur: atque etiam linimentis, si cum aqua vitæ, cinnamomi, imperiali, aut cœlesti, dissoluantur. Præter quæ, ad robur virium fouendum & excitandum, ipsamque putredinis vehementiam, & malignitatem oppugnandam: non parùm valere probauimus, olea quædam magno artificio ex variis prædictorum composita. Inter quæ celebratissima sunt, oleum scorpionum descriptione Matheoli, & oleum ad petechias dictum quod sub Ferdinandi Magni Hetruriæ Ducis nomine euulgatū pluribus illustribus familiis est familiare. Cuius vice prædictum Matheoli oleum cum æquis olei Philosophorum & aquæ vitæ portionibus in alembico cæco circulatum,& vini spiritu per balneum euaporato, vsurpari posset. Solentque oleis huiusmodi, & regio cordis, & loca in quibus manifestiùs pulsant arteriæ, tempora scilicet, carpi, & tarsi tepidè illiniri.

Tertiæ indicationi vti prædictorum vsu satisfiat, satis explicatum arbitror. Etenim per odoratos suffitus temperatos aut nimiùm calefacientes, spiritus reficimus, cerebrum, & cor refouemus. Per antidotos,sub varia forma per os exhibitas, principes omnes facultates reficimus. Et per epithemata, linimenta,& emplastra, cor ac iecur roboramus. Sed in epithematium vsu aduertendum est, primò ne vnquam actu frigida admoueantur, aut donec refrigerentur detineri permittantur: at semper tepida aut subcalida apponantur. Secundò, ne temerè papulis emergentibus applicentur, præsertim quæ ex aquis per vasa plumbea destillatis, aut ex aliis aliunde vim astringentem possidentibus conficiuntur. Quoniam astringens ea vis potest exanthematum transmissionem ad cutem reprimere. Si tamen illa cordi regioni tantùm admoueantur, nullis illic exanthematibus apparentibus: possunt cordis feruorem retundendo, facultati vitali robur addere, atque indo excretionem iuuare.

Quarta ad harum febrium curationem faciens indicatio, erat semiputris materiæ euacuatio. Quam in febribus quidem malignis propriè dictis, & pestilentibus morbis, apparente coctione, & natura nullam euacuationem, aut imperfectam moliente, purgante medicamento detrahere conceditur, modo tamen vehementiora pharmaca euitemus. In verè autem pestilentibus humorosis, si semel colluuies illa excellenter putrens alexipharmacorum ope, mitificata fuerit, ac præsertim in pestilentiis quæ in caritate annonæ ab alimentorum vitio nascuntur, expellenda est arte. Neque eo casu nocua erit instituta per aluum purgatio, naturâ nullum alium motum tentante. Si verò aëris vitio, aut per contactum febris ea contracta fuerit, à purgantibus planè abstinendum erit. Et quia natura si aliquam vim adhuc retineat, neque ex integro extinctus sit eius vigor, solet virus illud vel ad emunctoria transmittere per bubones, vel in aliquam externam partem amandare per anthraces, vel in cutem per papulas effundere: oportebit quancumque illa excretionem faciat quamuis symptomaticam omni arte iuuare. Cauendum autem maximè ne repercutientibus aut quomodocumque motum inchoatum etiam auertendo remorantibus vtamur. Ac bubones quidem attrahentibus prouocabimus, alexipharmacis semper admixtis. Anthraces scarificationibus statim ad euacuationem prouocandi. Et papularum excretio exhibitis sudorificis, imperatisque conuenientibus frictionibus irritanda. Se de his vel infra quando de exanthematibus agemus, vel in particulari tractatione de peste fusiùs dicemus.

Sed & hoc casu plurimùm proderit sudores promouere, non quocunque ingenio, sed securissimè id fiet, cum his quæ suprà retulimus putredini obsistendo sudores mouere.

Nonnulli materiam illam cui excellens ea putredo insidet expurgare non ausi, ab internis partibus ad externas aduocant: phœnigmos & vesicantia, carpis, tarsisque admouentes. Verùm hoc genus remedij, etsi in quibusdam malignis febribus ab interna viscerum inflammatione nascentibus (ad materiæ fluentis euocationem ad extra) in principio post sectam venam probaretur. In his tamen quarum character est excellens putredo: noxa potiùs à vehementia caloris phœnigmorum, & doloris ab eisdem excitati, impenderet; quàm salutaris aliquis fructus speraretur. Vesicantia enim ad putredinem supprimendam sunt inutilia, quam deleteria sua qualitate possent augere.

Symptomatibus demum quæ his febribus superueniunt, quomodo subuenire oporteat: partim ad finem huius libri docebimus, partim ex his requirendum erit quæ ad curationem affectuum singulas corporis partes infestantium spectantia proferemus.

Postremò eam victûs rationem in his febribus instituere oportet, quæ & vires foueat, & quantum licet medicamentosa qualitate, morbo obsistat. Ac quoniam febrium de quibus hîc agimus, duplex est conditio: vt aliæ simpliciter malignæ dicantur, aliæ pestilentes: in malignis simpliciter dictis, ea obseruanda est victûs ratio, quæ ad frigidum magis, ad siccum verò aliquantulùm tendat. In pestilentibus autem, præsertim ad siccum inclinet. Ad frigidum verò, plus aut minùs, pro febrilis feruoris conditione, & tempestatis, æstuosæ aut algida constitutione. Purum ergo aërem vtriusque fortis ægris procuremus, & quemcunque putri aut fœdo aliquo vapore inquinatum diffuadeamus, cubicula ad septentrionem versa à paludibus autem, specubus, cloacis, & fimetis auersa, eligamus. Summâ æstate, aut efferuescente febre, arte refrigerandus est, frigidis sed odoratis aspersionibus, quibus ægrotantis spiritus, cum gratia & suauitate refoueantur. Vitis, salicis, cannarum, rosarum, & similium folia, floresque rosarum, violarum, & similes pauimento aspergantur. Illudque aquâ rosarum, aut oxicrato irroretur. Hyeme verò, necnon in pestilenti constitutione, domum odoramentis suffire iuuat, & igne aëris labem emendare. Ad suffimenta familiares sunt iuniperi baccæ, sed maior gratia (modò nullæ hystericæ in familia versentur) in bezoino, & odoratis trochiscis, aut auibus cyprijs. Quorum sint hæc exempla.

℞. ladani & benzoini ana ʒ. ij. storacis calamitæ ʒ. i. mosci gr. vi. resinæ pini ʒ. iij. omnia puluerata excipiantur gummi tragacanthi, aquâ meliloti in mucilaginem soluti q. s. & fiant parui trochisci, prunis ad suffitum singulatim admouendi. Vel

℞. carbonum salicis tenuissimè pulueratorum ℥. i. ladani ʒ. ß. benzoini ʒ. iij. resinæ pini pulueratæ ʒ. ii. mucilaginis tragacanthi q. s. misce fiant formulæ, aut auicularum, aut paruarum candelarum quasi tripodi affixarum specie, quæ exsiccatæ cùm opus erit concepto igne lentè effument. Suauissimus etiam est, & nulli infestus odor, qui ex aurantij vel consimilium pomorum tenui cortice, aliquot garyophyllis, & aqua rosarum vel naphæ, ad lenem ignem euaporantibus eleuatur. Quibus si mosci grana duo aut tria admisceantur, aut tantundem ambaræ mirè inde fragrantia, hystericis tamen molesta, excitabitur.

Cibos vtrisque boni succi, facilisque coctionis, & minimum excrementi generantes, exhibere oportet. Sed tales ægros, liquidis potiùs quàm solidis alere conuenit. Atque his quæ medicamentosam etiam qualitatem habeant coniunctam: quæ vel refrigerando, febrilem ardorem temperent; vel alexiteria facultate munita, excellenti putredini & malignitati aduersentur. Materiam vtilem præbent alimentis: carnes vernaceinæ, vitellinæ, pullorum, gallinarũ, caponũ iuniorum columbarum, phasianorum, perdicum, turturum, & auicularum montanarum: panis siligneus debitè fermentatus & coctus: hordei farina tosta; & alica, quæ ex zea, seu spelta crassiusculè molita paratur. Ex quibus etiam iuscula, gelatinæ, aquæ carnis in duplici vase extractæ, panatellæ, & sorbitiones variæ concinnantur, pro singulorum conditione & gustu. A quibus tamen omnis detrahenda est pinguedo, quæ & facilè accenditur, & ventriculum laxat. Vitelli ouorum, licèt facilè in bilem vertantur soli, cùm tamen ex se optimi sint alimenti, si in iusculis aliquando dissoluantur, cum tantillo succi aurantiorum acidorum aut agrestæ, minimè nocebunt. Qualitas verò medicamentosa quam in prædictis alimentis requirimus, illis per ea procuranda est, quæ seu iusculis incocta, seu gelatinis admixta, saporis suauitatem conseruent, neque alimentum ægro ingratum reddant. Quoties autem, & quantum sic febrientes alere oporteat; fusè à nobis explicabitur. °

° Lib. vni. uerf. meth. med. cap. 2.

Potus sit aqua quæ si minùs laudata fuerit, vnâ aut alterâ in puto igne ebullitione sit correcta; in qua ignitum aurum aut argentum sit sæpiùs extinctum, aut cornu cerui continuò maceratum, vel eiusdem rasura incocta fuerit: necnon si haberi possunt, monocerotis, alcis, rhinocerotis, aut similium cornu. Cui prætereà potest admisceri vinum granatorum acidodulcium, vel gelatina ex succo ribes, berberis, & cerasorum, aut syrupus de limonibus, de succo aurantiorum, de agresta,

granatorum

granatorum acidorum, aut fimilium. Vel vtantur decocto radicis pentaphylli, quod putredini aduerfatur. Vel aqua acetofæ in duplici vafe deftillata, vel decoctum eiufdem: in quorum altero fantali rubri ℥. i. aut ℥ ii. pro liquotis quantitate cum aliquot guttis fpiritus vitrioli ad gratum acorem fuerint confuse infufæ, vt liquor dilutum ruborem contraxerit. Si tamen vires fint imbecilliores, aut febris ardor mitior, vinum tenue & odoratum prioribus liquoribus, aut aqua ex acetofa, vel fcabiofa in balneo diftillata, probè dilutum, concedatur.

Somnus, & vigilia, quia fi modum acceffetint p malum portendunt; & vt fignum & vt caufa: ad mediocritatem funt deducenda, remediis infra explicandis, quando de pituitofis, & biliofis febribus tractabimus. Hîc tamen meminiffe oportet, dum fomnum ac præfertim per affumpta conciliare nitemur; ne facultatem nimiùm infirmemus & mitiora eligenda effe, & cardiaca foporantibus femper admifcenda. Imò & externis quidpiam addendum eft quod cerebri robur tueatur. Qualia funt vermilium, meliffæ folia, aut fuccus, vel his fimilia. p 2. aphor. 3

Aluum neque aftrictam, nec nimiùm liberam effe oportet. Aftricta mitioribus glandibus, aut lenibus clyfteriis prouocanda eft. Laxior verò corroboranda, vel his quæ humoris præterfluentis acritudinem mitigent, vel fi importunior fit fluxus, & vires exoluens, his etiam quæ cum alexiteria facultate aftringunt.

Tandem omnes animi moleftiæ auertantur, & hilaritas omni arte concilietur. Benè fperare iubeantur ægri, & mentem ad Deum optimum maximum eleuare, per alios moneantur, vt eius opem cum fecuritate mentis implorent.

De febrium phlegmaticarum feu quotidianarum differentijs, & curatione.

CAPVT XIII.

QVamnis prifci omnes eas febres quotidianas appellarent quæ à quocunque humore excitatæ fingulis diebus inuaderent; vt colligimus ex Celfo[a]: propriè tamen eas quotidianas nominamus, quas putrefcens pituita intulerit, καθημερινὰς à iunioribus Græcis dictas, ab antiquioribus ἀμφημερινὰς nuncupatas: vt videre eft apud Galenum.[b] a Lib. 3 cap 13. & 17.

Quoniam verò & multiplex eft pituitæ conditio, & locus in quo ea putrefcit varius: ideò plures etiam funt quotidianarum, feu phlegmaticarum febrium differentiæ. Etenim fi pituita alimentaria, hoc eft fanguis crudior in maioribus venis putreat, continentem excitat. Quæ licèt extra omnem exacerbationem ad extremum duret, fymptomatata tamen profert illorum æmula, quæ quotidianam continuam confequuntur. Quod fi pituita excrementitia fecundùm naturam genita, quæ fubdulcis aut infipida eft, in grandioribus vafis collecta putreat, quotidianam continuam facit: quæ nunquam intermittens, fed quodammodo temittens ob nouæ materiæ appulfum ad iam putrentem fingulis diebus exacerbatur. Eiufdem verò conditionis phlegmate, in determinata aliqua abdominis parte ac præfertim per mefenterium congefto, & perenniter fuggefto, cum magna febrilis mineræ imbecillitate, putrente: continuam lentam generat plerunque ad hecticam vergentem; quam Auicenna latieam apppellauit[c]. Atque hæc plerunque œdemata fcirrhodea per mefenterij glandes genita, confequitur. Vel ea ipfa fi in quadam mefenterij aut vicinarum particularum minus imbecilla fede fenfim collecta, putredinem per partes contrahat: quotidianam intermittentem, eamque exquifitam excitat: quæ ἀμφημερινὸς πυρετὸς dicitur à Galeno[d], eaque femel intra naturalis diei fpatium inuadit. Cuius paroxyfmi ob humoris copiam, aut maiorem ad putrefdum aptitudinem, prioris inuafionis horam plurmùm anticipent, ita vt præcedentis acceffionis intermiffio, à fuccedentis inuadendi celeritate præueniatur: ea fit quotidiana, quam continuam per fubintrantiam recentiores appellarunt. Si verò humor qui in mineram tefluit, breuioribus interuallis fufficiens colligatur, atque ita fit ad putrefcendum facilis vt poft duodecim aut circiter horas febrilem acceffionem renouet: duplicem quotidianam nuncupatam facit. Tandem huius ordinis intermittens, prout vel interdiu magis vel noctu acriùs vexat, ab Hippocrate[e], alia diurna, alia nocturna appellatur. Ea tamen differentia, non eft phlegmaticarum propria: fed cæteris etiam intermittentibus conuenit; vt ab eodem Coo Sene ibidem docemur.

b 2. de differ. febr. cap 2.

c Lib 4. fen 1 tract 2. cap 4. & 48.

d 3. in 1. epid. comm. text. 2.

e 1. epid. fect. 3. text. 2.

Quòd fi excrementitium phlegma fed præter naturam genitum, acidum fcilicet, aut falfum, vel quod fit ex permixtione infipidi cum bile aut melancholia putreat: quotidianam notham generat, fed multiplicis conditionis. Etenim vel falfum phlegma intra grandiores venas putredinem concipit & fpurium ardentem caufat, vt capite fequenti docebimus: vel in determinato aliquo loco putredine contracta, fymptomatibus biliofam proximè refert, cùm tamen quotidianæ typum retineat.

Illud verò crassioris & simul acidæ pituitæ genus, cui vitreæ nomen cum Praxagora indiderunt Medici, intra vasa vix vnquam consistens; si in aliqua abdominis regione putrilaginem concipiat, cùm ob innatam sibi frigiditatem viscidìtati coniunctam, partim putreat, partim imputris exagitetur: eam febris speciem generat quam Galenus [f] epialam appellat; nomine accepto ἀπὸ τοῦ ἠπίως πραέως ἀλαίνειν, quòd quasi leniter & placidè calefaciat; caloris scilicet simul & frigoris sensu membra perfundens, cuius meminit Auicenna [g]. Ea enim cui idem epialæ nomen tribuit [h], in qua frigus in profundo corporis sentitur, in ambitu verò calor percipitur, fictitia est febris species. Siquidem quis ille est qui concipiat, crassam viscidamque materiam in intimo corporis putrentem, vbi putret, sensum frigoris imprimere: inde verò in circumstantes partes calorem diffundere. Quod enim crassæ cùm sit substantiæ, plus solito incaluit: quæ contingit quidem acriùs calefacit, in longinquum verò vix suum calorem effundit.

f 2. de differ. febr. cap. 6.
g Loco iam cit. cap. 51.
h Ibid. c. 49.

Demum in quacumque quotidianarum specie, si ex ventriculi imbecillitate, & humoris putrentis vel exhalationis eiusdem in superius orificium seu stomachum effusione, frequens accedat syncope: ea fit febris quæ syncopalis humorosa ab Arabum Principe appellatur. [i]

i Cit. lib. 4. fen 1. cap. 52.

Causæ febrium quotidianarum; vt tales sunt, censentur ea esse quæ & copiosiorem pituitæ prouentum causant, & quæ eidem semel in nobis congestæ, putrescendi occasionem præstant. Ac priora quidem illa, sunt tantùm causa sine qua non. Taliaque esse dicimus totius corporis aut ventriculi saltem frigidum & humidum temperamentum, sexum muliebrem, ætatem puerilem, aut senilem etiam, anni tempus hybernum, frigidiorem regionem, & victûs rationem, copiâ, aut qualitate eduliorum, multam generandæ pituitæ materiam suggerentem. Posteriora verò, etsi ad febris generationem influant: non tamen illam immediatè attingunt. Sed proxima huius generis febrium causa, ipsa est pituitæ putredo. Quæ à prohibita transpiratione pituitæ vbiuis abundantiùs cumulatæ prodit, & hæc ab obstructione nascitur. Quam quæcumque induxerint, febris etiam causæ sed mediatæ esse dicuntur. Humoris scilicet crassities, & visciditas: aut cutis repentina refrigeratio & astrictio.

Causæ differentiarum ita distinguuntur: quòd hic aut ille pituitosus humor, in hac aut illa parte corporis putrens: hanc vel illam febrium phlegmaticarum differentiam, vt explicatum est, causet.

Signa propositis omnibus febribus pituitosis communia, assignari non possunt; ob indicatarum differentiarum æquiuocam disparitatem. Singularum autem differentiarum signa distinctiua sunt huiusmodi.

In quotidiana exquisita, vt ex Galeno colligimus [l], calor minùs est vehemens quàm in aliis, à quo, nec se vri ægrotantes conqueruntur, nec se denudare, nec stragula recusare prouocantur. Calidum quod exhalat, ea inæqualitate tangentis manum afficit: vt innuente Galeno [m] ea quasi ab aeri dispersa fuligne passim vellicetur, & à multo vapore humido cumulatè effundatur.

l 1. ad Glauc. cap. 7. & 2. de crisib. c. 5.
m 2. de diff. feb. cap. 6.

Pulsus, vt docet Trallianus [n], vt plurimùm in his sunt parui, & tardi, comparatiuè scilicet ad alias putridis febres. Necnon inæquales & inordinati: præsertim tempore annotationis & exacerbationis, vt docet Aëtius [o] ex Galeno [p]. Iidem etiam molliores multò quàm in cæteris febribus sentiuntur, ob maiorem humoris putrescentis humiditatem. Multus enim vapor, qui ab illo per vniuersum corpus diffunditur; solidas corporis partes laxans, easdem solito molliores reddit.

n Lib. 12. c. 7
o Lib. 5. c. 87
p Cit. 2. de differ. febr. c. 6

Vrinæ ex Aëtio ibidem, primis diebus albæ, & tenues minguntur: mox verò crassæ, & perturbatæ redduntur, crassum & album sedimentum deponentes.

Inuadit febris hæc, cum leni extremorum (pedum scilicet manuum & nasi) perfrigeratione: vt adnotatum est à Galeno [q], vel saltem cum frequenti oscitatione aut pandiculatione. Et solet in horas octodecim, aut circiter, suos paroxysmos protrahere.

q 2. de crisib. cit. cap. 5.

Symptomata quæ has febres speciatim consequuntur, sunt capitis grauitas: sensûs & motûs quædam hebetudo, somnolentia: color albus, & in ipso vigore febris, remissior rubedo; parua aut nulla sitis: pituitosi excrementi, tam per superna, quàm per inferna excretio, & ob humoris putrentis crassitiem, & viscìditatem, accessione declinante nullus sudor. Ac tandem, causæ quæ præcesserunt, copiosam pituitam excrementitiam secundùm naturam genitam, congestam fuisse indicant.

Continens pituitosa à cæteris quotidianis, quarum symptomata quadantenus æmulatur, indefinente perseuerantiâ, & exacerbationis carentiâ distinguitur. A latica verò speciatim differt, quòd hæc in principio leuem aliquam sed minimè molestam quotidianam annotationem habeat; vbi verò latica longiùs producta ad exacerbationis carentiam peruenit, à continente discernitur, quòd latica quidem lenta sit, mitior & diuturnior, plerunque in hecticam definens: continens verò pituitosa, acuta sit, & magnum febrilis ardoris præfert incendium. Ac demum latica

antequam in partibus solidis habitum contraxerit, ab hectica pulsus mollitie facilè disparatur.

Quotidiana continua simpliciter dicta intermissione carens, quotidie manifestas habet sed citra perfrigerationem exacerbationes ad differentiam eius quæ continua per subintrantiam appellatur: cuius exacerbationes cum perfrigeratione, vel saltem cum oscitatione & pandiculatione aduenitunt. Vtriusque autem symptomata, intermittentium accidentibus similia sunt: sed illis, vt plurimùm, aliquantò grauiora.

Ardens spuria, & intermittens quæ illam quadantenus imitatur capite sequenti suis notis indicabuntur.

Epiala hoc habet peculiare, quod qui ea tenentur, per easdem corporis partes, calorem & frigus simul patiuntur: vtramque qualitatem, sentiente eadem parte, eadem inquam non rationis iudicio indiuisibili, sed eadem sola sensûs æstimatione. Ac demum syncopalem, à reliquis pituitosis, singulare illud symptoma discterminat.

Quod ad prognosim pertinet. Fernelius[r] rarissimas esse quotidianas, sæpiusque tertianas duplices pro quotidianis censuit vsurpari: atque id quidem quòd pituita rarissimè putrescat. Verùm cùm non infrequens sit quartana, quæ à putri melancholia ad putrendum ineptiore excitatur: frequentiorem adhuc esse quotidianam, non solùm docet experientia; sed ideò persuadet ratio, quòd pituita in plurimis abundans à propria crassitie & viscididate transpirare prohibeatur, & humida cùm sit in calido loco contenta non difficilè putrescat. Quare potiorem iudicio Galeni sententiam, qui[s] hanc naturas, ait, consequi corporum, & tempora, & loca, & status, artésque & victûs rationem, aliaque omnia pituitæ consentanea. Pueri enim, aut ex adultis pituitosi qui crassi sunt habitûs, & plurimo otio dediti, crapulæ, ebrietatique addicti, & balneis maximèque post cibum vtentes, à quotidiana facilè capiuntur. Necnon qui in locis humidioribus versantur; per hyemem, aut ver magìs, pérque humidiores & austrinas constitutiones in hanc præcipuè febrem incidunt.

r Lib. 4. Pathol. cap. 12

s 2. de differ. feb. cap 4.

Cæterùm diuturnæ sunt hæ febres, breuiores tamen melancholicis licèt pituita copiosior in nobis colligatur: quoniam hæc, alterâ, minùs crassa, faciliùs absumitur, & apta vlteriore coctione abire in alimentum, cessat febris esse fomentum. Cum ea tamen diuturnitate, non sunt omninò securæ quòd cùm quotidie affligant, nullum naturæ laxamentum adferant. Quæ si præterea ex langore & læsione oris ventriculi, frequentes animi defectiones inferant: vires mirum in modum labefactant, atque eò deteriores euadunt.

Ad curationem prædictarum febrium rationali viâ incedendo, per indicationes progredimur: quæ, vt suprà demonstratum est, Medicum primò in tollendis obstructionibus occupatum esse debere insinuant. Quod tamen in quibusque harum febrium speciebus; iisdem auxilijs exequi non valemus. Cum enim in his febribus & copia & humoris qualitas obstructionem faciat: vtrumque quidem vitium emendandum est, copia tamen non eisdem perpetuò remedijs imminuenda.

In continuente, quæcunque ea sit; quid præstare oporteat, abundè explicatum est suprà.

In continua verò quotidiana, ex ijs quæ generatim docebimus,[t] constat, venâ in brachio sectâ sanguinem pro natura ægri & anni tempore mittendum esse, nisi vacuatio aliqua quæ per inferiora fieri consueuerit suppressa, venas inferiores secandas esse persuadeat. Atque id quidem remedium ideò hoc opportunum est casu: quia cùm pituita, huiusmodi febrem excitans, sanguini in vasis permixta putrens, vasorum obstructionem causet, non potest obstructioni illic inductæ aliâ viâ meliùs quàm phlebotomiâ subueniri. Estque huius remedij alia prætereà vtilitas: quòd vasa facta hinc liberiora, à reliquis auxilijs deinceps pro humorum procuranda coctione administrandis, commodius adiumentum capient. Sed antequam vena secetur, primarum viarum necessaria est expurgatio per epotum leniens aliquod medicamentum: quòd cùm in prima corporis regione crudorum excrementorum familiaris sit prouentus, primis vijs nondum expurgatis si depleantur vasa, cruda primæ regionis excrementa sugent & ad se rapient.

t Lib. vniuers. meth. med. ca. de phl. bot. & hoc libro c. 10

At in intermittente si nullum sit consociatum plethoræ vitium prætermittenda est venæ sectio: cuius etiam nulla facta est mentio in quotidianæ curatione à Galeno[u], ab Aetio[x], & Paulo[y]. Quam etiam recentiorum pars maxima, hîc noxiam censet. Atque ipse etiam Mercatus inter cæteros[z], quamuis existimet tam huius quàm cæterarum febrium intermittentium causam antecedentem in vasis contineri.

Quòd si in his febribus, simul cum pituita in abdomine putrente sanguis etiam in venis abundauerit (quod Auicenna[a] præsertim apparere docuit ex vrinis crassis & rubris) tunc eundem mittere licebit in principio vniuersali, & horâ maioris remissionis, sed parciùs quàm in aliis febribus.

u 1. ad Glauc. cap 12.
x Lib. 5. cap. 86.
y Lib. 2. c. 25.
z Lib. 6. de febr. cap. de febre quotid.
a Lib 4. fen 1 tract. 2. ca. 58

Vtroque verò casu, materia antecedens, quæ in prima regione, ventriculo scilicet & intestinis consistit: leni medicamento expurganda est. Ac per vomitum quidem, si nausea ægrotantem plurimùm infestet. Atque id ex tepido decocto hordei, ciceratum, & raphani ad vncias sex, cum

vnciis

vncijs duabus oxymelitis simplicis. Per inferna verò ex decocto sennæ, agarici, carthami, aut turbith: si nulla sit euidens nausea. Ea prædictorum colato decocto dissoluentes quæ ad pituitam mitiùs aut vehementiùs purgandam valere docuimus, cùm purgantium tam simplicium quàm compositorum vires & doses explicuimus. Sit hoc exemplum pro delicatioribus.

℞. feminis carth. contusi ℥. ß. polypod. querc. ʒ iii. garyophyllos num. vi. coquantur in decocto graminis q. s. express. dissolue mannæ Calabrinæ & mellis rosati ana ℥. i. misce fiat potio. Vel ℞. sennæ orient. ℥. ß. turbith. electi ʒ. iii. garyoph. contusos num. 8. salis gemmei ʒ. ß. corticis citrij sicci ʒ. i. coquantur in aqua q. s. express. iterum dissolue mellis rosati ʒ. ii. aut syrupi ros. solut. & mellis rosati ana ℥. i. misce fiat potio. Robustioribus sequens remedium magis conueniet, ℞. sennæ orient. ʒ. vi. hermodactylorum & turbith an. ʒ. ß. anisorum & petrosel. ana ʒ. j. ß. coquantur in decocto capill. vener. bethonicæ & melissæ q. s. express. dissolue elect. diacarth. ʒ. iii. mellis rosati ʒ. ii. misce fiat potio.

Quòd si timeatur ne ventriculus qui in his febribus solet esse imbecillior faciliùs à liquido medicamento subuertatur, expediet pharmacum sub forma boli exhiberi. Vt pro delicatioribus. ℞. triph. persicæ ʒ. v. cathol ʒ. iii, misce fiat bolus capiat cum saccharo, aut pane azymo. Pro robustioribus autem, ℞. diaph. benedictæ laxat. ana ʒ. iii. puluer. hieræ pieræ Galeni ʒ. i. misce fiat bolus, qui in morsellos diuisus deuoretur cum syrupo capill. vener. vel si ægro satiùs videatur, cum pane azymo.

His peractis, vt tam materiæ antecedentis quàm humoris putrentis crassities & viscididas, à quibus obstructio fouetur, putredóque inducitur, emendentur: simul & semel alteri parti primæ indicationis, & secundo scopo satisfaciendum est, per attenuantia, incidentia, detergentia, atque illa quæ putredini aduersantur. In quorum vsu hæc adnotare oportet.

b Lib. 12. c. 7 Primùm vt ex Tralliani consilio [b], si pituita dulcis præsertimque in naturis quæ facilè accenduntur, putreat, ac maximè si continuam causet, mitiora & minus calida vsurpemus: si insipida, moderatè calida assumantur: si acida, & vitrea, calidiora etiam & aromatica admittantur. Contrà si ea pituita quæ putret salsa sit, attenuantia, & incidentia vel temperata in actiuis, vel etiam frigida eligantur, à calidis abstinendo.

Secundò aduertendum est. Cum ea omnia quibus huic secundæ intentioni satisfacere destinamus eò tendant, vt materiæ putrentis pepasmum procuremus: humor autem qui crassus est & viscidus, nequeat promptè coqui, nec totus simul. Operæ pretium esse, in vnoquoque auxiliorum genere ea principio eligere, quæ mitiora sint. Atque vbi inchoatæ coctionis notæ apparuerint, & portio materiæ attenuata, incisa, & detersa, iudicabitur (ac maximè in intermittentibus) eam ipsam iterato pharmaco moderatè purgante detrahere. Mox verò ad efficaciora alterantia transire, atque in eorum vsu perseuerare, donec coctionem completam agnoscamus.

Tertiò adnotandum est, dum prædictis remedijs ad humoris peccantis vitia corrigenda vtimur: simul cogitandum esse de roborando ventriculo, qui in his febribus solet (vt diximus) esse imbecillis.

Omnia autem hæc per ea exequemur, quæ tum interiùs ministrantur, tum exteriùs admouentur. Interiùs inter cętera exhibentur Iulapia, & apozemata. Iulapia vulgò ex syrupis & duplo aquarum stillatitiarum concinnantur. Sed malim ex decoctis pręparentur. Quoniam aquæ non solent vt expediret, per balneum marię extrahi, sed in alembicis plumbeis aut ęreis, inutiles vel noxiæ etiam aliquando distillari.

Materia iulapiorum, sunt aquę cichorei, endiuię, graminis, capillorum veneris, betonicę, mellissę. agrimonij, fœniculi, absynthij, hyssopi: vel eorumdem similiúmque decocta. Tum syrupi de cichorea simplex, capillorum veneris, mel rosarum, syrupus de radicibus, de betonica, de hyssopo, & de prassio. Sed ad incidendum & detergendum simul, ceteris efficaciora sunt; oxymel tum simplex, tum compositum. Quorum vsus in his febribus à Gręcis & Arabibus comprobatur. Eisdem verò aliquanto inferior est, syrupus acetosus. Qui cùm loco mellis saccharum excipiat, ęquè incidit, detergit autem minùs.

At quia & syrupus hic, & oxymel, acetum admittunt ventriculo inimicum: nunquam exhiberi debent, quin vel syrupi, vel decocta, quæ illorum acritudinem retundant, eisdem admisceantur.

Ad ventriculum autem roborandum vel prędictis addimus syrupum de absynthio, de mentha, conseruationis citri, aut ex decocto corticum aurantiorum; vel iulapia aromatizamus puluere electuarij diarrhodon, diamargariton, diagalangę, aromatici rosati, aut corticis citri. Sit ergo exemplum mitioris iulapii. ℞. decocti radicum graminis, foliorum cichorei & betonicæ, ac seminum petroselini ℥. iiii. oxymelitis simplicis, & syrupi de cichorea simplicis ana ʒ. ß. mellis rosati ℥. i. misce

fiat iulep, atomarizatum ℈. i. pulu. diatrhodon abbatis, efficacius autem tale patari poteſt. ℞. radicum fœniculi & petroſel ana ℥. ß. foliorum betonicæ, menthæ & cichorei an m. ß. ſeminum perroſ. & ameos ana ʒ. i. coquantur in aqua q. ſ. in colat. ℥. iiii diſſolue ſyrupi de quinque radicibus & oxymelitis ſimplicis ana ʒ. i. aut ſyrupi biſauthini compoſiti ℥ ii. miſce fiat iulep, aromatizatum ℈. i. puluer. aromat. roſati.

Apozemata nihil aliud ſunt quàm decocta paulò maiore artificio præparata, quàm ſuperiora, quæ vel ſaccharo vel conuenientibus ſyrupis dulcorantur. Et licèt apud huius ætatis varios pragmaticos mos inualuerit, ex indefinita remediorum farragine inartificiosè nonnunquam glomerata, apozemata concinnare; ad faſtum potiùs, aut pharmacopæorum lucrum, quàm ad ægrorum commodum: ſatiùs tamen ſemper eſſe cenſui, ex paucis & vtilibus remedijs per indicationes inſinuatis, has & ſimiles medicamentorum formulas componere, quàm indiſcreta varietate remediorum conquiſitâ ſub faſtuoſioris artis ſpecie, veram artem omittere.

Materia apozemarum ſunt, radices aut cortices, herbæ, ſemina, vel fructus, & flores. Quia verò in his quæ ad prædictas febres præſcribimus, facultatem attenuantem, incidentem, detergentem, putredini obſiſtentem, & ventriculi roboratricem requirimus, vt deſignatis ſcopis ſatisfaciamus; in nullo autem ſimplici medicamento, tanta facultatum varietas, vix ac ne vix quidem reperitur. Sic diuerſa concinnare oportet, vt eam virium congeriem ſub vna artificiali forma (pront vnicuique ægrotanti expediet) cumulemus. Non quòd ſperandum ſit, quæ miſcentur eas facultates integras retinere, quas habebant ſingula: ſed mixtam quandam enaſci facultatem, quæ ex prioribus refractis emergat. Præſertim, ſi quæ ſimul miſcentur in modo ſubſtantiæ inter ſe conueniant. Quæ enim plurimùm inter ſe differunt, non ſolùm in artificiali, ſed in naturali etiam mixtione, integras aut penè integras retinent facultates differentes, imò & contrarias inter ſe aliquando, quarum alias aliis pro diuerſo cuiuſque miſcibilis ſubſtantiæ modò celeriùs aut tardiùs exeri experimur.

Attenuantium mitiora quidem ſuprà [c] recenſuimus, quæ in continuis quotidianis eligenda ſunt: plurima prætereà illis efficaciora putredinem ſimul reprimentia proximo capite retulimus. Præter quæ in intermittentibus præſertim vtilia ſunt radices bruſci, fœniculi, petroſelini, eryngij, apij, rubiæ maioris, galangæ, acori, imò & calidiores in epiala vt peucedani, angelicæ, & ſimiles: ſed quatuor has poſteriores dragmis, vt priores vncijs præſcribere oportet. Eiuſdem ordinis ſunt cortex radicum capparorum, fraxini, medianus ſambuci cortex, lignum ſaſſaphras, & quæ his reſpondent, folia item capillarium, bethonicæ, meliſſæ, cardui vulgaris, apij, fœniculi, berularum, chamædryos, chamæpyteos, euparorij vulgaris, & ſimilium. Imò in epiala & congenere ex vitrea pituita orta, hyſſopi, thymi, ſerpilli, ſatureiæ, maioranæ, centorij vtriuſque, atque his parium folia, imbecillioribus ſunt præferenda. Inter ſemina aſſumatur ſemen fœniculi, petroſelini, apij, dauci, leniſtici Macedonici, ameos, ſeſeleos, cicer rubrum atque his paria. Flores demum roriſmarini, ſaluiæ, bethonicæ, caryophyllorum ſeu veronicæ altilis, geniſtæ, leucoij, calendulæ, ſoliſſequij & ſimiles hìc conueniunt. Ex quibus ea quæ efficaciùs vrinas mouent, non niſi parcè per febris incrementum ſunt vſurpanda: quæ mox ad finem ſtatùs & in declinatione, materiâ iam coctâ, cùm tertiæ indicationi ſatisfacere ſtudebimus, vtilia erunt aliquibus.

Incidentium ordinem ea complent quæ vel acida aut acetoſa ſunt à nobis citato capite vndecimo relata, quibus addi oxylapatum poteſt, vel ex Galeno [d] quæ mediocriter acria ſunt & tenuis ſimul ſubſtantiæ qualia plurima inter ſuperiora attenuantia nnmerauimus.

Ad detergendum valent hordeum integrum, caricæ, mel; tum ea quibus nitroſus aut amarus ſapor ineſt, præſertim ſi tenuiter decoquantur, ne ſimul craſſa eorum ſubſtantia vlteriore decocto diluatur. Vt in braſſica, lentibus non excorticatis, ciceribus, & ſimilibus comprobamus.

Eorum quæ putredinem ſibi inſitâ facultate oppugnant, ſatis amplum catalogum capite præcedenti exhibuimus. Ex quibus tamen hìc inutilia ſunt illa, quæ efficacem aſtringendi facultatem habent. Ac demum ſuprà hoc capite quæ ventriculum ſufficienter roborant enumerauimus. Quibus etiam roſas rubras, ſantala. & quæ mixtam detergendi & aſtringendi vim, ex heterogenearum partium complexu ſortiuntur, addere licebit.

Quòd ſi attenuantia frigidorum admixtione temperare oporteat, aut frigida ad prædictos ſcopos vtilia ſeligere, vt in his in quibus pituitæ ſalſæ vitium febrem facit: talia non pauca iam antè capite ſecundo retulimus, ſub-amara, aut acidula, quæ huc transferre oportebit. Alia enim vel eodem capite vel ſequenti referenda, in quibus cum refrigerante vi, incraſſandi facultas coniuncta eſt: his febribus inutilia ſunt, niſi fortè nimis attenuantium & calidorum ſimul qualitatem obtundere velimus. Sit ergo hoc apozematis exemplum.

℞. radicum aſparagi, fœnic. petroſel. ana ℥. ii. galangæ ʒ. ii. folior. cichor. oxylapati, agrim. pimpin.

[c] Cap. 2.

[d] Lib. 4. ſimp. cap. 19.

pimpin. bethon. capill. vener. & chamæp. ana m i. absynth. pontici, & menthæ ana m. ß. cicer. rubeor. ℥. i. semin. fœnic. & seseleos ana ℥. i. flor. rorism. bugloss. & rosar. rubear. ana p. i. coquatur in aqua q. s. in colaturæ ℥. xx. dissolue sacchari purissimi, quod tabarseth vocant Arabes, ℥. v. mellis despumati ℥. iii. misce, fiat apozema clarum aromatizatum ʒ. i. puluer. trochisc. diarrh. & ℈. i. pulu. aromat. rosati pro quatuor dosibus.

In lactea, quia magnum adesse solet ciborum fastidium, & ægri huiusmodi apozemata renuunt, atque vt plurimùm pueri in eam incidunt: sufficiet ad præparationem humoris per multos dies vti decocto radicum graminis & eryngij: quibus si agrimonij folia addere aliquando liceat, plurimùm iuuabit. Atque his expedict per interualla lenia purgantia exhibere, & iterum ad præparantia reuerti: non in eisdem perseuerando sed cum suaui aliqua varietate. Eisdem inter cætera, decoctum ligni sassaphras vtilissimum est. Sufficiet autem, ligni tenuiter secti ℥. ii. in sesqui libra aquæ ad tertiæ partis consumptionem incoquere pro iulapio, quod saccharo dulcoretur: residuo autem in libris quatuor aquæ fontanæ coquatur ad tertiæ etiam partis consumptionem pro familiari potu. Et huiusmodi decocta alternis diebus renouare conueniet.

Externa remedia quibus in harum febrium pituitosarum curatione præsertim vtimur: ea sunt quæ ad ventriculum roborandum valent: fotus, linimenta, emplastra & cataplasmata varia: ad hunc vsum præscribentes. Quorum exempla paulò inferiùs proferemus; & eorum vberem materiam aliàs referemus.

Tertia intentio eò collimat, vt putrescentis materiæ portionem per pepasmum mitificatam, & per artificiosam præparationem aptam excretioni redditam: tunc euacuemus, cùm natura post apparentes coctionis notas, aut quod morbo non respondeat, excreuerit.

Quia verò pro materiæ putrentis sede, natura in varias partes inclinat: aut humor peccans faciliùs hac vel illâ viâ expurgatur. Tunc per vomitum tentanda erit vacuatio, cùm (in intermittentibus præsertim) materia ad ventriculum verget & ægrum granis nausea infestabit. Ad quod vtilia sunt agarici decoctum, in aqua decoctionis foliorum atriplicis aut raphani, cum oxymelite: vel decoctum radicum asari & florum genistæ: vel radicis melonum siceæ & pulueratæ dragmam vnam cum iure pulli aut alio insulso, imò etiam in robustioribus antimonij crudi, eiusdem florum, vel vitri aut croci metallorum ad grana duodecim infusio in conuenienti decocto, aut vino albo oligophoro facta. Quibus si ea admisceantur quæ cardiacâ vi superioris orificii ventriculi robur exolui minimè patiuntur, qualia sunt aromatica, securiùs quàm contra agetur.

At quando in eisdem intermittentibus pituitosis humor peccans deorsum magis quàm sursum vergere videbitur, aut ad omnem motum indifferens apparebit, nullaque aderit nausea: purgatio per inferna instituenda erit, cum his quæ efficaciùs aliquantò purgent quàm in principio consuluimus. Ad quod maximè commendantur inter simplicia agaricus, semen carthami, turbith & hermodactyli. Negligere tamen non oportet senam, quæ verè catholicon est medicamentum. Inter composita admodum blanda est triphera persica, his vtilis quibus vehementiora scammoneata & similia exhibere non audemus. Validiora autem sunt electuarium de citro solutiuum, diacarthami, diaphœnicum, benedicta laxatiua, & his paria: ex quibus vel potiones parantur, vel boli. Sit hæc potionis formula. ℞. senæ orientalis à festucis purgatæ ʒ. vi. garyoph. contusos num. ix. agarici in panno raro ligati cum pauco zinzibere ʒ. ii. (vel turbith electi ʒ. ii.) corticis citri ʒ. i. coquantur in aqua q. s. ad ℥. iiii. expressioni dissolue electuarii diacharthami aut diaph. ʒ. iii. aut iv. pro natura ægri ad purgandum plus aut minùs rebellis: syrupi rosati tantundem, misce fiat potio. Vel si qui purgandus est sit delicatior, & mitioribus cedat: ea assumamus quæ secondo loco antea præscripsimus. Bolus talis præscribi posset minùs delicatis, nec facilè purgationi cedentibus, quales sunt magna ex parte qui huius prouinciæ loca maritima incolunt.

℞. electuarij diaphœnici, & de citro solut. ana ʒ. iii. hieræ pachii præserim si pituitam vitream purgare oporteat ʒ. i. misce fiat bolus, capiat cum saccharo. Aliis qui tam efficacia non requirunt, & quorum corpora humidiora sunt, & fluxilia magìs, talis præscribatur. ℞. catholici ℥. ß. diaph. ʒ. ii. misce fiat bolus.

Quòd si hyeme quispiam ægrotet, qui malit sub pilularum forma, quàm aliter purgari. Has exhibito delicatioribus. ℞. massæ pilularum aggregatiuarum, & sine quibus ana ℈. ii. olei anisorum guttas ii. aut iii. misce formentur pilulæ.

Delicatioribus adhuc solæ pilulæ sine quibus & de hiera cum agarico sufficere possent. Licèt sint aliqui, qui cum solo agarici infuso & syrupo rosato solutino purgentur, quibus pilulæ nullæ videntur exhibendæ. Sed hæc varietas, sedulitati, & iudicio Medici discernenda relinquitur.

Robustiores verò magna ex parte sequentibus aut similibus purgabuntur. ℞. massæ pilularum cochiarum & de hiera cum agarico ana ℈. ii. trochisc. alhandal & dacrydij ana gr. iiii. olei anisorum,

aut

aut fœniculi, arte chymica extractorum guttas tres, aut quatuor. Misce formentur pilulæ septem.

Quòd si pituita, quæ purganda est salsa fuerit, aut melancholiæ permixta: benedicta laxatiua aut confectio hamech cæteris efficaciùs proderunt, si cum robustioribus rem habeamus. Quæcunque autem pituita febrem foueat, si ob residuam aliquam crassitiem, non ita facilè tota purgationi cesserit; iterato per aliquot dies præparantium vsu, alio postmodum pharmaco eius reliquias in integrum expurgare conueniet.

In continuis verò huius ordinis febribus, si materia quæ intra venas stabulatur & putret, iam euicta in vias vrinæ inclinare videatur: naturæ motum insequendo, per ea quæ attenuando vrinas prouocant, illius adiuuanda est & absoluenda excretio. At si ex diuturniore affectu ea sit excretricis infirmitas, vt humor longiorem in vasis moram trahat: postquam quod purgante medicamento eiui poterit eductum fuerit, reliquias commodissimè per easdem vrinæ vias euacuare nitemur, diuretica apozematibus admiscentes. Ad hoc ipsum verò plurimùm valet decoctum sassaphras: quod ex tribus dragmis prędicti ligni minutim secti in aquæ libris quatuor ad medietatis consumptionem paratum, & pauco saccharo aut despumato melle & in melicrati modum cocto dulcoratum, in apozematis vicem pro tribus dosibus assumi potest, & ad consummatam vsque curationem continuari.

Quarta demum indicatio nobis suggerit, febrilis intemperiei reliquias quæ superfuerint extinguere, & partium quæ fuerunt in vitio dyscrasias emendare, ipsumque præsertim imbecillem ventriculum corroborare.

Ad primum quidem interiùs assumpta valent. Syrupus de cichorea, de endiuia, aut de pomis simplices, conseruæ rosarum, violarum, & borraginis. Exteriùs verò omnium maximè epithemata conueniunt, cordi & iecori admota. Qualia sunt sequentia.

℞. aquar. borrag. ℥. vi. florum auranc. & scab. ana ℥. iii. puiu. diamarg. & pulu. diamoschi descriptione Renodæi ana ʒ. i. ß misce fiat epithema pro regione cordis.

℞. aquar. end. cichor. & rosar. ana ℥. iiii. pulu. diatrh. ʒ. ii. elect. triasant. & diamargarit. ana ʒ. i. misce fiat epithema pro regione iecoris.

Ventriculum autem roborabimus interiùs cum syrupo de mentha, & cydoniorum æqua portione mixtis; necnon cum trochiscis diarthodon descriptione Mesues, trochiscis de berberis, aut puluere pleresarchonticon. Sint hæc exempla. ℞. trochisc. de berberis ʒ. ß pulu. pleresarconticon ℈. ß conseruæ flor bugl. aut rosar. ʒ. ii. misce fiat bolus. Opiata sit huiusmodi.

℞. trochisc. diarthodon descriptione Mesues, corallorum præparatorum, & margarit. præpar. ana ʒ. i. myrob. conditar. ʒ. ß. conseruæ summitatum absynthij pontici ℥. i. syrupi de succo borrag. q. s. misce fiat opiata, de qua capiat ℥. ß. singulis diebus mane Conditũ sic, aut simili forma pręscribatur.

℞ corticis citri saccharo conditi ʒ. i. conseruæ flor. buglossi & rosarum rubearum ana ʒ. ii. pulu. margar. præpar. ʒ. ii. diambræ ʒ ß. sacchari rosati tabulati crassiusculè puluerati ℥. iii. misce fiat conditum foliis auri coopertum, de quo capiat singulis diebus mane cochlear vnum.

Demum ad ventriculi robur tuendum exteriùs vtimur non solùm fomentis, sed linimentis etiam, emplastris, aut cataplasmatibus. Quæ & post lenem purgationem in morbi principio vtilia sunt. si animi defectiones & syncopes ex læsione superioris orificij ventriculi ægrum infestent, & morbo iam progresso aut finitâ febre, si residua sit prædicti visceris aliqua imbecillitas.

Fomentum, si tensio & dolor ventriculi magìs, quàm animi defectio morbo inchoante molestent: vtile erit ex dissecto per medium dorsum columbo, gallina, aut gallo, & regioni ventriculi promptè à sectione admoto: vel in alterutro casu.

℞. folior. absynthij, menthæ, & maior. ana m. i. folior. lentisci p. ii. macis ʒ. i. gariophi. ℈. i. coquantur in duabus partibus aquæ & parte vna vini odorati subausteri, aut nigri saltem: colaturâ foueatur tepidè regio ventriculi. Pro linimento.

℞. ladani puluerati ʒ. ii. macis ʒ. i. ligni aloes ʒ. ß. olei nucis moscatæ ʒ. i. ß. olei mastichini & de absynthio ana ℥. ß. ceræ parum misce, fiat linimentum. Ad emplastrum.

℞. emplastri de mastiche ʒ. ß. empl. pro fiutura coronali ʒ. ii. olei macis ʒ. i. misce fiat emplastrum pro regione ventriculi. Cataplasma sic concinnabitur.

℞. pulu. radicum galangæ acori, & nucis moscatæ ana ʒ. ß. ladani & mastiches ana ʒ. i. aut ii. cydoniati sine speciebus ℥. i. misce fiat cataplasma.

Syncopali verò humorosa (quæ ex magna crudorum succorum copia vnà cum oris ventriculi offensione nascitur) laborantes, ex Galeno [e], nec sanguinis missionem nec purgationem sustinent. Quos sic idem curat: vt eos tenuiter alens, ex mulsa videlicet tribus primis diebus, per asperas frictiones à principio morbi institutas, primùm in cruribus supernè deorsum, tum in brachiis ab humeris deorsum ad manus, crudos illos humores in artus aduocare, & per habitum

[e] 12. met cap. 3.

digerere studeat. Lassitudinis autem sensum à frudiore illa perfrictione contractum, communi oleo, non tamen omphacino, aut eum olivæ foliis extracto, alioue astringente: sed laxante, vel digerente, confricata membra illiniens demulceet. Nos autem soliti ob vulgares hominum mores lautiùs ægros alere, loco mulsæ, sic affectis exhibere possumus iusculа ex pullorum, aut iuniorum columbarum carnibus parata, in quibus radices graminis aut summitates hyssopi incoxerint. Molestarum autem frictionum à Galeno præscriptarum vice, ex Tralliani expertissimi Medici consilio [f] expediet lenem per aluum vacuationem per interualla iteratam tentare, cum pilulis de tribus, de hiera cum agarico, sine quibus, aut similibus: & mox ad incidentium & attenuantium vsum transire. In quo censu sunt diospoliticon, diatrionpipereon, diagalanga, diacinnamomum, & similia: oenon decoctum illud sassaphras, cuius antea meminimus.

f Lib. 12. cap 3.

Tandem cùm huius generis febres non minùs atque alias, non solum pharmacis, sed debita etiam victûs ratione institutа curare oporteat, atque hinc etiam illis obsistere: talem nos hîc præscribemus, qualem exquisitæ quotidianæ intermittenti conuenire censemus, vt exinde facili atte leuique ratiocinatione colligatur, quid in singulis aliis pituitosarum speciebus statuendum sit.

Quare in his febribus aër eligatur, aut procuretur in actiuis quidem temperatus, in passiuis autem ad exsiccationem vergens. Somnus sit moderatus: sed in accessionibus si quædam sit ad soporem inclinatio, à somno auertantur: facilè enim aliqoando in earum aut lethargum sic affecti illabuntur. Ad quos per id tempus excitandos proderunt colloquia, tibiarum frictiones aliquantulùm asperæ, iræ prouocatio, & calida odoramenta quibus incidendi & attenuandi vis insit. Quale est acetum præsertim garyophyllatum, suffumigium ex ligno aloes, & benzoino: imò etiam pro mulieribus quæ suaueolentia huiusmodi abhorrent, vtile erit castoreum.

Quies omnis tam corporis quàm animi eisdem conciliandа est. Aluum liberam esse oportet. Quæ si aliqoando rardior fuerit irritanda erit, nec leuioribus, nec acrioribus, sed moderatis, quæ intestina copioso phlegmate illita ad excretionem irritent, & profusiorem pituitam illis adhærentem eluant. Atque id vel glande in anum immissa, Vt.

℞. salis gemmei ʒ.i. trochisc. athandal gr. vi. mellis vt artis est cocti q. f. formentur glandes duæ ad vsum, vel prouocanda erit tali clystere.

℞. folior. maluæ atriplicis, & betæ ana m. i. femin. fœniculi, & petroselini ana ʒ. ii. furfuris à farina exactè purgati vel (vt loquuntur) macri p. i. coquantur in aqua q. f. in colat. ℔ i. dissolue pro mollioribus leniriui ℥ i. mellis rosati ℥. iii. misce: aot pro robustioribus in colaturæ ℔. i. ß dissolue catholici ℥. i. ß vel diaphœnici ℥. i. mellis communis despumati, & cum pauco chamæm. leniter cocti ℥. iiii. olei liliorum, & rosati ana ℥. i. misce fiat clyster.

Quòd si excretionem actiùs adhuc prouocare velimus, prædicto clysteri ʒ. i. salis communis, aut gemmei addere possumus.

Animi hilaritas his ægris procuranda est, & eliminanda planè omnis tristitia, metus, & mœror, sed iracundia mediocris, auxilio est aliquando pituitosioribus. Præsertim si in profundiorem soporem, vt diximus, ruant. Eadem tamen in febribus, quas falsa pituita excitauerit, maximè noxia est.

In ciborum vsu, & quantitatem, & qualitatem attendere oportet: atque ad vtramque definiendam, morbi tempora consideranda. In principio ergo, & augmento; parce hos ægros alere conuenit. Quoniam, vt scribit Auicennas [g], fames & somnus super famem, & exercitium super famem, si non debilitant, sunt vltima in iuuamento huius ægritudinis. Etenim parcum & attenuantem victum; ideò initio instituere his iuuat, vt internus calor in coquendis paucis alimentis minùs occupatus, ad pituitæ coctionem & consumptionem conuertatur. Verùm cauendum est, ne futurā morbi longitudine non consideratā, tam parci simus in alendo, vt præ alimenti penoria ægri viribus exolutis; vel is morbo succumbat, vel cùm ad statum peruenerit, cogatur pleniore cibo vesci. In vigore vniuersali par penè ciborum quantitas eisdem exhibenda est, quæ in principio. Neque id Hippocrati [h] aduersatur monenti in statu & paulò ante subtrahendum, priùs verò vberiùs cibandum, vt æger sufficiat. Nam victus qui in aliarum febrium statu plenior esse videretur, eàdem eius quantitate præscriptā atque in principio: in quotidiana tamen, quia affectûs initio abundantior pituita secundùm naturam genita alimenti vicem supplebat, eàdem morbo iam ad statum progresso imminutā cum pari ciborum copia, multò parcius est quod alat.

g Lib. 4. fen 1. tract. 2. c. 55.

h 1. aph. 10

Qualitatem eduliorum talem esse oportet, vt ea boni sint alimenti, facilisque coctionis, nullam viscididatem participantia: atque ideò carnes potiùs quàm pisces. Sed aliquid ea præterea habere admixtum iuuabit quod vi incidendi, & attenuandi qualitate polleat, sopitamque appetentiam prouocet. Talia sunt præter acetosos & acidos liquores, asparagi, oliuæ muriā conditæ, fœniculus

marinus,

marinus, & cappares aceto conditæ. Quæ cum laudatioribus cibis permitti aliquando possunt pro ægrotantis gustu. Cœpæ etiam nonnunquam, primùm in aqua simplici, tum in iure carnium secundò coctæ. Cinnamomum item leuiter contusum, edulijs pauâ quantitate admisceri potest. Vt recentis fœniculi turiones, & semen siccum. Quinimò si pituita quæ peccauerit acida sit & vitrea, caryophyllos etiam, piper, & zingiber (sed parcè) assumere pro condimentis licebit. In statu verò inter attenuantia cibis admixta, ea eligere conueniet quæ vrinas mouent. Quales sunt radices graminis, eryngij, petroselini, & quæ his respondent.

Potus in principio sit mulsa ex melle cocto & despumato parata: vel aqua decoctionis hordei integri, cum pauca radice graminis, & tantillo cinnamomi seu canellæ aromatizata: vel quod claretum appellamus ex aqua cum sacchare cocta, & cum cinnamomo per manicam Hippocratis ducta paratum. Postmodum verò coctione iam apparente, vinum aut album aut rubellum probè dilutum conuenire his poterit. Quod etiam aliquantò liberiùs illis exhibetur, aut quorum pituita est vitrea, aut qui syncopen, animive defectionem patiuntur. A salso autem phlegmate putrente febrientibus, securius est omnem vini vsum interdicere, quàm permittere.

De biliosarum febrium differentijs, & curatione.

CAPVT XIV.

Biliosarum febrium, quæ à bile vel efferuescente, vel putrente, & humorosam cordis substantiam accendente, producuntur: non vna est simplexque conditio. Quarum differentiæ, vel ex materiæ diuersitate, vel ex diuersa putredinis sede euariant. Etenim cùm bilis (vt suo loco docuimus) plures sint species; quædam alimentaria, alia exerementitia: & hæc vel secundùm naturam genita, vel præter naturam: potest singulis & immodicus feruor, & putredo aduenire. Necnon quæ excrementitia est, vel in maioribus venis, vel in determinata quapiam parte putrere potest.

Verùm quæ alimentaria dicitur, quia tenuior est sanguinis portio, nunquam à reliquis heterogeneis sibi consociatis portionibus intra nos actu secreta; non sola sed mixtim cum alijs congeneribus succis feruet, aut putret, alterutrius ordinis synochum facit. Is tamen si à tali sanguine excitetur, qui in homine calidiore & siccio re genitus, totâ sui mole imitetur eam sanguinis heterogeneam portionem, quæ in homine temperato tenuior est & calidior reliquis: ad exactam distinctionem, poterit speciali nomine synochus biliosus appellari.

Excrementitia verò bilis secundùm naturam genita, cùm ea sit cui primò bilis nomen tributum est; aliis autem per analogiam: ita eadem, febribus ex se genitis, biliosarum nomen propriè impertitur; quod aliæ per imitationem & cum addito assumunt.

Quæ si in maioribus vasis circum cor, magnâ copiâ, affatim aut ferueat, aut putreat: eam febrem inducit, quam ardentem & causum appellant Medici, quæ ex suæ durationis discursu non interrupto, continentibus, vt suprà docuimus, ascribitur.

Quià verò causi, seu febris ardentis nomen, ex eo inditum est, iuxta eumdem Pergamenum[a], quòd vrens caliditas sitisque incompescibilis in his febribus hominem torqueat: huiusmodi autem symptomata, & prædictæ febri ardenti ab excrementitia bile genitæ aduenìunt, & alteri quæ à copiosiore pituita salsa ibidem putrente nascitur. Posterior autem, causus nothus, & spurius appellatur, vt apud Hippocratem & Galenum[b] videre licet. Eadem autem excrementitia & flaua bilis, per minora viscerum vasa effusa, erysipelatosumque affectum inferens, si ferueat; aut putreat etiam: ardentem aliam generat, quam causum non exquisitum, & lipyriam ex particulari symptomate eamdem sæpiùs comitante nuncupamus.

a 4. acut. com. text. 13.

b Cit. 4 acut. text. & com. 1 & 13.

Si verò ea ipsa bilis paulò minore copiâ in grandioribus quidem vasis, sed aliquantò magis à corde dissitis, putreat potiùs, quàm simpliciter ferueat. Atque illi noua bilis à iecore in vasa transmissa succrescat: eam continuam proportionalem seu paroxysmalem facit, quæ quoniam tertio quoque die inualescens & exacerbata, intermittentis tertianæ typum redolet, communiter à Medicis tertiana continua nuncupatur.

At si eiusdem generis syncerus humor, extra maiores venas in aliqua determinata abdominis sede putreat: febrem facit intermittentem, quæ quia tertio quoque die, seu alternis diebus frequentiùs quàm aliter reperit, tertiana solet appellari. Et quoniam hic illi familiarior est typus: quæcunque ab eodem humore solo, aut mixto excitatur, seu ea intermiserit, seu citra omnem interruptionem perseuerauerit; tertianæ nomen, cum addita aliqua distinctionis nota sibi assumit.

Atque ea quidem febris, quæ ex syncera bile extra maiora vasa putrente orta,

alternis diebus recurrit; quacunque anni tempestate & cuicunque ætati adueniat, modò accessionem duodecim horis longiorem non habeat, vt aduertit Galenus [c] simpliciter exquisita tertiana appellatur. Summè verò eadem exquisita vocatur, ex eodem Pergameno [d] si sui ipsius naturam puram syncæramque seruet. Seruat autem, inquit, vbi flauam bilem habet redundantem & locum tempori similem, calidum videlicet, ac siccum, & hominis ætatem & temperaturam similem. Quæ si ab exquisitæ notis aliquantulùm defecerit ex eodem Galeno [e] ac præsertim si paroxysmos habeat horas duodecim excedentes, vt [f] adnotatum est, simpliciter tertiana nuncupatur.

c 2. in 6. epid. comm. tex 21.
d 4. aphor. 59
e 2. de differ. febr. cap 8.
f Co. 2. in 6. epid.

Quæ si præterea tam longas habeat accessiones vt vltra horas viginti quatuor protendantur talem, tertianam extensam Galenus appellauit.

Quam si adhuc contigerit ita productam esse vt ad breuem integritatem perueniat, vel remissionem tantùm habeat: illi Pergamenus [g] τριταιοφυὴς nomen imponit. Et licèt is volens febres huiusmodi ad integritatem minimè peruenire, illas cum tertiana continua videatur confundere. Liceat nobis distinctionis gratia illas quæ cum rigore aut horrore inuadentes post horas quadraginta cum sudore remittunt, seu ad integritatem per breuem veniant, seu ad illam minimè perueniant, tertio tamen die pariliter repetunt, ac primo die iuuasetant, & parem typum in reliquis periodis seruant, tritæophyeis appellare. Quòd si adueniat ab eiusdem humoris putredine febrem singulis diebus similiter recurrentem excitari: eam duplicem tertianam appellamus. Quæ quomodo à duabus tertianis differat, infra explicabitur, cùm de febribus compositis & complicatis agemus.

g Co. 2. in 6. epid. comm.

Si verò aut eiusdem conditionis bilis, alteri humori excrementitio permixta, aut ea quæ præter naturam est genita, vitellina, seu porracea febrem excitauerit: iam non simpliciter tertiana; sed tertiana notha vel spuria nominatur. Seu ea continua sit, humoribus huiusmodi in maioribus vasis putrentibus; seu intermittens, illis in determinata aliqua sede putredinem concipientibus. Quam eùm porracea genuerit, eamdem speciatim malignam experiemur: ob excellentem prauitatem, quam huius generis bilis putrescens facit.

Ac quidem quæ ex permixtione bilis, cum pituita, vel melancholia, simul putrentibus nascitur: si bilem habeat alteri humori superuenientem, & sibi familiaribus symptomatibus se euidentiùs manifestantem, altero tamen humore eorum quæ bili propria sunt aliquid remittente: etiam tertiana notha solet appellari. Si verò ambo humores æqualiter mixti, symptomata prodant, quæ vtriusque humoris mixtim putrentis feruorem æqualiter referant: tunc propriè semitertiana nuncupari potest. Quod nomen sub latina ea voce retinet, illa quæ ex vtroque humore mixtim in eodem loco putrescente intermissionem habet. Cui Agathinus primus (vt apud Galenum est [h] huiusmodi nomen indidit. Quem plurimi Latini sequuti leguntur, semitertianam ab hemitritæo distinguentes: vt atram bilem à malancholia discernunt. Cùm tamen Galenus talem intermittentem tertianam productam malit appellari.

h Lib. 2. de differ. febr. c. 8

Huius autem semitertianæ apud Latino-arabes plurimos scriptores, ea est differentia: quòd si bili pituita commisceatur, semitertiana maioris famæ, hoc est solita frequentiùs apparere, appelletur: at si melancholia bili admixta simul putreat, semitertiana minoris famæ, seu infrequentior nominetur.

An verò æruginosa etiam bilis putrere possit, & febrem facere, præsertimque intermittentem disputatur. Vtrumque certum videtur excellentissimo Massariæ [i] cum Auenzoare [l] & Auerrhoe [m]. Idipsum autem negat cum Isaaco [n] Aponensis. Quam controuersiam ita definiendam censemus. Bilem quidem æruginosam putrere posse certissimum videtur. Cùm ex Aristotele suprà, omnia præter ignem putreant. Sed prout eadem variè putret, diuersos casus excitat. Etenim si æruginosa bilis, ex flaua aerius in vasis efferuescente generetur, per febres ardentes aut tertianas continuas; eademque superputreat: non aliam febrem à prægressa inferet, sed eidem euidentis malignitatis incrementum addet. Si verò constitutionis anni æstuosioris vitio, in eo qui calidioris sit temperamenti, & eduliis acribus vsus, copiosa fuerit genita eaque postmodum putredinem in vasis concipiat: acutissimam & maximè malignam febrem inferet de genere continentium planè lethalem; quam alteram illegitimi causi speciem nominare licebit. At demum si parcior genita, à natura in determinatam sedem expulsa, putreat: malignum tumorem seu pustulam generabit, anthracei congenerem, cui febris continua symptomatica admodum periculosa succedet. Continua, inquam, non quòd terrestris & sicca huiusmodi bilis, possit ex se perenniter exhalationem effundere, quæ ad cordis vsque substantiam effumando pertingat: sed quòd maligna suâ conditione, viciniores succos corrumpens, in illis serpentem eam prurilaginèm imprimat, quæ febrem, eamque continuam inducat. Eamdem verò in determinata aliqua sede ita putrere,

i Lib. 7. pract. cap. 17.
l 3. theisir tract. 1. cap. 2.
m 3. collig. c. 3. 4. eiusd. c. 18. & 7 eiusdem operis c. 12.
n Lib. 5. de feb. c. 2. in fin.
o Lib. conciliatoris diff. 91

vt eius

vt eius in eandem partem à iecore aut venis transmissione repetitâ, per periodos putredo renouetur, febremque intermittentem faciat; censeo accidere non posse. Quoniam intemperies illa iecoris aut potiùs vasorum, tam[?] fætum humorem generans; perseuerare nequit, quin vniuersum corpus in grauem intemperiem pertrahat; quæ febrem semel conceptam intermittere non patietur.

Demum ad complendas omnes biliosarum febrium differentias, eam etiam referre expedit, in qua bile per initia paroxysmorum in superius orificum ventriculi confluente; syncope, seu animi non quidem præceps, sed frequentata defectio aduenit. Quam à symptomate Auicennas [p] syncopalem minutam appellauit.

[p] Lib 4. fen. tract. 2. c. 5

Causæ febrium biliosarum, sunt: tam ea quæ copiosiorem bilem in nobis congerunt: tum quæ in iam congesta feruorem aut putredinem excitant. Prioris ordinis habentur, temperatura calida & sicca, præsertim in viro iuuene ac maximè gracili, tum anni tempestas calidior & siccior: vigiliæ, immoderata exercitia, curæ, ita inedia, cibi acres, aut salsi, imò & dulces, ac præsertim mel, necnon meracioris vini largior potus. Quorum posteriorum singula, vti & longior mora sub sole, iam genitam & coacernatam in nobis bilem, efferuere faciunt. Putredinem autem in eadem inducunt; ea ipsa, quæ putredinis cæterorum succorum causas esse docuimus.

Causæ differentiarum, iam satis abundè patent ex his quæ differantias ipsas explicantes retulimus, aut facilè ex suprà dictis colliguntur. Nam intermittentium productarum causa est, vel magna bilis copia singulis paroxysmis accensa: vel crassi alicuius humoris cum bile permixtio, qui paroxysmum quidem tertianæ producat, periodum autem minimè peruertat.

Signa autem ardentis febris, tam legitimæ, exquisitæ, & non exquisitæ: quàm alterutrius nothæ communia sunt ex Hippocrate [q], & Galeno [r], quòd neque noctu neque interdiu remittant, vrentéque caliditate & siti incompescibili hominem torqueant: modò nulla à capite distillatio, ex ichorosa colliquatione coniungatur. Tunc enim ex Hippocrate [s] non multum siti infestantur. His succedit linguæ asperitas, siccitas, vehemens nigredo. Quibus plerunque aduenit cum vigiliis, & inquieta iactigatione, delirium. Et in non exquisita, ventris motus (ex eodem Hippoc. [t]) malus, deiectiones liquidæ ac pallidæ superueniunt. Sed legitimus vterque causus, tam exquisitus scilicet, quàm non exquisitus: in calido quod exhalat à febrientium cute, in pulsu, vrinis, & causis prægressis: plurimùm conueniunt cum legitima tertiana, tam continua quàm intermittente, singula tamen habent intensiora. Inter exquisitum tamen & non exquisitum causum, ea est differentia: quòd in non exquisito, ea simul appareant signa quæ particularem læsionem eius visceris indicent, in quo bilis flaua particulatim aut fernet aut putret: seu id sit iecur, seu ventriculus, seu etiam pulmo. Quæ ex his innotescent, quæ cùm de particularibus corporis affectibus agemus explicabuntur. Particulatim autem pulmone affecto, maiorem in toto sinu thoracis æstum æger percipiet, vt habet Galenus [u], spiritum calidum planè expirabit, sitietque etiam altero magis, & calidioribus erit faucibus, atque lingua, eáque ferè scciore: quod si malum ingrauescat, inficietur lingua atro colore, quam omnino asperam habebit. Atque huic id præterea accidet quod notat Hippocrates [x] ad contactum supernas partes sentiri calidas: abdomen verò, & pedes frigidos, ob medii ventris affectum, & materiæ raptum in superiores partes. Cùm cæteris quibus naturalia viscera pati morbo tenentur, internæ partes vrantur, externis frigentibus. Sed hoc non solùm ob internorum viscerum erysipelatodem affectum contingit calorem ad intra in modum cucurbitæ attrahentem: sed etiam à prauitate humoris æruginosi in grandioribus vasis in altera illegitimi causi specie putrentis: qui cùm in sede putredinis maximi æstûs sensum inferat: spiritibus tamen per ingens incendium exolutis, frigiditatis partium externarum est causa. In qua prǽterea illegitimi causi specie multa alia apparent malignitatis indicia: pulsus enim procedente morbo parui sunt, crebri, languidi, & inæquales, nonnunquam intercisi: & aliquando etiam grandinosa quædam æruginem imitantia vomuntur.

[q] Lib. 2 morb. text. 4 acut. text.
[r] Comm. 1. 13 cit 4 ac
[s] 4 Aph. 5
[t] 4. Aph. 6
[u] 4 de præsag. ex puls. cap.
[x] Cit. 2. morb. sext. 7

Causi nothi & spurij ex pituita salsa geniti indicia, ex eodem Dino Sene [y] sunt, præter continentem perseuerantiam vsque ad finem, sitis ingens, lingua aspera, sicca, & citra nigredinem, salsa: necnon pro biliosis excretionibus pituitosæ. Nam ex eodem Hippocrate [z], etsi febris ardens biliosos magis corripiat, corripit etiam pituitosos.

[y] 4. acut. text. 13.
[z] 1. de morb. text. 131.

Continuæ tertianæ legitimæ symptomata, similla sont legitimæ ardentis symptomatibus: sed aliquantò mitiora. Et præterea hoc habet proprium, quòd tertio quoque die exacerbationem aliquam patiatur: necnon pulsus habet vtcunque magnos, celeres, frequentes: & vt habet Galenus [a] omnis inæqualitatis præterquam febrilis expertes.

[a] 1. ad Glau. 5.

Continua tertiana notha ex vitellina aut porracea bile intra venas genita, nascens: symptomata omnia, habet vehementiora, quàm legitima. Pulsus sic febrientium, nec magni sunt, nec admodum celeres, sed crebri. Quòque vehementior est ardor, eò sunt crebriores, vt ex Galeno colligimus [b].

[b] 1. de præsag. ex puls. cap. 5

Ea verò continua tertiana notha, quæ ex pituita aut melancholia cum bile mixtis oritur: remissiora habet symptomata, quàm legitima: præsertim si pituita bili permisceatur. Tales enim minùs sitiunt, leuiorem habent iactigationem, & somnum liberiorem. In alterutrius autem permixtione, excretiones sunt mixtæ: necnon pulsus inæquales & inordinati; ob inæqualem & inordinatum diuersæ materiæ, licèt simul putrentis, motum.

Intermittentium exquisitarum signa sunt: calidum à febrientibus exhalans, multum & acre: cutem ægri, & tangentis manum, quasi in acuum modum pungens. Calor in vigore paroxysmorum penè exurens, ægros se denudare & operimenta abiicere cogit. Spiritus magnus est, ac densus. Pulsus in accessionis principio ex Aetio [c] & Gal. [d] minùs quàm in quotidianis inæquales sunt & inordinati: sed aliquantò duriores, ob maiorem siccitatem. Vrinæ subfuluæ, aut subflauæ sunt: & ob bilis permixtionem, moderatè crassæ: cum rigore inuadunt: quem vomitus biliosus plerunque sequitur. Earum demum paroxysmi non vltra horas duodecim durant, atque iidem cum sudore finiuntur. Acutos capitis dolores, sitim, vehementem æstum, iactigationem, oris amarorem, cardiogmos, deliriaque nonnunquam inferunt. Atque horum plura aut pauciora inducunt eademq; mitiora, aut vehementiora: prout minor est aut maior febris: & idiosyncrasia ægrorum, particularisque partium principum aliorumque viscerum tempeties; imò vigor aut imbecillitas, euariant.

c Lib. 5. cap. 78.
d 2. de differ. febr. cap. 4.

Ac tandem causæ bilem flauam generantes iam antea relatæ, si prægressæ fuerint: nobis coniecturam suggerendo magni prouentûs humoris biliosi in tali ægrotante, persuadent etiam febrem ab eodem humore putrente concitari.

Tertianam simpliciter dictam, aut summè exquisitam, ex his quæ suprà cùm de differentiis loqueremur aduertimus, & quæ ad exquisitam cognoscendam retulimus, facilè à reliquis discernemus.

Extensæ, & tritæophyes ex paroxysmorum duratione, quam humoris putrentis copia aut crassities maior causat; facillimè cognoscentur.

Duplex tertiana, vti & triplex: ex frequentioribus paroxysmis, tertianæ tamen naturam retinentibus innotescit. Illa singulis diebus; hæc ter intra biduum recurrit.

Tertiana notha vtriusque ordinis intermittens, ex his quæ de continua tertiana spuria dicta sunt, facilè à cæteris distinguetur. Præsertim verò ea, quæ ex permixtione phlegmatis aut melancholiæ cum bile nascitur, & semitertiana, maioris aut minoris famæ appellatur. Non cum rigore, sed cum horrore inuadit. Longiores habet paroxysmos, quàm exquisita.

Prętereà, ex ęgri constitutione, & causis pręgressis; non solùm bilem, sed plures excrementitios humores abundare colligimus. Ac demum symptomata quæ has febres consequuntur, vtrumque humorem bilem & melancholiam, mixtim putrere testantur: vt in continuæ tertianæ nothæ signis explicuimus.

Febres quæ ab æruginosa bile fiunt: se ex pręcedente incendio, & consequente malignitate produnt.

Ac tandem syncopalis minuta, ex peculiari symptomate, biliosæ febri superueniente, à reliquis discernitur.

Quod ad prognosim pertinet. Primùm non omnes eæ febres, quocunque anni tempore, ęquè facilè generantur. Causi enim, & tertianæ exquisitæ; tam continuæ quàm intermittentes: ęstate magis, quàm aliâ tempestate excitantur; vt notarum est ab Hippocrate [e]. Nec refert Aristoteles [f] sentire, illas hyeme potiùs, quàm ęstate generari. Cùm rationi, & experientiæ hac in parte aduersetur. Si tamen vt Mercuriali placuit [g] ita Aristotelis sensum detorqueamus, vt velit prędictas febres hyeme apparentes deteriores esse. Hoc etiam Hippocratis doctrinæ conforme est; qui asserit [h] morbos qui tempori minimè sunt congeneres, esse periculosiores. Tertianæ verò nothæ, & semitertianæ quæ maioris famæ dicuntur; hyeme, aut vere, sępiùs generantur: minoris autem famæ, frequentiùs autumno.

e 3. Aphor. 21 & 4. sect. 3.
f 1. probl. 19.
g L. b. 5 prax. cap. 30.
h 2. aphor. 34

Quod ad periculum autem, vel spem salutis spectat: neque ex singulis idem impendet periculum, neque par est cuiusque spes. Causus legitimus acutissimus est, & periculo plenus: ob intemperiei; & symptomatum consequentium vehementiam. At exquisito, non exquisitus est grauior: ob specialem viscerum affectum. Qui tunc periculosior futurus est, cùm partes exteriores fuerint frigidæ, & interiores vrentur. Idem enim ex Hippocrate [i] lethale est. Neque tamen omnis funesta est febris ardens. Nam ex eodem [l] qui à febre ardente correptus est, à morbo liberatur, si rigor successerit. Præsertim si is prægressa coctione, die critico fiat: quinto scilicet aut septimo (quem terminum vix prætergreditur hæc febris) & larga sequatur hæmorrhagia, aut copiosior vniuersalis sudor: vel biliosus alui fluxus, aut vomitus; hepatis cauo, aut ventriculo in non exquisito causo laborantibus. Quibus non succedentibus, perniciosus est rigor. Nam ex eodem Hippocrate

i 4. aphor. 48.
l 4. aph. 58.

[m] si rigor incidat febre non intermittente, ægro iam debili (& ad conuenientem excretionem moliendam inhabili) lethale est. Cæterum nulli mirum videatur, hanc febrem solui per fluxum sanguinis à naribus. Nam vt Galenus habet [n], sanguinis eruptiones in ardentibus febribus, ob flauam bilem dominantem fiunt: quæ sanguini permixta, postquam eum deusserit, cum eo multum ad caput calorem subuehens, venis narium diruptis, sanguinis efficit eruptiones. Vel quia sanguine simul cum feruida bile effetuescente: natura eo quod tenuissimum simulque ad efferuescendum promptius est euacuato, se à feruore & febre subsequente commodissimè ea via liberat. Tandem aliquando ab imperfecta excretione materiæ morbificæ mitigatus, non tamen integrè curatus causus: ex reliquiis humoris incrassatis, in diuturniorem affectum degenerat: vt videre est apud Hippocratem [o].

Spurius causus à pituita salsa genitus, diuturnior est aliquantò, & ex Trallianó [p] periculosior legitimo: quòd pituita salsa difficiliùs ad pepasmum ducatur, & coquenti naturæ, sua acritudine viscidítati coniuncta, potentiùs obsistat. Soluitur tamen aliquando ex Hippocrate [q], vel fluxu sanguinis è naribus pari ratione qua in legitimo: vel abscessu circum ceruicem & ponè aures, materiâ non satis tuto sursum elatâ, vel crasso sputo, materiâ ad pulmones (licèt periculosè) conuersa. Vel pudendi liuidi tensione, aut testis tumore: eò minùs securè inclinante humore. Vel minùs incommodè abscessu in cruribus, aut coxis: materiâ scilicet ad infernas sedes transmissâ. Spurius causus alter, vt prædiximus, cæteris periculosissimus est.

Continua tertiana, tam exquisita, quàm notha: minimè secura est. Nam ex Hippocrate [r]. Quæcunque febres non intermittentes, tertio die validiores redduntur; periculosæ existunt. Attamen vt exquisita acutior est, quàm notha: ita & periculosior.

Intermittens altetrutra periculo vacare videtur: quoniam ex Hippocrate [s], quoquo modo febres intermiserint, periculum abesse significant. Quod cùm vt plurimùm verum experiamur: aduenit tamen aliquando, vt cum manifesta intermissione; ex imbecilli natura ægrotantis, & præstantia partis circum quam putredo concipitur, aut ex transmissione humoris in partem principem, mors sequatur. Sic Dominus Gigotius causarum in Senatu Aquensi Patronus in quinta tertianæ nothæ accessione interijt. Similiter ac ille Brito cuius meminit Hollerius [t]. Quæ tamen sunt exquisitæ, solent esse securæ, & ex Hippocrate [u] in septem circuitibus quàm tardissimè iudicari. Scilicet si in nullo errerur. Nothæ verò longiores sunt: atque ita aliquando, vt per sex menses durent: quemadmodum annotatum est à Galeno [x]. Inter quas, quæ ab admixta melancholia generantur, subdolæ plerunque apparent: deteriùs aliquando tunc affligentes, cùm ad salutem inclinare videntur. Melancholia scilicet quæ per antecedentes accessiones feruidior est reddita, mox suam feritatem exerente.

Quæ ab æruginosa bile nascuntur; vt sunt malignæ admodum, ita mirum in modum periculosæ.

Ac demum syncopales; ratione symptomatis, non satis tutæ: si vel minimùm negligantur.

Curatio harum febrium, non aliter instituenda est, quàm per indicationes eâ arte inuentas, quam superiùs cap. 10. abundè docuimus. Cùm ergo omnes eæ febres vel continuæ sint, vel intermittentes: & inter continuas, aliæ à solo feruore bilis, aliæ à putredine in vasis maioribus, vel cordi proximis, vel paulo remotioribus excitentur: statim initio, seu ad feruorem succorum in vasis simul cum bile efferuescentium imminuendum, seu ad obstructiones reserandas, detrahenda est materia, tum quæ feruet, tum quæ obstructionem aut facit aut fouet.

Quia verò illa, licèt sanguis non sit, sanguini tamen vt plurimùm permixta est: & bile in venis efferuescente sanguis etiam feruet, vt suprà insinuatum habemus ex Galeno [y]. Ideò principio vena secta sanguinem mittere oportet. Imò & satis magnâ copiâ (pro viribus tamen) in ardentibus, & parciùs aliquantò in continuis. Cum enim natura, largâ hęmorrhagiâ, priores illas febres soluere plerumque consueuerit: idipsum nobis, qui naturæ sumus æmuli, imitari artificiosa vacuatione licebit. Ideò Galenus [z] in ardentissimis febribus, ad animi defectionem vsque (exclusiuè scilicet) sanguinem mittendum esse persuadet. Et Hippocrates [a] vbi multa de causo protulit [b] in illud solenne effatum erumpit. In acutis autem passionibus sanguinem detrahes: si vehemens morbus videatur, vigearque ægrotantis ætas, & virium adsit robur. Quasi dicat, in vtroque legitimo scilicet & spurio causo, licèt cacochymiæ apparentia, quempiam à phlebotomia deterrere videretur: in illo biliosa, in hoc pituitosa mittendus tamen est sanguis, si ætas permiserit, & vires tulerint.

Verùm si authorum placita examinemus: magna est in hac controuersia sententiarum varietas. Aliqui enim in causi curatione sanguinis missionis nullatenus meminerunt: vt Aëtius ex Philumeno [c], & Trallianus [d], idque videtur placuisse Augenio [e], qui vult Galenum suadentem sanguinem mittere in ardente, locutum esse de ea synocho biliosa, cuius nos principio huius capitis me-

m 4. Aph. 46
n 2 in 2. epid. com. text. 66.
o 3 epid sect. 3. text. 78. & 80.
p Lib. 12. c. 3
q 4. acut. text. 17.
r 4. aph. 43
s Aph. recens citato.
t Lib. obseru. ad consil curandi obseru. 25.
u 4. aph 59.
x 2 ad Glau. cap. 5.
y 2. in 2. epid. comm. tex. 66.
z 1 aphor 23
a sect. 4. libr. de victus rat. acut.
b à tex. 1 ad 18. & 19.
c Lib. 5. c. 78.
d Lib. 12. c. 3
e Lib. 4. de miss. sang. c. 19

minimus. In eamdem sententiam inclinat Thomas Rhodericus Aueiga, qui [f] inquit, ardẽtem vel substantiuè vel adiectiuè diei: substantiuè, particularem speciem biliosæ febris significare: adiectiuè autem, febrem omnem admodum vehementem. Sub quo significatu, Galenus [g] in ardentissimis, id est, validissimis febribus, sanguinem mittit vsque ad animi deliquium. Alij demum non omninò quidem hoc auxilium respuunt, sed rarò & parcè illo vtendum censent: scilicet, non nisi sanguinem simul cum bile abundare agnoscamus. Quod inter cætera, vrinarum crassities, & rubor indicãt. Ita Auicennas [h] de cura causonidis: vbi, & non phlebotometur ait: fortassè enim inflammabit eos, & fortasse iuuabit eos, si fuerit illic turbidiras aquæ, & rubedo. Hunc sequitur Auerrhoes [i], Holer. [l], Rondeletius [m], Mercur. [n], & Saxonia [o] qui maximè verentur, ne in his febribus sanguine misso, bilis acriùs ferueat: cùm sanguis eius sit frænum. Vnde Auicennas [p] dum vniuersales venæ sectionis rectè instituendæ leges profert, & summoperè tibi caue, inquit, nè ægrum ad vnam duarum perducas rerum, scilicet humorum cholericorum ebullitionem, & frigidorum cruditatem.

Nihilominùs tamen Hippocrati, Galeno, & Fernelio [q] adhærens: quorum etiam sententia excelentissimo Massariæ olim præceptori meo placuit [r], atque aliis, sanguinis missionem, in omni ardente, imò & continua tertiana per se conuenire censeo. Quod seu morbi magnitudinem, seu plenitudinem, sanguinis missionem indicare tueamur, manifestum euadit. Etenim has febres magnos esse morbos, nullus est qui neget. Cum eisdem vero plenitudinem esse coniunctam, non exquisitam fateor, sed notham: quis est qui cum ratione improbet? Nam cùm humor qui has febres excitat, in vasis aut ferueat aut putreat; eumdem sanguini esse permixtum necessum est: quem ob excrementitij succi superabundantiam & feruorem, vel ad vires, vel ad vasa plus iusto in venis abundare, fateri cogimur.

In legitimo verò & non exquisito causo, ratione erysipelatosi viscerum affectûs, doloris pleni: quis non aduertit, sanguinis fluxum in partem affectam imminere? Ideò si in prioribus, sanguinis missio vt auxilium succos à venis euacuans requiritur: in hoc posteriore, saltem vt reuulsiuum, aut deriuatiuum remedium indicabitur: iuxta ea quæ Galenus [s], & nos præcedenti libro cap. 7. explicare conati sumus.

Neque vulgare illud effatum sanguinem esse frœnum bilis, & à sanguinis missione humores biliosos efferuere: nos à priori sententia auertet. Nam citra rei examen, & præter rationem, ille timetur bilis feruor, sanguine per venam sectam misso, vt iam ante cap. 10. clarè explicuimus.

Quod verò Auicennas [t] timet, humorum scilicet cholericorum ebullitionem: id non à quibusque satis intellectum aduerto. Is enim vt rectè illum interpretatur Augenius [u], eam ebullitionem non timet, bile sanguini permixtà. Ea enim quæ in venis relicta est si antea non feruebat, multò minùs sanguine misso, & vasis inde refrigeratis efferuescet: cùm eadem sit vnius humoris ad alterum proportio, quæ ante phlebotomiam obseruabatur. Sed veretur Auicennas, ne humores biliosi in primis viis contenti, sanguine intempestiuè (scilicet ante primarum viarum expurgationem) misso, attrahantur in venas: & in illis efferuescentes maiorem phlogosim faciant. Quod etiam doctissimè explicatum legitur à Capiuaccio [x], & à simili idem colligere possumus ex Galeno [y].

Sed iam quæritur, an nullo alio vacuante auxilio præmisso, sanguinem mittere expediat in his febribus: an verò quodpiam aliud prærequiratur. Pro cuius difficultatis explicatione, dicimus: quia in ardentibus vitiosi succi quantitas diffusa est per venas & paucum est, quod in primis vijs continetur: sufficere lenem clysterem infundere, quo fœces eluantur, & quæ circum intestina excretioni faciliùs cedent, exurgentur. Clyster fit huiusmodi.

℞. folior. mal. viol. & lact. ana m. i. semin. frigid. maior. ℥ ß. hord. integri p. r. coquantur in aqua q. s. in colat. ℔. i dissolue, lenitiui & cassiæ ana ℥. ß. mellis violati ℥. iii. misce fiat clyster.

In continuis verò proportionaris, quia ex abdomine noua semper bilis transmittitur in venas, quæ periodicæ illius excretionis est causa: ac præsertim si à principio oris amaror vel nausea ægrum infestent, antè leni medicamento primas vias à billioso excremento purgare conueniet, quàm ad sanguinis missionem deueniamus. In ipsis autem ardentibus, citra erysipelatosum affectum ventriculi, aut intestinorum: vbi sanguinem miserimus, purgante etiam pharmaco opus erit; vt excrementitij alterutrius humoris portio ad excretionem aptior, detrahatur. Sic enim natura ex Galeno [z], aliquando, postquam secta venà parte oneris subleuata est, per aluum materiæ morbificæ reliquias expurgat.

In altera tamen spurij causi specie, quam æruginosa bilis intra venas putrens concitat: ab omni purgante abstinendum, ne feruor increscat: sed clysteribus lenientibus & refrigerantibus ad excrementorum vacuationem, & abdominis perfrigerationem vti sufficiet. Nam in his satagendum quàm maximè est vt refrigerantibus auxilijs tenuium partium, alexipharmacis etiam admixtis: feruorem temperemus, putredini obsistamus, & malignitati aduersemur.

f Comm. in lib. 6. de diffe. febr. sect. 2. paulo post principium.
g Comm. in 1. aphor. 23.
h Lib. 4. fen 1. tract. 2. c. 42.
i Lib. 7. collig. cap. 12.
l Lib. 2. de morb. internis cap. de febr. ardente.
m Lib. de curand. febr. cap. de causo.
n Lib. 5. pract. cap. 10.
o Lib. 1 pãth. cap. 39.
p Lib. 1. fen 4 cap. 20.
q Lib. 2 meth. med. cap. 6
r Lib. 5 pract. cap. 19.
s Lib. 9. meth. cap. 11.
t 20. cap. fen 4. lib. 1.
u Cit. lib. 4. de sang. miss. cap. 19.
x Lib. 6 med. pract. cap. 30.
y Lib. 4. de sanit. tuenda cap. 1. in principio.
z Cit. 1. aph. 23.

Si verò febris sit intermittens, & citra omnem culusuis plethoræ suspicionem, humor biliosus seu syncerus seu mixtus, in determinata aliqua abdominis parte putreat: nulla est mittendi sanguinis occasio, vt docuit Fernel.[a] & vt insinuatum est à Galeno, cùm in cura tertianæ, huius auxilij non meminit. Quinimò eo misso, cholericorum ebullitio, quam cauendam monet Auicennas, impenderet. Ea namque ex Capiuaccio suprà, tum imminet: cùm bilis putrescit in venis; non totius corporis, sed alicuius partis determinatæ. Tunc enim per venam sectam, bilis in grandiora vasa, quæ per phlebotomiam quodammodo fuerunt exhausta, attrahitur. Quare in his potiùs, lenis præscribenda est purgatio, statim in principio: vt obstructionis & febris materia antecedens, eo remedio saltem imminuatur. A purgatione verò, si forsan coniuncta etiam plethora videatur, & vrinæ sint crassæ, quæ rubrum præterea sedimentum deponant, aut sanguinis fluxus, in partem aliquam acriùs dolentem timeatur: vel demum bilis per venas effusa, inde in mineram febris effundi probabili coniectura credatur, opportuna erit venæ sectio. Quantum autem euacuare oporteat: copia sanguinis, & vires ægri definient.

a Cit. cap 6. lib. 2 meth. medendi.

Ad purgationem verò appositè præscribendam, primò discernendum est, num febris quæ viget, sit legitima biliosa, an verò notha. Tum an natura ad superiora magis, an verò potiùs ad inferiora vergat.

Si enim in legitima biliosa intermittente, oris amaror, vel nausea appareat: sitque æger gracilis, qui non difficilè vomat: purgatio per superiora conueniet, cauendo hyemem iuxta Hippocratem[b] & Celsum[c], idque ineunte accessione præstandum, vt monuit Galenus[d]. Præterquam in syncopali minuta, & in his qui ex acuto sensu oris ventriculi sunt nauseabundi: necnon & capite acriùs dolentibus. His ergo qui robusti sunt, & de nulla ventriculi imbecillitate conqueruntur: infusio granorum duodecim croci metallorum in vino albo oligophoro, vtilissima est. Minùs verò robustis exhiberi poterit dragma vna radicis melopeponis puluerata, cum vini albi minimè vinosi quantitate sufficienti. Delicatioribus, tale vomitiuum præscribatur.

b 4. Aph 4. 6. & 7. tum 4 acut tex. 6

c Lib. 2. cap. 13.

d Libro quos quibus & quando purgare oportet, circa mediū.

℞. hord. integri p ii. flor. genistæ p i. coquantur in aqua q. s. in colat. ℥. ix. dissolue syrupi acetosi simplicis ℥. iii. misce, exhibeatur tepidum. Et postmodum tardaute vomitu, antequam ventriculi sedetur anxietas, digitis aut pennâ in os immissâ, vomitio prouocetur.

Si verò relatæ conditiones, quæ ad vomitionem procurandam requiruntur, absint: purgatione per inferiora erit opus. Quæ tam in continuis, quàm in intermittentibus, hora maioris remissionis celebranda est.

In exquisitè quidem biliosis, benigniora pharmaca conueniunt. Vt cassia recèns extracta, thamarindi, rhabarbari infusum, syrupus rosatus solut. ac præsertim ex rosis damascenis paratus, elect. cathol. lenitiuum, diaprunis simplex, imò & manna. Sed ne hoc tam facilè bilescat, id sero lactis, aut thamarindorum decocto, dissolui expediet. Quorum quia aliqua commodiùs sub forma boli, alia in potu faciliùs exhibentur, vt in nostris purgantium schedis docebimus. Sit hoc boli exemplum.

℞. pulpæ cassiæ recens extractæ ℥. i. pulueris anisorum sacchаro conditorum q. s. misce, fiat bolus, capiat horâ vnâ ante pastum, iusculum pulli superbibendo. Vel ℞. cassiæ recèns extractæ & catholici ana ℥. ß. misce & cum pulu. anisorum sacchаro conditorum q. s. fiat bolus, capiat tribus horis ante pastum: liquidum verò pharmacum tale posset præscribi. ℞. rhabarbari electi ʒ. ii. cinnamomi ℈. i. cassiæ recèns extractæ ℥. i. confundantur in aqua cichorei q. s. express. iterū colatæ dissolue syrupi rosati solut. ex infusionibus parati ℥. i. misce fiat potio, capiat tribus horis ante cibum. Vel ℞. mannæ calabrinæ ℥. ii. seri caprini ℥. v. misce fiat potio, capiat duabus horis ante cibum.

In tertianis verò spuriis & nothis, mitioribus illis medicamentis quæ bilem purgant, alia admiscere oportet quæ & sint tantillùm efficaciora, & prætereà vim habeant humores bili permixtos euacuandi. Talis est sena, semen carthami, agaricus, turbith, polypodium, epithymus, triphera persica, diaprunis solutiuum, diaphœnicum & confectio hamech, ac similia. Quorum posteriora, non sola assumenda erunt, sed mitioribus paruâ quantitate miscenda: vt quam intendimus purgationem, in his qui difficiliùs purgantur appositè compleant. Vt.

℞. foliot. orientalium, seu senæ ℥. ß. seminis carthami ʒ. v. turbith electi ʒ. ii. garyoph. n. vii. coquantur in decocto endiuiæ, cichorei, & acetosæ q. s. expressioni infunde rhabarbari ʒ. ii. cinnam. & puluer. diamargariton ana ℈. ß. express. dissolue syrupi rosati solut. ℥. ii. misce fiat potio. Vel sub forma boli.

℞. lenit. ℥. ß. diaph ʒ. iii. misce fiat bolus. Nonnulli mitioribus: alij vehementioribus indigent. Sed hæc iudicio præscribentis Medici committuntur: qui remedia cuiusque naturæ accommoda, appositè concinnare debet.

Secunda harum febrium curandarum indicatio, est feruoris temperatio, & putredinis coërtio.

Quæ

Quæ ambo refrigerantibus quidem absoluimus: sed ad magnum feruorem temperandum, eadem humectantia, & leniter etiam incrassantia esse oportet. Cuius generis sunt viola, lactuca, nymphæa, portulaca, semperuiuum minimum, vmbilicus veneris, cichoreâ, endiuiâ, borragine, hordeo, & similibus, ad nimiam incrassationem cauendam admixtis. Quorum aquas in balneo mariæ distillatas, decocta, & syrupos vsurpamus: iulapia, aut apozemata inde concinnantes eâ arte, quàm infra indicabimus, vbi de remediorum internorum formulis agemus. Ad hoc ipsum valet succus anguriæ, Italis admodum familiaris: quo febrilis ardor temperatur, & sitis sedatur.

Exteriùs ad eumdem feruorem compescendum, varia admonentur. Ac primùm capiti frontalia, ex linteis oxycrato madefactis & leniter expressis. Eadem ex lacte parantur: vel ex oui albumine, aqua lactucæ, ac rosarum & pauco aceto simul agitatis. Epithamata item citra astrictionem refrigerantia & humectantia, cordis & hepatis regioni, subtepida admouentur. Epithematis pro regione cordis hoc sit exemplum.

℞. aquar. buglossi, viol. & nymphææ ana ℥. iii. aceti rosati albi ʒ. ß. misce, fiat epithema. Cui præterea si facultas vitalis aliquantulùm langueat, puluis diamargariton & confectiones alchermes & de hyacintho addi poterunt.

Pro regione hepatis epithema tale aut simile præscribatur. ℞. folior. lactucæ, solani hortensis, cichorei ana m. i. florum violar. nymphææ, & rosarum rubearum ana p. i. coquantur in aqua q. s. in colat. ℔. i. adde aceti rosati ʒ. i. misce fiat epithema. Aliqui solo oxycrato vtuntur pro epithemate. Quia tamen acetum pectori inimicum est, nollem illo solo vti, saltem ad epithema cordis. Lumbi prætereà illiniuntur cum santalino, & rosaceo, aut refrigerante Galeni, oxycrato lotis: vel frustum cucurbitæ lumbis admouetur, & sæpiùs renouatur. Ac tandem lintea succo vrticæ, semperuiui, vmbilici veneris, & lentis palustris imbuta: aut herbas ipsas contusas carpis circumponimus, & cùm incaluerint renouamus.

Sed optimum omnium remedium ad feruorem harum febrium, & causi præsertim legitimi & exquisiti reprimendum; aquæ frigidæ potus. Ea enim, vt docet Galenus [e], febris naturæ aduersissima est, corpus tum refrigerans, tum humectans. Quæ tempestiuè exhibita eas febres protinùs extinguit, quæ ex tenuibus succis efferuescentibus ortum ducunt. Neque si ex solo bilis feruore causus excitetur, expectanda sunt signa coctionis: cùm tunc pepasmô non indigeamus, sed solo feruoris temperamento. Easdem tamen hic conditiones obseruare oportet, quas in synocho non putri obseruandas esse cap. 6. monuimus.

[e] 1. in lib. de rat. vict. acut. comm. tex 41

Ac præterea in non exquisito etiam causo, si verum erysipelas viscera occupet: ex Galeno [f] non expectata coctione, vtilissimè hoc vtemur remedio. Si verò causus vel ex putrescente bile generetur, vel erysipelas viscerum fit phlegmonodes, coctionem etiam expectare oportebit: & cætera obseruare, quæ in synocho putri cap. 2. obseruanda docuimus. Cùm ergo frigidam exhibere conueniet, eam tanta copiâ potandam dare iuuabit, quantam æger vno haustu possit assumere: vt docuit Galenus recèns citato textu. Cauendum tamen in huius vsu, nè ventriculus, iecur, aut pulmones sint debiles, aut corporis totius calor naturalis sit imbecillus, ægérue per sanitatem tali potu offendi consueuerit; & nè interna quæpiam adsit inflammatio, oedema, scirrhus, aut dolor ingens vel grauis quidam affectus neruos teneat. Tales namque omnes, largo frigidæ potu grauissimè læduntur, seu suffocato calore, seu infirmatis membris, seu inflammatione densata.

[f] lib. 9 meth. cap. 5.

Ad putredinem autem coërcendam, ea eligimus quæ refrigerando simul attenuant, & detergunt. Cuiusmodi sunt pro legitimis quidem tertianis cichoreum, endiuia, sonchus, dens leonis, acetosa, hepatica, trifolium acetosum, oxylapathum, vinum granatorum, hordeum non excorticatum, & semina frigida minora, syrupus item de limonibus, è succo aurantiorum, de agresta, de succo granatorum, de cichorea, de endiuia, & acidum citri sacharo conditum. Neque enim assentiendum esse videtur Clarissimo Massariæ, dum inter syrupos, acidos omnes ex succo citri, limonum, auranciorum, acetosæ, & granatorum paratos, ex eo condemnat: quòd astringentem vim participent. Nam præterquam à plutibus aliis celeberrimis viris, eorum vsus laudatur: præterea vtiles esse probantur, quòd attenuando & refrigerando putredini potenter obsistant. Leuior autem illa astrictio, non tanta est, vt obstructiones augere valeat: quin potiùs incidente vi qua ex sua aciditate pollent, ad obstructionum reserationem plurimùm inseruiunt: & tota eorum astrictio, ad partium solidarum robur firmandum, vtiliter impenditur.

Ad eorum autem humorum qui tertianas nothas, aut spurium causum excitant, pepasmum procurandum, præter ea quæ vltimo retulimus, hæc in vsum veniunt. Ac primùm radices illæ aperientes quæ temperatiores sunt, graminis scilicet, asparagi, & brusci: semina item frigida maiora, violarum, acetosæ, oxylapathi, & similium. Necnon pimpinella, agrimonium, betonica, capil-

lus

lus veneris, fumaria, lupulus, ceterach. Syrupus bizantinus, de duabus aut quinque radicibus, de pomis, atque his pares. Præſtantiſſimum autem remedium ad diuturniores tertianas nothas, eſt decoctum ſaſſaphras. Cuius capite præcedenti meminimus.

Ad aromatizationem autem iulapiorum, vel apozematum quibus prædictis Indicationibus ſatiſfacere ſtudemus, valent puluis elect. triaſantali, diarrhodon abbatis, & trochiſcorum de caphura. Vel in ſyncopali puluis diamoſchi deſcriptione Renodæi, puluis diamargariton frigidi, & confectio de hyacintho. Ad malignitatem humoris æruginoſi cryſtallus vera ſuper porphyrio tenuiſſimè puluerata cæteris præſtat: ſi ʒ ß. aut ʒ. i. pondere, cum conuenienti iulapio aſſumatur.

Tertia curatiua intentio, ad materiæ ſemiputris, aut omninò naturæ inutilis, ſed per pepaſmum euictæ purgationem, collimat. Quam, quoniam in ardentibus, & continuis exquiſitis, natura per ſe plerumque molitur: eâ quod pro ratione eſt operante, totum illi negotium committendum erit. Atque id maximè procurandum, nè vtiles & criticas excretiones antè ſiſtamus: quàm experiamur eas modum excedere. Quod quantitas excretionis, & ægro ſuperueniens imbecillitas, ex pulſu manifeſta indicabunt.

Si verò natura officio non integrè ſatisfaciat, præſertimque in ſpuriis: materiei varietate coctionem æqualiter non admittente: nos illam imitati, eiuſque inclinationem & motum ſequuti, reliquias expurgare nitemur. Atque omnium vtiliſſimè per vrinas, aut aluum: pro conditione reliquiarum, maiorem quampiam craſſitiem aliquando retinentium.

In intermittentibus autem, licèt per ſingulas acceſſiones materia quæ febrem excitat expurgetur, (niſi forſan aliquando reliquiæ cinerei craſſamenti, In fermentum diuturnioris affectùs vitio excretricis retineantur) ratione tamen materiæ antecedentis, & inquinamenti in minera nonnunquam reſidui, purgatio (apparente coctione) vtiliſſima erit. Per mitiora quidem medicamenta iam antè relata, in exquiſitis. Ne ſic affectorum corpora ad æſtum concipiendum aptiſſima, à vehementioribus & ſcammoneatis medicamentis, magis incandeſcant. Abſynthij autem comæ, quas Galenus plurimùm hoc caſu effert [g], ſi cum priorum aliquibus minùs calidis decoquantur, plurimùm conferent: neque vt videbatur Tralliano, earum vſus ob calorem ſuſpectus eſt. Ad purgandum tamen, ſunt planè inefficaces illis ſolis vti ſi cogiremus. g 1. ad Glau. cap. 9.

In ſpuriis autem, vt ſuperiùs monuimus, per ea quæ prioribus ſunt efficaciora, moliri purgationem oportet: qualia etiam iam antè recenſuimus.

Verùm ſi huiuſmodi febres diuturniores ſint, & craſſiores humores, copiâ, tenuiores excedant; quorum tamen motum, & periodorum ordinem ſequantur: non ſemel purgaſſe ſufficiet, ſed iteratis purgationibus eam illuuiem detrahere conueniet. Vtque faciliùs rebellis ea materia purgationi cedat, ea erunt ex præcedenti capite mutuanda remedia, quæ ad craſſos & lentos humores præparandos conuenire docuimus.

Vbi præterea adnotare oportet, cùm ſecundò aut tertiò purgatum fuerit corpus; nec poterit putredinis materialis fomes, mineræ tenaciùs adhærens, detrahi: delicatioribus quidem, pilulas aggregatiuas, aut cochias vtiliter exhiberi: robuſtioribus verò, etiam ſtybium præparatum, præſertimque infuſum, magno cum fructu præſcribi. Quo remedio experimur, audentiores plurimos Empyricos non paucos à Medicis tempori & naturæ commiſſos, integræ ſanitati promptè reſtituere: & nos illo debitè correcto, non raró ſumus vtiliter vſi. Imò & planè innoxiè ipſius crudi infuſione.

Illud demùm aduertendum eſt, vbi diuerſorum remediorum vſu in diuturnioribus ſemitertianis, naturam quodammodo fatigauimus: expedite per aliquod tempus interquieſcere, vt ab ea moleſtia medicamentorum, & anorexia conſequente, ſubleuatus æger, viréſque reſumens: poſſit iterato Medici conatu, perfectè ſanari.

Tandem ſi per vrinas, humorem peccantem (naturâ eo inclinante) expurgare oporteat: quibus remediis id exequi valeamus, capite præcedenti fuit explicatum.

Quarta demum intentio eò dirigitur, vt febrilis diſcraſiæ reliquias deleamus, & imbecillitates à viſceribus contractas emendemus. Ac quidem ſiccitas illa, & incaleſcendi facilitas, quæ poſt ardentium & legitimarum continuarum tertianarum curationem plerunque durat: balneo tepentis aquæ optimè corrigitur, vt docemur à Galeno [h]: ſed ex eodem [i] aduertendum eſt in vſu balnei; primò, vt citra horrorem adminiſtretur: ſecundò, nè aliquod primæ notæ viſcus ſit imbecillum. Tertiò, nè multitudo crudorum humorum in primis viis contineatur. In vicem autem balnei vti licebit epithematibus, & linimentis: præſertim regioni hepatis admotis: vel ſi vitium quod reſtat leuius ſit: exiberi poſſunt per os conſeruæ violarum & roſarum, trochiſci de caphura, elect. diarrhod. triaſantali, & ſimilia: quibus iecoris æſtus, & imbecillitas emendantur.

h lib. de marcore cap. 7 in principio. 10. meth. c. 9. & 1. ad Glau. 9.
i 11. meth. cap. 10.

Ratio tandem victûs talis præſcribenda eſt, quæ præhabitis indicationibus proximè reſpondeat.

Aër ergo ab his omnibus febrientibus inspirandus eligatur frigidus, aut talis arte paretur: frigidiorem tamen, ardente, aut legitima tertiana laborantes requirunt: quàm hi quos spuria vexat. Aduertendum tamen huiusmodi quidem ægros frigidi aëris inspiratione gaudere: at non esse eosdem frigido exponendos, nè densatâ cute, & prohibita transpiratione deteriùs habeant.

Quies non corporis solùm sed etiam animi iniungatur. Ideoque huius immodici affectus temperentur: ac præsertim ira, mœror, & timor, in integrum vitentur.

Somnus concilietur. Ac quoniam causo, & continuis tertianis laborantes, à vigilijs torqueri consueuerunt: his, tam admotis, quàm assumptis somnus prouocetur. Inter externa, iuuabit vel frontem & tempora oleo anethino & violaceo mixtis illinire: vel ex farina hordei & lacte, aut ex oui albumine, aqua rosacea & lactucæ cum pauco aceto; necnon ex recentis cucurbitæ ramentis, aut recenti anetho, lactucis & violis simul tusis, anacollemata parare: vel ex opij, & croci singulorum grana 6. aut 7. & vnguenti populei, vel alabastrini ʒ. ß. simul mixtis, tempora & nares inungere: vel ex puluiris requiei ʒ. vi. aut ʒ. i. aqua rosarum q. s. & pauco aceto, frontale concinnare. Cauendum tamen est, nè refrigerantia huiusmodi frontalia tunc præscribamus, cùm crisis per hæmorrhagiam imminentis, signa quædam aut suspicio apparuerit. Quoniam materia ad nares inclinans, ad cerebrum sic repercussa; posset lethalem phrenitim, aut cerebri sphacelismum inducere. Solemus etiam aliquando tibiarum lotiones imperare, ex tepido decocto herbarum refrigerantium, & humectantium, ac capitum papaueris. Per os autem in eumdem finem exhibemus: syrupum violatum, de nymphæa, aut de papauere, necnon & diacodium. Syrupos autem huiusmodi solos aut inuicem mixtos exhibemus, vel etiam in iulapii modum cum decocto aut stillatitio liquore lactucæ, violarum, nymphææ, borraginis, & similium solutos. Vt.

℞. aquar. lact. & buglossi ana ʒ. ii. syrupi violati & de papauere ana ℥. i. misce fiat iulep, aromatizatum ℈. i. pulu. diamarg. capiat horâ somni.

Cogimur etiam nonnunquam, cùm vigiliæ immodicæ hos ægros infestant, neque priorum vsu somnus conciliatur, philonium exhibere, aut pilulas de cynoglossa, vel laudanum. Nè tamen his soporantibus, calidum nobis innatum obruamus: cauendum primò nè hæc nimiùm imbecillibus exhibeamus: tum ea illis sunt immiscenda, quæ spiritus influentes recreant. Qualis est confectio alchermes, de hyacintho: quibus additâ conseruâ violarum, rosar. nymphææ, aut etiam florum garyophyllorum, & rorismarini bolos paramus: vel cum puluere diamarg. de gemmis, diambræ, aut simili: iulapia eiusdem conditionis aromatizamus. Sit hoc exemplum boli.

℞. phil. rom. ℈. i. confect. alchermes ℈. i. aut ℈. ß. conseruæ rosar. & flor. rorism. ana ℈. ii. misce fiat bolus. Vel, ℞. Laudani gr. v. aut vi. confect. flor. garyoph. ℈. ii. misce fiat bolus, horâ somni exhibendus.

Aluum minimè astrictam esse oportet. Quòd si acciderit, ea clysteribus emollienda est, quæ etiam refrigerandi vim habeant. Quale est quod superiùs hoc capite præscriptum fuit.

Tandem, causo, & legitima alterutra tertiana laborantes, tenuiùs alere oportet: pleniùs autem aliquantò eos, qui alterutram spuriam seu notham patientur. Cibi ergo pro quibusque sint facilis coctionis: qui tamen non facilè corrumpantur. Et in exquisitis quidem refrigerantem & humectantem etiam qualitatem habeant. In spuriis verò, cibos incidentis facultatis, & detergentis nonnihil participes esse conuenit. Omnium ideò maximè vtiles sunt, cremor hordei: ius pulli, & carnium vituli, oleribus refrigerantibus vt lactucâ, endiuiâ, acerosâ portulacâ, atque etiam cucurbitâ alteratum. Necnon carnes ipsæ pullorum, vitulinæ, gallinarum & hœdinæ. Sed cerebra & pedes suum, in tertianis exquisitis permittere, vt Galeno placuit [l], non satis tutum videtur: quòd difficilè coquantur, in quorum vicem, gelatinæ admitti poterunt. Quas expediet acido aliquo succo, etiam ad gratiam condiri, & aromatibus omninò carere. Præterea nec vitellos ouorum ab eodem Galeno probatos consulerem, quandiu ventriculus bilioso excremento abundat: vti nec melones, & similes horarios fructus, liberaliùs admitterem, præsertim in continuis. Quod in ventriculis biliosis & æstuantibus, huiusmodi alimenta facilè corrumpantur: eorúmque succus, vel in bilem flauam, vel in peioris naturæ humorem transeant.

In intermittentibus, per accessiones abstinere oportet, vt superiùs docuimus ex Hippocrate [m]. Præterquam in admodum extensis quarum breuissima est intermissio: tali enim febre laborantes pari penè ratione alere oportet atque eos qui continua detinentur: vel saltem per longiorem illam paroxysmi productionem iuscula longè ab accessionis initio ad naturæ fomentum erunt exhibenda, & si quid solidum eisdem ministrandum videatur, id solùm tempore intermissionis concedatur, si ab illa ad accessionis recursum sufficiens interuallum intercesserit. Necnon synoopalem excipere oportet: in qua propter syncopem & animi defectionem in principio ipso accessionis, licet vel panem viuo aut succo granatorum intinctum, vel quid simile exhibere, Galeno ipso authore [n].

l Ca lib. 2. ad Glauc. cap. 9.

m 1. Aph. 11.

n 10. meth. cap. 1. & 4. necnon 12. eiusd. cap. 4.

Potus

Potus, sit vel aqua fontana omni vitio carens, vel vna aut altera ebullitione depurata, In qua dissolutum sit saccharum; vel aqua hordei, aut sola, aut cum syrupo aliquo acido ex superiùs relatis, aut violato, cum vna aut altera gutta liquoris vitrioli, præsertim in summo causi ardore. In syncopali claretum vulgò dictum, ex aqua saccharata leuiter cocta, & cinnamomo aromatizata saluberrimum est. Vinum, vt habet Galenus [o], etiam in intermittente, antequam coquatur morbus, prohibendum: at vbi coqui cœperit, extra paroxysmos, tenue & aquosum, seu album, seu rubellum sit, exhiberi potest. Paucum tamen initio: cùm autem morbus proximè ad solutionem vertetur, aliquantò liberaliùs.

In spuriis verò, ita cibos potúmque præscribere conueniet: vt non solùm bilis, sed alterius etiam humores simul putrentis rationem habeamos. Singula sic temperantes; vt ex his quæ tum hoc capite & præcedenti diximus, tum sequenti dicturi sumus, facilè colligi potest.

o Cit. 1. ad Glauc. 9.

De melancholicarum & quartanarum febrium differentijs, & curatione.

CAPVT XV.

VT humores cæteri in nobis putrescentes, varia excitant febrium genera: ita melancholia, si aliquando intra nos putrescat, putrem suum vaporem ad cor vsque effundens; febrem sui nominis melancholicam excitat. Continentem quidem si intra vasa alimentaria putreat: continuam verò, si excrementitia sanguini in venis permixta, putredinem concipiat. Sed rara admodum continua, vt docet Galenus [a], quòd vix fœculentus is succus multus colligatur in venis. Intermittentem verò facit, si extra maiora vasa in determinata aliqua abdominis parte, excrementitia melancholia putreat. Quæ quoniam frequentiùs, quarto quoque die, innadit; quartanæ nomen accepit.

a 2 de differ feb. cap. 2.

Vtraque, vel legitima est, vel spuria. Legitima, quando sola melancholia secundùm naturam genita putret. Spuria autem, quando vel illi alius commisceetur humor simul putrens, vel species aliqua melancholiæ præter naturam genitæ putredinem contraxerit.

Intermittens tandem quartana, aliquando simplex est, aliâs duplex, vel triplex: pari ratione atque de tertiana capite præcedenti dictum est, & infrà vberiùs explicaturi sumus.

Causæ febrium melancholicarum, vt in aliis febrium generibus explicuimus, sunt ea quæ vel copiosum humorem nigrum generant, vel in eodem putredinem excitant.

Melancholiam (secundùm naturam quidem) superabundantem, generat temperies frigida & sicca, seu totius, seu solius hepatis. Præter naturalem autem, eiusdem visceris calida & sicca dyscrasia. Vtrique occasionem incrementi suggerunt, alimentorum crassæ & nigræ substantiæ vsus, curæ, vigiliæ, mœrores, atque his similia.

Putrescendi causa, par est, ac cæterorum; obstructio scilicet, & inde sequuta prohibita transpiratio: aut maligna quæpiam qualitas à cœlo influens, aut ab aere communicata quæ putredinem in nobis excitet.

Signa quartanarum intermittentium, & legitimarum; viam faciunt, ad raras etiam continuas cùm apparuerint discernendas. Ergo in illis, cùm humor cuius crassa terreaque est substantia putreat; quod per easdem exhalat, cum calore, mordacem etiam siccitatem exerit.

Pulsus, his febribus incipientibus & in principiis accessionum, ex Aetio [b], sunt obscuri, parui, tardi, & rari: ita vt in his, arteria ligata esse videatur, & introrsum trahi, prohiberique à regressu. Vnde (vt aduertit Galenus [c]) si quispiam naturalem ægrotantis pulsum cognouerit, inuadentem quartanam facilè deprehendet: quòd eximia quædam ad paruitatem, ac tarditatem fiat pulsûs conuersio. In vigore autem, vel adhuc increscentibus accessionibus, vt idem Galenus habet [d] pulsus celeres sunt, & frequentes, cum euidentissima illa singulari inæqualitate, quàm aliâs febrilem appellauit. Atque huiusmodi, per continuarum paroxysmalium perseuerantiam durant.

b Lib. 5. c. 8.
c 1. de crisib. cap. 4.
d 1. ad Glau. cap. 6.

Vrinæ à principio quidem albæ, tenues, & aquosæ esse consueuerunt: nimirum propter materiæ crassitudinem percolatæ. Progrediente verò morbo, coloratiores fiunt, & subsidentiam habent crassam ac subnigram: quæ copiosior multò est in continuis, quàm in intermittentibus.

Inuadunt febres hæ cum horrore primùm, deinceps verò peccante succo vlteriùs deusto & actiore reddito, cum rigore: qui per vlteriores paroxysmos, sensim cum vehementissima concussione ossifragâ, quam ὀστεοκόποι appellant Græci, apparet. Eædem, quarto quoque die repetunt; quarum accessiones, ad 24. horas protrahuntur. In quibus post longum & diuturnum cum horrore aut rigore frigus, ad duas tresue horas aliquando durans; vehemens & infestus calor succedit, nullo in declinatione apparente sudore: nisi post aliquot paroxysmos, in quibusdam qui serò magis abundāt,

aut in his spuriis in quibus bilis melancholiæ miscetur. Continnæ verò legitimæ, quarto quoque die exacerbari consueuerunt, citra horrorem tamen, & compressam omnem annerationem.

Solent prętęrea quartanarij, per particulare paroxysmorum augmentum & statum, magna siti premi. Iidem, cùm in vniuersali principio, inappetentiâ teneantur : postmodum vbi febris aliquandiu durauerit, in vehementem famem incidunt. Quòd principio, ventriculus varia illuuie simul cum melancholia peccante perfusus langueat : postmodum verò nigro huiusmodi excremento impermixto conspersus, ab austera eius acciditate conuellatur. Continuâ verò laborantes, perseuerantem habent inappetentiam, magno tenentur æstu, multa siti, parùm dormiunt, & ipsos somnos breues, adhuc habent turbulentos, & somniis tristibus infestos.

Tandem ex natiua ægrorum temperie, ætate, anni tempore, & prægressa ratione victûs, curis, tristitia, & mœrore; per quæ melancholicus succus in nobis congeritur: necnon ex suppressis mensibus, & hæmorroidibus, in his qui ex naturali constitutione melancholiam generant, aut ex tumefacto liene: in certam ducimur notitiam febris, ex superfluo tali excremento putrescente genitæ.

Atque vt legitimæ prædictorum generum febres, se præfaris signis produnt: ita cùm ab humoribus aliis melancholiæ permixtis & spuriæ febres quartanæ generabuntur, signorum variè permixtorum concursus, diuersorum humorum putrescentium permixtionem manifestabit. Ita si quando à deusti humoris putredine excitentur: quæcunque apparebunt symptomata, grauius incendium, æstumque maiorem inesse significabunt; & causas tales prægressas fuisse adnotabimus, à quibus humores præexistentes sint deusti.

Febres eæ licèt omni ætati adueniant: puellam enim quindecimestrem, quartanariam, in cura habui. Frequentiùs tamen ex Hippocrate [e] quadragenarios, aut seniores etiam infestant. Sæpiùs item autumno apparent, eodem Hippocrate [f]: aliquando primò inuadunt, ex Hippocrate [g]: aliàs & sæpiùs erraticis febribus succedunt, ex Galeno [h], deustis scilicet aliis excrementitiis succis commixtim putrescentibus. Pręterea contrà quàm Aetio visum est [i], non rarò eundem post diuersorum etiam annorum interualla apprehendunt. Eædem tardè mouentur, & diuturni sunt affectus: ob humoris crassitiem, qui eas accendit. Nullo tamen admisso errore in victus ratione, vix annum excedunt. Quamuis aliquando ad viginti duos annos durasse, in nobili quadam Veneta, ab excellentissimo Massaria proditum sit. [l] Quod non ita admirandum apparet, atque id quod D. Gaufridio nobili ciui Aquensi, & viro consulari accidit: qui per annos triginta febre laborauit, singulis diebus, aliquot horis post meridiem, cum leui perfrigeratione recurrente. Cui ita erat assuetus, vt nihil propterea negotiorum intermitteret. Et tandem ex nimio hæmorrhoidum fluxu, & dysuriâ stranguriosa ex vesicæ calculo interiit. Multò magis miratus sum, vxoris meæ patruum penè sexagenarium, legitimâ quartana intermittente, & quæ primò inuaserat, laborantem; quarto paroxysmo, post purgationem & sanguinis missionem, in integrum fuisse curatum.

[e] 3. prognost. text 28.
[f] 3 Apho 22
[g] 1 epid. sect. 2. text. 21.
[h] 1. ad Glau. cap. 3.
[i] Lib. 5. c. 83.
[l] Lib. 5. pract. cap. 12.

Inter has autem, intermittentes & legitimæ (quas aliqui exquisitas etiam appellant) ex Hippocrate [m] ex se securissimæ sunt, & facillimæ, simul tamen longissimæ: modò æstiuas excipias, quæ breues dicuntur [n]. Quòd laxo per id tempus corpore, humor is putrescens, breui per halitum digeratur. Securissimæ autem ex se, febres hæ dicuntur: quòd per longissima illa intermissionis internalla, natura vires facilè recolligens, minùs periclitetur. Atque hinc easdem facillimas appellauit Hippocrates: quòd natura quamcunque noxam eò faciliùs ferat, quò tardiùs illa recurrit. Sed addit præterea Hippocrates, quartanam hoc habere proprium, quòd à magnis aliis vindicet malis. Quod ab eodem confirmatum legimus [o]. Qui enim in quartanam inciderunt ijdem solent à melancholia, epilepsia, lepra, vitiligine, similibusque affectibus ab humore melancholico & deusto nascentibus, esse securi: dummodo exinde conuenientem victus rationem sequantur. Si tamen febri quartanæ, iecoris aut lienis perseuerans tumor durus coniungatur: immedicabiles hydropes aliquando consequuntur, vt adnotatum est à Galeno [p]

[m] 1. epid. sect. 3. text 4.
[n] 2. Aph. 25.
[o] 5. Aph. 70. & 6. epid. sect. 6. tex. 7.
[p] in 3. epid. commen. text. 4.

Curationem huius febris antequam doceamus duæ vulgi falsæ sententiæ sunt expugnandæ Quarum prior est, non oportere mederi quartanis, quòd remediis magis efferentur. Posterior verò non medicamentis, sed excellenti quodam victus errore, hoc febrium genus debellandum esse. Priorem malè feriati multi, & inerudìti Medici, has febres indebito remediorum vsu exasperantes, inuexerunt. Verùm quia si earum curatio ex arte suscipiatur, antè desinunt quàm essent per se cessaturæ; meliùs est illas remediis superare, quàm easdem negligendo permittere vt altiores radices agentes, sensim ægros in peiorem statum deducant. Fortuiti autem quidam casus in nonnullis robustioribus, alteri errori ortum dederunt. Cùm enim acciderit aliquando nonnullos ex copiosiore meri potu, liberiore melonum esu, vehementiore exercitio, aut ex simili aliquo errore fuisse curatos: cæteri, licèt viribus impares, & nondum ad spem tam repentinæ curationis,

humoris

humoris peccantis pepasmo præparati, magno periculo, in expectationem consimilis feruntur euentûs. Per accidens enim contingit, vt qui ex prædictorum errorum aliquo excandescentes, crassum humorem febris fomentum, in totum attenuarunt, & valido naturæ robore eumdem per sudorem, aut vomitum excreuerunt, sunt liberati. Sic contraria ex causa per accidens etiam contingit, inopinato timore inducto quosdam curari. In quibus repentinus ille calidi influentis ad ima recursus, humorem in minera axagitatum per minima peruadendo, omnem putredinis conceptam in eo labem absumit, & reuersuræ febris occasionem minerà expurgatâ adimit. Quæ etsi fortunatè accidunt aliquando: qui idipsum tentare conantur, plerunque magno suo malo, consimilia experiuntur. Quare tutiùs erit, artificiosam instituere curandi rationem; quæ per indicationes progressa, regulares quasdam sibi proponat intentiones, quas religiosè obseruet. Neque ex aliæ sunt ab illis, quas in aliarum putridarum curatione proposuimus, sed planè eædem: quibus per quæ, in hoc febrium genere satisfieri oporteat, explicandum est.

Primùm ergo, quò faciliùs obstructiones reserentur ea materia quæ peccat, & insultui occasionem præstat, minuenda est, conformi suæ conditioni remedio. Si enim alimentaria melancholia in venis putreat: quæ continentem melancholicam generet, quam Auicennas q quartanam sanguineam appellauit: aut si in eisdem maioribus vasis melancholia excrementitia putredinem contraxerit, & continuam quartanam excitet: iniecto clystere & excreto, venam secare conueniet. Quo etiam remedio, sed post primarum viarum expurgationem, tunc vtendum erit: quando plethora, seu succorum in vasis superabundantia coniuncta fuerit cum intermittente. In omnibus autem his casibus, eligenda erit vena interna, aut media brachij sinistri: si æger splenicus fuerit, vt rectè notat Aetius r: dextri autem, si affectio vitium hepatis sequatur. Si verò hemorrhoides supergrassæ, val menses intermissi, febri occasionem dederint; inferiores venæ secandæ erunt. Et mox vel hirudinibus ano admotis, hæmorrhoides erunt prouocandæ: vel cucurbitulis ad coxas affixis, menses aduocandi.

Venâ autem in alterutro brachio largo vulnere incisâ: si qui fluit sanguis niger appareat, & crassus, audaciùs mittendus erit, vt docet Galenus s. Si verò is flauus aut tenuis fuerit, statim supprimendus erit. Quæ cautio in cæteris etiam melancholicis affectibus, semper est obseruanda.

At si absque plethora languido & extenuato corpore quartana intermittens ac præsertim acuto alicui morbo succedens quempiam teneat: citra sanguinis missionem, medicamento leniter purgante, minuendus erit humor, qui febris est author: vt ex Heraclide Tarentino admonet Celsus t. Neque enim vehementioribus medicamentis vtendum erit, vt docemur à Galeno u, & Auicenna x, ne ab acrioribus, humor ille iam satis per febrem exæstuans, importuna concitatione exasperetur.

Remedia ad id præstandum vtilia, sunt cassia, rhabarbarum, polypodium, epithymum, sena, electuarium lenitiuum, catholicon, syrupus violatus, & rosatus solutiuus, ac similia. Ex quibus vel boli, vel potiones parari possunt. Bolus quidem hoc modo.

℞. medullæ cassiæ recèns extractæ ℥. i. rhab. mediocr. puluerat. ʒ. i. folior. senæ puluer. ℈. ii. garyoph. puluerat. ℈. ß. misce, cum saccharo fiat bolus.

Liquidum verò medicamentum hac forma potest administrari.

℞. foliorum senæ ℥. i epithymi ʒ. iii. garyoph. contusos n. xii. coquantur in decocto veronicæ q. s. vt artis est. Expressioni sensim super cineribus calidis ad ℥. v. exhalando deductæ dissolue syrupi rosati solutiui ex infusionibus ℥. ij. misce, fiat potio.

Imminutâ materiâ; qui in vitio est humor, attenuantibus, præparandus est: à calidioribus & siccioribus abstinendo. Cùm enim talia præstare studeamus, ad emendandum vitium, quod in modo substantiæ humoris peccantis est: eiusdem præterea excessum in qualitatibus primis, per ea quæ in actinis sunt temperata & euidenter humectant, remittere cogitandum est: necnon & ægri corpus humectando laxare, quò humores semel naturæ aut artis enixu impulsi liberiùs excernantur. Quæ omnia si medicamentis per os exhibitis simul exequi nequeamus: enitemur medicamentis modi substantiæ vitium emendare, alimentis verò, atque aliis auxiliis cætera præstare.

Medicamenta ergo ad priorem intentionem vtilia, & ex quibus iulapia, & apozemata concinnabimus, sunt radices asparagi, brusci, fœniculi, petroselini, cortices radicum capparorum, & tamarisci, necnon medianus cortex fraxini, & sambuci: folia item borraginis, buglossæ (quorum vtilissimæ etiam sunt radices) fumariæ, luporum, calendulæ, veronicæ altilis, melissæ, veronicæ, phyllitidis, & cetereah. Præterea poma redolentia, cappares, mali assyrij, aut aurancij cortex, semina flatus discutientia; velut fœniculi, anisi, petroselini, dauci & ameos: itemque hyperici, ac similium. Demum flores borraginis, buglossi, calendulæ, garyophillorum, aurancij, atque his pares. In prædictorum autem decoctis, aut aquis stillatitijs dissoluimus syrupos de pomis, de fumaria, de cichorea, de succo borraginis, de succo buglossæ, & chamedryos: quibus cardiaca quædam,

q Lib 4. fen 1 tract. 2. c. 63

r Lib. 5. c. 84

s 1. ad Glau. cap. 11.

t Lib. 3. c. 15.
u Cit. 1. ad Glauc. 11.
x Lib. 4. fen 1 tract. 2. c. 63.

& spiritus recreantia semper admiscere iuuat : quoniam ab atro illo humore fuligines effunduntur, quæ spiritus tam vitales quàm animales, in perniciem omnium functionum fœdè inquinant.

Sed hìc ab eorum errore cauendum censeo qui ad humoris melancholici magis exactam coctionem ; post prædictorum mitiorum syruporum vsum, compositis vtuntur : de fumaria, de pomis, de epithymo, & polypodio, quæ purgantia etiam validiora admittunt. Ea enim medicamenta (vt rectè Clarissimus Massaria aduertit) tantùm abest quòd coctionem iuuent : quin potiùs illam (humores agitando) turbant & impediunt. Quoniam verò crassus ille humor, & vt plurimùm ex permixta pituita tenax ; non potest totus simul & semel ad pepasmum deduci. Maximè cùm noua generatione plerunque succrescat. Postquam aliquot dierum præparatione, quidpiam ad excretionem paratum esse aduertemus : purgatione vti conueniet, & citra fastidium ægrotantis, præparationem humorum & præparatorum purgationem alternare.

y Cit. lib. 5. cap. 84. Dum autem his præparantibus vtimur, Aëtij consilio [y] fomentis etiam & epithematibus ex decocto allheæ, malu. viol. linatiæ, atriplicis, & similium ; emolliendum, & laxandum erit abdomen, his additis quæ flatus discutiant.

At quia præcedente morbo, rigor in principio accessionum plurimos grauissimè torquet : nè partes sensiles per consensum irritatæ tam vehementer concutiantur, primùm calidioribus pannis artus fouere expediet, & calidis lateribus ac similibus extremas partes calefacere. Mox verò his non sufficientibus, ad ea linimenta transeundum erit quæ calida & tenuium admodum partium spina dorsi illita calorem in neruos & partes illis consentientes potenter reuocant. Huius conditionis sunt, theriaca quæ cum aqua vitæ artificiosè rectificata fuerit soluta : oleum nucis moscatæ cum rutaceo aut laurino mixtum : oleum scorpionum descriptione Matheoli, oleum de piperibus, & de euphorbio ; oleum de lateribus, essentia thymi, rorismarini & saluiæ : aut oleum piperis stillatitium. Quæ postrema, aliis mitioribus aut ceræ admiscere oportet. Vel pomum colocynthidos excauatum oleo anethino impleatur, super cineribus calidis bulliat, exprimatur, & in linimentum spinæ dorsalis vsurpetur.

Nonnulli, aquam rosarum aut plantaginis succum in principio accessionum exhibent, ad rigorem finiendum. Sed periculum est in principio, morbo adhuc crudo, aut si cum imbecillioribus rem habeamus : nè materia peccãs ab his incrassantibus crassior & compacta magìs reddita atq; hinc impedita transmitti à minera in focum : febrem diuturniùs foueat, quæ lentiùs progressa, transitum in habitualem minetur.

Tandem coctione iam euidenter apparente, quæ ex vrinis, vt suo loco explicuimus, deprehenditur, licet nondum integrè perfectâ & planè absolutâ, de humorum vacuatione cogitãdum est Quæ quatuor modis tentari solet : scilicet sectâ venâ, medicamentis per inferiora purgantibus, his quæ vomitum cient : ac tandem per ea quæ insensiliter humorem peccantem exoluunt & dissipant. Quidam in ipsa coniunctionis luminarium hora, saluatelam in manu sinistra secandam suadent : integram ob eo auxilio curationem pollicentes. Sed inartificiosum est hoc remedium, & præter rationem inuentum. Quod in ea morbi constitutione neque vtile est vt reuulsiuum, quoniam nulla tunc est fluxio : neque vt vacuatiuum, quia à tanta distantia, & ex venulis illis, non potest tam crassæ quiescentis materiæ sperari vacuatio. Ab experientia verò, periculosum est admodum : quod licèt aliquibus benè, pluribus pessimè cessit. Benè quidem his, quorum cùm laxa sint corpora, viresque robustæ. humorem in febris minera contentum in vim vacui quodammodo ab ea phlebotomia procurati excutiunt, eumdémque in vasa diffundunt : quem mox naturæ vigor insensiliter dissipat. Malè verò his cedit, qui cùm naturalem vim membrorum imbecillem habeant : concitatum humorem, vel in partem aliquam principem, vel in officialem quampiam naturæ errore transmittunt. Necnon & his qui cùm facilè exoluantur, in eo luminarium concursu, quo tempore corpora solito imbecilliora esse consueuerunt, sanguine misso, grauiorem multò imbecillitatem incurrunt. Quare satius videretur. his quorum vires quidem firmæ sunt, sed naturæ vigor quodammodo sopitus aduertitur, sanguine ex altero brachio prout iam indicatum est extra nouilunium misso : expultricem facultatem ad morbi reliquias depellendas excitare : quàm imbelle illud remedium experiri.

Altera via securior est, quæ per purgantia procedit cuiusmodi sunt sena, epithymum, hellebori nigri radices, lapis lazuli lotus, aut armenus si habeatur quomodocunque ex Alexandro administratus. Inter composita autem, diasena, catholicon, confectio hamech, pilulæ de fumaria, & de lapide lazuli, saluberrima sunt, si sola melancholia fuerit in vitio : aut aliis etiam additis, quæ ad alios humores illi sociatos educendos conueniunt. Ac licèt mitiora illa sub liquida forma administrata, & conueniente dosi exhibita, securiora sint : validiora tamen aliquando, minimè negligenda sunt : & solida nonnunqaam admittere cogimur.

Vbi,

Vbi, eius quod suprà adnotatum est meminisse oportet, quartanarios non vno medicamento purgandos esse: sed per varias vices conuenienti præparatione interpositâ, peccantis melancholiæ vacuationem esse moliendam: quoniam crassus humor vna vice vix expurgatur.

Vomitus ad melancholicam materiam eradicandam, minùs est vtilis, vt ex Hippocrate *colligimus. Sed ad copiosiorem pituitam in ventriculo stagnantem, & febrem quartanam quodammodo fouentem vacuandam, prodesse plurimùm poterit. Atque eo nomine illius vsum consuluit Galenus [a]: vel si ventriculus ineunte accessione fit nauseabundus, portione humoris febrem facientis ad ventriculum inclinante: in ipso paroxysmi principio commodum fuerit vomitum ciere: vt in priore casu die accessionem præcedente. Atque id per mitiora potiùs, quàm per vehementiora præstandum: præterquam in robustioribus, qui à multo iam tempore febre tenentur: quibus etiam efficaciora exhibere conueniet, Galeno [b] consulente. Pareiùs tamen his vti conuenit, præsertimque helleboro: quàm ipse Pergamenus suadere videatur. Cùm qui hac ætate viuunt, admodum delicati, vix talia ferant.

*4. Aph. 9

a 1. ad Glau. cap 11.

b Loco recens.

Cùm autem vomitum prouocare expediet, securiùs erit cum Galeno, aliquantulùm à pastu; quàm ieiuno ventriculo cum Alexandro, eam vacuationem moliri. Sic enim ægri faciliùs vomitionem ferunt; & commodiùs, simul cum cibis, crassi & viscidi humores educuntur. Leuioris vomitorii sit hoc exemplum.

℞. radicum raphani ℥. iii. foliorum atriplic. & anethi ana m. i. hordei p. i. coquantur in aqua q. s. in colat. ℥. viii. dissolue oxymelitis simplicis ℥. ii. misce exhibeatur tepidum. Efficacius hoc erit.

℞. rad. azari ʒ. ii. semin. raph. & porri, ana ʒ. i. florum genistæ p. ii. coquantur in decocto caricarum q. s. in colat. ℥. vii. dissolue mellis rosati ℥. ii. oxymel. scyllitici ℥. i. misce exibeatur tepidum.

Plerunque verò cum minori assumentis fastidio, & fœliciori successu, robustioribus, stibij vitrum, flores, aut crocus metallorum à granis duodecim ad viginti in vino albo oligophoro cum ℈. i. pulu diamarg aut alio cardiaco infusa assumenda præbentur.

Quia verò post omnes huiusmodi sensibiles vacuationes febres hæ à crassioribus humoris melancholici reliquiis fomentum capientes plerunque adhuc perseuerant: quod contumacis huius humoris residuum est, magno cum fructu calefacientium & attenuantium quorumdam medicamentorum vsu, insensibiliter dissipatur. Inter quæ theriacam maximè commendat Galenus [c] & succum cirenaicum nobis hac ætate incognitum. Theriacæ vires imitatur Mithridatium. Et consimili his facultate operantur, calendolæ, betonicæ, eupatorij Mesues, aut nepethæ succus ad ℥. ii. aut iii. cum vini albi pari quantitate potus. Quorum vim etiam imitantur millefolij, aut hyperici semen: si dragmæ vnius pondere cum duabus aut tribus vnciis vini albi assumantur. Necnon & puluis bezoar ad duodecim aut quatuordecim grana cum vino albo oligophoro haustus.

c Cit. 1. ad Glauc.

Sed maximè cauendum est, nè his in principio, vel ante statum vtamur. Tunc enim, talia, quartanas potiùs exasperant, quàm curent: imò hæc eadem omninò vitare oportet: si quartana à bile aut melancholia adusta excitetur. Nam calidiora omnia huiusmodi humores ferociores reddunt.

Nonnulli vt materiam in mineram febrilem transmitti solitam, aliò auertant; atque ita febrilium paroxysmorum perseuerantiam interrumpant phœnigmos & vesicantia carpis admouent. Quod remedij genus non inutile plerunque esse experimur: in diuturnioribus his febribus, postquam superioribus remediis curationem artificiosè, sed frustra persequuti sumus. Vt.

℞. mediani corticis ramorum nucis frustum pollicari latitudine & dupla longitudine, maceretur in aceto acerrimo per aliquot horas: tum carpis admoueatur & circumligetur. Vel.

℞. frustum radicis dentilariæ Rondeletij minimi digiti magnitudine, aut circiter: & consimili modo carpis admoueatur: Vel tertiò.

℞. foliorum ranunculi seu pedis columbini m. ß. salis gemmei aut communis parum, aceti acerrimi tantillùm: contundantur in mortario marmoreo, & fiant epicarpia.

Huius generis sunt inunctiones quædam, quæ pro inungendis extremitatum arteriis, & spina dorsi præscribuntur. Vt.

℞. olei chamæmillæ, hyperici, aut rutacei ℥. ii. araneas nouem aut decem, vini albi odorati ℥. i. bulliant lento igne ad consumptionem vini: colaturâ, prædictæ partes ante accessionem liniantur.

Sunt qui periaptis seu amuletis vtuntur: non vulgares solùm, sed Medici etiam varij: vt videre est apud Trallianum [d]. Sed plurima horum, superstitiosa esse aut vana, comperiuntur. Quæ Caracalla apud Spartianum inania iudicans, voluit eos morte damnari qui ad tertianas & quartanas amuleta collo propendentia gestarent. Quædam tamen ex his

d Lib. 12. c. 8 ad fin.

iosita sibi à natura facultate, quam insensili quodam effluuio in corpora effundunt, præstare id possunt: vt multi salutari experimento comprobarunt. Sic lacerta cannâ aut paruo aliquo alio tubulo inclusa, & collo apposita; vel ex Dioscoride[e] atque aliorum experimento, vermiculi capitulorum dipsaci in folliculo alligati, & collo aut brachio appensi, inueteratas quartanas sanant. Tandem vacuato aut insensiliter dissipato humore, & finitâ febre: intemperies quæ in visceribus restant, alijque affectus diuturnioris febris sequaces, emendandi sunt; ne recidiuæ consequantur. Ad ventriculi ergo robur procurandum præter fotus, illitiones, & emplastra, quorum suprà[f] meminimus, vel sacculos consimili materia eâ arte concinnatos quam in nostris formulis docebimus: maximè vtilis erit decocti absynthii, aut vini absynthitis, necnon syrupi eiusdem, vel syrupi de mentha, quorum singula per plures dies continuare iuuabit.

e Lib.3 c.11

f Cap. 13.

Lien tumidior, qui finitis etiam quartanis sæpè negotium facit; ea ratione curandus erit, quam proprio capite infra docturi sumus.

Quòd si calidior quædam iecoris intemperies residua sit; præsertim in iis spuriis, quæ vel ex bile melancholiæ admixta, vel à deusta aliqua melancholiæ specie generantur: ea non aliter emendanda erit, quàm prout capite præcedenti fuit explicatum.

Ac demum si importunæ cuiusdam siccitatis & caloris reliquiæ, in vniuerso corpore citra viscerum obstructiones post spurias eiusmodi febres restarent: aut hypocondriaci affectûs suspicio sequeretur: nihil pro horum symptomatum curatione æquè vtile futurum est ac tepentis aquæ balneum. Cuius vsu, & totius corporis siccitas, & ardor in visceribus latens corrigetur.

Postremò victûs rationis talem modum præscribere oportet, qui naturæ vires fouendo; prædictis indicationibus, per singula morbi tempora proximè respondeat: eâque arte decernatur, vt & naturam tueatur, & morbo atque eius causæ obsistat.

In legitima ergo quartana, scilicet à melancholia excrementitia secundùm naturam orta, talem viuendi normam instituere conuenit: quæ moderatè calefaciat, & efficaciùs humectet. Nam quæ refrigerant & humectant, in his vitare oportet ex Galeno[g], non disiunctim tamen, sed vt interpretatur Stephanus Atheniensis, copulatim. Quoniam enim humectantia vtilia sint in his febribus: eadem tamen futura sunt noxia, si simul frigida extiterint: melancholiam enim magis incrassant, & natiuum calorem obruundunt.

g Co. 1. ad Glauc.

In ea verò spuria, quæ ab humoribus per diuturniores febres assatis nascitur, aut à bile flaua melancholiæ permixta generatur: victûs rationem ad frigidum paulillùm inclinare necessum est, vt humoris feruor extinguatur, & æstus in ægrotantis corpore à febre excitatus mitescat.

Aër ergo pro legitima quartana laborantibus, sit in actu is temperatus: vel ad eos qui posterioribus his nothis afficiuntur, ad frigidum vergat: in quibusque verò ad humidum inclinet.

Motus vehementiores, caueantur: moderati autem, opportunis horis permittantur.

Somnus, sit mediocris: & vigiliæ corpus plurimùm exsiccantes vitentur. Animi pathemata vehementiora, his omnibus sunt noxia, præsertimque metus & tristitia: atque omnis profundior cogitatio. Necnon in spuriis illis recèns relatis, vehemens animi contentio, atque ira. Hilaritas verò quibusque est salutaris.

Aluus libera conseruetur. Quæ si non spontè cedat, mitioribus & emollientibus clysteriis irritetur. Quale hoc erit.

℞. foliorum maluæ, altheæ & borrag. ana m. I. caricarum pinguium paria sex, seminum fœnic. & anisi ana ʒ. i. ß. coquantur in aqua q. s. in colat. ℔. i ß. dissolue mellis rosati ℥. iiii. olei rosat. & liliorum ana ℥. i. ß. misce fiat clyster. Tunc verò paulò acrioribus vti licebit cùm priores ad citandam aluum non sufficient, his qui legitimâ quartanâ laborant. Sit hoc paulò efficacioris exemplum.

℞. folior. maluæ, mercur. & betæ ana m. i. centaurii minoris m. ß. sem. fœnic. & anisi ana ʒ. ii. flor. chamæm. & melil. ana p. i. violar. p. ii. coquantur in aqua q. s. in colat. ℔. i. dissolue cathol. ℥. i. elect. diaphœn. ℥. ß. aut ʒ. vi. mellis rosat. ℥. iii. misce fiat clyster.

Quidam victum tenuem consulunt, vt videre est apud Celsum suprà. Sed id planè alienum est à ratione. Quò longius enim peragrandum est iter, eò copiosiore viatico indigemus. Hinc Hipp.[h] victum tenuem atque exquisitum in morbis longis, semper periculosum esse affirmauit. Et Aristoteles[i] in quartanis febribus rationem victûs extenuandam non esse perhibuit. Quare largiùs & proximè ad consuetum viuendi modum, quartanarios in principio & augmento nutrire expediet: idque diebus intermissionis: cùm per accessiones abstinere oporteat. In statu verò, tenuior victus est exhibendus: iuxta Hippocratis præceptum.[l]

h 1. Aphor. 4

i Sect. 1. prob. 38.

l 1. Aph. 10.

Vitentur autem omnia quæ nigrum, crassum, & viscidum succum generant. Qualia sunt ferarum, & porcorum carnes, bouinæ item, & leporinæ, necnon auium palustrium. Pisces præterea cetacei, cartilaginosi, & viscidam, mucosamque carnem habentes. Ac demum legumina, caules,

pastilia,

pastilia, & similia. Contrà verò laudantur auiculæ montanæ, pullorum, gallinarum, perdicum, iuniorum columbarum, ac consimilium auium carnes, itemque hœdinæ ac vitulinæ: necnon pisces saxatiles, cæteraque edulia boni succi, & facilis coctionis.

Verùm grauis admodum est controuersia, num acrioribus etiam cibis, salsamentis, pipere, sinapi, & similibus, vti liceat. Quæ Galenus consulit in quartanis [m]. Cùm contrà, eadem multis rationibus improbet Trallianus [n]: sed facillimum est hanc controuersiam, ex Tralliano ipso dirimere: si diuersitatem succorum quartanas inducentium consideremus. Excrementitia enim melancholia secundùm naturam genita legitimam intermittentem generans: cùm attenuatione plurimùm indigeat, frigidusque sit humor, nec tantæ siccitatis, quin fluiditatem aliquam adhuc retineat: illis plurimùm emendatur alimentis, quæ Galenus consuluit. QVæ tamen minimè vsurpat sola, nè nimiùm exsiccent: sed illa humectantibus aliis eduliis in condimentum permiscet. Ita piper, non quidem solùm, sed cum aqua assumi iubet. Quibus præterea tunc oportunè vtemur, cùm morbo à vigore aliquantulum declinante, his etiam vti medicamentis iuuat, quæ attenuando, peccantis melancholiæ reliquias insensiliter digerunt.

m Cit. 1. ad Glauc. 11.
n Lib. 12. cap. 8.

At si melancholiam ex aliorum succorum vstione genitam febrem quartanam inferre contigerit: acriora hæc illam exasperabunt. quare potiùs ea ad alimentorum condimentum eligere conueniet, quæ in actiuis temperata, euidenter humectent. qualia sunt hordeum, borrago, buglossa, poma, pruna, passulæ, liquiritia, & similia. Vel si simul refrigerent aliquam etiam vim detergentem habeant. Cuiusmodi sunt cichoracea atque alia consimilis temperaturæ quæ superioribus capitibus relata fuerunt. quorum posteriorum vsus, etiam in continuis quartanis vtilis est: tam in alimentis, quàm in medicamentis.

Potus per accessionem, postquam rigor omnisque perfrigeratio cessauerit, sit vulgaris prisana, seu hordei cum liquiritia decoctum; vel aqua in qua coriandri præparati incoxerint, in qua syrupus de pomis simplex dissoluatur: vel decoctum ex foliis ceterach & paucâ cornu cerui rasurâ breui ebullitione ad vini rubelli colorem deductum & per manicam colatum. QVoniam verò hi, tempore paroxysmi, vehementissima siti aliquando torquentur, & à nimio potu, periculum est ne illis lien intumescat: expediet eos sitim per interualla fallere, his remediis quæ capite de hydrope referemus. Nimio enim potui indulgentes, à tumore lienis, aut citra illum, possent hydropem incurrere.

Per intermissionem verò, Galenus [o] vinum probat album, tenue, & moderatè calidum: atque ideò mediocriter temperatum, vt moderatè calefaciat, & humectet: necnon humorem crassum qui in vitio est attenuet & concoquat, omnesque naturales functiones viribus naturæ recreatis adiuuet.

o Cit. 1. ad Glauc.

De febris hecticæ cognitione, & curatione.

CAPVT XVI.

HEctica ἀπὸ τῆς ἕξεως, hoc est ab habitu appellatur: seu quòd corporis non ambitum scilicet τῆς σώματος κατασκευῆς corporis structuram complectentem, sed habitum & partes solidas tam viscerum quàm aliorum membrorum occupet, vt ex Galeno [a] colligimus: seu quòd habitum iam contraxerit, & solutu sit difficillima; eodem authore [b], quòd non solùm de confirmata intelligendum est, sed etiam de incipiente. Quæ licèt ex Pergameno [c] non difficilè soluatur, scilicet artis operâ: ea tamen propriis naturæ viribus nunquam curatur, vt infrà docebimus. Ex quo capite curationis hecticæ difficultatem potiùs quàm abundè esse petendam censeo.

a De differ. feb cap. 7.
b 10. meth. cap. 8.
c 1. de differ. feb cap. 9.

Ea verò est intemperies calida, in cordis totiusque corporis solida substantia æqualiter accensa, ex Galeno [d] de qua (vt notauit Mercurialis) sub marasmi & tabis nomine, antiquiores meminerũt. Quamuis non eadem sit ratio tabis, & febris hecticæ: vt ex his discere licebit, quæ alibi [e] docturi sumus.

d Lib. de inæquali intemperie cap 6.
e Libr. seq.

Quòd si nonnulli, siccam intemperiem necessariò febrem hanc comitari, atque eius essentiam complere asseuerent: quòd aliqua humidæ substantiæ consumptio, illam consequatur. His & ratio & Galenus aduersantur: Etenim cùm prius in solida cordis substantia præternaturalem calorem accensum esse oporteat, quàm aliquam illi annexam humidam substantiam excolui: antè febrem hecticam genitam concipiamus oportet, quàm quidpiam in nobis sit exsiccatum. Galenus verò [f] in hecticarum febrium principio, solam quandam humorosæ substantiæ efferuescentiam fieri scribit: & sine siccitate sæpiùs febres hecticas consistere.

f Cit. 1. de differ. feb. c. 9.

Æqualiter accensum diximus, quòd vniuersam cordis totiusque corporis substantiam occupet.

Nec aliqua ſit membrorum heterogenea portio quæ talem non contraxerit intemperiem.

Illius tamen proprium ſubiectum, cordis, partiumque cæterarum, ſolidam ſubſtantiam eſſe aſſeruimus. Non quòd in ea ſola ſit accenſa; ſed quòd vnicum hoc febrium genus, in ea cordis, corporiſque reliqui ſubſtantiæ portione, de facto imprimatur. Vnde fallitur Mercurialis [g] inquiens, in aliis etiam febribus, calorem in facto eſſe ſolidas partes occupare: eóque ſolùm differre ab hectica, quòd illæ facili negotio, hæc difficillimè expugnetur. Hinc enim ſequeretur, omnes febres lentas ex meſenterij obſtructione genitas, quæ difficilè admodum curantur, eſſe hecticas: quod tamen vix quiſquam eſt conceſſurus.

Differentiæ hecticarum, ſunt multiplices: prout à variis trahuntur capitibus.

Primùm enim à conditione caloris præter naturam qui cordis toti ſubſtantiæ imprimitur, oritur hectica ſimpliciter dicta, & hectica peſtilens. Hecticam ſimpliciter eam appellamus, quæ à ſolo immodico calore ſenſim ad exſiccationem pergente excitatur. Peſtilentem eam verò dicimus, in qua calor ille præter naturam aduenieus, toti corpori, atque ipſius etiam cordis ſubſtantiæ putredinem inſinuat, de qua ſuperiùs [h] egimus.

Secundò, ex breuiore, aut longiore tempore à quo caloris præter naturam in ſolida cordis ſubſtantia accenſus eſt, & à diuerſo effectu conſequente: febris hectica diſtinguitur in incipientem & progreſſam. Incipientem eam nuncupamus, in qua ex Galeno [i], & quemadmodum inſinoatur ab Auicenna [l] ex præternaturali calore in ſolida cordis & reliqui corporis ſubſtantia à non multo tempore concepto, humida ſubſtantia illi annexa efferueſcens nondum conſumitur. Progreſſam verò eam vocamus in qua ex longiore prædicti caloris perſeuerantia aut maiore ſaltem vehementia, humidæ membrorum ac cordis ſubſtantiæ facta eſt aliqua conſumptio. Cuius ex Galeno [m] triplex eſt gradus, pro triplici humidæ membrorum ſubſtantiæ diuerſitate. Vel enim roridus partium humor, & qui proximè ad illarum alimoniam deſtinatur, antequam in aliti ſubſtantiam conuertatur, caloris vehementia ita abſumitur, vt ad reparandum quod continuo effluuio diſperit, pro more minimè ſufficiat. Et febri, talem humorem acriùs depopulanti, hecticæ maraſmodis non exquiſitæ nomen indimus. Vel ſubſtantia illa carnoſa quæ ſingulis ſimilaribus membris eſt propria à caloris depaſcentis ardedine iam exoluitur: non ſolus circunfuſus adeps & muſculoſa caro, vt nonnulli interpretantur, ſed parenchymatum etiam, venticuli, venarum, arteriarum & ſimilium partium ea humida portio quæ non dudum antea ex alimentari rore in ſubſtantiam membrorum fuerat conuerſa. Et hectica quæ eò peruenerit, maraſmodes exquiſita nominatur. Vel demum pingue illud & magìs excoctum partium humidum, qood calidi inſiti & viræ fomentum eſt, ſimul etiam exſiccatur: & ſit torridus marcor ſeu maraſmus, vel hectica conſummata. Quorum graduum ſinguli non in indiuiſibili conſiſtunt, ſed magnam etiam habent latitudinem. Quæ febrium hecticarum diſtinctio, licèt à vulgati plurimorum loquendi modo aliquantulùm abſit: eſt tamen Galeni doctrinæ acuratiùs examinatæ conſentanea, & rei naturæ congrua. Etenim cùm hecticæ formalis ratio in eo conſiſtat, quòd calor præter naturam in ea heterogenea cordis ſubſtantia (quam ſolidam appellauimus) ſit impreſſus: cùm primùm ea ſupercalefacta fuerit etiam ante omnem innati & circumfuſi humidi exſiccationem, febrem hecticam conceptam eſſe fatemur, oportet. Quia tamen infeſtus ille & præter naturam calor, diu perſeuerare nequit ſolidis partibus infixus, quin humidum membrorum depopuletur: effectu vario, efficientis variatur & nomen. Ac qoonian omne agens in id vim ſuam primùm imprimit, quod minoris eſt reſiſtentiæ: illud humidum principio abſumitur, quod in roris modum per ſubſtantiam partium effuſum, calori exoluenti faciliùs cedit. Mox verò (vt docet Auerrhoës [n]) ſubſtantiale etiam humidum, & quod iam pars eſt membrorum deperit. Quod quia (vt aliàs [o] docuimus) eſt multiplex, & ſummè excoctum illud, cui ſalis nomen inditum eſt, abſumi vitâ perdurante non poteſt: aqueum primò quòd membrorum ſubſtantiam carnoſam à Galeno appellatam complet, ac demum etiam oleagineum, inimicam caloris præter naturam concepti vim experitur.

Tertiò ea aduertenda etiam eſt febrium hecticarum differentia, quæ ad curationem rectè inſtituendam magni eſt emolumenti: quod ex Galeno [p] alia ſi ſolitaria, & nulli alteri morbo complicata: alia verò alteri morbo coniungatur, vel putridæ febri, pulmonum vlceri, aut cuipiam ſimili.

Cauſæ hecticarum ſimpliciter dictarum tam internæ quàm externæ ſunt eædem atque ephemerarum, imo & quæ humoroſarum. Sed eas aut vehementiores eſſe oportet, vt eam cordis ſubſtantiam accendant, quæ difficillimè incenditur: aut ſubiectum ad calorem concipiendum admodum aptum eſſe, neceſſum eſt. Vnde accidit febres hecticas nonnunquam per ſe primò inuadere: cùm ſcilicet vehementiores externæ & præincipientes cauſæ in corporibus plurimùm calidis & ſiccis illas accendant, vt habetur apud Galenum [q]. Non quòd antè ſpirituoſa necnon & humoroſa ſubſtantia cordis quàm ſolida non fuerit accenſa, atque ideò ephemera hecticam non præceſſerit: ſed

quòd

g Lib. 5. pract. cap 7.

h Cap. 12.

i 1 de diff. feb. cap. 9.

l Lib. 4 fen 1 tract. 3. cap 1.

m 10 meth cap. 11.

n 3 collig. c. 11

o Lib. de innato calido & humo. primig cap 9.

p 1 de differ. feb cap. 10.

q 1 de diff. feb cap. 8. lib 10. meth. c. 2 & 3 de praeſ. ex pulſib. cap. 4.

quòd cùm momentanea ſpirituoſæ ſubſtantiæ aut imperceptibilis ea humoroſæ ſupercalefactio, ſolidæ incendium præcedens, euidenter diſcerni nequeat, totum in hecticam referamus. Sæpiùs verò hecticæ alias febres conſequuntur ardenteſque præſertim, aut humoroſas nonnunquam alterius generis, quæ ab errore aliquo vel ſint in longius tempus protractæ, vel vehementiùs accenſæ. Aliquando præterea diariis productis ſuccedunt; ex magna corporis ægri ſiccitate, & natiua calida intemperie ad intenſiorem calorem concipiendum aptiſſima. Quinimò inflammationes etiam, & eryſipelata iecoris, aut ventriculi quandoque conſequuntur: vel aliàs diuturniori empyemati, vlcerique pulmonum ſuperueniunt.

Quòd ſi Galenus in aliquibus locis [r] videatur affirmare, hecticas alteri morbo ſemper ſuccedere, & nunquam primò inuadere: vel intelligendus eſt de tabida: vel quòd id infrequens ſit, raroque accidat, accidere negat: vel demum attendit ad imperceptibilem illam ephemeram, ex natura rei neceſſariò præcedentem. r 2. de criſi. vltimo verb.

Signa hecticis omnibus communia, hæc ſunt: calidum, quod ab illis exhalat, cùm principio tangenti mite appareat, poſt aliquam moram acre ſentitur, & admotam manum ſparſim pungere videtur: cùm interim ægri ſe febrire non exiſtiment, quòd intemperiem æqualiter ab omnibus corporis partibus contractam ſentire nequeant. Arteriæ cum celeritate aut frequentia ſaltem pulſûs; hoc habent, quòd illis ſuperinducta cutis, calidior quàm alibi ſentiatur. Quia arteriæ à corde ortæ, vehementiorem calorem in eodem conceptum præ cæteris omnibus partibus euidentiùs repræſentant. Etſi verò arteriæ locus calidior ſentiatur quàm circunſtantes: non tamen arteria in omni etiam hectica dura eſt. Etenim in hectica incipiente, & humore ſolidarum partium tantùm efferueſcente, arteria nondum ſiccitatem contraxit. Quare cum ratione Galenus [s] ſcribit pulſus duros non in omni hectica febre inueniri, quòd earum nec proprius ſit nec inſeparabilis. Præterea in quocunque tabificæ ſeu progreſſæ gradu, quacunque horâ cibentur ægri, poſt vnam aut alteram horam ſolito calidiores apparent, & eorum pulſus aliquantò maior & celerior redditur. Quod proprium & inſeparabile progreſſarum ſignum eſſe, cum Galeno [t] docuit Auicennas ſuprà. Atque id quidem accidit, quò ex cibo, potùque iam attenuato & rarefacto in ventriculo, copioſus quaquauerſum effuſus vapor; vt aqua calci, ſic ſolidis ſe partibus inſinuans copioſiorem calidam effumationem exciter. Non quòd humidus ille vapor, corporis compagem emolliendo diſſoluens occaſionem præſtet empyreumati quod reliquo craſſamento permixtum eſt, ſe reducendi in efficacem calefaciendi actum, vt in calce fit: ſed quòd craſſus ille ciborum vapor veluti noua materia ad ſuperincaleſcendum aptiſſima, per membrorum præcalidam ſubſtantiam ſparſa ſuperincaleſcens, copioſam calidam effumationem in cutem effundat, quæ tangentibus ob maiorem calidi effumantis copiam, aucti etiam caloris ſpeciem præſtat. Atque ita huius ſymptomatis cauſa explicatâ Galenus ab Auerrhois dicteriis [u] vindicatur. Pulſus autem tunc maiores & celeriores quàm antè euadunt: quòd per eorum vaporum effuſionem arteriæ quadantenus molleſcant.

s 1. de differ. feb. cap. 7.

t Cit. 1. de differ. feb. c. 9.

u 4. collig. cap. 33.

Hecticorum vrinæ, ſanorum vrinas proximè imitantur. A quibus tamen vt plurimùm, eo differunt: quòd citrino colore paulò ſaturatiore tingantur. Demum eam febris cauſam externam, & procatarcticam, vel internam præceſſiſſe aduertemus: quæ maximum in corpore incendium excitauerit: vel ita diſpoſitum fuiſſe ægrum, vt ex mediocri etiam calefaciente, totus illius habitus facillimè incaluerit.

Signa diſtinctiua differentiarum, ſunt ſatis obſcura. Ea tamen pro noſtro captu perſequemur.

Peſtilentem quidem à non peſtilenti, ex his quæ ſuprà [x] docuimus, facilè diſcernemus. x Cap. 12.

Putridæ coniunctam, ex Galeno [y] ſic agnoſcemus: quòd cùm ex acceſſionum & remiſſionum periodis putridam ægrum infeſtare appareat. Præterea effumatio quæ à ſic febriente exhalat acrior ſit quàm tali humoroſæ febris differentiæ conueniret. Minor etiam ſit pulſus & frequentior. Necnon cutis arteriæ ſuperinducta, calidior. Et quòd cùm humoroſa febris remittitur, ægro ſe febrire non exiſtimante, adhuc perſeuerans febris à Medico ſentiatur ex calidi effumantis acritudine & pulſûs crebritate. Quibus ſi accedat, eas cauſas, eamque ægri conſtitutionem præceſſiſſe, ex quibus ſolida cordis, corporiſque totius ſubſtantia, calorem præter naturam facilè contraxerit: certum iam erit, putridæ euidenti hecticam eſſe ſociatam. y Cit. 1. de differ. febr. c. 9

Hecticam incipientem & primi generis non immerito Auicennas [z], vt facilis curationis, ita difficilis cognitionis eſſe affirmauit. Quam tamen ex Galeno [a] his notis cognoſcemus. Primùm quòd cùm febris ex his cauſis ſit accenſa, quæ ephemeras excitare conſueuerunt: nulla ex vrinis apparente nota putredinis, febris vltra quartum diem perſeueret, ſenſim increſcente exhalantis effumationis acritudine, circum arterias quàm alibi euidentiore.

z Lib. 4. fen 1 tract. 1. cap. 5 & tract. 3. c. 1

a Cit. 1. de differ. feb. c. 9.

Pulſus non ita parui ſint, neque ita imbecilles, & duri, atque in aliis hecticæ differentiis. Et calor tangentibus maior quidem appareat, ob copioſiorem euaporationem: minùs autem acris ſen-

tiatur,

tiatur, quòd nondum progressâ exsiccatione minùs fumidum sit quod exhalat.

Marasmodem non exquisitam detegemus, si calore minimùm remisso ab eo quem antè in hectica incipiente deprehendebamus; de nouo accidat, ab assumpto quacunque horâ cibo, cum incompressa annotatione, cutem calidiorem non ab ægro, sed ab alio tangente percipi, vt di cet Galenus [b]. Voco autem annotationem incompressam, in qua neque horror aliquis, nec extremarum partium frigefactio facta est, neque veluti quædam dormitatio, neque aliqua insignis pigritia, aut omninò inæqualitas aliqua vel in caliditate, vel in pulsu: adhuc autem magis neque paruitas, neque debilitas, neque horum aliquid aliud: sed quemadmodum & cuicunque alteri, ex cibo maior statim ac velocior pulsus efficitur. Præterea corpus tunc incipit emaciari, & cutis aliquantulùm exsiccari: nondum tamen asperitatem referre. Pulsus tandem cum celeritate, & frequentia: ad paruitatem, imbecillitatem & duritiem conuertuntur.

[b] Lib. 1. de diff. feb. cap. 9.

Exquisita marasmodes ex eo innotescit, quòd exhalantis calidi post aliquam moram acritudo maior percipiatur, macies increscat, cutis siccior, duriorque sentiatur, tempora collabantur, pulsus sint parui, frequentes, imbecilli, & iam manifestè duri. Præterea quòd in vrinis quædam quasi aranearum tela innatet quæ baculi cuspide collecta, & igni admota, non liquatur, vt in colliquantibus febribus aduenit: sed plerunque leuiter crepitat. Per febres enim colliquantes, quod in corporibus pinguius est promptè eliquatum, per inferiores ductus vrinis vel fœcibus permixtum effluit. Per marasmodes autem, ob colliquantis lentitudinem, quod ex carnosa substantia eliquatur, in vaporem & fuliginosum halitum digeritur. Sed tenuior alimentorum terrea portio, quæ à caloris acritudine superexcoquitur, à potulento liquore soluta, sero, vrinisque permiscetur: quæ dum exeretæ perfrigerantur, & quæ illis admixta sunt pro cuiusque conditione secedunt: tenuis illa salsuginosa substantia in superficiem abit, & in innatantem veluti telam concrescit.

Marasmi tandem notæ sunt: quòd eo laborantium oculi sint admodum concaui, & quasi foueis reconditi, palpebris sæpiùs conniuentibus dormientium more; non tamen ex somno, sed ex imbecillitate eas eleuandi. Eisdem si quæ adhæreant sordes, admodum siccæ sunt. Collapsa apparent tempora. Cutis frontis arida est, & tensa. Vitalis coloris flos in facie apparere solitus, iam est extinctus: cum tanta totius corporis macie, vt penè consumptis carnibus cutis ossibus superinducta videatur. Compressum est abdomen, & præcordia thoracem versus quasi contracta. Pulsus demum tenues sunt, duri, debiles & frequentes: qui sensim ad miuros deficientes transeunt.

Quod ad prognosim pertinet. Omni hecticæ commune est, à natura citra opem medicam curari nunquam posse. Quoniam cùm ea sit calida intemperies toti membrorum substantiæ æqualiter impressa: nulla est pars quæ natiuam temperiem retinens, valeat externo etiam calefaciente amoto, reliquas pristinæ temperaturæ restituere.

Neque obiiciatur aquam vbi tota incaluerit, posse se per suam formam reducere ad pristinum frigus, externo calefaciente remoto. Quare animam multò nobiliorem formâ elementari, posse etiam membra, vbi plus iusto quantumuis æqualiter incaluerint, ad naturalem temperaturam reducere. Vnde Suarez [c] affirmat, formam mixti vim & efficaciam habere temperamentum sibi conseruandi, aut recuperandi illud, si extrinseca impedimenta tollantur. Et Mercatus [d] asserit hecticum corpus habere intrinsecum sanitatis principium, ipsam animam.

[c] Disp. 15. metaphys. sect. 10 num. 50

[d] Lib. 5. de diff. feb. affec. 1

Verùm isthæc minimè nos morantur, nec à priori sententia diuellunt. Etenim quod ad aquam spectat; ea pristinæ restituitur frigiditati, non à propria forma: sed vel à partibus quæ sibi innatum frigus adhuc conseruarit, vnde lebetis fundum frigidum esse solet ad primum aquæ feruorem, quòd partes aquæ adhuc frigidæ ad fundum concentrant vt se & vas ipsum in quo continentur, quàm maximè possunt, tueantur. Vel aqua secundùm se totam calefacta, ab aëre circunstante refrigeratur: & ad tantam frigiditatem reducitur, quantum est circumstantis aëris frigus.

Cæterum, formam per se non posse eam qualitatem quantumuis sibi naturalem, id est conuenientem, in materia introducere: ex eo certum videtur, quòd communi effato asseratur, substantiam per se non agere, vt aliàs fusè [e] probauimus. Nec obstat formam in materia aliqua introductam ante introductionem vltimi gradûs dispositionum sibi conuenientium, eum extremum gradum producere. Nam potiùs dicimus, ab eodem agente à quo forma substantialis producitur, vltimum illum gradum dispositionum comproduci. Quod ad Soarez verò spectat, forma quidem mixti per dispositiones sibi connaturales (quibus vtitur vt integritatem proprij suppositi tueatur) in aliquibus partibus suæ molis conseruatas integras, potest reliquas conuenienti temperamento restituere, sublato externo corrumpente. Per seipsam verò & immediatè, si nulla sit pars mixti quæ distemperata non sit; præter omnem rationem asseritur: cùm substantiæ non nisi mediis qualitatibus operentur, & nulla substantia creata possit esse immediatum principium actionis accidentalis: vt ex Arist. D. Thoma, & Scoto, aliàs probauimus [f]. Nostram præterea sententiam multò probabiliorem

[e] Libello exercitationum scholar. exercit. 6.

[f] Cit. exercit. 6.

liorem

liorem esse opinione Suarez, euidenter indicat ordinarius Dei optimi maximi procedendi modus. Qui si quando ab æquiuoco aliquo agente tales introductæ sunt in patiente dispositiones, quæ alteri formæ substantiali magìs conueniant quàm inexistenti: solet causæ vniuocæ vicem supplendo, formam dispositionibus introductis magìs conuenientem priore destructâ introducere. Magis enim decere videretur tanti authoris bonitatem, quæ ad nullius rei destructionem per se conspirat, præexistentem formam in materia relinquere, quæ æquiuoci agentis operatione cessante, propriis viribus materiæ sibi subiacenti congruas suæ naturæ dispositiones restitueret: quàm ad illius ruinam, nouam formam introducere, quando eius efficientiam agens æquiuocum attingere non potest: vt aliàs efficacibus argumentis conuincimus. Mercatus autem, longè magìs à recta ratione mihi abesse videtur: cùm nititur ex eo suam tueri sententiam, quòd in hecticis residuus sit calor, quo tanquam instrumento, anima potest conuenientem sibi temperiem iam amissam reuocare. Cùm enim ea temperies quæ ante hecticam corpori inerat, per caloris & siccitatis subsequens incrementum deperierit: nec possit in priorem redire constitutionem, quàm per earumdem qualitatum remissionem & contrariarum secundùm aliquot gradus introductionem: intelligi non potest, animam, talia caloris ope præstare: qui nec seipsum remittere, nec frigus per se generare potest. Neque hìc actiones quæ à calore per accidens fiunt apponantur: cùm hoc casu oporteat non per exolutionem calidi remissionem caloris procurari: sed cum incremento calidi & humidi vtraque qualitas quæ modum excesserat, debeat ad mediocritatem redire. Præterea in vtriusque prædictorum sententia, nunquam contingeret hominem ab interno principio mori. Etenim si anima per se, aut caloris etiam præter naturam ope, potest æquales intemperies corpori impressas emendare: multò faciliùs poterit eadem heterogeneas sui corporis portiones in æquilibrio continere, aduersùs magìs actiuas contranitendo: necnon & vitia per reactionem alimentorum introducta, mox emendare, eorumq; cauere progressum. Quæ cùm absurda sint, & quæ hinc sequuntur consequentiæ: in nostra persistamus sententia.

Sed eò reuersi vnde digressi sumus, pericula hecticarum persequamur. Inter cuius differentias, ea quæ pestilens est, vt suprà docuimus, nulla est medicabilis arte. Sicuti nec marasmus, seu quæ ad extremum exsiccationis gradum peruenit.

Quæ putridæ coniuncta est; quia non antè curari valet, quàm humorosa fuerit sanata: & hæc plerunque calidis indiget, aut deobstruentibus, aut vacuantibus; quorum vsu illa increscit: periculi plena est. Seu hectica, putridæ: seu, quod deterius adhuc, si hecticæ, putrida superuenerit.

Ita & quæ phthisi, aut visceris alicuius inflammationi consociatur: difficiliùs multò quàm solitaria curatur. Quia ex repugnantia concurrentium indicationum, curatio molestior est. Inter diuersos hecticæ gradus, ille qui in sola vitalis humidi effernescentia consistit: difficiliùs cognoscitur, quàm curetur. At tabida alterutra quæ inter incipientem illam & marasmum est media: prout ad priorem magìs accedit, ita difficilioris est cognitionis, & facilioris curationis: & contrà, quò magìs ad marasmum vergit. Maximè tamen in vtraque curandum est: nè in remediorum administratione peccetur, grauem enim & per se difficilem morbum, leui errore grauissimum & incurabilem reddimus.

Ætas in hecticam procliuior, est iuuentus, & senectus. Illa quidem ob acritudinem caloris: hæc verò, propter facilem humidi continuò diffluentis consumptionem.

Anni tempus demum hecticis molestissimum, est autumnus. Qui ex Hippocrate [f] tabidis malus. Quæ tamen hieme inceperit, difficiliùs sanatur quàm alia tempestate incipiens: quòd oporteat illam potentiorem causam nactam fuisse, à qua sit introducta. f 3. Aph. 10.

Pro febris hecticæ curatione notandum principio est, cùm acciderit hanc alteri morbo, pulmonum vlceri, viscerum phlogosi, antiquæ obstructioni, febri putridæ aut simili coniungi, qui vel hecticam excitarit, vel eamdem quomodocunque nunc foueat: ante omnia procurandum esse, vt morbus huiusmodi curetur: &, ex Galeno [g], quodcunque illam accendit, aut eius ignem nutrit, submoueatur. Quod, qua arte exequi oporteat illic explicatum fuit, vbi de morborum qui tunc occurrent curatione tractauimus. Quòd si in eo hecticæ & alterius cuiusuis morbi concursu, indicationes curatiuæ sibi inuicem aduersentur: ea erit opus solertiâ, vt primò quidem illius affectûs curationi attendamus, qui vel causæ rationem habet, vel quo perseuerante curari alter non potest, vel à quo periculum citiùs impendet: sed ita præscripta temperemus, ne quàm minimùm habitualem intemperiem intendamus. Quoniam verò ad hecticæ curam commendari lac solet; meminisse oportet, illius vsum his maximè noxium esse, qui simul febre putrida laborant: quòd obstructiones augeat, & facillimè putredinem contrahat, vt colligere ex Hippocrate possumus [h], & docet Mercurialis [i], qui etsi balneum eo etiam casu improbet, tunc tamen eo licere vti censeret, quando in putridis eiusdem conditionis vsurpari commodè posset: vt contrà ab eo omnino abstinendum, g 8. meth. c. 1 h 5. aph. 44. i Tom. 1. consult. 23.

cùm in putrida, illi quæ hecticæ consociatur simili, si solitaria foret, nocuum iudicaretur.

Quando verò hectica solitaria, & nulli alteri morbo coniuncta ægrum tenuerit: ea per contrarias alterationes sic erit oppugnanda, vt citra ægri molestiam, & virium exolutionem; sensim, sed sine intermissione, contractæ intemperiei obseruemur. Verùm magna est diuersorum hecticæ graduum curandorum differentia. Etenim quæ recèns impressa est, & vel in sola vitalis humidi efferuescentia consistit, vel marasmodem non exquisitam nondum est prætergressa: sola sed accurata & continuata alteratione curabitur. Vacuationem quidem nullam insignem ad sui medelam per se requirit hæc febris: quæ nec ex sanguinis superabundantia, neque ex vlla succorum prauitate vt causâ continente nascitur. In qua prætetea nulla perfrigerij spes, quenquam ad sanguinem mittendum debet inuitare. Cùm calor ille præter naturam per corpus effusus, neutiquam fit in fieri, quem feruor succorum inducat: sed in solidis partibus æqualiter introductus in humidi consumptionem conspiret. Quam eò celeriùs inducetemus, quò alimentarium membrorum fomentum largiùs effunderemus. In alterantium autem vsu meminisse oportet, quoniam calor ille immodicus breui sibi siccitatem adiungit; refrigerantibus humectantia semper esse consocianda. Ea adhibita cautione ex Galeno [1], vt humectemus quidem semper & quàm maximè: cùm sic etiam caloris acrimonia retundatur; & humectantia lentè operando, nullam vim imbecilliori naturæ possint inferre. Ad perfrigerium autem, ineunte quidem hecticâ, ea assumere licebit quæ ad refrigerandum minimè sint ignauia: eâdem verò iam progressâ, quæ mitiora sunt tantùm vsurpare conueniet. Atque id, ne dum conatemur calorem præter naturam promptè retundere: simul paucum illud calidum quod residuum est, vel in membro aliquo, vel in corpore vniuerso, ex integro suffocaremus.

1 Lib. 10. meth. cap 7.

Media per quæ his intentionibus satisfit, ex victûs ratione, & pharmacia petuntur. Conuenientem victûs rationem talem per singula rerum non naturalium capita præscribemus.

Aër primùm ad humidum & frigidum inclinet. Ideò cubicula in regionibus quidem septentrionalibus, eligantur ad orientem æquinoctialem vergentia: in meridionalibus autem, quæ septentrionem spectent. Cauendùmque est per varias anni tempestates, nè dum fenestræ (sereno cœlo) ad liberum aërem introducendum apetiuntur: vel ex algore nimio ægrorum cute densatâ, libera transpiratio reprimatur; vel contrà ab immodico ardore, morbo incrementum accedat. Quòd si ob æstuosam regionis temperiem, aër calidior sit quàm expediat: vel ea quærere loca conueniet quæ propinquos habent fluuios, aut præterlabentes aquarum dulcium largos riuos: vel omni arte cubiculi aër in quo æger commoratur ita temperandus erit, vt ęstûs noxa auertatur. Quod assequemur: vel cubiculum frequenter irrorando aquâ egelidâ cum pauco aceto, rosarum, violarum, nymphææ, ac similium aquis stillatitijs ab omni empyreumate liberis, necnon eorumdem ac similium refrigerato decoctu, vel quotidie pauimentum aspergendo salicis, populi, vitium, violarum, nymphęæ, rosarum & consimilium foliis, aut floribus.

Motus omnes & exercitia pręterquam leues ante pastus deambulationes, his inhibere oportet, & quietem consulere.

Somnus moderatus esse conuenit, cauendùmque à vigiliis.

Mœror quicunque, animi anxietas, ac curæ, vitanda sunt: contrà rei familiaris neglectu habito, animus integrè laxandus, & hilaritate omni ingenio quęsitâ marcescens vita refouenda est.

Aluus libera conseruetur: ne fœces in ventre diutiùs stagnantes, suo putore calori prę er naturam concepto maiorem acritudinem addant. Quæ si fuerit segnior, vel immissis glandibus, vel iniectis clysteribus leniter irritetur. Clysteres hoc casu parari possunt, ex decocto herbarum emollientium & refrigerantium, aut ex aqua hordei: in quibus mel rosarum & violatum, ęquis portionibus dissoluatur, addita etiam aliquando cassiæ medullâ aut lenitiuo: vel horum vice saccharum album assumatur. Vtrisque oleum rosatum, violatum, aut nenupharinum, vel butyrum recèns eliquatum additur. Aliàs concinnentur ex iure pulli leuiter salito, aut ex lacte, & sacchato: vel ex sero lactis & melle rosato aut violato.

m 10 meth. cap 5.

Inedia, in hac affectu maximè est noxia & perniciosa: quæ, vt docuit Galenus [m], calorem acuit, & siccitatem infert. Quare si ex præcedenti morbo, cui hectica successerit, anorexia ciborúmque fastidium adsit, procurandum est vt amissam apetentiam reuocemus. Quod multò efficaciùs securiùsque assequemur: ea præscribendo quæ humectent, & refrigerent, seu cibi sint, seu alterius ordinis auxilia: quàm acria, salsa, atque alia quæ appetitum vellicare creduntur, liberiùs condonando. Tantillum enim tale si ardentiùs aliquando expeteterent, & quodcunque aliud minùs noxium, illis ex Hippocratis decreto [n] indulgere conueniet. Fieri enim poterit vt ventriculus suauitate alimenti quadantenus noxij à priore torpore excitatus vtiliora deinceps admittat. Si verò qui ægrotat nullâ teneatur inappetentiâ, prospiciendum est, ne plus ciborum in ventrem ingerat quàm

n Aph. 38. libri 2.

coquere

coquere valeat : aliter se cruditatibus infarciens putridæ febris generationi occasionem daret.

Sed maximè ea qualitatis eduliorum habeatur ratio : vt & humectent & refrigerent singula. Ergo illis in prandio & cœna iuscula exhibeantur. Quæ præterea oleribus refrigerantibus & humectantibus sint alterata. Huius ordinis sunt, endiuia, borrago, buglossa, lactuca, portulaca, acetosa, & similia. Radices eryngij, satyrionis, & tragopogoni quas commendat Platerus, non admitterem ; quia calidiores : neque spinachia, & betam, quòd nitrosum illud quo abundant, succos acriores reddat. Inter fructus, vtilia sunt mora, pruna, cerasa, ficus recentes : atque huiusmodi quæ primâ mensâ ministrantur. Cucurbitæ & anguriæ : iusculis incoquuntur. Poma cocta primâ mensâ exhibentur : cruda si ferantur, & pira pro varia conditione tum cruda tum cocta, pro bellariis suggerenda. Melones qui vitio careant in prima mensa, imò & simul cum carnibus ad gratiam non sine fructu comeduntur : modò à nimia quantitate caueatur. Carnes sint boni succi, facilis coctionis & minimè tardæ distributionis. Tales sunt pullorum, gallinarum, perdicum, phasianorum, cuniculi, iunioris leporis ; necnon vitulinæ, veruecinæ, & hœdinæ. Agninæ verò sunt aliquantulùm suspectæ (quamuis à Saxonia laudentur) quòd lienterias excitent, aut diarrhœas etiam aliquando frequentato vsu promoueant : quæ his ægris, præsertim iam imbecillibus sunt periculosæ. Præterea oua recentia, gallorum testes, ranarum coxæ, & pisces saxatiles elixati, eisdem conueniunt. Atq; hi ad gratiam & varietatem magìs : cùm familiaris eorum vsus minùs sit salubris.

Potus in hectica incipiente, præsertim si ea alteri febris speciei superuenerit, sit aqua cocta, in qua vel saccharum, vel syrupus violatus, capillorum veneris, cerasorum, granatorum dulcium, aut similis alius dissoluatur. Vel aqua hordei cum aliquot frustulis corticis citri conditi decocta. Necnon cereuisia tenuis, si huic potûs generi ægri fuerint assueti. Imò & frigida quæ eas conditiones habeat quæ salubrem aquam decent. Modò tamen simplex sit hectica : nec cum visceris vllius inflammatione tumoréue ex Gal.[o] pulmonum vlcere, aut putrida febre coniungatur. Poterit etiam vulgaris prisana eisdem exhiberi : seu cum hordeo, liquiritia, seu iniubæ, aut passulæ incoquantur. At si feruor, ardórque sit mitior, vti solet in ea quæ primariò incipit : vinum etiam concedendum erit. Non tamen potens & vinosum, sed tenue & olygophorum, seu imbecillum : quod, vt docuit Galenus[p], leuiter etiam astringat, ad robur membris facultati naturali primariò deseruientibus conciliandum. Sed illud vel aqua hordei, vel decocto radicum buglossæ, aut aquâ saltem inculpatâ, vel eâ quæ vnâ aut alterâ ebullitione sit ab omni vitio purgata, prout ægro videbitur, diluatur.

o 10. meth. cap. 1. & 1. aem. comm. mat. 41.

p 7. meth. c

Medicamenta quæ ad hecticæ solitariæ, tum incipientis, tum leuiter progressæ curationem conueniunt : sunt tantùm alterantia Purgantia enim hîc minimum sunt ex vsu : & eo casu tantùm, si vel astricta & tardior sit aluus, vel cruditates aliquæ in primis viis ex praua victûs ratione colligãtur. Ad citandam aluum clysteres sunt vtiliores : quorum tamen vsum nonnulli nescio quo mentis errore recusant. Si ergo alterutro casu per ea quæ ore sumuntur ventrem purgare aut cogamur, aut etiam expediat : vtile erit thamarindorum decoctum, cassiæ recèns extractæ colata infusio, syrupus rosatum pallidarum, aut damascenarum etiam ex pluribus infusionibus paratus : cassia ipsa recèns extracta, & thamarindorum pulpa in bolo assumpta. Nõnulli mannam probant : sed ea acrior est, & facilè in hecticis inflammatur ; quia mellis quoddam genus est, temperamento saltem, si non ortu Verumtamen si ea sero lactis dissoluatur, & Brigantina potiùs eligatur, quàm Calabrina, concedi poterit.

Alterantium medicamentorum, alia per os exhibentur, alia exteriùs ministrantur. Interiùs assumenda sunt iulapia, apozemata, condita, & opiatæ. In quibus concinnandis, plurimùm tribuendum est gratiæ : nè remedia horrorem fastidiúmue his ægris pariant. Eisdem odorata quædam miscere iuuabit, ad præparandos imbecilliorum spiritus ; sed nè plus iusto calefaciant, eadem parua quantitate sunt præscribenda. Iulapia ex aquis in balneo destillatis, vel decoctis lactucæ, cichorei, violarum, nymphææ, buglossi, borraginis, melonum, anguriæ, & similium : cum syrupo violato, papaueris rheadis, capillarium cerasorum, granatorum, de agresta, de pomis rodolentibus, aut similibus parari possunt. Quæ aromatizari poterunt, puluere corticis citri, florum garyophyllorum, aurantiorum, & similium exsiccatorum : vel grano vno aut altero galliæ moscatæ, aut ambaræ griseæ in iulapio solutis ; modò odoratiora hæc non abhorreant. Necnon pro his qui minùs sunt delicati cum puluere diamargariton frigidi, aut diatragacanti cum confectione de hyacintho, atque aliis similibus. Aromatizatio autem sic fieri solet, vt panno aut lineo denso & duplicato per quem colari debet iulapium puluis ad aromatizationem præscriptus aspergatur, mox iulapium semel atque iterum hieme tepidũ, æstate etiam frigidũ superessundatur, colatumq; exhibeatur. Apozemata, ex prædictorum radicibus, & foliis ; seminibus frigidis maioribus, violarũ, lactucæ, papaueris albi : iuiubis, prunis, sebesten, thamarindis, passulis, hordeo : ac floribus violarum, nymphææ, borraginis, bu-

H glossi,

glossi, calendulæ, leucoij, garyophyllorum, auranciorum, aut similibus, variè parari poterunt: & suprà relatis prout ægri conditio, & gratia suggeret aromatizari. Condita & opiatæ ex conseruis prædictorum florum, pulueribus aut confectionibus cardiacis gratioribus, radicibus, fructibus, aut corticibus conditis, saccharo, aut syrupis antea relatis parari ea arte poterunt, quam in vniuersali methodo abundè docebimus.

Exteriùs conueniunt epithemata, & linimenta: quæ viscerum magis distemperatorum regionibus tepida admouentur, & cùm incaluerint, renouantur. Epithemata vel ex aquis stillatitiis refrigerantibus & humectantibus, vel ex succis aut decoctis, imò & lacte parantur: quibus ad maiorem penetrationem vel vini albi, vel aceti rosati tantillum additur: ad robur autem tam cordis, quàm hepatis pulueres alterutri visceri roborando accommodati immiscentur. Materiam his omnibus idoneam suggerent, formámque docebunt, vltima prioris libri capita. Renibus calidioribus lac, refrigerantium herbarum succos aut oxyerarum subtepidum admouere plerumque sumus contenti. Linimenta non solùm post epithemata hepatis aut renum regioni frigidiora, sed & toti corpori temperatiora admouenda, ex oleis fiunt aut ex vnguentis & ceratis quæ conuenientibus oleis dissoluuntur. Olea ad hæc vtilia sunt rosatum, violarum, & nenupharinum: quibus olei amygdalarum dulcium, vel liliorum: necnon & gallinæ, anatis, aut hœdi axungiæ, vel butyri portio, imò & lac admisceri potest. Vnguenta sunt resumptiuum, rosatum Mesues, & populeum: quo tamen non solo sed aliis parua quantitate ad maius refrigerium mixto vti licebit. Cerata, sunt refrigerans Galeni, & santalinum. Ad quorum imitationem mille alia effingi possunt, pro remediorum occurrentium conditione & particulari ægrotantis constitutione. Corpus autem vniuersum præsertim à balneo illinire consueuimus: partim ad maiorem refrigerationem & humectationem: partim ad nimium totius effluuium inhibendum. Quod tamen, tunc minimè reprimere conueniet, nec corpus vniuersum illinire, cum hectica putrida coniungetur. Sic enim transpiratione prohibita putredinis causam augeremus. Huc etiam referuntur epicarpia: quæ vel ex diuersis herbis contusis vt lactuca, semperuiuo, vmbilico veneris, portulaca, lenticula palustri, & similibus; earundèm succis; mucilaginibus, cydoniorum, psyllij & similium confectionibus, liquoribus stillatitiis atque panibus, ad refrigerandum aut simul roborandum efficacibus præparantur: & carpis, vt commodiùs per arterias suam vim cordi insinuent, admouentur. Tandem ad refrigerandos & humectandos hecticos quos nondum marasmus tenet, cæteris omnibus præferendum est balneum. Quo non antiquo more iam dessueto vtimur: sed in propria ægrorum camera aut illi proxima, labrum paratur ligneum seu in cortinæ modum rotundum, seu (quod commodius est) oblongum: in quod aqua dulci tepente ferè plenum æger immittitur. Aquæ teporem talem esse principio oportet, vt ægrotus dum labrum nudus ingreditur, nec vel leuissimè horreat, neque vllam ex aquæ calore molestiam sentiat. Imò ne sibi quidem ruborem in facie excitari percipiat. Aliqui in his quorum acrius est quod per cutem transpirat; quo tepor ille aquæ corporis intima efficaciùs subintret, aceti optimi quartarium vnum aut alterum admiscent. Quod nondum progressa hecticà vtilissimum fore censerem: aliquantulùm autem progressâ, mallem vini albi quartaria duo aut tria, seu heminas quinque aut sex in balneum effundere. Nonnunquam ad recreandos ægros si tempestas ferat, rosas aquæ superinijcimus, quæ suaui odore, spiritus eorum qui balneantur reficiant. Cauendum tamen nè ab idiosyncrasia molestus potiùs ægro quàm gratus sit rosarum odor: quo casu quæsita illa gratia in offensam cederet. Explicatum ergo teporem aquam balnei principio habere oportet: vt cutis primùm siccitas densitásque corrigatur: tum vt temperatus aquæ vapor se intus insinuans peniriora corporis humectet simul & refrigeret. Sensim tamen permittendum teporem illum remitti. Imò per æstatem etiam frigidæ aliquid infundendum ad suaue & amicum ægro perfrigerium conciliandum. Quoniam certum est, & à Galeno [q] comprobatum hecticos à balneo minimè iuuari, nisi cum suauitate refrigerentur.

[q] Lib. 10. meth. cap. 10.

Qui ex diuturniore mora in tepida, quæ corpus laxando aliquod etiam internæ spirituosæ substantiæ effluuium causat, nimiùm exoluentur. Vnde miror, thermalis balnei vsum Platero fuisse probatum, & Baccio referente [r], quosdam censere Paganelli aquas sub Viterbio valdè calidas, sanare hecticos: cùm non inde perfrigeratio concilietur, sed cum noxia exolutione, siccitas etiam siccioribus his corporibus imprimatur, vt docet Galenus [s]. Parandi autem hecticorum balnei, præscripta à nobis ratio, multò commodior esse videtur quàm quæ Foresto probatur [t]. Qui duas vult parari tineas seu cortinas, vnam moderatè calidâ, aliam frigidâ plenam: & ægrum à tepida in frigidam transferri. Ea enim minùs repentina minúsque ideò molesta videtur mutatio; quâ sensim refrigescente aqua, à tepore ad frigiditatem itur, quàm si ex aqua tepida statim in frigidam transferamur. Quidam vtiliter, ditiores in lactis caprilli, aut ex diuersis quadrupedibus emulcti balneum immittunt: à quo & humectantur magis, & abundãtiùs reficiuntur. Morã in balneo, pro ægri viribus

[r] Lib. 3. de thermis c. 3.

[s] 1. ad Glau. cap 9.

[t] lib. 4 obseru. medicinal. in scholiis ad obseruat. 6.

præscribere

præſcribere conueniet. Robuſtiores enim,& à præcedenti morbo nullatenus exolutos, per æſtatem, ad ſeſquihoram in balneo continere ante prandium poterimus : ad veſperam verò per horam. Imcilliores autem per horam integram aut dimidiam. Et ſingulos tandiu, vt tecreentur quidem, minimè verò exoluantur. Egreſſos à balneo leniter exſiccare, exſiccatos leniter illinire, & illitos quieti per vnam horam aut alteram committere oportebit. Quos etiam dormire ſi velint tunc maximè patiemur, cùm per noctem minùs dormierint. Ac quiete aut ſomno eoſdem conuenientibus alimentis pro more nutrire iuuabit. Huiuſmodi autem remedium non ſemel tantùm, ſed ſæpiùs etiam vſurpandum erit. Quod per duos aut tres dies continuatum, vbi per octo aut decem dies fuerit intermiſſum : mox iterum, ac tertiò etiam ſi expediat, repetatur.

Verùm duo ſunt quæ in balneandis hecticis cauere oportet. Primùm, nè ægrum in balneum antè immittamus, quàm perfecta ſit prima concoctio, & inteſtina fœces depoſuerint. Quæ ſi ad excretionem tardiora fuerint, mitioribus clyſteribus erunt eluenda. At ſi præterea cruditates in primis viis, primáque corporis regione congeſtas eſſe nouerimus: leni pharmaco priùs etiam erunt expurgandæ, quàm balneum inſtituatur. Secundò procurandum eſt (præſertim in ſecunda hecticæ differentia quam maraſmodem appellauimus, de cuius ſpeciali curatione ſtatim) nè fameſcentes in balneum introducamus, quos ita nimiùm exolueremus. Sed aliquot antea horis quidpiam facilis coctionis exhibuiſſe iuuabit, aut lac aut iuſculum : quod ventriculi ſiccitatem temperando, nec illi moleſtiam inferat, nec longiore tempore in eodem commorari vti concoquatur indigeat. Aliis verò primi ordinis hecticis, iulapium refrigerans & humectans; vel non ingratum apozema exhibuiſſe ſufficiet.

Quòd ſi qui nobis proponitur æger, iam aliqualem maciem contraxerit, & ad hecticam maraſmodem peruenerit : huic non ſolùm per alterantia medendum eſt, ſed prætereà renutritione eſt opus.

Quare ad vtrumque pro ratione complendum : poſtquam primam corporis regionem ab illuuie excrementorum liberam eſſe deprehenderimus, vel quâ dictum eſt induſtriâ expurgauerimus; & corporis vniuerſum habitum, viribus nondum exolutis balneo temperauerimus: vel lactis vel cremoris hordei vſu, ægrum in naturalem temperiem reducere & renutrire conueniet. Multa quidem ſunt alimenta quæ ad hunc ſcopum conſequendum inſeruiunt, quæ tum antea retulimus, tum mox referemus : ſed in nullo maior vis, quàm in lacte & hordeo.

Lac hecticis optimum, eſt humanum, à quo aſininum, & ab hoc caprinum. Quod enim his craſſius eſt, magis caſeoſum, magiſue butyroſum: difficiliùs coquitur, tardiùs permeat, faciliùs obſtruit, & minùs refrigerat. Imò ad hecticos qui parùm ſunt emaciati, ſecuriùs eſt (vt aiebat Galenus) aſininum. Aſinam autem eligamus iuuenem, ſanam, hordeo & refrigerantibus humectantibuſque herbis nutritam : non domi ſemper concluſam, ſed ad liberam paſtionem ſemel ſaltem in die à puero agazone deductam. Licèt autem vernum lac ſit optimum : tamen, quod pro tempore, quo offeretur æger, occurret, vſurpandum erit. Qualecunque autem lac eligatur: id vel à mamma ſugi debet, vel tepidum aſſumi. Tepidum conſeruatur, ſi dum ab animali in ipſo ægri cubiculo emulgetur, vaſe excipiatur quod in aqua tepente contineatur : vel in lance argentea priùs quantum ſufficiet calefacta emulgatur. Vt autem caueamus ne lac epotum in ventriculo ob febrem calidiore poſtmodum concreſcat : illi inter emulgendum vtiliter admiſcemus ſaccharum roſatum tabulatum; quòd in puluerem antè deductum, commodiùs diſſoluitur. Illud autem in vicem mellis aut ſalis vſurpamus; quibus Galenus [a] ad prædictum finem vti conſueuerat. a Lib. 10 meth.c.11. & 4. in lib. de rat. vict. acut. com. text. 19.

Commodiſſima autem lactis aſſumendi hora ea eſt matutina, qua & ventriculus à priore cibo ſit liber, & inde ad balneum aut prandium, aut vtrumque, illud ſpatium & interuallum accedat, quod ad lactis coctionem ſit ſatis. Plerunque enim ad faciliorem horum iam emaciatorum renutritionem, eodem tempore & lac & balneum præſcribimus : vt habitum corporis balneo laxantes alimentum commodius per ambitum diffundatur, imò & balnei etiam tepore attrahatur. Quantitas non eadem quibuſque præſcribenda. Pueris enim minor ſufficiet : adultis autem maior conueniet. Sed præterea in principio parcior exhibenda eſt copia, ad quatuor videlicet vncias adultis, cum quatuor ſacchari drachmis. Exinde verò ſenſim augenda eſt quantitas ad vncias nouem, aut libram integram. Ac demum in lactis vſu, ſi id citra omnem querelam acidi aut nidorulenti ructûs ab ægrotantis ventriculo feratur : per ſeſquimenſem aut menſem alterum perſeuerandum erit. Aduertendum tamen ex Hippocrate [x] lac quibuſdam noxium eſſe, quibus minimè præſcribendum eſt. Ac primũ quidem eos lædit quibus caput dolet : quoniam illud vaporoſum eſt, & dolorẽ auget. x Lib. 5. aph. 69.
Secundò valdè febricitantibus malum eſt, aut putrida ſimul febre detentis; ac magis ſi bilioſæ fiant deiectiones. Nam hi facilè lac inquinant & in nidorem vertunt. Tertiò, quibus ſuſpenſa ſunt hypochondria, ab inflammatione vel eryſipelate : etenim in his etiam nidorulentum redditur.

Imo etiam si hypochondria à tumore duro aut laxo suspendantur. Nam à lactis vsu, tumores duri infarciuntur magis, & laxi vlteriùs increscunt. Quartò his nocet, quibus hypochondria murmurant ob flatus: quoniam lac flatuosum cùm sit, viscera sic affecta magis distendit, quorum ventriculus perfrigeratus est, aut quibus alui fluxus incidit, aut qui iam extremè sunt exsiccati. In prioribus enim acescit. In posterioribus alui fluorem auget: nisi chalybeatum, aut cum vitellis ouorum solutum & coctum exhibeatur. In postremis verò distribui nequit, ob nimiam vasorum conniuentiam. Ab assumpto autem lacte hecticos dormire iuuabit: sic enim illos faciliùs humectabimus, & vberiùs renutriemus.

Cremor hordei, corpore vt dictum est præparato, pari hora exhibetur, à minore ad maiorem copiam, progressu sensim facto. Qui etsi paretur multifariam. Hic modus omnium optimus est. Primò, hordeum cortice purgatum lentè ad perfectam crepaturam in aqua fontana coquitur, eadem ratione atque orizam vulgò paramus: tum cocti medulla per setaceum extrahitur. Extractæ cochlearia duo aut tria dissoluuntur in sufficienti quantitate emulsionis paratæ in iure pulli ex amygdalis decorticatis, vel ex seminibus frigidis maioribus mundatis, aut semine etiam papaueris; si & reficere & simul conciliare somnum oporteat. Ita solutus cremor sensim per duas horas ad ignem lentum, illum per breuia internalla exagitando, sic coquitur: vt nec effundatur, nec in polentam abeat, sed sorbitionis formam retineat. Tandem saccharo vulgari, aut rosato tabulato dulcoratur, & vt dictum est exhibetur. Vel si quando importunas etiam vigilias emendare expediar, ad horam somni sorbendus datur: præmissa tamen pomeridiana comessatione, & prandio hora conueniente assumpto, ita vt non nisi cibo à ventriculo in intestina delapso nouus ingeratur. Et reliquum extractæ medullæ in vase vitreo aut argenteo loco sicco, coopertum in biduum reseruatur: & quarto die hyeme, aut tertio æstate iterum vt suprà præparatur. Vel hordeum decorticatum & deglubitum in aqua quantum satis eousque coquitur, donec rupta hordei membrana aqua colorem subrubrum acquisiuerit. Tum per cilicium traijcitur, & aquâ primùm effluente reseruatâ, quod reliquum est leuiter exprimitur; quod effluit, dissoluitur cum lacte parato ex aqua quæ primùm per colum effluxit & seminibus frigidis maioribus aut pinei nucleis in illa solutis. Mox addito saccharo, vt suprà coquitur, & exhibetur. Hac autem formâ paratum hordeatum singulis diebus integrè renouatur. Aliqui hordei farinam à furfure exquisitè præparatam sacculo cannabino pressè conclusam per horas quinque aut sex in aqua coquunt; sic coctam in camino suspendunt, vt exsiccetur. Farinæ ita præparatæ cochleare vnum aut alterum in iure pulli dissoluunt & per tres horæ quadrantes aut dimidiam horam coquunt leni agitatione cauentes nè grumescat. Tandem saccharo dulcorant & ad horam quintam aut sextam matutinam exhibent, per aliquot menses in eius vsu perseuerantes. Plurimi fatuum illum hordei prioribus modis præparati saporem abhorrentes, hoc postremo licèt minùs humectante non infructuosè vtuntur.

Non pauci inter recentiores ad tabescentium curationem commendant carnes cancrorum, seu potiùs cambarorum, seu astacorum fluuiatilium, testudinum & cochlearum: quòd alimentum ab his conceptum difficiliùs ab acri hecticorum calore exoluatur. Verùm quia talium animalium carnes ægrè coquuntur, & crassos ac viscidos succos gignunt: minimè probari debent. Neque enim poterunt à tabescentibus iam imbecillioribus in ventriculo confici: nec nisi difficillimè in substantiam membrorum conuerti. Præterea periculum est nè præ crassitie & lentore chylus ex his genitus, obstructiones in mesenterio & hepate inducat: præsertim cùm huiusmodi viæ per se angustæ in his corporibus exsiccatis (Galeno [y] monente) conniueant. Aliqui carnes horum respuentes, iura decoctorum probant. Sed meritò Rondeletius cochlearum præsertim ius damnat. Habet enim hoc, quid acre & lixinium sapiens: quod non solùm ingratum est sed noxium. Quare hecticos vtraque marasmode laborantes (cæteris quæ in rerum non naturalium vsu omnibus communia esse docuimus rectè obseruatis) balneorum præscriptorum vsu, lactis matutinâ sorbitione, aut cremore hordei, & conuenientibus cibis probi succi facilisque coctionis superiùs relatis in prandio & cœna pro ratione (vt expressum fuit) altos securiùs quàm alia arte curandos sperandum est.

y Lib. 7. meth. cap. 6.

At si qui occurrit hecticus iam ad marasmum peruenerit. Quia qui eò deducti sunt admodum sunt imbecilles: ea in eorum curatione prudentiâ est opus, vt renutriendo magis vitam prorogare studeamus, quàm ad sanationem aspirando, his vti remediis, quibus vel leuiter exoluti, vel impensiùs refrigerati, citiùs intereant. Quare iulapiorum aut apozemarum valdè refrigerantium vsum non probarem, neque balnea admitterem. Sed ad perfrigerium subtepidis epithematibus humectantibus & refrigerantibus cordis hepatisque regioni admotis essem contentus: vel ad summum in minùs imbecillis semicupium sufficere posse censerem. Renutritioni verò magis incumbendo talem viuendi rationem instituemus. Lac asininum vt suprà præscriptum est, illi manè hora quarta aut minimùm quinta exhibeatur. Superdormire nitatur.

Experrecto

Expetrecto ad hotam nonam aut decimam prout lac quatta aut qninta assumpserit. Per dies aliquot epithemata huiusmodi cordis & hepatis regioni subtepida admoueantur.

℞. folior. althex, violat. lactucæ & bortag. ana m. i. sem. altheæ & psyllij ana ℥.i. ß. flor. viol. & nymph. ana p ii. coquantut in aqua q. s. in colat. ℔.i. dissolue pulueris diamargariton frigidi ʒ. i. ß. ligni rhodij pulu. ʒ. i. misce fiat epithema pro regione cordis.

℞. folior. solani hortensis, cichot. & semperuiui ana m. i. florum rosat. rubear. p. ii. coquantur in aqua q. s. in colat. ℔. i. adde vini albi oligophori ℥.i. ß. pulu. elect. diattion santalon ʒ. ii. vel santali cittini & rubri ana ʒ. i. misce fiat epith. pro regione iecoris.

Amotis epithematibus, nulla illitione est opus: nè fuliginosa effumatio quæ multa ab his corporibus expirat à linimentis poros cutis obstruentibus reprimatur, & calorem acriorem reddat.

Idem postmodum prandeat horâ decimâ vel vndecimâ: & præassumpto iusculo, aut tenui panatellâ in carnium iure debitè parata, si solida alimenta admiserit: his vescatur quæ suprà inter edulia boni succi & facilis coctionis recensuimus. Fructuum superiùs relatorum esum his ad humectationem, perfrigerium, & gratiam non denegamus. Sed maximè cauendum est nè liceter iam illis periculosissimam prouocemus. Vinum olygophotum mediocris substantiæ decocto radicum buglossi, aut aquâ leuitet coctâ dilutum, pro potu commodissimum erit. Ad horam tertiam aut quartam pomeridianam aliquid assumat: seu iusculum, seu carpi contusum, seu poma condita, tadices buglossi conditas aut quid simile quod ægro plus sapiat. Expedit enim hos sæpiùs in die cibum capere, nè vel nimiùm dilato cibo exoluantur, vel plus pro vno pastu assumant quàm imbecilli cùm sint coqucre valeant. Cœnent tandem septimâ vel octauâ vespertinâ, & cœna prandio respondeat. Quòd si solida alimenta recusent, liquidis vescantur. Sed tunc quartâ quoque horâ aliquid illis exhibeatur. Somnum tamen minimè interrumpendo. His nonnulli stillatitias quasdam aquas in balneo parant ex carnibus in aqua buglossi, violarum, rosarum, aut nymphææ infusis, additis pulueribus diamargariton & elect. diattionsantalon, confect. de hyacintho, auri foliis aut nummis etiam, imo & aureis torquibus. Sed hæ & inutiles sunt, & maximè ingratæ. Inutiles quidem, quia ex auro nihil decedit præter spurcitiem aliquam illi hærentem. Ingratæ verò quoniam medicatorum prædictorum puluerum & odor & sapor, sunt ægris imò & sanis infesti. Demum totum quod hinc distillat, non aliud est quàm aqueus liquor, nihil iutis carnium habens, & ad alendum planè inutilis. Quare multò vtilius est, vel iura carnium expressa, aut consummata, vel gelatinas, vel carnium contusa, & à sapido coquo parata illis exhibere: quàm illas malè feriatas aquas ex pharmacopolio petitas. Expressi iuris sit hoc exemplum.

℞. pulpam coxæ vnius vervecis eo ipso die mactati, aut patem vitulinæ carnis quantitatem in frusta oui magnitudine sectam, veru traijce, citâ volutatione paulò plus dimidio coque, extrahe & statim torculari succum exprime. Huic consummati iuris duplum adde, succi acetosæ, limonum, aut agrestæ tantillum, sacchari modicum, & super prunis per quadrantem horæ lentè coque donec colorem priore albidiorem acquisiuerit. Aliter etiam ius carnis sic paratur. Veruecina aut vitulina caro demptis membranis in talleolas secatur, & in phialam vitream immittitur: quæ clausa operculo, ex cartha pergamena debitè circumligata, in balneo continetur, donec bullientis aquæ feruore cocta sit caro: quæ inde tunc extrahitur, & succus qui in phiala resedet colatur, atque in vsum asseruatur. Vel breuiùs hoc modo in argentea lance cui par craticula superponatur caro in talleolas à pinguedine & membranis liberas secta disponitur, altera lance cooperitur, & ambo massa triticea circumliniuntur: relicto tamen ad pollicis aut duorum digitorum latitudinem spatio massâ non illito. Exinde lanx prunis admouetur, liquor ex carnibus in fundum lancis exstillans per interualla ab spatio illo non occluso per inclinationem educitur, & in vsum reseruatur. Sunt qui nollint succo hac arte elicito vti, quòd vt inquiunt; in his febrientibus facilè incendatur. Verùm quoniam cogimur huiusmodi ægris ex diuturnitate morbi omnia fastidientibus aliqua quærere quorum nouitate demulceantur: poterunt etiam prædicti liquores illis concedi, quibus admixtus acetosæ, limonum, aut agrestæ succus, impediet nè tam facilè inflammentur, & aciditate gratiam addet.

Contusa carnium ita solent parati. Capi, perdicis, aut phasiani eo ipso die mactati pulpa, semi-elixa: vel hædino omento circumuoluta & semi-assa; exemptis membranis contunditur in mortario argenteo aut saltem marmoreo, congruo pistillo (aduertatur tamen ne pistillum effictum sit ex nuce aut alio amaro ligno) additur panis albi medulla tenui capi iure imbuta & sacchari rosati vnciæ duæ: mox cum eodem tenui iure capi aut pulli hæc dissoluuntur, ad decentem calorem reuocantur, vase in quo sint dissoluta feruenti

ollæ imposito: ac tandem cibus huiusmodi ægro hora conuenienti exhibetur. His aciduli aliquid si id requirat æger, addi potest: aut frustulum tenuis canellæ, vt sapor carnium quem ægri plerunque fastidiunt hoc condimento veletur. Quod ad gelatinas autem spectat, coquos monere oportet nè copiâ pedum vituli aut veruccis gelatinas viscidiores reddant. Et in panatellis parandis, mulieres clinicæ seu ægris assidentes: & coqui monendi, nè illas ex inte antè consummato parent. Sic enim ad glutinosam viscidiiatem perducuntur, his atque aliis ægris apprimè noxiam. Item omnem pinguedinem, ab omnibus eduliis integrè detrahendam: quòd ea facilè in febrientibus inflammetur.

Tandem si carnium fastidium ita hos ægros teneat vt nè iuscula quidem sibi offerri patiantur. Ea nescientibus aliquando sub Iulepi forma santalo aromatizata & tincta admittunt. Vel poterunt eo casu illis contusa piscium saxatilium aut pelagiorum, lucij, vmbræ, & similium sic parari.

℞. alicuius prædictorum piscium in aqua cum salis tantillo elixi pulpam ab squamis, cute, & spinis purgatam: medullæ panis aquâ maceratæ portionem: seminis melonum mundati ʒ.iii.vel ℥.ß. amygdalas decorticatas n.sex, saccbari rosati tabulati ℥.i.aut ʒ.i ß. misce contundantur in mortario marmoreo; contusa dissoluantur cum aquæ fontanæ bullientis quantitate sufficienti, & per setaceum transmissa leniter bulliant, tantillum aquæ rosatum ad odoris gratiam addendo.

Si ergo ea arte his subueniamus ægris; vt nos illorum robori, tolerantiæ & quantùm licebit gustui accommodemus, epithematibus per interualla ad perfrigerium vtamur; & emplastris cordi admotis cardiacisque epicarpiis vires natiui foci tueri studeamus: si illos sanare(quod difficillimum est,)non detur, eorum saltem vitam in multum tempus illis prorogare concedetur.

De compositarum & implicatarum febrium differentijs, cognitione, & curatione.

CAPVT XVII.

Febres non singulatim solùm, sed cateruatim etiam & vario concursu se nostris corporibus insinuant: quæ diuersimodè inter se coëuntes vel compositæ dicuntur, vel implicatæ. Quas voces non omnes pariter explicant: & nonnulli aliis etiam denominationibus vtuntur, mixtasque confusas, complexas, aut complicatas nominant. Nos in tanta varietate, aut explicanda, aut conciliianda minùs insistentes compositas eas appellamus, quæ cum aliquo respectu plures esse videantur, vnam tamen febris speciem faciant. Huius generis duæ sunt differentiæ. Aliæ enim ratione materiæ: aliæ verò ratione formæ compositæ esse dicuntur. Compositæ ratione materiæ illæ appellantur, in quibus plures humores, quorum singuli separatim putrentes vnam febris speciem facerent, simul in eodem loco putrent: atque ita licèt materia plurium febrium simul concurrat: vna tamen singularis typi febris emergit, diuersarum naturam mixtim sapiens. Cuius ordinis sunt plurimæ febres nothæ, & inter has illæ quæ semitertianæ à Latinis appellantur, ab hæmitritæo Græcorum de qua mox, differentes. De quibus omnibus spuriis, cùm de singulis exquisitarum speciebus tractauimus, sufficientem mentionem fecimus.

Compositæ autem ratione formæ illæ esse dicuntur, quæ cùm ex materia suæ speciei conuenientes constent, periodum tamen alienam sequuntur. Quales agnosco omnes duplices & triplices propriè appellatas: vt duplex quotidiana ea dicitur, quæ ex pituita quidem putrente genita non tamen semel tantum intra viginti quatuor horas inuadit; sed intra id tempus, bis pariliter repetit. Pariliter, inquam, id est, cum eadem annotatione incipiens, cum eisdem symptomatibus increscens, consistens, & declinans. Quod euidentius est in tertiana duplici. Quæ cùm à bile putrescente excitetur, vnde tertianæ nomen accipit: non tamen tertio quoque die, seu alternis tantum diebus renouatur; sed singulis diebus pari forma recurrit. Quomodo autem tertiana duplex à duabus tertianis, aut quotidiana duplex à duabus quotidianis distinguatur, infra mox abundè explicabitur. Sed de quartana præsertim duplici quæstio est. Etsi enim facilè persuademur, vt in quotidiana aut tertiana; ita in quartana, melancholicum humorem copiosiùs abundantem posse per singulos dies à liene aut vasis etiam in singularem febris mineram transmitti, & ibidem à concepta partis intemperie tam celeriter putrere, vt non in quartum diem accessionis recursum differat, sed singulis diebus paroxysmum renouet, sicque quartanam triplicem dictam excitet. Intelligi tamen non potest eam eiusdem humoris in eundem locum transmissionem & putrefactionem, talem obseruare regularem inæqualitatem posse, vt secundo quidem die paroxysmus excitetur par paroxysmo primi, tertius autem fit sine febre, quartus & quintus accessiones habeant primis consimiles; sextus iterum sit cum intermissione, atque ita deinceps accessiones quietésque sibi mutuò respondeant. Præsertim cùm per totius febris discursum, par redundantia, párque intemperies perseuerent, tam

in membro transmittente, quàm in excipiente, quod mineram febris appellamus, & agentia naturalia eodem modo disposita, eosdem producant effectus. Malim ergo pro duplici quartana duas agnoscere implicatas quartanas. Nam quartanæ duplicis dictæ accessiones, eam varietatem obseruare solent, vt vna, alterà sit mitior aut tardior: & potiùs primi diei accessio, paroxysmo diei quarti & septimi: paroxysmus autem diei secundi, accessioni diei quinti & octaui respondet: quàm accessio primi, paroxysmo secundi, atque aliis consimiliter respondeat, vt experientia rem exactè aduertentibus indicabit. Id autem (vti mox videbimus) duarum quartanarum magis est proprium, quàm duplicis quartanæ. Quod à simili facilè comprobatur. Duplex enim tertiana illa à Galeno [a] dicitur, quæ singulis diebus repetens, parem in vtroque sequitur, non specialis solùm, sed indiuidualis etiam febris typum. Hoc est, quæ in secunda accessione, similiter incipit, increscit, viget & declinat: similibusque symptomatibus concitata prodit, atque in primo paroxysmo apparuit. Typum enim appellamus cum Galeno [b] ordinem intensionum ac remissionum: seu quia typus apud Græcos, vestigium, notamque impressam, vel formam, figuramque significat: per typum intelligimus formam atque ordinem symptomatum, quæ per singula totius periodi particularia tempora obseruantur: ex quibus febris species discernitur. Ita suum habet typum quotidiana, tertiana suum, & pariter quartana: qui sunt vniuscuiusque speciei distinctiui, ex Galeno [c]: sed prætetea indiuidualis quæque febris etsi suæ speciei typum sequatur, cum aliqua tamen latitudine illum obseruat. Ita vt præter specialem tertianæ typum tertianis omnibus communem: hæc Socratis tertianæ typum seruet per singulas quidem periodos sibi similem, sed secundùm quid differentem à typo tertianæ Calliæ. Quare Socrates febre intermittente singulis diebus laborans, quæ tertianæ typum seruet: potest vel eum typum in singulis accessionibus parem seruare, vel habere primæ accessionis typum quadantenus discrepantem à typo secundæ qui respondeat typo tertij paroxysmi, & typus secundi typo quarti: cuius duplicis casûs ea est diuersitas, vt illa febris singulis diebus sibi similis, sit tertiana duplex: quia ab eodem humore in eodem loco non alternis diebus, sed quotidie putrente excitatur. Hæc verò non duplex, sed duarum tertianarum implicatio. Quia ab eiusdem quidem speciei humore, sed in diuersis locis, alternis diebus, alternatim putrescente accenditur. Quare & quæ duplex quartana appellatur cùm accessiones se consequentes habere soleat indiuiduali typo discrepantes: potiùs duarum quartanarum erit implicatio, quàm quartana duplex. At quæ verè quartana duplex poterit appellari, ea erit quæ à melancholici excrementi putredine excitata, post quasque triginta sex horas, pari symptomatum concentu obseruato reperet.

Febres complicatæ dicuntur illæ, quæ eùm eumdem ægrum simul infestent, singulæ tamen particularem suam formam retinent, & suo speciali aut indiuiduali typo se produnt singulæ. Licèt enim febres cum aliis morbis implicari possint (vt habet Galenus [d]) seu hæ morbos symptomaticè consequantur vt in pleuritide, peripneumonia, phrenitide, & similibus adnenit: seu eædem per essentiam excitatæ alteri mòrbo succedant, vt quæ hydropi, vulneri aut fracturæ superueniunt: non tamen de iis hoc loco agimus, sed de illis quæ inter se variè complicantur, & commiscentur.

Quæ implicatio præterea est multiplex: vel enim primò febres diuersorum generum simul eundem tenent. Vt quando putrida cuiusuis speciei, cum hectica coniungitur: vel secundò eiusdem generis (putridarum scilicet) diuersæ species inter se commiscentur. Atque id quatuor modis. Etenim vel continentes (quas aliqui continuas conclusas vocant) cum intermittentibus potiùs, quàm cùm continuis proportionatis seu periodicis copulantur. Vel diuersæ continuæ periodicæ in eodem simul discreta facie conueniunt. Quæ duæ implicationum differentiæ licèt difficulter discernantur: non sunt tamen impossibiles. Nam simul ac sanguinis massa in maioribus vasis putredinem conceperit, non repugnat eodem tempore, in determinata aliqua abdominis sede bilem excrementitiam in eaux ductibus, pituitam autem in grandioribus venæ portæ tubulis, putredinem perenni nouæ materiæ suggestione continuò perseuerantem contrahere. Prętereà quod non infrequens est. Continuæ cum intermittentibus coëunt, vt quotidiana continua, cum tertiana intermittente, vel cum quartana, aut quotidiana etiam interpolata. Tertiana continua, cum quartana, quotidiana, aut tertiana etiam intermittentibus. Et quartana continua, cum quotidiana, tertiana, necnon & quartana aliquando interpolatis. Quas omnes implicationes possibiles esse, docet Galenus [e]. Inter quas celebris est illa implicatio tertianæ intermittentis, cum quotidiana continua, quam idem Pergamenus [f] hemitritæum appellauit. Qui voluit non solùm hanc esse de genere continuarum contra Archigenem & Agathinum: sed prętereà nulli alteri tertianæ cum quotidiana implicationi, hemitritæi nomen conuenire. Cuius exquisitum exemplum fusè persequutus est [g]. Verùm prętęrquam Galenus sibi in omnibus minimè consentit [h], non videtur rectè tertianæ cum quotidiana implicationes, seu ad artificialem possibilium differentiarum febris distinctionem requisitas: seu ad curationis rectam institutionem necessarias explicuisse. Vbi, hoc vnum, quod

a Lib. 2. de crisib. c. 9.
b Lib. de typis cap. 2.
c Cit. lib. de typis cap. 4.
d Lib. 2. de crisib. cap. 7.
e Lib. 2. de diff. feb. cap. 8
f Loco recens cit. & lib. de morb. tempo. c. 8
g Cit. lib. 2. de diff. feb. c. 7.
h Cit. lib. de diff. feb. lib. de typis cap. 4. lib. 9 de crisib. cap 9. & lib. 2 epi. com. tex 3.

multorum scriptorum mentes torsisse videtur, aduertendum est, cùm Galenus exquisitam hemitritæum ait [i], ex æquali duarum febrium temperatura componi; quoniam etiam ex æquali duorum humorum temperatura constet; non posse hoc de hemitritæo dici. In qua, cùm continua, cum intermittente concurrat; non potest æqua esse vtriusque temperatura. At neque duorum humorum mixtio, cùm alter in vasis, alter (secundùm Galenum) extra venas per corporis habitum putreat. Quod semitertianæ, à nobis iuxta Latinorum morem appellatæ, potiùs quàm hemitritæo conuenire qui minimè proteruus erit, euidenter intelliget. Quare prædictarum febrium possibiles complicationes quàm exactissimè licet, exprimemus; si dicamus tertianam cum quotidiana vel secundùm materiam, vel secundùm formam aut componi aut implicari. Secundùm materiam quidem simul componuntur, vt suprà indicatum est: si bilis & pituita simul commiscecantur, simúlque putreant. Quod, adhue bifariam accidit. Vel enim in maioribus vasis putrent; quo casu tertianam notham continuam inferunt: vel in particulari aliqua abdominis parte putredinis labem contrahunt: vbi semitertianam maioris famæ appellatam excitant. Secundùm formam verò duobus adhue modis vel componuntur, vel implicantur. Componuntur quidem, eo modo quo ex superioribus explicatum abundè videtur, duplicem tertianam notham fieri, seu ea sit intermittens, seu continua: cuius ordinis sunt malignæ hæ quæ cum papulis hoc anno 1623. viguerunt & vigent adhue, in continentes nothas quinto aut septimo die degenerantes. Implicantur verò si bilis & pituita separatim putrentes, eorum singuli circa idem tempus febrem suæ sortis accendant; quarum quælibet se suis signis prodat. Quod quadrifariam præsertim accidit. Etenim vel pituita, in maioribus vasis putret, & bilis in abdomine, fitque ex quotidiana continua, & tertiana intermittente, verus Græcorum hemitritæus. Vel bilis intra maiora vasa putredinem concipit, & pituita in abdomine & fit ex tertiana continua, & quotidiana intermittente paruus hemitritæus. Vel in diuersis grandiorum vasorum regionibus hîc pituita, illic bilis putret: quotidianæ continuæ & tertianæ continuæ, rara & sine nomine implicatio. Vel tandem in diuersis abdominis partibus separatim ambo hi humores putrent: sicque ex tertiana intermittente & quotidiana interpolata implicatis, fit Archigenis hemitritæus apud Galenum [l] notatus.

Vbi præterea aduertendum est, febres has, vt dictum est, implicatas, posse vel exquisitas esse, vel nothas; vel vnam exquisitam, & aliam notham. Vnde sexdecim omninò differentiæ implicationum tertianæ cum quotidiana nascentur. Quod & in cæteris febrium implicatarum differentiis adnotari poterit. In quo tamen minùs immoramur, ne logiatri magis quàm Medici dicamur.

Tandem plures eiusdem speciei febres se mutuò impiicantes eundem aliquando inuadunt, vt duæ tertianæ, tres tertianæ, duæ quotidianæ aut quartanæ similiter. Duas nominamus febres, quæ intra tempus consuetæ periodi bis apparentes, tum inter se indiuiduali typo distinguntur, tum recurrentes, paroxysmos sibi proximè succedentes dispares habent; alternos autem sibi inuicem respondentes. Vt duæ erunt quotidianæ, si quispiam horâ octaua matutina perfrigeratus cum paruo & raro pulsu; postmodum incalescens capitis grauitate totiusque torpore, comatosus, non sitiens, cum pulsu magno, celeri & molli febriat. Eadem verò adhuc perseuerante febre, ad horam sextam vespertinam, imminuto pulsu, & in rariorem mutato, absque perfrigeratione, frequens oscitatio & pandiculatio superueniat: indéque pulsu aucto & ad celeritatem verso incaleat. Atque ita cum modica siti, iterum febrire aduertatur. Quibus ad horam quartam matutinam mitescentibus, mox ad septimam aut octauam iterum perfrigeretur: cæteraque patiatur diei hesternæ respondentia. Ac demum prædictis paroxysmis se ordinatè reciprocantibus, ad sextam aut septimam vespertinam denuò oscitationes, pandiculationes & alia quæ his erant die præcedente consociata, recurrant. Nec tamen necessarium est tantam inesse varietatem; neque tantam inter vtramque accessionem distantiam vt duas esse quotidianas agnoscamus: modò altera, alteri ex integro non respondeat; sed alternæ accessiones sibi mutuo assimilentur. At si vt fieri potest, portio pituitæ in venæ portæ ramis, quæ circa ventriculum & cephysim sunt putrescat; & pars alia in his meseraicis ramis, qui ad coli finem & recti principium disseminantur, putredinem concipiat; vtraque humoris portio eodem tempore accendatur: duæ quidem erunt quotidianæ, sed quæ etiam expertissimos fallant, sub vnius apparentes specie.

Intermittentium enim omnium tam dissimilium quàm similium implicationes, bifariam, imò & trifariam fieri contingit: bifariam quidem agnoscit Galenus [m]: nam vel eodem tempore incipiunt: vel vna alteri succedit. Illas confusas idem Pergamenus [n] appellat. Has verò complexas. Auicennas autem [o] trifariam addit huiusmodi implicationes accidere: vnde febrium implicatarum, has quidem intrantes, alias coalternatas, atque alias demum communicantes nuncupat. Intrantes vocat, quando febrium altera, alteri increscenti, aut vigenti superuenit. Coalternatas eas nominat, quarum vna tunc inchoat, quando alia iam integrè desiit. Communicantes verò illas appellat,

quæ

[i] Cit. 2. de diff. f. febr. c. 8
[l] Lib. 2. de crisib. cit. ca. 8.
[m] Lib. 2. de differ. feb c. 7.
[n] Loco cit. c. 8
[o] Lib. 4 fen 1 tract. 4. c. 16.

quæ ſimul inuadunt. Ne tamen ſimilitudo vocum quempiam decipiat, meminiſſe oportet, quaſdam febres dici continuas per ſubintrantiam, quæ nullam implicationem habent. Sed quia ex materiæ putrentis copia protractum habent paroxyſmum, & ex citatiore tranſmiſſione ad mineram atque ex huius intemperie, promptè putredinis labem tranſmiſſo humori inferente, anticipare conſueuerunt: ſolent antè recurrere, quàm præcedens paroxyſmus ad infebricitationem peruenerit: atque ita ſine intermiſſione, ad modum continuarum affligere. Quod his vt plurimùm accidit, quæ qualemcunque typum ſeruent quotidie repetunt.

Ex quotidianæ autem exemplo facilè intelligetur quales ſint duæ tertianæ, duæ quartanæ, imò & tres tertianæ aut quartanæ. Galenus trium tertianarum exemplum profert[p]. Ego qui ex corporis imbecillitate tam natiua quàm malis artibus inflicta admodum ſum valetudinarius, & varios diuerſorum morborum caſus ſum expertus, anno 1619. cùm febre tertiana producta admodum infeſta laborarem, poſt aſſumptum pharmacum aliquantò leuius circa totius morbi declinationem, in eum caſum incidi, quo cùm febris ad horam decimam matutinam cum mitiore quàm antea rigore innaderet, & ad horam tertiam prægreſſo mediocri ſudore intermitteret: mox horâ ſeſquiquartâ me inſolitus horror occupauit, febre ſubſequente, quæ poſt horas ſex aut ſeptem ſine ſudore ceſſauit. Quæ duplex inuaſio duarum verè tertianarum erat, & per duos aut tres tantùm paroxyſmos apparuit, priore quidem febre ceſſante: alterâ verò non vltra ſeptimam aut nonam acceſſionem perſeuerante.

p Lib. 2. de criſib. cap. 9.

Cauſæ prædictarum omnium differentiam febrium, tam compoſitarum, quàm implicatarum, ſunt huiuſmodi. Earum quidem compoſitarum, quas inter nothas capitibus præcedentibus recenſuimus, cauſæ: ex his quæ tum hoc capite, tum prioribus explicata ſunt ita colligi poſſunt, vt nihil ad faciliorem doctinam repetere ſit neceſſarium. Namque illæ ex diuerſis humoribus mixtim eodem loco putreſcentibus generantur.

Quæ duplices aut triplices appellantur, oriuntur ex eiuſdem ſpeciei excrementitio humore, qui pro copia qua in nobis abundat, & pro partis tranſmittentis ſenſûs acutie & irritatione, atque ex febris mineræ intemperie, per tam breuia interualla in mineram refunditur, ibique eâ celeritate putreſcit, vt qui intra viginti quatuor, vel quadraginta octo, aut ſeptuaginta duarum horarum ſpatium, febrem ſemel tantùm excitabat, intra id tempus, bis aut ter renouata putredine duas aut tres acceſſiones faciat.

Primi generis implicatarum cauſa, eſt habitûs quidem calidi & ſicci aut aliunde ad habitualem calorem concipiendum facilis aptitudo ad hecticam contrahendam, & humorum excrementitiorum in vaſis & extra vaſa putreſcentium concurſus.

Secundi generis prima ſpecies ex eo oritur, quòd cùm maſſa ſanguinis putrilaginis virium conceperit: ſimul excrementitius aliquis humor in aliqua abdominis ſede particulatim putreat.

Secunda ſpecies, ſeu mauis differentia ſecundi febrium implicatarum generis, ex eo naſcitur, quòd diuerſi humores excrementitij in his locis eâ copiâ & fomitis ſuggeſtione ſeiunctim putreant, vnde perenni effumatione ad cor, vtrinque ſui generis febrem accendant.

Tertia eiuſdem generis differentia, inde principium ducit: quòd humorum excrementitiorum alij in maioribus vaſis, alij in abdominis parte aliqua putreant: aut eiuſdem ſpeciei humoris pars in venis, & portio alia in abdomine putreſcat. Particulatim autem hemitritæi Græcorum ea eſt cauſa: quòd pituita in grandioribus venis, bilis verò in determinato quodam meſenterij loco concepta putredine accendatur.

Quartæ demum huius ordinis differentiæ cauſa eſt: quòd vnius ſpeciei humor in vna particulari abdominis ſede putredinem contrahat, & alterius ſpeciei aliquis, in alia abdominis parte putreat, atque vterque febrem ſuæ ſortis accendat.

Tertij demum generis implicatæ febres, hanc cauſam agnoſcunt; quòd eiuſdem ſpeciei, excrementitius humor ſecundùm portiones differentes, in duobus diuerſis abdominis aut meſenterij locis pari vel diſpari copiâ, ſimili aut diſſimili putritate, eodem aut diuerſis temporibus, putreat.

Signa tot differentiarum febrium compoſitarum & implicatarum diſtinctiua, etſi non facilè deſignentur ſingula: explicari tamen expoſtulant, cùm ad rectè curandum oporteat ſingulas relatas differentias exactè diſtinxiſſe.

Febrium notharum ſigna quando de exquiſitis egimus, ſatis abundè explicuimus.

Duplices tripliceſque ex iis quæ hoc capite dicta ſunt facilè diſcernentur.

Hecticæ cum putrida coniunctæ notas, capite præcedenti indicauimus.

Continenti intermittẽtem eſſe conſociatã, ſignificabunt nullius quidem intermiſſionis veſtigium cum ſignis putredinis, ſuccis impreſſæ, cui tamen periodicæ acceſſiones & remiſſiones, cum euidente annotatione appatẽtes conſocientur. Harũ autem typus, cõiunctæ intermittẽtis ſpeciem deteget.

Continuam

Continuam alterius speciei continuæ implicatam ostendunt, exacerbationes quæ cum annotatione incompressa inuadentes per differentes periodos alternatim sibi respondendo recurrunt. Quarum periodorum accedente vigore, ea alternatim apparent symptomata, quæ superuenientia symptomatibus consociatæ febris magis propriis, specialem alterius febris differentiam insinuant. Differt autem hæc implicatio ab hemitritæo quòd ex Hipp.[q] & Gal.[r] hemitritææ febres sint horrificæ: hæ verò non item vtrisque tamen cõmune est non desinere & ad apyrexiam minimè peruenire.

[q] 1 epid. sect. 3. text. 1. [r] 2. de differ. feb. cap. 7.

Continuæ intermittentibus implicatæ discernuntur, quòd præter periodicas exacerbationes cuique continuarum speciei proprias, & symptomata illas consequentia propriis capitibus suprà explicata: altera illi vel singulis diebus; vel alternis quarto quoque die, cum perfrigeratione, rigore, aut horrore superueniat. Quæ continuæ symptomatibus, sibi propria, præsertim cùm viget, interserit: & se speciali typo (eius accessiones & inclinationes attentè aduertentibus) manifestat. Particulatim verò inter cæteras hoc habet exquisita hemitritæus; quòd nunquam ad perfectam integritatem veniens; singulis diebus cum aliqua pulsûs contractione exasperetur: alternis autem, seu imparibus seu paribus aliquando, duas habeat exacerbationes; quarum altera cum rigore aut saltem cum horrore incipit. Quòd si accidat tertianam intermittentem notham esse, bile cum pituita non mixtis, sed confusè in minera putrentibus: diebus duplicis exacerbationis paroxysmi erunt horrifici, horrore sæpiùs eodem die recurrente, vt adnotatum est à Galeno[s]. Ex eo quòd materia ratione suæ inæqualitatis, non vno sed vario impulsu à minera in focum expellatur. Solet autem bilis cum pituita permixta in intermittentium initiis horrorẽ excitare, quæ solitaria rigorẽ causaret.

[s] in 1. epid. comm. tex. 11 2 in eundem comm text. 25 & 3. in eun 1. com. text 5.

Intermittentes vnius speciei, alterius naturæ intermittentibus implicatæ; nisi simul inuadant, propriis typis discernuntur. Si verò simul inuaserint, compositas quas nothas appellanimus, imitantur, & vtriusque sortis symptomata confusa afferunt. A nothis tamen ex eo differunt; quòd cùm febrium specie differentium, inæqualis sit motus; atque ideò aliæ aliis citiùs ad paroxysmi imò & totius morbi statum declinationémque perueniant: singulæ dum vigent, se symptomatibus suæ naturæ conuenientibus euidentiùs manifestant.

Tandem diuersæ eiusdem speciei febres implicatæ, discernuntur ex paritate specialis typi, & indiuiduali paritate: quæ tamen si eodem tempore inceperint, vnius sed vehementioris speciem referunt, vixque discernuntur, nisi diuersis horis inuaserint.

Spes aut periculum, non idem ex omnibus differentiis emergit. Febres nothæ, vt plurimúm, diuturniores sunt exquisitis: non solùm ex eo quòd humores crassi tenuiorum coctionem remorantur. Nam contrà crassiores tardiùs soli, quàm tenuibus permixti coquerentur. Sed quòd humoribus diuersorum generum simul peccantibus plures partes principes aut officiales sunt in vitio, atque ideò natura imbecillior inde euadat ad mitificãdam materiam morbificam & morbum euincẽdum.

Febres duplices simplicibus plerunque sunt longiores quia visceris excellentior ea intemperies à qua maior illa humoris copia generatur difficiliùs emendatur, & febrem diuturniùs fouet. Si tamen typus duplicium sit typo simplicium breuior: breuiùs etiam vt plurimùm soluetur. Duplicem enim tunc caũsat non intemperies maior plus excrementirij humoris putrescentis generans: sed acuties sensus partis transmittentis: quæ non ferens paucam materiam breues paroxysmos inferentem, spes est nec diu laturam inæqualem intemperiem sibi impressam, præsertim si Medici auxiliares manus illi opportunè subueniant. Sic cùm eodem anno in febrem tertianam inciderim & in tertianam duplicem: tertiana non ante decimam septimam accessionem desiit, cúm duplex, septimam non excesserit.

Hectica putridæ coniuncta, vt superiori capite indicatum est, alterutrâ solitariâ, periculosior est. Etenim hectica vacuantia, attenuantia, & deobstruentia auxilia, aut prohibens aut mitiora insinnans: putridæ curationem vt minimùm differt. Et putrida, sua acutie cogens Medicum prædictis auxiliis liberiùs vti: hecticam exasperans, eandem frequentissimè immedicabilem reddit.

Continuæ continuis implicatæ, & grauissimæ & periculosissimæ sunt. Nam præter quam duplicem habent vigorem, seu vehementia, seu iteratione, vnde magna ægris accidit molestia. Prætereà difficillimum est sic ægrotantibus appositè remedia, aut alimenta ministrare.

Ad prædictarum periculum vti ad earumdem naturam proximè accedunt continuæ cum intermittentibus implicatæ. Inter quas Hippocrates[t] hemitritæum ait, præ cæteris maximè lethalem esse: cui morbi aduenient acuti: & quâ tabidi, ac qui aliis longis morbis detinentur, præcipuè ægrotent. Qui Hippoc. textus ea interpretatione indigere videtur, vt dicamus quoniam in hemitritæo hinc pituita sanguini in vasis permixta in vitio est, vnde per defluxum inflammationes oedematodes excitari possunt: inde verò bilis qualitate peccat quæ cùm præ cæteris humoribus calidissima sit & tenuissima morbos acutos excitare facilè potest: si qui morbi hemitritæo superueniant, eos acutos esse necessum est. Tabi verò & morbis longis febrem superuenientem, quæ citra intermis-

[t] 1. epid. sect. 3 text. 5.

fionem folet declinante die aut alternis etiam aliquando, vt cùm de tabe agetur [u] indicabimus, exasperari; hæmitritæum potiùs imitari quàm eius formam integrè obferuare. Quæ præterea vt reliquis omnibus commune eft quandoque maligna eft, aliàs mitior, vt ex Galeno difcimus in hiftoria illius iuuenis hemitritæo laborantis quæ ab ipfo [x] refertur. a Ci.feq.fect. 2.cap de tabe. x Cit. 2. de differ.feb c.7.

Intermittentes alterutrius rationis implicatæ, fimplicibus funt deteriores, quòd breuiorem habeant intermiffionem, & minus temporis Medico concedant ad opportunè medendum ægro.

Curatio harum omnium febrium tam compofitarum quàm implicatarum, maximam requirit Medici prudentiam. Cùm enim ferè femper contrarietas aliqua in illis reperiatur; eâ folertia opus eft, nè dum vni mederi ftudemus, alteram exafperemus. Et licèt ex iis quæ priore libro ad vniuerfalem medendi methodum pertinentia, atque ex iis quę hoc ipfo ad folitariam febrium curationem fpectantia docebimus, patere poffit: qua arte fingulis compofitarum & implicatarum differentiis mederi conueniat: tamen in tyronum gratiam fingulas differentias percurrentes, quid quibúfque fpeciatim debeatur, breuiter exponemus.

In nothis ergo & fpuriis cuiufuis generis febribus curandis, hoc vnum meminiffe fufficiet, vt ea femper obferuando quæ à communibus febrium indicationibus infinuantur fuperiùs [y] explicata, in cæteris quæ natura humoris putrentis infinuat, primùm difcernamus an humores confufi, an mixti æqua proportione concurrant, an verò vnus alium aut alios copiâ exuperet. Etenim excedenti accuratiùs profpiciendum, & ea quæ illius præparationem & vitiorum ei adnatorum emendationem faciunt, largiùs affumenda funt, parciùs verò quæ alteri aut aliis humoribus illi commixtis profpiciunt. At fi vtriufque æqua fit temperatura & mixtio: remedia quibus vnus atq; alter mitificari confueuerunt, fic mifcere conueniet, vt vtilibus quidem intentionibus mixta fatisfaciant. Cauemus autem nè pari facultatum contrariarum concurfu, vtili fuæ actiuitatis fuc ceffu fruftrentur. Quod in fpecie clariùs explicabitur, vt proponatur aliquis qui febre notha laboret ex bile æqualiter mixta cum pituita: fi ea fit continua, primúm poft minorantis feu lenis purgantis & primam regionem euacuantis pharmaci vfum, fecanda erit vena & fanguis pro viribus mittendus. In præparantium verò vfu ea quæ citra omnem incraffandi vim refrigerare funt nata ratione & febris & bilis eligenda erunt. Quibus fi incidendi & detergendi vis aliqua ratione pituitæ adiuncta fit: vt in oxylapatho, acetofa, & cichoraceis, vtrinfque humoris præparationi pro ratione prouifum videbitur. Vbi verò coctionis indicia apparebunt, quoniam humores illi inæqualis conditionis fimul & femel ad coctionis integritatem deduci non poffunt, vt quod mitificatum iam erit expurgetur, purgante erit opus, quod prima vice bilem efficaciús educat: quòd illa, quia tennior eft & fluidior, purgationi faciliùs cedat; mox reliquiarum præparationi iterum attendere oportebit, ea etiam prioribus admifcendo quæ ratione pituitæ, quodammodo tunc exuperantis mediocriter attenuare valeant qualia funt capillarium folia, pimpinella, radices graminis & afparagi, femen violarum, acetofæ, necnon & fœniculi fed parcè affumpti & fimilia. Inclinante demum febre, fed coctione lentè progreffa, ita vt appareat naturam tardiùs per crifim expulfuram quod noxium eft, purgatione erit opus quæ poffit pituitam fufficienter detrahere. Vel fi natura ad iudicium ex conuenienti coctionis celeritate tendere videatur: expectato naturæ conatu, fi excretio minimè fufficiens iudicetur, ne fiat recidiua, vtiliffimè ad reliquiarum purgationem veniemus. Et fi interea ad viarum laxitatem procurandam, vel deinceps ad vifcerum intemperiem emendandam quidpiam præftandum fit: illud ex ijs quæ præcedenti capite docuimus requirendum erit. Quòd fi bilis pituitæ euidenter præualeat, refrigerationi liberiús incumbendum erit, & mediocriter etiam incraffantia principio erunt affumenda: vt lactuca & portulaca cæteris refrigerantibus & humectantibus, quorum abundè fuprà [z] meminimus, admifcenda. Non verò ad ea quæ recèns diximus refrigerando incidere & detergere tranfeundum. Cætera tandem, vt iam antè hoc capite & fuperioribus docuimus, pro ratione exequenda. z Cap.14.

Si verò febris huiufmodi notha, fuerit intermittens non alia quidem opus eft arte. Sed cum in ea fanguinis miffione fit opus, an verò ab ea ábftinendum, difcere ex iis oportebit, quæ fuprà examinauimus [a]. Melancholia autem bili mixta, fi eâ præter naturam fit refrigerationi & humectationi maximè ftudendum erit, tam per affumpta, quàm per in abdomen iniecta. Incendium enim ab eo humorum genere conceptum, efficacibus remedijs quàm celerrimè licebit, temperandum eft: potentiùs quidem refrigerando, in tertiana notha minoris famæ dicta; largiùs autem humectando, in quartana notha, in qua prædictorum humorum concurfus apparebit. QVO cafu, balnea opportuniffima erunt ftatim ac prima coctionis rudimenta in vrinis apparebunt. At fi melancholia eius fit fortis quæ fecundùm naturam generatur frigida & ficca, humectatione quidem larga indigebimus; moderatiore autem refrigeratione: atque eò magis cùm bilem melancholia fuperabit. Pituitâ verò nigro illi humori permixtâ, modicè refrigerantia erunt attenuantibus & detergentibus ad- a Cap.14.ab.

mifcenda.

miscenda. Incidentia verò mediocria erunt interserenda in æqua vtriusque temperatura. Præualente autem pituita, attenuantia fortiora esse conueniet; incidentia verò efficaciora. Cæterum huius meminisse præcepti oportebit in his febribus, iteratis opus esse purgationibus. Inter quas longa præparatio interserenda est. Huiusmodi enim humores tardè coquuntur, & longâ indigent alteratione, vt ad debitam mitificationem perducantur. Cùmque eorum pars post partem coquatur, non vni sed repetitis purgationibus detrahuntur.

Febres duplices aut triplices eiusdem speciei nihil à simplicibus diuersum requirunt in remediorum specie: sed in alendi & medendi occasione captanda, solertem Medicum expetunt. Cùm enim intermissionum aut remissionum tempora in his sint quàm in simplicibus multò breuiora: procurandum est: singula ita examinari vt & alimenta & medicamenta quàm longissimè licebit ab exacerbationum & particularis status horis præscribantur. Et licèt Hippocr.[b] integrè à cibo per accessiones abstinendum iubeat; tamen in his cùm medicamenta exhibere conueniet & tempus remissionis breuius futurum sit, quàm ad medicamenti operationem, & commodi cibi administrationem requireretur: cibum quidem & liquidum per incrementa dare expediet, medicamentum autem in accessionis declinatione. Imò si præ ægrotantis imbecillitate cibum sæpiùs exhibere cogamur, horas incrementi & remissionis eligemus.

b 1. aph. 11. et 19.

Hecticam cum putrida implicatam ita curare oportet, vt eùm promptius periculum ex putrida quàm ab hectica immineat, primò attendamus putridæ, ea omnia quæ ad illius curationem pertinent exequendo. Quoniam verò ad illius medelam pertinentia possunt hecticam grauiorem reddere: eâ prudentiâ est opus, vt & in mittendo sanguine parciores quàm putrida febris solitaria requireret, & in purgantium electione minùs calida, remissiùsque exsiccantia contrariis præponamus: atque vbi curata fuerit putrida, ad hecticæ curam omni studio conuertamur.

In continuis implicatis ea sequi præcepta conueniet, quæ ad continuas nothas curandas proposuimus. Interim cautiones eas in complexis à Galeno vocatis [c] obseruando, quas in duplicium cura proposuimus.

c Cit. 2. de differ. feb. c. 8.

Continentes intermittentibus copulatas: ita curandas censemus, vt primò (si liceat) leuissimo aliquo pharmaco exhibito ad eluendam excrementitii humoris intermittentem causantis illuuiem in primis viis contentam, nè in venas rapta vasorum impuritatem augeat: sin minùs clystere iniecto & exereto, sanguis pro plethoræ conditione, & ægri viribus educatur. Mox cætera præscribantur, quæ ad continentis curationem spectant; aliquâ simul intermittentis ratione habitâ: declinante verò continente, intermittenti curiosiùs prospiciamus.

Continuæ cum intermittentibus concurrentes, pari ratione curantur, ac continentes cum interpolatis implicatæ. Sed aduertendum est, quòd cum continentium maximum remedium sit sanguinis missio, & ab illa frigidæ potus: in his continuis multa aliquando occurrunt quæ nos à phlebotomia dehortantur; de quibus cùm de sanguinis missione, per sectam venam tractabimus, ea dicemus quæ ex principum Medicorum authoritate, & pro ratione afferenda censebimus. Frigidæ verò potio in paucis harum conuenit, minimèque præsertim in exquisita hæmitritæ. Cuius curatio, in quantum ad implicationem pertinet, hoc solùm requirit vt ratione tertianæ intermittentis antè leni pharmaco ex rhabarbari & cassiæ infuso, aut manna præsertim brigantinâ in sero lactis solutâ, tenuem illum & facilè mobilem humorem biliosum in prima regione contentum expurgemus, quàm sanguinem educamus. Aliàs periculum foret, ne venæ à sanguinis missione exhaustæ, illuuiem illam sugerent, & bile per maiores venas effusâ sæuiùs efferuescente, febris atrior redderetur. Prætereà quod ad alterantia pertinet, quia pituitæ in venis putrenti, bilis in mesenterio putrentis feruor superuenit, maiore refrigeratione erit opus, quàm sola quotidiana requireret. Illis tamen quædam citra euidentem calorem attenuantia & incidentia, ratione pituitæ erunt admiscenda. Quæ paulò valentiora esse oportere, detergentibus etiam additis, si tertiana spuria foret.

Intermittentibus diuersarum specierum implicatis laborantes, sunt medicandi pari ratione, atque illi qui intermittentibus nothis afficiuntur. Sed hic ea particulatim habenda est cautio, vt scilicet singularum periodorum animaduerso recursu, & alimenta & medicamenta aut per intermissionis moram exhibeamus, aut tempore euidentioris remissionis.

Quæ demùm eiusdem speciei febres inuicem implicantur, non alia ad sui curationem præcepta requirunt: quàm quæ ad solitarias eiusdem naturæ curandas necessaria esse docuimus. Id ipsum tamen obseruando, quod in intermittentium diuersæ speciei curâ aduertendum monuimus.

De febrium symptomatibus.

CAPVT XVIII.

Febribus grauia quædam aliquando symptomata accidunt, quibus particulari sollicitudine prospici debet. Eorum tres sunt primæ differentiæ. Vel enim in actionum læsione consistunt, vel in retentorum vacuatorúmque immodico excessu. Vel demum in qualitatibus mutatis. Ex quibus actionum quidem offensæ si vehementiùs contristent ægros, sollicitudinem Medici ad se conuertunt, & ab affectûs regulari cura diuertunt. Idem præstant, & eorum, quæ retinentur, & expelluntur excessus. At genus symptomatum, quod in qualitatibus mutatis consistit, alteriùs quidem affectûs, quem curare oportet signum est, ipsum autem seorsum nullam curationem exigit, vtpote cum affectu vnde nascitur vnà cessans.

Inter symptomata autem quæ frequentiùs diuexare febrientes consueuerũt, hæc præsertim numerantur. Æstus à nimio febris ardore nascens. Lassitudo, & quasi contusionis sensus à plenitudine, & succorum per habitum effusorum copiâ & prauitate. Ad motum imbecillitas & segnities: quæ vel ab oppressione neruorum præ humorum copia nascitur, vel à malignitate eorumdem per vapores ab eis elatos, spiritus qui instrumenta sunt facultatum inquinando, & ad obsequium facultatis imperantis minùs habiles reddendo. Iactatio, ab interno ardore, & æstu orta, ratione cuius nec quiescere, nec in eodem loco consistere possunt febrientes. Capitis dolor, à vaporum copia aut acritudine. Pectoris oppressio, & dyspnœa, vel à distillatione, vel ab inflammatione hypochondriorum, vel à ventriculi, aut abdominis infarctu, vel demum à crassiorum vaporum ab abdomine sursum elatorum intra thoracem morâ, procurata. Tussis, à catarrho, vel à vaporum thoracem peruadentium acritudine, aut etiam à pulmonum exsiccatione. Lumborum dolor, à feruore succorum in vena arteriâque descendente contentorum. Vigiliæ à cerebri siccitate, quam exhalationes sursum elatæ inferunt. Delirium, vel à perturbatione imaginum iam ante interno sensui impressarum: vel à vehementia impressionis earum, quas vapores varij in cerebrum ascendentes, medio tactu, internis sensibus repræsentant. Sopor, à crudorum crassorumque vaporum, necnon humorum etiam aliquando in cerebrum transmissione. Sitis, à ventriculi præsertim siccitate. Linguæ ariditas, & asperitas, à siccitate; quam linguæ & faucibus inducunt exhalationes ex abdomine variisque membris naturali facultati inseruientibus per œsophagum transmissæ. Eiusdem item linguæ nigredo; quam crassæ fuligines à deustis humoribus sursum eleuatæ, suo illic adhæsu imprimunt. Lentor dentium, linguæ, & palati; à pituita, vel à cerebro defluente, vel à ventriculo per filtrationem quandam effusa, & à febrili calore incrassata, indéque visciditatem & adhæsionem contrahente. Gustûs deprauatio, à gustûs organis infectis his humoribus qui in ventriculi cauitate contenti per internam œsophagi tunicam cum ea quæ fauces inuestit continuam, in linguam palatùmque redundant. Cibi fastidium, à calore stomachum laxante eiúsque vim appetitricem exoluente, vel à ventriculi infarctu ex quouis humore, stomachum imbuente: vel à malo quopiam vapore, qui aliena quapiam alteratione stomacho impressa, vim appetendi sopit, aut eamdem etiam aliquando deprauat. Aliàs fames febrientes infestat: vel ab effusione acidæ melancholiæ in ventriculum: vel à cucurbitinis vermibus aliquando procurata. Animi item defectus & syncope: à malignitate humorum, aut vaporum, cor vel superius ventriculi orificium offendentium nascens: vel doloris acerbitatem, diuturniores vigilias, aut immodicam quamcunque vacuationem consequens. Singultus, ab stomachi, seu superioris orificij ventriculi infarctu, quem acris humor, aut vapor facit. Nausea & vomitus, ab humorũ per ventriculi corpus aut cauitatem effusorũ acritudine: aut copia fundum ventriculi infestante, & subuertente. Alui astrictio, ab interna siccitate, aut inflammatione intestinorum. Eiusdem alui fluxus: vel imbecillitatem coctricis, & retentricis ventriculi ac intestinorum: vel humorum acrimoniam, & facultatis excretricis quamcunque irritationem consequens. Icterus ab effusa in cutem bile nascens. Perfrigeratio, horor, & rigor à causis iam suprà explicatis orti. Sanginis vndeuis fluxus, qui ab illius efferuescentis tenuitate vasa peruadente, vel ab eiusdem acrimonia facultatẽ vasorũ expultricem irritante, excitatur. Sudor prętereà immodicus febrientibus nonnunquã aduenit. Necnõ & papulæ, variolæ, ac morbilli in febrib. aliquãdo apparere cõsueuerũt.

De quorum omnium symptomatum natura & curatione sigillatim agere: etsi hoc loco superuacaneum existimemus, cùm de eorum cognitione & cura, vel superiùs dum febrium curationem persequebamur, sit actum: vel de illis tractaturi simus alibi vel cùm febribus necessariò succedant, eisdem remediis quibus febres ipsæ curentur. De sudore tamen superfluo, papulis, variolis & morbillis hîc nobis agendum est: quòd non liceat alibi de his commodiùs tractare.

De immodico sudore in febribus.

CAPVT XIX.

a 4. aph. 36.

b Ex cit aph. 36. lib 4.

SVdant febrientes multipliciter. Vel enim in continuis coctâ materiâ, diebus iudicatoriis criticè sudor aduenit, qui saluberrimus morbos iudicans, ex Hippocrate [a] non est cohibendus. Præsertim si modum non excesserit, & cum tolerantia ægri, pulsúsque vigore ad finem vsque perdurer. Imò is si parcior sit prouocandus, vel superiniectis ægro stragulis, vel leniotibus sudorificis decoctis exhibitis, calido nempe decocto hordei, & ficuum cum pauco syrupo acetoso, vel aqua cardui benedicti, scabiosæ, & nucum: vel si etiam quædam sit suspecta malignitas, puluere lapidis bezoar cum iure pulli, aut prædictorum liquorum aliquo à granis iiii. ad xii. pro ætate exhibito. At sudores qui in non intermittentibus secus adueniunt [b], laborem portendunt, lõgitudinémque morbi, aut recidiuam: dum vitio materiæ morbificæ natura intempestiuè ad excretionem irritatur. Suntque tales symptomatici, à quibus nulla est expectanda morbi solutio: licèt aliquando ichorem humorum putrescentium imminuendo, accidentia morbi lenire videantur. Ab illis autem iudicatur, ea humorum vitia, quæ vanam huiusmodi irritationem faciunt, arte emendanda esse, cùm illa euincere per se natura non possit. In intermittentibus autem post refrigerationem aliquando, aut frequentiùs in fine cuiusque paroxysmi sudor apparet: qui si respondeat materiæ in quolibet paroxysmo putrescenti, eadem ægrum leuat, & finendus est, nec perturbandus.

c Argumento problemat 16. sect 2.

d Ex apho. 41 lib. 4.

e Com. in aph. 61. lib. 7.

f 1. de sympt. causis cap. 7.

Verùm in vtroque febrium genere, nonnunquam copiosior aduenit sudor: quibusdam quandocunque dormire cœperint; quòd retractus ad intima calor, humores intus conclusos abundantiùs fundat, & liquet [c]. Ac tales vel parciùs nutriendi sunt, si copiosiorem cibum capiant, vel euacuatione indigent, & præsertim per purgãtia medicamenta [d]. Quibus ergo ea perseuerantia sudoris erit importuna, cùm ciborum etiam fastidio, quia cacochymia intus latens diuturnioribus his sudoribus materiam parat; conuenit primùm longo apozemate attenuante, & vrinas moderatè cienre humores passim in corpore stagnantes præparate, mox præparatos purgare, non vnico solùm sed iterato etiam medicamento. Quòd si humores ad excretionem abundè iam apti appareant, purgante apozemate in tres aut quatuor doses partito, illos expediret sensim educere, ne singulari sed profusiore euacuatione æger à prægresso, morbo iam imbecillis offendatur. In superfluentibus autem sudoribus, superabundantes corporis humiditates euacuandas, manifestum esse docuit Gal. [e]

Si verò sudor non per varias vices repetens: sed continuò fluens quempiam molestet, vires exoluens, & importunam imbecillitatem concilians syncopen minetur: seu is ex Galeno [f], propter nimiam cutis raritatem, seu propter retentricis facultatis imbecillitatem, seu propter excretricis immoderatum motum, seu tandem propter tenuitatem humorum, qui ad cutem feruntur adueniat, cohibendus erit. Cui intensioni pro varietate causarum, variis etiam satisfaciendum erit auxiliis.

g 1. de præsag. ex puls. cap. 4.

h 3. de sympt. causis cap. 9.

Cutis enim rarior effecta per motum, aut calorem immodicum; refrigeranda erit, & densanda. Sed id sensim agendum est. Primùm quidem imminutis operimentis, mox refrigerato aëre ambiente: postmodum etiam, cum leui flabello eo perfrigerato, qui ægrum proximè, circunstat. Quæ si non sufficiant, vel fomenta ex decoctis frigidis & astringentibus, non egelidis tamen, ex rosis, balaustiis, plantagine, sempetuiuo, salice, gallis, malicorio, & consimilibus, erunt admouenda inguinibus, alis, aut etiam hypochondriis: modò nulla sit in his tensio, nullúsque in abdomine infarctus, à quibus talis remedij vsus prohibeatur. Vel exsiccantes, & astringentes puluetes cuti aspergendi erunt; ex rosis siccis, hypocistide, balaustiis, corticibus granatorum, acacia, terra cimolia, creta, pauco alumine, & similibus admixtis. Linimentis item quibus pares insint facultates illinire cutem expediet; ex oleo cydoniorum, mastichino, violato, nenupharino; additis etiam pulueribus superioribus, & ceræ albæ rantillo, vt linimentum cuti magis adhæreat. Vel ex paratis in pharmacopolio vti poterimus, vt vnguento rosato Mesues, aut infrigidante Galeni. Retentrix verò facultas imbecilla per intemperiem reddita [g], ac maximè à frigida intemperie calidi innati exolutionem consequente, roboranda erit, non calidis attenuantibus exhibitis, sed reficientibus quæ moderatè calefaciant, additis his etiam, quæ astringũt cuiusmodi sunt iuscula ex carnibus perdicis, pipionum, ac similium, quibus terra sigillata, margaritæ, coralli in tenuissimum pollinem deducti immisceãtur.

Irritata autem expultrix vel à nimia copia, vel à mala qualitate excrementorum stimulata ex Gal. [h] erit demulcenda, vel vacuatione per secessum, humorem à quo facultas stimulatur reuellendo, vel eiusdem acrimoniam per assumpta tam medicamenta quàm alimenta temperando.

Quòd si tandem humores sint tenuiores, vel per admixtionem copiosioris seri, vel quòd illi à vehementia caloris febrilis fusi sint, & liquati: serum quidem hydragogis, vel vrinam mouen-

tibus

tibus erit vacuandum: calor autem immodicus omni arte temperandus, ipsáque tandem humorum tennitas incrassantibus tum eduliis, vt alicâ, orizâ, pedibus & intestinis animalium; tum medicamentis, vt syrupo violaro, de lactuca; de portulaca, de papauere, diacodio, ac theriacą recente, necnon & laudano opiato erit emendanda.

Omnibus demum conuenit iam languidiores redditos roborare & pauco quidem alimento reficere, sed plurimùm alente per breuiora interualla exhibito, vt consummatis iusculis, additâ aquâ rosarum aut in illis dissoluto electuario manus Christi cum perlis aut solis ipsis margaritis. Sudantes verò rudiùs abstergere non conueniet, ex Arist[i] quoniam sic detersi magìs sudant, eo motu aduocatis ad cutem humoribus. Sed leni detersione cum frigidis pannis erit opus, ex Paulo[l] vt leui illa perfrigeratione, quam aëri ægrum detergendum exponentes procuramus, & linteorum frigiditate augemus, cutem densando, poròsque astringendo, sudor reprimatur: & præterea acre illud serũ cuti adhærens leuiter detergendo, efficiamus ne cutis eo vellicata nouum sudorẽ excitet.

i Probl. 10. en. sect 2.
l Lib. 2 c. 47.

De exanthematum, ecthymatumque differentiis, & curatione.

CAPVT XX.

ANtiqui pustulas, aut papulas cuti adnascentes indistinctè ἐξανθήματα καὶ ἐκθύματα appellarunt. Nam Hippocrates[a] eruptiones in pestilenti tempestate, quam describit, apparentes numerans[b] ἐκθύματα μεγάλα, pro papulis latis recensuit, vt contrà eminentes & vlcerosas pustulas in modum ambustorum ἐξανθήματα appellauit[c] interprete Foësio. Et Actuarius[d] si sanguis qui olim per ora venarum ex more effundebatur, feratur ad cutem, multa ac varia exanthemata fieri ait. Quorum certum est alia supra cutem eminere, alia superficiaria esse, & cutem æquare contingit. Hesychius præterea ἐκθύματα quid sint explicans, ea inquit esse ἐξανθήματα; nec mirum, etenim quemadmodum ἐκθύματα dicuntur quasi foras erumpentia: sic ἐξανθήματα quòd in morem gemmarum in plantis ad florem turgentium tumeant, sibi huiusmodi nomen assumpserunt. Verùm ex Gal[e] nominum notatione non repugnante videtur inter ἐξανθήματα καὶ ἐκθύματα eam posse differentiam constitui, vt ἐκθύματα quidem dicantur pustulæ quæ ex materia crassiore cum impetu ad extremam cutem erumpente, eámque in tumorem eleuante nascuntur, ἀπὸ τοῦ ἐκθύειν, quod Galenus ἐξορμᾶν, seu vi erumpere interpretatur: ἐξανθήματα verò seu cutaneæ efflorescentiæ appellentur papulæ quæ ex tenuiore materia fiunt, cutem non attollente, sed superficiarias tantùm maculas imprimente; sub quo significatu euidenter Hippocrates nomen exanthematis vsurpauit[f] vnde Trallianus[g] exanthemata esse superficiarias cutis (exulcerationes tamen) scribit. Quare inter cutis eruptiones quæ febrientibus accidunt, exanthematum voce enunciari possunt maculæ illæ minutiores, aut grandiores etiam, quæ febres continentes aliquando, sæpius verò malignas, aut succorum intra venas in pueris particularem quandam efferuescentiam consequuntur: & vel in formam morsus pulicum, vel vibicum etiam, aut per modum paruorum erysipelatum dispersorum per cutem citra vllam eminentiam efflorescunt. Horum ergo duæ sunt differentiæ: prima est earum macularum quæ in continentibus & malignis febribus apparere consueuerunt, quas alii purpuram, alii petechias, papulas, lenticulas, aut maculas, atque aliter nominant: quarum meminit Hippocrates[h] cùm inquit: Illi, qui vlcus in tibia habuit, & attico vsus est, sublata esse exanthemata rubra, magna, idque tussis vice, quæ postea vexauit, neque enim antea tussim fuerat passus: Earum etiam meminit Hippocrates[i] dum scribit, ægrotos per id tempus decũbentes inter cætera infestatos paruis exanthematis, quæ non essent excernẽdis morbis, statimq. euanescerẽt.

a 3. epid. sect. 3. à text. 49. ad 52.
b Text. 51.
c Sent. 44. coac.
d Lib. 1. meth. med. cap. 20.
e 3. in 3 epid. com. 10. text. 52.
f In coac. sent. 245.
g Lib. 1. c. 5.
h Lib. 4. epid
i 1. epid. sect. 2. text. 18.

Harum autem differentiæ desumuntur, vel à copia, vel à magnitudine, colore, & tempore morbi, quo apparuerint. A copia enim aliæ sunt multæ, & frequentes per cutem sparsæ, aliæ paucæ & raræ. A magnitudine verò quædam minutulæ, & pulicares, aliæ latiores & lenticulares, aut grandiores adhuc conspiciuntur. A colore aliæ sunt rubræ, aliæ citrinæ, purpureæ, & obscuri ruboris, liuidæ, aut nigræ, & atræ aduertuntur.

Tandem vel in morbi incremento, aut principio ipso cùm omnia sunt cruda aliquando erumpunt: aliàs iam inclinante morbo, & materia eius causa per pepasmum euictâ.

Altera exanthematũ differẽtia in eo puerili morbo aduertitur qui à nostratib⁹ rosa appellari solet.

Ecthymatibus autem annumerantur variolæ, morbilli speciatim dicti & inter puериles morbos recensiti, φλυζάκια, similésque eruptiones tam plegmonodes, quàm vlcerosæ, quæ tum aliis, tum maximè pueris cum febre accidunt.

Variolæ sunt pustulæ quædam epidemiales, & per interualla populariter grassantes, quas vix quisquam per vitam euitat, pueros vt plurimùm affligentes, nonnunquam etiam adultos infestantes,

nec semel tantùm, sed secundò etiam ac tertiò aliquando eundem inuadentes: quæ febri tam continuæ, quàm intermittenti superuenientes, rubentes primùm varorum magnitudine erumpunt, mox etiam intra aliquot dies suppurantur, & in crustas tandem degenerant, aliquando foueâ in cute relictâ, aliàs nullam in cute foueam relinquentes. Dixi illas febri tam continuæ, quàm intermittenti superuenire: quòd cùm vix vnquam non præcedente febre erumpant, atque illa soleat non solùm esse continua, sed continens: aduerterim tamen, in nobili puella septimo febris tertianæ paroxysmo erupisse.

Harum plures sunt differentiæ à copia, magnitudine, figura, concomitantium papularum varietate, necnon à celeritate, aut tarditate emergendi, vel suppurandi, petitæ. Quædam enim ita copiosæ sunt, vt non solùm per totam extimam corporis peripheriam erumpant, sed præterea in internarum cauitatum concauis partibus emineant: aliàs paucæ sunt & raræ. Magnitudo item varia est, & aliquæ variolarum pustulæ maioris pisi magnitudinem æquant aliquando, vt aliàs miliares apparent. Figura rotunda, oualis aut irregularis est; sæpe in hemisphæram eleuantur, aliàs depressæ aduertuntur. Illis item aliquando nullæ aliæ consociantur eruptiones, aliàs papulæ rubræ, liuidæ, aut nigræ, se illis intermiscent; imò & in medio pustularum nonnunquam quasi clauus niger impressus aduertitur. Demum quæpiam celeriter & erumpunt, & suppurantur, aliæ verò tardè.

Variolas æmulantur aliæ quædam pustulæ pueris etiam aduenire solitæ cum febre, quæ ichorem potiùs quàm purulentam materiam continent, & vbi deferbuerint, griseæ seu leucophææ sunt magis quàm albæ: intra quatuor aut quinque dies, foueâ etiam aliquando in cute relictâ deficientes, quas vulgus nostrum variolas fatuas appellat.

l Lib. 9. de feb cap. 1.
m Lib. 4 fen 1. tract 4 c. 8.

Morbillorum nomen ersi à nonnullis scriptoribus, vt Augenio [l] atque aliis, papulis primi generis tribuatur: à pluribus tamen iuxta Auicennam [m] morbilli dicuntur minutulæ illæ pustulæ rubræ, pueris maximè, rarò grandioribus cum febre, per certas quasdam annorum constitutiones epidemicè aduenientes, nunquam suppurantes: quas Galli à colore rubro Rogeolam, & nostri Prouinciales à sinapi granis ob eminentiæ paruitatem Senesgion appellarunt.

Φλυζάκια tandem ἀπὸ τοῦ φλύζειν quod est feruere, communi nomine reliquæ omnes pustulæ appellari possunt, quæ cum febre & humorum efferuescentia quibusuis, ac maximè pueris accidunt. Phlysacinrum autem aliæ sunt phlegmonosa, cuiusmodi suor pruriginosæ quædam pustulæ dimidii pisi magnitudinem plerunque æquantes, aut excedentes, quæ cum febre & pueris & adolescentioribus adueniunt affatim erumpentes, punctutis similium vel bullis quæ in his qui vrticis sunt cęsi, eleuantur similes, in medio albæ, & in ambitu rubræ breui intra vnum scilicet, aut alterum diem euanescentes, sed aliquando post aliquot dies recurrentes.

n Lib. 5. c. vlt.

o 6. Aph. 9.

Alia sunt vlcerosa, ἐλκώδεις pustulæ à Celso appellatæ [n] quæ latæ sunt quædam bullæ, depressæ, nec admodũ eleuatæ diluto rubore perfusæ, tenui, atque aqueo humore plenæ, quæ minùs aliis prurientes, leuioremque dolorem inferentes ex Hippocrate & Galeno [o] mox disrupta epidermide in crustas intra paucos dies desinunt; pueris, vix aliis aduenientes. Quas nostrates, ex eo quòd spontè rumpantur, vulgari idiomate Selatas appellarunt.

p Loco cit. sum 1 epid sect 3. in hist Silenis agrotis 2. & 3 epid ad finem in Euphranoris filio, & lib. 7. epid. text 82 apud Valesium in Pherecyda historia.
q Lib. 2. meth. cap. 12. paulò ante finem.
r Lib. 5. c. 129
s Lib 1. meth. cap. 23.
t 7. epid.
u Lib. 4. c. 63

Sed dubium est, num huiusmodi morbi ac præsertim papulæ seu purpura, & petechiæ, necnon variolæ antiquis fuerint cognitæ, earúmque fiat aliqua mentio apud Hippocratem & reliquos Græcos qui Auicennam & Arabes præcesserunt. Negant multi. Contrà, id affirmandum teor, cum non paucis. Petechias antiquis cognitas fidem facit non solùm Hippocrates [p], sed etiam Galenus [q], vbi de exanthematis nigris quę ad morbi declinationem in pestilenti constitutione in iis qui euasuri erant apparentibus, loquitur. Aëtius præterea horum euidentissimè meminit [r] ex Herodoto antiquo Medico, & Actuarius [s]. At de variolis minùs euidenter locuti sunt: seu quòd sub generali exanthematum, aut ecthymatum nomine variolas, vt reliquas omnes cutis eruptiones parùm eminentes comprehenderint: seu quòd eùm minùs frequentes essent, & inter febrium symptomata recenserentur, in earum tractatione minùs fuerint exacti, & indicata febrium curatione, illarum curam particularem habendam non esse existimarent. Verumtamen vix reperietur qui te accuratè perspecta neget Hippocratem [t] de variolis fuisse locutum, cùm de Tymonactis filio scribens, illi infanti ferè bimestri ait, pustulas in cruribus, coxis lumbis, & imò ventre tumoréfque admodum rubicundos extitisse, quibus conquiescentibus conuulsiones, & comitiales exorirentur, & qui cum multis diebus sine febre fuisset, mortuus sit. An non hæc variolis optimè conueniunt, quæ si retrocedere in pueris, aut infantibus annotentur; solent à maligno vapore, qui ab earum materia in cerebrum eleuatur, epilepticos insultus promouere. Aëtius item [u] cùm de puerorum pustulis acu perforandis loquitur, non potest de alio papularum genere rectè intelligi, quàm de variolis.

x Cit. 2. epid. sect. 3. agroto 2.

Morbillorum meminisse videtur Hippocrates [x] cùm ait, Sileno pustulas rubentes, rotundas, paruas, varis non absimiles apparuisse, quæ permanebant, neque abcessum faciebant. Hæc enim omnia

morbillis

morbillis aptissimè conuenire videntur. Verùm quia octauo die maligni admodum morbi apparuerunt, post frigidum sudorem papulas potius fuisse paruas, non eminentes in varorum morem, sed non latiores varis, & coniector & censeo.

Causa efficiens exanthematum & ecthimatum, alia est omnibus communis, alia singulis eorum generibus particularis. Omnibus communis, alia proxima est, alia remota. Proxima est succorum in vasis efferoescentia, quæ seu in simplici ebullitione consistat, seu putredinis excellentiam coniunctam habeat, cuiusdam semper secretionis heterogeneorum partium sanguinis est author, in qua cùm ex his partibus quæ ab inuicem quodammodo secernuntur, alia aliis acrior euaserit quòd causæ efferuescentiam inducentis vim vehementiùs senserit: natura ab illius acritudine & vitio irritata, illius ad cutem expulsionem aliquando symptomaticè, aliàs criticè, aut quasi criticè procurat. Efferuescentiam succorum esse exanthematum ecthymatúmque authorem, euidenter docuit Auicenna [y], quem penè omnes sequuti sunt, & Galenus ipse parcè de exanthematibus locutus idem insinuat [z]. Id ipsum autem comprobant symptomata, quæ exanthematum eruptionem, aut præcedunt, aut comitantur, aut consequuntur; à quibus & succorum in vasis feruor indicatur, & naturæ ad excretionem noxij, enixus apparet.

y Cit. lib 4. f. in 1 tract 4. cap 6
z 1. in 6. epid. com tent 10. & 1 meth. cap. 11.

Remota exanthematum ecthymatúmque communis efficiens causa, multiplicem effervescentiam in succis excitans, non alia est quàm particulares quædam sydetum constitutiones, quæ pro suo speciali influxu, talem aut talem passim in hominibus succorum efferuescentiam excitant. Quod duplici ratione probatur, ac primùm quidem ex eo, quòd huiusmodi affectus & speciales ebullitiones non quibusuis temporibus sporadicè accidant, sed per certa quædam non regularia tamen interualla adueniant: accidátque per plures annos nullas tales cutis eruptiones apparere, aliàs verò passim vagentur; nonnunquam per plures menses durent, ac aliàs breui grassati desinant; necnon aliquando non nisi post plures annos recurrant; aliàs contrà vix per vnum aut alterum intermittant. Quæ cùm ita sint, non potest alia causa reperiri, quæ tot casuum varietatem admittat, quàm cœlorum influxus, qui non ab vna tantùm, singularique syderum configuratione emanantes, ad horum vel aliorum exanthematum, ecthymatumque eruptionem procurandam concurrāt; sed à diuersis quidem numero, congeneribus autem & consimilis efficaciæ coitionibus & aspectibus prodeant, ad vnius eiusdemque speciei exanthemata, aut ecthymata per diuersa tempora promouenda. Secundò idem ex eo probatur quòd eruptiones huiusmodi epidemiales sint, & vna vno tempore, alia alio grassetur, & vigeat. Nam cùm epidemialis morbi, & vulgò grassantis communem quandam esse causam oporteat, quæ pluribus communis, pluribus etiam vagantem morbum insinuet: non potest alia commodior causa communis assignari, nec efficacior quàm cœlum, & sydera: etsi enim aër proximè nobis talem luem, perniciem, aut vitium insinuet; non tamen per se aët, ad nos sic aut aliter alterandos penè indifferens, eas mutationes admittit, quas mirum in modum varias experimur: sed illas aliundè excipit; nempe vel à vaporibus, & exhalationibus terris illi à terra, aquis, aut rebus in alterutrius ac terræ maximè superficie putrescentibus communicatis; vel à syderibus & cœlis variè suas vices pro diuerso planetarum, stellarúmque concursu euariantes, in hæc inferiora influentibus. Quoniam verò vitia aëris, huiusmodi exanthemata, aut ecthymata excitantia, minùs possunt ad designabilem quandam exhalationem terræ, aut vaporum aquæ speciem referri; æquum est, vt eorum authores dicamus, sydetum influxus mille varietatum capaces, ob inæquales planetarum motus possibiles eorum concursus mirè euariantes, tam inter se, quàm ad stellas fixas.

Causa singulis prædictorum exanthematum & ecthymatum generibus propria & peculiaris, non vna est, sed multiplex pro varietate materiæ quæ à natura in cutem pellitur.

Papulis enim cutem suffundit tenuior sanguinis portio, ichorosa quandoque, aliàs etiam deusta, quæ per putredinem excellentem (vt superius [a] eam explicuimus) secreta à natura ex maioribus vasis in quibus putredo concepta est, in cutem totius emunctorium expellitur.

a Cap. 11.

Rosam facit tenuissima massæ sanguinis portio, alimentariæ bilis pars, per simplicem efferuescentiam à reliquo sanguinis separata.

Variolas efficit pituitosa sanguinis portio, cui aliquando melancholici & deusti aliquid commiscetur; quæ per putredinem, non tamen semper excellentem, secreta, naturam irritant ad sui expulsionem in cutem, aut etiam viscerum conuexa, & ventrium concaua.

Variolæ fatuæ fiunt ab ichore pituitosi sanguinis non perfectè depurato per solam efferuescentiam secreto.

Morbillos eleuat biliosioris sanguinis portio, quæ per putredinem segregata naturam promouet ad sui expulsionem, in modum materiæ variolas efficientis.

Phlyzaciorum phlegmonosorum causa, est tenuis quædam pars terrestris portionis succorum, quæ in feruidioribus naturis actior genita, per superuenientem efferuescentiam à reliqua massa separatur, & à natura cum copiosiore sanguinis vapore crasso, in cutem expellitur. Tandem phlyzacia vlcerosa, fiunt ab ichorosa portione succorum non integrè liberà à pituitosi & biliosi sanguinis permixtione, quæ sola efferuescentia secreta, in acuti sensus infantibus, & quorum expultrix robusta est, ad cutem amandatur.

Harum autem excretionum illæ quidem symptomaticæ sunt, quæ febribus per essentiam genitis in principio aut augmento cruda existente materia superueniunt. Criticæ verò quæ materia per pepasmum euictà in statu morbi fiunt, morbum soluentes: at quasi criticæ, quæ citra alium præcedentem affectum, adueniente succorum efferuescentia, seu sola, seu putredini coniuncta, naturâ quod vel feruidius est, vel à putredinis inquinamento grauius vitium contraxit, ad cutem expellente emergunt.

Nostræ sententiæ aduersatur, fateor, scriptorum pars maxima, qui cum Arabibus sentiunt, variolas & morbillos fieri ex sanguinis menstrui inquinamento, quod per ebullitionem succorum in vasis secernatur, crassius quidem in variolis, in morbillis verò tenuius. Sed illis assentiri omnino modo possumus: nec Mercuriali affirmanti hereditario iure, hos morbos ab Arabum temporibus vagari cœpisse.

Arabum quidem sententia ideò primùm displicet, quòd sanguinem menstruum etiam in temperatissima muliere malignitatis alicuius flatoant esse participem, quam fœtui impartiatur, & à qua semel saltem in vita se extricare natura conetur; nam aliàs [b] nullam malignitatem sanguini menstruo vt menstruum est, necessariò esse adnexam abundè probauimus. Quæ præterea si illi foret adiuncta, cùm sanguis ille à matre acceptus, non in venis, reliquæ massæ postmodum genitæ permixtus lateat, sed in substantiam membrorum grandioris iam fœtus dicatur fuisse conuersus: cùm per totius massæ efferuescentiam, nulla fiat dissolutio partium heterogenearum membrorum viuentium, non poterit inquinamentum illud, quòd iam est substantia partium, efferuescentiæ succorum operà, à puriore eorumdem membrorum substantia secerni, & à natura motu quasi critico foràs in cutem expelli. Quòd si dicatur cum Augenio [c] quem sequuti sunt Sennertus [d] & Duncanus [e] ex labe in membris à prauo eo nutrimento concepta, prauitatem quandam portioni sanguinis qui in iam natis infantibus generatur imprimi, atque eam sanguinis portionem sic infectam per aliquod tempus breuius, aut diuturnius, in venis reseruari, donec naturæ laborem faciens, demum vel ab aëre, vel ab ipso nobis innato calore efferuescentiâ succorum procurata, à natura secernatur, & foràs in cutem expellatur. Non potest hoc fuco prædictæ sententiæ falsitas dissimulari. Primò enim, quomodo fieri potest, prauum illum sanguinem tandiu intra vasa reseruari, vt non ante sexagesimum aut septuagesimum ætatis annum aliquando, vel in alimentum membrorum non sit conuersum, vel in variolas tunc solùm emanantes non priùs abierit: maximè cùm varij morbi hanc excretionem præcesserint, febres etiam aliquando continentes, quæ à putredine totius sanguinis massæ excitatæ, & per vniuersalem sudorem curatæ, mirum plane est quomodo prauum eum sanguinem in venis latitantem quietum adhuc reliquerint. Secundò supposito nec concesso, semel in pueritia huiusmodi sanguinem à labe in membris contractâ inquinatum, fuisse expulsum: Cur non sæpius quàm experimur regenerantur in singulis variolæ? Cùm illa à membris contracta labes, ad extremum vitæ integra, aut parùm emendata perseueret. Nam vt præfati scriptores admittunt, & vt experimento probauimus, sexagesimo aut septuagesimo nonnunquam ætatis anno erumpunt variolæ; atque ideò ad eam vsque ætatem, in illis durare supponitur concepta illa in membris labes. Quod aliis etiam accidere ideò conuincitur, quia vitia quæ à materialibus principiis generationis accepta feruntur, nunquam quidem tolluntur ex integro, difficillimè autem victûs ratione emendantur. Et licèt quæ à semine quidem contrahuntur per integram vitam durare admittantur, at quæ à materno sanguine accepta sunt, minoris firmitatis esse dicantur: horum tamen etiam non leuis est nec facilè delebilis impressio; cùm & quæ à nutrice accepimus, nos euidenter immutent.

b In parte theorica lib 4 cap 5.

c Cit. lib. 9. de de febr. cap 7.
d Lib. 4. de febr cap. 10
e Lib. 3 cap 8

Mercurialis sententia non magis est admittenda priore: præterquam enim variolas antiquum morbum esse, & Hyppocrati ipsi cognitum probauimus, eòque supposito minimè credendum est, eum Auicennæ, & reliquorum Arabum scriptorum ætate, primùm in hunc orbem effusum à cuiuspiam nouæ constellationis influxu. Præterea hereditariis morbis variolæ non possunt annumerari. Quòd cùm hereditarij morbi pendeant vel ab intemperie alicuius principis partis, alterutrius generantis semini communicata, vel à deprauata membrorum alterutrius parentis conformatione, quam plasmator optimus se exemplari suauissimè accommodans imitetur: ebullitio autem succorum, quæ variolarum est causa, nullius principis visceris intemperiem sequatur; neque vllam prauam membrorum conformationem, sed ab ea alteratione nascatur, quàm certæ quædam sydeium

configurationes

configurationes in nos influunt; variolas morbis hęreditariis annumerari non posse euidentissimum est; ebullitionem autem quæ immediata est causa secretionis materiæ variolas facientis & mediata excretionis eiusdem, à nullius principis visceris vitio procurari ideò certum videtur: quòd cùm variolæ vix secundò & rarissimè tertiò eundem infestent: à fixa verò & firma imò natiua visceris alicuius intemperie, firmi & permanentes affectus producantur: oportet variolas vt plurimùm semel tantùm per vitam apparentes, ab alia causa excitari, quàm à natiua aliqua cuiuspiam visceris intemperie. Secundò morbi hęreditarij, vel vbi semel apparent perennes sunt, vel per interualla recurrentes perpetuum relinquunt in laborante fomitem: sed variolæ neque perpetuò infestant, nec recurrere solitæ fomitem in nobis relinquunt, quare neque dici hæreditariæ possunt. Tertiò si variolæ semel ab influxu syderum aliquibus impressæ, hęreditario iure fuissent in posteros propagatæ: vel oporteret morbos quoscunque perniciosos semel cœlorum vi hominibus impressos, hęreditarios euadere: vel rationem aliquam assignari propter quam variolæ quidem hęreditariæ essent, non autem cæteri. Sed neque alii perniciosi morbi à superiorum corporum maligno influxu hominibus communicati, sunt hęreditarii. Aliàs enim oporteret pestes plurimas hęreditarias euasisse, neque ratio vlla disparitatis assignari potest: quapropter iure inferimus, variolas præter rationem omnem hęreditarias dici.

Verùm hæc vna nobis superest dirimenda difficultas, vnde nam accidat variolas vix secundò rarissimè tertiò eundem infestare, si illæ à succorum ebullitione procedant, quam particularis quædam cœlorum constellatio promoueat. Etenim cùm tales constellationes per vitam eius, qui sexagesimum ætatis annum saltem attigit, decies verbi gratia, aut duodecies acciderint: quomodo fieri potest, illum semel tantùm, aut rarò iterum variolis affectum fuisse. Quæ accidere ex eo diximus, quòd cùm corpora nostra quò sicciora euadunt, eò ineptiora sint ad eam alterationem suscipiendam, quæ vniuersalis ebullitionis succorum est author, vbi semel eum feruorem passi sumus, quoniam sicciores euasimus, difficiliùs iterum in parem affectum incidimus. Vnde infantes & pueri cęteris humidiores, in huiusmodi morbos cęteris etiam faciliùs incidunt. At non omnes ab eadem constellatione afficiuntur; quod ea per tempus suæ durationis puncta horoscopi singulorum nec attingat, nec efficaci aliquo aspectu intueatur. Constellationes enim quantumuis communem influxum effundant, non tamen antè in hunc aut illum operantur, quàm exortiui in cuiusque natiuitate Zodiaci gradus in huius aut illius tuitionem efficacissimè influentis vim, sua actiuitate nociua, seu per coniunctionem, seu per efficacem alium aspectum represserint. Pręterea qui per priores ætates tales morbos effugerint, licèt multòficciores quàm antea fuissent: tandem tamen aliquando experiuntur talium constellationum vim: quòd cùm antea ex concursu fauorabilium syderum, vel defectu concursûs, aut aspectûs efficacis configurationis talem morbum inferentis cum puncto proprii horoscopi, talem morbum effugerint: demum congenere aliqua constellatione vigente, & ex parte internæ dispositionis, & ex parte agentium externorum, omnia in tali indiuiduo disposita sint ad talem morbum admittendum, eum non euitabunt.

Signa tam exanthematum, quàm ecthymatum generatim imminentium, non sunt admodum euidentia: etenim cùm huiusmodi morbi sint epidemiales, à particulari quadam syderum constellatione hominibus per intermedium aërem suos influxus communicante (vt docuimus) insinuari: nisi ea constitutio quæ tale aut tale papularum, vel pustularum genus excitare potest, viguerit: quæcunque appareant signa nos in suspicionem ducentia futuræ eruptionis exanthematum, aut ecthimatum: non tamen ea necessariò apparitura fore pronuntiandum est etsi contingere possit propter summam cuiuspiam indiuidui aptitudinem, tales pustulas leui ex causa, & præter vllam constitutionem talem affectum populariter inferentem cuipiam accidere. Qui casus, licèt rarissimè adueniat, mouit tamen, sed iniuria Augenium[f] & recentiores quosdam alios, affirmare variolas esse nonnunquam affectum sporadicum, & ex vitio particularis victûs rationis homines sparsim inuadentem. Verùm cùm (vt probauimus) epidemiales esse consueuerint, eorum imminentium notitiam maximè ex astrologia habere possemus: si humana ingenia, quam deceret illius cognitionem haberent. Quia verò manca admodum est, & imperfecta astrologiæ cognitio, vix est qui possit impendentium talium affectuum prænotionem consequi. At vbi semel vigere cœperint, & se in aliquibus indiuiduis manifestauerint: iam per effectus, apparente communis causæ tale morbi genus inuehentis efficientiâ; signa quædam habentur, quæ in singularibus quibusque hominibus indicant, eos tali affectu vulgò grassante esse tentandos.

f Cit. lib. 9 de febr. cap. 7.

Febre ergo præcedente vel concomitante omnes eiusmodi affectus emergunt, quòd illi non sine ebullitione, & efferuescentia succorum accidant: horum autem ebullitio febrem à calore superaucto inducat. Præcedente quidem vt plurimùm in petechiis, verisque variolis & morbillis: quòd ægri vel iam antea in succorum putredinem incurrerint, vt in purpura; cuius eruptionem maligna,

aut pestilens febris antecedit: vel quòd putredinali efferuescentia succorum inducti, secretio excernendorum non tam prompta sit, sed euidentem habeat præcedentem feruorem. Quem, secretio actiorum postmodum subsequitur: vt in variolis legitimis, & fatuis, necnon & morbillis, atque in aliis etiam aliquando iam antè denominaris eruptionibus aduertimus. Concomitante verò febre tunc apparent: quando statim atque efferuescunt succi, ob materiæ tenuitatem, & paucitatem, naturæque vigorem, excretio fieri incipit; & imperceptibile interuallum, inter efferuescentiam & excretionem intercedit.

Febre ergo iam apparente si eruptutæ sint papulæ seu purpura, malignitatis quædam notæ se produnt, & præter facultatis vitalis oppressionem, vel sopor quidam inconsuetus aduenit in pituitosioribus; vel loquacitas maior, faciei oculorumque rubor, aut delirium etiam nonnunquam in biliosioribus: vel animi quædam deiectio, mœror, aut tristitia in melancholicis: atque in singulis feruor nouus, & caloris febrilis euidens incrementum excitatur.

Erysipelata parua dispersa, instigationem præuiam habent, infantibus admodum molestam: à qua mox illi rubore passim perfunduntur.

Variolis legitimis erupturis, primùm ex mitioribus vaporibus sursum ab ebulliente massa eleuatis, oscitatio sequens, capitis grauitas, soporque aduenit. Mox increscente feruore, dorsi lumborumque dolor accedit, ob efferuescentiam succorum in trunco venæ cauæ, & arteriæ aortæ, ac maximè descendentis. Postmodum verò malignioribus effusis vaporibus, nausea primùm & vomitus offenso ventriculo, respirandi difficultas, vaporibus thoracem infarcientibus & sicca tussis, pulmonibus ab eorum acrimonia irritatis; itémque nasi pruritus, vaporibus ad nasum appellentibus, ob tam externæ cutis, quàm internæ membranæ densitatem illic remorantibus. Sternutatio frequens, menyngibus cerebri vellicatis; necnon capitis hinc etiam dolor, distendens quidem à mitioribus vaporibus copiosis, pungens verò ab acrioribus. Terrores præterea in somno, ob vellicationem cerebri, aut menyngum inter dormiendum factam. Epileptici item insultus, cerebro acriùs à maligno vapore vellicato. His, totius corporis grauitas, & torpor superuenit; cùm materia excernenda iam in habitum effunditur: cui punctio in cute succedit, iam iam erupturis variolis. Hinc rubore inæquali cutis suffunditur, & miliares quædam maculæ apparere incipiunt: quæ sensim erumpere, & mox eminere aduertuntur, paulatim numero & magnitudine increscentes.

Variolæ fatuæ mitiora omnia habent, & celeriùs apparentia quàm in prioribus, vixque alia vt plurimùm his euenturis accidunt, quàm à mediocri feruore sopor, capitis grauatiuus dolor, lumborum cum insolito calore dolor, inconsueta sternutatio, & leuis per cutem punctio: cui mox miliares eminentiæ sparsim succedunt, intra paucos dies partim euanescentes, partim citra euidentem suppurationem exsiccatæ in tenues crustas abeuntes.

Morbilli emersuri, omnia penè habent similia variolis erupturis; sed pro sopore, vigiliæ; pro tensione, punctiones; & cætera omnia celeriùs apparent: pruritus maior, feruórque acrior est, & rubedo per cutem effusa intensior.

Phyzacia phlegmonosa celerrimè apparent, cum pruritu vehementissimo præcedente, illis etiam eruptis perseuerante: at rubor dilutior est aliquantò quàm in morbillis.

Phlyzacia vlcerosa vix aliis quàm infantibus aduenire solita, talia cùm imminent efferunt symptomata, qualia variolas fatuas emersuras præcedere diximus.

Præsentium signa in singularum specierum descriptione abundè fuerunt indicata.

Sed præterea tam exanthematum, quàm ecthymatum diuersa tempora, quibus terminis circunscribantur exprimendum est: vt quæ tam ad prognosim rectè instituendam, quàm ad curationem artificiose præscribendam, sunt necessaria, regulari methodo persequamur. Principium ab initio efferuescentiæ, ad excretionem apparere incipientem producimus. Augmentum à prima tam exanthematum, quàm ecthimatum apparitione ad cessantem eruptionem efferimus. Statum ab eo tempore quo de nouo erumpere cessant, ad id protrahimus, quo primùm vel exsiccari incipiunt, vel cum bonis ægri rebus euanescere, aut ægrotantem ad interitum ducere euidenter aduertimus. Declinatio id totum, quod ad integram sanitatem est inde reliquum includit; nam in lethalibus nulla est vera declinatio.

Quod ad prognosim spectat, quæcunque prædictarum eruptionum cum deterioribus symptomatibus inchoant eò periculosiores; atque eò magis quò periculosior fuerit constitutio, maximéque si ea sit pestilens. Cæteris autem paribus minus ex his semel eruptis periculum imminet, si à medio veris ad medium autumnum grassentur, quàm si contra à medio autumno ad medium veris emergant, sub tepidiore enim, aut calidiore tempestate erumpentes, faciliùs excluduntur: cùm poti cutis tunc laxiores sint, & liberiores. At in frigida constitutione, ambientis temperie cutem contrahente difficiliùs emergunt, & facilè retrocedunt: quod malum esse mox dicemus. Præterea

si altiosa anni tempestate erumpant, vehementiorem esse causam quæ efferuescentiam succorum causet, atque ideò magis noxiam indicatur; quàm si per æstum vigeant [g], experimenro tamen didici variolas solere sæuiùs vagari æstate quàm hyeme, licèt per hanc tempestatem in longius tempus durent. QVod accidere puto, quia constellatio latenter agens, & à nostris corporibus hanc luem per efferuescentiam succorum promouens, vehementiorem efferuescentiam per æstum excitat, ambientis temperie eam intendente: at à contraria aëris temperatura, ebullitionis feruor reprimitur, & syderum talem alterationem influentium efficientia retardatur. Atque hinc fit vt vigentis constellationis effectus, si ea hyeme operari incipiat, in longius tempus durent; æstate verò primùm ea vagari inchoante, intra breuius tempus cessent. Præterea in prædictis omnibus cutis eruptionibus, malus & perniciosus est retrocessus: atque eò magis quò is tardiùs ab eruptione acciderit. Quicunque enim humores mali, & naturæ infesti, nos multò deteriùs affligunt, vbi à benignis per longius tempus sunt separati, quàm cùm illis sunt immixti: quoniam horum cachoëthia ab illorum suauitate demulcetur. Adde non leuem naturæ infirmitatem, & atoniam ex eo significari, quòd quæ semel exclusit, regredi quocunque repellente aut retrahente patiatur. Demum eò perniciosiores censendæ sunt species singulæ, quò plures fuerint inter se complicatæ, & simul erupertint. Ita si variolis aut morbillis papulæ accedant, præsertimque liuidæ, aut nigræ, vt plurimùm (maximéque in hac Prouincia) sunt lethales: quòd & vehementiorem feruorem succis impressum esse, & plures succorum heterogeneas portiones vitium contraxisse significatur.

[g] Argentêr. aph. 34 sect. 2.

Tandem quò maior est tam exanthematum, quàm ecthymatum copia, tardior eruptio, & in partes minùs à corde distantes facta est transmissio, tardiórque est suppuratio, aut resolutio, & quò sæuiora symptomata eorumdem eruptionem comitantur, aut illis iam eruptis superueniunt, eò res ægrorum in peiore sunt statu.

In specie autem papulæ symptomaticè emergentes, febrem cui superueniunt malignam esse indicant, & vt plurimùm malæ sunt: eò verò deteriores, quò maiores, & ad colorem nigrum magis accedunt. Criticè autem erumpentes, præsertim si materiæ morbum facienti copiâ respondeant, vel per se, vel simul cum sudore emergentes, non malæ: vt ex Galeno [h] constare potest de illa excretione nigrorum exanthematum in statu pestilente, morbo declinante, excretorum.

[h] Cit. 5. meth. cap. 12.

Ab sparsis paruis erysipelaris, parùm periculi imminet, modò nullus committatur error, neque alteri morbo consocientur.

Variolæ paucæ celeriter erumpentes, dissociatæ, rotundæ, breui suppuratæ, & in quibus citò remittitur febris, éstque vox & respiratio libera; non malæ: dummodò nulla in re peccetur. Errores enim apparentibus variolis commissi, ab ægro, astantibus, aut Medicis, efficere possunt, vt his laborantes etiam in vera declinatione, ex materiæ recursu, aut febre superueniente intereant. Perniciosæ verò copiosæ, partes etiam internas occupantes, cum raucedine, & difficultate respirandi, lentè emergentes, grandiores, aceruatim copulatæ, depressæ, præsertim si clauum nigrum habeant in medio, aut si liuescant, necnon & quæ tardè ad suppurationem tendunt; tum illæ in quibus febris post eruptionem intenditur, aut alui fluxus superuenit. Ac deteriores quæ in pluribus horum capitibus peccant.

Variolæ fatuæ, nisi cum perechils appareant, vix periculum vllum habent annexum.

Morbilli ob materiæ à qua fiunt tenuitatem, celeriùs sua tempora percurrunt quàm variolæ, nec minùs sunt his periculosi, ob feruorem, & febrem intensiorem, quam secum habent coniunctam: in cæteris variolarum securitatem aut periculum imitantur pro varietate symptomatum illis affidentium.

Plyzacia plegmonosa citra periculum apparere consueuerunt, & breui cessant.

Vlcerosa verò, pueris sunt admodum molesta, neque omninò sine periculo erumpunt.

Curatio prædictorum omnium affectuum non vna est, quoniam eruptiones quæ symptomaticè fiunt, etsi particularem sui curationem non requirant, hoc tamen habent, vt aliquando insinuata à morbo remedia vel prohibeant, vel limitent, vt mox in specie docebimus, quidquid in contrarium sentire videatur Blaudinus [i]: quare cùm papularum eruptio in malignæ aut pestilentis febris initio, vel augmento merè symptomatica sit: num his erumpentibus, ab aliquo præindicatorum remediorum abstinendum sit, an verò modus illi aliquis imponendus videatur, hic præsertim decernendum occurrit. At in eruptionibus aliis quæ quasi criticè, aut criticè etiam fiunt, etsi natura rectè agente totum illi negotium committendum sit, sedulo tamen attendere oportet ad naturæ morum: & primùm cauere, ne illius regularem enixum quidpiam remoretur, néue quidquam eamdem acriùs irritet: & cùm operari incœperit, ne vel naturæ ipsius errore materiam in partes non conuenientes diuertentis, vel materiæ acrioris vitio, vel ægri, astantium, aut Medici peccato, deterius quidpiam adueniat.

[i] Lib. respons. medicinal. resp 16.

Quod

Quod ad periculas ergo spectat, his erumpentibus in maligna aut pestilente febre, quæstio est num magnis remediis, phlebotomiâ scilicet, & purgatione vti conueniat: an verò horum vice diaphoretica & sudorifica sint vsurpanda. Qua in re cùm in vtramque partem varij ferantur authores, ita mihi pro ratione sentiendum videtur, quòd febres huiusmodi vel prauio morboso apparatui plethorico aut cacochymo superueniant, vel tota malignitas ab extra ægrorum corporibus insinuetur. Si primum, expedit ante apparitionem papularum, & sanguinem pro ratione plenitudinis sectâ venâ misisse à cubito, nisi iam euidens sit translatio materiæ in cerebrum, vel hęmorrhoidum, aut mensium suppressio aduertatur: tunc enim venas inferiores secare satius est: necnon iuuat purgans medicamentum ad primarum saltem viarum expurgationem sufficiens exhibuisse, non tamen quod vehementiùs purget. In vtraque enim vacuatione aduertendum maximè est, ne vires vberiore euacuatione eò vsque imbecilles reddantur, vt quæ iam à malignitate languent, morbo pręsertim tardioris aliquando motûs, ferendo impares sint. Alterum verò horum remediorum quod sit præmittendum, docebit alterius virij excessus maior: si enim excellentior sit cacochymia, ac præsertim si primæ viæ cruditatibus, aut prauis succis scateant, & multò magis si nausea quępiam adsit; exordiendum est à purgatione: vt contrà si plenitudo sit euidentior ab iniecto & excreto clystere, mittendus erit sanguis: atque inde ad purgationem pergendum. Iam verò emergentibus papulis, cùm ex Galeni doctrina [l] mordaces succi non sint intra reuocandi, imò omninò qui extra sunt, non rectè intro renocentur, & ex eodem [m], succi ad cutem vergentes per eam sint euacuandi; neutro remedio humores à circunferentia ad centrum reuocante, vtendum erit. At potiùs diaphoreticis iuuandus erit ille naturę motus, pręsertim si simul malignitati aduersantia eligantur: & pro phlebotomia, cucurbitulę dorso & natibus cum scarificatu admotę vsurpandę videntur, vel hirudines ano admouendæ, & pro pharmaco clysteres iniiciendi. Præterquam tamen si ingens simul coniuncta sit plenitudo, quæ vel respirandi difficultatem inferat, vel vasorum vim expultricem commodè operari, ea distendendo non patiatur. Tunc enim apparentibus etiam papulis sanguinem mittere venâ sectâ expediet, vt natura parte oneris quo premebatur leuata, reliquum liberiùs expellat. Idem de purgatione sentiendum, si ingens sit cacochymia; ac pręsertim si cum crudis prauisque succis in prima regione stagnantibus, lumbrici, vt plerumque solent, tales ęgros infestent. Atque id consequenter ad Galeni doctrinam [n] quibus assentiuntur Fracastorius [o], Mercatus [p], Saxonia [q], Sennertus [r], & alii non pauci.

l 4. de tuenda sanit. cap. 6

m 2 in 6. epid. com. text. 30.

n Cit. 2. in 6. epid. com. tex. 80

o Lib. 1. de morbis contagiosis cap. 6.

p Lib. 7. de febr.

q Lib. 8 panthei cap 17.

r Lib 4. institutionũ parte 2. sect. 10. c. 17 pag. 149.

Si verò citra morbosum apparatum pręcedentem, malignitas ab extra sit ęgro insinuata, nullo pręd ictorum remediorum insigniter euacuante est opus: ne humoribus exagitatis & intro reuocatis, miasmata illa excellentem putredinem insinuantia liberiùs per corpus vniuersum diffundantur. Sed clysteribus quidem fœces sunt eluendæ: infusa autem cum aëre, aut per contactum accepta putria malignáque miasmata, alexipharmacis sunt euincenda, & diaphoreticis in cutem expellenda. Quæ simul & semel potenter exequemur cum bezoartico lapide exhibito à granis vi. ad xv. pro ętate ęgri, aut morbi malignitate; aut ex aqua succose scherzonerę, drachma semis pulueris plantę quam Hispani contrahyeruam appellant; aut decocto drachmę vnius eiusdem. Ad idem valent decoctum, aut illo efficacior succus cardui benedicti, scordii, galengę, dictamni albi, aut scabiosę, necnon & veronicę altilis, aut aqua stillatitia eorumdem, conseruę florum eiusdem veronicæ quos caryophyllos appellamus; napi item semen ad drachm. i. pulueratum & cum adianthi, caricarum, aut lentium decocto exhibitum, & consimilia. Præterea ad eadem maligna miasmata & impressum corpori virus ad cutem attrahendum, & iuuandam periculorum excretionem, plurimùm faciet Aëtii linimentum, quod ab Herodoto acceptum [s] refertur: & ex aqua, & oleo, nitro modico admixto fit. Quod si ex aqua scabiosæ aut violarum, loco vulgaris, & oleo liliorum aut amygdalarum dulcium (cùm Mercurial [t] plurimùm huius linimenti vsum efferente) in communis vicem conficiatur, vtilius futurum erit. Sed excellentissimo Massaria consulente quando cacochymiæ aut plethoræ vitium coniunctum est, non nisi vniuersalibus vacuationibus pręmissis huiusmodi vnguento vtendum est: nè humores in reliquo corporis habitu consistentes attracti, in cutem importuniùs impingant. Galenus enim [u] corpora minimè rarefacienda esse scribit, nisi anteà exquisitè vacuata fuerint. Quod non solùm in externorum vsu humores ad cutem attrahentium observandũ est; sed etiam quæ ex diaphoreticorum ordine intro sumuntur. Quæ præterea monente Fracastorio, cauendum est nè sint calidiora: aliàs enim effervescentiam succorum augent, atque eo solo titulo morbum periculosiorem reddunt. Quare si quæ admodum calida sunt aliis deficientibus vsurpare cogamur; ea frigidis sunt temperanda, quæ tenuium sint potiùs partium, quàm crassarum, ne priorum diaphoreticam vim omninò sopiant.

s Lib. 5. c. 139

t Tomo 5. consil. consult. 5.

u 11 meth. c. 9

Quod verò reliquum est curationis lenticularum, consistit tum in prohibendo retrocessu, ac maximè cauendo ne corpus ægri refrigeretur, nec tamen stragulorum pondere oneretur, aut ru-

beorum

beorum pannorum superstitioso inuolucto molestetur: tum in debellanda malignitate: idque tam per intùs assumpta, quàm per exteriùs admota, de quibus abundè suprà cùm de febribus malignis & pestilentibus egimus.

In rosa, phlyzaciis phlegmonosis & vlcerosis, necnon in variolis fatuis, si vehemens ardor ingénsque ebullitio adnoterur, illis nondum apparentibus vel recèns emergentibus, expedit post aliuinas fœces clystere eluras, sanguinem mittere pro cuiusque viribus. Si verò feruor fuerit mitior, ętásue tenerior, aut æstus minimùm vigeat, nimiáque ægri timeatur exolutio, aut omninò ægrotantis vires sint imbecilliores satiùs erit à venæ sectione abstinere, quàm illam celebrare; sed alterantibus iulapiis aut decoctis. quorum vis leuiter astringens sit & alexipharmaca, succorum efferuescentia reprimenda erit, & quæ inerit malignitas enincenda. Quorum remediorum materiam mox, cùm de eadem intensione exequenda loquemur de variolarum & morbillorum cura agentes, referemus. In his autem omnibus cauendum (vt iam antea monuimus) ne quomodocunque cute densata, aut aliter materia semel foras expulsa, intrò recurrat. Repentina enim tristitia, aut timor, similiáue pathemata, spiritus intrò reuocando possunt tenuiores etiam humores ab externis partibus ad internas retrahere.

Pro variolarum ac morbillorum curatione, distinguenda sunt tempora, ac in principio quidem quando sola succorum efferuescentia manifesta est, quia importunior est futurus ille succorum feruor, constante plenitudine, & vasa à multitudine efferuescente tensa, ad expulsionem noxiorum moliendam ineptiora redduntur, ac plerunque humores ebullientes cum copia peccant, minùs liberè transpirantes innati calidi suffocationem inferunt: statim sectâ venâ minuenda plethora est, post fœces per clisterem excretas. Nec solùm puberibus hoc remedium conuenire credatur, sed etiam impuberibus, imò & iis qui triennium nondum excesserunt: imitatione celeberrimi Medici Auenzoaris, qui Auerrhoe referente [x], proprio filio tertium annum non excedenti venam vtilissimè secuit, idemque sępiùs se pręstitisse scribit Amatus Lusitanus [y] per multas curationes. Et nos id ipsum non tarò cum fœlici successu probauimus, ac præsertim anno 1596. quo variolæ in hac ciuitate Aquensi sæuissimè si vnquam aliàs grassabantur: tum anno 1624. quo si non tam sæuè grassatæ fuerunt, plures tamen per longius tempus vagatæ. Verùm validas esse vires necessum est, nec vehementiorem apparere malignitatem oportet, ne dum ægrum à malignitate interire continget, remedium culpetur, & auxilium quod plurimis profuturum erat, infausto infametur euentu. QVòd si iunioribus his, aut aliis etiam, ob crassiorem & pinguiorem habitum, vena in brachio discerni & tundi nequeat: phlebotomiæ vice hyrudines in vsum venient, quæ alteri cubito columbæ sanguine illito, aut popliti admoueri poterunt: aut scarificatione crurum in minùs delicatis (quòd nimium dolorem aliis inferat) vti licebit: vel cucurbitulas cum leui scarificatione natibus præsertim, tum etiam scapulis admouere.

Vbi verò Medico tardiùs vocato designatum principij tempus iamdudum effluxerit, & variolæ copiosæ apparebunt, à phlebotomia abstinendum erit: ne naturæ motus per modum criseos (vt loquitur Auicennas [z]) factus contrario huiusmodi motu auertatur. Quapropter idem [a] fortasse, inquit, phlebotomia est mala, propterea quòd repellit & conuertit illud quod procedit, quare caueatur post duos dies, aut tres: nisi quemadmodum suprà in pari casu diximus, tanta sit puberum præsertim, plerhora, vt ægrum à sanguinis abundantia opprimi aduertamus. Eo enim casu licebit etiam iam apparentibus variolis, & morbillis venæ sectionem celebrare. Quod remedium quantæ sit in hoc affectu vtilitatis, præter rationem, quæ feruorem succorum alio remedio, nec securiùs nec citiùs emendari docet, experimentum frequens confirmat, & authoritas Auicennæ [b], Rhasis [c], Herculani [d], Amati Lusitani [e], Mercurialis [f], Mercati [g], atque aliorum virorum celeberrimorum, decernit, Quod prætetea natura non tarò indicauit quam spontaneo sanguinis profluuio vtiliter plerunque vsam esse in variolis & morbillis, tum in aliis, tum etiam in grauida legimus apud Schenckium [h]: quoniam verò nonnulli vt Sennertus, Duncanus, atque alij, sanguinis missionem approbantes, requirunt tamen ætatem quæ illam ferre valeat: indéque videntur hoc remedij genus in pueris non admittere, generale Galeni præceptum obseruantes ante decimum quartum annum minimè securum esse pueris sanguinem mittere. Ne à nostra sententia vos horum auertat authoritas, ea legenda erunt quæ in methodo generali scribemus, probantes puerilem ætatem huius remedii vsum non dissuadere.

Num verò purgare etiam expediat illos, quibus variolarum aut morbillorum excretio imminet præsente cacochymia, etsi controuertatur; scriptorum tamen pars maxima in eo concordat, quòd cùm purgatio motum variolarum excretioni contrarium pronocet, succorúmque efferuescentiam intendat, cùm succi efferuescere inceperint, eam suspectam & periculosam esse, præsertim si per validiora medicamenta tentetur. Nam in hoc affectu frequentissimo experimento comprobatum

x Lib. 7. colliget cap. 4.
y Centuria 3.
z Cit cap. 6 tract. 4. fen 1. 4.
a Ibidem c. 10
b Loco recens cit.
c 3. continētis tract. 13 c. 2.
d Comm. in cit. Auicennae text.
e Loco antea cit.
f Loco sup cit.
g Ad find lib. 7 de febrib. & lib. 2. de morbis pueror. cap 2. & vlt. num 17.
h lib 4. obseru. medicin. obs. 106. & 107.

est,

est, largiorem ventris fluxum, seu à natura factum, seu ab arte procuratum admodum nocuum esse, & periculi plenum. Si tamen magna excrementorum illuuies in primis viis stabuletur, variolis aut morbillis nondum omninò apparentibus, neque ventris dolore, nec vomitu ægrum infestante, leue pharmacum præsertimque ex rhabarbaro, thamarindis, syrupo rosato, aut de cichoreo cum rheo, exhibere satius erit, quàm eam molestam saburram relinquere: etsi multò securius fuisset purgationem antea ad præcautionem præscriptam præmisisse. Quæ doctrina Galeni authoritate [l] confirmari potest. Quòd si præterea non plenitudo solùm aut cacochymia naturæ enixum ad excretionem remorentur, sed vel humorū crassities, vel malignitas, quæ naturæ vim importunè opprimendo infirmet, variolarum expulsionem retardare posse mineantur: crassities quidem attenuantibus, malignitas autem alexipharmacis erit emendanda. Quòd si remedia eligamus quæ mixtis his viribus polleant, meliùs agetur cum ægris. Ad hanc ergo intentionem proderunt, interiùs quidem ea per os exhibita, quæ pro iuuanda peticularum excretione iam antea vtilia esse docuimus: exteriùs verò regionem cordis, spinam dorsi, carpos, & tarsos illinire iuuabit; vel oleo scorpionum descriptione Matheoli, vel oleo quod ad petechias magni Hetruriæ ducis liberalitate inter magnates circumfertur; atque aliis vti quorum suprà [l] ad malignitatem domandam viresque facultatis vitalis recreandas, meminimus.

l Cit. 4. in 6. epid comm. text. 30.

l Cap. 12.

Secundum cui in ipso morbi principio Medicum attendere debere diximus, est vt si quidpiam insit, quod naturam ad variolarum morbillorúmve excretionem acriùs irritet, id temperetur. Ac quoniam duo occurrunt, quæ maximè eam irritationem promouent, vehementior scilicet ebullientium humorum feruor, & eorumdem acritudo maior, aut fæuior malignitas: ad feruorem quem vehementia febris in variolarum eruptione vigens indicat, & acritudinem nimiam quam importunior totius iactigatio & cutis punctio significat: refrigerantia cum moderata incrassandi, aut adstringendi vi, maximè vtilia sunt. Ideóque ad hanc intentionem Arabes & qui illis adhæserunt, suadent (vt apud Auicennam habetur [m] Herculano interprete) in primis ea ægris exhiberi quæ confortent, repercutiant, extinguant caliditatem superfluam, & inspissent sanguinem absque constrictione ventris. Vnde post phlebotomiam & lenitam aluum cum his quæ ventrem emolliendo, aliquam etiam habent adstringendi & refrigerandi vim (cuiusmodi sunt thamarindi cum medulla cassiæ, vel cum manna tam concreta cui nomen Siracost, quàm liquida quæ ab Arabibus Thereniabin appellatur) præscribunt variolis primùm erumpere incipientibus, roob, seu succi inspissati dactylorum syluestrium drach. iii. cum vno trochiscorum de camphora, vel syrupū dactylorum immaturorum: talibus enim & feruor succorum retunditur, & vis expultrix partium internarum robustior redditur ad materiam noxiam longè à se expellendam. Sic à recentioribus, laudantur aquæ stillatitiæ vlmariæ, rotundi quercus, aut lentis palustris, ab vnciis iii. ad vi. epotæ; cum, vel sine syrupo de limonibus; aut florum caryophyllorum expressus succus, ad vnc. iii. haustus; itémque cyani herbæ decoctum aut puluis; ac tandem boli armenæ veræ drachma semis aut drach. i. ex aqua oxalidis. Quæ omnia ex eo vtiliora esse censentur, quòd effervescentiam succorum reprimendo, acritudinem humorum demulcendo, & partium internarum robur augendo, malignitati etiam aduersantur. Atque tum demum aduertendum est, vt cum maligno succorum feruore ad prædictorum vsum deueniendum esse persuademur, abstinendum esse à prioribus illis, quæ tenuiorum partium, & calida, diaphoresin, expulsionémque ad cutem adiuuant. Horum enim vis effervescentiam intendit: calidiorum enim vsus eo solùm tempore vtilis est, cùm expultrix lentior aduertitur, aut materiæ crassitudo eiusdem enixum remoratur; vel demum cùm perfrigeratā cute, materia quæ iam est exagitata foràs erumpere nequiens, insolitam iactigationem causat, aut intrò repulsa nauseam etiam (eodem Auicenna teste) aut frequentes lipothymias, & animi defectiones infert.

m Cap. 16. eis. tract. 4. fen 1. lib. 4.

Per idipsum principij tempus ea est instituenda victûs ratio, quæ sit moderatè tenuis, cibos eligendo qui sint boni succi, & facilis coctionis; ac quidem iuscula cæteris alimentis præferantur, quæ his alterata esse oportet, quæ præhabitis intentionibus satisfaciant: oxalide scilicet, endiuia, borragine, & buglosso, in quocumque casu. At vbi naturæ motum iuuare conueniet, capillaribus etiam & radicibus graminis, fœniculi, aut petroselini additis. Quando verò effervescentiam retundere opus erit, lactucam, portulacam, & semperuiuum minimum potiùs assumendo, aut alicam etiam, aut chondrum iusculis nondum consummatis incoquendo.

Potus sit aqua decoctionis radicum acetosæ, aut pentaphylli, cum tantillo rasuræ cornu cerui, aut eboris; vel aqua in qua sæpius aurum aut saltem argentum sit extinctum; vinum enim (nisi vires sint admodū imbecilles) febre præsente non probatur. Vbi verò vel euidens imbecillitas adfuerit, aut febris cessauerit: iam incipiente augmento, & ægro vinum expetente; concedi potest paucum mediocris substantiæ, & oligophorum probè dilutum.

Accedente ergo augmento, & variolis aut morbillis emergere incipientibus. Primò, studiosè

procurandum

procurandum est, vt eiusmodi ægri ab omni frigoris occursu præcaueantur, curandúmque ne vel tristentur, vel inopino aliquo pauore capiantur: à quibus omnibus teptimi potest excernendæ materiæ in eurem expulsio. Neque eorumdem corpora, Auicenna monente, vulgaribus oleis linian tur; à quibus pori cutis obstrui possunt. At contrà non aliter regantur, quàm qui sudaturi sunt, nec tamen stragulis obruantur.

Eodem prætereà tempore in eorum vsu perseuerandum, quæ ad finem principij imperata fuerunt: seu naturæ morum iuuare oporteat; ad quod primas tenet lapis bezoar pulueratus, iterum, ac tertiò etiam, vt occasio suadebit, exhibitus: seu intensior succorum efferuescentia reprimenda sit; prout alterutrius intentionis occurret indicatio.

Eo ipso augmento perseuerante, prospiciendum erit, ne naturæ materiam minùs exquisitè regulanris errore, quod excernendum est in partes non impunè tali excremento onerandas amandetur. Laryngis autem maximè, faucium, oculorum, & narium rationem habere oportet, & cauere ne in eiusmodi loca virus hoc transmittatur, quibus læsis, æger vel suffocationis, vel cæcitatis periculum incurreret, vel ali prohiberetur deglutitione impedita.

Laryngi & faucibus prospiciemus præscripto refrigerante & adstringente gargarismate, ex succo granatorum acidorum, aut acidodulcium; ex decocto plantaginis cum hordeo, aut lentibus integris; ex succo depurato capreolorum viris, ex aqua periclymeni aut eiusdem decocto; necnon & granorum berberis, sumach, balaustiorum, rosarum rubearum siccarum, aut malicorij. Item ex aqua in qua sæpius, vigesies scilicet aut trigesies extinctum sit ferrum. In quibus dissolui possunt syrupus de rosis siccis, iulep alexandrinum, diamorum, dianucum, rob citoniorum & similia Quòd si rem habeamus cum infantibus, aut pueris, qui gargarismate vti nesciant: oportebit partes eiusmodi leuiter sed frequenter illinire cum tenui panno lineo, qui specillo aut bacillo alligatus, gargarismari aliquo ex præscriptis sit intinctus, vti & hoc eclegmate frequenter possunt singuli, quod sic Iacobus de Partibus præparabat. ℞. lentium ʒ. iii. vuarum passarum mundatarum ℥. i ß. papaueris albi ʒ. ii. rosarum ʒ. ß. fiat decoctio in aqua q. s. vt artis est ad ℔. i. in colatura dissolue sachari candi ℔. ß. diatragacanthi ʒ. ii. super igne puro sed pauco ad formam lohoch deducantur, quo lambendo vtantur. Vel sequenti quod recipit papaueris albi ʒ. x amygdalarum dulcium excorticatarum, tragacanthi gummi arabici, ana ʒ. ii. farinæ lentium excorticatarum ℥. i ß. cum syrupo iuiubino, & penidiis ana q. s. fiat eclegma.

Oculis prouidebimus, si illos tempestiuè & sæpè illiniamus cum penna intincta in aqua rosarum aut plantaginis, admixto croco, vel in liquida mucagine seminis cytoniorum cum tantillo camphoræ, necnon in decocto granorum sumach, & berberis croco etiam addito. Vel in oui albumine cum aqua plantaginis, eò vsquè agitato, donec albumen penè totum in spumam abierit. Vel possumus tenues pannos in præd ctis remediis intinctos palpebris & orbitæ imponere, sæpiùsque renouare; ne exsiccati, dum detrahentur dolorem excitent, ad attractionem faciendam mirè habilem. Si verò oculorum non externæ solùm partes, palpebræ scilicet, à variolis offendendæ videantur, sed ab bulbum, seu coniunctiuam & corneam inclinent, quod affusus rubor indicabit, vtile erit hoc vti collyrio. ℞. albi rasis sine opio ʒ. i. ß. aquæ rosarum aut plantaginis in qua aurum ignitum decies extinctum fuerit, ʒ iii. camphuræ ℈ ß, misce pro collyrio, de quo singulo quoque die quinque aut sex vicibus imponantur guttæ quatuor aut quinque in maiore cantho ad nares inclinante. Ad eorumdem prouidentiam ac cerebri etiam totius maximè faciet, ne materiâ sursum copiosiùs transmissâ, partem illam principem abundantiùs occupet. & facultatem animalem opprimat si capite, faciéque importuniùs intumescente hirudines tum post aures tum sub mento admouerimus.

Nares demum à notabili noxa liberabimus, si internam earum partem illinerimus cerato refrigerante Galeni aut butyro ouillo, vel caprillo recenti, aquâ rosarum aut plantaginis loto, itémque mucilagine seminum cytoniorum aut psyllij. cum aqua ex peculis rosarum, aut seminum periclymeni extracta.

Aduenit etiam aliquando in augmento, huiusmodi ægrotantes epilepticos insultus pati; virulentâ variolarum aut morbillorum materiâ cerebrum eiusque menynges acriùs vellicante. Ad quod symptoma corrigendum, nihil opportuniùs occurrit quàm ad deriuationem cucurbitulas scapulis cum scarificatione admouere, mox etiam bezoarticum puluerem cum aqua florum lilij conuallium, aut florum garyophyllorum, vel decocto radicis pæoniæ exhibere.

Victûs rationem non dissimilem esse oportet antea institutæ, sed paulò pleniorem; cibos etiam solidos admittendo, quorum deglutitio fauces aliquantò liberiores conseruat Quod ad alui autem constitutionem pertinet, satiùs est illam astrictam esse quàm lubricam: si tamen singulis diebus excrementa compacta & figurata semel deiiciantur. optimum erit. At si durior sit aluus, conueniet vel suppositis glandibus illam irritare, vel clysteribus leniter emollientibus eamdem promouere.

Sed cauendum ne frequentiore enematum vsu aluus fluidior reddatur. Quare illis parcè admodum vtendum est; & non nisi aluo nimiùm reficcatâ.

Vbi verò ad finem augmenti moxq; ad statum peruenerimus, maximè prospiciendum est symptomatibus occurrentibus. Inter quæ tria præcipua sunt, & frequentiùs aduenientia: scilicet alui fluxus; pruritus ingens, ac præsertim in facie; & plantarum, palmarumque vehemens dolor. Variolæ quidem faciem, palmas, & plantas actiùs infestant: quòd cùm earum partium cutis densior sit ac minus transpirabilis, acer humor ad illas appellens difficiliùs exhalat, vredinesque maiores vbi abundantiùs detinentur, excitat: in plantis quidem & palmis cùm latos tendines, & crassam admodum cutem penetrare non possit, vehementes dolores mouet, qui plerosque ægrotantes miserè excruciant. In facie verò, quia variolæ mollem quidem cutem peruadunt, sed subdensiore cuticula superuestiente retinentur, ibidem vt etiam in præputio subiectam cutem profundiùs erodunt, quam depressis cicatricibus, & foueis deturpant.

Ad plantarum ergo & palmarum cruciatum leniendum, tepente fotu cum spongiis aut linteis admoto vti conuenit, qui ex decocto capitum liliorum, radicum althææ, foliorum eiusdem, ac maluæ, seminum fenugræci, lini. & althææ paretur; qui crassam illam & densam cutem emolliendo & laxando, liberiorémque transpirationem procurando dolorem mitigabit: pars autem pota molliter deinde exsiccanda est; nequi restaret liquor, refrigeratus, nouam inferat noxam.

Faciei prurigo demulcebitur, si ea cum penna liniatur oleo amygdalarum dulcium sine igne, & sola expressione extracto, vel oleo ex vitellis ouorum aut demum spuma quæ à pulmone veruecis elixo per laryngem extra prominentem effluit. Interim cauendum est ne ægri pruritu illo prouocati vultum scabant; sic enim plerunque faciem deturpant, aut saltè sibi acrem dolorem procurãt.

Ventris fluxui, qui quouis tempore adueniens, ac maximè circa declinationem periculosus est, prouidendum tam per assumpta quàm per iniecta. Per os, non solùm antea designata ad singularum partium internarum tuendum robur exhiberi possunt: sed præterea incipiente fluxu, (non autem, vt Augenio placet [a] quibusuis) ad præcautionem, præscribantur initio pastus astringentia, vt myua cytoniorum, mala ipsa cytonia facchato condita, myrobolani conditæ, vel iusculum ex elixo pipione paratum, cui deinde portio aquæ rosatum addatur cum vitello oui: vel subliquida pula ex farina zeæ, (aut hordei etiam, si zea non habeatur) super catino ad ignem exsiccata, cum carnis veruecinæ iusculo, & oui luteo concinnata. In potu aqua chalybeata, aut potius in qua aurum duodecies, aut sæpiùs sit extinctum cum syrupo cytoniorum, de ribes, aut cum iulapio alexandrino vtiliter etiam exhibebitur: necnon terræ sigillatæ, aut samiæ, drachma semis, aut vna in iure soluta manè horâ medicamentis assumendis destinatâ præscribi poterit. Maximè verò clysteribus huic symptomati succurrendum venit, quę anodyna primùm & detergentia, mox verò anodyna & astringentia esse oportet. Anodyna quidem & detergentia ex decocto hordei, vitellis ouorum & saccaro parati possunt: vel ex lacte, ouorum luteis, & melle rosato: necnon ex hordei integri decocto a d partes duas, & seri caprilli, aut hyrcini parte vna. Anodyna verò simul & astringentia ex lacte chalybeato ad vncias octo, aut decem, & succi poligoni ℥. ij. vel ex decocto plantaginis, polygoni, & rosarum rubearum in aqua ferrata cum syrupo de rosis siccis, aut myrrhino, & vno aut altero oui luteo confici possunt. Omnium autem huiusmodi clysteriorum quantitatem, multò minorem solito inijci oportet, quò diutiùs detineantur in intestinis.

Ad finem statûs vbi iam suppuratæ fuerint variolæ, quas sponte, & naturę vi ad suppurationem venire permittendum est, aperiendę sunt, ne virus diu cuti adhæreat, à quo periculum est ne erodatur, licet id non semper accidat: minùs enim aliquando acris materię etsi exsiccari per se & in crustam abire permittatur, foueam nullam relinquit: aliàs acrior & quę omninò extra curem sub cuticula non perfectè emersit, quantumuis apertis variolis excludatur, nihilominus foueam in cute fecisse adueititur. Aperire autem grandiores primùm conuenit, easque quę primùm ad suppurationem peruenerunt, mox sensim alias, neque omnes simul, idque acu aureâ quidem commodissimè fit, aut argenteâ, vel etiam æreâ: nec plurimùm inconuenit si extremis forcipibus scindantur: cuticulâ enim sectâ, non tamen euulsâ nihil deterius accidit, modò cutis imprudenter non attingatur. His apertis pus quod egreditur molliter exsiccandum venit cum panno lineo, tenui, & detrito, deincepsque permittendum vt sensim exsiccentur, & exsiccatarum crustę sponte decidant: si enim ante perfectam siccitatem eradantur, earum maculę in longius tempus durant. Quidam pulueres exsiccantes inspergunt, aut saliunt, sed vtrumque molestię plenum est, nec ęqualiter infantibus, & pueris huiusmodi remediis administrari possunt: de quibus qui volet legat Augenium [o] ex quo aduertendum est Galeni non Arabum inuentum esse variolarum pustulas acu apetire, vt legere licet. [p]

Eo ipso statûs tempore, quia gremię seu lemię circum oculos cumulantur à quibus aperiri, &

palpebrę

[a] Cap. 2 lib. 10. de febrib.

[o] Citat lib. 10. de febrib. cap. 23.

[p] 3. in lib. Hip. de fracturis. text. 43.

palpebræ eleuari impediuntur, illę tepido vel lacte vel emolliente decocto fouendę sunt, & leniter detergendę.

Per hoc ipsum tempus & quod reliquum est, victûs ratio (quod ad cibos pertinet) proximè ad consuetum reducenda, electis tamen boni succi alimentis: salita, acria, & fricta vitando. Vinum quale superiùs diximus permitti tunc faciliùs quàm aliàs potest: sed probe dilutum, febre tamen non perseuerante. Interim ęgri omninò continendi sunt, ne se frigido aëri exponant: plerunque enim vaporosę quędam reliquię huius variolarum vitûs, minùs liberè transpirantes, & intrò remeantes, grauissimam induxerunt noxam, pro prospera sanitate mortem inferentes. Necnon alui eam curam habere oportet, quam à principio habendam diximus.

Postremò in declinatione vniuersali, delendis faciei maculis, & cauis cicatricibus replendis incumbendum est. Maculas autem delet, & ad foueas in facie implendas conducit, vnguentum citrinum, illitum, oleum ex vitellis ouorum, liquor myrrhę per oui induratum albumen recèns extractus oleum ex phisticis expressum, oleum frumenti, liquor tartari, & liquor ex recenti ouo dum coquitur exudans. Ex quibus aut solis, aut variè mixtis plurima parari possunt remedia. In hunc demum finem plurium experimento commendatur lac ab serota multrum, quo si facies per viginti aut plures dies semel aut bis in die liniatur, foueas variolarum impler. Demùm maculæ & tenues cicatrices nonnunquam in oculis restant, quæ in sufflato in oculum tenuissimo saccari candi puluere, aut vapore seminis fœniculi ab integrè sano puero masticati, vel sæpiùs in oculum instillatis aliquot guttis sequentis aquæ delentur.

℞ florum rorismarini, & anagallidis cæruleæ ana quantum satis ad fialam vitream implendam: lut° obturetur phialæ orificium nè transpiret: quo exsiccato, phiala sub fimo equino calido diebus quadraginta sepeliatur: postmodum extrahatur phiala, & liquor qui in fundo erit coletur, ad vsumque prædictum reseruetur. Sed omnium securissimum remedium ad vitia hæc oculorum delenda, est vlcus in ceruice, caustico, aut cauterio apertum, quod diù conseruatum & omnem influxum in oculum iam saucium prohibet, & quod reliquum est, vt plurimùm à natura, licèt sensim, & lentè, emendatur.

Atque hæc de febribus, & febrium symptomatibus in Dei gloriam, & vestram vtilitatem, satis.





Tractatus II.

DE MATERIA ET FORMVLIS MEDICAMENTORVM.

Procemium.

a Li. 1. meth. cap. 3.

*ALENVS* [a] *duos eſſe omninò principes & vniuerſales medentium ſcopos audacter profitetur; quorum vnus ſit rerum naturalium ac virium maximè conſeruatio, alter verò rerum præter naturam expulſio: ad quos collimare ſine mediis etiam prudentiſsimis artis & naturæ miniſtris cùm non liceat, videndum nobis eſt quibus armis inſtructum eſſe oporteat Medicum, vt duplicem medendi ſcopum fœliciter aſſequatur. Arma, quibus morborum myriades in nos vndequaque irruentes propulſare liceat, ſunt medicamenta, quæ non hiſtoricè, non phyſicè, ſed medicè tantùm tractanda eo fine ſuſcepimus, quo indicationibus à morbo, ab ægri natura, & ab externis deſumptis ſatisfaciamus. Ac in primis cùm ſublatâ cauſâ tollatur effectus, cauſa autem morbi materialis plerunque ob cruditatem abſque præparatione tolli non poſſit, primò recenſenda ſunt medicamenta quæ humores crudos valeant concoquere, craſſos attenuare, tenues (ſi opus ſit) incraſſare, & quoſcunque ad excretionem aptos reddere, cum concocta medicari oporteat, non cruda. Et quia coctio vi caloris fit, calor autem in robore partium conſiſtat, referenda etiam erunt medicamenta, quæ vires totius & partium conſeruare, reficere, aut augere valeant quæ corroborantia dicuntur. Et cum materia morbifica concocta conſentientibus viribus ſui amotionem indicet, ad purgantia medicamenta tum ſimplicia, tum compoſita accedendum nobis erit, quorum doſes & naturam breuiter perſtringemus. Denique quoniam medicamenta prædicta adminiſtrari nequeunt, niſi ſub certa quapiam & determinata forma, nobis vltimò de medicamentorum formulis erit agendum. Proinde ſecundum huius partis tractatum in duos libros diuidemus; prior materiam medicam, poſterior vſitatiores medicamentorum formulas explicabit.*

De Materia Medica.

LIBER PRIMVS.

QVia varia est humorum peccantium conditio, ideò varia molienda præparatio & mitificatio; cùm enim purgationi resistant vel propter calorem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem, vel propter crassitiem, tenuitatem, viscíditatem, lentorem, & duritiem; vel denique propter ipsarum partium imbecillitatem quæ purgationem vel omninò prohibet, vel saltem retardat; non tantùm prædicti humores concoqui & digeri debent, sed etiam partes ipsæ conuenientibus auxiliis muniendæ sunt tum antè, si opus fit, tum maximè post purgantium medicamentorum vsum. Quod vt commodè fiat, vt & prædictorum medicamentorum purgantium tam simplicium quàm compositorum, tam benignorum quàm vehementiorum conueniens vtendi ratio, dosisque congrua faciliùs ab ipsis Medicinæ tyronibus perdiscatur, totum hunc priorem librum in quatuor sectiones partiemur; quorum prima de Syrupis & quibusdam simplicibus æger humores præparantibus, & certa membra roborantibus. Secunda, de Medicamentis compositis variè diuersa membra alterantibus. Tertia, Medicamentorum simplicium tam benignè quàm vehementer purgantium, materiam & doses explicabit. Quarta demùm & vltima Medicamentorum compositorum tam benignè quàm vehementer purgantium vires ac doses explanabit.

De Syrupis & quibusdam Simplicibus humores purgantibus, & certa membra roborantibus.

SECTIO I.

De Syrupis & alijs pituitam præparantibus.

CAPVT I.

SYrupus capillorum veneris, temperatus penè est, ad calidum tantillum vergens: pituitam leniter incidit, & attenuat, lenitq; e vias respirationis.

Syr. de duabus radicibus aut quinque, ad pituitam incidendam & attenuandam, priore multò est efficacior: ad tollendas obstructiones viscerum, ciendamque vrinam vtilis.

Syr. acetosus simplex pituitam solam aut bili mixtam potenter incidit, eandem imbecillitet detergit, nocet pectori, vtero, & melancholicis.

Syr. acetosus compositus magis attenuat, minùs incidit simplici, & putrenti pituitæ præparandæ est accommodatus.

Oxymel simplex pituitam incidit, eandemque detergit in ventriculo, pulmonibus, & mesenterio.

Oxymel compositum pituitam incidit, attenuat, & detergit, ab obstructionibus viscera liberat, & vrinas mouet.

Oxymel scyliticum simplex eadem quæ oxymel simplex sed efficaciùs multò operatur, & compositum oxymel scyllitieum alio oxymellite composito potentiùs agit.

Syr. de tussilagine pituitam potentiùs syrupo capillorum veneris attenuat, detergitque: simulq; respirationis ductus lenit.

Syr. de prassio efficaciter pituitam præsertim in pulmonibus stabulantem attenuat atq; detergit.

Syr. de hyssopo idem cum præcedenti sed imbecilliùs exequitur.

Syr. de sthæcade admodum calidus pituitam attenuat, cephalicus est, necnon & flatus discutit.

Syr. de iuiubis tenuem pituitam incrassat, lenitque arteriam & pulmones.

Syr. de glycyrrhiza, infrà.

Syr. de betonica pituitam attenuat, & detergit præsertim à capite, pulmonibus & renibus.

Adduntur hæc simplicia.

Radices apij, fœniculi, petroselini, enulæ campanæ, zedoariæ, calamus aromaticus, galanga, cyperus, iris, radix chinæ salsaparilla, lignum sanctum seu guaiacum, & sassafras.

Folia betonicæ, hyssopi, prassij albi odorati, rorismarini, maioranæ, calamenthi, pulegij origani, saturciæ, thymi, chamepyteos, centaurij minoris, lauri, absynthij, menthæ, gentianæ, & angelicæ.

Semina carui, sesceleos, cardui benedicti, baccæ lauri, iuniperi, semen anisi, fœniculi, cumini, apij, passulæ, ficus, aromata.

Adduntur aquæ betonicæ, saluiæ, cardui benedicti, menthæ, cœlestis, imperialis, theriacalis, cinnamomi, fœniculi, apij, hyssopi, &c.

De Syrupis & aliis bilem præparantibus.

CAPVT II.

SYRVP. acetositatis citri, limonum, arantiorum, hi non solùm succorum feruorem temperant sua frigiditate, sed prætereà vi attenuãte prædîti, & leniter exsiccãte putredini efficaciter resistũt.

Syr. è succo acetosæ. Syr. de berberis. Syr. de agresta. Syr. de succo granatorum. Syr. de ribes.

Hi priores imitantur, sed vt minùs putredini resistunt, ita adstringendo humorum feruidiorum, & qualitatem, & motum potentiùs temperant.

Syr. rosatus simplex proximè ad temperiem accedit declinans tantillùm ad frigidum, in passiuis temperatus.

Syr. violatus simplex priore frigidior est & humidior.

Syr. de nymphæa simplex hoc ipso frigidior adhuc, & humidior leniter somnum prouocans.

Syr. de nymphæa compositus ad bilem vitellinam vtilior, refrigerando etenim incidit & attenuat.

Syr. de papauere simplex refrigerat, incrassat, & somnum conciliat.

Syr. de papauere compositus simplici temperatior est, minùs eodem refrigerat & incrassat, vias tamen respirationis magis lenit.

Syr. de cichorea simplex.

Syr. de endiuia simplex, ambo hi refrigerant cùm in passiuis sint temperati, leniterque detergunt, ille tamen hoc aliquantò magis.

Syr. de cichorea cum rheo, iecur ab infarctu bilis efficaciter liberat.

Syr. de rosis siccis, infrà.

Adduntur radices graminis, asparagi, oxylapathi, cichorei, & acetosæ cum toto.

Folia lactucæ, porrulacæ, lenticulæ, plantaginis, dentis leonis, hepaticæ, & capillorum veneris.

Semina frigida maiora & minora, acetosæ, endiuiæ, hordeum, &c.

Flores rosarum rubrarum, albarum, pallidarum, violarum, nenuphatis.

Succi arantiorum, limonum, ribes, oxyacanthæ, mali punici, omphacij, & cichorei.

Aquæ cichorei, endiuiæ, vel eorum decocta, graminis, violarum, rosarum, nenuphatis, portulacæ, papaueris.

Santala omnia, album, citrinum, rubrum, & coralli præparati.

De syrupis & alijs melancholiam præparantibus.

CAPVT III.

SYrupus de pomis simplex ex succo pomorum depurato, humorem melancholicum leniter calefaciendo, & efficaciùs humectando temperat, fuliginesque ab eodem eleuatas dissipat, qui si ambara & moscho aromatizetur, cor & spiritus recreat mirè, cauendo hystericas.

Syr. de fumaria, spiritus à fuliginosis melancholiæ halitibus expurgat, eiusdemque humoris intemperiem emendat.

Syr. de succo borraginis aut buglossi calefaciunt leuiusculè, & moderatè humectant, calidos siccosque humores temperant, & cor recreant.

Syr. de scolopendria D. Fernelij melancholiam attenuat, & lienis obstructiones soluit.

Oxysaccarum compositum attenuat, incidit, & temperatè refrigerat.

Addũtur radices enulæ cãpanæ, eryngij, buglossi, borraginis, apij, fœniculi, petroselini, & liquiritiæ.

Cortices, medianus fraxini, thamarisci, capparum, citrij sicci

Folia violarum, buglossi, borraginis, fumariæ, lupulorum, melissæ, cuscutæ, ceterach, scolopendrij.

Fructus, passulæ, pruna, poma odorata.

Semina, apij, fœniculi, anisi, agni casti, cuscutæ, semina quatuor frigida maiora.

Flores borraginis, buglossi, thamarisci, genistæ, violarum.

Aquæ buglossi, borraginis, fumariæ, lupulorum, melissæ, fœniculi, violarum.

De Syrupis compositos humores præparantibus.

CAPVT IV.

Ad vtramque bilem.

SYrupus de fumaria. suprà. Syrupus de pomis. suprà. Syrupus de cichorea cum rheo. suprà.

Syrupus de succo borraginis & buglossi. suprà. Oxysacchara composita. suprà.

Ad pituitam & bilem, præsertimque vitellinam.

Oxysaccharum simplex incidit, & leniter astringit.

Syr. de endiuia refrigerando detergit. sup. Syr. de hyssopo. sup. Syr de nymphea cõpositus. sup.

Syr. de iuiubis respirationis vias lenit, tenuem pituitam incrassat, bilemque illi admixtam tẽperat.

Syr.

Syr.de papauere compositus. suprà.

Syr de eupatorio D. Mesues ab infarctu pituitæ & bilis mesenterium & iecur liberat.

Syr. acetosus simplex, suprà. Syr acetosus compositus, suprà.

Ad pituitam & melancholiam.

Syr.de scolopendria. suprà.

Syr.chamædryos pituitam & melancholiam incidit, leniter attenuat, satis efficaciter mesenterij & lienis obstructiones tollit, flatusque dissipat: ad quod potentior est si eum saccharo paretur.

Syr.byzantinus vterque vtrumque crassum humorem attenuat, incidit, & detergit. Compositus autem simplici efficaciùs incidit viscidam pituitam si acetum exceperit, flatus præterea discutit, necnon ventriculi & iecoris robur tuetur.

Oxysaccharum compositum, suprà.

De syrupis & alijs certa & determinata quædam membra speciatim roborantibus, ac primò quidem de cephalicis, seu cerebrum corroborantibus.

CAPVT V.

Syrupus de sthœcade pituitam attenuat in cerebro præsertim, & flatus discutit.

Syr. chamædryos. suprà.

Syr. de betonica cerebrum excellenter roborat, pituitam attenuat, & flatus dissipat.

Simplicia cephalica calida hæc adduntur.

Radices aristolochiæ vtriusque, calami aromatici, cyperi, fœniculi, galangæ, ireos florentiæ, pæoniæ vtriusque, zedoariæ, valerianæ, visci quercini, lignum sanctum, & sassafras.

Folia betonicæ: saluiæ, calamenthi, chamomillæ, centaurii minoris, fœniculi, lauri, maioranæ, meliloti, satureiæ, & serpilli.

Semina fœniculi, maioranæ, pæoniæ, coriandri, cyperi montani, baccæ lauri, iuniperi, grana tinctorum seu chermes.

Flores anthos, betonicæ, sthœcados, chamomillæ, meliloti, lauendulæ, saluiæ.

Aromata, lignum aloes, cubebæ, cardamomum, garyophylli, spica nardi, moschus, castoreum, benzoinum, thus, storax.

Aquæ betonicæ, maioranæ, saluiæ, aqua vitæ, cinnamomi, theriacalis, imperialis, cœlestis.

Cephalica frigida simplicia sunt.

Radices mandragoræ, nympheæ. Folia lactucæ, portulacæ, fabarum, hyoscìami albi, myrthi. Flores papaueris albi, rosarum, violarum, nenupharis. Semina papaueris albi, lactucæ, mandragoræ, camphora, opium. Aquæ papaueris rhœadis, endiuiæ, cichorei, lactucæ, portulacæ, violarum, rosarum, nenupharis: sed omnia cautè sunt vsurpanda.

De syrupis & alijs fauces & pulmones roborantibus.

CAPVT VI.

Syrupus de rosis siccis refrigerat, astringit, & exsiccat, distillationem tenuem in fauces, & incipientē phlegmonē reprimit cum aqua, succo, aut decocto cōueniente solutus pro gargarismate inflammātæ menyngi instillatur, & cephalicis remedijs vulnerariis excipiendis plerunq; deponatur.

Syr. myrthinus compositus fluxionem tenuem vt prior incrassat seu haustus, seu gargarismati mixtus, & sanguinis sputum sistit, & efficaciùs priore hæc præstat.

Syr. capillorum veneris suprà. Syr.de betonica, sup. Syr iuiubinus, sup. Syr.de tussilagine, sup. Syr.de prassio, sup. Syr.de hyssopo, sup. Syr.de nymphea simplex & compositus, sup. Syr.de papauere simplex, & compositus, sup.

Syr.de glicyrrhisa humores in pulmonibus hærentes tenues leniter incrassat, crassiores lenissimè attenuat & detergit, viasque respirationis lenit: mallem tamen aquam rosarum non addi quæ astringentem illi qualitatem tribuit.

Syr.papaueris erratici D. Renodæi paratus ex quatuor infusionibus florum papaueris erratici, fluentem humorem in thoracem incrassat, & expectorationem iuuat, in principio pleuritidis, aut eâ parùm progressâ vtilis.

Syr.symphiti D.Fernelij in actiuis temperatus exsiccat & astringit; phthisicis purgatio vlcere salutaris, item & hæmaptoicis.

Adduntur hæc simplicia pulmones item, & fauces roborantia.

Radices ireos florentiæ, enulæ campanæ, zinziberis, liquiritiæ quæ temperata est, aristolochiæ vtriusque, cœpæ coctæ & comestæ, altheæ.

Folia prassii albi, hyssopi satureiæ, thymi, tussilaginis, capill, veneris, calamēthi, hederæ terrestris.

Semina seselcos massilienfis, cyperi montani, fœnugræci, lini, iuniperi, altheæ, maluæ, psyllij, papaueris albi, quatuor semina frigida maiora.

Fructus iuiubæ, sebesten, passulæ, ficus dulces, dactyli.
Flores violarum, rosarum, nenupharis, papaueris rheadis, chamomillæ, tussilaginis, crocus.
Gummi tragacanthum, myrrha; succus liquiritiæ; butyrum, mel, saccharum, hordei decoctum.
Aquæ hyssopi, tussilaginis, papaueris, rheadis, violarum, nenupharis, portulacæ, &c.

De syrupis & aliis corroborantibus.

CAPVT VII.

Syrupus de pomis simplex, suprà.
Syr. de mentha maior D. Mesues, infrà.
Syr conseruationis corticum citri calefacit euidenter, moderatè exsiccat: cor & spiritus reficit.
Syr acetositatis citri, limonum, aurarantiorum, suprà.
Syr. de succo borraginis aut buglossi, suprà.

Præter citata primò hæc cardiaca calida simplicia adduntur.

Radices angelicæ, pentaphyli, dictamni albi.
Folia cardui benedicti, melissæ, basilici seu ocimi, scabiosæ.
Cortex citri sicci, lignum aloës, crocus, garyophylli cinnamomum, cardamomum, sericum, moschus, ambara, lapis bezoarticus, storax, benzoinum.
Semina cardui benedicti, grana tinctorum seu chermes, baccæ iuniperi.
Aquæ scabiosæ, melissæ, cardui benedicti, theriacalis, cœlestis, cinnamomi.

Cardiaca frigida hæc adduntur.

Radices buglossi, acetosæ, bistortæ, tormentillæ; santala citrina, rubra.
Folia borraginis, buglossi, acetosæ. Semina acetosæ cytoniorum.
Flores rosarum violarum, borraginis, buglossi, nenupharis.
Fructus, limones, cerasa acida citranguli, ribes, granata acida, poma odorata, cytonia. Perlæ, corallus, camphora, cornu cerui, ebur.
Aquæ rosarum, violarum, borraginis, buglossi nenupharis, acetum, rosaceum maximè.

De syrupis & aliis vterum roborantibus.

CAPVT VIII.

Syrupus de arthemisia D. Fernelij, aut alius qui in magisterijs est vsitatus D. Mathæi de Gradibus, pituitam, crassosque succos attenuat & detergit, mensesque mouet ac prouocat.
Syr. de calamintha idem cum superiori, sed aliquantò minùs operatur.
Syr. de prassio ad detergendos eosdem succos vtilis, sed minùs menses prouocat.
Syrupi prætereà efficaciter pituitam detergentes tam à thorace, quam à primis viis, ad detergendum etiam vterum vtiles sunt, veluti syrupus de hissopo & similes. Ab illis autem qui acetum admittunt, abstinendum est, vt in affectibus vesicæ præterquam si vitium à viscidioris pituitæ copia nascatur.
Hysterica adduntur simplicia, quæ quidem quadrifariam dicuntur, primò quæ vtero roborando dicata sunt, ea autem simplicia sunt.
Radices bistortæ, galangæ, cyperi, calami aromatici.
Folia betonicæ, saluiæ, rorismarini, maioranæ.
Flores anthos, betonicæ, saluiæ. Nux moschata garyophylli, mastix, spica nardi, storax, benzoinum, thus, zibeta succinum, corallus, ambara.
Aquæ saluiæ, betonicæ, maioranæ.
Secundò hysterica dicuntur quæ partum iuuant, & secundinas expellunt Ea autem sunt.
Aquæ cinnamomi arthemisiæ, chamomillæ, vinum hippocraticum, borax officinarum. Vnde ad partum iuuandum satis commodè talis potus præscribi potest.
℞. boracis officinarum ʒ i. vini hippocratici ℥. iii. aquæ cinnamomi ℥. ß fiat potus, capiat.
Saluia, aristolochia rotunda, assa fœtida, castoreum, opoponax, sagapenum, & alia, secundinas expellunt.
Tertiò, hysterica dicuntur quæ menses mouent, & obstructiones, vterique venarum oscula reserant. Ea sunt.
Radices rubiæ tinctorum, aristolochiæ vtriusque, valerianæ, cyperi, ireos, gentianæ.
Folia arthemisiæ, mercurialis, matricariæ, nepethæ, sabinæ, calamenthi, pulegij, origani, rutæ, prassij, dictamni, cretici.
Semina anisi, fœniculi, dauci, rutæ, leuistici, seseleos.
Flores matricariæ, chamomillæ, crocus, cinnamomum, myrrha, assa fœtida, sagapenum, castoreum borax officinarum.
Aquæ cinnamomi, arthemisiæ, sabinæ.

Quartò demum histerica censeri debent quæ menses & vteri fluorem sistere valent. Ea sunt.
Radices simphiti, plantaginis, bistortæ, tormentillæ.
Folia menthæ, centinodiæ, plantaginis, equiseti, myrthillorum, acetosæ, rubiæ.
Semina acetosæ, myrthillorum, plantaginis.
Flores rosarum rubrarum, violarum, balaustiorum, nenupharis.
Fructus, citonia, granata. Mastix, sanguis draconis, mumia, bolus armena, terra sigillata, corallus.
Aquæ rosarum, portulacæ, nenupharis, plantaginis, menthæ.
Huc referri possunt sirupi rosarum rubrarum, de mentha, myrthillorum, & cytoniorum.

De syrupis & aliis iecur roborantibus.

CAPVT IX.

Syrupus bizantinus simplex iecur deobstruit, succos in minutioribus venis contentos attenuando & leniter detergendo.
Syr. bizantinus compositus priore ad tollendas iecoris obstructiones est efficacior, vicemque subire potest acetosi compositi.
Syr. de cichorea tum rheo suprà.
Syr. de endinia compositus D. Bauderoni refrigerat, & roborat iecur.
Syr. de eupatorio D. Mesues priore potentior est ad hepatis obstructiones tollendas.
Syr. de absynthio calefacit, detergit, & astringit iecur atque ventriculum roborat.
Syr. de rosis siccis refrigerat, abstergitque leniter, itemque astringit.
Hepatica simplicia hæc adduntur primò calida vt calamus aromaticus, cyperus, radix enulæ campanæ.
Folia menthæ, agrimoniæ, absinthij. chamædryos, centaurij minoris, betonicæ.
Semina anisi, fœniculi, carui, cumini.
Flores anthos, centaurij minoris betonicæ.
Fructus. passulæ, gariophylli, spica nardi, nux moschata.
Aquæ menthæ. betonicæ, absynthij.
Hepatica simplicia frigida hæc sunt.
Radices graminis, cichorei, acetosæ, asparagi, brussi,
Folia endiniæ, cichorei, acetosæ, agrimoniæ, cucurbitæ, scariolæ, capillorum veneris, dentis leonis, lenticulæ aquaticæ, hepaticæ.
Semina quatuor frigida maiora, endiniæ, acetosæ.
Flores cichorei, rosarum.
Fructus cerasa acida, granata, ribes, berberis, omphacium.
Santala omnia, ebur, corallus.
Aquæ endiuiæ, cichorei, acetosæ, graminis, & agrimoniæ.

De syrupis & aliis renes roborantibus.

CAPVT X.

Syrupus de betonica renes efficaciter à pituita detergit.
Syr. de althea D Fernelij ardorem renum temperat, lenit vrinæ ductus, & vrinas ciet.
Syr. raphani D. Fernelij calidior hic est, potenter vrinas ciens.
Syr. de radicibus suprà.
Adduntur hæc simplicia nephritica, quæ quidem quadruplicis sunt ordinis.
Primò siquidem nephritica dicuntur diuretica calida quæ sunt. Radices feniculi, apij, petroselini, ononidis, raphani, valerianæ.
Folia apij, nasturtij aquatici, saxifragiæ, sysimbrij, pimpinellæ.
Semina feniculi, petroselini, apij milij solis, seseleos massiliensis, cicera rubra.
Flores camomillæ: terebinthina; vinum album.
Aquæ de duabus radicibus, apij, feniculi.
Secundò nephritica dicuntur diuretica frigida, quæ sunt.
Radices brusci, asparagi, eryngij, althex.
Folia parietariæ, capillorum veneris, bismaluæ, summitates asparagi.
Semina quatuor frigida maiora, semen althex, alxexengi, hordeum.
Fructus melones, cucurbitulæ, pepones, limones.
Aqæ parietariæ, graminis, hordei.
Tertiò nephritica appellantur quæ vrinæ ardorem leniunt & refrigerant, vt.
Radices liquiritiæ, althex.
Folia scariolæ, portulacæ, lactucæ, endiniæ, cucurbitulæ.
Semina melonum, cucurbitulæ, cucumerum, althex, lactucæ, papaueris albi, psyllij, hordeum,

pruna

pruna dulcia, iuiubæ, passulæ, amygdalæ.
Flores violarum, maluæ, nenupharis. Tragacanthum, lac, butyrum.
Aquæ violarum, lactucæ, portulacæ, maluæ, bismaluæ, melonum, cucurbitæ, nenuphatis.
Quartò demùm quæ calculos alterare, comminuere, aut frangere possunt, vt.
Radices saxifragiæ, virgæ aureæ, cardui stellati seu calcitrapæ, ononidis, lappæ maioris, lignum nephriticum hodie vsitatum.
Cortices fabarum sicearum.
Folia fragariæ, cardui stellati, saxifragiæ, lappæ maioris & argentariæ.
Semina milij solis, raphani, vrticæ, nucei cerasorum, persicorum, mespilli, baccæ iuniperi, hederæ, gummi prunorum, cerasorum, & terebintina; sanguis draconis præparatus, cinis scorpionum, oculi cancrorum, lapis nephriticus extetnè gestatus, crystallus præparata.
Aquæ raphani, halicacabi, saxifragiæ, calcitrapæ, granorum iuniperi, limonum, milij solis, esulæ maioris, verrucariæ.

De syrupis & aliis ventriculum roborantibus.

CAPVT XI.

SYrupus de absynthio si ex vulgari amatior est, & præterea quæ suprà diximus ad lumbricos enecandos vtilis: gratior tamen ex Romano qui calefacit quidem & astringit, cætera minùs alio exequitur.
Syr. de mentha maior D. M. temperatus est in actiuis, ad calidum leuiter inclinans, imbecillum ventriculum roborat, & in cardialgiis, febribusque syncopalibus admodum vtilis.
Syr. de rosis siccis, suprà.
Syr. de succo cytoniorum refrigerat & astringit, malignamque humorum qualitatem retundit.
Syr. conseruationis myrobolanorum calefacit, & astringit; ventriculo, intestinis, & cerebro etiam roborando vtilis.
Syr. myrtinus simplex refrigerat moderatè, potenter autem astringit, fluẽtemque aluum cohibet.
Syr. myrtinus compositus ad idem admodum efficax.
Stomachica simplicia calida primò hæc adduntur.
Radices cyperi, calami aromatici, galangæ.
Folia absynthii, saluiæ, menthæ, rorismarini.
Semina anisi, coriandri, grana Kermes.
Flores anthos & saluiæ.
Nux moschata, xyloaloe, garyophylli, spica nardi, macis, piper, cinnamomum, zinziber mastix, succinum, ambara.
Aquæ absynthii, saluiæ, menthæ.
Stomachica frigida sunt.
Radices plantaginis, acerosæ.
Folia pampini viris, myrthillorum, plantaginis.
Fructus. cytonia, mala granata, cerasa acida, ribes, berberis, sorba, mespilla.
Santalum rubrum, hypocistis, acacia, corallus.
Aquæ rosarum, plantaginis, acerosæ.

De syrupis & aliis lienem roborantibus.

CAPVT XII.

OXysaccharum compositum, suprà, vbi qui melancholiam solam, aut pituitæ mixtam præparant, referuntur.
Calida simplicia lieni dicata sunt.
Radices enulæ campanæ. ireos, calami aromatici, apij.
Cortices radicum capparum, mediani fraxini, thamarisci, citrij.
Folia fumariæ, summitatum lupulorum, ceterach, chamædryos.
Semina agni casti, cuscutæ, anisi, citrij, apii, cappares.
Flores thamarisci, genistæ, crocus. Cinnamomum, gummi ammoniacum, chalybs.
Aquæ lupulorum, cuscutæ, fumariæ, & melissæ.
Splenica frigida eadem sunt cum ijs quæ bilem & melancholiam alterant.

De syrupis & aliis intestina roborantibus.

CAPVT XIII.

SYrupus myrtinus compositus D. Fernelij suprà, refrigerat, & potenter astringit; vtilis ad dysenterias, & æstiuas diarrhæas.
Syr. symphiti D. Fernelii suprà ad dysenterias.

Syr. cytoniorum. suprà.
Syr. de rosis siccis suprà.
Syr. de sorbis refrigerat & astringit ad diarrhæas & dysenterias; vt qui ex cornis conficitur.
Adduntur hæc simplicia quæ intestinis astringendis dicata sunt passimque vsurpantur.
Radices bistortę, consolidę maioris, tormentillę, maioranę.
Cortices myrobolanorum.
Folia plantaginis, centinodię, equiseti, bursę pastoris, pilosellę.
Semina myrtillorum, plantaginis, portulacę, papaueris albi, gallę.
Flores rosarum, & balaustiorum.
Fructus. sorba, mespilla, cytonia.
Gummi. mastix, tragacanthum, sanguis draconis. mumia; bolus armena, terra sigillata.
Aquæ rosarum, plantaginis, & portulacæ.

De syrupis varios humores purgantibus.

CAPVT VLTIMVM.

Pituitam purgant.

SYrupus de epithymo pituitam & melancholiam purgat, sed imbecillis est qui delicatioribus ad ℥ iii exhibetur.

Melancholiam.

SYrupus de pomis Sabor solus, vix purgat, facillimè autem purgantibus cedentes possunt illius ℥ ii aut iii assumere.

Syr. de fumaria maior D. Mesues, melancholiam & serum purgat; à delicatioribus potest in vsualis syrupi vicem vsurpari, sed difficillimè solus euacuabit.

Syr. de epithymo. suprà.

Bilem.

SYrupus ex floribus persicorum bilem parciùs purgat, serum magis, & vermes necat, ex nouem infusionibus paratur, & Infantibus ab ℥ ß ad ℥ ii exhibetur.

Syr. rosatus solutiuus. infrà; qui ex rosarum succo paratur, acris est & tormina mouet aliquando

Syr. violatus solutiuus & purgat bilem, & viscerum æstus temperat, sed ad refrigerandum efficax: ad purgandum autem licèt nouem Infusiones admittat, admodum imbecillis: datur ab ℥ ii ad v.

Serum.

SYrupus ex floribus persicorum. suprà.

Syr. Rosatus solutiuus serum ducit, sed bilem etiam ex infusionibus nouem rosarum pallidarum parari debet. Ex Damascenis autem efficacior euadit, quàm ex illis paratus. ℥ i. pueros purgat lactantes anniculos, adultos vix solus: delicatiores tamen ℥ iii. ex Damascenis parati abundè purgabunt.



DE MEDICAMENTIS COMPOSITIS.

Variè diuersa membra alterantibus.

SECTIO II.


Æc Medicamenta sunt Pulueres, Electuaria, Opiatæ, Confectiones, Lohoch, Trochisci, & pilulæ, quæ variè diuersa membra efficaciùs alterant, de quibus hac secunda sectione agendum.

De Medicam. compositis caput alterantibus.

CAPVT I.

PVLVIS aromaticus rosatus calefacit, exsiccat, attenuatque moderatè cerebrum, cor, & ventriculum languentem roborat, datur ab ℈ ß ad ʒ ß.

Puluis Dianthos calefacit, exsiccatque moderatè, nec non pituitam attenuat, datur vt prior.

Puluis aromaticus garyophyllatus, calidior & siccior rosato: dissolutos spiritus animales & vitales reficiens, & ab immixtis crassis vaporibus expurgans. Datur ab ℈ß. ad ʒß.

Puluis Diamoschi dulcis priore calidior & siccior, pituitam efficaciter attenuans, & spiritus à tetris vaporibus efficaciter expurgans. Datur eadem dosi, qua priores.

Mithridatium calefacit, exsiccatque potenter, attenuat humores crassos, putredini & venenis resistit, viscera roborat, & flatus discutit. Datur à ʒß ad ʒ ii.

Aurea Alexandrina, tantillùm calidior, siccior que mithridatio, ad eadem efficax. Datur à ʒß ad ʒ i.

Theriaca Andromachi recens, narcotica est, & præsertim intra priores sex menses, qua tunc vti non licet: his autem transactis datur ab ℈ß ad ʒß verus autem calefacit, attenuat, morbis malignis medetur, ad præcautionem pestis vtilissima, tandemque morsus & ictus venenatos sanat. Datur ab ℈ i. ad ʒ i. ß.

Confectio anacardina vehementer calefacit, attenuat, inciditque pituitam, Rarò deuoranda datur, sed palatum illâ illinitur, apoplecticis & paraplegiâ laborantibus, ad pituitam in cerebro, neruorúmque principiis soluendam. Datur ab ℈ß ad ʒß.

Laudanum Chymicum remedium variè à variis descriptum, tale apud Renodæum habetur. ℞. extracti pilularum de cynoglossa ʒ ii. extracti philonij Romani & theriacæ ana ʒ i. ambræ & moschi ana ℈ ß lapidis Bezoartici & cornu monocerotis ana gr. vi croci ℈ ß. cum oleo garophyllorum fiat massa. Valet ad eadem quæ præcedentes pilulæ: at datur pueris ad gr. ii. adultis verò à granis iii. ad viii. Malim laudanum in Aquensi catalogo descriptum, pari dosi exhibendum sed rarissimè summa dosis vsurpanda, & non nisi in extremo casu, & cum sufficienti virium robore. Talia enim efficacia narcotica cum vitium imbecillitate etiam patuâ dosi nunquam sunt vsurpanda.

Philonium Romanum narcoticum est, ad eadem ad quæ priora vtile. Rarò per os exhibetur ab ℈. ß. ad ʒ ß. sæpiùs in vehementioribus coli doloribus enematibus admiscetur a ʒ. i. ad ʒ iii. pro vehementia doloris, & ægri viribus. Sed rarissimè ad tantam dosim licet ascendere, & multò minùs excedere.

Trochisci galliæ mordatæ, infrà.

Trochisci aliptæ moscatæ partes omnes principes roborant, prioribus tamen infirmiores dantur à gr. iii. ad ix.

De compositis Medicamentis cor alterantibus.

CAPVT II.

PVluis Diamargariton. frig. refrigerat & exsiccat moderatè, cor recreat & spiritus reficit. Datur ab ℈. ß. ad ʒ. ß.

Puluis de gemmis calefacit, & efficaciter exsiccat, spiritusque à tetris vaporibus expurgat. Datur à gr vi. ad ℈. i.

Puluis Diambræ calefacit & exsiccat non ignauiter, miréque spiritus recreat. Datur ab ℈. ß. ad ℈. i. caueant ab hoc & consimilibus moschum & ambaram admittentibus hystericæ.

Puluis Diamoschi D. Renodæi temperatus in actiuis, ad frigidum tamen inclinat, plurimùm exsiccat, & vitales spiritus recreat. Datur ab ℈. ß. ad ʒ. i.

Puluis aromaticus rosatus, suprà.

Puluis aromaticus garyophyllatus, suprà.

Puluis Bezoarticus D. Renodæi non quòd lapidem Bezoarticum excipiat, sed quòd excellentis putredinis alexipharmacus sit, sic appellatur, leniter calefacit, efficaciùs exsiccat, & spiritus recreat. Datur ab ℈. ß. ad ℈. i.

Puluis Xyloaloes, calefacit & attenuat, mirè cardiacus datur ab ℈. ß. ad ʒ. ß.

Puluis lætitiæ, fuliginosos & melancholicos vapores attenuat & dissoluit, à quibus spiritus expurgat, admodum cardiacus. Datur ab ℈. ß ad ʒ. ß.

Puluis electuarij liberantis, in actiuis proximè ad temperiem accedit, valenter exsiccat, & ad pestis præseruationem est efficax. Datur ab ℈ ß. ad ℈. ii.

Electuarium manus Christi cum perlis, temperatum in actiuis, non imbecilliter exsiccat, & leniter astringit, cor & ventriculum roborat. Datur in frequenti vsu, vel à ʒ. ii. ad ℥. ß.

Confectio alkermes,calefacit & exficcat,labentes cordis vires, fpiritufque expurgat & reficit. Datur ab ℈. i. ad ʒ. i.

Confectio de hyacintho,minùs calefacit priore,exficcat magìs,& putredini efficaciùs refiftit, fed tardiùs vires reparat. Datur ab ℈. i. ad ℈. iiii.

Theriaca & mithridatium,fuprà.

Trochifci galliæ mofchatæ,cerebrum,cor,& fpiritus recreant, oris odorem commendant, ventriculum puerorum imbecillem & vomiturientem roborant, virefque longo morbo fractas reparant. Dantur à gr. iii. ad vi.

Trochifci aliptæ mofchatæ,fuprà.

De compofitis Medicamentis iecur alterantibus.

CAPVT III.

PVluis electuarij triafantali ad iecoris infarctus,ictetum,vifcerum æftus, & oppugnandam putredinem valet. Datur ab ℈. i. ad ii.

Puluis dialaccæ,craffos & vifcidos humores vbicumque exiftentes incidit & atrenuat,roboriique fingulorum vifcerum prouider,ab ℈ i. ad ℈. ii hic ipfe obftructiones tollit & menfes eiet.

Trochifci de caphura valenter refrigerant,ideòque iecoris, ventriculi, aliorumque vifcerum ardorem,& bilis æftum temperant,ac demùm fluxū humorum in thoracē fiftunt. Dantur à ʒ ſ. ad ʒ. i

Trochifci de rhabarbaro,attenuant,incidunt,iecorifque obftructiones foluunt. Dantur ab ℈.i. ad ʒ i

Trochifci de abfynthio,par penè eft horum ac priorum defcriptio & vis.

Trochifci de eupatorio,hi minùs deobftruunt prioribus,magìs autē roborant. Dantur ab ℈ i. ad iiii.

Trochifci de bdellio ad iecoris obftructiones liberandas valent, & eiufdem duros tumores curandos,fimul item roborant,& flatus difcutiunt. Dantur ab ℈. i. ad iiii.

De compofitis Medicamentis pulmones alterantibus.

CAPVT IV.

PVluis Diayreos fimplex pituitam incidit,attenuat,& leniter detergit à pulmonibus, expectorationem iuuans. Datur ab ℈. i ad ʒ. i.

Puluis diayreos Salomonis ad eadem efficacior priore. Datur item ab ℈. i. ad ʒ. i.

Lohoch fcyllitieum,craffos humores vifcidofque ad excretionem rebelles potenter incidit, & attenuat,atque expectorationem irritat. Senfim & frequenter lambendo eo vtendum cum liquiritiæ bacillo,vt cæteris eclegmatis.

Lohoch de caulibus,ad fputi coctionem & deterfionem facit,afthmaticis & pleuriticis vtile.

Lohoch de pulmone vulpis,phthificis vtile,pulmones leniter detergens & roborans.

Lohoch fanum & expertum incidit,attenuat,& detergit hærentes pulmonibus fuccos, tenuiores interim leniter incraffat.

Lohoch papauerinum,ad tenues humores tum labentes in pulmonē,tum lapfos incraffandos efficax,tuffim fedat,& leniter detergit. Syrupus fimplex de papauere poteft huius vicem fupplere.

Lohoch de pineis,mixtas habet incraffandi,attenuandi,detergendi,& leniendi vires: quæ omnia moderatè exequitur,pulmones non inefficaciter roborans, purulēta fcreantibus & phthificis vtile.

Puluis diatragacanthi frigidi.humores tenues & acres incraffat,eorumque acritudinem retundit, ideòque tenuibus diftillationibus & catharris vtilis. Datur ab ℈. i. ad ʒ. i.

Puluis diapenidion fine fpeciebus,fuccos in thoracem fluentes & fluxos incraffat, & vias refpirationis lenit Datur ab ℈. i. ad ʒ.i.

Confectio becchica feu de rebeclia D. Renodæi,pituitam in thorace leniter incidit, & detergit, viafque refpirationis valdè lenit,contineri foiet in ore & fub lingua vt fequentes pilulæ.

Pilulæ becchicæ feu fub lingua,tenuem pituitam in thoracem fluentem incraffant, tuffi ficcæ medentur,& refpirationis ductus leniunt.

Diacodium tenues fuccos incraffat, fluxiones fiftit, & fomnum conciliat. Datur à ʒi. ad ʒ ß.

Pilulæ de Cynogloffa, plurimum refrigerant, & incraffant calidum tenuemque catarrhum: fed difficilem refpirationem aliquando, thoracem aftringendo, reddunt. Dantur ab ℈ß. ad ℈ß. fupra.

Trochifci de terra figillata, refrigerant moderatè, vehementer exficcant & aftringunt: fanguinem à pulmonibus excreatum, & aliunde fluentem efficaciter fiftunt, in conueniente liquore diffolui. Dantur ab ℈i. ad ʒi ß.

Trochifci de Carabe, prioribus incraffant magis, aftringunt minus: ad cætera identidem penè vtiles. Dantur ab ℈i.ad ʒi ſ.

Trochifci de fpodio cum fem. acer. moderatè refrigerant, efficaciter autem exficcant, ad incraffandum parùm vtiles, ad aftringendum verò potentes. Dantur ab ℈i. ad ʒi. ſ.

De compositis Medicamentis ventriculum alterantibus.
CAPVT V.

PVluis aromaticus rosatus, qui hunc habent paratum puluerem rosatâ nouella carere possunt, est enim hic puluis rosatâ illâ efficacior. Cætera, suprà.

Puluis Diarrhodon abbatis in actiuis temperatus est, in passiuis moderatè exsiccat, ventriculum & hepar roborat, flatus discutit & viscerum æstum leniter temperat. Datur ab ℈. i. ad ʒ i.

Puluis dianisi, calefacit efficaciter, pituitam attenuat, & flatus potenter discutit. Datur ab ℈.ß. ad ʒ ß.

Puluis diacinnamomi satis potenter calefacit & exsiccat, crassos humores attenuat, flatus discutit, cardialgiis vtilis. Datur ab ℈. ß. ad ℈. i.

Puluis diagalangæ, calefacit, attenuat, incidit, ventriculum roborat, & flatus discutit. Datur ab ℈. ß. ad ʒ. ß.

Puluis diatrionpipereon, potenter calefacit, attenuat, & flatus discutit. Datur à gr. vi. ad xvi.

Puluis diacimini, valenter calefacit, & attenuat, flatusque efficaciter discutit. Datur à gr. vi. ad xvi.

Puluis pleres-archonticon, ventriculi cæterorumque viscerum vires à longo morbo fessas laxatasque recolligit, & reparat. Datur ab ℈. ß. ad ℈. i.

Mithridatium suprà.

Theriaca diatessaron, calefacit, exsiccat, & attenuat efficaciter, humorum in ventriculo contentorum malignitatem temperat, & flatus discutit. Datur à ʒ. ß. ad ʒ. i. ß.

Trochisci de berberis, refrigerant, leuiter exsiccant & astringunt, iecoris & ventriculi intemperies calidas emendant fluxusque ventris biliosos sistunt. Dantur à ʒß. ad ℈. iiii.

Trochisci diarrhodon D. N. Myrepsij, refrigerant, & exsiccant, ventriculum & iecur roborant. Dantur ab ℈. i. ad ii.

Pilulæ ante cibum, etsi in mollioribus recèns ante pastum deuoratæ eccoproticæ sint, longè tamen à pastu sumptæ & vacuo ventriculo illum humidiorem & frigidiorem exsiccant, calefaciunt & roborant. Dantur ab ℈. i. ad ʒ. i.

De Medicamentis compositis lienem alterantibus.
CAPVT VI.

PVluis chalybis præparati. Præparatur autem vulgò sic, limatura chalybis semel atque iterum in crucibulo vritur: quoties vsta, toties abluitur; aceto aut aquâ radicum petroselini vel fœniculi lota, exsiccatur & reseruatur in vsum. Vel vtiliùs fit crocus martis hoc modo. Lamina ferrea tenuis candefacta forti aceto vini sæpe extinguitur quousque acetum rubeat, colatur acetum, tum coagulatur in crocum, qui reuerberandus est in catino. Vterque calefacit, attenuat, & obstructiones viscerum efficaciter soluit: lienes absumit, & obstructas virgines promptè sanat. Datur prior puluis cum syrupo aut conseruis in opiatæ modum, aut cum saccharo & cinnamomo ab ℈. i. ad ʒ. i. aut ℈. iiii. posterior verò à gr. vi. ad xii. Omnibus tamen his efficacior est chalybis non præparati limatura in tenuem puluerem deducta, si vel cum saccharo & pauco cinnamomo pulueratis deuoretur, vel in tabellas digeratur, quo cum pro ʒ. ii. sacchari, ʒ. i tantum excipere possint chalybis, inefficaciores sunt. Vel ex illo, conseruis, & syrupo conuenienti opiata præparetur efficacissima, potest ℈. i. aut ʒ ß. chalybis singulis vicibus exhiberi, & pro cæterorum mixtione doses tabellarum aut opiatæ definiri.

Confectio de baccis lauri, calefacit efficaciter, crassos humores attenuat, obstructiones à melancholico succo ortas emendat flatusque valenter dissipat. Datur à ʒ. ß ad ℈. iiii.

Trochisci de capparibus, calefaciunt, incidunt, & attenuant, obstructionesque iecoris & lienis soluunt. Dantur à ʒ i. ad ʒ. i. ß.

De Medicamentis compositis intestina alterantibus.
CAPVT VII.

PHilonium Romanum, supra.

Miclera, valenter astringit, & ad sistendos alui fluxus præsertim lientericos efficax. Datur à ʒiii ad ʒ i. in clystere; per os autem a ʒ. i. ad ʒ. iii.

Trochisci de berberis, suprà.

Trochisci de terra sigillata, suprà.

Trochisci de carabe, suprà.

Trochisci de spodio, suprà.

Ad dysenterias hi omnes trochisci clysteribus admiscentur, quando vlcus crassiorum intestinorum ad cicatricem ducere conuenit, vel potionibus, si tenuia afficiantur.

Nota

Nota narcotica ex Galeno [a] vtiliora esse si post annum confectionis exhibeantur, & philonium quidem duorum, trium vè, aut quatuor annorum meliùs, sed nec inutile ad decimum vsque.

a 3. meth. cap. 1.

De Medicamentis compositis renes & vesicam alterantibus.
CAPVT VIII.

PVLVIS electuarij lithontriptici, potenter calefacit, pituitam incidit, & attenuat, infarctus mes̃erei tollit, & vrinas ciet, arenolasque expurgat. Datur à ʒ. ß. ad ℈. iiii.

Puluis Iustini proximè ad temperiem & vires prioris accedit, eademque dosi exhibetur.

Trochisci alkekengi, refrigerant, exsiccant, & astringente vi pollent, renum vlcera ad cicatricẽ deducunt, & dolorem sedant. Dantur à ʒ. ß. ad ʒ. i.

Trochisci Gordonij in actiuis temperati, exsiccant, leniendoque detergunt. Ad interna renum. vesicæ, aliarumque partium vlcera vtiles: qui vel cum lacte aut sero lactis per os exhibentur, vel cum aqua hordei sola, aut cum albumine oui agitata, per syringam in vesicam immittuntur. Vsus est à ʒ. ß. ad ʒ. i.

Trochisci albi Rhasis, non admodum frigidi sed plurimùm exsiccantes, dolorem sedant non vlceratæ solùm & inflammatæ vesicæ & vteri sed oculorum etiam, ideoque colliriis admiscentur, & conuenientibus vtrique casui liquoribus dissoluuntur, neque per os exhibentur.

De compositis Medicamentis vterum & virilia alterantibus.
CAPVT IX.

PVluis diacalamintes, potenter calefacit, crassos viscidosque humores incidit, & attenuat, flatus discutit, vrinas & menses ciet. Datur ab ℈. i. ad ʒ i.

Puluis diacurcuma, calefacit, incidit, & attenuat humores crassos, obstructiones soluit præsertim circa vterum, & menses mouet. Datur ab ℈ ß ad ʒ. ß.

Trochisci de chrysocolla in antidotario Aquensi, menses cient, partum prouocant, & secundinas expellunt. Dantur à ʒ. ß. ad ʒ. i.

Diasatyrion D. Renodæi, calefacit & roborat membra generationi dicata, veneremque in vtroque sexu stimulat. Datur à ʒ. ii. ad ʒ. ß

Tripheta magna, narcotica est, fluxiones in vterum sistit, doloresque ibidem excitatos sopit. Datur à ʒ. ß. ad ʒ. ii.

Trochisci de carabe, refrigerant exsiccant, & astringunt, fluentem sanguinem præsertimque ex renibus & vtero reprimunt. Datur à ʒ ß. ad ʒ. i. ß.

Trochisci de myrrha, incidunt, attenuant, vias reserant, & remoratos menses, suppressa lochia, secundas retentas, & tardiorem partum promouent. Dantur à ʒ. i ad ʒ. i. ß.

Trochisci hysterici D. Renodæi, prioribus sunt efficaciores in suffocationibus hystericis, seu à retentis mensibus. Dantur à ʒ. ß. ad ʒ. i.

De compositis Medicamentis ad venena & contagiosos affectus vtilibus.
CAPVT VLTIMVM.

PVluis Bezoarticus D. Renodæi suprà. hoc casu datur ab ℈. i ad ʒ. i. at Bezoar ipse pulueratus, à gr. iii. ad xii.

Puluis electuarij liberantis suprà, in his affectibus. Datur ab ℈. i. ad ʒ. i.

Theriaca suprà ab ℈ i. ad ʒ. ii.

Mithridatium suprà, à ʒ. i. ad ʒ. ii.

Trochisci de vipera, calefaciunt, exsiccant, attenuant, excretionem ad cutem mouent, ad morsus venenatorum animalium efficaces, elephanticos, & à rabido cane demorsos iuuant. Dantur à ʒ. ß. ad ℈. iiii.

Puluis contra rabiem Palmatij apud Renodæum ad hydrophobiam & canis rabidi morsum curandum modò nulla capitis pars dentibus superior demorsa sit, nec alia post morsum frigidâ abluta. Datur à ʒ. i. ad ʒ. iii.

Pilulæ Rufi (crocus vulgò in his ponitur loco ammoniaci à Rufo præscripti, is enim suas pilulas componit ex duabus partibus aloes, duabus ammoniaci, & vna myrrhæ) putredini plurimùm resistunt, incidunt & attenuant humores crassos, infarctusque soluunt, præsertim ex authoris præscripto. Dantur ab ℈. i. ad ʒ. i. debentque esse in frequenti vsu.

DE LENIENTIVM, ET purgantium ſimplicium Medicamentorum viribus & doſibus.

SEXTIO TERTIA.

De Lenientium Catalogo: quæ delicatiores cùm purgent, alijs Εκκοπρότικα ſeu ſtercora tantùm educentia euadunt.

CAPVT I.

HORVM Medicamentorum lenientium duo ſunt genera, quædam enim lubricando purgant, alia detergendo.

Pruna præſertim Damaſcena, frigida & humida in primo, aluum lubricando laxant, quorum decoctum datur ab ℥iiii. ab ℔i.

Pruna Sebeſtena temperie prioribus reſpondent: eorum pulpa datur à ʒvi. ad xii.

Tamaryndi refrigerãt & exſiccant tamen; dantur infuſi aut leuiter decocti & expreſſi ab ℥ii. ad ℥vi.

Flores violarum refrigerant in primo, & humectant in ſecundo, ventrem leniunt, bilis feruorem obtundunt, eundemque in delicatioribus purgant. Succi doſis ab ℥i. ad ℥ii. infuſionis verò ab ℥iiii. ad ℥viii.

Semen violarum in actiuis temperatũ eſt, humectat autẽ in primo, cuius medulla datur à ʒi. ad ʒ.iii.

Capillus Veneris vix temperamentum excedit, cuius decocti ad lubricandam aluum doſis eſt à ℔. ß. ad ℔i.

Semen vrticæ calidum & ſiccum in fine primi, atque admodum tenuium partium. Datur in ſubſtantia à ʒ. ß ad ʒii. in decocto verò à ʒii. ad ʒvi. aut ℥i.

Fumaria calida in primo ſicca in ſecundo, ventrem lubricat, bilem flauam & ſuccos aduſtos. leuiſſimè expurgat, cuius decoctum datur ab ℥x. ad ℥xv. ſuccus ab ℥v. ad ℥viii. puluis à ʒiii. ad ʒv. at quia parùm eſt efficax, & maximè ingratum eſt hoc remedium, eo non vtimur.

Semen fumariæ calidũ in fine primi, & ſiccũ in ſecundo: ſeminis vrticæ vim & doſim imitatur.

Abſynthium vulgare calidum in fine primi, & ſiccum in fine ſecundi, vix aluum irritat, educitque bilem à ventriculo & inteſtinis. Datur eius decoctum ab ℥v. ad ℥viii. ſuccus à ʒiii. ad ʒiiii. puluis à ʒii. ad ʒiii. ob imbecillitatem euacuandi & amarorem, eo non vtimur.

Braſſicæ, betæ, ac maluæ decocta, illarum quidem nitroſa ſuâ facultate: huius vero emolliente vi, in lenientium cenſu reponuntur. Doſis ab ℥vii. ad ℥xv.

Reſina Terebinthina, larignа, aut abiegna calidæ ſunt & ſiccæ in ſecundo. Dantur à ʒiii. ad ℥i. in forma boli cum ſyrupo capillorum veneris, aut violato.

De ſimplicium Medicamentorum.

Benignè purgantium bilem, viribus, & doſibus.

CAPVT II.

SIliquarum Caſſiæ medulla, in actiuis paululum ad calidum inclinans & humida in primò, ac flatulenta, bilem, pituitamque benignè expurgat. Corrigitur aniſo, aut maſtiche, vel etiam rhabarbaro admixto. Datur ab ℥ß. ad ℥ii. in bolo, ſoluta enim admodum eſt importuna: infuſa tamen & colata, minus.

Immaturæ item ſiliquæ caſſiæ ſaccharo conditæ ab Aphrica allatæ, conſimiliter purgant, & dantur ab ℥i. ad ℥ii.

Manna calabrina aut Orientalis, calefacit, & ſiccat in ſecundo, bilem euacuat, acris tamen eſt, menſes mouet, imò & teneſmum delicatioribus aliquando prouocat. Datur ab ℥ii. ad ℥v. augetur purgatoria eius vis, eiuſdemque acritudo corrigitur ſi vero lactis diſſoluta exhibeatur.

Brigantina ad purgandum admodum inefficax: eius tamen ʒ. iii. aut iiii. ſero lactis aut iure pulli ſolutæ delicatiores expurgant.

Aloë calida in ſecundo & ſicca in tertio, bilem præſertim, ſed pituitam leniter etiam purgat. Da-

tur

tur non lota in pilularum forma ob amarorem à ʒ. ß. ad ʒ. ii. at paulò ante pastum à ʒ. ß. ad ℈ ii. Εκχοπρότικα est aluum leniens & ventriculum expurgans. Quæ si aqua communi aut rosarum lauentur, vi purgantè amissâ ventriculum tantùm roborat. Liquoribus autem purgantibus imbuta, eò efficaciùs purgat, quò liquorum vis ad purgandum est efficacior. Cæterùm omnis hæmorrhoides prouocat & exasperat si interiùs sumatur.

Myrobalani citrini frigidi in primo, & sicci in secundo. Dantur in substantia à ʒ. ii. ad ʒ. v. in infusione autem aut decocto à ʒ. v ad ʒ. xx. oleo autem violaceo ad asperitatem & siccitatem mitigandam confricantur. Quibus tamen neque aliis speciebus vti solis consueuimus, sed multas purgantium pharmacorum compositiones ingrediuntur.

Rhabarbarum calidum & siccum in secundo, bilem & pituitam purgat ex Mesue, cui nec Manardus nec Costæus repugnant. Datur in substantia à ʒ. i. ad ʒ. ii. in infusione verò à ʒ. ii. ad ʒ. x. Corrigitur cinnamomo seu canella.

De simplicium Medicamentorum.

Benigne pituitam purgantium viribus ac dosibus.

CAPVT III.

MYrobalani Chebuli, Emblici, & Bellirici, frigidi in primò, & sicci in secundò, astringentem habent vim, crassamque substantiam facultati purganti sociatam. Dantur in substantia non carioti à ʒ. ii. ad ʒ. iiii. in infusione verò aut decocto à ʒ. iiii. ad ʒ. xv. & oleo violaceo priùs confricantur. Hac ætate planè inefficaces ad nos adferuntur.

Semen Carthami seu Cnici calidum in primo & siccum in secundo. Datur in substantia cortice purgatum à ʒ. iii. ad ʒ. vi. in decocto verò à ʒ. vi. ad ℥. ii.

Agaricus calidus in primo, & siccus in fine secundi. Datur in substantia à ʒ. i. ad ʒ. ii. In infusione verò à ʒ. ii. ad ʒ. vi. Vis eius ad operandum lenta acceleratur pauco addito zinzibere aut sale gemmeo. Quia tamen ventriculum subuertit, vix eo solo vtimur, neque in infusione ʒ. ii. transcendimus, illius vires aliorum permixtione augentes.

De simplicium Medicamentorum.

Benignè melancholiam purgantium viribus ac dosibus.

CAPVT IIII.

POlypodium quod & pituitam etiam educit, proximè ad temperiem accedens, ad calidum & siccum inclinat: in substantia quia admodum imbecillium est viriũ dari posset iuxta Auerrhoem & Manardi experimentum à ʒ. ii. ad ʒ. x. In decocto autem ab ℥. i. ad ℥. iiii. Quod recentius est idem & potentius, sed flatus excitat, corrigiturque vt sena.

Myrobalani Indi temperiem & dosim aliorum myrobalanorum imitantur.

Epithymus calidus & siccus in secundo, pituitam etiam purgat. Datur in substantia à ʒ. i. ad ʒ. iii. in decocto à ʒ. v. ad ʒ. x. nymphæâ, violis, seminibus frigidis, & pomis eius siccitas emendatur. Eiusdem autem vis sale gemmeo aut zinzibere acuitur, solusque minimæ est in purgando efficaciæ, aliis autem admixtus eis vires addit.

Sena calida in principio secundi, & sicca in fine eiusdem, datur in substantia à ʒ. i. ad ʒ. ii. in decocto ab ℥. ß. ad ℥. ii. vtimur autem foliis potiùs quàm folliculis qui ad nos adferuntur pauci & euanidi, cùm ante maturitatem collecti nec sponte decisi parem habeant ad purgãdum vim cum foliis. Catholicon medicamentum est, omnes humores purgans, maximique vsus. Quia tamen flatus excitat, corrigitur aniso, aut garyophyllis. In his autem in quibus aliquam exsiccationem timemus, violarum, nymphex, aut similium decocto emendatur.

Serum lactis, licèt ex Galeno,[a] frigidæ sit & humidæ temperaturæ habet tamen admixtas acres substantiæ portiones, vt ab eodem Galeno[b] docemur. In quibus vis purgatoria consistit, hoc autem melancholiam, bilemque, ac serum expurgat. Daturque à ℔. i. ad ℔. iiii. & saccharri admixtione fit ne ventriculo noceat. De quo Galenus ait, quantùm ab alia lactis natura succi bonitate superatur: tantò alia omnia quæ ventrem deijciunt, superat.

[a] Lib. 4 simp.
[b] 1. de alim. fac. cap. 15.

De simplicium Medicamentorum.

Serum purgantium viribus ac dosibus.

CAPVT V.

ROsæ pallidæ, frigidæ in primo & siccæ in secundo, vix in substantia exhibentur, earũ verò succus datur ab ℥. i. ad ℥. iii. quo tamen nunquam vtimur solo, sed in eo per æstatem plerumque pro his qui non facilè purgantur, rhabarbarum, & similia infondimus: infusio qualis ad syrupum rosatum solutiuum paratur. Datur ab ℥. ii. ad ℥. vi. qua vix vnquam vtimur solâ. Quia verò & succus & infusio rosatũ tormina à flatibus excitant, aniso, petroselino, dauco, aut garyophyllis corriguntur.

Rosæ Damascenæ, calidæ in primo, & siccæ in secundo, valentiores sunt prioribus. Quæ recentes in principio pastus sub acetarii forma, pugilli vnius aut alterius quantitate egregiè purgant, sed fœniculi turiones illis vtiliter permiscentur ne tormina moueant. Eorumdem infusum dari potest ab ℥ii. ad ℥. iiii. pari habita cura ad correctionem atque in superioribus monuimus.

Flores persicorum calidi & sicci in principio secundi, admodum amari, dantur in substantia, aut infusi non aliter ac rosæ Damascenæ.

Cremor Tartari calidus in secundo, & siccus in tertio, imbecilliter purgat si solus exhibeatur, & solus ʒi. pondere delicatulis datur in iure pulli ad soluendam aluum. Aliis immiscetur ad purgandum efficacioribus senæ & similibus à ʒi. ad ʒiii. Nonnunquam cum dacrydio in iusculo soluitur ad efficaciùs purgandos eos qui à pharmacis abhorrent.

Mechoacam calidum in primo, & siccum in principio tertii. Datur in substantia à ʒ. ß. ad ʒii. infusum vero à ʒii. ad ʒvi. insipidum penè est & optimè in vino albo infunditur.

Aliquanto efficacius est zelapium, cuius consimilis est vsus & dosis.

Soldanella seu brassica marina calida & sicca in tertio, prioribus multò valentiùs serosos humores & aquas expurgat, hydropicis maritima loca incolentibus datur vtiliter ex Fallopio in asparagorum modum edenda. Alias in sustantia exhibetur ab ℈ii. ad ʒi. ß. in decocto vero à ʒii. ad ʒvi. quia vero acrior est, & superiori ventriculi orificio officit, corrigitur vel pinguibus incocta, vel admixtis cardiacis aromaticis cortice citri, cinnamomo, garyophyllis & similibus.

Ebulus calefacit & exsiccat in secundo, nec ab eo absunt sambucus & frangula: quorum virentes externique cortices in aqua decoquuntur, & decocti ℥v. aut vii. efficaciter vomitum cient, atque per inferna simul purgant. Aromaticis autem simul incoctis corriguntur. Valent & ad excretionem seri ventrisque solutionem in delicatioribus, præsertimque hydropicis prouocandam, eiusdem ebuli teneriores rami & folia in aqua cocta, & in cataplasmatis modum abdomini admota.

De simplicium Medicamentorum.

Bilem vehementiùs purgantibus viribus, ac dosibus.

CAPVT VI.

Scammonea, repentis cuiusdam plantæ succus, ex radice aut emanans aut expressus & densatus; calida est & sicca in tertio. Cordi, ventriculo, hepati, & intestinis inimica, bilem præsertim euacuat. Datur à gr. vi ad ℈. i. corrigitur admixtis cardiacis, & stomachicis, ac super epoto refrigerāte & humectante aliquo decocto. Quæ si in cytonio malo coquatur lectissimæ simulque rarissimæ seu sponte à radice manantis lachrymæ nomen accipiens δακρύδιον quasi lacrymulam dixeris, appellatur, & corrupta voce diagridium nuncupatur.

Ricini seu Catapuriæ & Cheruæ maioris aut palmæ Christi à quibusdam appellatæ semen, calidę & siccæ temperaturæ in secundo Etsi pituitam magìs, bilem tamen etiam & serum educit tam per superna quàm per inferna purgans. Dantur grana cortice purgata à iii. ad xii. emendatur eius noxa si igne leuiter torrefactum sit prius, & deinde admixto fœniculi & anisi semine exhibeatur.

Ricinus Americanus aliquantò calidior & siccior nostrate, eosdem etiam humores purgat. Datur ab vnius grani nucleo cortice & interna membrana purgato ad trium feminum seu granorum nucleos. Leuiusculè torrefactum mitiùs expurgat: & si grauius infestet, meri tantillo epoto, nocumentum auertitur.

a Lib. 8. c. 3. Elleborus albus, calidus & siccus in tertio, non solùm vomitum ciet ad quem efficacissimus est, pituitam & bilem vtramque ea via expurgando: sed etiam per inferiora purgat saltem clysteribus admixtus, vt apud Oribasium est.[a] Eius vsus in substantia periculosus est & suffocationes aut conuulsiones infert, nec nisi robustis admodum citra febrem continuam saltem & tertianam & vomere solitis exhibetur, non puluerātus sed in minutulas partes sectus, & polentæ hordeaceæ aut simili permixtus. Daturque à ʒ.i. ad ʒ.ii. in decocto verò aliquantò securiùs exhibetur his qui diuturnis morbis à pituita aut melancholia detinentur, viribus valent, non febriunt, & ad vomendum sunt præparati. Infunditur aut decoquitur à ʒ iii. ad ʒ v. cum garyophyllis, aniso, semine aut cortice citri, vel similibus; vel ex eius decocto & melle paratur electuariū pro cuius compositione & dosi legendus Oribasius,[b] vel Heurnius.[c] In enemate ad duplum decoquitur, aut electuarij prædicti assumitur: quàm per os exhiberi consueuerit vt ex Oribasio[d] discimus.

b Lib. 8. ad finem, cap. 2.
c Lib. 8. m.s. ad tractum vsq. ad finem. cap. 21.
d Ibidem.

De simplicium Medicamentorum.

Pituitam vehementiùs purgantium viribus, ac dosibus. CAPVT VII.

Asari radix, calida & sicca in tertio, vomitum ciet, & purgat pituitam ac serum. Datur in substantia à ʒ. i. ad ii. infusa verò à ʒ. ii. ad iiii. Cæterùm asarum in substantia exhibitum tenuiter puluerātum magìs est vomitorium, crassius autem puluerātum magìs est deiectorium ex Mesue.

Turbith, calidum est in principio secundi, & siccum in fine eiusdem, crassam pituitam etiam à distantissimis partibus euacuat. Datur in decocto à ʒ. ii. ad ʒ. i. in substantia verò ab ℈. ii. ad ʒ. i ß. garyophyllis, & zinzibere eius vitia emendantur.

Sarcocolla est gummi calidum in secundi principio, & siccum in fine primi, purgat crudam pituitam & crassos humores à remotioribus membris, neruis, & iuncturis. Dosis eius à ʒ. i. ad ii. in pilulis aut opiatis vt sequentia gummi permiscentur Senibus vtile remedium: sed cùm tardæ sit operationis eius vis admixto zinzibere acceleratur.

Sagapenum aut Serapinum, gummi etiam est calidum in tertio, siccum in secundo: phlegma aliasque humores viscidos educit. Dosis à ʒ ß. ad ℈. iiii. nocet ventriculo & hepati, corrigitur ex Mesue si decocto sequenti nutriatur. ℞. succi enulæ ʒ. xvii. spicæ & masticis ana ℥. iii. bulli. nt ad consumptionem medietatis, colaturâ nutriatur sagapenum, vel cum eo addantur mastix, cinnamomum seu canella, garyophylli, aut zinziber.

Opoponax gummi calidu n in tertio, siccum in secundo, viscidam pituitam à remotioribus membris, ipsisque etiam articulis euacuat. Datur à ʒ. i. ad ii. Consimilis est noxæ cum sagapeno, & consimili ratione corrigitur.

Brionia, calida est & sicca in fine secundi, pituitam educit præsertim à cerebro, pectore, & neruis. Datur in substantia à ʒ. i. ad ii. in decocto verò à ʒ iii ad vi. Humores nimiùm attenuat, ventriculo & iecori nocet. Corrigitur si exhibeatur cum melle passulato, vel decocto aliquo pectorali, & illi admisceantur mastix, garyophylli, canella, gallia moscata, & similia. Eius fæcula, quæ expresso radicis succo ex subsidente fæce liquidiore portione per inclinationem separata, & reliquo ad solem siccato paratur: datur à gr. x. ad ʒ. ß

Tapsiæ radix, turpetum plurimum æmulatur, sed vehementior atque ideo calidior & siccior: crassos humores efficaciter purgat, suspiriosos iuuat. Datur in substantia ad ℈. iiii succus ad ʒ. i. lac ad ℈. i. obsoniis & cibis immiscetur ad procurandum vomitum. Infunditur in vino albo, aut coquitur in aqua cum stomachicis ad ʒ ß. acris admodum est & torminosa Corrigitur infusa vel decocta cum foliis violarum, capillorum veneris, cum aniso, cinnamomo, citri cortice, aut garyophyllis imò & aceto prius macerata.

Hermodactyli calidi & sicci in principio secundi, crassam pituitam præsertim à iuncturis euacuant. Dantur in substantia ab ℈ii. ad ʒii. in decocto autem à ʒii. ad ʒ ß. Corriguntur garyophyllis, zynzibere, pipere, maci, & similibus cor & ventriculum roborantibus, humores attenuantibus, & flatus discutientibus

Esulæ minoris radicis cortex crassos humores, imò & serum etiam potenter enacuat. datur à gr. iiij. ad ℈. i. in substantia, sed febres mouet, hepar exsiccat, hæmorrhoides aperit, nocet ventriculo, & intestina erodit. In decocto à ʒi. ad ij posset exhiberi. Corrigitur si in decocto Cichoreorum, corticis cydoniorum, myrobalanorum, florum violarum, & similium refrigerantium, humectantium, & astringentium, stomachicorum, hepaticorum, & cordialium incoquatur, eisque decoctum exhibeatur. In substantia exhibenda corrigitur lacti per diem infusa, & lacte iterum ac tertio mutato, à quo extracta exsiccatur, ac postmodum cum bdellio gummi tragaganti, & succo liquiritiæ densato miscëatur, demumque cum succo taraxaci in pastillos reducatur.

Colocynthis, calida & sicca in tertio summè amara, crassiorem pituitam & mucum à remotioribus partibus euacuat, nec non & bilem. In substantia periculosè exhibetur nisi tenuissimè puluerisetur; ideo eã non nisi trochiscata vti consueuimus, & dicuntur trochisci alhandal: qui dantur à gr. vi. ad ℈. i in pilulis. Sunt qui colocynthidis pomum in vino albo infundant in grauissimis & frigidis affectibus aut lue venerea, & vel leniter vel mediocriter eandem exprimant, prout plus aut minus purgare destinant. Corrigitur cum cinnamomo, garyophyllis, citri cortice, galla moscata, mastice, maci, oleo anisorum, & similibus cor, ventriculum, & iecur roborantibus.

Euphorbium, calidum & siccum in quarto, potentissimè & à distantissimis locis pituitam educit. Datur à gr. iiij. ad xii. Corrigitur mastice, cinnamomo, & decocto hordei, aliorumque refrigerantium & humectantium. Sed quia maximè suspectum est medicamentum nisi probè præparetur, præparatum verò ad luis venereæ curationem est efficax. vel legatur eius præparatio apud Manardum [a]. vel sic ex Mesue præparetur confirmante Massaria [b]. ℞. Euphorbii electi quantum volueris, liniatur oleo amygdalarum dulcium, inuoluatur in pomo citreo, & pomum mazâ circundatum coquatur in clybano donec coctus sit pauis, tuncque extrahatur Euphorbium ad vsum. atque ita præparatum datur à gr. vj. vsque ad x. cum ʒ. i. pilularum alephanginarum tutò & cum summa vtilitate in prædicto affectu.

a. lib. 16. Epist. vlt.
b Lib 6. praxeos.

Hydrargyron seu argentum viuum salinâ aut succo limonum extinctum, crassos humores pituitosos attenuat, & liquat, interanea necat; colicis cum alia non profuerint, apoplecticis & comi-

rialibus,& lue venerea laborantibus prodest. Datur triennium natis ad gr. iii. septennium iam ingressis ad vii. aut viii. gr. adultis ab ℈. i. ad ʒ. 1. ß. verùm non temerè hoc, similibusque remediis vtendum est. Exsiccat enim imbecilles & gracili corporis habitu vix huius vsum ferunt. Variè præparatur vel enim primùm ex aceto acerrimo lauatur, mox tenui corio excipitur, manibusque tandiu premitur quousque per corij meatus excidat, Augenius.[c] Vel super affuso limonum, plantaginis, aut semperviui succo, in vase fictili vitreato tandiu excoquitur donec consumpto succo in superficie crustam fecerit; qua rupta hydrargyrum quod residuum est, ad occurrentes vsus reseruatur.

c Lib vi epist. epist. 1.

De simplicibus Medicamentis.

Melancholiam vehementiùs expurgantibus.

CAPVT VIII.

LApis Armenus, calidus est & siccus in secundo. melancholiam purgat per inferna lotus; id tamē imbecilliter præstat: non lotus autem vomitum ciet. Datur à ℈. i. ad ʒ. i.

Lapis lazuli, calidus in secundo, & siccus in tertio. Priore efficacior est, melancholiam & deustos humores purgat per inferna solùm lotus, per vomitum etiam si non lotus exhibeatur. Datur à ℈ i. ad ʒ. i. vterque cardiacis immiscetur, eorumque siccitas conseruá violarum, borraginis, aut similium emendatur & in bolo & pilulis commodiùs exhibetur.

d 5. aph. 1.

Elleborus simpliciter prolatus, ex Galeno[d] album significat de quo iam antè. Niger verò hic est de quo hic agimus qui calidus & siccus in secundo. Atram bilem purgat, nec non flauam, & pituitā. Aromaticis eius deleteria qualitas corrigitur. In substantia non satis tutò datur à ℈. i. ad ʒ. i. in infusione verò aut decocto innoxiè à ʒ. i. ad ʒ. iii. eiusdem autem extractum à gr. xii. ad xxx.

Antimonium seu stybium, calidum & siccum in fine secundi, & atram bilem & succos alios expurgat. Vel crudo vtimur, vel chymicâ arte variè præparatur. Frequentiùs autem vel sublimato & in flores verso, vel fusione in vitrum mutato. Nullum satis securè in substantia exhibetur, vtilius infusum; securiusque crudum corrigitur cardiacis, & hepaticis admixtis, vt confectione Alchermes, de Hyacyntho, cortice citri, santalis & similibus. Vitrum in substantia datur cum conseruis atque aliis in bolo admixtum à gr. iii. ad viii. infusum à gr. viii. ad xx. flores in substantia à gr. vii. ad ℈. i. exhibetur, infunditur autem à ʒ. ß. ad ʒ. ii.

Mercurij puluis qui præcipitatus appellatur, calidus & siccus in fine tertij, vehementissimè & periculosissimè purgat, mitescit exactâ lotione, decies & pluries iterata; postquam ter aut quater illi affusus vini spiritus & accensus, deleteriam & rodentem vim ex parte emendauit. Sed prætereà non nisi cardiacis & stomachicis admixtis exhibendus Datur in substantia à gr. iii ad vii. cum conseruis, oui luteo, aut oleo amygdalarum dulcium. Nonnulli illum fœlici successu exhibent ad ℈ ii. imò & ʒ. i. robustis & lue venereâ infectis. Hi tamen quibus nerui imbecilles sunt, aut ventriculus acuto sensu præditus, vti & vehementer emaciati minimè eius vsum ferunt.

De simplicibus Medicamentis.

Serum vehementiùs purgantibus.

CAPVT IX.

IRidis radix, calida est & sicca in tertio, aquas, bilem, & crassam pituitam. purgat vel eius decocto vtimur, vel succo præsertim ad hydropem. In decocto præscribitur à ʒ. vi. ad ℥. i. ß succus inspissatus à ʒ. i. ad ii. succus recèns extractus apud Massariam[e] ab ℥. i. ad iii. corrigitur eius acritudo si coquatur cum emollientibus, si inspissato succo liquiritiæ succus inspissatus, aut mucago tragacanthi misceatur. Ac tandem si cum recenti succo mel rosatum, manna brigantina, aut syrupus capill. veneris, violatusque misceatur. Fœcula ex Iride vt ex brionia paratur, & ab ℈. i. ad ʒ. i. Datur validioribus.

e Lib de pur. capt 13.

Elaterium seu succus densatus cucumeris asinini, calidum & siccum in fine secundi, aut principio tertij, serosa excrementa in quibusque corporis partibus conclusa efficaciter purgat. Datur à gr. ii. ad vi. corrigitur cum aromaticis, & pilulis alephanginis vtilissimè admiscetur.

Thymælæa, quæ & vulgò creditur esse Arabum Mesereum, calida & sicca in fine tertij, serosos humores aliosque potentissimè educit. Maligna est, eiusque folia corriguntur vel torrefacta, vel aceto infusa, & deinde siccata, atque id quando eā in substantia & puluerata vti voluerimus. Semper verò illi ea admiscenda sunt quæ ventriculum corroborant, atque vrentem illius vim obtundere possunt. Datur in decocto à ʒ. ß. ad ʒ. i. in substantia ad ℈. ß. solisque robustissimis conuenit.

Semen Thymælex, quod antiquorum est granum gnidium, cortice denudatum ad vehementer purgandos rusticos assumitur, cuius Dioscorides[f] grana xx. exhibet, vel vt de lathyride docuit Ac-

f Lib. 6 c. 167

tuarius mainra danrur xv. minora xx. cortice delibrata. Leuiorem noxam inferet cremore hordei, aut iure pingui super assumpto.

Chamælæa, Tythimali, larhyris, seu caraputia minor, laureola, esula rotunda siue peplus, peplis item, & quæ à Prouincialibus *Tartenraire & Retombeth* appellantur, viribus sibi inuicem plurimū respondent, maligna sunt omnia medicamenta, & pariter atque thymælæa præparantur si interiùs exhibeantur. Danturque in decocto à ʒ. ß. ad ii In substantia verò ad ℈. ß. sed circa omnem particularem enrrectionem vriliter admisceantur, vel rusa emplastris; vel eorum succi vnguentis quæ exteriùs ventri admota purgant.

Lac esulæ aut Tyrhimalorum, aliquando robustissimis rusticis exhiberi possunt ad antiquos & curatu difficiles affectus. Corrigitur fœniculi, beronieæ aut scordij succo. aloë, bdellio, mastice, & garyophyllis, cum farina hordei & lacte. Vel si mucilaginibus tragacanthi, seminum cytoniorum, aut psyllij cum aromaticis cardiacis permisceantur. Et à guttis iii. ad x. exhibentur.

Recens illud Gummi quod à Barauis ex Indus asporratum Guth gummi appellatur, nullo infesto sapore prædirum potentissimè serum educit. Datur à gr. iiii. ad ℈. ß. solum cum iusculo. vel cremoris tartari ʒ ß. Guth gummi gr. vi. aut vii. permiscentur, vel loco cremoris lapidis prunellæ chymici ℈. ß. exhibetur, & gratum est atque efficax medicamentum. Plerumque tamen turbat: quocirca cardiacis & stomachicis decoctis vtiliter dissoluetur.

DE PVRGANTIVM

Medicamentorum compositorum viribus & dosibus.

SECTIO QVARTA.

De compositis Medicamentis, benignè pituitam purgantibus.

CAPVT I.

ELECTVARIVM catholicon, clementer pituitam, melancholiam, & bilem educit: sed flatus multos mouet, & longam potionem facit. Datur in forma boli commodiùs, aut clysteribus admisceetur. Dosis per os præscripti ab ʒ. ß. ad ʒ. i. ß. sed infunditur etiam ad ℥. ii.

Triphera persica, crassos humores in mesenterio præsertim stabulantes, & febres lentas fouentes medioeriter & sine violentia euacuat. Commodiùs sub boli forma præscribitur. Datur ab ʒ ß. ad ʒ. i.

Pilulæ de hiera cum agarico, pituitam a ventriculo detrahunt, illumque frigidiorem temperant & roborant. Dantur à ʒ. i. ad ʒ ii.

Pilulæ assaieret, à prioribus parùm differunt quia tamen eum aloë myrobolanos citreas excipiūt, minùs illis in cerebrum euaporant: ideoque capiti per consensum à ventriculo dolenti vtiles. Dosis à ʒ. i. ad ʒ. ii.

Electuarium de citro solutiuum, efficaciter sed benignè pituitam & crassos humores euacuat. Dissoluitur in potionibus, & medicinis liquidis admisceetur. Datur à ʒ. iii. ad ʒ. i.

Pilulæ aggregatiuæ, pituitam & bilem non inefficaciter purgant, inueteratis & complicatis affectibus prosunt: obstructis tamen ob myrobalanos minùs conueniunt Dantur à ʒ. ß. ad ℈ vii.

De compositis Medicamentis.

Pituitam vehementiùs purgantibus.

CAPVT II.

ELectuarium Diaphœnicum, efficaciter pituitam educit Quòd si dactyli, penidiæ, & amygdalæ melli non autem pulueribus annumerentur. Datur à ʒ. ii. ad vi. Si verò prædicta inter pulueres recenseantur quia minùs euadit, exhibetur ad ʒ. i.

Benedicta laxatiua, valenter crassam viscidamque pituitam euacuat. Datur à ʒiii. ad ʒi.

Electuarium Indum maius, pituitam efficaciter educit, bilemque etiam euacuat. Datur à ʒiii. ad ℥i.

Electuarium Indum minus, priore efficacius, sed pauciora quæ purgantia corrigant excipiens, ad colica laborantium pituitam educendam vtile. Datur à ʒii. ad ʒß.

Electuarium Diacarthami, valenter pituitam extrahit. Datur à ʒii. ad ℥i.

Electuarium Caryocostinum, pituitam efficacissimè ab habitu corporis & articulis detrahit, ideoque ad arthriticos vtile. Datur à ʒii. ad iii. atque superiora hæc liquidis dissoluta medicamentis, purgatiuis potionibus admiscentur, etsi caryocostinum satis sub ea forma ingratum plurimis videatur.

Hiera Diacolocynthidos Pachij, vehementer pituitam & crassos humores cæteros ab habitu corporis expurgat. Apoplecticis, & quibus sopita est expultrix facultas, vtilis. Datur à ʒi. ad iii. quæ in acrioribus clysteribus etiam ad ℥i. aliquando admiscetur.

Hiera Logadii, pituitam crassiorem à distantioribus partibus potenter detrahit, irritandæ sopitæ facultati apoplecticorum, paralyticorum, & similium vtilis. Datur à ʒii. ad ʒß. ea vt hieræ cæteræ, ob amarorem potionibus non immiscentur, præter quam apoplecticorum, & quorum gustus in soporosis affectibus sopitus est.

Trochisci alhandal, pituitam potentissimè educunt, sed nimium infensi ventriculo & intestinis, vix vnquam soli vsurpantur: sed mitioribus pilulis frequenter adduntur, vt illis ad efficacius purgandum calcar addant. Dosis solitariorum est à gr. vi. ad ℈i.

Pilulæ de agarico, pituitam valenter à thorace expurgant, asthmaticis vtiles. Dantur à ʒß. ad ʒi. ß.

Pilulæ Lucis maiores, crassos humores à cerebro valenter detrahunt, oculorum affectibus apprimè vtiles. Dantur à ʒß. ad ii.

Pilulæ fœtidæ maiores, crassos humores à distantioribus partibus & articulis euacuant, arthritide laborantibus vtiles. Dantur à ℈ii. ad ℈iiii.

Pilulæ de hermodactylis, à prioribus parùm dissimiles, ad consimilem vsum pari dosi conscribi possunt.

Pilulæ arthriticæ, crassos humores potentiùs prioribus attenuant & incidunt, mitiùs aliquantò ab eisdem partibus expurgant. Dantur à ʒß. ad ʒiß.

De compositis Medicamentis.

Bilem benignè purgantibus

CAPVT III.

Electuarium lenitiuum, benignè admodùm bilem & melancholiam euacuat: calidioribus affectibus vtile. Molestam tamen potionem facit, & delicatioribus in bolo aptius administratur, nec non clysteribus vtilissimè admiscetur, per os autem exhibiti dosis est ab ℥ß. ad ℥i. ß.

Electuarium diaprunum simplex, bilem blandè educit, eiusque feruorem contemperat. Meliùs in bolo quam in potione exhibetur. Datur autem ab ʒß. ad ℥i ſ.

Hiera picra Galeni, ventriculum à bile præsertim, & crassis humoribus benignè expurgat: necnon vasorum meseraicorum ductus obstructos reserat, languentem ventriculum roborat, & frigido calorem acquirit. Datur ab ℥ſ. ad ℥iſ. in bolo ob amarorem. Eius autem puluis seu species (vt loquuntur) ex Aetio. g. à ʒi. ad ʒiiii.

g Lib 9. c. 10

Pilulæ mastichinæ, bilem & pituitam clementissime à ventriculo educunt, quarum dosis est à ʒ. ſ. ad ʒii.

Pilulæ de tribus, Rhabarbato, Aloë, & Agarico, æquis portiònibus constant, quæ clementer bilem & pituitam à ventriculo & primis vijs expurgant. Dantur à ʒſ. ad ʒii. pro conuenienti purgatione ieiuno ventriculo. Aliquando ante cœnam exhibentur ad lubricandam aluum in iis quibus durior est aluus ab ʒi. ad ʒſ.

Pilulæ alephanginæ, bilem & pituitam in ventriculo stagnantem purgant vt priores, eundemque exsiccant & roborant, atque putredini resistunt. Dantur à ʒſ. ad ʒii.

Pilulæ Rufi, parum à prioribus, viribus differunt, potioresque ad alterandum quam purgandum, ad præseruationem à peste ℈ii. singulis diebus assumuntur manè.

Pilulæ de hiera simplices, bilem item et pituitam detrahunt, & ventriculi frigidam intemperiem emendant, parum efficaces ad purgandum. Dantur à ʒi. ad ii.

Electuarium diasebesten, bilem & serum expurgat moderatè, & acriores humores contemperat. Datur ab ℥ſ. ad ʒx. in bolo, ob pulpam sebesten prunorum, tamaryndorum, & diaprunum

simplex

simplex, vt & reliqua, quæ priora vel medullam cassiæ excipiunt.

Pilulæ sine quibus, bilem præsertim benignè euacuant, & viscera à purgatione roborant, ideoque ad eos quibus imbecilla sunt ilia, purgandos eligendæ sunt. Dosis à ℈i. ad ii.

Pilulæ de Eupatorio & de Rhabarbaro, bilē à prima regione moderatè euacuant, iecori obstructo vtiles ʒ ß. ad ʒii.

De compositis Medicamentis.

Bilem efficacius purgantibus.

CAPVT IV.

Electuarium diaprunum compositum, valenter bilem euacuat. Datur ab ʒß. ad ℥i.

Electuarium de Psyllio, efficaciùs priore bilem euacuat, serumque simul educit. Datur à ʒii. ad vi.

Electuarium Rosatum Mesues, potenter bilem expurgat. Datur à ʒiii. ad ℥i. viscera interim non inefficaciter à purgatione roborat.

Electuarium de succo Rosatum priore potentiùs bilem educit. Daturque à ʒii. ad vi.

Pilulæ octomeræ, bilem & pituitam efficaciter euacuant. Dantur à ʒß ad ʒiß.

Pilulæ cocciæ, bilem & pituitam egregiè purgant: ad diuturnos capitis dolores à Rhasi commendaræ Dantur à ʒß. ad ʒii.

Pilulæ aureæ, crassiorem bilem valenter expurgant, diuturnioribus tertianis nothis citra æstatem non inutiles. Dantur à ʒ ſ. ad ʒi. ſ.

De Compositis Medicamentis.

Mitioribus & vehementioribus melancholiam purgantibus.

CAPVT V.

Electuarium lenitiuum, supra.

Electuarium Catholicon, supra.

Confectio Hamech maior D. Mesues, potenter euacuat crassos humores, melancholiam & pituitam. Datur. à ʒii. ad vi.

Pilulæ Indæ, melancholiam & atram bilem à mesenterio & etiam à capite efficaciter detrahunt, hypochondriacis ideo citra æstatem salutares, post debitam viarum præparationem, cauendo habitum qui ex leui causa inflammetur. Dantur à ʒß. ad ʒii.

Pilulæ de lapide lazuli, à prioribus eo distantes quod cum melancholia cæteros etiam succos educant, minusque roboris viscerum rationem habeant. Dantur à ℈iiii. ad ʒii.

Electuarium diasenna melancholiam à toto leuiter euacuat, & spiritus à tetris fuliginibus expurgat. Datur ab ℥ ſ. ad ℥i ſ.

DE FORMVLIS MEDICAMENTORVM.

Quæ Medicis in ordinaria praxi sunt in vsu.

LIBER SECVNDVS.

MEDICAMENTA quæ variè componi consueuerunt, vel pro diuersa affectuum varietate, vel pro differentia partium affectarum, vel tandem vt quod intentum est à Medico tutiùs, efficaciùs, aut iucundiùs efficiatur, sub varijs formis præscribuntur. Formam hic appellamus modum varium sub quo medicamenta administrantur, & qui præscriptionum leges euariat. Formulæ autem aliæ sunt medicamentorum quæ per os exhibentur, vel per alias partes intra corpus iniciuntur. Aliæ verò earum quæ externi partibus admouētur, & cuti De vtrisque, duabus sectionibus agendum est, ab internis auspicantes.

DE INTERNORVM REMEDIORVM. Vsitatioribus Formulis.

SECTIO PRIMA.

INTERNORVM remediorum formulæ, etsi innumeræ penè excogitari valeant: sequentes tamen in frequentiori sunt vsu. Aquæ Stillaritiæ, apozemata, iulapia, syrupi, emulsiones, potiones purgantes, opiatæ, lohoch, condita, pastæ regiæ, pilulæ, tabellæ, trochisci, glandes, pessaria, clysteres, iniectiones, errhina, nasalia, gargarismata, & masticatoria de quibus singulis, ordine agendum.

De Aquis stillatitijs.
CAPVT I.

AQuæ stillatitiæ ex humidis floribus, herbis, aut radicibus contusis absque alieni humoris additione per balneum roris aut maris extrahuntur. Vel ex siccis analogo humore addito, & præcedente maceratione, in balneo maris, cineribus, arenaue distilandæ præscribuntur. Exempli gratia.

Aqua stillatitia ad calculum.

℞. RAdicum aspar. Eryngij, & raphani ana. ℥iiii. radicum ononidis & fraxini ana. ℥ii. foliorum maluæ, parietariæ, berularum, raphani, solani halicacabi, vrticæ mortuæ seu lamij, pilosellæ, saxifragiæ, & turionum quercus ana. m. ii. seminum fœniculi, petroselini, & milij solis ana. ℥. ſ Florum rorismarini, & genistæ ana. p. ii. Contundantur omnia in mortario marmoreo, & in cucurbita vitrea superposito alembico distilentur in balneo maris vt artis est, & aqua quæ effluxerit, seruetur ad vsum.

Aqua Antiepileptica.

℞. LIgni Guajaci recens raspati, & corticis eiusdem puluerisati ana. ℥ii sassafras in puluerem crassiorem redacti ℥i. radic. pæoniæ maris autumno & luna decrescente collectarum ℥iiii visci quercini ℥ii. foliorum betonicæ, rorismarini, melissæ scordij & rutæ ana. m. iii. lilii conuallium & dictamni cretici ana. m. i seminum pæoniæ, rutæ ana. ℥i. pulueris diamoschi dulcis drag. ii. vini albi oligophori, & aquæ stillatitiæ cerasorum nigrorum ana. ℔. ii. Crassiusculè puluerisata omnia macerentur in præscriptis liquoribus in cucurb ta vitrea superposito alembico cæco in balneo maris per diem integrum, tum superposito alembico rostrato distilentur in eodem balneo vt artis est, fluensque aqua seruetur ad vsum.

De Apozemate.
CAPVT II.

APozemata, propriè decocta dicuntur vel vnius medicamenti, vel plurium. Hinc author libri de catharticis inter spuria Galeni, apozema acori vesicam purgare ait, nunc vero & ex recentiorum vsu inualuit vt apozemata dicantur artificiosa quædam decocta ex multiplici remediorum genere parata ad humores alterandos & coquendos, interna viscera, & membra varia alteranda & roboranda; necnon etiam ad superfluos humores quasi per epicrasim aliquando expurgandos pro simplicium quæ admiserint varietate. Tali autem ratione præscribi consueuerunt vt principio radices admittant, mox herbas, tum fructus, & semina, mox flores: singulis ordinibus sui generis purgantia inserendo, si vim illis purgantem tribuere volueris. Quæ omnia in aqua communi, pluuia, fluuiali, fontana, aut puteali incoqui iubemus, aquæ quantitatem minimè decernentes, sed illam Pharmacopæi arbitrio limitandam relinquentes, quod satis sit præscribere sumus contenti. Sic autem parata decocta ad gratiam cum sacchato vel syrupo aliquo accommodato dulcoramus, mox clarificamus nisi sit purgatorium, aut si velimus purgantium vim cardiacam aut cephalicam illis augendam aromatisamus, id est, odoratum quempiam puluerem aut

confec

confectionem ad ℈.ß. aut ℈.i. pro dosi præscribimus, qui colo laneo superimponitur atque illi clarificatum apozema superinfunditur calidum. Vt odorem tenuioremque pulueris substantiam excipiat.

Apozema ad crassos frigidosque humores in cerebro coquendos.

℞. Radic. fœniculi, brusci, asparagi, & pæoniæ ana ʒ.i. acori ʒ.ß foliorum betonicæ, mel. ssæ, maioranæ, hyssopi, chamædryos, & chamæpityos ana m. i. feminum pæoniæ, fœniculi, & ameos ana ʒ.ii foliorum saluiæ, rorismarini, & veronicæ alrilis, ana p. ii. coquantur in aqua q. sat. in colaturæ ℔.ii. dissolue sacchari ℥.v. fiat apozema clarum, aromatizatum ʒ.i. pulueris aromatici rosati pro iiii. dosibus.

Notandum est doses hoc est singulos haustus mediocres & vsitatiores apozematum & iulapiorum esse ʒ.vi. aut vii. sunt tamen qui ampliores & ad ℥.ix. exoptent, vt & qui breuiores expostulet, ita inter ætates distinguere oportet pueri enim vix vltra ℥.iii. aut ℥.iiii. apozematis admittent, adulti verò plures nisi sint nauseabundi.

Apozema ad primarum viarum multiplicem infarctum paulatim deplendum in robustiore.

℞. Radic. gram. & asparagi ana ℥.ii. cortic. radic. cappar. & mediani sambuci ana ʒ.ß. turbith electi ℥.i.ß foliorum melissæ, cichorei, endiuiæ, acetosæ, agrimoniæ, pimpinellæ, polytrici, & phyllitidis ana m i. senæ orient. ℥.iii. soldanellæ ℥.ß. seminum fœniculi, petroselini, anisi ana ʒ.ii. seminis carthami ʒ i. garyophyllos numero xv. zinziberis ʒ.ß. florum trium cordialium, idest, borraginis, violarum, & rosarum ana p. i. Coquantur in aqua q sat. vt artis est ad ʒ.xx. ad finem coctionis sæpius infundendo & exprimendo rhabarbari electi contusi & in panno raro ligati cum cinnamomi ℥.i. ℥.ß. expressioni adde sacchari albissimi ℥.vi. fiat apozema clarum pro iiii. dosibus.

De Iulapiis.
CAPVT III.

IVlapia ad variè alterandum vsurpata, ex syrupis & duplo aut triplo aquarum stillatitiarum, succorum clarificatorum, vel decoctionum parantur: & manè ieiuno ventriculo aut vespere, & per plures dies exhibentur, cum, vel sine aromatizatione. Vt

Iulapium ad bilis feruorem temperandum & somnum conciliandum.

℞ Syrupi violati & de nymphæa ana ʒ.vi. syrupi de papauere ʒ.ß. aquarum endiuiæ, & lactucæ ana ℥.iii. misce fiat iulep. aromatizatum ℈.ß. pulueris diamargariton. capiat horâ quinta matutina, & reiteretur vespere hora somni.

Iulapium ad melancholiam in quartana coquendam.

℞. Radic aspar. ʒ i. cortic. radic. cappar. ℥.vi. foliorum cichorij, ceterach, lupulorum, & lauendulæ ana m. i. tamarisci, m ß seminum fœniculi & violarum ana ʒ.ii. coquantur in aqua q. sat. in colaturæ ℥.x. dissolue syrupi de succo borraginis & de pomis simplicis ana vncias ii. misce fiat iulep aromatizatum ʒ.ß confectionis alchermes pro duabus dosibus, quarum vnâ horâ quintâ matut. alteram horâ tertiâ pomerid. capiat. Sicque per quatriduum continuet diebus intermissionis febris.

De syrupis.
CAPVT IV.

SYrupi ad conseruandos herbarum, fructuumque succos aut decocta inuenti; vel simplices sunt vel compositi.

Simplices dicuntur qui ex simplici aliquo succo, vtriusque rei infusione aut decocto parantur. Compositi verò qui ex pluribus succis aut plurium decoctione cum melle sapa aut saccharo concinnantur. Saccharum ad gratiam eligimus, mel autem his addimus cùm in affectionibus capitis, thoracis, aut ventriculi detersione, & calefactione maiore est opus. Sapam aliquando loco mellis sumimus, cùm incrassatione potiore indigemus. Hæc enim minùs illis detergit, & astrictionem quandam habet. Proportio miscendorum varia est, aliquando sacchari aut mellis dimidium, liquoris autem depurati duplum assumimus: vt eius vis efficaciùs saccharo communicetur. vel succi aut decocti partes tres, sacchari duas: aliàs illius partes quinque, sacchari iiii. aut æquas vtriusque partes vsurpamus cùm integras liquoris vires desideramus seruare plerumque

facchari quantitatem non determinamus, sed pharmacopæo illam vt coctionem committentes, facchari q. fat. præscribimus. Sit ergo exemplum si aliquando minus vsitato aliquo syrupo & qui paratus non habeatur vti velimus.

Syrupus Lamii simplex ad arenulas & calculos renum expurgandos.

℞. Succi lamij depurati, vel decocti eiusdem ℔ ii. facchari ℔. i. misce, coquantur vt artis est ad consistentiam perfectæ coctionis: cuius indicium erit si guttula in marmor effusa hæreat, aut digitis accepta horum adductione, & diductione fila ducat. Compositi varij magistrales syrupi, vel alterantes, vel purgantes etiam à nobis frequenter præscribuntur, ad particularem quorumdam ægrorum vsum. Exemplum esto alterantis.

Syrupus magistralis pro asthmate.

℞ Radic. cinaræ aculeatæ seu vulgaris cardui, eryngij & helenij ana ℥ ii. foliorum hyssopi, prassij, tussilaginis, & brassicæ rubræ ana m. i. caricarum par iv seminum anisi, carui & ameos ana ʒ. ii. liquiritiæ rasæ ℥ ß. florum chamomillæ, & rorismarinj ana p i. Coquantur in aquæ ℔ iiii. vt artis est ad medietatis consumptionem. Colaturæ clarificatæ adde mellis despumati & facchari albissimi ana ℥. x. misce, fiat syrupus perfectè coctus. De quo capiat singulis diebus manè ℥ i. cum liquoris stillatitij sulphuris guttis aliquot, & decocto capillorum veneris q. fat.

Syrupus catharticus ad melancholiam hypochondriacam.

℞. Radic. gram & aspar. ana ℥. ii. cortic. radic. cappar. & tamarisci ana ℥. iii. foliorum borraginis, buglossi, fumariæ, lupulorum, ceterach, phyllitidis, calendulæ, cichorij, violariæ, sonchi, betonicæ, & melissæ ana m. i. senæ orient. ℥ vi. polyp querc. ℥. ii. turbith ℥. i. ß. epithymi ℥ i. soldanellæ & corticum radic. ellebori nigri ana ℥. ß. seminum fœniculi, anisi, & petroselini ana ℥ iii. ocymi, violariæ, & cuscutæ ana ℥. ii. poma redolentia num iiii florum borrag violarum, & betonicæ ana p. ii. Coquantur in aqua q. fat. in colat. clarificatæ ℔. ii. dissolue facchari albissimi ℔. i. ß. coquantur vt artis est, & fiat syrupus perfectè coctus aromatizatus ʒ. ii. confect. Alchermes, capiat ℥ iii. cum sero lactis semel aut bis in mense.

De Emulsionibus.
CAPVT V.

EMulsiones, variis affectibus ad refrigerandum, incrassandum, detergendum & soporem inducendum præscribi consueuerunt. Fiunt ex contusis seminibus quorum pulpa aquâ aliquâ stillatitiâ, aut decocto dilnitur, & ad consistentiam inter iulapium & syrupum mediam deducitur, addito aliquando syrupo aliquo aut facchato, aliàs etiam sine illis. Vt

Ad distillationem á capite inhibendam, somnum conciliandum, & pulmones leuissimè detergendos.

℞. Nucleorum pini recentium ℥. ß. seminum melonum & cucurbitarum mundatorum ana ℥. ß. seminum papaueris & lactucæ ana ℥. i. ß. contundantur in mortario marmoreo vt artis est, & cum decocti hordei, passularum, & lactucæ ℥. iiii. dissoluantur cum additâ syrupi violati ℥. i. misce fiat emulsio.

Ad gonorrhæam & vrinæ ardorem.

℞. Seminum frigidorum maiorum mundatorum ℥ i. seminum portulacæ & plantaginis ana ℥. ii. seminum papaueris & lactucæ ana ℥ i. contundantur vt artis est, tum cum decocto hordei liquiritiæ & violarum ℥ viii. dissoluantur: & additis facchari rosati tabulati ℥ iii, fiat emulsio pro duabus dosibus, quarum vnam manè, alteram vespere tribus horis ante pastum sumat.

De potionibus.
CAPVT VI.

POtiones purgantes, vel ex decoctis vulgaribus, vel decocto communis medicinæ, decocto florum & fructuum, decocto pectorali, & electuariis variis quæ in pharmacopoliis parata habentur in prædictis decoctis dissolutis, cum vel sine aliquo syrupo solutiuo parantur. Vel particulares infusiones, aut decocta præscribuntur, in quibus vel syrupum aliquē solutiuū, vel etiam pharmaca alia purgātia dissoluimus. Vel solitaria decocta purgātia præscribimus. In quibus omnibus præscribendis primū cogitādū est de scopo præsignato assequendo, pro morbo, naturâ, & viribus ægrotātis

assumentes medicamenta,& ea dosi quæ peccantem succum in singulis vt par est expurgent: inanemque concitationem humorum, & superpurgationem æquè vitantes. Tum gratiæ quàm maximè fieri potest consulendum,quantò minorem licebit potûs copiam exhibentes, & minùs ingrata medicamenta seligentes. In miscendis autem variis purgantibus aduertendum est,ea sic vsurpanda esse,vt coniuncta ad sufficientem purgationem sint satis,& quod a conuenienti vnius dosi deficit alterius proportionata portione compleatur. Vt

Potio ad Bilem in delicatioribus purgandam.

℞. Rhabarbari electi ʒ.ii. cinnamomi ℈.i. aut cinnamomi & pulueris diamargariton ana ℈.ß. infundantur in aqua endiuiæ q. s. expressione dissolue syrupi rosati solutiui ʒ.ii. misce fiat potio. capiat horis quinque ante prandium.

Ad pituitam mediocribus naturis euacuandam.

℞. Senæ orient. electæ ʒ.i. turbith gummosi ʒ.ß. garyophyllorum num. x. aut anisi ʒ.iii. zinzib. ℈.i. coquantur vt artis est in decocto cichorei capillorum veneris, aut prunorum acido dulcium q. sat. misce fiat potio,capiat horâ v. matutina.

Ad crassos succos pituitam scilicet & melancholiam mixtim in robustioribus purgandam.

℞. Senæ orient. electæ ʒ.i. epithymi ʒ.ß. foliorum maluæ & violarum ana m ß. garyophyl.num xii. coquantur in aqua q. sat. vt artis est. Expressioni dissolue confectionis hamech,& de citro solutiui ana ʒ.iii. syrupi rosati solutiui ʒ.ii. misce fiat potio. capiat vt suprà.

Potio ad mixtos humores vacuandos cùm non licet particularem aliquam decoctionem parare,aut non habetur parata vulgaris alia.

℞. Electuarij diacarthami ʒ.iii. confectionis hamech ʒ.ii. syrupi rosati solutiui ʒ. ii.decocti communis medicinæ,aut aquæ buglossi q.sat. misce,capiat statim.

De Bolis.

CAPVT VII.

BOli solidi sunt, molles tamen; qui per morcellos deuorantur. Hi verò tum ad purgandum, tum ad roborandum dantur. Ad purgandum vel ex sola medulla cassiæ cum aniso, aut alio ad flatus quos illa excitat dissipãdos apto,aut aliis pulueribus additis:vel ex quibusvis electuariis mollibus parantur. Bolis autem ad purgandum tum vtimur cùm vel medicamenta quæ ad debitam purgationem assumi debent,in potu ingrata nimium sunt; seu quòd crassiorem & longiorem potum faciant, vt cassia,& tamarindi ; seu quòd nimiùm amara sint vt hieræ : vel quòd nauseabundi sunt ægri,& faciliùs liquida pharmaca vomunt. Exempla sunto.

Bolus lenitiuus.

℞. Cassiæ recèns extractæ & pulpæ tamarindorum ana ʒ.vi. seminis anisi puluerati ʒ.i. misce fiat bolus. capiat cum saccharo,vel cum pane azymo,aut syrupo violato , aut capillorum veneris , duabus horis ante pastum.

Bolus purgatiuus.

℞. Lenitiui ʒ. ß. diaphœniel ʒ. iii. rhabarbari puluerati ʒ. i. misce fiat bolus. capiat cum pane azimo horis quinque ante pastum. Ad corroborandum verò conseruas,oplatas,confectiones, antidota aut similia vsurpamus,quæ ad mollem consistentiam deducta deuoranda damus.

Bolus cor & ventriculum à purgatione roborans.

℞. Conseruæ rosarum rubearum ʒ ß. pulpæ myrobalanorum saccharo conditarum ʒ.ii. confectionis Alchermes ℈ i. misce,fiat bolus. capiat horis tribus ante prandium. Vel

℞. Mithridatij ʒ.ß. confectionis de hyacintho ℈.i. carnis cytoniorum saccharo conditorum ʒ. ii. misce,fiat bolus. capiat vt suprà.

De pulueribus.

CAPVT VIII.

PVlueres tum ad roborandum,alterandumque,tum ad purgandum vsurpantur. Neque interiùs solum sed etiam exteriùs illis vtimur, ad vlcera,ad capitis aspersiones, & smegmata, neque magna est industria in parandis pulueribus : sicca enim medicamenta in puluerem redigi iubentur,

in compositione autem puluerum per indicationes de quibus aliás abundè sumuslocuti, vt in cæteris omnibus procedendum est.

Puluis roborando ventriculo dicatus quem digestiuum vocare solent.

℞. Coriandrorum præparatorum, seminis anisi, & fœniculi dulcis ana ℥.ß. tunicæ interioris ventriculi gallinarum exsiccatæ, & corticis citri ana ʒ i.ß. margaritarum præparatarum ʒ.i. cinnamomi ʒ.ß. panis albi in furno exsiccati ℥.ii. sacchari ad pondus omnium. Misce, fiat puluis. De quo capiat cochlear vnum per quadrantem ante pastum, vel statim à pastu.

Puluis catharticus non ingratus.

℞. Turbith electi, & hermodactylorum ana ʒ.ii. cremoris tartari ʒ. i. dacrydij ʒ.ß. garyophyllorum, & zinziberis ana ʒ.i. moschi gr.iii. sacchari ʒ.ß. misce, fiat puluis. Cuius dosis est à ʒ.ii. ad ℈.iiii.

De Opiatis.

CAPVT IX.

OPiatæ, etsi apud antiquiores ea dicantur medicamenta quæ in electuarij mollioris modum concinnata opium admittunt: iam cœpit ea denominatio diffundi ad ea omnia medicamenta composita quæ opiatarum consistentiam retinent, & vel sunt electuaria mollia, vel præscriptæ vulgò opiatæ. Electuaria mollia vt plurimùm conficiuntur ex pulueribus, melle, aut syrupo. In quibus miscendis obseruanda est ea proportio vt despumatum mel, aut syrupus triplo excedant pulueres. Vt pro ʒ.iii. puluerum, mellis ʒ. ix. præscribantur. Vulgariores opiatæ paulò solidiores electuariis mollibus fiunt, ex pulueribus, conseruis, conditis, fructibus, atque similibus; syrupo aliquo, melle despumato, aut etiam sæpè exceptis: mellis, syrupi, aut sæpe duplum ad pulueres admiscentes. Vel si mollia alia medicamenta vt conseruæ præscribantur quæ vt ad debitam consistentiam deducantur, tam copioso syrupo non indigent, tuneque huius quantitatem non limitamus: sed q. sat. assumi iubemus. Sub hac autem medicamentorum formula, & alterantia, & purgantia paramus, pro exemplo.

Opiata ad lienis & virginum obstructiones tollendas.

℞. Limaturæ calybis præparatæ ʒ.iii. conseruæ borraginis & capillorum veneris ana ℥ i. corticis citri saccharo conditi, & carnis myrobalanorum saccharo conditarum ana ʒ.ß. syrupi conseruationis radicum buglossi, aut corticis citri q. sat misce, fiat opiata. De qua cum pane azymo, aut syrupo capillorum veneris capiat quantitatem paruæ castaneæ singulis aut alternis diebus, pro ægrotantis viribus, manè horis quatuor ante pastum: per aestiuia deinde per horam deambulando.

Opiata cerebrum cor & ventriculum roborans in suspicione syncopes.

℞. Conseruæ rosarum rubearum, betonicæ, & saluiæ ana ℥ i. pulueris aromatici rosati, & lætitiæ ana ʒ.i.ß. corallorum præparatorum & crystalli præparati ana ℈.iiii. confectionis alkermes ʒ.i. pulueris lapidis bezoartici ʒ.ß. syrupi de pomis simplicis q. sat. misce, fiat opiata. De qua capiat ʒ.iii. singulis diebus manè tantillum vini generosi superbibendo.

Opiata purgans crassos viscidosque præsertim succos.

℞. Sennæ orientalis electæ ʒ.ß. turbith gummosi & rhabarbari electi ana ʒ.ii. gummi sagapeni & opoponacis ana ʒ.i.ß. mastices ʒ.i. pulueris garyophyllorum, cinnamomi & zinziberis ana ℈.i. syrupi rosati solutiui.q.sat pulueratis puluerandis, misce, fiat opiata. Cuius dosis erit à ʒ.iii. ad vi.

De Eclegmate seu Linctu vulgò Lohoch.

CAPVT X.

LOhoch, Linctus, & Eclegmata, ad solos pectoris morbos vsurpantur, mediæque sunt consistentiæ inter syrupos & opiatas vt lambendo & lingendo sensim deglutiantur, quo eorum potior pars in laryngem, arteriamve decurrat. Horum materia est passularum, iuiubarum, caricarum caro, aut cremor: radicum herbarum & seminum pectoralium puluis, item liquiritiæ succus densatus, gummi, electuariorum pulueres vsuales, resinæ, linctus in pharmacopoliis parati, saccharum vulgare candum & penidiatum, quæ certo pondere designantur. Ad priora autem excipienda, & tribuẽdam eclegmati decentem formam, in vsu sunt, butyrum, oleum amygdalarum dulcium, & syrupi bechici quæ indeterminatè q. sat. præscribuntur, vt.

Lohoch ad pituitam in pulmonibus leuiter incrassandam & detergendam.

℞. Medullæ passularum, & dactylorum pinguium ana ℥. ß pulueris electuarij diayreos drag. ii. facchari candi ʒ.ß. syrupi de hyssopo q. sat. misce, fiat lohoch, de quo frequenter cum bacillo liquiritiæ capiat lambendo. Vel ad sedandam tussim, & fluentem materiam tenuem incrassandam,

℞. Diacodij ℥.ß. pulueris diatragacanthi frigidi drag ii. facchari penidiati ℥. ß. syrupi violati q. sat. misce, fiat lohoch, de quo lambendo sæpe vtatur.

De conditis.
CAPVT XI.

Condita inter oplatas & pulueres quasi intermedia, ad alterandа & roboranda viscera delicatioribus præparantur. Hæc autem ex conseruis, radicibus, & fructibus facchаro conditis, cardiacis confectionibus, antidotis, pulueribus cordialibus, cephalicis, & stomachicis, foliis auri, & facchаro crassiuscule puluerisatis paramus. Pro ℥. i. conseruæ & fructuum conditorum, drag. i. pulueris, & facchari ℥.ß. aut drag. vi. admiscentes. vt

Ad ventriculum roborandum & languentem facultatem vitalem excitandã.

℞. Conseruæ rosarum rubearum & betonicæ ana ʒ. i. corticum citri facchаro conditorum ℥. i. carnis myrobalanorum facchаro conditarum ʒ. ß. confectionis de hyacintho & alkermes ana drag. i. folia auri num. iiii. facchari crassè puluerisati ʒ. ii. aut q. s. fiat conditum auro coopertum.

De Pasta Regia.
CAPVT XII.

Pasta Regia à recentioribus appellata, quasi excellens confectio quædam; solida quædam est formula quâ præsertim ad pectoris morbos & tabem vtimur. Constat autem ex decorticatis amygdalis, pistaciis, nucleis pineis recentibus, pulpa seminum frigidorum maiorum, seminis papaueris, gummi tragachanthi, arabico amylo, dactylorum carne, caponum, perdicum, aut similium contuso, & facchаro q. s. vt ad decentem consistentiam reducantur. Vt

Ad renutriendos tabidos.

℞, Amygdalarum dulcium excorticatarum, nucleorum pini recentium, & pistaciorum ana ℥. ii. carnis perdicum assæ ʒ. iii. facchari mucagine tragacanthi excepti q. s. Contusis contundendis misce, fiant morcelli auri foliis cooperti in hypocausto seu stupha exsiccandi. Quibus dragematum aut similium ciborum vice vtatur.

De Pilulis.
CAPVT XIII.

Pilulæ, sunt solidæ non omninò tamen duræ remediorum formulæ, quibus ad purgandum frequentiùs aliquando etiam alterandum vtimur, prout medicaminum ex quibus componuntur alia est facultas. Materia multiplex est quæ per se, vel liquoris alicuius mixtione in solidomollem consistentiam deduci potest, non terminantes liquoris præscripti quantitatem sed pharmacopæi industriæ rem committentes q. s. assumi iubemus. His vtimur cùm ægri liquida pharmaca, aut solida nimiæ molis respuunt, aut cùm ventriculus nimio humore fluctuat, & nauseabundus est. Item cùm vehementioribus medicamentis & gustui ingratis cogimur vti. Deuorantur enim integræ pilulæ, nec dentibus teruntur, ideòque in his componendis ea seligamus oportet quæ parua sub mole efficaciter operantur. Contrà ea fugiamus quæ magna quanritate imbecilliter agunt. Ad vnam autem pilularum dosim vel ℈. i. aliquando aut multò minori quantitate vt in narcoticis sumus contenti. Vel ℈. iiii. attingimus, vix ʒ. i. ß. transcendentes, seu pilulas ad nostram mentem præscribamus, seu in pharmacopoliis, vulgò paratas vsurpemus.

Pilulæ eccoproticæ & ventriculum humidiorem exsiccantes.

℞. Aloes socotrinæ ℥. ß. rhabarbari electi ʒ. ii. masticis & myrrhæ ana ʒ. i. syrupi rosarum solutiui q. s. misce, fiat pilularum massa, de qua ad lubricandam aluum capiat semihorâ ante cœnam pilulas tres ex semidrachma aut ℈. ii. concinnatas. Ad liberaliùs autem exsiccandum & roborandum ventriculum tantumdem capiat manè horis quinque aut sex ante pastum.

Pilulæ quoscumque humores valenter euacuantes.

℞. Massæ pilularum aggregatiuarum & cocciarum ana ʒ. ii. trochiscorum alhandal & dacrydij (ad vim purgatricem pilularum augendam, & nimiam molem vitandam)

ana gr. iii. olei anisorum chymicè extracti ad tormina præcauenda guttas iii. misce, formentur pilulæ vii. viii. aut ix. quæ deaurari aliquando iubentur, vt earum amaror dum deuorantur, minùs sentiatur, & melle rosato,aut syrupo aliquo intinctæ, vel pane azymo, prunorum coctorum carne, inuerso vuarum cortice,aut cæparum mediano cortice inuolutæ longè à pastu deuorantur, vt horâ secundâ aut tertiâ post mediam noctem; hisque superdormire expedit vt faciliùs in actum reducantur. Ab incœpta autem vacuatione à somno abstinere eòvsque oportet donec vacuatio completa, aut sufficiens iudicetur.

De tabellis.

CAPVT XIV.

TAbellæ seu electuaria solida & rotulæ, fiunt ex pulueribus & saccharo in conuenienti liquore soluto & ad duritiem iterum excocto,pro ʒ. i. autem puluerum,saccari ʒ. i. assumitur,hac formâ & purgantia & alterantia præscribuntur remedia. vt

Tabellæ ventriculum & iecur roborantes.

℞. Pulueris diarrhodon & triasantali ana ʒ. i. sacchari in decoctoe corticis citri soluti & vt artis est cocti ℥. ii. misce,fiant rotulæ.

Animaduertendum autem est saccharum succis acidis vt limonum, granatorum & similibus non esse dissoluendum,non enim concrescere iterum, & multò minùs si oleum seu acidus liquor sulphuris aut vitrioli saccharo admisceantur:purgantes autem tabellæ variæ in pharmacopoliis habentur,quibus consimiles plurimæ præscribi possunt.

Tabellæ ad obstructiones virginum tollendas.

℞. Limaturæ chalybis citra aliam præparationem tenuissimè pulueratæ ʒ. i. cinnamomi ℈. i. sacchari in aqua cichorij liquati & vt artis est cocti ʒ. iii. misce,fiant tabellæ ponderis ʒ. i. capiat duas manè horis quatuor ante prandium:& vel domi scalas sæpius ascendat,vel in aëre libero per horam deambulet.

De Trochiscis.

CAPVT XV.

TRochisci sunt parui orbiculi compressi, solidi & duri, qui conficiuntur vel ex succo inspissato, aut extracto quopiam, vel ex pulueribus liquore aliquo exceptis, vt eorum vis expirare prohibita, in longius tempus integra conseruetur. His autem tum ad remedia interna vtimur, tum ad externa eadem vsurpamus. Attamen ea nunquam intus assumenda sub ea forma exhibemus : sed illa in puluerem redacta, aut aliquo liquore soluta propinamus, aut opiatis, conditis, bolis & similibus immiscemus.

Trochisci ad ventriculum imbecillem roborandum.

℞. Succini, corallorum alborum præparatorum ana. ʒii. foliorum menthæ siccorum ʒi ß. interioris tunicæ ventriculi gallinarum ʒi. nucis moscatæ & canellæ ana. ℈. ß. puluerisata excipiantur succo capreolorum vitis, & fiant trochisci.

Ad menses prouocandos, partum accelerandum & secundinas pellendas.

℞. Borracis ʒiii. dictamni cretici, seminum lauendulæ, succini ana. ʒii. seminum acetosæ & endiuiæ ana. ʒi. croci ℈i. cum succo arthemisiæ depurato q. s. formentur trochisci.

De Glandibus.

CAPVT XVI.

GLandes seu suppositoria, ad aluum irritandam ano induntur, minimi digiti aut paulò maiore vel minore mole. Abstinere autem ab his oportet si hæmorrhoides vel alius quispiam affectus ani qui hisce irritetur, ægrum infestarit. Materia autem pro infantibus quidem sunt candela cerea vel parietariæ, au betæ caudices oleo intincti, & sale aspersi, vel mel ad debitam consistentiam coctum. Pro adultis verò mellisal gemmeum aliquando, aloem, agaricum trochiscatum : trochiscos alhandal, fellisue genus aliquod immiscemus, aut sapone etiam vtimur. vt

℞. Salis gemmei ℈i. trochiscorum alhandal gr. vi. mellis vt artis est cocti q. s. misce, fiat glans supponatur duabus horis aut vna hora ante pastum, vel statim prout res feret.

Aliàs ad ani affectus varios sub consimili formula ea medicamenta disponimus, quæ ad consimiles morbos in aliis partibus sanandos vtilia censentur.

De

De Peſſariis & Naſcalibus.

CAPVT XVII.

PEſſaria ſunt formulæ ſolidæ digiti aut virilis membri magnitudine quæ in muliebrem vuluam immitti conſueuerunt ad medendum vteri & canalis muliebris affectibus. Materia autem tam eſt varia quàm ſunt differentes affectus. At tribus vt plurimum modis præſcribi conſueuerunt. Vel enim goſſipium, lana, aut ſpongia in prædictam formam glomerata imbuitur oleis, & vnguentis, aut mucilaginibus, lentiſque ſuccis illinitur, vel ex panno raro lineo, aut ſericeo ſacculus ſub prædicta forma concinnatur, qui impletur puluere aliquo, emplaſtri maſſa, aut mixtura accommodata, & in vuluam inditur. Vel tertiò formulæ ſolidæ aliquando concinnantur ex apropriatis pulueribus & gummi tragacanthi mucagine, quæ vbi exſiccatæ fuerint, eandem in partem immittuntur, aut ex ſolis radicibus rubiæ maioris, althææ, & aliis mollibus, aut coctione quantum par eſt emollitis parantur. Sed in quibuſque obſeruandum eſt vt pendulum apponatur duplicatum aut triplicatum filum lineum, ſericeumuè, per quod peſſarium quando libuerit ex prædicta ſede extrahere liceat. Quod prætetea oportet in peſſariis poſtremi præſertim modi in longum tranſmitti Sit ergo pro exemplo.

Peſſus ad continendum vterum, & vteri ceruicem coarctandam.

℞. Emplaſtri contra rupturam, vnguenti comitiſſæ, & olei lentiſcini ana. ℥ß. miſce, fiat linimentum quo imbuatur & illiniatur ſpongiæ fruſtrum filo circumligatum, & in peſſi craſſiorem formam deductum, quod in vteri ceruicem tranſmiſſo in longum filo immittatur.

Peſſus ad ciendos menſes.

℞. Radicis rubiæ, & foliorum polii montani ana. ℥ß. ſaluiæ, ʒii. myrrhæ, & galbani ana. ʒi. croci ℈ß. miſce, fiat puluis quo ſaceulus rarus pollicis craſſitie impleatur, & in vuluam mittatur, pendulo extra promiuente filo.

Peſſus ad humidiorem vterum exſiccandum, & purgandum pro faciliori conceptu.

℞. Ladani & benzoini ana. ʒII. agarici ʒi. thuris, myrrhæ, & ſabinæ ana. ʒß. pulueriſatis pulueriſandis miſce, & cum mucagine gummi tragacanthi cum aqua florum arantiorum extracta q. ſat formetur peſſarium per medium filo craſſiore transfixum.

Naſcalia formulæ ſunt quæ pro peſſariis ori vuluæ virginibus admouentur. Ea verò ex conſimili materia qua conſtant, quæ goſſipio, lanâ, aut alio excipiuntur, & in puluilli aut plumaceoli (vt loquuntur) modum ori vuluæ admouentur, ne pudendi os nimium diducatur, & virginitatis imaginarius character perdatur

De Clyſteribus.

CAPVT XVIII.

CLyſteres ſeu Clyſmata, & Enemata, ſunt medicamenta quæ per ſyringam ſeu clyſterium per anum in inteſtina effunduntur. Turnebus enim [a] id quod iniicitur dici ait clyſterem, clyſterium verò inſtrumentum quo iniicitur. Clyſteres ergo liquidâ ſunt forma, & ex decoctis, aquis, ſuccis, oleis, aut liquatis pinguedinibus, vnguentis, aut emplaſtris parantur. In quibus ea diſſoluuntur quæ ſcopo ſatisfacientia fluiditatem non impediunt. Quibus etſi ad inteſtinorum maximeque craſſiorum, partiumque circunſtantium affectus præcipuè vtimur. Præterea tamen ad aliarum partium & totius morbos vtiles ſunt, ideoque non vnius ſed multiplicis rationis exiſtunt. Alii enim alterantes ſunt, alii euacuantes. Alterantes tum ad refrigerandum in febribus, & ventris inflammationibus internis, ad calefaciendum, attenuandum, & diſcutiendum in colico dolore à flatibus. Ad exſiccandum & aſtringendum in lienteriis: Ad humectandum in ſicciore aluo; Ad leniendum præterea, ſtupefaciendum, detergendum, cicatricem inducendam, ora vaſorum occludenda, atque alia pro variis inteſtinorum, veſicæ, vteri, renumque affectibus vacuantes, vel lenientes ſunt, aluina excrementa expurgantes: vel acriores, vehementer etiam à toto corpore purgantes. Ad quæ omnia quàm multiplex & varia ſit materia ex libris de febribus, & morbis partium diſcere conueniet. Quantitas clyſterium pro ætatibus, & corporum mole, & pro affectuum natura euariat. Minimum enim pueris, plus adoleſcentibus. adultis plurimum exhibemus In quibus non ſolemus decocti ℔i ß. nec admixtorum ℥vi. aut viii. pro affectibus autem ſi alterare tantum velimus, minore quantitate eſt opus, paulo maiore ſi vacuare. Sed ventriculo, veſica

[a] Lib. 3 aduerſar. c. 3.

vtero, aut renibus affectis, minor etiam solito præscribenda quantitas, ne illæ partes maiori copiâ comprimantur. Tepida tandem iniici debent, & ea arte immitti vt flatus simul cum clystere non impeiiantur. Aduertendum tamen quosdam à clysteribus ita abhorrere vt referente Trincavellio [i] vnus ex nobili Sannitorum familia inter Venetos iniecto clystere interierit cum alii eiusdem familiæ sole rent admisso clystere exolui. Quorum idiosyncrasiæ minimè obsistendum est, sed clysteris vice aliud excogitandum est remedium. Clysteris autem exemplum esto.

i Comment in cap. 4. lib. 1. ad Glau.

Clyster leniens & detergens leuiter in incipiente dysenteria.

℞. Decocti hordei & maluarum, aut lactis caprini ℔ i. in quo dissolue vitellos ouorum num. 2°. sacchari albi ℥iii. misce, fiat clyster.

Clyster leniens & emolliens in tardiore aluo ob siccitatem excrementorum.

℞. Radic. altheæ, & liliorum ana. ℥ii. foliorum maluæ, parietariæ, & betæ ana m. i. feminũ lini ℥ß. fœniculi, & anisi ana. ℨii. florum chamæmiliæ & rosarum ana p. i. Coquantur in aqua q. s. In colaturæ ℔. i. dissolue cassiæ cum saccharo, & lenitiui ana ℥i. mellis rosati ℥iii. olei rosati & liliorum ana. ℥i. misce, fiat clyster, iniiciatur hora &c.

Clyster acrior, & validè apoplecticos eousque quorum animalis facultas sopita est, excitans.

℞. Foliorum maluæ, mercurialis, betæ ana m. i. foliorum sennæ orientalis ℥i. seminum fœniculi, petroselini & ameos ana ℨii. florum chamomiliæ & meliloti ana. p. i. coquantur in aqua q.sat. in colaturæ ℔. i. dissolue diaphœnici & hieræ Pachi ana. ℥i. mellis mercurialis ℥iii. misce, fiat clyster, iniiciatur horâ &c. Oleum hic non addimus, quod oleum suâ vnctuositate vim purgantium obtundat. Neque vt solent vulgares pragmatici oleum tam frequenter est admittendum: sed rum solum eum emollire aut lenire cogitamus, vel aliàs olea quæ principi intentioni inter alterandum satisfaciant assumenda.

De iniectionibus.

CAPVT XIX.

INiectiones, etsi in re idem significent cum enematibus, ea vox tamen speciatim tribuitur his liquidis remediis quæ per syringam inquemcumque ventrem vulneratum, sinuosa vlcera, aut latentes & internas partes affectas, ad quas aliquando aditus per se aut ex morbo patet, immittuntur. Instrumentum autem ad id deseruiens pro variis morbis quibus inseruit diuersa nomina nanciscitur, hinc ῥινεγχύτης, ὠτεγχύτης, & μητρεγχύτης, id est, narium, aurium, & vteri clysterium nominatur: item & καθετήρ. [k] sypho quo in vesicam Medicamenta iniiciuntur, à Galeno vocatur. Demumque πυουλκὸν consimile instrumentum appellauit Paulus, [l] quod idem puri trahendo inseruiat, quo in empyo thorace frequenter vtimur ad medicamenta inijcienda, tum ad eadem cum pure extrahenda. Iniectionum materia pro variis partibus variisque earumdem partium affectibus varia est. Solent tamen omnes ex liquoribus, aut aqueis succis, vt stillatitiis aquis, aut decoctis, vel ex oleosis solis, aut alio quopiam remedio admixto parari. Cauendum tamen est ne eâ quantitate sicca liquidis admisceantur, vt ad fluendum per syphonis canalem inepta reddantur. Item animaduertendum est nihil ingrati saporis in thoracem immittendum quoniam ex pulmonum suctu id in fauces cum ægrotantium magno horrore redundat. Ac tandem nihil viscidum aut fœculentum in vesicam immittendum esse, ne vel canalem obstruat, vel in vesicæ fundo residens concrescat. vt

k ix de comp medic. secund. locos cap. 8.
l Lib 4 c. 59.

Iniectio ad detergendum pus quod in empyicorum thorace stagnat.

℞. Hordei integri p. ii. foliorum agrimonii, & hyssopi ana m. i. caricas num. v. liquiritiæ rasæ drag. ii. coquantur in aqua q.sat. in colaturæ ℔. i. dissolue mellis rosati ℥. iii. misce, fiat iniectio.

Iniectio ad sedandum dolorem in canali virgæ ab vrinæ ardore excitatum.

℞. Foliorum plantaginis & solani hortensis ana m. ß. florum rosarum rubearum p. i. coquantur in aqua q.sat in colaturæ ℔. ß. adde albumen oui num. vnum, simul eo vsque agitentur donec albumen in spumam abierit Tum solâ vtere colaturâ, vel eidem adde camphoræ puluerata gr. vi. misce, fiat iniectio.

De Errhinis.

CAPVT XX.

ERrhina, liquida sunt medicamenta, quæ vel ex solis succis, decoctis, aut similibus, vel ex eisdem admixtisque pulueribus aliquibus parata, inspirando in nares ad varios fines attrahuntur. Horum materiam docuimus. Talis est forma.

Errhinum ad temperandum ardorem acrem in summo narium excitatum.

℞. Lactis caprini, aut alterius recens emulcti q. sat. naribus inspirando frequenter attrahatur. vel

℞. Foliorum portulacæ, & semperuiui minoris ana m. ſ. florum nymphææ, & violarum ana p. ii. hordei contusi p. i. coquantur in aqua q. sat. collatura vtatur vt dictum est antè.

Errhinum ad cerebrum efficaciter à crassis & viscidis humoribus purgãdum.

℞. Succorum depuratorum maioranæ & betæ ana ℥. ii. vini albi ℥. ß. agarici ʒ i. dacrydii ℈ i. euphorbii ℈. ß. pulueraris puluerandis, misce, fiat errhinum, de quo non agitatã subsidentiã manè attrahat per nares ℥. ß.

De Nasalibus.

CAPVT XXI.

NAsalia solida sunt pharmaca in nares in tentæ aut penicilli modum immissa Quæ vel alterant partes quas attingunt, veluti in vlceribus narium, & hæmorrhagia. Vel ad cerebrum purgandum præscribuntur. Atque vtraque sub duplici forma vsurpantur; vel enim pulueres gummi aliquo, vel cera paucã, excipiuntur; vel serico aut lineo panno includuntur in noduli modum. Sicque præscribuntur.

Nasale in diuturnis frigidis affectibus ad cerebrum purgandum.

℞. Pulueris maioranæ, piperis, & galangæ ana ℈. i. dacrydii, euphorbii, & ellebori albi ana ℈. ß. terebinthinæ, & ceræ liquatæ ana q. sat. misce fiant nasalia, quæ filo nexa in nares indantur, vel.

℞. Pulueris nigellæ garyophyllorum, & pyrethri ana ℈. i. euphorbij & elaterij ana ℈. ß. misce, panno raro sericeo includantur, & fiat nodulus in nares immittendus. Vel solus puluis in nares cum pennæ calamo insuffletur, si apoplecticus sit excitandus.

De Gargarismis.

CAPVT XXII.

GArgarismata, sunt remedia liquida quibus ore exceptis ad variè alterandas fauces illisque vicinas partes, vel purgandum cerebrum, spiritûs reciprocato illisu vtimur. Horum materia tradita est, vsusque explicatus. Sic autem præscribuntur.

Gargarisma ad reprimendam fluxionem in fauces, vuulam, & laryngem labentem.

℞. Hordei integri, & lentium ana ʒ ß. foliorum plantaginis, summitatum rubi, & turionum querceus ana m ß. sumach & berberis ana ℥. ii. coquantur in aqua q. sat. in colaturæ ℔. ß. dissolue oximelitis simplicis, aut etiam scillitici ad maiorem efficaciam ℥. ii. misce, fiat gargarisma.

De Masticatoriis.

CAPVT XXIII.

MAsticatoria, formulæ sunt remediorum quæ vel ad dolorem dentium, vel ad pituitam è capite educendam dentibus teruntur. Horum materia tradita. Præscribuntur autem vel in nodulo, vel in massa ex pulueribus, cera alba, aut mucilagine alicuius gummi exceptis masticanda. Sit exemplum vtriusque rationis.

Masticatorium ad dentium vehementiorem dolorem sedandum.

℞. Seminis nigellæ, & papaueris aceto macerati & contusi ana ʒ i. salis ammoniaci puluerati ℈ i. gummi hederæ, aut mastices ℥. iii. mellis rosati q. sat. misce, fiant trochisci aut pilulæ dentibus terendæ, & diutius masticandæ.

Masticatorium ad purgandam à capite pituitam.

℞. Pyrethri & piperis ana ℈. ß. granorum paradisi ℈. i. mastices ℥. i. puluerata misce, & in panno lineo includantur, fiatque nodus per semihoram manè prono capite masticandus. Vel.

℞. Garyophyllorum & zingiberis ana ℈. i. seminis staphisagriæ ʒ. ß. ceræ albæ q. sat. fiat massa pro masticatorio, vt suprà.

De generalibus quorumdam Medicamentorum nomenclaturis in remediorum internorum quotidiano, vsu vsitatis.

CAPVT VLTIMVM.

QVoniam in præscribendis internorum remediorum formulis quibusdam vtimur, aliquando communibus decoctis, aut generalioribus florum, seminum, vel radicum nomenclaturis. Talia sigillatim quæ, & qualia sint explicare conuenit.

Decoctio communis medicinæ, à medico præscripta, sic à pharmacopæo paratur.

℞. Hordei mundati p. i. prunorum dulcium num. vi. passularum, glycyrrhisæ rasæ ana ℥. ß. seminum anisi & fœniculi ana ℥ ii. hyeme; æstate verò seminum quatuor frigidorum maiorum ana ʒ.ii. florum trium cordialium ana p. i. fiat decoctio in aquæ ℔.ii. ad medietatis consumptionem.

Decoctio pectoralis.

℞. Hordei integri p. i. caricarum & iuiubarum ana par. vi. dactylos num. vi. passularum enucleatarum, glycyrrhizæ ana ℥.ß. foliorum hyssopi mediocriter siccorum m. s. buliant in aquæ ℔. ii. ad medietatis consumptionem.

Decoctio communis enematis.

℞. Foliorum maluæ parietariæ, violarum, mercurialis, & betæ, aut aliquot horum ana m. i. seminis fœniculi hyeme ℥.ß. æstate seminum quatuor frigidorum maiorum ℥.i vel ad flatuum noxam emendandam etiam æstate anisi aut fœniculi ℥.ii. addi possunt. Coquantur in aqua q. sat. vt artis est ad vsum.

Herbæ quinque capillares: Polytrichum. Capillus veneris. Adiantum vulgare. Asplenium. Saluia vita.

Flores tres cordiales: Rosarum. Violarum. Borraginis aut buglossi.

4. Semina frigida maiora: Melonum. Cucurbitæ, longæ scilicet. Cucumeris. Citruli, seu anguriæ, aut cucurbitæ rotundæ in vicē anguriæ.

4. Semina frigida minora: Lactucæ. Endiuiæ. Acetosæ. Portulacæ.

4. Semina calida maiora: Anisi. Fœniculi. Cymini. Carui.

4. Semina calida minora: Ameos. Amomi. Apij. Dauci.

Radices quinque aperitiuæ: Graminis. Asparagi. Brusci. Fœniculi. Petroselini.

4. Aquæ cordiales: Endiuiæ. Cichorei. Buglossi, vel Borraginis. Scabiosæ.

4. Vnguenta calida: Altheæ. Aregonis. Agrippæ. Martiatum.

4 Vnguenta frigida: Album. Rosaceum. Citrinum. Populeum.

5. Fragmenta pretiosa: Saphyri. Granati. Smaragdi. Hyacinthi. Sardinis.

DE EXTERNORVM REMEDIORVM FORMVLIS.

SECTIO SECVNDA.

EXTERNORVM remediorum quibus in ordinaria praxi vti consueuimus formulæ, etsi miram varietatem nanciscantur, nec definiri certò queant; tamen quæ vsitatiores sunt & quæ frequentiùs in occurrentium ægrorum auxilium præscribuntur, sunt olea, linimenta, vnguenta, cerata, emplastra, sparadrappa, cataplasmata, sacculi, cucuphæ frontalia, collyria, trochisci, poma odorata, fotus, epithemata, balnea, semicupia, vaporaria, stuphæ, sinapismata, dropaces, vesicantia, & caustica: de quibus sigillatim agamus necessum est.

De oleis.

CAPVT I.

OLea vel simplicia sunt vel composita. Simplicium quædam sponte è terra effluunt, vt petroleum; quædam per expressionem fiunt expressis his quæ oleagineum succum continent: sic ex maturis oliuis oleum simpliciter dictum exprimitur; ex immaturis verò omphacinum. At quod ex aliis fructibus aut seminibus exprimitur, cum addito nominatur, vt oleum amygdalarum, nucum, & similium. Quædam per resolutionem elixando extrahuntur, vt oleum de baccis lauri; alia etiam elixata exprimendo vt oleum è baccis lentisci alia assatione, & expressione intarueniente, vt oleum ouorum, & frumenti, alia demùm arte chymicâ eliciuntur: vel per ascensum, ex cera, gummi, resinis, aliisque rebus pinguibus: necnon ex odoratis herbis antè quodammodo putrefactis, atque ex seminibus variis & aromatibus, aqueo quopiam liquore admixto sublimando extrahuntur. Per descensum alia, vel ignis vi ex resinosis & pinguibus lignis, vel per congelationem in loco vdo, & tartaro calcinato, myrrhâ plumbi amagalmate cum hydrargyro & similibus. Quæ postrema liquores potiùs aquei sunt, quàm olea, vti oleum sulphuris quod ex concrescente accensi sulphuris vapore, à vase vitreo in latioris campanæ modum effigiato excepto, fit.

Compositorum quædam fiunt per infusionem seu macerationem in oleo. Macerantur autem quæcumque libuerit quæ tenuioris substantiæ facilè suam vim oleo communicant vt flores quicumque, & herbæ substantiæ tenuioris. Huius rationis sunt oleum violatum, rosatum, chamæmelinum, anethinum, de hyperico, & similia. Quia verò quæ in oleo macerantur aqueum aliquem liquorem ex se effundunt: sic parata olea antequam reseruanda post maceratorum expressionem seponuntur, vel soli exponuntur, vel balneo maris committuntur aut lento igni puto imponuntur vt aqueus ille humor immixtus absumatur. Alia ex his quorum substantia paulò crassior est, coctione in oleo cum liquore aliquo conuenienti parantur vt irinum, mastichinum, & his paria. His alia magis sunt composita quæ ex plurium permixtione conficiuntur, vel ex pluribus mixtim extrahuntur. Qualia sunt plurima quæ in antidotariis leguntur, & artificialia balsama chymica.

In præscribendis autem oleis sic procedimus: vt simplicia & vsualia suo nomine tantùm efferamus, quantitatem assumendam ex vulgaribus libris aut vnciis designantes, stillatitiorum autem drachmis, scrupulis, aut guttis, & in quem vsum assumi velimus indicantes. Veluti si ad dolorem aliquem renfiuum in externo quopiam membro sedandum oleis vtamur, sic præscribemus.

℞. Olei liliorum, & chamæmillæ ana ℥. ß. olei rorismarini ʒ. i. misce, liniatur tepidè pars dolens.

Si verò composita quædam ad particulares præscribere velimus, ex quibus & quo modo ea componi oporteat designamus, simulque vtendi modum præscribimus. Vt ad dolorem ventriculi à flatibus sedandum.

℞. Olei de absynthio ℥. vi. seminum anisorum, cymini, fœniculi, ameos, & dauci contusorum ana ʒ. i. ß. garyophyllorum ʒ. i. vini albi aromatici ℥. iii. coquantur ad consumptionem vini: tum coletur oleum, quod pro ventriculi regione linienda reseruetur.

Vel stillatitium ad liniendam spinam in paralysi, aut ad mitigandum rigorem in febribus.

℞. Baccarum iuniperi & cardamomi ana ℥.i. garyophyllorum, macis, & nucis moscatæ ana ℥.ß. gummi elenij, serapini, & galbani ana ℥.ii. castorei ʒ.ß. lateris rubri accensi in oleum antiquum mersi & puluerati ℥.iii. terebinthinæ ʒ.vi. pulueratis puluerandis, misce, & in retorta luto obducta vt artis est, post duorum aut trium dierum fermentationem distillentur.

Ex solis autem oleis vt ex aliis etiam aliquando liquoribus fiunt embrocæ seu irrigationes & perfusiones in partem affectam oleum aut quem placet liquorem instillando.

De linimentis.

CAPVT II.

Litus seu linimentum, quòd liniendo apponatur, dictum, mediæ est inter olea & vnguenta consistentiæ, illis enim crassius est, his verò fluidius. Ex oleis, butyro, axungiis, vnguentis, aut ceratis, vel pulueribus etiam aliquando admixtis componitur. Eâ tamen proportione, vt semper emineat oleum, & fluidam consistentiam retineat. Vt si vni vnciæ olei, puluerum drachma vna, & tantumdem ceræ, aut seui, duæ autem drachmæ, aut tres liquatæ axungiæ, aut vsualis vnguenti immisceantur. Vt

Ad lateris dolorem mitigandum, & facilitandum sputum.

℞. Olei amygdalarum dulcium ℥.i. butyri non saliti, & vnguenti dialtheas ana ʒ.ii. croci pulverati ℈.ß. misce fiat linimentum quo latus affectum, aut thoracis tota anterior pars liniatur.

Item ad lienem obstructum & tumidum.

℞. Olei capparorum ʒ.i.ß. axungiæ gallinæ ʒ ß. gummi ammoniaci aceto soluti, vel serapini ʒ.ii misce, fiat linimentum pro regione lienis.

De vnguentis.

CAPVT III.

Vnguentum ab vngendo dictum, etsi ab antiquis de solis etiam odoratis oleis diceretur, vt apud Dioscoridem [a] videre est. iam de oleagineo dicitur medicamento, ex pinguedinum, medullarum, gummi, resinarum, ceræ, aut pulerum admixtione ad firmiorem linimento consistentiam deducto: cui etiam cùm cætera refrixerint, mucagines aliquando adduntur, vel cum prioribus nutriuntur. In vnguentorum autem compositione ea proportio obseruatur, vt vncia vna olei, puluerum & ceræ, vtriusque quartam partem admittat. Vbi aduertendum picem, resinas, & gummi, ita ingredi compositionem vnguenti, vt si parua sit horum quantitas prædictorum proportionem non immutent: si verò pro vnguenti mole, magna sit illorum copia, ceræ quantitatem imminuant. Item si pinguedines axungiæ, & mucilagines non nutritæ, vnguenti compositionem non ingrediantur: quoniam horum substantia ad olei liquabilitatem proximè accedit, ceræ proportio non omninò qualis præscripta fuit, admittantur. Vnde nonnunquam ceræ quantitatem non limitantes, eius q. sat. præscribimus. Est tamen anni tempestatis aduertenda disparitas. Nam hyeme plus olei; æstate aliquantò minùs assumere oportet. Liquores vnguento aliquando admiscemus, non vt illius compositionem ingrediantur, sed vt cum oleo donec consumantur bullientes, illi suam vim communicent. Aliàs iam parata in pharmacopoliis vnguenta sola aut inter se mixta ad varios vsus præscribimus. Sint ergo in exemplum.

a Lib. 1.

Vnguentum ad somnum conciliandum.

℞. Capita papaueris num. ii. mandragoræ ℥.i. hyosciami m. ß. coquantur in posca q. sat. in colaturæ ℥.iiii. adde olei violati ℥.iii. ceræ ℥.i. simul bulliant ad liquoris consumptionem, tum adde styracis calamitæ ʒ.ii. opij ʒ.i. pyrethri, piperis, & garyophyllorum ana ℈.ii. croci ℈. i. misce fiat vnguentum quo hora somni vngantur tempora & nares.

Vnguentum anodynum ad vlcera & fungos articulorum.

℞. Ceræ nouæ & gummi elenij ana ℥.ß. terebenthinæ lotæ ʒ.ii. olei rosacei, butyri recentis non saliti, olei ex vitellis ouorum & amygdalarum dulcium ana ʒ.vi. Liquefiant omnia lento igne & colentur. Tum admisce croci ʒ.i. vitellum vnius oui misce, & cum detriti panni linei discerptis filamentis imponatur.

Vnguentum ad ventriculum frigidiorem.

℞. Olei de absynthio ℥ i. pulueris macis, garyophyllorum, & mastiches ana ʒ.i. olei nucis moschatæ ʒ.i. ceræ ʒ.ii. misce, fiat vnguentum, quo ventriculi regio vngatur.

Vel ad dolorem in pleuritide mitigandum.

℞. Vnguenti dialtheas & resumptiui ana ʒ.i. vnguenti agrippæ & medullæ ceruinæ, si ibi simus vbi haberi possit, ana ℥.ß. misce, fiat vnguentum quo vngatur calidè latus dolens.

De

De Ceratis.

CAPVT IV.

CEratum à cera dictum non eiusdem est consistentiæ medicamentum apud Gallos & Italos, nos enim vel eum vnguento ceram excipiente ceratum confundimus, vel medium inter vnguentum & emplastrum facimus,atque emplastra ipsa oleis additis emollita cerata vocamus. Itali verò ceratum emplastro solidius parant,vt ad ceræ concretæ firmitatem perueniat. Placet tamen quibusdam illa cerata aut cerelæa,hæc cerotea appellare,qui cum emplastris eadem etiam confundunt. Ea autem in nostris ceratis componendis proportio seruatur, vt olei triplum ad pulueres & ceram addatur. Hæc autem æquis penè portionibus admiscentur. Vel ceræ quantitatem pro varietate temporis anni pharmacopæo limitandam relinquimus,eius q.sat. præscribentes.

Vt ad lienteriam.

℞. Olei masticini, & cytoniorum ana ℥.i. mastices,sanguinis draconis, boli armenæ, & acaciæ ana ʒ. i ß. ceræ ʒ.vi. misce,fiat ceratum quo totus venter inferior calidè vngatur.

Vel ad calorem iecoris temperandum.

℞. Olei rosati omphacini,& de nymphea ana ℥.ß. pulueris santali rubri. & citrini ana drach. i. ceræ albæ in aqua solani cum pauco aceto rosato liquatæ & lotæ ℥.ß. camphoræ gr. iiii. misce, fiat ceratum quo regio iecoris vngatur.

De Emplastris.

CAPVT V.

EMplastrum ab effectu modum substantiæ & consistentiam subsequente dictum, quod solida viscriditate cuti inhærens eius meatus & poros vt plurimum infarciat ἀπὸ τοῦ ἐμπλάττειν quod est obstruere & implere. Quia tamen pro natura simplicium ex quibus emplastra constant, varias vires assequuntur, ea cuiuscumque facultatis sint susceptibilia. Componuntur autem ex quacumque minerali, vegetali, aut animali sicca substantia quæ ab oleo, cera, resina, gummi, & similibus consistentiam assumunt. Maximè verò ab oleo & lythargyri dimidio, vel vna lythargyri parte,& duabus olei lentè nutritis & coctis, quibus aliquando mucagines, aliquando radices coctione emollitæ,pistæ,ac per setaceum ductæ permiscentur,simulque lentè coquuntur donec debitam consistentiam acquisiuerint,nisi mucilago fit ex cola piscium,aut tauri, quæ citra coctionem penè refrigeratis emplastris admiscetur. Succi autem vel decocta pari modo atque in vnguentis diximus in emplastrorum præscriptionibus cùm Medici scopus suaserit,admittuntur. Ad emplastra quidem rectè & artificiosè fingenda multa animaduertere oportet quæ ad pharmacopolam instruendum faciunt. Ad rectè autem ea præscribenda sufficit nosse talem seruandam esse præscriptorum proportionem,vt pro siccorum puluerum vncia,olei ℥.iii. ceræ ℥.vi. admisceantur. Resinæ verò liquidæ si addantur ceræ ad eas dimidium super addi requirunt, si statim emplastro vti velimus. Sin conseruandum id sit ad futurum vsum,tam resinæ liquidæ quam fricta pix & seuum & gummi illæsa priorum proportione commodè emplastri compositionem ingrediuntur. At si resinæ liquidæ & cera sine oleo assumantur ℥.iiii.ß. vtriusque debent præscribi pro qualibet vncia pulueris. Axungiæ verò dimidiæ olei quantitatis vicem subeunt: ita vt ℥.i. axungiæ pro ℥.ß. olei habeatur. Aduertendum tamen vt auctâ puluerum quantitate ad duplum,ceræ quantitatem octaua parte imminuamus. Et quia hæc præcisè definiri non possunt,his à quibus vis emplastri pendeat præscriptis, sufficiet & ceræ & olei q. sat. præscribere vt à pharmacopeo eorum necessaria quantitas inter fingendum emplastrum limitetur. Aliquando tandem vsualia emplastra variè ad varios vsus permiscemus. Vt

Emplastrum ad maligna & cancerosa vlcera purganda & ad cicatricem ducenda.

℞. Olei in quo limatura plumbi incoxerit ℥.iii. resinæ & gummi elenij ana ℥.iii plumbi cum dimidio hydrargyri ad ignem fusi & in puluerem versi ℥.ß. cerusæ lotæ,tuthiæ præparatæ, & lapidis calaminaris puluerisatorum ana ʒ.ii. ceræ flauæ in aqua fabrorum liquatæ & lotæ ℔. i. misce, fiat emplastrum vt artis est.

Emplastrum ad tumidum lienem deprimendum.

℞. Radicis cucumeris asinini in aqua coctæ, pistæ, & per setaceum ductæ ℥ iii. gummi ammoniaci aceto soluti ℥.ii. galbani, & sagapeni ana ℥.ß.olei capparorum & ceræ q. sat. misce fiat emplastri massa ad præscriptum vsum.

Emplaſtrum ad ventriculum citra alicuius intemperiei exceſſum, imbecillum.

℞. Emplaſtri de maſtice,& pro ſtomacho ana ℥.i. ladani puri ℥.ß. miſce fiat emplaſtrum, extendatur ſuper alutam pro regione ventriculi.

De Sparadrappo.

CAPVT VI.

SParadrappum,vox barbara,nihil aliud ſignificat quàm detritum linteum emplaſtro in quo liquato intingitur imbutum & quaſi incruſtatum. Cuius cùm tot poſſint eſſe differentiæ quot emplaſtrorum : non tamen ſparadrappis vti vulgò conſueuimus niſi ad chronicorum vlcerum curationem,& fractorum oſſium ferruminationem iuuandam : quoniam ſparadrappa & per longius tempus operantur,& rariùs emplaſtris renouantur. Sit ergo.

Exemplum ſparadrappi ad dyſepulotica vlcera curanda.

℞. Olei roſati omphacini ℥.viii. lythargyri auri ℥.iii. reſinæ ʒ iiii. ceræ ʒ.vi. terebenthinæ ʒ.i. plumbi crudi in tenuiſſimum puluerem verſi dum funditur in mortario aliquot aquæ plantaginis guttas affundendo ʒ.vi. ceruſæ,minij,& ruthiæ præparatæ ana ʒ.iii. thuris,& maſtices ana ʒ.ii. fiat emplaſtrum vt artis eſt in quo adhuc liquato intingatur detritus pannus lineus qui probè illo imbuatur,tum penè refrigeratus æquali piſtillo complanetur,& ad vſum reſeruetur. Vel·

Ad callum in fracturis procurandum.

℞. Olibani, maſtices, ſanguinis draconis, & boli armenæ ana ℥.ß. farinæ volatilis ʒ i. lapidis oſteocoli ℥.ii. lythargyri ʒ iii. olei cytoniorum,& roſati ana ℥.iiii. ſeui hoteini ℥.v. ceræ q. ſat. fiat Sparadrappum vt artis eſt.

De Cataplaſmate.

CAPVT VII.

CAtaplaſma quaſi ſuperpoſitum medicamentum ex nominis notatione ſignificans, ad certam externi remedij ſpeciem contrahitur, quod conſiſtentiâ inter vnguentum & emplaſtrum medium, pinguis tamen minori copiâ admittit, & minùs ſibi cohærentem molem habens, ſtupis vel linteis exceptum affectæ parti admouetur. Materia cataplaſmatum ſunt radices, folia, ſemina, flores,fructus,farinæ,quæ cocta,tuſa,aut puluerata conſiſtentiam accipiunt à lacte,melle, oxymellite,ſapà,oleis,ſeuo,axungiis,medullis,atque aliquando à gummi portione quapiam. Inter hæc autem quæ ex farinis, [illegible]earum decocto,lacte,melle,aut ſapa concinnantur, pultes à quibuſdam ſpeciatim appellantur. Cataplaſmatibus vtimur ad dolores ſedandos, ad reprimendas fluxiones, tumores diſcutiendos aut ſuppurandos,atque ad materiam in profundo ſitam foras euocandam, aut ad alias intenſiones.

Vt,ad dolores ſedandos.

℞. Micæ panis albi ℥.iiii. lactis q. ſat. coquantur vt artis eſt,coctis in pultis modum adde vitellos oui oleo roſato nutrita num.ii. vel huius loco (oculis oleum reſpuentibus affectis,) poma cocta,& à membranis ac ſeminibus purgata num.ii. miſce,fiat cataplaſma.

Aliud.

℞. Micæ panis albi ℔.ß. farinæ ſeminum cydoniorum,& fœnugræci ana ʒ.iii. coquantur cum lacte vaccino vſque ad conſiſtentiam cataplaſmatis, tum adde butyri recentis, olei roſati, & de vitellis ouorum ana ʒ.i.axungiæ humanæ ʒ.ß.croci ʒ.ß. vitellos ouorũ num.ii.miſce,fiat cataplaſma.

Ad phlogoſim ſedandam,& cutaneas exercitationes promptè ſiccandas.

℞. Foliorum plantaginis longæ coctorum,& vt artis eſt tuſorum ʒ.vi. farinæ lentium ℥.i. aquæ plantaginis ℥.iii. ſenſim miſce ſemper agitando,& fiat cataplaſma.

Ad phlegmones reſolutionem,& imminentem gangrenam auertendam.

℞. Farinæ fabarum,lentium orobi ana ʒ.ii. pulueris foliorum abſynthij vulgaris,& marrubij ana ʒ.ß. radicis Ireos ʒ.ii. oxymellitis q. ſat. coquantur vt artis eſt,fiat cataplaſma.

Ad suppurationem iuuandam.

℞. Radicum altheæ,& cannabis palud osæ penæ ana ℥.ii. capita liliorum num.ii. foliorum maluæ parietariæ,& brancæ vrsinæ ana m. i. caricarum pinguium par vi. seminum lini, & fœnugræci ana oncia i. coquantur in aqua q. sat. ad putrilaginem vsque cocta traijciantur per setaceum, quibus adde farinæ volatilis onc.i. axungiæ porcionc.iii. misce,fiat cataplasma.

De Sacculis.

CAPVT VIII.

SAcculi fiunt ex sibi non cohærentibus minutulis aut grandioribus seminibus integris vel contusis herbarum folijs minutim sectis aut pulueratis,alijsve sicci: medicamentis in sacculo conclusis,vt cui oporteat parti imponi valeant: maximè ad resoluendos flatus humoresve alicubi contentos aut ad varia membra corroboranda. Formantur autem hi sacculi vel ex cannabina laxiore tela in pleuritide,colico dolore,aut tympania. Vel ex panno serico pro corde, aut ventriculo roborandis,atque eo raro vt inclusorum vis commodiùs membris quibus admouentur, communicetur;& ne contenta quaquauersum diffluant,plerumque intersuuntur. Et pro ventriculo, ac corde, quia tenuiores pulueres assumuntur, vt hi contineantur, gossipium permiscetur. Solent tandem sacculi,vel sicci,vel humore aliquo irrigati aut aspersi ad penetrationem iuuandam, affectis partibus admoueri Vt

Sacculus ad dolorem lateris aut ventris à flatibus.

℞. Milij ℥ iiii. seminum anisi,& nasturtij contusorum ana ʒ.ii. florum chamæmillæ & meliloti ana ℥.i. salis quo porcina caro salita fuerit puluerati ℔ ß. misce frigantur in sartagine vt debitè incalescant & inclusa sacculis alternatim parti dolenti admoueantur ealidè.

Vel ad idem.

℞. Foliorum hyssopi, rorismarini, & origani minutim sectorum ana m. i. florum saluiæ, & chamomillæ ana p. ii. seminum lini,fœnugræci,& petroselini contusorum ana ʒ.i. salis communis ℥.iii. misce, fiant sacculi qui vino aspersi prædictis partibus calidè alternatim admoueantur.

Sacculus ad ventriculum frigidiorem roborandum.

℞. Foliorum siccorum absynthij pontici,& menthæ ana ℥. ß. corticis citri sicci ʒ. iii. rosarum rubearum ʒ.i ß. macis garyophyllorum,galangæ,& cyperi ana ʒ i. pulueri̇sata cum gossipio panno serico raro includantur,& fiat sacculus intersutus in forma scuti Talis enim formæ esse debent & sacculi & emplastra quæ anteriori regioni ventriculi ad cartilaginem xyphoidem admouentur. Nec vetat tamen eadem esse quadrangula.

Sacculus ad cor pro syncopes præseruatione aut palpitationis curatione roborandum.

℞. Vermilionis & corticis citri ana ʒ. iii. florum garyophyl orum exsiccatorum ʒ.ii benzoini,& styracis calamitæ ana ʒ i. trochiscorum galliæ moscatæ ʒ ß. misce & cum gossipio serico panno Kermesino laxo excipiantur,fiatque sacculus intersutus pro regione cordis.

Sufficit autem ad hos pro ventriculo aut corde destinatos sacculos ʒ.i.ß.puluerum præscripsisse.

De Cucuphis.

CAPVT IX.

CVcuphæ, barbara voce dicuntur capitales quasi quidam sacculi in pilei tamen formam concinnati,& ex cephalicis,odoratisque pulueribus,aut occurrenti indicationi conuenientibus ad ʒ.ii. aut ʒ.ii.ß. gossipio & panno serico densè intersuto exceptis confecti. Vt.

℞. Foliorum siccorum betonicæ & maioranæ ana ʒ ß.radicis ireos ʒ. ii. ligni aloës, belzoini,& ladani ana ʒ. ii. pulueris cyprij ʒ. i. misce & cum pauco gossipio panno serico exceptis fiat cucupha.

De frontali.

CAPVT X.

FRontale ἀνακόλλημα à Græcis appellatum, est cuiuscumque consistentiæ medicamentum fronti citra simplicem illitionem admotum,seu ad refrigerandum, calefaciendum, resoluendum,repercutiendum fluxionem sistendam,aut somnum conciliandum.

Vt ad vehementem capitis dolorem ab æstu.

℞. Ramentorum cucurbitæ recentis ℥.i. foliorum lactucæ, & violarum minutim sectorum ana ℥.i. misce duplicato panno lineo imponantur pro frontali.

Ad capitis dolorem à frigore excitatum.

℞. Granorum Kermes puluerisatorum ℥.ß. foliorum saluiæ ʒ.ii. garyophyllorum ℈.i. misce, irrorentur aqua vitæ q. sat. & fiat frontale.

Ad sanguinem è naribus fluentem sistendum.

℞. Boli armenæ & gypsi ana ℥.ß. acaciæ ʒ iii. farinæ volatilis ℈.ii. albumen oui cum aceto & aqua ex pecullis rosatum q. sat. agitatum misce fiat frontale.

Vel ad idem.

℞. Emplastri contra rupturam ℥.i. vnguenti de bolo ʒ.ß. misce pro frontali.

Ad somnum conciliandum.

℞. Conseruæ violarum & nenupharis ana ℥.ß. foliorum recentium papaueris m.ß. vnguenti populei ʒ.iii. misce pistentur in mortario & linteo inuolutis fiat frontale.

Vel ad idem.

℞. Pulueris requiei ℥.i. aquæ lactucæ cum oui albumine & pauco aceto rosato agitatæ q. sat. misce fiat frontale, horâ somni admouendum.

De Collyriis.

CAP. XI.

Collyria etsi apud antiques varia admodùm essent, hac tamen ætate ea denominatio contracta est ad ocularia liquida remedia quæ ex variis succis, decoctis, aquis stillatitiis, aut oui albuminis liquore, & densatis succis, metallicis, fossilibus, diuersorumque animalium excrementis, aut trochiscis vsualibus pulueratis, variâ proportione parantur. Aliquando enim crassiora & quasi mellis consistentiæ æmula, aliàs liquidiora efformantur, vt aliquando pro tribus aquæ vnciis solam pulueris drachmam vnam aut alteram excipiant. Sint hæc in exemplum.

Collyrium ad incipientem suffusionem.

℞. Sacchari rosati tabulati, alcyonij seu spumæ maris, & sarcocollæ ana ℈.i. atque fœniculi ℥.ii. aquæ rutæ ʒ.i. vini albi oligophori ℥.ß. siccis seorsim tenuissimè pulueratis, misce, fiat collyrium.

Ad albugines, oculorum pustulas, & pruritum maximè laudatum ab Heurnio lib. 1. methodi ad praxim.

℞. Lapidis calaminaris ter vsti ac bis in vini aceto extincti ℈.i. myrrhæ, plumbi vsti ac loti ana ℈.ß. croci orientalis gr. v. opij gr. ii. æris vsti ℈ iii. decocti fænugræci ℥.i. terantur omnia vt artis est super porphyrio, & fiat collyrium. Vel loco decocti fœnigræci ex axungia recenti purgata & lota q. sat. fiat vnguentum collyrij specie huius collyrij vsus est vt spongia tepido decocto fænugræci & lini imbuta extersis oculis manè & vespere ante pastus tenui penicillo aut pennâ in prædicto collyrio intinctâ oculus illiniatur.

De Trochiscis.

CAPVT XII.

Trochisci seu pastilli quos formulas vocant recentiorum aliqui quid sint superiùs diximus, qui vt monuimus vel ex inspissatis succis effinguntur, vel ex pulueribus aliquo liquore aut mucagine exceptis formantur. Horum vt in determinata est materia, ita non externis solùm inseruiunt vsibus, sed internis etiam miscentur remediis tam purgantibus quàm alterantibus, hic tamen eorum solùm meminimus qui ad suffimenta deseruiunt quæ Medicos in varios vsus frequenter præscribere oportet. Vt

Trochisci ad suffiendos lue venerea laborantes.

℞. Cinnabaris vncia i. thuris, myrrhæ, & garyophyllorum ana ℈.i. resinæ ℈.i.ß. terebinthinæ q. sat. misce formentur trochisci ad suffitum.

Trochisci quorum fumus ore & naribus excipitur, capitisque opercula suffiuntur, ad frigidius, humidiusquè cerebrum roborandum,

℞. Bacearum iuniperi ʒ. ii. benzoini & styracis calamitæ ana ʒ.i. garyophylorum ℈.i. moschi gr.iij. mucilaginis gummi arabici in aquæ saluiæ extractæ q. s. puluerатis puluerandis fiant trochisci in vmbra siccandi.

De pomis odoratis.
CAPVT XIII.

Poma odorata sunt grandiores solidæ formulæ quæ manu continentur, naribusque frequenter admouentur, vel ad spiritus viresque recreandas, vel ad somnum conciliandum parantur ex pulueribus scopo designato accommodatis, qui mucilagine gummi tragacanthi excipiuntur, & in vmbra siccantur, vt

Pomum odoris suauitate, spiritus & cerebrum mirè recreans.

℞. Ladani, & belzoini ana ʒ.ß. corticis citri sicci ʒ.i. garyophyllorum ʒ.ii. moschi ℈ i. ambaræ ℈.ß. mucilaginis gummi tragacanthi q. sat. pulueratis puluerandis misce fiat pomum. Possunt & ex vilioribus odoratis eadem ratione paratis confici.

Ad somnum prouocandum.

℞. Radicis mandragoræ exsiccatæ, seminum lolij & melanthij seu nigellæ ana ʒ.ii. seminis coriandri non præparati ʒ.i croci ʒ.ß. opij ℈ i. misce fiat puluis, ex quo & mucilagine gummi tragacanthi cum decocto capitis papaueris extracta q. sat. fiat pomum.

De fotibus.
CAPVT XIIII.

Fotus ex quocumque liquore occurrenti indicationi satisfaciente parantur: vt ex aqua thermali, marina, lixiuio, aut quouis decocto, in quibus tepidis aut calidis spongiæ, panni, aut consimilia immerguntur, & leniter expressa partibus affectis admouentur, ac cùm frigere incipiunt, renouantur, sæpiusque repetuntur. Vt

Ad lateris dolorem mitigandum.

℞. Foliorum altheæ, maluæ, & hyssopi ana m.i. seminum lini & altheæ ana ʒ.i. fœniculi, & fœnigræci ana ʒ.ß. florum chamæmillæ, & meliloti ana p. ii. coquantur in aqua q. sat. vt artis est, colaturâ foueatur calidè latus affectum.

Ad flatulentos & œdematosos tumores dissoluendos.

℞. Foliorum rorismarini, & meliloti ana m.i. seminum ameos, & nasturtij ana ʒ.iii. coquantur in lixiuio q. sat. in colaturæ ℔.iii. dissolue salis communis ℥.iii. sulphuris tenuissimè puluerati ℥.i.ß. misce, foueatur pars tumens calidè.

De epithemate.
CAPVT XV.

Epithema quasi superimpositum Medicamentum significans, de variis remediorum formulis solet ab antiquis dici. Sic tamen inualuit vsus vt speciatim de liquidis quibusdam remediis efferatur quæ cordi præsertim, atque hepati in modum fotûs cum panno coccineo aut alio, tepida ad penetrationem applicantur. Fiunt autem epithemata vel ex aquis stillatitiis, aliisque liquidis succis, aut decoctis aliquando, prædictis visceribus pro natura affectûs appropriatis, quibus pulueres & confectiones visceri alterando aut roborando dicatæ admiscentur, eâ proportione vt ad librã liquoris, ʒ.iii. aut v. puluerum vel confectionum addantur. Vt

Epithema ad cordis æstum temperandum.

℞. Aquarum acetosæ, rosarum, & violarum ana ℥.iii. succi limonum ℥. ii. aut aceti rosati ℥.i.ß. pulueris diamargariton, & diamoschi D. Renodæi ana ʒ.i.ß. camphoræ gr. vi. misce, fiat epithema pro regione cordis. Vel

Ad languentem cordis vim roborandam.

℞. Aquarum scabiosæ, buglossi, & melissæ ana ℥.iii. vini albi odorati ℥ ii. aquæ florum arantiorum ℥.i. confectionis alkermes & de hyacintho ana ʒ.ii. moschi gr. iii. misce, fiat epithema. Sed cauendum ne pro hystericis odoratiora hæc assumamus.

Epithema ad iecur calidius refrigerandum.

℞. Aquarum lactucæ, violarum, & nymphex ana ℥. iiii. aceti rosati ℥.i.ß. pulueris diarrhodon, & triasantali ana ʒ ii camphoræ ℈.ß. misce, fiat epithema pro regione iecoris.

Est & aliud epithematis genus quod siccum appellamus cordi proprium & in emplastri modum effectum. Quod ex conseruis cardiacis & confectionibus eidem visceri dicatis, balsamo, oleo scorpionum D. Matheoli, aut simili concinnatur. vt

Ad cor roborandum in malignis febribus, aliisque morborum generibus.

℞. Conseruæ buglossi, & florum rorismarini seu anthos ana ʒ.ii. theriacæ veteris ʒ.i ß. confectionis alkermes aut de hyacintho ʒ.ii. moschi gr. iii. balsami tolutani parum, misce, fiat epithema siccum, aut emplasttum pro regione cordis.

De balneis.
CAPVT XVI.

BAlneum est totius corporis infra caput in liquore quocumque immersio. Quo vel vtimur ad mnnditiem, vt antiqui: qui cùm non linteis, sed laneis induerentur, ad eluendam cutis sorditiem freqnenti balneo vtebantur. Quæ qualia essent, quâ ratione constructa, qui discere volet, legat Vitrunium, [a] Galenum, [b] Oribasium, [c] Mercurielem, [d] Rosinum. [e] Eorumdem vsus vtilis est ad morborum imminentium auersionem, vel ad eorumdem præsentium curationem, vt passim variis in locis doculmus. Balneorum autem vt finis, ita materia multiplex est. Vel enim vulgari aquâ frigidâ ad totius refrigerium & cutis laxioris constipationem vtimur; vel eadem tepidâ ad siccioris corporis humectationem, vasa laxanda, & humores ad cutem euocandos, aliàs marinâ, ad humores qui sunt in habitu corpotis absumendos, cutem firmandam, & roborandos artus, nonnunquam tepido lacte ad corporis squalorem efficacissimè emendandum. Aliàs oleo ad laxandam cutem, corpusque totum emolliendum, & internos renum, intestinorumque dolores citra inflammationem mitigandos. Vino aliquando, aut adhuc calentibus vinaceis: ad humores in habitu & artubus existentes eliquandos, resoluendosque, ac tandem externas partes excrementis liberas aucto calore & nouâ firmitate acquisitâ roborandas. Sæpius aquis thermalibus: quæ prout varios habent immixtos metallorum, aliorumve fossilium nondum concretos, aut à subterraneo igne eliquatos succos vel spiritus, ita varias nanciscuntur dotes, experientia magìs quàm ratione conspicuas. Frequentissimè artificiosa quædam decocta paramus, quæ vel sponte nascentium aquarum vires imitentur, vel alias assequantur facultates, quibus diuersorum morborum curationi prouideamus, vt scilicet totius aut principum partium intemperies emendemus, tertiam corporis regionem seu habitum expurgemus; humores crassos, viscidosque liquemus, acriores ad interna importuno fluore vergentes, ad cutem reuocemus, menses prouocemus, dolores nephriticos, colicos, & iliacos sedemus, somnum inducamus, perineumonicis, & pleuriticis balneari solitis, & in quibus nullius nouæ fluxionis timor adest, facilem screatum cum Hippocrate, & Galeno, [f] procuremus, paralyticos, aliosque frigidis internis & diuturnis affectibus vexatos curemus, ac demum vt cutis vitia, pruritum, scabiem, & similia sanemus. Ad huiusmodi autem artificialia balnea paranda, & vegetalia quæcumque intentioni propositæ accommoda, & fossilia assumimus. Quibus posterioribus nitimur proximè imitari thermalium aquarum facultates: ea scilicet fossilia, aut metalla, vel eorum potius glebas aquæ incoquentes, ex quibus naturalia balnea quæ imitari cogitamus, vires accipere, ab effectis, & artificiola perquisitione nouerimus. In horum autem decoctis præscribendis, quia ea magnâ quantitate parari necessum est, herbas fasciculis dispensamus, radices, ac semina libris & vnciis, flores manipulis, & fossilia libris aut vnciis. Quæ verò obseruare in balneorum vsu conueniat: & quos, quantum, ac quando balneare expediat, fusè alibi docebimus. Sint ergo sequentia præscriptionum artificialium balneorum exempla.

a Lib 5. c. 10.
b 10. meth. cap. 10. lib. 11. eiusdem cap. 20. 3. in librum de rat. victus acut à comment. text. 44. ad finem.
c Lib. 10. collect. cap. 1.
d Lib. 1. de arte gymnastica cap. 10.
e Lib. 1 antiquit. Rom. cap. 14.
f 3. acutoril.

Balneum ad humores putres aut salsos à toto ad cutem post vniuersales euacuationes euocandos in pruritu, vel scabie.

℞. Foliorum maluæ, altheæ, rumicis seu lapathi, & scabiosæ ana fasc. i ß. ramorum iuniperi, & sabinæ baccifetæ ana fasc. i. origani, & marrubij ana fasc. ß. seminum lini & fœnugræci ana ℥.iiii. florum chamæmillæ, & maluæ ana m. ii. coquantur in aqua q. sat. vt artis est pro balneo. Oportet autem prædicta omnia sacco laxiore inclusa in grandiore infectorum cacabo, aut alio coqui.

Balneum,ad pruritûs & ſcabiei poſt vniuerſales vacuationes curationem.

℞. Salis communis ℔. iiii. ſalis foſſilis ℔.ii. ſu'phuris & aluminis ana ℔.i. vitrioli ℔.ß. cinerum quernorum,& iuniperi ana ℔.vi. coquantur aliquot ebullitionibus in aqua q. ſat. pro balneo.

De ſemicupeo.

CAPVT XVII.

SEmicupium, ſeu inſeſſio & ἐγκάθισμα Græcis, eſt dimidiatum balneum in quo imus tantum venter & media femora madent quo ad renum, veſicæ, inteſtinorum, & vteri vitia emendanda vtimur. Materia non diſſimilis eſt à maretia balnei quando vtriuſque par eſt ſcopus. Sed vt minore liquoris quantitate ad inſeſſum eſt opus, ita minor copia aſſumitur eorum quæ incoquuntur, ſumuſque hic contenti herbas manipulis præſcribere, radices, & ſemina vnciis, flores autem pugillis, vt.

Ad ſuppreſſam vrinam prouocandam.

℞. Foliorum maluæ, parietariæ, berularum,& raphani ana m. iii. ſeminum lini,fœnieuli, & petroſelini ana ℥.ii. coquantur in aqua q. ſat. cui adde olei communis quartarios iii. miſce pro ſemicupio.

Ad ſuppreſſos menſes euocandos.

℞. Foliorum maluæ, parietariæ, arthemiſiæ, polij montani ana m. iii. ſabinæ, & dictamni ana m. ii. ſeminum lini, ſeſeleos, & hyperici ana ℥.ii. florum chamæmillæ, & ſummitatum centaurij minoris ana p. iii. miſce, coquantur vt artis eſt pro ſemicupio. Oportet autem prædicta ſacco incluſa coqui, cui deinde inſidere poterit qui vel quæ inſeſſu vtitur.

De vaporariis.

CAPVT XVIII.

VAporarium proximè ad ſemicupium accedit, quod ex conſimilibus quidem materiebus paratur, ſed loco humoris in quem membra immittuntur, vapore ex calente decocto euaporante vtimur, qui vel ex perforato ſedili excipitur, vel per tubulos in partem affectam ægro decumbente deducitur. Hoc vtimur tum ad hæmorrhoidum dolores ſedandos, ani vitia emendanda, tum ad membra quæ per ægri imbecillitatem, aut aliter balneare non licet calefacienda, laxanda, humectanda, aut roboranda. Vt.

Ad hæmorrhoidum dolorem mitigandum,

℞. Foliorum thapſi barbati ſeu verbaſci & radicum porri ana m. i. ſeminis lini ℥.i. coquantur in aqua q. ſat. cuius decocti calidus vapor ano ex perforato ſedili excipiatur.

De ſtupha.

CAPVT XIX.

STupha vulgò, ſeu ſudatorium, & laconicum, vel ex toto ſudorem æqualiter elicit, vi calidæ & & ſiccæ exhalationis, aut à ſubiecto, vicinoue igne vt in hypocauſtis, aut à thermarum feruido vapore vt in camerato illo Dinienſium thermarum antro hocque ab antiquis laconicum dicebatur: quod in diuturnioribus frigidis morbis plerumque ſaluberrimum eſt. Vel vt ex determinata parte altiùs infixum & hærentem humorem attenuet, euocet, & extrahat, præparatur; ad iſchiadem aut diuturnos artûs alicuius dolores Quo caſu membrum cuppulâ incluſum & approbè tectum calidis & attenuantibus medicamentis primùm ſuffumigamus: tum ſudorem ab eodem vini aut aceti vapore, vbi candens ſilex eorum altero fuerit irroratus, euocamus.

De Sinapiſmo.

SInapiſmus à ſinapi dictus, certæ eſt materiæ medicamentum, incertæ tamen formæ licet frequentiùs cataplaſmatis modo effingatur, ex ſinapi & caricis aqua tepida pridie maceratis ſeorſim contuſis, & mixtis. Valet ad partem cui admouetur, eique vicinas calefaciendas, humores ex alto euocandos, & diſcutiendos, cutem ſuppoſitam cruento rubore ſuffundens, hoc autem inæqualiter operatur, pro diuerſa prædictorum proportione. Efficaciſſimè etenim agit, ſi duabus ſinapi partibus vnica caricarum miſceatur, mediocriter verò, ſi eadem æquis portionibus coiuerint, at imbecillus eſt ſinapiſmus qui ex duplici caricarum portione, & vna ſinapi componitur, eo autem infirmior, ſi caricarum vice panem admiſcuerimus, vt omnium maximè imbecillis eſt, qui ex ſinapi

aceto macerato conficitur.] Quæ varietas ætatum, corporum molliorum, aut duriorum, & affectuum diuersitati concinnè accommodatur. Nihil autem impedit caricarum loco, mel, sapam, aut gummi quodpiam assumere, & in emplastri etiam effigiem sinapismum concinnare. vt,

Sinapismus mediocrium virium ad perfrigeratum, & iamdudum stupidum crus.

℞. Sinapi recens contusi, & caricarum pridie aqua maceratarum. ana ℥.i. ß. aquæ macerationis caricarum q.s misce vt artis est, fiat sinapismus.

De Dropace.
CAPVT XXI.

a Lib 10. epigram 63. b De tuenda sanit. cap. 8.

DRopax etsi pro psilotro & depilatorio medicamento aliquando sumatur vt videre licet apud Martialem [a], & à Galeno insinuatur [b], frequentius tamen pro picatione effertur, vt eodem loco docuit Galenus: cuius licèt singularis, & maximè proprius vsus sit ad eas partes impinguandas, quæ frigidioris simul & siccioris rorius intemperaturæ virio, aut digerentis facultaris imbecillitate macilentæ euaserunt. Aliquando tamen ad frigidas partium intemperies emendandas, succos à centro ad circumferentiam attrahendos, simulque discutiendos, vt synapismus vsurpatur. Materia huius est pix, præsertim vnde nomen habet, tum resina, bitumen, & gummi varia: vel in cerondi, aut emplastri formam mixta, vel ex oleo in cerati effigiem pro mollioribus corporibus soluta. Quibus si efficaciorem vim conciliare velimus cùm duriora sunt corpora, aut rebelles affectus; sulphur, pyrethrum, castoreum, nitrum; imò euphorbium, aut thapsiam alquando permiscemus. Dropaces præscribendi ratio talis est.

Picatio ad alterius crucis maciem curandam.

℞. Picis ℥.v. olei ℥.i simul liquentur, & aiurâ impositâ curi primùm derasæ admoueantur: antequàm verò frigescant, detrahantur, idemque sæpius iteretur, donec crus in leuem tumorem eleuetur: vel,

Vt ad refrigeratam partem calor reuocetur.

℞. Picis, resinæ, & gummi ammoniaci aqua vitæ soluti ana ℥.i. piperis & sulphuris ana ʒ i. petrolei ʒ. vi. misce, fiat Dropax, semel ad sufficientem calefactionem partis admouendus, & continendus: vel,

Ad succos foras ad cutem euocandos, & resoluendos in ischiade, & similibus affectibus.

℞. Gummi eleni & tacamachæ ana ℥.ii. pyrethri. & seminis nasturtij ana ℥.i. ß. stercoris caprini aceto acerrimo soluti ℥.ii. olei do euphorbio ℥.i. misce, fiat dropax, qui longiorem motam in parte coarrahat, oportet.

De Vesicantibus.
CAPVT XII.

VEsicantia ea dicuntur, quæ epidermidem in bullas eleuant, & ichorosam succorum substantiam ad cutem attrahunt. De quorum materia, & vtendi ratione fusè agemus, eorum verò præscribendorum modus talis est.

Ad dolorem dentium sedandum, & leniorem distillationem oculorum deriuando curandam.

℞. Canthandum pulueratarum ʒ.ß. pyrethyri ʒ.i. gummi ammoniaci aceto soluti ℥.ß. ceræ rubræ ʒ i. olei irini parum, misce, fiat emplastri massa, vt artis est, ex qua formentur emplastra ponè aurium fibras admouenda.

Exemplum vulgaris vesicantis.

℞. Cantharidum recens pulueratarum ʒ.i. fermenti acerrimo aceto, emolliti q. sat. misce, fiant emplastra duo ceruici vtrinque post aures admouenda, ad deriuationem ab oculis, & euacuationem ichorum caluariæ & cerebri.

Celebre veſicans pro delicatioribus, & his in quibus ex veſicæ læſione mictum ſanguinis pertimeſcimus.

℞. Galbani ℥.ß. ammoniaci & bdellij ana ℥.ii. diſſoluantur in aceto, & colentur: tum adde picis, reſinæ, & terebinthinæ ana ℥.ß ceræ flauæ ℔.i. lento igne liqueſcant omnia. Quibus refrigeratis adde cantharidum puluerifatarum ℥.ß. ſinapi & piperis ana ℥.ii. viridis æris ℥.ß. miſce fiat emplaſtri maſſa, ſeu magdaleon, ex quo cùm occaſio feret, formentur emaplaſtra ceruici, aut vbi res feret, admouenda.

De Cauſtico.

CAP. XXIII. & Vlt.

CAuſticum medicamentum eſcharoticum eſt, & adurens ſubiectam cutem. De cuius vſu fusè tractabimus. Materia verò cauſticorum multiplex eſt, vt arſenicum, auripigmentum, ſublimatum, vitriolum, calx, nitrum, ſal ab excocto forti lixiuio paratum, præſertim quod ex cineribus ſarmentorum, corticum fabarum, aut quercûs paratur, maximè ſi grauelati ſint cineres Sunt qui ſaponem addant, ſed diffluit. Alij oleo camphoræ contenti ſunt. Verùm optima cauſtica ea ſunt, quæ nec diffluunt, latiorem ſeharam minime facientia, nec dolorem atque exinde inflammationem excitant. Quare ſuſpecta ſunt priora illa arſenicum, auripigmentum, & ſublimatum; ex cæteris autem vtilius conficiuntur Modus præſcribendorum cauſticorum vix ſcitu eſt neceſſarius cum quilibet Chirurgus ſuum ſibi paret Sit tamen hoc in exemplum.

℞. Calcis viuæ ℔.iii. ſalis nitri, & vitrioli ana ℥.ii. infundantur per diem in ℔.xii. lixiuij fortis cinerum grauelatorum ex ſarmentis, aut fabarum corticibus: poſtmodum tota ea mixtura baculo per diem penè agitetur. exin per noctem reſidere permittatur, poſtridieque filtretur, & liquor qui per filtrum deſtillauerit: in æneo vaſe ad luculentum & lentum ignem eo vſque coquatur vt abſumpto liquore ex reſiduo craſſamento formentur cauſtica lupinorum magnitudine, aut paulò maiora. In vaſe vitreo probè obturato reſeruanda. Quòd ſi ad finem coctionis camphoræ pulueratæ drachma adderetur aut ℥.ii. opij pro vncia, planè indolentia redderentur cauſtica.



INDEX VERBORVM MEMORABILIVM,

Quæ in hac ſecunda parte de Febribus,& formulis medicamentorum,continentur.



ETHODVS reſolutiua, cuiuſnam partis Medicinæ ordo dicatur. fol. 1.
Morbi quinam vniuerſaliores corpora infeſtent, ibid.
Antiquorum ſuperſtitio pro febris auerſione. ibid.
Febris ſuperueniens affectibus, quomodo ſalutem potius quàm periculum afferat. ibid.
Febris vnde dicta à Latinis, eiuſdem denominatio à Græcis, quænam,& vnde. ibid.
Febris,quando pro igne vſurpetur ab Hyppocrate, quando ab eodem authore dicatur calefactio. ibid.
Febris ethymologia à februo.& quid ſignificet. ibid.
Febris definitio eſſentialis,quæ. Ad quod genus morborum eadem reducatur. fol. 2.
Calor præter naturam auctus in definitione febris,quid ſignificet. ibid.
Cor ſubiectum caloris febrilis,quomodo intelligatur. fol. 3.
Febris ſubiectum adæquatum, & inadæquatum quodnam. ibid.
Calor febrilis non communicabilis cunctis partibus corporis,quando reperiatur. ibid. Eiuſque cauſa, cum exemplis affectuum quorumdam. ibid.
Febrem actiones lædere.quomodo exponatur. fol.4
Febris differentiæ eſſentiales vnde ſumantur. ibid.
Partium viuentium etherogeneitas triplex eſſe dicitur. ibid.
Ephemera febris,quid. fol. 5.
Putridæ febris definitio ibid.
Hectica febris,quomodo definiatur. fol. 5.& 79.
Febrium genericarum ſubordinatio inter ſe per caloris augmentum. fol. 5
Febrium diuiſio vniuerſalis & eſſentialis, cuiuſnam denominationis habeatur. ibid.
Febrium accidentalium denominatio cæteris affectibus communis,& definitio. ibid.
Febrium differentiæ accidentales & propriæ, vnde deſumantur. fol.6.
Febris πυρετώδης quid,cum variis eiuſdem nomendaturis. ibid.
Febris ſyncopalis,colliquantis,& antiginoſæ definitiones.ib.
Febris typhodes. ibid. Horrifica, lipyria. fol.6. & 7. Epiala,
Quercera,& Querquera quid fol.7.
Cauſæ febrium vniuerſales ad quinque capita ex Galeno redactæ,quænam. ibid.
Calidum externum quodcumque poſitum, qua ratione febrem excitare valeat. ibid.
Calidi interni cuiuſcumque feruor, cauſa febrium dicitur. ibid.
Putredo author febrium,quomodo habeatur. ibid.
Calidi fumidi retenſio cauſa febrium,qua ratione. ibid.
Calidior temperatura medicamentorum atque alimentorum quonam modo febrem cauſare iudicetur. fol.7.& 8.
Ephemeram febrem, quænam temperatura facilius ſuſcipiat. fol.8.
Putridæ febris,quæ diſpoſitio magis ſuſceptiua. ibid.
Hecticæ generationi, quodnam temperamentum opportuniſſimum. ibid.
Signa febris imminentis communia quæ indicent febrem præſentem. ibid.
Signa diagnoſtica.& pathognomonica febris. fol.8 & 9.
Pulſus inæqualitas cum celeritate,quid indicet. fol. 9.
Prognoſis vniuerſalis febrium. ibid.
Curatio febrium communis. ibid.
Ephemeræ febris,nomenclatura diuerſa. fol.10.
Ephemeræ diuiſio in legitimam & ſpuriam; cum illius differentiam deſcriptionibus. ibid.
Synochi non putris diſtinctio in epacmaſticam, Paracmaſticam,& omotonam;cum definitionibus ſingularum. ibid.
Ephemera, quando intermittens, & aliàs continua dicatur.
Ephemeræ cauſa immediata,quæ.
Ephemeram, quænam per ſe, vel per accidens remoté producant. fol.10.& 11.
Ephemeræ legitimæ cauſa,ſpiritus in cordis ventriculo,& arteriis proximis contentos,cur dicatur. ibid.
Ephemera illegitima.à quibus producatur. ibid.
Synochus non putris, de genere ephemerarum eſſe dicitur. ibid.
Ephemeræ ſigna vniuerſalia.quænam. ibid.
Calor in ephemeris,qualis ſentiatur. ibid.
Pulſus ephemerarum,quis. ibid.
Reſpiratio laborantium ephemera,quæ. ibid.
Vrinæ ephemerarum,quales. ibid.
Signa pathognomonica ephemeræ exquiſitæ,& ſpuriæ. ibid.
Signa cauſarum ephemeræ. ibid.
Prognoſis ephemerarum,quæ. fol.12.
Curatio ephemeræ à crapula & ſatietate. ibid. Eiuſdem victus ratio. fol.12.& 13.

Curatio ephemeræ à bubone, aut pustulis phlegmonosis: à succorum crudorum destillatione, & à cutis astrictione. fol. 13.
Curatio ephemeræ ab obstructione. ibid.
Signa plenitudinis in vasis, quæ. ibid.
Curatio synochi non putris, quænam. ibid.
Victus ratio in ephemeris febribus obseruanda. fol. 14.
Frigidæ potio copiosa, in quibus febribus remedium vtilissimum habeatur. ibid.
Putrida febris, quomodo introducatur. fol. 14.
Putridæ febris subiectum, quod. fol. 15
Putridæ febris causa immediata, quæ, & quotuplex. ibid.
Vapores à bile excrementitia excitati, cur putridam magis quàm ephemeram causare dicantur. ibid.
Bilem flauam non putridam, nullatenus posse inducere febrem ostendunt nonnulli, quibus respondetur. ibid.
Putridarum febrium causæ mediatæ, quænam. ibid.
Putredo, quid. Eiusdem consideratio, & gradus quotuplex. fol. 15. & 16.
Mixtorum interitus violentus, quam differentiam putredinis sequatur. fol. 16.
Mixtum, quonammodo intereat. ibid.
Mixtorum dissolutio, quotuplex. ibid.
Putredo, quando pro corruptione sumatur. Eius definitio secundum Aristotelem. ibid.
Putredinis definitio ex Galeno. ibid.
Mixtorum interitus, qualitas quænam causa potentior existat. ibid.
Putredinis causa procatarctica, externus calor. ibid.
Calor intrò conceptus, qua ratione externus dicatur vt sit auctor putrefactionis. ibid.
Calor externus, quando putredinem inhibeat, cum exemplis. ibid.
Putredinis subiectum, quod. fol. 17.
Humidum quodlibet capax corruptionis ibid.
Humidum aqueum, facilioris putredinis esse cur dicatur. ib.
Putrescentium fœtor, vnde. ibid.
Putrida materia, quomodo generationem animalis nonnunquam subeat. ibid.
Solutio obiectionis Aristotelicæ quoad putredinem. fol. 18.
Putredinis causa interna, quotuplex, & quæ. ibid.
Putredinem excitantia, quæ dicantur. ibid.
Putredo quænam, febrem producere valeat. ibid.
Febrem ab humoribus excrementitiis excitatam, de genere putridarum esse ostenditur contra nonnullos. ibid.
Humorum putredo progressa, & consimilium efferuescentia. ibidem. Quomodo ad minimum distinguantur inter se, simulque conueniant. fol. 19.
Putridarum febrium distinctio, à quibus capitibus petatur. ibid.
Continua febris, quid. Eius diuisio in proportionatam, & subintrantem, cum definitione vtrinsque. Consimilis modus inuasionis diuersus. ibid.
Continuæ ascensus incompressus, & annotatio, quid. ibid.
Continuæ proportionatæ differentiæ. ibid.
Continens febris, quid. Eius significationes variæ. Cum differentiis propriis. ibid.
Continentis legitimę definitio, atque diuisio. ibid.
Continens illegitima, quid. Cum diuersa illius denominatione. ibid.
Intermittentis febris definitio. Illins quies intermedia, quomodo appelletur: Quem naturæ statum consequatur eadem. ibid.
Putridarum febrium differentiæ vniuersales desumptæ à præsentia humorum copiosiorum. fol. 20.
Causa febrium simpliciter putridarum, quæ. ibid.
Continua, vnde quibus in locis producatur. ibid.
Continens, à qua causa humorali excitetur. ibid.
Sanguinem putrere in determinata parte extra venas maiores ostenditur. ibid.
Continentis pro continua vsurpatio apud Hippocratem. fol. 21.
Continentium circuitus tertianos apparere nonnumquam, quomodo intelligatur apud Galenum. ibid.
Intermissio febrilis, quibus temporibus fiat, vnde dependeat, & quonammodo exequatur. ibid.
Intermittentium focus, vbinam designetur. ibid.
Intermittentem febrem, duas vel tres partes in vitio habere ostenditur. ibid.
Minera in febribus intermittentibus, quid. fol. 22.
Focus intermissionis febrium, quid. ibid.
Focus & minera intermittentium, quomodo inter se distinguantur, & conueniant aliquando. ibid.
Focum intermittentium & continuarum non esse vnum & eundem, probatur aduersus aliquos. ibid.
Cordis ventriculus non potest dici focus febrium intermittentium, contra nonnullos. fol. 23.
Pulsus oppressionis cordis, significatiuus quis. ibid.
Focum intermittentium non esse habitum corporis probatur aduersus plurimos, quorum opinionibus respondetur. ibid.
Focum intermittentium esse abdomen, ostenditur. fol. 23. & 24.
Putredinem humorum non fieri exiguo tempore intra exiles venas aut corporis habitum, quo rigores aliaque symptomata conspiciuntur, certissimum habetur. fol. 25.
Paroxysmi febrilis temporibus, cur humores à vasis minoribus ad maiora potiùs, quàm contrà expellantur. ibid.
Vrinarum sedimentum per febrium inclinationes, vnde. ibid.
Signa indicantia portionem humoris febrilis, ib. aut eiusdem. potius substantiam vaporosam ex minera in vicina membra diffundi. fol. 26.
Symptomata occurrentia accessionibus febrium, vnde. ibid.
Febrium recursus, cur aliquando sine horrore & perfrigeratione appareant. ibid.
Continuæ proportionatæ, cur mediæ inter continentes & intermittentes dicantur. ibid.
Continuis proportionatis, quare adueniat exacerbationes. ib.
Causam materialem febrium putridarum esse bilem semper, quomodo intelligatur apud Hippocratem, & humores alias producere easdem ostenditur aduersus aliquos. ibid.
Librum de natura humana, non totum pertinere ad Hippocratem, refert Galenus. ibid.
Paroxysmorum dies pro diuersitate febrium intermittentium humorumque proprietate. ibid.
Periodus exacerbationum in morbis, quid. ibid.
Typus morborum, quomodo definiatur. ibid.
Periodicos affectus alios esse præter febriles, ostenditur. fol. 26. & 27.
Periodus morborum, à quibus causis excitetur apud Galenum. fol. 27.
Synochum legitimam & simplicem non exacerbari, probatur aduersus plurimos. ibid.
Synochus, cur aliquando patiatur exacerbationes. fol. 28.
Periodos febrium, non plures humores quàm tres sui causas habere ostenditur. ibid.
Febres quintanæ, sextanæ, septenæ, octanæ, nouanæ, decumanæ, menstruæ, annuæ, & erraticæ dictæ, quales sint, & vnde producantur. ibid.
Periodorum febrilium rationem, non à diuersis aspectibus planetarum, neque à sola humoris copia, neque ab specifica humoris cuiusque proprietate, aut natura particulari, neque ab specie putredinis singulorum humorum dependere pro-

Index.

dere, probatur. ibid.
Periodos febriles oriri ex diuersa aptitudine humorum putredini obnoxiorum, demonstratur. fol. 29.
Putredinis humorum aptitudo diuersa, à quibus producatur. ibid.
Periodorum febrilium, cur longitudo aut breuitas existat aliquando. ibid.
Periodorum constantia vel inordinatio, vnde. ibid.
Signa diagnostica febrium putridarum, à quibus fontibus educantur, quoue modo eadem valeant vsurpari. fol. 30.
Calidum in febribus putridis, quale. ibid.
Pulsus febrium putridarum, quis. ibid.
Vrinæ putridarum febrium, quales. ibid.
Causæ putridarum febrium ab ephemeris hecticisque distinctiuæ, quænam. ibid.
Putridarum febrium symptomata communia quænam. ibid.
Putridarum febrium symptomata propria. ibid.
Perfrigeratio, quid: eius causa. Cuius febris symptoma dicatur. ibid.
Rigor, quomodo definiatur. Quibus in morbis, & qua ratione simul frigidus existat: in aliis, cur absque perfrigeratione inueniatur. fol. 31.
Rigoris causa, quænam: quomodo cum conuulsionis effectrice identitatem, & distinctionem consequatur. ibid.
Tussiendi impetus, quomodo à Græcis denominetur, huius effieiens causa tussim etiam commouens, quænam. ibid.
Horror, quid. Cum causa eiusdem. ibid.
Rigoris & horroris differentiæ in criticum, periodicum, atque symptomaticum, cum definitionibus singulorum, & exemplis affectuum quos huiusmodi comitantur. fol. 32.
Signa putridæ febris imminentis, quæ. ibid.
Prognosis futuri successus febrium putridarum. fol. 32. & 33.
Curationis indicationes duæ & quænam. fol. 33.
Putrediniis febrium causæ duæ præ reliquis eminentiores ibid. Et pro euratione necessariæ, quænam. fol. 34.
Obstructio in cute, à quibus causis producatur. ibid.
Obstructio maiorum vasorum, minorumque, vnde, cum exemplis affectuum qui ab eadem oriuntur. ibid.
Indicationes curatiuæ per ordinem dispositæ pro febribus putridis sanandis, quænam. ibid.
Curatio obstructionis febrilis aduenientis cuti. ibid.
Sanguinem, fixoum bilis ex Auicenna, non impedire venæ sectionem probatur. ibid. Quamvis in obstructione rollenda, bilis sanguini per vasa confundatur. fol. 35.
Obstructionem reserantia citra manifestum calorem, quæ ib.
Curatio obstructionis maiorum vasorum pro diuersitate causarum. ibidem.
Obstructio maiorum vasorum à causis contrariis simul occurrentibus orta, quam recipiat curationem. ibid
Curatio obstructionis in abdomine. ibid.
Obstructionum curationi, non semper esse necessariam sanguinis missionem ostenditur: cuius gratia opiniones aduersariorum reiiciuntur, & rationibus consimilium respondetur. fol. 36.
Phlebotomiam omni febri putridæ non conuenire, demonstratur. fol. 37.
Curatio putredinis humorum in febribus, quibus indicationibus vtatur. ibidem.
Coctio seu maturatio humorum, quid; quibusve vocibus exprimatur. fol. 38.
Cruditas in humoribus, quomodo definiatur. ibidem.
Putrescentium humorum mitificationem, non esse eorumdē æquationem ad mediocritatem substantiæ, probatur contra Auicennam, aliosque. ibidem.
Obstructioni febrili reserandæ, quænam (præter vniuersalia, & remedia maiora) præstanda occurrunt. Quove tempore eadem assumenda. ibidem.
Cibandi modum & tempus in febribus putridis, quænam definiant. fol. 38. & 39. Documenta aliquot circa consimilium curam vniuersalem & accidentia superuenientia tollenda. fol. 39.
Synochus non putris symptomatica, quæ dicatur. ibid.
Sanguinem materiam febris synochi, cuius conditionis existere oporteat. ibidem.
Causæ remotæ, & proximæ synochi legitimæ quænam, fol. 40.
Sanguinem copiosiorem, quæ producant. ibidem.
Sanguinem, quænam putrefacere valeant. ibidem.
Signa synochi legitimæ, ex quibus capitibus eruantur. ibid.
Calidum exhalans in synocho legitima, quodnam. ibidem.
Pulsus synochi legitimæ, quis dicatur. ibidem.
Vrinæ synochi eiusdem, quales. ibidem.
Inuasionis modus in synocho legitima, quis. Quænam signa veluti memoratiua, eandem præcesserint. ibid.
Symptomata synochi legitimæ communia, quæ, & vnde. ibidem.
Prognosis febris synochi. ibidem.
Crisis synochi febris, quibus, & quando celebretur. ibid.
Curationi febris synochi, quæ ex communibus cæteris putridis indicationibus desumpta & particularia satisfaciant. fol. 41.
Clysteris refrigerantis forma pro synocho. ibidem.
Refrigerantia incrassando, attenuando leuiter, & vehementer corroborando, incidendo simul & attenuendo, quænam. ibidem.
Iulapij vulgaris exemplum, pro synocho. ibidem.
Apozematis exemplum, pro synocho. ibidem.
Epithemarum cordi & iecori apitulantium formulæ, pro synocho. fol. 42.
Frontalia, quas præcautiones habeant. ibidem.
Diæta synocho laborantium, quænam. fol. 42. & 43.
Malignitas affectuum, quot modis vsurpetur. fol. 43.
Febrium malignarum significatio duplex, ibidem.
Malignus morbus, quot nominibus variis exprimatur. ibid.
Malignorum simulque pestilentium affectuum species duæ, quænam. ibidem.
Pestis nomen commune, pro quibus accipiatur. ibidem.
Febrium pestilentium simulque contagiosarum differentiæ. fol. 44.
Pestilentem ephemeram constitui, eamque cæterarum specierum perniciosissimam esse, ostenditur. ibid.
Causæ febrium malignarum minus propriè nuncupatarum, quænam. ibid.
Causa propriè malignarum generica, quæ. ibid.
Putredinis excellentia, ex tribus orta, & quibus. fol. 44. & 45.
Causæ febris pestilentis per imitationem, quænam. ibid.
Causæ pestilentis contagiosæ febris, quæ. ibid.
Contagium, quid, quot modis exequatur. ibid.
Signa febrium malignarum & pestilentium secundum magis & minus inter se tantum differentia, quæ quibus ex fontibus orta. ibid.
Calidum exhalans è corporibus laborantium febre maligna vel pestilenti, quale. ibid.
Pulsus febrium malignarum & pestilentium, quis. f. 45. & 46.
Vrinæ febrium malignarum atque pestilentiū, quales. fol. 46.
Vrinarum viriditas & liuor in febribus malignis, vnde, cur eædem sanis similes habeantur. ibid.
Alui excremēta in febribus malignis & pestilentibus, quæ. ib.
Symptomata febrium malignarum simulque pestilentium, quænam. ibid.
Signa differentiarum febrium malignarum atque pestilentium, quæ. ibid.

Index.

Epidemicorum morborum natura duplex, quibus signis detegatur, ipsisque occurratur. ibid.
Signa febris pestilentis ephemeræ, & becticæ, quæ. ibid.
Pulsus febrium malignarum & pestilentium mediocritas, vnde. fol. 47. & 48.
Prognosis febrium malignarum atque pestilentium, à quibus ernatur. fol. 48.
Signa imminentis febris, malignæ & pestilentis, quæ. ibid.
Putredini obnoxia corpora, quæ dicantur. ibid.
Sanguinis stilla, quibus in morbis perniciosa. ibid.
Parotides, quibusnam febribus periculum portendant. ibid.
Carbunculi, qui letbales, quive maligni & pestilentes censeantur. ibid.
Malignarum febrium præcautio, quibus constet. ibid.
Pestilentem febrem, quomodo præcaueamus. fol. 49.
Opiata pro malignis & pestilentibus febribus. ibid.
Aqua Theriacalis pro malignis atque pestilentibus febribus. ib.
Amuleta ad præcautionem malignarum atque pestilentium febrium, quæ. ibid.
Curatio malignarum & pestilentium febrium, quibus indicationibus viatur. fol. 49. & 50
Curationi pestilentium malignarumque febrium, quando alexipharmaca tantùm conueniant. fol. 50.
Pestilentia febris noxa ex non misso sanguine in præsente plethora, quæ inueniatur. ibid.
Aquæ cardiacæ, quænam. ibid.
Putredini febrili aduersantia medicamenta, cuiusnam qualitatis esse debeant, & quæ illa enumerentur. ibid.
Aurum peculiari modo paratum, qua ratione affectibus cordis prodesse valeat. fol. 52.
Lapidum pretiosorum vires, quænam. ibid.
Liquores stillatitios sulphuris & vitrioli, maximam vim corrigendæ putredinis obtinere, probatur contra nonnullos. ib.
Putredinem corrigentibus, qua ratione vtendum, quove tempore assumantur eadem. ibid.
Terra lemnia, samia, & bolus armena, quod commodum præstent in enacuationibus sedandis. ibid.
Olea cardiaca quænam sint. fol. 53.
Epithemata febrium malignarum & pestilentium curationi opitulantia, qua ratione admoueantur. ibid.
Diæta malignarum febrium, quænam. fol. 54.
Diæta pestilentium febrium, quæ. ibid.
Aues cypriæ, quomodo parandæ, barumque exemplum. ibid.
Pentaphyli radix in decocto, plurimum aduersatur putredini. fol. 55.
Quotidianæ febris significatio apud antiquos, quænam. *Eiusdē* acceptio propria, & diuersa ab autboribus denominatio. ib.
Synochus quotidiana, quid, eius causa, sedesque morbifica. ib.
Continuæ quotidianæ definitio, causa, & locus. ibid.
Continua lenta, quid, situs, causa, & appellatio eiusdem diuersa. ibid.
Intermittentis quotidianæ definitio, denominatio apud Græcos, sedesque propria. ibid.
Continua quotidiana per subintrantiam dicta, quæ. ibid.
Quotidiana duplex, quænam dicatur. ibid.
Intermittens diurna, & nocturna, quid. ibid.
Quotidianæ nothæ definitio, diuisio, & causa. fol. 55. & 56.
Epiala febris, quid, vnde sic dicta, eius causa, sedesq; propria. ib.
Epiala secundū *Auicennā* excogitata, fictitia esse probatur. ib.
Syncopalis humorosa febris, quænam, cuius ordinis putridarum existat, vnde sic denominetur. ibid.
Causæ febrium quotidianarum communes, quæ. ibid.
Pituitam generantia, quænam. ibid.
Signa diagnostica febris quotidianæ, quæ. ibid.
Calidum exhalans è corporibus laborantium febre quotidiana exquisita, quale. ibid.
Pulsus febris quotidianæ exquisitæ, quis. ibid.
Vrina quotidianæ exquisitæ, quænam. ibid.
Inuasio febris quotidianæ, quæ. ibid.
Symptomata quotidianæ exquisitæ, quænam. fol. 56.
Signa differentiarum quotidianæ febris, quæ. fol. 57.
Prognosis febrium quotidianarum. ibid.
Signa imminentis quotidianæ febris, quænam. ibid.
Quotidianam febrem esse frequentem, probatur contra nonnullos. ibid.
Curatio quotidianæ febris, quibus indicationibus vtatur. ib.
Potionum purgantium formulæ variæ pro quotidianis febribus. fol. 58.
Boli ordinationes diuersæ, pro quotidianis febribus. ibid.
Ventriculum corroborantia, quæ. ibid.
Iulapii descriptiones variæ, pro quotidianis febribus. f. 58. 59.
Attenuantia, quæ dicantur. fol. 59.
Detergentia, quænam. ibid.
Apozematis exemplum pro quotidianis febribus. fol. 60.
Hiera Pachij, cuiusnam humoris specifici expurgationi vtilissima. ibid.
Vomitum excitantia, quæ. ibid.
Potionis purgantis forma pro pituitosis febribus. ibid.
Boli cataractici varii, pro quotidianis febribus. ibid.
Pilularum ordinationes pro quotidianis febribus. ibid.
Sassafras lignum, qua ratione diureticum potentissimum habeatur. ibid.
Epithemata pro febribus pituitosis cordi & iecori inseruientia. ibid.
Opiatæ exemplum, pro quotidianis febribus. ibid.
Conditum, pro quotidianis. ibid.
Fomentum, pro pituitosis febribus. ibid.
Linimenti forma, pro quotidianis febribus. ibid.
Emplastrum, pro quotidianis febribus. ibid.
Cataplasma, pro quotidianis febribus. fol. 61.
Incidentia cum attenuatione, quænam. fol. 62
Diæta quotidianarum febrium. fol. 62. & 63.
Synochus tertiana, & biliosa, quid, sedesque. fol. 63.
Causos febris, quid, & situs. *Cuius* ordinis biliosarum esse dicatur. vnde denominationem subeat. Eiusque differētię. ib.
Lipyria febris, quid, vnde sic dicta. ibid.
Continua tertiana, quę, vnde producta, eiusque sedes. ibid.
Intermittens tertiana, quęnam: eius causa: & situs. fol. 64.
Tertianę exquisitę simpliciter, summè exquisitę, extensę, & [illegible] causę, situs, atque descriptiones. ibid.
Tertiana duplex, quid, vnde producta, eiusque sedes. ibid.
Tertianę nothę descriptio, causa, & situs. ibid.
Semitertiana febris, quid, illius denominationis author, causę sedes, cum diuisione in eam quę maioris famę, & alteram quę minoris esse dicitur. ibid.
Tertianę malignissimæ atque lethalis, causę, sedesque. ibid.
Continua tertiana symptomatica, quę, causę, & situs. fol. 64. & 65.
Syncopalis minuta febris, quid, vnde dicta, sedes, cum causa. fol. 65.
Causę biliosarum febrium, quę. ibid.
Bilem copiosiorem generantia, quęnam. ibid.
Signa ardentis febris, eiusque differentiarum communia, & propria, quę. ibid.
Signa causi nothi, quę. ibid.
Signa continuę tertianæ legitimæ, ibid. & spuriæ. fol. 66.
Signa intermittentium tertianarum generis vtriusque. ibidem.
Signa tertianæ simpliciter dictæ, summè exquisitæ, extensæ, & tritæophyes: ibid.
Signa tertianarum compositarum (scil. duplicis & triplicis tertianæ) quæ. fol. 66.

Signa

Index.

Signa syncopalis,minutæ. ibid.
Prognosis tertianarum febrium,quæ. fol.66.& 67.
Tertianas febres hyeme potius,quàm æstate generari, quomodo intelligatur ab authoribus. fol. 66.
Crisis ardentis febris,cur per hæmorrhagiam præcipuè celebretur. ibid.
Tertianarum febium productionis,quæ susceptiua. fol. 67.
Curatio tertianarum febrium per indicationes proprias. f.67.
Ardentem febrem legitimam atque spuriam indicare sanguinis missionem,quibus probetur. fol.67.& 68
Clysteris exemplum pro tertianis febribus. fol.68.
Vomitorij forma,pro tertianis febribus. fol. 69.
Boli purgantia ordinationes variæ,pro tertianis. ibid.
Potiones purgantes diuersæ,pro tertianis febribus. ibid.
Epithematum exempla pro tertianis, in cordis atque Iecoris tuitione. fol. 70. & 71.
Absynthium,quibus febribus maximam vim obtineat. fol.71.
Baloei vsum in febribus,quæ impediant. ibid.
Diæta tertianarum febrium,quænam. fol. 72.
Frontalis vium in febribus,quænam tollant. ibid.
Iulapij somniferi exemplum pro tertianis febribus. ibid.
Boli soporif.ri formulæ variæ,pro biliosis febribus. ibid.
Alimenta pro tertianis à Galeno commendata, quænam ad visum consimilium febrium interdicantur. ibid.
Suum cerebra & pedes pro tertianis febribus admodum commendata, eisdem noxia esse probatur aduersus Galenum. ibid.
Ouorum vitella,quibusnam febribus nocumentum afferant. ibidem.
Fructus horarii,quinam tertianis febribus inutiles. ibid.
Accessionibus febrium simplicium, quos ægrotantes cibare oporteat. fol. 72.& 73.
Continens quartana,quid,vnde eiusque sedes. fol. 73.
Continuæ quartanæ definitio,causa,& locus. ibid.
Intermittens quartana,quid.vnde,eiusdem sitns. ibid.
Melancholicæ febris legitimæ,& spuriæ distinctio. ibid.
Causæ melancholicarum febrium,quæ. ibid.
Melancholiam copiosiorem,quænam producant. ibid.
Signa diagnostica quartanarum febrium communia,ex quibus fontibus oriantur. ibid.
Calidum exhalans è corporibus laborantium febre quartana, quale. ibid.
Pulsus laborantium quartana febre,quales. ibid.
Vrinæ quartanarum febrium,quænam. ibid.
Symptomata quartanarum febrium,quæ. fol. 73.& 74.
Prognosis quartanarum febrium,quæ. fol. 74.
Quartanarum febrium,quænam susceptiua magis. ibid.
Quartana febre diuturniori laborantium exempla. ibid.
Quartanæ æstiuæ,cur hyemalibus breuiores,& contra. ibid.
Quartana febre laborantes,quibus affectibus liberentur. ibid.
Curationis quartanarum febrium opiniones communes & vulgares sublatæ. fol.74. & 75.
Curatio quartanarum febrium accidentaria,quænam. fol. 75.
Curationi regulari quartanarum, quæ magna remedia conueniant. ibid.
Sanguinis missioni in melancholicis affectibus, quænam occurrant notanda. ibid.
Boli cathartici exemplum, pro quartanis febribus. ibid.
Potionis purgantis formula, pro melancholicis febribus. ibidem.
Alterantia remedia pro humoris melancholici expurgatione, quænam. fol. 75. & 76.
Olea iuuantia paroxysmos quartanæ,quæ. fol. 76.
Saluatellæ sectionem in curatione quartanarum, nullum habere vsum probatur. ibid.
Purgantia melancholiam,quæ. ibid.
Vomitus in curatione quartanæ, quando instituendus, quibusve componendus. fol. 77.
Vomitorij ordinationes,pro curatione quartanæ. ibid.
Quartanam febrem,quæ iam insensibiliter dissipent. ibid.
Epicarpia varia,pro quartanis febribus sanandis. ibid.
Amuleta pro curatione quartanarum febrium,quæ f.77.& 78
Diæta quartanarum febrium,quænam. fol. 78.
Clysterium emollientium formulæ,pro quartanis febribus. ib.
Alimenta mali & beni succi,quæ. fol. 79.
Victum tenuem & exquisitum quartanis febribus non esse salubrem,probatur contra Celsum. ibid.
Alimenta acria,salsa & piperata,quando conueniant febribus quartanis. ibid.
Hecticæ febris denominatio,vnde. ibid.
Hecticam,non habere intemperiem siccam ostenditur. ibid.
Hecticam inuadere solidas tantùm partes, contra Mercurialem ostenditur. fol. 80.
Hecticæ diuisio in hecticam simpliciter dictam, & hecticam pestilentem:cum definitionibus vtriusque. ibid.
Hecticæ differentiæ in incipientem & progressam febrem, cum descriptionibus singularum. ibid.
Hecticæ progressæ species,cum definitionibus. ibid.
Hectica marasmodes exquisita, & non exquisita, quomodo definiantur. ibid.
Hectica consummata,quid,eius denominatio varia. ibid.
Hecticæ diuisio in simplicem & complicatam: quarum quælibet definitur. ibid.
Causæ hecticarum febrium,quæ. fol. 80. & 81.
Hectica,quàdo ephemeriæ putridisq; febribus superueniat. ib.
Hecticam nunquam primò inuadere, quomodo intelligatur apud Galenum. ibid.
Signa hecticarum communia,quæ,& vnde orta. ibid.
Calidum exhalans ab hecticorum corporibus,quod. ibid.
Pulsus durities,non signum pathognomonicum hecticorum existit. ibid.
Pulsus hecticorum familiarior,quis. ibid.
Hecticæ progressæ signum inseparabile à calore desumptum, quod,& vnde. ibid.
Vrinæ hecticorum,quales. ibid.
Signa hecticæ putridæ coniunctæ. ibid.
Signa hecticæ incipientis,quæ. ibid.
Signa hecticæ marasmodes non exquisitæ. fol. 82.
Signa hecticæ marasmodes exquisitæ,quæ. ibid.
Annotatio incompreesa,quid. ibid.
Signa marasmi,quænam. ibid.
Prognosis hecticarum febrium,quæ. ibid.
Aqua calefacta,quonam modo frigiditati pristinæ restituatur, ibidem.
Hecticis calorem nullum esse, quo veluti instrumento anima connaturalem temperiem sibi iam amissam renouare valeat,ostenditur contra Mercatum. fol.83
Hecticarum febrium,quænam magis susceptiua. ibid.
Curatio hecticarum per suas indicationes. fol. 83. & 84
Lac,hecticis quibus noxium iudicetur. fol. 84
Alterantia pro hecticorum medela, quarum qualitatum conditionem recipere debeant. ibid.
Cubicula pro curatione hecticorum, qualem constitutionem aëream & situm obtineant. ibid.
Diæta hecticorum,quæ. ibid
Clysteres pro hecticis sanandis, quibus constare debeant. ibidem.
Lienteria periculosa hecticis. fol. 85.
Purgantia hecticis familiaria, quæ, quove modo vsurpanda. ibidem.
Alterantia pro hecticis, quas ordinationes componant, & quænam. fol. 85. & 86.

Balnea hecticorum, quomodo construenda, quibusve constent. fol. 86.
Balnea hecticorum, quonam tempore vsurpanda, eiusque durationis præscriptio necessaria. ibid.
Balnea pro hecticis, quæ suadeant adnotanda & assumenda ante ipsorum vsum. fol. 87.
Hecticorum renutritioni, quæ alimenta satisfaciant. ibid.
Lac pro hecticis, quale, quo tempore assumatur, eius haustus præparatio, ibid. quænam illius vsum impediant. f. 87. & 88
Hordei vsus varius pro nutritione hecticorum. fol. 88.
Epithemata, pro hecticis. fol. 89.
Hecticorum alimenta, quibus horis diei & noctis debeant assumi, ibid.
Iura expressa aut consummata carnium pro hecticis, earumdem gelatinæ, & contusa, quibus modis parentur. ibid.
Iuris contusi & ad iulepi formam præparati formula, pro hecticis. fol. 90.
Febris compositæ dictæ, definitio, atque diuisio. ibid.
Febris composita, ratione materiæ, quid, cum exemplis. ibid.
Febris composita ratione formæ, quomodo definiatur, eiusque exempla, quæ. ibid.
Quotidianæ duplicis definitio. ibid.
Tertiana duplex, quid. ibid.
Quartanæ duplicis, triplicis, duarumque implicatarum definitiones. fol. 90. & 91.
Febris complicata, quomodo definiatur, eius diuisio in species diuersas. fol. 91.
Febrilis complicatio in duabus febribus generum diuersorum quæ, cum exemplo. ibid.
Febrilis complicatio in duabus febribus eiusdem generis quænam, quotve modis eadem exequatur. ibid.
Continentium febrium cum intermittentibus coniunctio quænam. ibid.
Continuarum febrium copulatio inter se distinctæ speciei, quæ dicatur. ibid.
Continuarum cum intermittentibus, coitio quænam. ibid.
Hemitritæos, quem febrilis complicationis modum intueatur, quod genus febrium consequatur, eius species variæ fol. 91. & 92.
Semitertiana febris, quam complicationem sequatur, eiusque differentia ab hemitritæo. fol. 92.
Tertianam cum quotidiana implicatam, sexdecim differẽtias habere probatur. ibid.
Tertianarum duarum, duarumque quartanarum, & quotidianarum duplicium complicatio febrilis, quæ, cum exẽplis. ib.
Intermittentium febrium inter se similium dissimiliumque complicatio, quot modis exequatur. fol. 91. & 93.
Intermittentes confusæ, & complexæ à Galeno, quæ. fol. 93.
Intermittentes intrantes, coalternatæ, atque communicantes ab Auicenna nuncupatæ, quæ. ibid.
Febrium intrantium, & per subintrantium dictarum, qualis distinctio. ibid.
Tertianarum duarum exemplum, quod. ibid.
Causæ febrium duplicium, atque triplicium compositarum, quæ. ibid.
Causæ febrium implicatarum, quæ. ibid.
Signa febrium compositarum, implicatarumque, vt continentium cum intermittentibus, ibid. continuarum cum continuis, continuarum cum intermittentibus, & intermittentium cum intermittentibus, quænam. fol. 94.
Prognosis compositarũ, implicatarũque febriũ, quæ. f. 94 95.
Curatio febrium spuriarum & notharum cuiuslibet generis, quibus indicationibus vtatur. fol 95.
Attenuantia mediocriter pituitam, quæ. ibid.
Curatio febrium compositarum, implicatarumque exquisitarum, quæ. fol. 96.
Symptomata febrium, in quot genera diuidantur. fol. 97
Æstus comitans febrem, vnde excitetur. ibid.
Lassitudo, cur febribus adueniat. ibid.
Torpor febrilis, vnde. ibid.
Iactatio in febribus, ex qua causa. ibid.
Dolores capitis & lumborum aduenientes febri, vnde. ibid
Pectoris oppressio, & dispnœa in febribus, quam causam consequantur. ibid.
Tussis febrilis, cuius causæ effectus. ibid.
Delirium, sopor, atque vigiliæ in febribus, vnde: ibid.
Linguæ nigredo, & asperitas, lentor eiusdem atque dentium, & palati in febribus, vnde. ibid.
Sitis febrilis, ad quam causam referatur. ibid.
Gustus deprauatio, cibique fastidium in febribus, vnde. ibid.
Animi deliquia symptomata febrium, cuius causæ effectus. ib.
Vomitus, & singultus febriles, vnde. ibid.
Nausea in febribus, ex qua causa dependeat. ibid.
Alui fluxus, & astrictio, à quibus causis. ibid.
Fames febrilis, vnde. ibid.
Icteri febrilis causa, quæ. ibid.
Rigor, perfrigeratio, & horror communia febrium symptomata, vnde. ibid.
Hæmorrhagia vndequaque emanans & febri superueniens, quam causam sequatur. ibid.
Curatio sudoris febrilis parcioris, cum prognosi eiusdẽ. f. 98
Curatio sudoris copiosi per vices aduenientis febribus. ibid.
Curatio sudoris febrilis continuò fluentis & copiosi. ibid.
Curatio rarefactionis cutis. ibid.
Curatio retentricis imbecillæ. fol. 98.
Incrassantia alimenta, & medicamenta, quæ. ibid.
Curatio tenuitatis humorum. fol. 99.
Sudoris detersio, quomodo tractanda. ibid.
Pustulas & papulas communi exanthematum atque ecthymatum voce significatas fuisse ab antiquis authoribus, ostenditur. ibid.
Exanthematum definitio propria, diuisio, nominis interpretatio, & variæ appellationes. ibid.
Papularum differentiæ, à quibus sumantur. ibid.
Rosa, species exanthematum, quid. ibid.
Ecthymatum definitio, species, nominisque etymon. ibid.
Variolarum definitio, ipsarum notæ, quos affectus eædem consequantur, differentiæ consimilium, cum descriptione variolarum fatuarum. fol. 100.
Morbillorum definitio, notæ, & appellationes variæ, quarum nomenclatura exponitur. ibid.
Phlysachia, quomodo definiantur, dignoscantur, diuidantur, variamque denominationem subeant, quarum etymologiæ declarantur. ibid.
Exanthemata & ecthymata cognita apud antiquos cum suis quibusdam speciebus, ostenditur. ibid.
Causa exanthematum ecthymatumque communis & proxima, quæ. fol. 101.
Causa exanthematum ecthymatumque communis, & remota, quænam. ibid.
Causa efficiens particularis papularum, rosæ, variolarum vtriusque generis, morbillorum, & phlyzaciorum. fol. 101.
Excretionum cutanearum, quæ symptomaticæ, & quæ criticę dicantur. fol. 102.
Sanguinem menstruum non esse causam variolarum atque morbillorum, probatur aduersus Arabes horumque sectatores. ibid.
Variolas & morbillos non esse morbos hęreditarios, neque Auicennę temporibus cœpisse, ostenditur. fol. 103.
Variolas vix secundò & rarissimè tertiò eundem infestare, vnde oriatur. ibid.

Astrorum

Index.

Astrorum constellationes quonam modo, & quo tempore effluxum immittant faciliorem defficilioremque. ibid.
Signa communia exanthematum ecthymatumque imminentium, à quibus petantur, eaque cognitu difficillima ibid.
Exanthemata & ecthymata, quando febris præcedat & comittetur. fol. 103 & 104.
Signa particularia excretionum prædictarum aduentantium, quæ. fol. 104.
Causa symptomatum comitantium exanthemata, quæ. ibid.
Signa distinctionis temporum in excretionibus cutaneis. ib.
Prognosis vniuersalis eruptionum cutanearum, quæ. fol. 104 & 105.
Prædictio specifica variolarum, rosæ, morbillorum, papularum, phlyzaciorumque. fol. 105.
Curatio exanthematum, quibus auxiliis exequatur. fol. 105. & 106.
Curatio rosæ, & phlyzaciorum. fol. 107.
Curatio variolarum, morbillorumque. ibid.
Sanguinis missio, quando variolis & morbilis opportuna. ibidem.
Purgatio variolarum atque morbillorum, ex quibus, quove tempore celabranda. fol. 107. & 108.
Acritudo humorum feruorque eorumdem, quibus medicamentis superetur. fol. 108.
Diæta laborantium variolis & morbillis, quænam instituenda principio morbi. ibidem. Quæ, in augmento. Qualis, in statu. Et quæ, in declinatione. fol. 109
Faucibus & laryngi pro variolis & morbillis, quæ remedia satisfaciant. ibid.
Oculis naribusque laborantium variolis, quænam medicamenta vtilia. ibid.
Gargarismatis materia pro variolis intra fauces & laryngem comprehensis. ibid.
Eclegmatis forma, pro variolis infantium. ibid.
Collyrium pro ocolis in affectibus variolarum. ibid.
Epilepsia superueniens variolis quibus curetur. ibid.
Symptomata variolarum circa finem augmenti, infestantia plurimùm, quæ, & quibus auxiliis tollantur. fol. 110.
Astringentia alimenta, quæ. ibid.
Clysteris anodini & detergentis materia pro variolis sanandis, quæ. ibid.
Clysteris anodini & astringentis materia, quænam. ibid.
Symptomata variolarum circa finem status lædentia, quænam, quibusque curentur. ibid.
Symptomata variolarum, in declinatione vniuersali aduenientia, quæ. ibid. & quibus remediis deleantur. fol. 111.
Aquæ compositæ exemplum, pro maculis oculorum ex variolis. ibid.



INDEX

VERBORVM MEMORABILIVM,

QVÆ IN TRACTATV DE MATERIA ET FORMVLIS MEDICAMENTORVM CONTINENTVR.



SCopi medentium principes & vniuersales, quinam ex Galeno. fol. 112.
Medicamenta dicta media quibus vti liceat ad expulsionem affectuum. ibid.
Medicamentorum distinctio, pro humoris morbifici maturatione diuersa; eiusdem expulsione, atque partium variarum tutela. ibid.
Diuisio tractatus istius in libros duos, quid vterque separatim contineat. ibid.
Diuisio libri primi in sectiones quatuor; earumdem sermonis proprij narratio distincta. fol. 113.
Pituitam præparantia composita, quæ. Atque eidem satisfacientia simplicia. ibid.
Syrupus capilli veneris, cuius qualitatis primæ & secundæ particeps. ibid.
Syruporum, de duabus aut quinque radicibus, acetosi simplicis, & acetosi compositi, qualitates, atque vires. ibid.
Syruporum, vt de tussilagine, de prassio, de hyssopo, & de sthoëcade qualitates, viresque. ibid.
Oxymel simplex, compositum, & scylliticum, quibus facultatibus primis atque secundis quodlibet sit præditum. ibid.
Syruporum; vt de iuiubis, de glycirrhisa, & de betonica, qualitates, atque vires. ibid.
Ligna quæ pituitæ præparationem adiuuant. ibid.
Radices, humorum consimilem præparantes, quænam. ibid.
Folia, eiusdem humoris coctionem facilitantia. ibid.
Semina humoris prædicti præparationi dicata, quænam. ibid.
Aquæ pituitam eandem præparantes, quæ. fol. 114.
Bilem præparantia composita, quænam. ibid.
Bilem præparantia simplicia, quæ. ibid.
Syrupi refrigerantes simulque putredini plurimùm obsistentes, quinam. ibid.
Syrupi vehementer refrigerantes & simul adstringentes, quinam. ibid.
Syrupi rosati simplicis, qualitas quæ. ibid.
Syruporum, violati simplicis, de nymphea simplicis, & compositi, de papauere simplicis, & compositi, de endiuia simplicis, de cichorea simplicis, & compositi, atque de rosis siccis, qualitates primariæ, & secundariæ, quænam. ibid.
Ligna præparantia bilem, quæ. ibid.
Radices humori eidem satisfacientes, quænam. ibid.
Folia biliosum humorem præparantia, quæ. ibid.
Semina frigida maiora, & minora ad idem, quænam. ibid.
Flores eiusdem ordinis, qui dicantur. ibid.
Succi, aquæ, aut decocta consimilium virium, quænam. ibid.
Melancholiam præparantia composita, quæ. ibid.
Melancholiam præparantia simplicia, quænam. ibid.
Syrupus de pomis simplex ex succo pomorum depuratus, cuius qualitatis, & virium particeps. ibid.
Syruporum, veluti de fumaria, de succo borag. aut buglossi, de scholopendria, qualitates primariæ, & secundariæ, quæ. ibidem.
Oxysaccharum compositum, qua qualitate, & viribus donatum. ibid.
Cortices quinam, melancholiam præparant. ibid.
Radices ad consimilem humorem maturandum. ibid.
Folia, eidem satisfacientia. ibid.
Fructus, & semina, eiusdem ordinis. ibid.
Flores pro melancholico succo præparando, quinam. ibid.
Aquæ, eiusdem vsus, quæ. ibid.
Bilem vtramque præparantia composita, scilicet syrupi, quinam. ibid.
Bilem & pituitam simul præparantes syrupi, qui. f. 114. 115.
Pituitam & melancholiam simul maturantia composita, præsertim syrupi, quinam. fol. 115
Oxysaccharum simplex; atque compositum, quos humores mixtos præparent. ibid.
Cerebrum corroborantia (cephalica dicta) composita, vt syrupi, qui. ibid.
Cephalica simplicia calida, vt ligna; & radices, quænam, folia, semina, flores, aromata, & aquæ, quæ. ibid.
Cephalica simplicia frigida, vt radices, folia, flores, semina, & aquæ, quæ. ibid.
Syrupi bechici, & pulmones roborantes, quinam. ibid.
Syruporum, de rosis siccis, & myrthini compositi qualitates, & vires. ibid.
Syruporum, vt de glycirrhisa, papaueris erratici, & symphiti qualitates primariæ, & secundariæ, quænam. ibid.
Pectoralia & bechica simplicia, vt radices, folia, semina, fructus, flores, gummi, & aquæ, quænam. fol. 116.
Cardiaca composita, sc. syrupi quinam. ibid.
Cardiaca simplicia calida, vt ligna, cortices, radices, folia, semina, & aquæ, quæ. ibid.
Cardiaca simplicia frigida. Vt radices, folia, semina, flores, fructus, cornua, & aquæ, quænam. ibid.
Vterum roborantia (hysterica dicta) composita, præsertim syrupi, quinam. ibid.
Hystericorum simplicium genera quatuor, eorumque definitio. ibid.
Hysterica primi generis simplicia. Vt radices, folia, fructus, succi, flores, & aquæ, quæ. ibid.
Hysterica simplicia secundi generis. Vt aquæ, succus, gummi, & folia, quæ. ibid.
Hysterica tertii ordinis simplicia. Vt radices, folia, semina, flores, aromata, & aquæ, quæ. ibid.
Hysterica simplicia generis vltimi. Vt radices, folia, semina, flores, fructus, & aquæ. fol. 117.
Hepatica composita, quæ. ibid.
Syruporum. Vt Bizantini simplicis, compositi, de endiuia compositi, de eupatorio, de absynthio, & de rosis siccis,

qualitates

qualitates primariæ,atque secundariæ, quænam. ibid.
Hepatica simplicia calida. Vt radices, folia, semina, flores, fructus,& aquæ,quæ. ibid.
Hepatica simplicia frigidia. Vt radices,quæ,folia,semina,flores,fructus,aromata,& aquæ,quæ. ibid.
Renes roborantia composita (nephritica dicta) quæ inter syrupos. ibid.
Nephriticorum simplicium ordines,quot,de consimilium sc. calidorum diureticorumque primo genere. Vt radicibus, foliis,seminibus floribus,& aquis. ibid.
Nephritica secundi ordinis (sc. diuretica frigida.) Vt radices folia,semina,fructus,& aquæ,quæ. ibid.
Nephritica ordinis tertii,quę. Inter radices,folia,semina,succos,& aquas. fol. 117. & 118.
Nephritica quæ in vltimo ordine nomerentur. Pro radicibus, corticibus foliis,seminibus, fructibus, succis, lapidibus, & aquis. fol. 118.
Ventriculum roborantia (stomachica dicta) quæ composita & præcipuè syrupi. ibid.
Syruporum,de absynthio,de menta maiore, de succo cytoniorum,conseruationis myrobalanorum, myrtini simplicis & compositi,qualitates primariæ,& secundariæ,quæ. ibid.
Stomachica simplicia calida. Vt radices, folia, semina, flores, aromata,& aquæ, quænam. ibid.
Stomachica simplicia frigida. Vt ligna,radices,folia, fructus, succi,& aquę,quæ. ibid.
Lienem roborantia (splenica dicta) composita quęnam. Et simplicia tam calida,& frigida, inter radices,cortices,folia semina,flores,& aquas. ibid.
Intestina roborantia composita,quæ inter syrupos.f.118.119.
Intestina roborantia simplicia. Vt radices, cortices, folia, semina,flores,fructus,gummi & aquę. fol. 119.
Syrupi purgantes pituitam, melancholiam, bilem, & serum, quinam. ibid.
Syruporum purgantium,vt de epithymo, de pomis sabor, de fumaria Mesues, è floribus persicorum,rosati solutiui,violati solutiui, & ex Damascenis proprietates, atque vires, quęnam. ibid.
Caput alterantia composita,quęnam. ibid.
Pulnerum,dianthos,aromatici rosati, aromatici garyophyllati,& diamoschi dulcis,vires proprietates,atque doses. ibid.
Confectionum celebrium pro capite. sc. Aureæ Alexandrinæ, & theriacæ Andromachi veteris, & recentis,qualitates,vises,cum dosibus. fol. 120.
Mithridatiom, cuius qualitatis, viriumque particeps; & ad quam dosim,assumendum. ibid.
Confectio Anacardina,quas proprietates, vires, atque dosim obtineat. ibid.
Soporem excitantium compositorum. Vt pilularum de cynoglossa,laudaui chymici,& philonii romani proprietates vises,& doses. ibid.
Trochiscorum caput alterantium vires,cum dosibus. ibid.
Cor altesantium compositorum catalogus. ibid.
Pulnerum pro corde, vt diamargariton frigid. de gemmis, diambræ,diamoschi Renodei,bezoartici xyloaloës,lætitiæ, electuarij liberantis proprietates,& doses ibid.
Confectionum cardiacarum,vt alkermes,& de hyacinthi vires atque doses. fol. 121.
Trochiscorum cordialium proprietates,& doses. ibid.
Iecur alterantium compositosum numerus. ibid
Pulnerum iecori satisfacientium. Vt triasantali, & dialaccæ vires atque doses. ibid.
Trochiscorum pro iecore Vt de capbura, de rhabarbaru, & de absynthio,proprietates & doses, de eupathorio, & de bdellio. ibid.
Pulmones alterantium compositorum catalogus. ibid.
Pulnerum pro polmonibus. Vt diayreos simplicis, diayr. salamonis, diatragacanthi frig. diapenidion sine speciebus, proprietates,atque doses. ibid.
Lynctuum genera diuersa. Vt scylliticum,de caulibus, de pulmone vulpis,sanum & expertum, papauerinum, & de pineis,quas vires & proprietates participent. ibid.
Confectio becchica seu de rebeca Renodei, quas qualitates & vires possideat. ibid.
Pilulæ becchicæ, quas vires atque proprietates habeant ibid.
Diacodij qualitates, vires atque dosis. ibid.
Trochiscorum pro pulmonibus: vt de terra sigillata, de carabe,& de spodio vires cum dosibus. ibid.
Ventriculum alterantiom compositorum numerus. fol. 122.
Puluerum pro ventriculo. Vt aromatici rosati, diarhodon abbatis,dianisi,diacinnamomi, diagalangæ, diatrionpipeseon,diacimini,& pleres archonticon. ibid.
Theriaca diathessaron,cuius qualitatis viriumque particeps, cuinam parti potissimum conueniat,& de eius dosi. ibid.
Pilulæ ante cibum,ad quem vsum,cum dosi earumdem. ibid.
Lienem alterantium compositorum census. ibid.
Pulueris chalybis præparatio,vises,vtendi modus,cũ dosi. ib.
Confectio de baccis lauri,quas obtineat vires,eiusdem qualitates,cum dosi. ibid.
Trochiscorum vt capparibus proprietates, qualitates cum dosi. ibid.
Intestina alterantium compositorum catalogus. ibid.
Trochisci quinam,dysentericis conducant. ibid.
Micleta,cuius conditionis visium & qualitatum particeps ib.
Narcoticorum vsus,quo tempore optimus à Galeno, ibid.
Philonium quando efficacius habeatur. fol. 123.
Renes & vesicam alterantium compositorum numerus. ibid.
Puluerum diureticosum,vt electuarii lithontriplici, & iustini vires,atque doses. ibid.
Trochiscorum pro renibus aut vesica. vt alkekengi, gordonii, & albi shasis proprietates,& doses. ibid.
Vterum,& virilia alterantium compositorum catalogus.ibid.
Puluerum vtero conducentium. vt diacalamintes, & diacurima qualitates,vires,atque doses. ibid.
Trochiscorum pro vtero, & virilibus. vt de chysocolla, de carabe,de myrrha, & hystericorum Renodæi proprietates, atque doses. ibid.
Triphera magna, quarum virium qualitatumque particeps, cum dosi. ibid.
Diasatyrion Renodei,quas habeat qualitates, proprietates,& dosim. ibid.
Contagiosos affectus & venena profligantium compositarum descriptio. ibid.
Trochiscorum de vipera vsus,& dosis. ibid.
Pulueris contra rabiem palmasii qualitates,proprietates, cum dosi. ibid.
Pilulæ rusi,quarum virium particeps,& dosis. ibid.
Lenientium simplicium diuisio,& catalogus. fol 124.
Pruna damascha,& sebestena,quam admittant dosim, atque vires,in decoctione. ibid
Tamaryndorum decocti vires,cum dosi. ibid.
Violarum semen,& flores,quas psoprietates, atqoe doses in substantia,vel in decoctu assumpta, coosequantur. ibid.
Vrticæ semen in substaotia,aut decocto, quas doses & proprietates obtineat. ibid.
Capillorum veneris dacoctum,cuius qualitatis particeps cum dosi. ibid.
Fumariæ decoctum,succus,puluis,& semen,quas vires,& doses separatas consequantur. ibid.
Absynthii vulgaris decocti,succi, & pulueris qualitates, atqua doses propriæ. ibid.
Brassicæ,atque betæ decocta,quas vires,atque doses commu-

 nes

nes obtineant. ibid.
Maluæ decoctum,cuius qualitatis sit,cum dosi. ibid.
Resinarum,vt terebenthinæ, larignæ, & abiegnæ qualitates, doses,& communis vtendi modus. ibid.
Bilem purgantium benigne simplicium numerus. ibid.
Cassiæ siliquosæ conditæ,qua vi prædita,eatumque dosis. ib.
Cassiæ siliquosarum medulla,quomodo corrigatur,assumendi modus,qualitates,& dosis. ibid.
Mannæ calabrinæ,atque brigantinæ,vires, cum dosibus vtriusque,& præparatio. ibid.
Aloes lotæ,& non lotæ qualitates,vires,cum dosibus, vtriusque assumendi,& præparandi modus. fol. 125.
Rhabarbari qualitates, & proprietates, eius dosis diuersa, quatenus in substantia aut decocto præscribitur, cum correctione. ibid.
Myrobalanorum citrinorum vires,dosis varia pro eorumdem substantia,aut decocto,cum præparatione. ibid.
Pituitam benignè purgantium simplicium catalogus. ibid.
Myrobalanorum chebulorum, emblicorum, & belliricorum qualitates,vires,cum dosi diuersa pro substantia aut decocto eorumdem. ibid.
Carthami semen,cuius qualitatis & virium particeps, eiusdem dosis variata,pro diuerso illius sumendi modo in substantia, aut decoctione. ibid.
Agarici qualitates,& vires,dosis eiusdem varia pro substantiæ aut decoctionis diuersitate. ibid.
Melancholiam benignè purgãtium simplicium catalogus. ib.
Polypodii qualitates,& vires,eius dosis diuersa, pro substantiæ aut decocti vsu vario,cum correctione. ibid.
Myrobalanorum indorum vires.& doses. ibid.
Epithymus,quarum qualitatum & virium particeps, eius dosis euariata,pro diuerso vtendi modo substantifico,aut decocto,illius correctio,& acuitas quibus perficiatur. ibid.
Senæ qualitates,& vires,dosis illius prout in substantia,vel in decocto assumitur,diuersa,eiusdemque correctio ibid.
Lactis serum, quibus viribus donetur, eius dosis, & vtendi modus. ibid.
Serum benignè purgantium simplicium numerus. ibid.
Rosarum pallidarum qualitates,earum fucci,atque infusionis dosis propria,cum correctione consimilium. ibid.
Rosarum damascenarum vires,assumendi modus, atque doses variæ,prout in infusione,aut substantia assumuntur.f.126
Persicorum florum qualitates,atque doses. ibid.
Tartari cremor,cuius qualitatis,viriumque sit particeps, dosis,eiusque assumendi modus diuersus. ibid.
Mechoacam, cuius qualitatis & virium particeps, eius dosis variata,prout in substantia aut infusione assumitur. ibid.
Zelapii qualitates,cum dosi. ibid.
Soldanella, quas proprietates qualitatesque obtineat, illius vtendi modus, dosis diuersa prout in infusione vel substantia assumitur. ibid.
Ebuli qualitates,atque vires,præparatio cum dosi. ibid.
Bilem vehementiùs purgantium simplicium catalogus. ibid.
Scammonea,quid,varia eius significatio,atque nominis Græci etymon:qualitates,& vires,cum dosi. ibid.
Cacaputiæ semen,quas qualitates & vires obtineat;illius denominationes variæ,præparatio,atque dosis. ibid.
Ricini americani facultates,exhibendi modus, cum dosi. ib.
Ellebori albi qualitates & vires,quæ mala producat si in substantia assumatur, eius dosis varia, prout in infusione aut decocto recipitur præparatio diuersa. ibid.
Pituitam vehementiùs purgantium simplicium numerus. ib.
Asari radix,quibus qualitatibus & viribus particeps, eius diuersa dosis prout in substantia aut infusione assumitur.ibid.
Turbith qualitates,cum viribus, illius dosis diuersa pro vario assumendi modo,& correctio. fol. 127.
Sarcocollæ vires,& qualitates,dosis,atque vtendi modus. ib.
Sagapeni qualitates,dosis,atque correctio. ibid.
Opopanax, quarum virium & qualitatum particeps, dosis, cum correctione. ibid.
Brioniæ qualitates,eius dosis diuersa,pro vario vtendi modo, correctio,illiusque fœculæ assumendæ pondus,quod.ibid.
Tapsiæ radix,quas vires atque qualitates consequatur, illius dosis varia,prout in substantia vel infusione assumitur, aut succus,vel lac eiusdem propinatur,cum correctione. ibid.
Hermodactylorum proprietates,cum suis qualitatibus, doses pro illorum substantia vel decocto, ibid. Consimilium correctio. ibid.
Esulæ minoris radicis cortex,quibus qualitatibus viribusque donetur,eius noxa quæ in substantia assumpta, atque dosis,pondus quod illius præscripti in decocto, cum vtriusque exhibendi modi correctione. ibid.
Colocynthis,quarum virium & qualitatum particeps, quomodo assumatur: denominatio trochiscorum ex eadem compositorum,dosis consimilium,& correctio. ibid.
Euphorbii qualitates,cum proprietatibus, præparatio, correctio,atque dosis. ibid.
Hydrargyri vires & qualitates, eius extinctionis modus diuersus, præparatio varia, atque dosis dissimilis pro ægrotantium distinctione. fol. 127. & 128.
Melancholiam vehementiùs purgantium simplicium catalogus. fol. 128.
Lapidis armeni qualitates,eiusdem loti,aut non loti,vires diuersæ,cum vtriusque communi dosi. ibid.
Lapis lazuli,quas vires dissimiles consequatur prout lotus aut non lotus assumitur,vtriusque qualitates, dosis communis, atque correctio. ibid.
Ellebori qualitates, cum viribus, eius dosis variata prout in substantia, infusione, aut post extractionem præscribitur, cum correctione. ibid.
Antimonii vires cum qualitatibus, illius dosis diuersa prout vel consimili vtatur crudo,sublimato, vitri instar, aut infuso,cum correctione eiusdem crudi, ibid.
Mercurii pulueris qualitates,cum viribus,noxæ,vtendi modus correctio,cum dosi. ibid.
Serum vehementiùs purgantium simplicium numerus. ibid.
Iridis radix,quarum virium & qualitatum particeps, dosis illius diuersa prout in succo,substantia,aut fœcula exhibetur eiusdem correctio diuersa. ibid.
Elaterii qualitates,& vires,dosis,cum correctione. ibid.
Mesarei arabum vires,cum qualitatibus,correctio, atque dosis diuersis prout in decocto vel substantia assumitur. ibid.
Thymeleæ semen,qua dosi varia assumatur pro diuerso vtendi modo. ibid.
Chamelæa,quorum simplicium facultates,atque vires, cum dosi æmuletur,eius pondus dissimile prout in decocto aut substantia excipitur. fol. 129.
Tythimalorum lac,quibus corrigatur,eius dosis,atque vtendi modus. ibid.
Gutb gummi,quid,vtendi modus diuersus, correctio, atque dosis. ibid.
Pituitam benignè purgantium compositorum catalogus. ib.
Electuariorum pro pituitæ leni purgatione. Vt Catholici, & de citro solutiui,dntes,præscribendi modi, atque vires. ib.
Pilularum ad idem, Vt de hyera cum agarico,assaiaret, & aggregatiuarum facultates,doses,cum viribus. ibid.
Triphera persicæ vires,& facultates,vtendi modus,cum dosi. ibidem.
Pituitam vehementiùs purgantium compositorum numerus. ibidem.
Electuariorum pro humoris consimilis potenti euacuatione. Vt diaphœnici. fol. 130. Benedictæ laxatiuæ,diacartamy

Index.

garyoceftini,indè maioris,& minoris,doses, vires, & modi vtendi. ibid.
Hieræ purgantes fortiter pituitam. Vt Logadij, & diacolocynthidos Pachij quibus viribus atque facultatibus præditæ,doses,necnon vtendi modi. ibid.
Trochisci alhandal quas vires & qualitates obtineant, doses, & assumendi ratio. ibid.
Pilularum pro pituitæ purgatione potenti. Vt de agarico,lucia maiorum,fœtidarum maiorum, da hermodactylis, & arthriticarum vires,cum dosibus. ibid.
Bilem benignè purgantium compositorum catalogus. ibid.
Electuariorum pro bilis purgatione benigna. Vt lenitiui, diaprum simplicis, vires, doses,& vtendi modi. ibid.
Hiera piera Galeni, quibus qualitatibus & viribus prædita, eum dosi. ibid.
Pilularum eundem humorem benignè euacuantium. Vt de tribus,Rufi,sine quibus,de eupatorio,de hiera, alephanginarum,& mastichinarum doses, vires, atque vtendi rationes. ibid.
Electuarium diasebesten, quibus facultatibus & viribus donatum,cum dosi. ibid.
Bilem efficaciùs purgantium compositorum numerus. ibid.
Electuariorum pro humoris eiusdem euacuatione potenti.Vt diaprum compositi. ibid. De psilio, rosati Mesues, & de succo rosarum,doses atque vires. ibid.
Pilularum humorem consimilem vehementer purgantium. Vt cocciarum, aurearum, & octometarum vires; atque doses. ibid.
Melancholiam mitiùs euacuantia composita,quæ. ibid.
Melancholicum humorem potenter purgantia,quænam. ibid.
Pilularum pro melancholici succi euacuatione vehementi, vires,& doses. ibid.
Confectionis hamech dosis,cum viribus. ibid.
Electuariorum pro eiusdem humoris melancholici purgatione potenti.Vt diasenna,aliorumque suprà citatorum vires, & doses. ibid.
Forma medicamentorum . quid, diuersitas eiusdem, vnde petatur, formularumque in medicamentis diuisio quænam. ibid.
Formulæ remediorum internorum, quem numerum admittant. fol. 132.
Aquarum stillatitiarum causa efficiens quæ, materialis, cum formali causa. ibid.
Aquæ stillatitiæ ad calculum, & antiepilepticæ exempla.
Apozematum acceptio duplex. Quænam peculiaris, eius causæ naturales omnes vt efficiens, materialis, formalis,& finalis quæ. ibid.
Apozematis ad crassos frigidosque humores in cerebro coquendos exemplum. fol. 133.
Apozematum dosis communis,& peculiaris pro diuersa natura ægrotantium,quæ. ibid.
Apozematis exemplum ad primarum viarum infarctum multiplicem paulatim deplendum in robustiore. ibid.
Iulapia,quænam constituant. Vt efficiens, forma, atque materia. ibid.
Iulapij exemplum,ad bilis feruorem temperandum pro somno conciliando. ibid.
Iulapij formula ad melancholiam in quartana coquendam. ibid.
Syrupi ad quem vsum dicati, cum illorum diuisione. ibid
Syrupi compositi materia, forma, & efficiens causa quænam. ibid.
Syrupum, cur aliquando saccharum, sapa, mel, sola vel mixta pro consistentia componant. ibid.
Syrupi exemplum pro arenulis & calculis renum expurgandis. ibid.
Syrupi magistralis formula pro asthmate. ibid.
Syrupi cathartici exemplum ad melancholiam hypochondriacam, ibid.
Emulsiones ex quibus constent, ipsarum consistentia quænam forma, atque finis diuersus. fol. 25.
Emulsionis exemplum ad distillationem è capite inhibendam, somnum conciliandum,& pulmones leuissimè detergendos. ibid.
Emulsionis formula,ad gonorrhœam & vrinæ ardorem ib.
Potionum purgantium materia quænam requiratur, conditiones earumdem,atque finis. fol. 134. & 135.
Potionis exemplum, ad purgandam bilem in delicatioribus. fol. 135.
Potio ad pituitam in mediocribus naturis euacuandam. ib.
Potionis formula ad crassos succos [pituitam sc. & melancholiam] mixtim in robustioribus vacuandum. ibid.
Potionis exemplum sine decocto peculiari aut communi, ad humores mixtos purgandos. ibid.
Boli consistentia,quæ,diuisio,purgantis boli vsus triplex.ib.
Boli lenitiui formula. ibid.
Boli purgantis exemplum. ibid.
Bolorum corroborantium cor & ventriculum à purgatione, ordinationes. ibid.
Puluerum finis diuersus,horumque diuisio communis, quibusve,affectibus satisfaciant. ibid.
Pulueris ventriculum roborantis præscriptio. fol. 136.
Pulueris cathartici non ingrati exemplum. ibid.
Opiatarum acceptio duplex, quænam apud antiquos, apud nos quotuplex, & forma quæ, materia, cum ordine & pondere sectorum humidorumque. ibid.
Opiata & lienis & virginum obstructiones tollendas. ibid.
Opiata corroborans cor,cerebrum,& ventriculum in suspicione syncopes. ibid.
Opiatæ purgantis crassos viscidosque præsertim humores exemplum. ibid.
Eclegmarum denominatio varia, vsus præcipuus, materia, consistentia, atque vtendi,modus. ibid.
Eclegmatis exemplum, ad pituitam in pulmonibus leuiter incrassandam,& detergendam. fol. 137.
Eclegma ad tussim sedandam, & fluxem materiam tenuem incrassandam. ibid.
Condita,quam consistentiam admittant, ex quibus componantur,insensibiliumque remediorum pondus,quod. ibid.
Conditi exemplum,ad ventriculum roborandum, & languentem facultatem vitalem excitandam. ibid.
Pastæ regiæ denominatio quænam à recentioribus: cuius consistentiæ,ad quos vsus,& ex quibus componatur. ib.
Pastæ regiæ formula ad tabidos renutriendos. ibid.
Pilularum consistentia quænam,vsus triplex,assumendi modus,atque ipsarum dosis propria iuxta casus nonnullos, & communis,quæ. ibid.
Pilularum eccoproticarum,& ventriculum humidiorem exsiccantium formula. ibid.
Pilulæ,humores quoscumque valenter euacuantes, quænam. fol. 137. & 138.
Pilularum deglutitio facienda aut facta, quibus exequatur. fol. 138.
Tabellarum materia,denominatio varia, forma, substantiæ modus,atque humidorum cum siccis quænam dosis. ibid.
Tabellæ roborantes iecur & ventriculum,quæ. ibid.
Tabellarum exemplum pro tollendis virginum obstructionibus. ibid.
Trochiscorum materia quænam, forma, vtendi modus, atque illorum vsus diuersus. ibid.
Trochiscorum exemplum,ad ventriculum imbecillem roborandum. ibid.

Trochisci,ad menses prouocandus,partum accelerandum, & secundinas pellendas. ibid.
Glandium forma,quæ, materia diuersa, pro ægrotantium natura, vsus, & quibus in morbis, his abstinendum sit. ibid.
Glandis communis formula. ibid.
Pessariorum consistentia,finis proprius, eorum triplex præscribendi modus,materia,& quid obseruandum, in consistilium peodolo constituendo. fol. 139.
Pessarij formula,ad vterum continendum & vteri ceruicem coarctandam. ibid.
Pessarium,ad menses ciendos. ibid.
Pessarij exemplum,ad humidiorem vterum exsiccandum, & purgandum pro conceptu faciliori. ibid.
Nasalia,quænam remediorum formulæ.ex quibus parentur, quo modo admoneantur,& ad quos vsus celebrentur.ibid.
Clysterium,forma,quæ,materia, denominationes variæ, clysteris distinctio à clysterio. ibid.
Ad quos vsus parentur, quantitas diuersa, pro ægrotantium natura, quot genera alterantium huiusmodi præscribantur, iniiciendi modus, & quid obseruandum in casus peculiaris relatione. ibid.
Clysteris lenientis atque detergentis communis formula. ib.
Clysteris.lenientis & emollientis communis,exemplum.ibid.
Clyster,valdè facultatem sopitam excitans,quis. ibid.
Clyster,cur aliquando oleum recuset. ibid.
Iniectionum,communis & propria significatio, genera quot instrumentorum ipsis deseruientium, pro diuersitate partium,forma,atque materia, in quarum exhibitione obseruantur nonnulla. ibid.
Iniectionis formula,ad pus empyicorum detergendum. ibid.
Iniectionis exemplum, pro mitigatione doloris ab vrinæ ardore excitati. ibid.
Errhinorum consistentia quænam,materia, atque vtendi modus. fol. 141.
Errhini formula duplex, pro sedando summitatis narium dolore. ibid.
Errhinum, ad cerebrum humoribus crassis viscidisque efficaciter deplendum. ibid.
Nasalium consistentia peculiaris, consimilium vsus, materia, & forma duplex. ibid.
Nasalis duplicis exemplum,pro purgatione cerebri laborantis passionibus frigidis & diuturnis. ibid.
Gargarismatum vsus,quis,& consistentia, materia, & vtendi modus. ibid.
Gargarismatis ordinatio,pro auertenda fluxione in fauces, vuluam,& laryngem labente. ibid.
Masticatoria,ad quem vsum parentur,vtendi modus,materia, & forma. ibid.
Masticatorij exemplum,pro vehementi dentium dolore. ibid.
Masticatorium quod,ad purgandam capitis pituitam. ibid.
Decoctionis communis medicinæ,exemplum. fol.142.
Decoctionis pectoralis communis,formula. ibid.
Decoctionis communis enematis,ordinatio. ibid.
Herbæ capillares quinque,quæ. ibid.
Flores cordiales tres,quænam.
Semina frigida maiora,quotuot;& frig.minora totidem,quæ.
Semina calida maiora,4. & calida minora totidem, quænam. ibid.
Radices aperitiuæ quinque,quæ. ibid.
Aquæ cordiales quatuor,quænam. ibid.
Vnguenta calida quatuor,& frigida totidem,quæ. ibid.
Formulæ remediorum externorum frequentium, numerum quem admittant. fol.143.
Oleorum diuisio communis in simplicia & composita: priorumque distributio in duo genera, prout à natura, vel arte parantur. ibid.
Olea simplicia opera artis (communis scilicet) producta quot genera diuersa recipiant. ibid.
Olea ordinis eiusdem,arte non communi,sed chymica elicita quot modis perficiantur. ibid.
Oleorum compositorum genera varia, pro diuerso operandi modo. ibid.
Oleorum simplicium vsualium & stillatitiorum quantitas, quibus distinguatur habita ratione ponderis. ibid.
Oleorum consimilium exemplum, ad dolorem sedandum in membro externo.
Oleorum compositorum præscriptio, cum vtendi modo, ad dolorem ventriculi à flatibus. ibid.
Oleorum stillatitiorum formula, ad liniendam spinam in paralysi,aut ad mitigandum rigorem in febribus. ibid.
Oleorum instillatio,quas formulas remediorum externorum potissimum consequatur. ibid.
Linimentorum consistentia,etymon, & materia,cum viscidorum,fluidorumque quantitate præscripta. ibid.
Linimenti exemplum,ad lateris dolorem sedandum, & partum facilitandum. ibid.
Linimentum,ad lienem obstructum tumidumque. ibid.
Vnguentum,vnde dictum,propria illius acceptio ab antiquis apud nos,ex quibus componatur,consistentia,atque debita humidorum siccorumque remediorum quantitas,cum obseruationibus nonnullis,pro consimilis formulæ remediorum scriptione. ibid.
Vnguenti exemplum,pro somno conciliando. ibid.
Vnguentum anodynum,ad vlcera articulorumque fungos.ib.
Vnguentum,ad frigidiorem ventriculum. ibid.
Vnguentum,pro dolore pleuritidis mitigando. ibid.
Cerati nomen, vnde deductum, consistentia dissimilis apud Italos & nos Gallos,varia denominatio eiusdem, operandi modus, cum debita humidorum siccorumque quantitate notata. ibid.
Cerati exemplum,pro lienteria. ibid.
Ceratum,ad calorem iecoris temperandum. ibid.
Emplastri etymon,materia, siccorum remediorum cum humidis quantitas ordinata,nec non aliquot obseruanda pro eius proximo aut tardiore vsu. ibid.
Emplastri formula, ad dysepulota vlcera & cancrosa. ibid.
Emplastrum,ad lienem tumidum deprimendum. ibid.
Emplastri exemplum, ad imbecillum simpliciter ventriculum. fol. 146.
Sparadrappi forma,materia, & denominatio quænam, cum vsu. ibid.
Sparadrappi exemplum,ad dysepulotica vlcera curanda.ibid.
Sparadrappum,ad callum procurandum in fracturis. ibid.
Cataplasmatis etymon, consistentia, & modus vtendi illius materia,quæ,pro pulte acceptio eiusdem aliquando, cum vsu. ibid.
Cataplasmatis exemplum duplex,pro doloribus sedandis. ib.
Cataplasma,ad phlogosim sedandam, & excoriationes cutaneas prompte siccandas. ibid.
Cataplasmatis formula ad resolutionem phlegmones,pro imminente gangrena auertenda. ibid.
Cataplasma ad iuuandam suppurationem. fol. 147.
Sacculorum forma,materia,vsus varius,& modus vtendi.ibid.
Sacculi exemplum duplex,ad ventris lateris͡ue dolorem à flatibus. ibid.
Sacculus,ad ventriculum frigidiorem roborandum. ibid.
Sacculus, ad cor roborandum pro syncopes præseruatione, aut palpitationis curatione. ibid.
Sacculus capitalis, quid, eius denominatio apud Barbaros, materia,& forma. ibid.
Sacculi capitalis exemplum. ibid.
Frontale,quid,eius Græca appellatio,cum vsu diuerso. ibid.

Frontalis

Index.

Frontalis exemplum, pro vehementi dolore capitis ab æstu. fol. 148.

Frontale, ad prædictæ partis doloram excitatum à frigore. ib.

Frontalia formula duplex pro hæmorrhagia sistenda. ibid.

Frontale duplex, ad somnum consiliandum. ibid.

Collyria antiquorum & neotericorum dissimilia, apud nos, quid propriè connotent, illorum materia, consistentia, remediorumque siccorum cum humidis quantitas distincta, quænam, ibid.

Collyrii exemplum, ad incipientem suffusionem. ibid.

Collyrium Heurnii pro albuginibus, aliisque oculorum affectibus. ibid.

Trochiscorum materia, forma, atque denominatio diuersa. ib.

Trochiscorum exemplum, ad suffiendos laborantes lue venerea. ibid.

Trochiscorum ordinatio ad fumum ore naribusque excipiendum pro frigido humidoque cerebro roborando. fol. 149.

Poma odorata, ex quibus constituantur, consistentia, vsus, atque forma. ibid.

Pomi odorati exemplum. ibid.

Pomum odoratum, ad somnum prouocandum. ibid.

Fotuum materia. Forma, atque vtendi modus. ibid

Fotus exemplum, ad lateris dolorem mitigandum. ibid.

Fotus, pro dissoluendis tumoribus œdematosis & flatulentis.

Epithematis dictio, quomodo Latinè exponatur, ab antiquis, & neotericis acceptio duplex, apud nos epithema liquidum præsertim & commune, quam materiam requirat, illius vsus, atque liquorum puluerumque quantitas distincta, ad compositionem eiusdem. ibid.

Epithematis eiusdem formula, pro cordis æstu temperãdo. ib.

Epithema, languentem cordis vim roborans, ibid.

Epithema, pro iecoris calidioris refrigerio. fol. 150.

Epithema siccum, quid, eius materia, forma, atque vsus. ibid.

Epithematis sicci exemplum, pro cordis tuitione in febribus malignis. ibid,

Balneum, quid. Eius vsus, apud antiquos, apud nos finis varius atque materia diuersa, necnon multorum affectuum narratio, quibus tale maximè conducat. Cum præscriptione notarum, quibus simplicia dispensantur. ibid.

Balnei exemplum, ad sudoris prouocationem & eductionem humorum putrium salsorumque in scabie. ibid.

Balneum, ad curationem pruritus post purgationem. fol. 151.

Semicupium, quid, eius varia denominatio, materia, forma, atque vsus. ibid.

Semicupii exemplum, pro ischuria sananda. ibid.

Semicupium, pro mensium suppressione tollenda. ibid.

Vaporarii materia, forma, vtendi modus, atque vsus. ibid.

Vaporarij exemplum, ad dolorem hæmorrhoidum sedandum. ibidem.

Stuphæ denominationes variæ, materia, illius vsus, pro diuersis affectibus, vtendi modus, eiusdemque ab antiquis denominatio. ibid.

Sinapismus, vnde dicatur. Eius forma, materia, atque vsus. ib.

Sinapismi exemplum, pro crure perfrigerato stupidoque sanando. fol. 152.

Dropacis appellationes diuersæ. Illius vsus, materia, cum forma. ibid.

Dropacis exemplum, pro curatione cruris macilenti. ibid.

Dropax, ad calorem reuocandum partis refrigeratæ. ibid.

Dropacis formula, ad humores per cutem educendos in arthritide. ibid.

Vesicantium vsus, quis. ibid.

Vesicantis exemplum, pro sedanda odontalgia, & fluxione in oculum. ibid.

Vesicantis communis, ordinatio. ibid.

Vesicans, pro his qui sanguinis mictum patiuntur ex læsione vesicæ. fol. 153.

Caustici vsus, materia, cum exemplo eiusdem. ibid.



EXTRAICT DV PRIVILEGE du Roy.



OVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre, A nos amez & feaux Conseillers les gens tenans nos Cours de Parlemens, Requestes de nostre Hostel, Baillifs, Seneschaux, leurs Lieutenãts & autres nos Iusticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Nostre bien aymé Messire IACQVES MERINDOL Prestre, nous a fait remonstrer qu'il desireroit faire imprimer vn Liure composé par feu son frere, intitulé *Antonij Merindoli Consiliarij Medici, & in Aquensi Academia Primarij Professoris Regij Ars Medica in duas partes secta, &c.* mais ne le pouuant faire sans nostre permission exclusiue à tous autres de faire le semblable, afin que les frais & despens qu'il contribuera à ce sujet ne luy soient point rendus inutiles & en pure perte, nous ayant à cét effect supplié & requis de luy octroyer nos lettres sur ce necessaires. A ces causes desirans fauorablement traiter ledit Merindol, Nous luy auons permis & permettons par ces presentes de faire imprimer & mettre en vente ledit liure par tels Imprimeurs & Libraires que bon luy semblera durant le temps de dix ans, à commencer du iour & datte des presentes, pendant lequel nous faisons tres-expresses deffences à tous Imprimeurs, Libraires, & autres personnes de quelque qualité & condition qu'ils soyent, d'imprimer, ou faire imprimer, & mettre en vente, tant dedans que dehors nostre Royaume, ledit liure, en tirer extraits sous pretexte de quelques changemens, & desguisemens quelconques, sans le consentement dudit Merindol, sur peine de confiscation des exemplaires, de cinq-cens liures d'amande, applicable moitié à nous, moitié audit Merindol, & de tous despens, dommages & interests enuers luy, à la charge de mettre deux exemplaires dudit liure en nostre Bibliotheque, auant que le faire exposer en vente, suiuant nos reglemens, à peine d'estre decheu du present Priuilege. Si vous mandons, que du contenu au present Priuilege vous ayez à faire souffrir, & laisser iouyr, & vser ledit Merindol plainement & paisiblement, & à le faire souffrir & obeyr de tous ceux, & ainsi qu'il appartiendra, & qu'en mettant au commencement, ou à la fin dudit liure ces presentes, ou vn brief extraict d'icelles, qu'elles soient tenuës pour deuëment signifiees: car tel est nostre plaisir. Donné à Chasteau Tierry le 9. iour de Decembre, l'an de grace 1631. & de nostre Regne le vingt-deuxiéme.

Par le Roy en son Conseil.

Signé PETIT.

Et seellé à simple queuë de cire iaune.

LES presentes ont esté enregistrees ez Registres des Lettres Royaux de la Cour de Parlement de Prouence en suite de l'Arrest donné par icelle du 21. iour de Feurier 1632.

Signé, ESTIENNE.

LE vingt-huict Septembre 1632. ledit Messire Iacques Merindol se demettant dudit Priuilege, l'a remis à Iean Roize Imprimeur desdites œuures, pour en iouyr plainement en son propre & priué nom, comme appert amplement de l'acte reçeu par moy soubsigné Notaire Royal, & Apostolic, & Secretaire Ordinaire de la Chambre du Roy, les an & iour cy dessus.

BORRILLY.

[illegible] il ritratto dell'autore ...